
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
12 — F
15
ROMA

M

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA.

TOMVS XV.




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè scripserunt, fere omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domestico assistente sacro Solio, ab Innocentio XI. Archiepiscopo Valentino: olim in eiusdem Vrbis Vniuersitate S. Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, postmodùm totius Religionis Generali Magistro; semel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præsentia Hispaniarum Inquisitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XV.





ROMÆ, M.DC.XCVIII.

Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Dominicus Bellisarius de Bellis Episc. Melphicten. Vicesg.

CENSVRA
TOMI XV.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.


DE ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: *Laurentij Brancati de Laurea*: De Decretis Ecclesf. Item: De obiecto materiali Fidei in quæst. facti. Item: De proponente legitimè res Fidei. *Lælij Iordani*: De maior. Episcoporum causis ad Papam defenendis, &c. *Leonardi Marij*: De Apostolorum potest. *Leonardi Coquæi*: Antimornæus, seu Confutatio histor. Papatus. *Ludouici Thomassini*: Dissertatio I. ad Synod. de die Paschæ. Item: Dissert. II. ad Synod. de Bapt. Hæret. Dissert. III. in Synodum Nicænam. Dissert. IV. in Synodum Gangrensem. Dissert. V. in Synod. Ariminen. Dissert. VI in Synod. Oecumen. II. &c. Dissert. VII. de Synodo ad Quercum, &c. Dissert. VIII. in Conc. Diospolit. &c. Dissert. IX. in Conc. Carthag. & Mileuit. Dissert. X. in Conc. Ephes. I. &c. Dissert. XI. in Conc. Constantinop. &c. Dissert. XII. in Conc. Chalced. &c. Appendix ad Synod. Chalced. &c. Dissert. XIII. in Conc. Arelatense, &c. Dissert. XIV. in Conc. Roman. &c. Dissert. XV. in Conc. Roman. &c. Dissert. XVI. in Synodos Constantinop. & Rom. &c. Dissert. XVII. in Conc. Arausican. II. &c. Dissert. XVIII. in Synod. Roman. Dissert. XIX. in Synod. V. Oecumen. &c. Dissert. XX. in Synod VI. Oecumen. &c. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt Decimusquintus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 20. Augusti 1698.

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES
Quorum opera in hoc XV. Tomo continentur.



INDEX CAPITVM

Huius Decimiquinti Tomi.

FR. LAVRENTII BRANCATI DE LAVRÆA,

Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci in Romana Sapientia Professoris Theologi, SS. Congregationum Concistorialium, Indulgent; Rituum, Visitationis, ac S. Officij Consultoris, & Qualificatoris, Episcoporum Examinatoris, Bibliothecæ Vaticanæ Primi Custodis, & S. R. E. Cardinalis.

In Tertium Librum Sententiarum Magist. Fr. Ioannis Duns Scoti, Commentaria Tomus Tertius, in quo continentur Disputationes XX. De Virtutibus Theologicis, & de Virtute Fidei; ibique Synopsis, pag. 1.

DISPVTATIO V.

De tertia specie obiecti materialis fidei, scilicet de Ecclesiæ Decretis.

DISPVTATIO VI.

De obiecto materiali Fidei in quæstionibus Facti.

DISPVTATIO VIII.

De proponente legitimè res Fidei.

LÆLII IORDANI EPISCOPI ACERNENSIS,

Iurisconfulti Romani præclariſſimi, & olim in primis Scholis Romani Gymnaſij ex ordine Iuris Ciuilis acutiſſimi Interpretis.

Tractatus de Maioribus, rerumque capitalium Epiſcoporum cauſis ad Papam deferendis, & Romanæ Sedis origine, atque auctoritate; ibique Synopſis, pag.142.

D. LEONARDI MARII

S. Theol. Doct. eiusdemque in Vniuersitate Coloniensi Professoris Ordinarij.

Catholica, Hierarchiæ Ecclesiasticæ Assertio, in qua B. Petri, & Romanæ Sedis Primatus contra hæresim, & schisma M. Antonij Spalatensis quondam Archiepiscopi ex Scriptura, SS. Patribus, & Concilijs defenditur, ac simul illius mendacia, imposturæ, & fraudes deteguntur; ibique Synopsis, pag. 191.

FR. LEONARDI COQVÆI ORD. EREMIT. S. AVGVSTINI Theologi Parisiensis.

Antimornæus, seu Confutatio Mysterij Iniquitatis, seu historiæ Papatus Philippi Mornæi Caluinistarum in Gallia Archisynagogi. Vbi & errores, ac imposturæ, ex quibus contextum, & consarcinatum totum opus facilè deteguntur, ac refelluntur; ibique Synopsis, pag. 267.


P. LVDOVICI THOMASSINI

Presbyteri Congregationis Oratorij Domini IESV.

Dissertationum in Concilia Generalia, & particularia; ibique Synopsis pag. 380.

DISSERTATIO PRIMA.

FR. LAV-



FR. LAVRENTII BRANCATI DE LAVRÆA,

Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci in Romana Sapientia Professoris Theologi, SS. Congregationum Concistorialium Indulgent. Rituum, Visitationis, ac S. Officij Consultoris, & Qualificatoris, Episcoporum Examinatoris, & Bibliothecæ Vaticanæ Primi Custodis, & S. R. E. Cardinalis.

In Tertium Librum Sententiarum Mag. F. Ioannis Duns Scoti.

COMMENTARIA TOMVS TERTIVS.

In quo continentur Disputationes XX.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, & de Virtute Fidei.

PARS PRIMA.

Laurentius Brancatus de Lauræa natus est Lauræa, oppidi in Lucania, Polycastrensis diœcesis, olim dictæ Coloniæ Vltianæ, nominatus à baptismo Ioannes Franciscus è parentibus humilibus, & inopibus. Erga literas fragrantem animum sentiens sub magisterio Aquilantis Vitalis conciuis sui prima posuit rudimenta, deinde eruditioni se deuouit, tandem causis forensibus sub eodem Magistro ab octo annis vsque ad decimum quintum ità egregiam operam impendit, vt Magister ille nihil ampliùs haberet, quod suggerere posset. In Patria non erat, quod disceret, & Patriam relinquere non poterat dura cogente paupertatem. Consilium ergo inijt se quamuis primogenitum Clericali militiæ adscribere, quod & obtinuit à D. Antonio Sanctorio Polycastrensi Episcopo, addictusque est Ecclesiæ S. Iacobi inter Clericos, vbi biennio vixit. Interea hæreditario asthmatis morbo grauiùs præmebatur, quo vt liber euaderet D. Franciscum Minorum Patrem inuocauit, voto facto illius habitum vestiendi. Vix emiserat votum, vt subitò morbus abscesserit, & ipse sacrum Francisci habitum induit. Cum autem multotiès in petitione simus ardentissimi, post habitum beneficium frigidi, habita sanitate Laurentius, & habitum dimisit. Verùm cum habitu discessit sanitas, redijtque antiquus morbus, vnde Laurentius, & habitus dimissi, & in-

& ingratitudinis pudore perfusus, religionis eiusdem habitum feruentiùs petijt, & obtinuit; annumque probationis nulla fluctuatione interruptum compleuit. Religionem professus, vetus nomen Francisci mutauit in Laurentij, & in prouincia S. Nicolai de Bario Philosophiæ, & Theologiæ studijs auidissimè se addixit. Eò breui doctrinæ, & profunditatis peruenit, vt anno 1634. se Romam contulerit, vbi in S. Bonauenturæ Collegio artium Magisterij laurea fit insignitus, primarijsque Religionis studijs, ac Regentijs, scilicet Neapolis, Auersæ, Ferreriæ, Florentiæ, Bononiæ præfederit. Religio deinde Secretarium Generalem, Ordinisque Assistentem, adiecto Hiberniæ quoque Prouincialatus titulo communi applausu denuntiat; inde Romani Cœnobij cura illi est iniuncta. Verum assuetus animus contemplationi, & Patrum assiduæ volutationi, horrebat, fastidiebatque ista gubernationis onera, vnde cum potuit, hæc omnia prorsus abiecit, in Theologia, & lectione canonum assiduus, & totus apud prima Sapientum capita iam notus erat, & vbique inter Sapientes inueniebatur. Eum publicis in congressibus doctissimorum perspectum, tanti fecit prudentissimus Princeps Fabius Ghisius, qui in Petri cathedra posteà sedens Alexander VII. est nuncupatus, vt apud Innocentium X. tunc regnantem summam de illo famam perduxerit. Hæc notitia origo extitit omnium laborum, & graduum, per quos ad maximum Principis sacri peruenit. Mox in Romanæ Academiæ, quam Sapientiam vocant, Theologum Lauræam motu proprio Pontifex assumit. Hinc designat S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Consultorem, & Qualificatorem, nec non S. Indicis Congregationis Consultorem. Mortuo deinde Antonino Diana Clerico Regulari celeberrimo Casuista, qui Synodalis, & Episcoporum fuerat examinator in Laurentium transijt officium, maiore nescio gloria Antecessoris, an Successoris. Hinc supposita robustis humeris alia pondera, munus assistendi Parochorum menstruitur conclusionibus, studiorumque de propaganda fide Collegij præfectura, vbi ex omni terrarum parte collecti iuuenes omnium liberalium artium penè cumulantur disciplinis, linguis, cœremonijs, morali, speculatiua, dogmatica. Porro Alexander VII. obstructiores difficultatum latebras Laurentio obuias expertus in grauissimis S. Sedis negotijs, in materia fidei, & morum quotidie consulebat, & tantum doctrinæ eius deferebat, vt illum dictitaret S. Sedis brachium. Capitis exemplum sequentes Prælati, & Cardinales cateruatim calculum rogabant, causasque examinandas passim offerebant. A prædecessorum sensu haud aberrantes Clemens IX. & X. primus indulgentiarum, ac reliquiarum à se institutæ Congregationi eum adesse iubet, alter Bibliothecæ Vaticanæ custodiam mandat, visitationisque regularium status, & Consistorialis, à qua religiosi aliàs arcentur, primusque & solus in sua religione has partes expleuit, dignus qui ob merita singularia, singulares honores assequeretur. Et tamen immensi labores isti tanto viro penè nulli videbantur, quippè assiduè edebat volumina, ea prosperitate, vt Bibliopolæ ipsos nunquam habuisse viderentur, secundaque editio apprehenderet primam; eo emolumento, vt plusquam viginti aureorum millia ex his lucratus fuerit, quæ Apostolica dispensatione, & superiorum benedictione in bonam reseruauit occasionem. Flagrantissimum ergo desiderium illi incesserat de sacra Apostolorum æde Fratribus Conuentualibus demandata, sensim vetustate nimia dilabente penitùs reficienda, quod vbi licuit, omnes prouentus, omnia lucra ex innumeris laboribus congessit ad eum primò in ampliorem formam restituendum, Bibliothecam subinde, quæ huic promineret, ædificandam curauit; æsque deinceps abundantius in extruenda, ac exornanda Basilica copiosissimè effudit. Absidis præcipuè decorandæ, SS. Patriarcharum Dominici, & Francisci imaginibus. Nec à tam magnificis sumptibus deterrere vnquam potuit, quicquid maiori, quàm par esset, commiseratione moti secus suaderent amici, queis vt in futura emergentia à Deo fortè ordinata eam pecuniam seruaret, monentibus respondit, qui dat esse, dat consequentia ad esse, Deo interim demus, quæ dat, nam & ipse reddet. Post tot insignia opera inter principes R.E. collocatur ab Innocentio XI. Censore iustissimo meritorum, communi tum vulgatium, tum principum gratulatione, quippe omnibus charus, & familiaris; titulo Sanctorum duodecim Apostolorum; excepitque eum nuntium facie in humum deiecta, & sæpè repetens, ne sit quæso in confusionem æternam honor momentaneus, decem Congregationibus, vt interesset nouus Cardinalis, statuit idem Summus Pontifex, quibus quam curam, quod studium, quam solicitudinem impenderit, vel ex eo liquet, quod homini senio, & la-

& labore confecto accidit, decimo antè supremum die in facto Conuentu super Episcoporum negotia, regulariumque statum esse præsentem febri quamuis vexatum. Quotidie ergo recitans egredere anima Christiana, & quotidie assuescens mori, vt semel benè moreretur, sospes, & incolumis præparauit ligneum, plumbeumque loculos cum lapide sepulchri, & omnia spectantia ad funus instruxit, locumque, vbi tumulandum esset cadauer, in ima planitie iuxta Fratrum suorum monumentum voluit. Legauit moriens omnia Monasterio Sanctorum Apostolorum, & quæsitus à Medico Sanctissimi D. N. Innocentij XII. misso ad eum inuisendum ab isto eximio Pontifice de valetudinis statu; in statu se esse respondit, expectantis beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Cum autem aliquis ipsi referret longa merita, respondit, haud merita, haud merita, sed dona gratis data. Vixit octoginta duos annos in assiduis laboribus, & viuit adhuc in hominum memoria, & suis operibus, quę sunt infrascripta, quæ vel edidit, vel elucubrauit. Tomus primus est de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Eucharistia. Secundus de pęnitentiæ virtute, de pęnitentiæ Sacramento. Tertius de Matrimonio, & reliquis Sacramentis. Quartus de quatuor nouissimis, & de statu paruulorum. Deinde in quartum sententiarum luci tradidit. In primo Tomo, de incarnatione, & de omnibus ad Christum spectantibus. In secundo, de virtutibus Cardinalibus, & de virtutis Heroicæ natura, & signis vtriusque virtutis Heroicę in specie. In tertio in duas partes diuiso, de Fide, & de ea vbique propagata, & de modo propagandi. In quarto, de spe, & charitate, & de cæteris spiritualibus donis, gratijs gratis datis, præcipuè miraculis, cum instructione pro Missionarijs. Tomum inscriptum Epitome Canonum omnium ordine alphabetico ad commodum studiosorum. Scripsit opuscula tria de Deo quoad opera prædestinationis, & reprobationis, & gratiæ actualis. Opuscula octo. De oratione Christiana opus summè desideratum. In omnibus materijs, vt eruditionem Ecclesiasticam haberet in promptu pro suo commodo, reduxit in Compendium Nicolaum de Lyra in totam S. Scripturam, libros S. Augustini, & Baronij, & Oderici: Pro materijs tribunalium S. Inquisitionis tomos 3. Salelles, & praxim exercendam pro tribunalis illius iurisdictione. Octo volumina inscripta. Vota F. Laurentij de Lauræa pertinentia ad S. Officium, vbi soluit innumeras difficultates occurrentes, & reliquit Consultori S. Officij, & successoribus degentibus in Conuentu Sanctorum Apostolorum. Sic multa scripsit compendiosè pro examinatoribus Synodalibus, & Episcoporum. Scripsit vitam Iesu Christi armonicè iuxta quatuor Euangelistas, & plures laudes deuotas, & orationes, quæ omnia iussu Innocentij XII. fęlicissimè regnantis edita sunt. Scripsit autem eius vitam Bartholomæus Comandus Magister, & Curatus perpetuus Sanctorum duodecim Apostolorum, & typis reddat illustrem redditurus breui, & marmore, vt tantus Cardinalis mereatur.



DISPVTATIO QVINTA.

De tertia specie obiecti materialis fidei, scilicet de Ecclesia Decretis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An decreta Ecclesiæ circa doctrinam, sint obiecta Fidei?



Cotus in q. 2. Prol. D. & in 1.dist.11. quęst.1. nec non in 3.dist.24. quæst. vn. cum Catholicorum omnium consensu docet, quòd definita ab Ecclesia in materia doctrinę, sunt tenenda fide Diuina.

1. Adu. 1. quòd nomen hoc Ecclesia duo potest significare; scilicèt materialem domum, quæ templum dici solet; de qua acceptione nunc non curamus. 2. Significat collectionem fidelium credentium in Deum, de qua acceptione multa extant exempla in Sacra Scriptura, incipiendo à libro Num. & desinendo in cap. 21. Apocal. plusquam ducentiès fit mentio de Ecclesia, & Iulius I. epist. 3. cap. 8. ait: Idem est Ecclesia Græcè, quod Latinè conuocatio. At pro fidelium conuocatione communissimè, & autonomasticè sumitur, ex can. Eccles. de consecr. dist. 2. & extrà de celebr. Miss. & cap. Relatum de testam.

2. Adu. 2. quòd Ecclesia pro conuocatione, seu cœtu fidelium accepta, adhuc sumitur tripliciter; primò pro omnium, & singulorum fidelium adunatione, tàm Clericorum, quàm Laicorum vtriusque sexus, de qua ad Rom. 16. pluriès, item & in alijs epistolis frequentèr. Actor. 5. Factus est timor in vniuersa Ecclesia; & Matth. 26. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. 2. Sumitur pro collectione Clericorum tantummodo, vndè Ecclesiastici, & bona Ecclesiastica, &c. & huius vocis vsus, rarus est in Scriptura, sed in Iure Canonico frequentissimus. 3. Sumitur Ecclesia pro cœtu, seu adunatione maiorum, seu Patrum, qui præsunt fidelibus; de qua significatione loquitur Saluator Matt. 18. de corrigente aliquem non audientem, Dic Ecclesiæ: hic loquitur de Pastoribus, vt Gloss. ord. notat; quia statim subdit: [Amen dico vobis; quæcumque alligaueritis super terram, erunt alligata & in cœlo;] quod non competit, nisi Pastoribus. Et de hac significatione, in Iure Canonico, in Decretalibus epist. & apud Sanctos Patres est frequens vsus. Nam ex can. ligatur 24. quæst. 2. Ecclesia Catholica potest soluere, & ligarè; & ex canon. Manet. can. quodcumque &c. 24. q. 1. Ecclesia in S. Petro obtinuit potestatem soluendi, & ligandi, ex can. palàm &c. dist. 11. Ecclesia determinat res fidei. Ex Concil. Florent. Trident. & Senon. Ecclesia potest decernere, qui sunt libri Canonici &c. multa, quæ Ecclesiæ competunt, non aptantur toti communitati fidelium, vt euidens est; quia, neque Laici, neque minores Clerici possunt hæc facere; sed solùm pastores simul adunati; vt ex praxi Ecclesiæ, tàm veteris, quàm noui Testamenti patet. Et ideò ex Baron. tom. 3. an. 321. Concilium appellatur Ecclesia. Et ex factis Concil. legi potest. In lege enim Moysi Concilium Synedricum, omnia spiritualia iudicabat; vt certum est. In nouo verò Apostoli soli congregabantur, cùm de fidei, ac morum præceptis erat agendum; cęteri autem fideles, auditores tantum erant. Euidens est de primo Concilio Hierosolymis coacto, cùm duodecimus Apostolus erat eligendus. De alio ibidem collecto in cap. 15. cùm de vsu circumcisionis, ac legalium erat agendum: etsi enim seniores etiam legantur adfuisse ei Concilio, Apostoli tamen locuti sunt; neque omnes, sed priùs Petrus, & postea Iacobus, & non legitur alius. Alij autem consenserunt. Idem accidit, cùm ex cap. 7. destinati sunt septem Diaconi ad ministrandum mensis. Et ex his Apostolorum exemplis sumpta est forma Conciliorum, quæ ab initio post Apostolorum mortem fieri cœperunt, & vsque nunc fiunt, siue prouincialia, siue nationalia, siue generalia, seu Oecumenica, ad quæ totius mundi Episcopi conuenire possunt. Hæc ergo vltima adunatio, totam Ecclesiam repræsentat, quia quęlibet particularis Ecclesia suum ad eam pastorem mittit, qui eam repræsentat, & eius nomine loquitur. Alioquin esset impossibile totam Ecclesiam coadunare. De Ecclesia sic accepta loquimur, dum quærimus, an decreta Ecclesiæ respicientia doctrinam, sint obiecta fidei? Et quoniam, vt dixi, aliquando seniores alicuius Ecclesiæ particularis in vna Diœcesi congregantur, & decreta aliqua faciunt; aliquando plures Episcopi vnius prouinciæ congregantur, & faciunt Concilium prouinciale; aliquando omnes Episcopi vnius Nationis, & faciunt Concilium nationale; aliquando omnes totius mundi, vel maior pars

eorum,

eorum, vel etiam minor actu conuenit; omnibus tamen intimatis, & faciunt generale &c. Omnia hæc, sua decreta, vel fidei, vel morum facere solent, & hucusque fecerunt: quærimus, an decreta hæc, sint obiectum Diuinæ fidei?

3. Adu. 3. quòd, vt experientia docet, Concilia formant Canones, seu decreta in diuersis materijs, nempè doctrinæ, seu credendorum, & morum, seu circa mores hominum dirigendos, ac rituum, seu cæremoniarum, circa Sacrificia, Sacramenta, ac Diuina Officia; quædam tandem circa beneficia, & iurisdictionalia personarum, bonorum, & domorum Ecclesiasticarum. De primis tantùm potest moueri quæstio, an sint obiecta fidei, non de postremis. Vt autem distinctè procedamus, in plures articulos dubium secabimus.

§. Vnic.

An Decreta Ecclesiarum particularium circa doctrinam, sint obiecta Fidei Diuinæ?

4. DIco. Decreta Ecclesiarum particularium (excepta Romana, de qua postea,) seù Conciliorum Prouincialium, aut Nationalium circa doctrinam, nisi à Romano Pontifice, seu Generali Concilio sint confirmata, non sunt obiecta Fidei Diuinæ.

5. Prob. prima pars. His Ecclesijs non est promissa Spiritus sancti assistentia, seù infallibilitas in decernendis doctrinis credendorum. Ergò. Consequ. prob. ex dicendis infrà; eatenus enim decreta Concilij generalis legitimi, vel etiam solius Papæ, sunt obiecta Fidei, quia eis est promissa Spiritus sancti assistentia infallibilis in deducendis consequentijs necessarijs ex locis Scripturæ, vel ex traditionibus. Non enim alio modo, vt postea dicam, saluari potest, quomodo per ea loquatur Deus; cùm illa non habeant nouas reuelationes, sed veteres declarent, vel ex eis eruant propositiones explicitè de nouo credendas, quæ implicitè priùs credebantur: vel per traditionem habebantur: hoc tamen præstant, Spiritu sancto eis in dies suggerente omnem veritatem, ex Concil. Trident. Sess. 13. in proem. iuxtà Christi oraculum Ioan. 14. 16.

6. Anteced. quòd ijs Concilijs non sit promissa assistentia, & infallibilitas in Decretis credendorum, in quo tota vis est, probatur. In nullo Scripturæ loco reperitur hæc promissio. Quod enim ait Paulus 1. Timoth. 3. 15. [Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis,] intelligitur de vniuersali, cum suo capite visibili, vt dicam postea. Neque vllus Patrum, ac Doctorum, immò neque vllum ex Concilijs ipsis prouincialibus vnquam id eis, aut sibimet attribuit; & si quando prouincialia Concilia, aut nationalia aliquid circa credenda decreuerunt, estò verum esset, & postea confirmatum à Generali, vt de multis dicam postea; tamen non potuerunt obligare fideles omnes ad id credendum Fide Diuina; tum quia non erant omnibus superiora; tum etiam, quia decipi potuerant; nec vnquam adfuit praxis ista in Ecclesia. Poterant tamen subditos proprios coercere, nè doctrinam contrariam docerent, & hoc sub anathemate; non tamen ad Fidem internam Diuinam obligare; vt postea dicam.

7. Idem anteced. prob. 2. Ecclesiæ particulares, seu Concilia prouincialia attentantia elicere Decreta Fidei, aliquando errarunt, & reprobata fuere. Ergò carebant infallibilitate in eiusmodi decretis formandis. Euidens est consequ. quia Deus non potest decipere, nec deficere in præstando, quod promisit. Anteced. prob. multis exemplis. Quatuor Concilia prouincialia, Ponticum, Gallicum, Osroenum, & Asiaticum, celebrata tempore Victoris Papæ ex tomo 1. Concil. in eius vita, decreuerunt Pascha celebrandum more Iudaico 14. Luna, & quia errarunt, fuerunt reprobata à Victore. Concilium Aphricanum ab Agrippino congregatum sub Zephirino ex tom. 1. Concil. in vita eius, & ex Baron. ann. 257. decreuit, baptizatos ab hæreticis esse rebatizandos, & errauit, fuitque reprobatum. Idem error accidit in Concil. Chartag. à Sancto Cypriano cum 85. Episcopis congregato, & ideò reprobatum, ex to. 1. Concil. in fine vitæ Stephani I. & mirum videri potest, quòd sub tanto Magistro error tantus Donatistarum postea pestis irrepserit, auctore Concilio 85. Patrum, quorum plerique martyres existunt. Idem error accidit in magno Iconiensi Concilio plurium Regionum Orientalium Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, &c. quod decreuit, omnia ab Hæreticis facta etiam baptismata esse inualida; & tamen ab eodem Stephano fuit reprobatum, in vita eius, tom. 1. Concil. & Baron. ann. 258. Concilium vniuersale Mediolanense 300. Episcoporum damnans Athanasium tamquam Hæreticum errauit, & ideò reprobatum ex tom. 1. Concil. sub Liberio, & ex Baron. ann. 355. Et quod mirum est, Concilium generale Ariminense, sub Liberio I. Catholicum, deinde Constantij Ariani vi, lapsum est in hæresim, nam ex 400. viginti tantùm in Fide Nicæna perstiterunt, cùm Vsiam cæteri abrogarunt Dei Filio. Quibus tamen fortitèr restitit Roman. Pontifex, vt postea dicetur. Historia legi potest ex Auctoribus eius temporis, præsertim Magno Athanasio, & ex alijs apud Baron. tom. 3. anno 359. Hęc & alia complura, quæ non vacat exarare, cùm facilè possem inuenire, prouincialia Catholicorum Concilia (vt omittam innumeras Ecclesias malignantium Arianorum, Donatistarum, Nestorianorum, & cęterorum Hæreticorum Episcoporum) errarunt turpitèr in Decretis Fidei. Ergò non habent infallibilem assistentiam. Et sic eorum decreta nequeunt esse obiecta Fidei; id enim requiritur ad Fidei obiectum, vt dicam postea.

8. Probat. 2. Ecclesiæ particulares congregatæ, seu Concilia prouincialia non possunt totam Ecclesiam obligare, & dicere anathema omnibus fidelibus non credentibus doctrinas nouitèr ab eis decretas; quia non habent iurisdictionem in omnes fideles, sed in prouinciam tantùm. Ergò non possunt decreta noua Fidei formare. Consequ. quæ vide-

videtut aliena ab anteced. necessariò deducitur. Quia Fides obiectiua est vna ex Apustolo, & omnem Ecclesiam obligat. In casu autem cum non obligaret omnes, sed prouinciales tantùm; esset, & non esset Fides; quia non vna. Ergò.

9. Confir. Decreta eiusmodi doctrinalia, etiam ab antiquo non habebant robur obligaudi Ecclesiam, nisi ad generale Concilium, vel ad Sedem Petri referrentur, vr ab eis confirmarentur. Primum pater de facto, Concil. Alexandrinum centum Episcoporum, damnauit hæresiam Arij, & Encyelicam epistolam misit ad omnes Episcopos, etiam ad Constantinop. & tamen hoc decretum, Ecclesiam non obligauir. Sed postea in generali Nicæno I. confirmarum, cœpit obligare. Ità ex tom. 1. Concil. in vita Siluestri. Ità dicendum de Concilio Arabico, quod damnauit senrentiam de mortalitate animæ. Lege Baron. tom. 3, anno 209. & in obiectis alia multa adducam, quæ de Fidei doctrina decrera fecerunt, sed non fuerunt recepta, nisi à Concilijs generalibus, vel Sede Petri confirmata. De Iure etiam probatur: eiusmodi enim causas fidei, ex totn orbe ad Cathedram Petri adducendas decreuerunt Sancti, ipsique etiam martyres, Romani Pontifices, Caius epist. decr. Calistus I. epist. 3. Marcellus l. 1. epist. Iulius I. epist. 1. & 2. Item & alij Innocent. I. epist. 25. Pelagins I. epist. 5. Vigilius epist. 9. & 10. Pelagius II. epist. 5. & 8. Gregor. I. lib. 1. epist. 16. & ex can. Quoties 24. quæst. 1.

10. Confirm. 2. Concil. Prouincialia, neque quò ad diseiplinam habent robur, nisi à Romano Pontifice confirmentur, ex canon. Concilia dist. 17. estque decretum Symmachi: & eorum decrera possunt ab ipso retractari. Ità Concilium Nicænum iuxtà Canones Iulij I. cap. 19. & ex epistola 2. & 25. eiusdem, & ex Gelasio epist. 5. Ergò mulrò magis quò ad alia, si errent; vt sæpè ex superiùs dictis factum est.

11. Confirm. 3. Finis congregandi Concilia prouincialia, est reformatio morum, & instauratio disciplinæ ecclesiasticæ, & pro formandis decretis Fidei, ex can. Propter, & can. Renouantes, dist. 18. ac pro componendis controuersijs, & pro starutorum obseruantia, ex Concil. Tridentino, Sess. 24. de Reformatione cap. 2. Ergò non potest noua Fidei decreta facere.

12. Confir. 4. Si Prouincialia Concilia haberent potestatem infallibiliter statuendi dogmata Fidei; Hæretici non prouocarent ad generalia, cùm eorum dogmara improbantur; sed ad prouincialia, vel ad aliquod ampliùs, nempè Nationale; quòd faciliùs congregari potest; & citiùs ipsi, immò, & commodiùs expediri; & tamen id non faciunt. Ergò sciunt, non esse in eis talem infallibilem auctoriratem.

13. Prob. vlt. ex celebri illo facto Rhemen. Concil. celebrati ab Eugen. III. relato à Baronio tom. 12. anno 1148. in quo errores mulri Gilberti Porrectani discussi fuerunt coram Papa, Cardinalibus, Galliæ Episcopis; & sancto Bernardo; refertur tamen ibidem, quòd absente Papa, & Cardinalibus, Episcopi cum Bernardo nouum Symbolum condiderunt; quòd non habuit effectum, nam ægrè ferentes Cardinales, sic Papæ alloquuntur. [Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? qua fronte, quo ausu ceruicem contrà Romanæ Sedis primatum, & apicem erexit? Hæc ste enim sola, quæ claudit. Ipsa sola de Fide Catholica discurrere habens, à nullo etiam absens in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis, quæ his diebus nobis assistentibus agitata sunt, tamquam definitiuæ sententiæ vltimam manum apponendo, vobis inconsultis Fidem suam scribere præsumpsesunt. Certè si in Orieute, vtpotè Alexandrię, vel Antiochiæ coram omnibus Patriarchis huiusmodi tractaretur negotium; nihil firmæ stabilitate solidum, sine nostra definiri valeant auctoritate: quinimmò iuxtà antiquorum Patrum statuta, vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Volumus igitur, huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas.] Ergò non potest Concilium prouinciale noua Fidei decreta condere, cum infallibilitate, vel auctoritate obligante.

Obiect. 1. multa Concilia prouincialia decreta Fidei nouitèt fecerunt, quæ sub pœna anathematis erant recipienda. Ergò. Anrec. prob. de mulris, quorum aliqua adduci possunt. Concil. Labesitanum iu Aphrica 90. Episc. ann. 242. in causa priuati, quem declarauit Hęreticum. Concil. Arabicum ann. 249. quod sententiam de animæ mortalitate definiuir hęreticam. Concil. Antioch. 1. decreuit contrà Paulum Samosatenum, quòd Christus ante Mariam extiterit ratione Diuinitatis, & quòd eius Corpus, & Sangnis in Eucharistia non sint corruptibilia, de an. 260. Alexandrinum I. & II. de ann. 315. quæ Arij sententiam decreuerunt hæreticam. Alexandrinum sub Anastasio ex 1. Tom. Concil. an. 399. damnauit errores Origenis. Idemque refert Baron. in hoc anno. Concilia Diospolitanum 14. Episcoporum, Carthaginense 38. Episc. & Mileuitanum II. 260. Episc. celebrata sub Innocent. I. ex tomo 1. concil. circa annum 416. damnarunt hæresim Pelagij, & Cęlestij nunquam prius damnatam, stabilierunt dogma de necessitate gratię. Alexandrinum sub Cyrillo de anno 430. damnauit hęresim Nestorij, ex tom. 1. concil. & ex Baron. eodem anno. Sub Cęlestino I. Constantinopol. prouinc. de anno 448. quod damnauit Eutythetis hæresim ex tom. 1. concil. sub Leone I. Concil. Arausicanum secundum sub Felice IV. ex tom. 2. concil. ann. 529. celebratum definiuit multa in materia gratiæ contrà Massilienses, alioqui Semipelagianos, ediditque canones 25. Atque alia multa fuerunt concilia, quę noua decreta ediderunt circa credenda. Et vt cętera omittantur, concilium Moguntinum quartum, quod de ann. 1549. celebratum est, ferè omnia decreta edidit, quæ concilium Tridentinum postea fecit in rebus Fidei. Ergò eorum decreta sunt obiecta Fidei.

14. Resp. 1. ad omnia, vnica responsione, quòd etsi noua decreta in rebus Fidei à concilijs prouincialibus facta legantur; ea-

ta-

tamen vt facta ab eis obligabant quidem subditos ad ea recipienda, & non ad contradicendum; immò & ad credendum Fide humana, non tamen diuina, quia hæc non inclinat, nec adiuuat ad credendum obiecta subdita deceptioni. Quòd si fortè ea concilia decepta non sunt, sed vera decreuerunt, & à Deo reuelata; tunc subditi eorum, auxilium à Deo obtinuerunt ad credendum etiam Fide Diuina, non quia à concilijs illis decreta sunt, sed quia à Deo reuelata. Quod valdè notandum censeo in hoc puncto. Nam si prouinciale Concilium infallibilitate carens, aliquid de nouo proponat, vt à Scriptura deductum; si hoc reuera sit deductum, dum subditi illi credunt, vt à Deo reuelatum, cùm re vera sit reuelatum, censendum est, eos non carere auxilio Diuino, & inclinatione Fidei supernaturalis ad illud credendum. Pro certo autem supponitur, quòd subditi recipere debent Superiorum, & pastorum doctrinam, maximè cùm à Concilio prouinciali approbatur; ab ijs enim hoc cibo pasci debent, iuxtà oraculum Hierem. 3. 15. [Dabo vobis pastores secundùm cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.] Ideò Petrus epist. 1. 5. 2. ad Episcopos ait: [Pascite, qui in vobis est, gregem Dei &c.] Tenentur itaque subditi, tamquam oues pascua doctrinæ à pastoribus accipere. Potest autem accidere, quòd subditi, vel sint rudes, vel mediocris literaturæ, nescientes discernere auctoritatem Conciliorum in propositione rerum fidei; & tunc tenentur ad credendum tamquam vera reuelata, & quidem, si talia in re sint, actus credendi erit supernaturalis; sin minùs, naturalis, & humanus: si verò subditi sint docti; tenentur vtique recipere decreta illa, nec possunt eis contradicere, quia temerarium esset; at non tenentur credere, vt reuelata à Deo, & fide Diuina; quia sciunt, ea Concilia infallibilitatem non habere. At possent primò humana fide credere. Possent etiam conditionarè, scilicèt si reuelata sunt à Deo, & tunc si talia sint, concurret, & fides habitualis, & auxilium actuale ad actum illum credendi.

15. Resp. 2. neg. secundam partem. Nam, vt ex lectione talium Conciliorum patet, nunquam dixerunt anathema non credenti doctrinas nouas ab eis propositas; quia non potuerunt obligare totam Ecclesiam, & sic, neque subditos prouinciæ, quin omnes fideles, cùm fides sit vna. Accidit autem, vt aliquando in causa alicuius particularis personæ dixerint huic anathema, vt mox dicetur, non ex doctrina noua, sed ex antiqua, cui ille contradicebat.

16. Resp. 3. ad singula. Patres Labesitani nullum decretum nouum ediderunt de aliquo credendo, sed priuatum nescio, qua antiqua hæresi infectum condemnarunt, & eam sententiam Fabianus Papa confirmauit ex Cypriano Epist. 55. ad Cornel. Nescitur hæresis eius hominis. Legantur notæ in illud Concil. in fine vitæ Fabiani tom. 1. Concil. & Baron. ann. 242.

17. Concilium Arabicum non fecit nouum decretum de immortalitate animæ, sed iuxtà scripturam docentem resurrectionem mortuorum, & vitam, ac mortem æternam, damnauit eos, qui dicebant, hominem secundùm totum esse interire, nec aliquid eius remanere. Huic Concilio interfuit Origenes ex eodem tomo in fine vitæ Fabiani.

18. Concil. Antioch. 1. non fecit decretum nouum de Christi diuinitate, & existentia eius ante Mariam, sed ex scriptura, Euangelio nempè Ioannis, [In principio erat Verbum &c.] declarauit Paulum Samosatenum hæreticum. Legantur notæ eius Conc. tom. 1. in vita Dionysij.

19. Alexandrinum in causa Arij, ex eadem scriptura dicente; [Ego, & Pater vnum sumus. Ego in Patre, & Pater in me est,] damnauit Arium scripturæ contradicentem. Legatur tom. 1. Concil. in vita Siluestri. Et posteà in Concilio Nicœno 1. Decreto nouo omnes obligante, magis declaratus est hic articulus.

20. Alexandrinum sub Anastasio non statuit noua dogmata, vt patet ex tom. 1. Conc. in vita Anastasij, sed quia, cum Melania, & Rufinus Periarchon Origenis, cum multis erroribus Romæ diuulgassent, & à Marcella sanctissima fœmina id esset detectum, Pammachius, & Oceanus, eos cauendos à Romanis docuerunt; qua ex causa ad Theophilum Alexandrinum Episcopum in cuius Diœcesi Origenes docuerat (causa enim in prouincijs, vbi oriebantur, terminabantur) habuerunt recursum, vt de Origenis doctrina, & libri Periarchon versione cognosceret, & hac de causa congregato Concilio, multas Origenis doctrinas erroneas, & sacræ Scripturæ, ac traditionibus dissonas declarauit. Itaque iudicauit doctrinas ex conformitate, vel difformitate ad alias iam in Ecclesia certas, non statuit nouas credendas. Sicut quotidiè fit, cùm Episcopi damnant doctrinas aliquorum, vt scripturæ, vel decretis Ecclesiæ contrarias. Alex. 2.

21. Ad alia tria Concilia Diospolitan. Carthaginen. & Mileuitanum in causa doctrinæ Pelagij, dico ex tom. 1. Concilio sub Innoc. I. quòd Diospolit. Synodus, quam, vt ibi Hierony. dicit, miserabilem, damnauit Pelagium, non in causa doctrinæ gratiæ tantùm, sed quia docuit, homines ante aduentum Christi fuisse sine peccato; orationem non esse necessariam, & posse hominem arbitrij viribus sine gratia, non solùm abstinere à peccato; sed etiam non tentari. Quæ omnia manifestè aduersantur scripturæ, ideò eum, vt hæreticum, doctrinasque illas damnauit. Sic fecit Carthag. contrà eumdem Pelagium, & Cœlestium. Sic posteà Milleuitanum. Et sic patet, quòd noua dogmata non statuerunt; sed iuxtà antiqua, & sacram Scripturam, doctrinas, & personas iudicarunt. Quòd autem tunc priùs hæreses eorum sint damnatæ, indè ortum est, quia nullus ante ipsos, eas docuit, at non propterea Concilia illa, dogmata hæc statuerunt; neque toti Ecclesiæ ad credenda proposuerunt; sed id præstitit Innocentius I. in Epist. decr. 23. 24. 25. & 26. Cœlestinus I. in Epist. 1. per omnia ea capita. Et tandem Concilium Triden. in sess. 6.

22. Alexand. sub Cyrillo damnauit vtique Nestorium, sed de mandato, & cum instructione Cælestini Papæ, qui de anno 430.

ex tom. 1. Concil. & Baron. audito, quòd Nestorius ex eius literis docebat, Mariam dicendam esse, non [Thextocon,] sed [Christotòcon;] conuocato Romæ Concilio, hoc, vt hæreticum dogma damnauit; & decem dierum spatium ei ad resipiscendum præfixit. Anathema comminatus, nisi senteatiam mutaret: & certum est, eius contumaciam Concilij Ephesini congregandi causam dedisse. Itaque ex hoc nihil ad rem deducitur.

23. Constantinopolitanum in causa Eutychetis ad accusationem Eusebij Dorilei, quòd libros hæresibus plenos scripsisset; Flauianus conuocato Concilio, eo citato, & non comparente, sed potiùs ad Theodosium recurrente, de hæresi conuictum damnauit. Dogma autem impermixtionis naturarum in Christo, definitum posteà fuit in Concil. Chalcedon. Concil. tom. 1. sub Leone I.

24. Tandem Arausic. 2. ex tom. 1. Concil. sub Felice IV. per 25. Canones materiam Diuinæ gratiæ necessitatis, ex sacræ Scripturæ, & Patrum testimonijs, ac traditione declarauit, & ex notis huius Concilij omnes ex Augustino decerpti dicuntur. Verùm ex eiusdem notis priùs de omnibus Cesarius Arelat. Episc. librum conscripserat, & à Felice Papa confirmationem illius doctrinæ obtinuerat, 2. Ex eisdem notis Canones isti ijdem sunt, qui in Cęlestini I. doctrinam Augustini de gratia epistola prima continentur, ideòque Concilium illud contrà Massilienses Semipelagianos conuocatum, Apostolicæ Sedis instructionem, & decreta, est secutum, & proptereà etiam ante Concilium Tridentinum per annos mille per totam Ecclesiam, vt fidei decreta fuerunt recepta, & custodita.

25. Moguntinum verò, quod Concilij Tridentini tempore fiebat, optimè Sedis Apostolicæ doctrinam, & constitutionem Leonis X. 40. contrà Lutherum callebat, & quæ eousque in Concilio peracta erant, maximè sessionem sextam. Ideòque confirmauit pro ea prouincia, illa decreta, quæ iam statuta erant, & populi earum prouinciarum, quæ Lutheri pice iam erant inquinati, suorum Pastorum iudicio, atque ore, catholica dogmata Lutheranis contraria, perciperent.

Obiectio 2. Concilijs prouincialibus promissa est Diuina assistentia. Ergò Decreta eorum doctrinalia, sunt obiecta fidei. Antecedens probatur ex Matt. 18. 19. [Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum. Et cap. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.] Sed hoc dictum non potest verificari in Apostolis, qui vsque ad finem mundi non erant duraturi. Ergò verificatur in eorum successoribus. Ergo.

26. Resp. neg: conseq. Illa enim dicta in primis vaga nimis sunt. Secundò non important infallibilitatem in congregatis definientibus. Ratio primi est, quia Gl. ord. [In medio, ait: Omnis sermo supra ad concordiam, & pacem, quam adeò commendat, vt dicat Deum in medio esse eorum, quia Pax, & charitas Sedem sibi in paradiso constituit, & veritati meritò omnia petenda, impetranda esse confirmat.] Quæ glossa quo ad primam partem est Hierony. in hunc Matth. locum, qui moraliter etiam eumdem explicat de concordia carnis cum spiritu. Itaque non est ad rem. Quòd si dicat Christus promittit duobus congregatis in nomine suo, accepturos, quod petunt. Igitur multò magis id obtinebunt plures Episcopi in prouinciali Concilio congregati, vt doctrinæ veritatem intelligant.

27. Resp. quòd duo promittit Saluator; & quòd duo, vel tres congregati in nomine Christi obtinebunt, quod petunt super terram; & quòd erit in medio eorum. Et tamen pluries congregantur Ecclesiastici in nomine Christi, & petunt multa, etiam spiritualia, & non obtinent; itaque non intelligitur vniuersaliter, sed vt in pluribus, vel non obtinent, quia non ob finem supernaturalem petunt, vel quia indigni sunt, vt accipiant; vel quia non perseuerant; vel quia eis non expedit accipere, quod petunt. Igitur, non est promissa infallibiliter exauditio. Tertiò. Dico, quòd illud dictum aptari potest, etiam omni Clero, omni vniuersitati, & cuilibet congregationi catholicorum, & tamen indubitatum est, hos congregatos, etiamsi perseuerent, & enixè petant à Deo veritatem doctrinæ, non proindè posse infallibiliter propositiones fidei decernere; etiamsi pro se ipsis illuminarentur ad veritates illas percipiendas. Et hæc est Ecclesiæ praxis; alioquin confunderetur Ecclesia. Vna enim collectio ex vna parte decerneret sententiam aliquam de fide, quia sic se illuminatam, prauia oratione diceret. Alia vero in Christi etiam nomine congregata, diceret se illuminatam ad oppositam, sicut de facto Aphricana quędam Concilia. & Asiatica, illa, in causa iterationis baptismi; ista, in causa paschatis celebrandi, contrà Occidentalium sententias iactabant. Ergò alium sensum præter hunc, illa habent verba.

28. Ad illud Matth. vlt. in fine, Glossa ordin. sic declarat, [Apostolis per successiones vniuersali Ecclesiæ promittit. Nota, quòd vsque in finem sæculi non sunt desituri, qui Diuina mansione sunt digni.] Lyran. ibid. ait: [Ecce ego vobiscum sum,] dupliciter intelligitur; vno modo assistendo eis in operibus miraculosis ad confirmationem doctrinæ. Alio modo existendo in Sacramento Eucharistiæ. Ex quo patet, quòd fides catholica non deficiet, vsque ad finem mundi. Aduerte tamen, ait Layran. quòd licèt Deus non assistat continuè Doctoribus Ecclesię per operationem miraculorum, quia non est necesse, cùm fides catholica sit sufficienter confirmata per miracula facta in primitiua Ecclesia; tamen aliquando, etiam hoc modo assistit Ecclesiæ ad consolationem fidelium. Assistit etiam Ecclesiæ semper ipsam dirigendo per occultos instinctus Spiritus sancti, vt sic non deficiat fides Petri. Hæc Lyran. Hieronymus verò in eum locum, ait: [Vsque ad consummationem sæculi cùm Discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se numquam à credentibus recessurum.] Hæc varia declaratio huius loci non concludit pro Concilijs prouincialibus potestatem firmandi infallibiliter

ter dogmata fidei; sed Lyranus pro Ecclesia vniuersali id intelligendum affirmat. Neque alitet dici potest, quia hæc tantùm potest Scripturam Sacram, & verum sensum eius infallibiliter proponere. Et à fortiori. si decreta ab eis, etiam quo ad mores, & disciplinam robur non habent, nisi à Sede Petri confirmentur; vt ex dictis patuit: quantò minùs decreta in materia doctrinæ, seù credendorum? Et meritò quidem, quia, vt in comperto est, pluries defecerunt, & hæretica dogmata pro catholicis statuerunt.

29. Hinc est, quòd Augustinus impugnans Pelagij hæresim, etsi in pluribus, vt patuit, Concilijs damnatam; non vtitur hoc medio, tamquam omnium fortissimo, sed in lib. 2. de retract. cap. 50. dicit esse hæresim, quia à Zosimo Romano Pontifice talis est declarata. Et ità semper in praxi conspicitur factum, vt quando doctrinam aliquam damnarunt Concilia prouincialia, cuius opposita, in scriptura, vel traditionibus explicitè non habebatur, semper ad Sedem Petri, pro decreti confirmatione recurrerint, nisi ex eius instructione rem definierint, vt de Arausicano 2. diximus, & de Toletano primo, alijsque esset dicendum, vt in fine.

30. Dices. Ex cap. ad abolendam, de hæreticis. Lucius III. dicit, eos, qui à Concilijs clericorum, & Episcoporum declarantur hæretici, tales habendos. Resp. clarè ibi dicere Papam de ijs, qui credunt contrà doctrinam definitam, & à Romana Ecclesia custoditam; non verò de hæreticis circà doctrinas nouas, non adhuc definitas.

Obiect. 3. Concil. Constan. sub Damaso, quod honoris gratia dicitur Oecumenicum, fuit Nationale; & tamen decreuit dogma contrà Macedonium negantem diuinitatem Spiritus sancti. Ergò.

31. Respon. distin. anteced. Decreuit dogma ex instructione Damasi Papæ, concedo; se solo, nego. Pro cuius notitia sciendum est, ex tom. 2. Concil. quòd in Concilio Romano 3. sub Damaso damnatæ fuerunt hæreses Sabellij, Arij, Apolliuaris, Eunomij, Photini, & Macedonij, & præscripta est pro eis, & sequentibus respectiuè professio fidei, cum abiuratione suarum hæresum. Ex notis autem Concilij Constan. dicti Oecumenici, & ex Baron. tit. 4. ann. 381. habetur, quòd Damasus curauit cum Theodosio, vt Orientales Episcopi Constantinop. adunarentur ad effectum damnandi eamdem à se cum suo Concilio damnatam Macedonij hæresim. Quòd in act. 18. Sextæ Synodi refertur, & ex vetusto Codice, sic habente: [Sententiam de damnatione Eunomij, & Macedonij, Damasus confirmari præcepit etiam in Sancta 2. Synodo, quæ præcepto, & auctoritate eius Constantinop. celebrata est.] Nec aliter potuit esse; quia in Concilio Chalcedonensi act. 1. Licentius Papæ Vicarius improbat factum Dioscori, qui sine Papæ auctoritate Concilium Ephesinum 2. indixerat. Eius autem dictum nullius esset roboris, si Synodus Constantinopolitana fuisset ab alio, quàm à Papa indicta. Quòd verò Oecumenicum idemmet Damasus illud appellarit, duæ adduci solent rationes; prima, quia cum ipse Concilium priùs Romæ celebrasse, & aliud nationale Constantinop. cogendum curasse, ex vtroque idem definiente vnum volnit conflari, & vtrumque, tamquam vnum, dici Generale. Secunda, quia Papæ auctoritate indictum ad eumdem prorsùs finem, ad quem ipse suum Romæ congregauerat, & ad doctrinam fidei toti Ecclesiæ proponendam. Vtrumq; ex notis huius Concil. Verbo Oecumenicum, habetur. Deindè, vt Photius in libro de septem Synodis habet, fuit ab ipsomet Damaso approbatum. Itaque decretum fidei, tàm Romæ in Concilio Papæ factum, in Constantinopolitano fuit confirmatum; non quia ea confirmatione indigebat; sed vt populi nationalium Doctorum, hæresi infecti, faciliùs, & suauiùs eam detestarentur, cùm à pastoribus pariter nationalibus in eo congregatis, ea improbaretur. Et verè hic est suauior modus inducendi populos ad detestandos errores, & veram doctrinam amplectendam, nisi pastores ipsi ea pice coinquinati, vel Concilium fugiant; vel accedant non ad veritatem detegendam, & sic non in Domini nomine; sed ad contentionem fouendam in spiritus nequam furore, vt sæpè factum est.

ARTICVLVS II.

An decreta Ecclesiæ vniuersalis, seù Concilij Generalis in materijs credendorum, sint obiecta materialia Fidei?

32. ADuert. 1. præter dicta initio huius artic. quòd hìc pro Ecclesia vniuersali non intelligimus omnes fideles totius mundi; sed Concilium vniuersale, seù Generale, & Oecumenicum, quæ idem significant, estque adunatio Episcoporum ex toto orbe in vnum conuenientium: & hoc ex placito omnium fidelium vocatur Ecclesia vniuersalis per capita, seù pastores congregata. At nota, quòd si, Deo fauente, daretur casus, vt omnes, & singuli orbis Episcopi viuentes possent in simul vniri, hoc esset Concilium omnimodè, materialiter, & formaliter generale. Quia verò id nunquam accidit, nec videtur moraliter possibile; intimato tamen per Orbem vniuersum Concilio Generali in loco certo, & tempore præfixo celebrando; etiam si, nec omnes, nec maior pars, imò infrà medietatem, & multò pauciores ad illum conueniant, adhuc tamen est generale, sed formaliter, quia omnes debuerunt, & potuerunt ad illud conuenire, & ex hoc appellatur Generale. Vndè pro tyronum notitia sciendum, quòd in Nicœno 1. Episcopi 318. tantùm ex vniuerso mundo fuerunt, & ex his, exceptis Hosio Cordubensi, alij, & duobus Papæ legatis, quinque, vel sex Occidentales fuerunt. In Concil. Constan. 150. omnes Orientales. In Ephesino 200. In Chalced. 630. In Constantinop. 2. 153. In Constan. 3. 189. In Nicœno 2. 350. In Const. 4. 202. In Later. 1. 420. In Later. 2. 100. In Later. 3. 300. In Later. 4. 400. In Lugdun. 1. 140. In Lugdun. 2. Episc. 700. In Vienn. 300. In Constantiensi 240. In Florentino 141. In Lateran. 5. 114. In Tridentino tandem 270.

Et tamen omnia hæc generalia prætitulantur, & vt talia à Sanctis Patribus appellantur, & habentur.

33. Adu 2. & suppono, Concilium Generale, non esse legitimum, nec vllam habere authoritatem, sed esse Concillabulum, si adunatur sine licentia Romani Pontificis, vel conuocantis, vel conuocationi consentientis. Ita ex Concil. Chalced. att. 1. immò ex Concilio Nicæno I. ex Iulio 1. epist. 1. ex Concil. Constantiensi Sess. 39. ex Later. V. Sess. 2. & Sess. 11. Constit. 2. Pater æternus. ex Marcello I. epist. 1. ex Damaso epist. 4. Leono IX. epist. 3. & Constit. 2. Cùm ex venerabilium ex Greg. VII. lib. 2. post epist. 55. Nicolao I. epist. 8. & 38. & ex Pelagio 2. epist. 1. c. 1. & const. vn. Manifesto, ex textu Canon. can. Synodum, can. Regula, can. Hnic. soli, cau. Multis, & can. Non. licuit. dist. 17. & cæteris multis. Hìc essent multa facta adducenda; sed meum hoc non est..

34. Adu. 3. & suppono, quòd dum Concilia Generalia fiunt, vel Papa in persona ei præsidet, quod in paucis accidit, vt ex facto certum est; vel per suum, aut suos Legatos, vt ferè semper factum est; octo enim Orientalibus, quinto excepto, cui ægrè interfuit Vigilius, per Legatos præsedit. Neque de hoc est controuersia, quia Ecclesia adunata, sine capite, esset Acephala. Quando autem sine eius persona fiunt, vel Legati habent instructionem Papæ circa definienda in materijs doctrinæ, & morum; vel non. Siue habeant, siue non; à Papa confirmari debent Conciliorum Decreta; & ita factum esse in omnibus decem & octo, ex eorum historijs legimus, quamuis Legati instructionem doctrinæ definiendæ habuissent, vt Nicænum 1. Ephesinum, Calcedon. &c. quorum Legati instructionem habebant. Id prob. ex epist. Synod. Nicæni 1. ad Syluestrum, ex Synodali Calced. ad Leonem 1. ex Constit. Vigilij, In Sancta Synodo, ex Nicolao 1. epist. 7. & 8.

35. Adu. quòd ex his, quæ sine controuersia sunt; oriuntur aliqua grauia dubia: primum, an si absque instructiune, & confirmatione Papæ Concilium decernat in materijs doctrinæ, vel etiam morum; illa Decreta sint obiecta Fidei? 2. Si cum instructione, & sine confirmatione Papæ sint facta; an tunc sint obiecta Fidei? 3. An ante confirmationem Papæ sint obiecta Fidei? 4. Quod est trium præcedentium fundamentum, an ex influxu Papæ, & subordinatione Concilij ad eum, Concilium legitimum habeat infallibilitatem in decernendis doctrinis Fidei, ita, vt sine tali influxu, & dependentia, possit in eis errare? Nunc ergo de Concilio Generali cum Papæ influxu; postea de solo Papa loquar. His autem sic positis.

36. Dico Decreta Concilij Generalis legitimi, legitimè terminati, & à Romano Pontifice confirmati, tam in materijs credendorum, quàm morum, sunt obiecta Fidei. Est communis de Fide.

37. Prob. 1. de facto, & ex praxi, incipiendo à Nicæno 1. & prosequendo vsque ad Tridentinum; omnia eiusmodi Decreta, Fide Diuina creduntur, & anathema dicitur ei, qui ipsa ore non confiretur, & corde non credit. Ergo. Anteced. est euidens ex lectione Conciliorum; tamen, ad laborem Tyronibus leuandum, breuiter ea percurram. Obiectum Fidei est, quòd veniens ad Fidem Christi, non debet, nec Circumcisionem, nec alia Mosaica seruare. Sed hoc in primo omnium Ecclesiæ Christianæ Concilio decretum est, nempè Apostolorum. Act. 15.

38. Consubstantialitas Filij Dei cum Patre, est obiectum Fidei. Sed in concilio Nicæno 1. sub Syluestro 1. fuit definita explicitè; & ibid. anathema dictum Ario, & cuicunque oppositum asserenti.

39. Diuinitas Spiritus Sancti, eiusque æqualitas cum Patre & Filio, est obiectum Fidei. Sed hoc fuit explicitè definitum in concilio Constantinop. sub Damaso 1. & anathema dictum Macedonio, cœterisque cum eo sentientibus.

40. Vnitas Personæ in Christo, est obiectum Fidei. Et tamen fuit id explicitè decretum in Concilio Ephesino sub Cælestino 1. & ibid. anathema dictum Nestorio, eiusque asseclis oppositum asserentibus..

41. Impermixtio, & distinctio naturarum in Christo, est Fidei obiectum. Et tamen fuit explicitè definita in Chalcedonensi, sub Leone 1. & anathema dictum Archimandritę Eutycheti, eiusqua sequacibus oppositum docentibus.

42. Doctrinarum Ibæ, Theodoti Mopsuesteni, & quarundam Theodoreti damnationes, sunt obiecta Fidei. Et tamen decreta hæc facta sunt in Concilio Constant. 2. præsente Vigilio; & anathema ijs dictum. Et hęc sunt tria capitula, ob quæ fuit congregatum.

43. Dualitas voluntatum, & operationum in Christo, idest Diuinarum, & humanarum, est obiectum Fidei. Sed in concilio Constant. 3. sub. Agathone id fuit definitum: & anathema dictum Monothelitis; idest vnam asserentibus.

44. Imaginum (relatiua ad prototypum) veneratio obiectum Fidei est. Sed hæc definita est in concilio Nicæno 2. sub Adriano 1. & anathema dictum Iconomachis, seu Iconoclastis, idest aduersarijs imaginum, id negantibus.

45. Luminis gloriæ necessitas in Beatis, est Fidei obiectum. Sed hæc in concil. Vienn. definitum est sub Clemente V. & Anathema dictum Beguinis, & Beguardis contrarium dicentibus.

46. Processio Spiritus Sancti ab vtroque, Primatus Papæ, Purgatorium, Materiæ, formæ, & Ministri Sacramentorum, sunt obiecta Fidei: sed in Concil. Florentino sub Eugenio IV. fuerunt definita, & anathema dictum contradicentibus.

37. Canones omnes de peccato originali, de iustificatione, de omnibus Sacramentis in genere, & in specie, de indulgentijs, &c. numero 135. formali in concilio Tridentino sunt obiecta Fidei, & anathema dicitur cuilibet contrarium asserenti. Et tamen ab Ecclesia vniuersali sanciti sunt. Ergo

48. Prob. 2. ex praxi Romanorum Pontificum, qui ea vt Fidei obiecta receperunt, & professi sunt, vt talia corde, & ore profiteri, ex diurno Roman. Pontificum, & habetur in can. Sancto, octo, dist. 16. Hæc enim erat Professio Fidei, quam emittebant, dum promone-

mouebantur ex Iuone, & Almaino: [Sancto, &c. vsque ad vnum apicem immaculata seruare, & pari honore, & venerarioue digna haberi, & quæ prædicauerunt, & statuerunt, modis omnibus sequi, & prædicare, quæque condemnauerunt, ore, & corde condemnare profiteor. Grego 1. ex can. Sicut. dist. 15. ait. Sicut Sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor. Quintum quoque pariter veneror, io quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, Theodoreti, & Theodori resutantur, &c.] Gelasius idem profitetur in Romano concilio 70. Episcop. ex canon. Sancta Romana dist. 15. Idem habet Leo 2. epist. 2. Agapitus epist. 6.

49. Prob. 3. ex formula Professionis Fidei, quam ante omnia emittere solent Patres conciliorum, vt de omnibus videre est, profitentur enim, se recipere, & credere, quæ ab illis decreta sunt credeuda. Sufficiat hic vnum, aut alterum exemplum omnibus notum, Concilij Later. IV. sub Innocentio III. & cocil. Florent.

50. Confir. ex formula Professionis Fidei à Pio IV. in const. 38. relata, quam omnes promoti ad gradus, & dignitates Ecclesiasticas emittere tenentur; in qua, præ alijs, eam faciens profiteur tenere, & credere omnia, quæ in concilijs Generalibus sancita sunt. ergo. Maximus enim & intolerabilis esset Ecclesiæ error, si Romani Pontifices, Episcopi, Ecclesiasticique omnes Fide Diuina crederent, quæ credenda non essent.

51. Prob. 4. Pro doctrinis in concilij definitis, innumeri Martyrio sunt coronati, quæ tamquam Sanctos veneratur Ecclesia; vt ex factis notorium est, de occisis ab Arianis Principibus; de alijs à Nestorianis, de cœteris ab Iconoclastis &c. Malè autem, & imprudenter mortem pro eorum defensione opperijssent; si ea de Fide non essent, cùm pro ea tantùm mors sit oppetenda. Et peius faceret Ecclesia coleos eos pro Sanctis, cùm tales non essent.

52. Prob. 5. ex Patribus & Doctoribus Ecclesiæ. Ambrosius in Proœm. libri de Fide, ait: [De concilijs id potissimum sequar, quod trecenti decem, & octo Sacerdotes &c. velut trophæum toto Orbe subactis perfidis extulerunt; vt mihi videatur hoc esse Diuinum, quod eodem numero in concilijs Fidei habemus oraculum, &c. lib. 5. epist. 32. Ariminense concilium exhorreo, sequens tractatum concilij Niceni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. In epist. 83. ait; Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura Diuina nos instruit; & Traditio maiorum, qui conuenientes ad Synodum Nicenam, inter illa Fidei, vt vera, & admiranda Decreta, &c.] Ergo Decreta Concilij Generalis sunt obiecta Fidei.

53. Augustinus lib. 4. cont. Donatist. cap. 9. pluribus docet, quòd si quis videatur non benè sentire io aliqua doctrina, tolerandus est, Donec Deus velit, vt declarata veritate plenario Concilio firmetur: Et in epist. 108. ad Ianuar. ait: Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commeodata, atque statuta retineri. Idem libro contra epist. Fundament. cap. 5. ait: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ teneret authoritas. Et io libro 2. de Bapt. &c. cap. 18. hoc solo argum. excusat Cyprianum cum suo concilio in casu Baptismi Hæreticorum; quia in plenario concilio adhuc oppositum non erat definitum. Ergo, sicut Decreta Apostolorum, ita & Concilia sunt Fidei obiecta.

54. Hieron, epist. 71. ad Theophilum petit, vt si habet aliqua Synodica, ad eum mittat, quibus possit Hæreticorum linguas frænare, & liberiùs pro Christo ora reserare.

55. Cyrillus Alexandr. Dial. 1. [cum Hermia. Age igitur, allatis in medium ijs, quæ accuratè in Sancta Nicæna synodo definita sunt, consideremus. Nam si quis Fidem illam à Sancta, & magna Syoodo, (Diuino afflatu) definitam, ac expositam dicere voluerit basim animarum nostrarum, fundamentumque inconcussum, &c. fidelis, & verus adorator relucebit.

56. Ioannes Patriarcha Constantinop. in epist. ad Hormisdam ait: Omnibus actis à Sanctissimis quatuor Synodis, Nicæna, Constantinop. Ephesina, & Chalcedon. de confirmatione Fidei institutis, assentior; sed conantes, aut nisos vsque ad vnum apicem perturbare, lapsos esse à Sancta Dei Generali, & Apostolica Ecclesia scio.]

57. Sophronius Hierosol. in Epist. ad Sergium Constantipol. multis, & dignis verbis docet, quatuor præfata concilia diuiniùs celebrata: & dogmata in eis definita, profitetur se credere, hæreses in eis damnatas, damnare.

58. Octauum Generale concil. idest Constantinop. in can. 1. sic profitetur: Regulas, quæ Sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ, tàm à Sanctissimis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum Vniuersalibus concilijs sunt traditæ, seruare, & custodire profitemur.

59. Confir. ex Bernardo Serm. 3. de Resurrect. Multis probat, esse quasi peccatum Idolatriæ, nolle acquiescere definitioni concilij. Et post concludit. Neque huic dissonat veritatis sermo. Si Ecclesiam non audierit; sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus.

60. Ioannes Gerson. de examinatione doctrinarum, consideratione 1. Ait: Christus fuit supremus, & optimus institutor Ecclesiæ, non deficiens in necessarijs, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque &c. Oportuit ergo in Ecclesia relinquere regulam infallibilem pro Fide seruanda, & dubijs emergentibus termioandis; non autem reperitur io terris altera talis infallibilis regula, nisi Supremus Ecclesiæ Pastor solus, vel cum eo Generale concilium legitimè congregatum. Et in Ser. de Process. faciendis, agens de legitimo concilio, quod à Papa fieri debet, ait: Concilium Generale, est congregatio, legitima authoritate facta, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, ad tractandum, quæ debitum regimen Ecclesiæ in Fide, & moribus respiciunt.

61. Ioan. de Turrecremata, in Summa Eccl. lib. 4. c. 2. ait: Quartum genus Catholica-

liarum veritatum, est earum, quæ ab Ecclesia, vel in Concilijs plenarijs, tamquam ad Fidem Christianæ Religionis pertinentia, definita sunt, licet expresse in Canone Scripturæ Sacræ non inueniantur.

62. Prob. ex edictis plurium Imperatorum, in Codic. Iustin. tit. de summa Trinitate, &c. Gratianus, Valentin. & Theodosios desertores Fidei sanciunt eos, qui Nicenæ Fidei contradicunt. Theodosius, & Valentin. in epist. 2. ad Cyrillum rescribunt, Ephesinam Fidem tenendam. Valentinianus, & Marcianus scribentes Palladio Præfecto Prætor. sanciunt Fidem Nicenam, Constantinopol. Ephesinam, & Chalced. tenendam, & edictum ad hoc affixerunt, ex libro de Summa Trinitate, & Fide Catholic. & sacrilegos dicunt eos, qui Concil. decretis contradicunt. Iustinus Imperator, eod. tit. idem decernit. Basilius Imperator, orat. ad Octauam Synodum, decreta Synodi esse tenenda, & custodienda ab omnibus statuit; & graues pœnas, absque spe veniæ, contradicentibus comminatur.

63. Prob. ratione. Ea sunt obiecta Fidei, quę Deus vel explicitè, vel implicitè reuelauit, & per regulam infallibilem cum assistentia, suggestione, ac instinctu Spiritus sancti declarari facit. Sed Conciliorum generalium decreta circa doctrinam sunt eiusmodi. Ergò. Maior quò ad primam partem est euidens; & quò ad secundam in disp. de obiecto formali patebit. Sic enim & Petrus, Actor. 1. & alij Apost. Scripturæ veteris sensum decreuerunt, ex suggestione, inspiratione, seu instinctu Spiritus Sancti.

64. Minor, in qua vis tota est, probat. 1. ex Ioan. 14. [Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò; Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcunque dixero vobis.] Et in cap. 16. [Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Hoc autem Christi promissum, non accepisse finem in Apostolis, tenet Ecclesia, sed extendi etiam ad ipsa Concilia generalia in Spiritu sancto congregata (& ad Petri Successorem, vt dicam postea) quando ex Scripturis, vel ex traditionibus aliquod dogma deducunt, vt implicitè in aliqua earum contenta; hoc enim faciunt Concilia, & Papa ex assistentia Spiritus sancti. Ità Concil. Trident. Sess. 13. in Proem. [Ecclesia Catholica ab ipso Iesu Christo Domino nostro, & eius Apostolis erudita; atque à Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edocta; &c.]

65. Patres Concil. Niceni secundi art. 3. dicunt decreta generalis Concilij esse diuinitùs inspirata. Concil. Ariminì, Catholicum sub Liberio 400. Episcop. (non Conciliab. Arian.) ex tom. 1. Concil. appellat Delficam, sententiam Concilij Niceni primi. Nilus Thessalon. de primatu Papæ, lib. 1. dicit, decreta doctrinę credendæ Conciliorum, esse oracula Spiritus sancti. Theodorus Balsamon ad epistolam Gregorij Neocęsarien. Episc. ait: Quæ à Concilio decernuntur, suggeruntur à Spiritu sancto.] Idem dicit Sophronius Hierosol. in epist. ad Sergium, & Damasc. orat. 1. de Imaginibus.

Eadem min. prob. Hormisdas in epist. 1. cap. 1. ait: In Concilio generali Spiritus sanctus loquitur. Idem dicit Vigilius in ep. 11. Cęlestinus I. in epist. 7. ad Synodum Ephes. Leo I. in epist. 71. ad Anatholium. Gregor. Magn. lib. 1. epist. 24. Et propterea in lib. 2. epist. 10. statuit, quatuor Concilia, velut Euangelia esse veneranda. Idemque dicit Leo IX. in epist. ad Petrum.

66. Eadem min. 3. confir. ex DD. Vincentio Lyrinens. aduer. hæres. cap. 32. Isidoro Hispalensi, Hugone Victorino; &c. Nec non Concilijs Tolet. 3. cap. 1. & Tolet. 8. c. 11. Patres Conciliorum Spiritu sancto repleri loquuntur. Et propterea solent Concilia dici in Spiritu sancto congregata, &c. Et in Act. 2. Apostoli, [Spiritu sancto repleti loquebantur, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.] Et Act. 15. Cùm decernerent de Legalibus in Concil. Hierosolymit. vt nos docerent, quisnam inuisibiliter Concilijs presideat, & quis veritatem suggerat; sic decretum formare incipiunt: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c.]

67. Probari solet ab alijs hæc min. pluribus alijs Scripturæ locis, nempè Matth. 18. [Vbi fuerint duo, vel tres congregati, &c. Et cap. 23. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite. Et cap. vlt. Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, &c.] Quibus multi, & PP. & Romani Pontifices vtuntur ad insinuandam Spiritus sancti assistentiam in Concilijs generalibus. Sed mihi videntur persuadere quidem, at non conuincere; quia multas, vt præced. artic. habent explicationes.

68. Prob. tandem ex 1. Timoth. 3. 10. [Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.] Lyran. ait: Veritatis Euangelicæ, quam sustinuit etiam in persecutionibus maximis. Hieron. in hunc Pauli locum, ait: [Nam in Ecclesia sola veritas stat firmata, quæ sola sustinet ædificium.] Theodoretus in eundem locum, dicit, [Columnam &c. Supra Petram enim stabiles, & immobiles permanent, & rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem.] Et ideò ipsa proponit nobis Scripturà Canonicam. Semper autem, vt patebit infrà, intelligitur Ecclesia cum suo capite.

69. Confir. Ad confutandas hæreses hoc solum remedium ab initio Ecclesiæ, nempè Concilia generalia, applicatum videmus: & ab ijs stabilitas Fidei veritatis. Ergò. Alioquin in profunda errorum cœcitate essemus. Ergo Concilia generalia habent infallibilitatem in rebus Fidei, & ab eis decreta, sunt Fidei obiecta.

Ob. 1. Vt possint decreta Conciliorum esse obiecta Fidei, debent esse infallibilis veritatis. Sed hæc infallibilitas non probatur, neque per Scripturam, neque per traditionem. Ergò. Maior patet. Quia hoc exigit Fides, vt tendat in aliquod certum infallibiliter. Min. prob. Omnia loca Scripturæ, quæ adducta sunt, vel adduci solent, patiuntur multas explicationes, & communia sunt etiã Concilijs prouincialibus, Diœcesanis. Quia Christus non restrinxit promissionem ad sola generalia. Et sic, vel non probant de vllo, vel de omnibus.

70. Resp. neg. min. Ad probat dico: quamuis explicationes alias pati possint alia loca; non tamen illa Ioannis, cùm ad Apostolos sint directa, & ad successores eorum, est clarum, quòd Spiritus sanctus in Concilijs legitimis, atque in Christi nomine adunatis per Patrum ora loquatur. Et ità sine interruptione semper intellexit Ecclesia. Frustratorium autem esset dicere, quòd Concilia sint infallibilia, si dicatur, in eis loqui Spiritum sanctum; nam Spiritus sanctus non potest aliter, quàm infallibiliter loqui. Quòd verò ad successores etiam suam promissionem Christus direxerit, euidens est, ait Gerson, quia Ecclesia erat duratura post Apostolos vsque ad mundi finem. Ergò indigebat eadem prorsùs assistentiâ, ad docendum fideles omnem veritatem; vt optimè dicit Trident. vbi suprà.

Inst. Ipsimet Conciliorum Patres sibi tribuunt, vt possint obiecta Fidei formare, idest decreta circa credenda facere infallibiliter, Ijs autem non est præbenda Fides, quia sunt Iudices in causa propria. Ergò.

71. Resp. 1. hoc argumentum euertere totam Legem, ac Fidem Christianam: Eo enim cocesso, vndè habemus, quòd Lex Christiana sit vera, & sit illa, quam nos seruamus? Quòd Euangelia, & alij libri Canonici, sunt illi, quos tenemus? Certè ab Ecclesia: non quidem à plebe, vel Cleris inferioribus, sed à pastoribus repræsentantibus Ecclesiam, totum nempè cœtum fidelium. Et hæc est, quæ statuit Canonem sacræ Scripturæ, vt in art. de traditionibus dictum est, & in disputat. de proponente dicetur; vndè meritò Augustinus lib. contrà epist. fund. Manich. ait: [Euangelio non crederem; nisi me Ecclesiæ teneret auctoritas.] Ideò omnia Regna, ab ea petunt Fidem.

72. Resp. 2. nego min. Cùm enim ipsi constituti sint Doctores, & pastores animarum, ijs credendum est. Neque præsumi potest, quòd Episcopi primorum Conciliorum, inter quos tot sancti, & martyres extiterunt, huic ambitioni, & vaniloquentiæ seruierint. At quid de Concilio Apostolorum Act. 15. dicetur, in quo Apostoli, presbyteri, & Seniores conuenerunt, & concluserunt; [Visum est Spiritui sancto, & nobis?]

Ob. 2. Decreta concil. sunt Decreta hominum. Ergo non obiecta Fidei Diuinæ, sed humanæ. Quod autem dicitur de suggestione Spiritus sancti, non saluat infallibilitatem: quia omne auxilium, seu illuminatio est suggestio Spiritus sancti, ex Trident. sess. 6. can. 3. Et tamen non dat infallibilitate Ergò.

73. Resp. dist. antec. Sunt Decreta hominum. dictata à Spiritu sancto suggerente veritatem. concedo. Ex pura sapientia hominum, nego. Ad impugnationem. Resp. 1. paritatem quo ad vnum in vtroque casu currere; cùm enim homo à Deo inspiratus ad opus sanctum, orat Deum, vt eum adiunet ad faciendum, & verè vult efficaciter facere, Deus auxilio suo efficaci adiuuat, vt faciat infallibiliter; promissum enim Saluatoris est. Ioan. 14. [Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.] Et sæpè id repetit ibid. & in cap. 15. & 16. ità, cùm Patres in Concilijs adunati volunt efficaciter veritatem scire, vt alios eam doceant, & multis præcibus à Deo petunt; iuxtà Christi promissum infallibiliter eam penetrant. 2. Est specialis eiusmodi infallibilitatis promissio Ecclesiæ in Concilijs facta. Quia per eam mundus de veritate eruditur. Et si apud eam non inuenitur, actum est de veritate infallibili. Id autem est notandum ex dicendis de obiecto formali; quòd licèt Fide humana Ecclesiæ priùs credamus, seu Papæ, vel Episcopo, & Catechistæ proponenti nobis articulos, & alia reuelata; deindè tamen, illa iam credita per humanam Fidem, credimus, eò quia Deus ea reuelauit. Hic secundus actus credendi est Fidei Diuinæ; primus verò est humanæ, & est dispositio ad credendum Fide Diuina, sicut sunt miracula, consensus Doctorum, &c. vt ibi. Decreta ergo Conciliorum de Fide credimus, quatenus à Deo priùs implicitè reuelata in Scriptura, vel Traditione, deindè Spiritu sancto illustrante mentes Patrum, & suggerente veritatem per instinctum supernaturalem ad talia loca, talesque Traditiones declarandas. Vt diffusiùs dicetur de obiecto formali, & de reuelatione implicita, ac virtuali: Adde, si hoc argum. probaret; nullum dictum, neque Prophetarum, neque Apostolorum, neque Angelorum Dei nomine loquentium, esset obiectum Fidei, quia omnes isti sunt creaturæ. Et tamen ex epist. 2. Petri 1. [Sancto Spiritu inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.] Ideò eorum dicta sunt Fidei obiecta. Ità in casu.

Obiect. 3. Non possunt infallibiliter sciri, quę sint decreta Conciliorum generalium. Ergo nequeunt esse obiecta Fidei. Antec. patet; quia eorum notitia per Historicos habetur, qui falli possunt, & fallere pro sua passione, & inclinatione. Et de hoc sæpè conquesti sunt Patres Latini, contrà quosdam Græcos in Concilio Florentino, quòd quædam falsarunt. Consequ. probat. Obiectum Fidei debet esse aliquod infallibile.

74. Resp. neg. antec. Et si enim historici Scriptores referant Conciliorum decreta; tamen Ecclesiæ Apostolicæ, & omnes etiam Patriarchales, ac Metropolitanæ, &c. exempla Decretorum expleto Concilio obtinebant per suos pastores; hæc enim erat Episcoporum eis pręsentium obligatio ex Concil. Toler. 16. cap. 8. can. Decernimus, dist. 18. Neque in hoc possunt decipi Ecclesiæ, cùm decedente Episcopo, Clerus remaneat, qui decretorum notitiam haberet ita successiuè per manus ad alios successores tradatur ipsorum cognitio. Et quando per impossibile alię omnes deficerent, Romana antiquitatis tenax, & veræ doctrinæ, ac Traditionum custos, & obseruatrix, vt ex disput. præced. art. 5. de Traditionibus dictum est, numquam deficiet.

Dices. Totum hoc humanum est. Ergo notitia Decretorum Fidei factorum in Concilio non potest inseruire ad obiectum Fidei, quod debet esse reuelatum, & non per homines acceptum.

75. Resp. dist. anteced. Totum hoc, idest notitia, quòd decreta facta sint à Concilio, est humanum, concedo. Totum, idest notitia huius facti, & ipsummet decretum, nego Et sic nego consequ. Nam in hoc adsunt plu-

ra,

ra, & quòd sit factum à Concilio, & quòd Historici, vel Episcopi id dicant; & ista possunt esse naturalia, ac notoria, & cognitio eorum purè naturalis. At id, quod continet decretum, seu significatum decreti, est reuelatum implicitè, vel etiam explicitè, deindè Spiritu sancto dictante, à Concilio expressiùs declaratum, ac definitum; & hoc est obiectum Fidei. Immò omnia sunt talia; priùs enim per Præceptores, Parentes, Episcopos, vel per lectionem librorum scimus articulos Fidei, deindè credimus dicentibus; & totum hoc naturaliter, postea verò, quia à Deo reuelati, & tunc fide Diuina.

Ob. 4. In aliquibus Concilijs erratum est. Ergo nequeunt facere decreta Fidei, quæ debent esse à potestate infallibili; & hac de causa, negatur hæc potestas Concilio Prouinciali, & Vniuersitati Theologicæ, quæ licèt scholasticè possint ferre suum iudicium, an dictum aliquod sit reuelatum, seu de Fide, nec ne; non tamen id possunt cum infallibilitate. Et ratio à priori est, quia nemo eam ipsis promisit; à posteriori verò, quia errasse comperiuntur. Anteced. prob. primò de Concilio Nicæno I. quòd in can. 19. statuit rebaptizandos esse Paulianistas, & Cataphrygas. Et tamen Stephanus I. contra Donatist. & Cyprianum ipsum, decreuit, baptizatos ab Hæreticis rebaptizari non debere; & hoc nunc, & semper Ecclesia seruauit. Itaque, si hoc celeberrimum Concilium errauit, multò magis errare possunt alia.

76. Resp. neg. anteced. Ad probat. patet disparitas. Ex Historia enim Ecclesiastica, certum est Paulianistas, & Cataphrygas non baptizasse in vera forma Ecclesiæ, idest in nomine Trinitatis. Aphricani verò, verè baptizatos in vera forma, & materia ab Hæreticis, cùm ad Catholicam redibant, rebaptizabant, eò nixi fundamento, quòd qui caret Spiritu Sancto, vt sunt Hæretici, non possunt dare Spiritum Sanctum. Ideò non errauit Nicænum, neque Stephanus Papa. De inualido Paulianorum Baptismo. Legi possunt Notæ, in ean. Concil. Nicæni, Tom. 1. Concil. Hi enim credentes Christum esse purum hominem, in Trinitatis nomine non baptizabant. Ideò statuit Concil. vt si vellent ad Fidem venire, prauio vero Baptismo reciperentur.

Ob. 5. Alia Concilia legitimè congregata, & à Romano Pontifice; adhuc tamen errarunt. Ergo. Anteced. probat. Ariminense sub Liberio per Episcopos 400. decreuit oppositum decreti Concil. Nicæni I. circa [Homousion,] statuens esse abrogandum, & tamen à Liberio fuit legitimè in Spiritu Sancto congregatum.

77. Resp. neg. anteced. Ad probat. Resp. ex Tom. 1. Concil. in Notis huius Concil. sub Liberio, quòd eodem anno duo fuerunt concilia Arimini facta, primum Catholicum, & Oecumenicum, 400. Episc. & isti confirmarunt doctrinam Nicænæ Synodi; definieruut enim nihil esse addendum, ane diminuendum de Nicæna Fide; & declarantes totam ferè doctrinam de Christi consubstantialitate cum Patre, ratione Verbi, nouem anathematismos statuerunt aduersus contradictores. Hoc autem peracto Concilio, indignati Ariani, aliud ibidem coegerunt Conciliabulum, & fauente Constantino, Episcoposque omnes ad eorum sententiam adigente, multis reluctantibus, maximè Gaudentio Arimini Episc., multis præ timore pœnarum adhærentibus, contrà Nicænam Fidem, [Homousion] abrogarunt, & sic verum, ac legitimum concilium infamare conati sunt. Quòd tamen Liberius noluit confirmare. Ita Notæ præfatæ ex Sozom. lib. 4. cap. 22. de quo Conciliabulo, ac etiam vero Concilio Athanasius in Epist. ad Aphricanos, ait: [Quis non odio habeat illos, qui, quæ Patrum sunt statuta legitimè, Arimini per vim, & metum extorta anteponunt?] Et hoc est concilium Ariminense, quod Ambrosius in Epist. 33. damnat. [Hoc scriptum est in Arimin. Concil. idest Christum esse creaturam, meritòque concilium illud exhorreo, sequens tamen tractatum concilij Nicæni, à quo me, nec mors, nec gladius poterit separare.] Historia dictorum Arimini conciliorum, legi potest in Baron. ann. 359. Ergo nihil ex hoc concluditur contra infallibilitatem legitimi Generalis concilij.

78. Ob. 6. Concilia non habent nouas reuelationes. Ergo non possunt facere noua Fidei obiecta. Antec. prob. Nam omnes reuelationes necessariæ pro Ecclesiæ regimine, & fidelium salute, Apostolis factæ sunt, siue à Christo immediatè illos instruente, Omnia mea nota feci vobis, Ioan. 15. vel mediante Spiritu Sancto, vel in die Pentecostes, vel totius eorum vitæ decursu ex promissione Christi Ioan. 14. & 16. [Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus Paracletus, suggeret vobis omnia, & docebit vos omnem veritatem.] Et sic Patres concludunt, omnes veritates Ecclesiæ vniuersali necessarias, fuisse Apostolis reuelatas. 2. Quia nunquam aliquod concilium, vel aliquis Doctor ex primis Ecclesiæ Patribus, docuit, in Concilijs Deum reuelare aliquid de nouo. Consequ. prob. Noua obiecta Fidei debent de nouo sciri ab Ecclesia per nouam Dei reuelationem.

79. Resp. huius argum. locum esse in sequ. disp. de obiecto formali, an sufficiat reuelatio implicita, & virtualis, an requiratur explicita, & quomodo aliqua de nouo sint credibilia, quæ priùs non erant, seu veriùs non obligabant? Pro nunc autem respondetur, neg. conseq. Ad probat. Sicut dixi de Traditionibus, iterum dico, quòd Apostoli omnia sciuerunt necessaria Ecclesiæ vniuersali ad credendum, & sperandum; & vetificata sunt Christi promissa. At quia nec omnia, quæ Christus dixit Apostolis, nec omnia, quæ Spiritus Sanctus, vel in die Pentecostes, per infusionem scientiæ necessariæ, scripta sunt, sed per manus multa habentur; vel dicta eorum fortè non benè percepta, vel non benè scripta ab auditoribus eorum, ambigua sunt; idem Spiritus Sanctus, qui ab initio cœpit Ecclesiam regere in Apostolis, eosque docere veritates, & suggerere intelligentiam aliarum priùs habitarum, prosecutus est, & prosequetur iuxta Christi promissum Matt. vlt. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,] ad dirigendam Ecclesiam, non quidem cum reuela-

tio-

tionibus nouis antea saltem implicitè, vel confusè non habitis; sed per illuminationem, suggestionem, seu instinctum, vt dicit Lyranus in hunc locum, ad cognoscendam, & firmandam pro alijs veritatem alicuius doctrinæ obscuræ, vel ambiguè contentæ implicitè in Scriptura, vel Traditione; & hoc loquendi modo, vt retuli, vtitur Trident. in Sess. 13. in Proem. [Ecclesia ab ipso Iesu Christo Domino nostro, & eius Apostolis erudita, atque à Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente edocta.] Vbi cautè loquitur suggerente, non dicit, de nouo reuelante. Itaque doctrina illa, seu propositio, quam Ecclesia in Concilio definit, fuit aliàs, siue Prophetis, siue Apostolis reuelata; & tunc fortè eam audientibus non perspecta quò ad sensum, quem Deus per eam intendebat: postea verò etiamsi ante hunc intellectum per succedentium socordiam, vel obliuionem intelligentia illa est perdita; Ecclesia optans eam habere, Deum enixè precatur; Deus autem iuxta Christi promissum, in cuius nomine petitur, illuminat Patrum intellectus, vel immediatè, vel mediantibus Theologis consulentibus, vt dicit Augustinus libro 1. de Trinit. cap. 3. Et hoc modo habetur de nouo, non nouum reuelatum, sed antiquitùs, saltem implicitè, declaratum verò nouiter, & sic de nouo propositum ad explicitè credendum. Et hæc responsio à doctissimo Viro S. Vincentio Lirinensi desumpta est; qui de anno 436. circiter floruit, & aduers. hæres. cap. 32. ait: [Christi Ecclesia sedula, & cauta depositorum ad se dogmatum custos, nihil in ijs vmquam permutat, nihil minuit, nihil addit; sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitùs informata, & inchoata accuret, & poliat; si qua expressa, & enucleata, consolidet, & confirmet; si qua iam confirmata, custodiat. Denique quid vmquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi quod antea simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentiùs crederetur, &c. Et quod priùs à maioribus sola Traditione susceperat; hoc deindè posteris etiam per scripturæ chirographum confirmaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando. Et in libr. contra prophan. vocum nouitates, ait: Ecclesia, noua fidei dogmata non statuit, sed vetera eruit.] Sed de hoc dicemus, cùm de obiecto formali.

Alia arg. hæret. ad hæc reducuntur, & multa in sequ. §. quædam alia in sequ. art. & alia in disput. sequenti adducentur.

§. Vnic.

An decreta hæc Conciliorum, vt sint obiecta Fidei obligantia ad credendum, egeant definitione Papæ præcedente, aut sequente?

80. ADuert. 1. hoc punctum esse lapidum offensionis, & petram scandali pro Hæreticis. Ideò plura sunt notanda etiam pro Catholicis. Aliqui enim, sed nescio quo fundamento, nisi aereo, concedunt Concilijs infallibilitatem in decernendis dogmatibus independenter à Papa, eoque nesciente, & non interueniente, immò etiam inuito; quia docent Concilium Generale esse supra Papam. Alij qui negant, vt debent, Concilium esse supra Papam, adhuc docent, sed nescio quo modo, Concilium Generale legitimum, antecedenter ad definitionem Papæ, & independenter ab eius instructione posse dogmata infallibiliter decernere; quia dicunt, in eiusmodi decretis formandis, Papa est par alijs, estò primitatem habeat inter pares, quando est præsens per se, vel per Legatos. Alij tandem admittentes, & primitatem, & superioritatem etiam in decernendis dogmatibus, adhuc dicunt, sed non video, qua solida ratione, quòd sine instructione eius, & ante confirmationem decreta dogmatica conciliorum sunt infallibilia. Authorum nomina taceo, quia noti sunt; & ego in cunctis meis laboribus non insequor personas, sed doctrinas, si quomodo eis non possum assentire.

81. Adu. 2. quòd in concilijs legitimis, idest Papæ iussu, aut consensu adunatis, vel adest Papa, vel eius Legatus, vel neuter. Item, si adest Legatus; vel affert instructionem, seu sententiam Papæ circa dogma decidendum, vel non. In qualibet ex his circumstantijs formari potest decretum dogmaticum; & de hoc quæritur, an sit infallibile, & obliget ad credendum? An verò semper sit necessaria sententia Papæ, vel præcedens per modum instructionis, vel sequens per modum confirmationis? Et quoniam sæpè accidit, vt vel sine Legato Papæ, vel cum eo, sed sine instructione, facta fuerint decreta dogmatica, vt dicetur in obiectis, quæ postea etiam à Papa fuerunt confirmata, absque vlla alteratione; & illa eadem inuariata, fuerunt Ecclesiæ toti proposita, vt obiecta de fide credenda; per necesse dicendum est, quòd decreta illa infallibilia erant ante confirmationem Papæ. Hinc oritur dubium, ad quid inseruit illa confirmatio, cùm ex se sint iam vera: & sic independenter ab infallibilitate Papæ, cùm concilijs sit promissa assistentia: [Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum, Matth. cap. 18. Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.] Matth. vlt. Ideò.

82. Adu. 3. vt omnibus satisfaciam. Ex dicendis in fine disp. de obiecto formali, de diligentijs faciendis ante decisionem dogmatum, siuè à Concilijs, siuè à solo Papa peragendam; quòd Patres Concilij, qui ex zelo Dei veritatem cum simplicitate quærunt, Spiritus Sancti assistentiam habent, hoc modo eis exhibitam, at non infallibiliter. Vel enim ipsimet Patres immediatè per se, vel per alios inquirunt in Scripturis, ac Traditionibus, idest in Patrum libris iuxta præceptum Innocentij 1. can. fin. dist. 20. an dogma, quod discutitur, in eis reperiatur explicitè, ita tamen, vt ex ijs, vel alijs deducatur per necessariam consequentiam. In eiusmodi discussionibus Spiritus Sanctus illuminat intellectum Patrum, (qui, vt dixi, veritatem ex zelo quærunt) & facit cognoscere, quòd

in

in altera earum sententiarum est, & inspirat voluntati efficacem inspirationem, ad præcipiendum intellectui, vt firmiter ei adhæreat, & fiat de ea cognita, & iudicata decretum. Hic autem modus inspirandi dicitur Suggestio Spiritus Sancti, vt initio art. ex Trident. notaui. Dicitur etiam instinctus Spiritus Sancti, vt notat Lyr in [cap. vlt. Matth. Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, ait: assistit etiam Deus Ecclesiæ semper ipsam dirigendo per occultos instinctus Spiritus Sancti, vt sic non deficiat Fides Petri. Hæc dicta illuminatio, suggestio, & instinctus possit etiam dici reuelatio, non quidem illa, qua Deus per se, vel per aliquam creaturam externè loquitur, vel internè dicit aliquid nouum nondum dictum, producendo species talium obiectorum; quia id non accidit in Concilijs; sed alterius generis, vt erudiré Augustinus, [libr. 1. de Trinit. cap. 3. Reuelat Deus per occultas reuelationes, inspirationes, atque admonitiones, siue per manifesta eloquia sua, siue per fraternas sermocinationes. Et lib. 12. Confess. cap. 32. Reuelat Deus se, & suam veritatem diligentibus se. Illa ergo inspiratio, & illuminatio facta Patribus in Concilio legitimo adunatis, dici potest etiam reuelatio, hoc tantùm modo, vt dicam de obiecto formali; quia alia noua obiecta Fidei Deus non reuelat, vt communis sententia docet; sed Ecclesia eruit ex reuelatis ea, quæ nouiter proponit. His autem sic declaratis; dico, quòd si in concilio legitimo Legati Papæ ex aliquo accidenti non adsint, vt accidit in Concilio Constantinopol. Primo, vel adsint, sed sine instructione dogmatis definiendi, vt aliàs, etsi rarò accidit; si Patres ex Dei zelo veritatem inquirentes illuminantur, & inspirationem recipiunt, vtique sæpè non decipiuntur, & id quod iudicant, verum sæpè est, etiam ante Papæ consensum; quia Spiritu Dei tunc aguntur. At quoniam non semper ex zelo sic inquirunt, & ideò non semper sic illuminantur, vt accidit in Ephesino Secundo Latrocinali, Ariminensi, & Constantinopolitano, sub Nicolao 1., in quo ipsimet Legati præuaricati sunt; decreta eorum non possunt dici infallibilia sine ordine ad Papam, & illa, quæ ex zelo, & pietate, cum assistentia, & inspiratione, vt nuper patuit, facta sunt, sine influxu Papæ, vera esse possunt secundùm rem, & penes Deum; tamen Ecclesiam non obligant ad ea credendum Fide Diuina; nam non sunt infallibilia ob dictam contingentiam veri iudicij; propterea iudicium concilij independenter à Papæ influxu per sententiam suam, vel instruentem, vel confirmantem; non est vltimum iudicium; quia non ipsi concilio sine Papa, sed Petro, & Successoribus dictum est, [Pasce oues meas; & Petro dictum: Rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua; & tu confirma fratres tuos.] Hinc est, quòd Iustinianus Imperator ex Tomo 1. Epist. Rom. Pont. io Hormifda, & ex Baron. Tom. 7. ann. 619. sic scribit ad Hormisdam: [Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.] Si enim independenter à Papa instruente, vel confirmante, concilium necessariò haberet infallibilitatem, & posset obligare fideles ad credendum definita sine Papæ iudicio; non Papa, sed concilium pasceret oues, & ipsum Papam; essetque paradoxum, vt Patres concilij, qui sunt oues, euaderent Pastor, & hic ouis. Item Patres confirmandi à Petri Successore, essent confirmatores; hic verò confirmatus. Quæ inuertunt institutam à Christo Politiam Christianam. Ideò optimè saluatur Conciliorum Generalium legitimorum ritè, & piè, atque ex veritatis zelo operantium, assistentia Spiritus Sancti, & veritas iudicij, non tamen necessariò infallibilis; quia quandoque non eo modo operantur: & quando sic operantur; cùm sit incertum, & non possint sine capite vltimare iudicium, nequeunt sine eo infallibiliter iudicare verum, neque Ecclesiam obligare. Hæc fuit semper Ecclesiæ praxis: & factis concilij Trident. est apprimè ad rem. Durauit enim per annos 18. Et tamen in vltimo confirmatur à Pio IV. & præcipitur sub pœnis, &c. vt Decreta illius Concilij recipiantur, & obseruentur. Igitur ante talem confirmationem nona illa decreta Ecclesiam ad credendum non obligabant; & tamen vera, & infallibilia erant. Si verò quæratur, si Decreta illa ritè, ac religiosè facta, sunt vera, quia ex Spiritus Sancti assistentia, & de facto ea confirmat Papa; quid præstat Papa, quò ad infallibilitatem? Resp. esse testem authenticum in eiusdem de necessitate infallibilem, afferentem ea esse vera, & à Spiritu Sancto dictata. 2. vt Pastorem, cui commissus est grex fidelium, proponere pascua bona, & saluberrima. 3. vt caput influere in omnia membra. 4. vt supremum Superiorem præcipere, vt pro talibus habeantur. His positis.

83. Dico. Vt decreta fidei in concilijs legitimis formata dicantur habere infallibilitatem, & authoritatem obligantem fideles ad ea credendum fide diuina, debent à Romani Pontificis, circa ea instruentis, vel saltem illa confirmantis infallibilitate dependere.

84. Prob. 1. ex factis conciliorum sequentibus Papæ instructionem, & postea confirmationem etiam petentium; vel saltem hanc secundam petentium. Si autem Patres agnouissent, sine instructione Papæ, & confirmatione, vel saltem sine hac vltima posse sine erroris periculo definire, & proponere cum obligatione credendi, quæ sunt fidei; frustra à Papa confirmationem exegissent. Immò hac de causa recentiores nonnulli nouiter docere cœperant, Sedem Apostolicam habere quidem infallibilitatem in rebus fidei à Christo, Lucæ 22. promissam, [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam;] Sed inquiunt, (& nescio quo fundamento) Sedem Apostolicam esse Papam cum Concilio. Quia fortè optimè sciunt dependenter à Petro, idest eius Successoribus esse in Ecclesia infallibilitatem in rebus fidei. Sed de hoc puncto Sedis Apostolicæ, & Petri Cathedra, dicam postea. Antea ergo nunc probandum est ex factis.

85. Con-

85 Concilium Nicænum primum, norma, & regula omnium aliorum, præsentibus Papæ Legatis Victore, seu Vito, & Vincentio celebratum est, qui ità subscripserunt: [Victor, & Vincentius presbyteri vrbis Romæ pro venerabili viro Papa, & Episcopo nostro S. Syluestro subscripsimus, ità credentes, sicut scriptum est.] Igitur oportuit legatos, cum instructione Papæ Syluestri ad Concilium accessisse, & iuxtà eam, Concilio ex Dei illuminatione decernente, alijs priores subscripsisse. Præterea Patres 318. expleto Concilio petunt, decreta iam facta, à Papa confirmari, sic: [Beatissime Papa vrbis Romæ &c. Omnia explanata, & de Græco redacta scriber confitemur. Nunc itaque ad vestræ Sedis è argumentum aecurrimus roborari. Itaque censear vestra Apostolica doctrina, Episcopos totius vestræ Apostolicæ Vrbis in vnum conuenire, vestrumque habere Concilium, sicut docet mystica veritas, vt firmetur nostra sanctimonia, gradusque fixus, vel textus orditionis tuæ sanctimoniæ nostra possit habere regula. Quoniam decet numerum dictorum tuorum Coepiscoporum à te discere gradus, vel ordines constituere vrbis. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, præcamur vestri oris consortio confirmetur. Syluester autem his verbis confirmat: Confirmo, sigoque ad doctrinæ vestræ reclamantes de mysterio, vel vnitate Trinitatis chrismatis vos, secundùm dicta, doctrinam Euangelicam, sanctam accepisse gratiam; de quo examinationis probo veritate fuisse, & esse mansura, quæ in vestrum, nostrumque manauere mysterium; meum chirographum, & discipulorum meorum offero in vestro sancto Concilio, quidquid constituistis, vnum parem dare consensum.] Ita ex tom. 1. Conc. lib. 4. Alphonsi Pisani. Videtur tamen Typographi vitio in aliquo textum hunc esse corruptum. Nihilominus confirmatio Concilij expedita à Syluestro, est manifesta. Frustrà autem Patres eam postulassent, si putassent, à se constituta, firmitatem ab erroris periculo habere, vt possent eam Ecclesię proponere, cum obligatione credendi.

86 Concilium Constantinopolitanum I, ex notis eius tom. 1. Concil. ex solis Orientalibus Episcopis celebratum est, sed opera Damasi Papæ, qui priùs in Concilio suo Romano Macedonianam hæresim damnarat, egitque vt Patres illi 150. in sua Synodo paritèr damnarent, Itaque decretum illud ex Papæ influxu primò; deinde ex confirmatione, firmitatem habuit; nam ex eisdem notis 5. Oecumenicum tantùm firmitatis, & roboris quælibet Synodus consequi solet, quantùm auctoritatis illi Sedes Apostolica impertit. Fuisse autem confirmatum à Damaso asserit Photius in libro de septem Synodis, & S. Gregorius declarat in lib. 6. epist. 125. fuisse confirmatum, quò ad damnationem hæresis Macedonianæ, & Eunomianæ, & quò ad confirmationem fidei Nicænæ tantùm: nam Canones non recepit, sed respuit.

87 Concilium Ephesinum ex notis in illud tom. 1. Concil. vt S. Prosper in chronicis, & Euagrius lib. 1. cap. 4. asserunt, à Cœlestino Papa indictum est, & ope, atque opera Theodosij Imper. conuocati Episcopi. Et ex epistola Cœlestini ad Cyrillum patet, hunc ab eo Legatum Sedis Apostolicæ constitutum. Qualem verò influxum ad infallibile decretum de vnitate Personæ in Christo, & damnationis, habuerit Cœlestinus, est notorium ex Euagrio, Theodoreto, & alijs, vt ex initio Concilij videre est. Nam Cœlestinus factus certior à Cyrillo de hæresi Nestorij, eam damnat, & illum monet, vt intrà dies decem resipiscat, & retractet. Nestorius non paret, sed recurrit ad Imperatorem. Cœlestinus curat cum Theodosio, vt Concilium adunetur; Cyrillum præficit, eique imponit, vt præiudicatam, & prædamnatam à se, Romæ, hæresim damnet. Fuit postea ab eodem Cœlestino confirmatum ex notis eius Concilij in fine, 5. approbatum.

88 Concilium Chalcedon. talem, ac tantum influxum Romani Pontificis in suum Decretum fidei, contrà Eutychem confundentem naturas in Christo agnouit necessarium; vt præterquam quòd ipse Leo Romanus Pontifex Romæ priùs Eutychem damnauit, & cum instructione Legatos ad Concilium misit; Concil. 630. Patrum noluit quidquam definire, nisi Leonis literæ priùs legerentur. Et in Act. 2. lecta epistola dogmatica Leonis, ad Flauianum directa. [Reuerendissimi Episcopi clamauerunt. Hæc est Patrum fides; hæc Apostolorum fides. Omnes ità credimus. Anathema, qui non ità credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Piè, & verè Leo docuit. Hæc, in Epheso, cur lecta non sunt?] Idest in 2. Latrocinali Ephesino Concilio. Hæc Dioscorus occultauit. Approbatio patet, ex notis huius Concilij 5. approbatum. Cùm autem per Synodalem petunt confirmationem Concilij ex Act. 16. ità dicunt: [Sancta, & magna vniuersalis Synodus &c. De doctrina fidei, à Leone missa hæc dicunt: [Quam velut auro textam seriem ex veste Christi, & præcepto Legislatoris venientem vsque ad nos ipse seruasti, vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens, vndè & nos quippè, vt inchoatore bonorum, & ad vtilitatem vtentes &c. Et infrà: Et eramus in communi corona gaudij, quasi in imperialibus cœnis, & delitijs spiritualibus epulantes, quas per tuas Sacras Christus præparauerat, inuitatis, & super cœlestem Sponsum inter nos conuersantem cernere putabamus.] Ergo dependentèr à Sede Apostolica fatentur se fidei decretum formasse contrà Eutychem. Concludunt enim, proculdubiò debuit à vestra prouidentia inchoari, vt sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.] Et sanctus hic Pontifex, vt ex eius epistola ad eam scripta, confirmauit decretum fidei à se anteà præscriptum; & annullauit, atque cassauit acta multa, quæ vel absentibus Legatis, vel contradicentibus, Concilium, Anatolio Constantinopolitano Antistite ambitiosè instigante, statuerat.

89 Concilium 5, sed Constantinopol. 2. congregatum ob tria capitula, Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ, concernentia doctrinas Origenis, ac Nestorij &c. ac iam PP. ea damnassent; noluerunt tamen decretum formare, neque Concilium concludere, atque dimittere; nisi Vigilius Papa tunc Con-

ſtantinop. preſens, ſua decreta circa has doctrinas confirmaret; propterea ex Conſeſſ. 8. eius Concilij, vt in tomo 2. Concil. ſæpè, & inſtantèr eum rogarint, vt dignaretur eorum cœtui adeſſe, & decreta Concilij confirmare: tandem Pontifex, ad Imperatoris inſtantiam, ipſe ſuo conſtituto 66. capit. doctrinas mulcas dictorum auctorum damnat; & concludit: [His igitur competenter, & per orthodoxæ fidei rectitudioem Apoſtolicæ ſententiæ auctoritate damnatis conſtituendum, vt ex omnibus illis, quæ nos Patrum ſtatutis, ac traditionibus inhærentes Apoſtolica auctoritate damnauimus, &c.] Et ſtatuit, ne auctoribus iniuria irrogetur, eò quod morati eſſent, vt pax, & charitas inter Eccleſiaſticos, eorum maximè amatores ſeruaretur. Tota ergo huius Concilij firmitas, ex Romani Pontificis decreto emanare conſpicitur.

90 Concil. Conſtantinop. 3. ſed Generale 6. in cauſa Monothelitarum Romano Pontifice influxum in decretum fidei infallibilem cognouit. Nam ex actis, & notis eius Conc. tom. 3. petente Imperatore Conſtantino Pogonato, vt Papa Donus per ſe, vel per legatos Concilio congregando adeſſet; mortuo Dono, Agatho, literis receptis Synodum Romæ cogit, hæreſim Monothelitarum damnat, deinde indicto Concilio, legatos cum ſua inſtructione, & decreto ad illud miſit. At in literis ad Imperatores Heraclium, ac Liberium, in actione 4. relatis, hæc præ multis, dicit de veritate fidei à Romana Eccleſia Petri Sede petenda: [Hæc eſt enim veræ fidei regula, quam & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit, ac defendit hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilli Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis prauitatibus deprauata ſuccubuit. Sed vt ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata fine tenus permanet ſecundùm ipſius Domini Saluatoris Diuinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principi in ſacris Euangelijs fatus eſt; Petre, Petre, inquiens; ecce Satan expetiuit, vt cribraret vos. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Conſideret itaque veſtra tranquilla clementia quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defuturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit; quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidentèr feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum.] Poſtea docet, quæ ſit doctrina vera, & Monothelitas damnat tamquam hæreticos; deinde ait: [Liberanda eſt Eccleſia ſancta Chriſtianiſſimi veſtri Imperij, de talium Doctorum erroribus, vt Euangelicam orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata eſt ſupra firmam petram, huius B. Petri Apoſtolorum principis Eccleſiæ, quæ eius gratia, atque præſidio ab omni errore illibata permanet, omnis præſulum numerus, ac ſacerdorum, cleri, ac populorum veritatis formulam Apoſtolicæ traditionis nobiſcum confiteatur.] Et iuxtà hanc formulam, Patres Concilij decretum fecerunt. Eoque expleto PP. illi 289. ſic ſcribunt Agathoni, dum confirmationem poſtulant. [Sanctum, & vniuerſale Concilium &c. Maximi morbi maioribus indigent auxilijs, atque idcircò Chriſtus verus Deus noſter, ſapientem dedit Medicum, veſtram, à Deo honoratam ſanctitatem contagia hæreticæ luis fortitèr propulſantem remedijs orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Eccleſiæ largientem. Itaque tibi vt primę Sedis antiſtiti vniuerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit, permittimus, ſtanti ſuper firmam fidei petram, acquieſcentes verę confeſſionis literis à veſtra paterna Beatitudine ad pijſſimum Imperatorem miſſis, quas vt à ſummo Apoſtolorum vertice diuinitùs præſcriptas agnoſcimus. Per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus.] Deinde reddunt rationem de geſtis omnibus in ea Synodo, & multis, atque claris, dicunt decretum ſecutos fuiſſe, & ità circa finem: [Orthodoxæ autem fidei ſplendidam lucem vobiſcum prædicamus; quam etiam vt per honorabilia reſcripta veſtra confirmetis, veſtram oramus paternam Sanctitatem.] Ecce, quod totam firmitatem, & infallibilitatem circa doctrinæ decretum, ab Agathone agnoſcunt.

91 Concilium Nicænum 2. Generale 7. apprimè nouit ex Romani Pontificis influxu infallibilitatem decreti in Concilio de ſacris Imaginibus adorandis formandi, pendere. Plura ſunt, quæ id demonſtrant ex tomo 3. Concil. p. 1. epiſt. Diualis dicta, Imperatoris ad Adrianum, hæc præ alijs habet: [Rogamus veſtram paternam Beatitudinem; imò verò Dominus rogat, vt det ſeipſum, & aſcendat huc in ſtabilitatem, & firmitatem antiquę traditionis ſuper venerabilibus Imaginibus. Et tamquam verus primus Sacerdos, & is, qui in loco, & ſede Sancti, & ſuperlaudabilis Apoſtoli Petri præſidet, aſcendat ſimul, & vna omnibus Sacerdotibus, qui hìc ſunt, inueniatur, & voluntas Dei fiat. Etſi non poterit aſcendere huc, eligat viros honorabiles habentes ſcientiam, & dirigat vna cum ſyllabis, vt inueniantur ex perſona ſacræ, & paternæ veſtræ Beatitudinis. Verùm tamen conuenientibus ipſis cum omnibus Sacerdotibus, qui hìc ſunt, ſynodicè confirmetur antiqua traditio, &c. & verbum Chriſti impleatur, quoniam portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.] Cognoſcit ergo Imperator, non poſſe definiri infallibilitèr doctrinam de veneratione Imaginum, niſi dependentèr à Papa. In epiſtola Adriani ad Conſtantinum, & Irenem, relata in actione 2. Concilij, multa digna, ſed ad rem, hæc habentur: [Eos autem maximè in traditione orthodoxæ fidei, Eccleſiæ B. Petri, & Pauli principum Apoſtolorum acquieſcentes, eamque amplectemini, quemadmodum à ſuperioribus Imperatoribus factum eſt. Et poſt: Hi ſiquidem principes Apoſtolorum ſunt, qui catholicam orthodoxam fidem auſpicari, per ſcripta, veluti legibus latis fidem ſuam ſeruandam præceperunt omnibus ſcilicet, qui in ſede illorum ſucceſſuri erant, & in fide eorum vſque ad conſummationem ſæculi permanſuri: atque ità noſtra ſeruat Eccleſia; & ſanctas eorum figuras veneratur &c.] Ecce doctrina ſubſcribenda à Concilio, quam per plura Scripturæ loca mirabilitèr, ac diffusè probat. Et ex ead. act. 2.

in

in epist. ad Tharas. Patriarcham, ostendit, non potuisse sine Sede Apostolica hæresim illam profligari, ait enim: [Vestra Sanctitas inducat in animum, vt falsam Congregationem illam sine consensu, ac præsentia Apostolicæ Sedis, contra venerandas Imagines, sine ordine, & conuocatione factam execretur, & anathemarizatam præsentibus Apocritatijs nostris cognoscat. Quo omne zizanium ab Ecclesia eradicetur, & Iesu Christi verbum impleatur: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et alibi: Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. & tibi dabo claues. Vndè & ipse B. Petrus Ecclesiam pascens, &c. Cui etiam, & nostræ Beatæ, & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim beata vestra Sanctitas, ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, vtpotè quæ reuera sit rectè sentiens,& pietatis incorrupta conseruatrix.]

Quibus lectis, Tharasius Patriarcha, primus in Concilio post Papæ Vicarios Petrum, Archipresbyterum Romæ, & Petrum Abbatem sancti Sabæ Monachum, eamdem doctrinam de Imaginum veneratione insinuat, ex eadem act. 2. Vicarij Papæ interrogarunt Tharasium, an consentiret literis Adriani iam lectis. Respondit Tharasius præcœtetis, aitque [Paulus ad Rom. scribens, dicit: Fides vestra prædicatur in vniuerso orbe: Hoc testimonium, & nos insequi par est, remerariumque repugnare, arbitramur. Quamobrem Adrianus veteris Romæ primas, & testatorum principum successor, clarè, & verè cùm ad Imperatores nostros, tùm ad nostram mediocritatem mihi scripsisse videtur, constabiliuitque, & rectam esse declarauit catholicæ Ecclesiæ antiquam traditionem. Ob id,& nos &c. sic confessi sumus, confitemur, & confitebimur, concordamus, feriem literarum lectarum confirmamus, & Imaginum picturas secundùm priscam Patrum nostrorum traditionem recipimus] &c. Deindè Vicarij Papæ interroganr Synodum, an literas lectas Papæ recipiat. [Et S. Synodus respondit: Sequimur, & probamus.] Posteà 24. Episcopi mentionem faciendo distinctam, singuli de literis Adriani, dicentes, [Recipimus, & secundùm eam fidem, vel similibus verbis credimus,] subscripserunt. Reliqui omnes simpliciter subscripserunt: Tandem Monachi etiam Adriani sententias receperunt. Et in act. 7. eiusmodi Adriani doctrina instructi PP. 350. decreuerunt, Imagines esse venerandas, & Anathema dixerunt oppositum assetentibus. Denique in Epistola Synodali ad Adrianum ex act. 7. post multa, & maximè de Apostolis Petro, & Paulo, dicitur: [Vestra igitur Deo decens Sanctitas horum adhærens doctrinis, & ab ipsis veritatis sermonem accipiens, turbas illas spinosas nunc pullulantes, machœra Spiritus sancti extirpare satagit. Misisti enim nobis postulantibus viros concordes, & dignos Apostolica Sede sancti Petri; à quibus, postquam literas Sanctitatis tuæ accepissemus.] Et infrà: [Itaque prærogatiua quadam literas Sanctitatis tuæ primo loco legi iussimus: & eramus quidem tunc omnes veluti in regio conuiuio epulis Spiritus intenti, quòd tali conuiuio animi nostri recrearentur. Pedes nostri in viam rectam veritatis per te ducebantur. Sic confracta membra in vnum corpus componebantur; sic vera concordia reualuit; sic catholica Ecclesia in vnionem est collecta.] En quid confitentur 350. Patres Græci, à Romano Pontifice veritatem fidei accipere, & ab eo machœra Spiritus sancti Hæreticos confringi. Ergò dependenter à Papa, & non absque eo decretum fidei in Concilio est infallibile, & obligat ad credendum fide diuina.

91. Hæc argumenta ex Oriente, ex Græcis Patribus conciliariter congregaris; nempè à personis, non adeò benè affectis Romano Pontifici, desumuntur; qui tamen fidei regulam, & Apostolicas traditiones ab eo petierunt, neque firmum, aut ratum existimarunt, quod decreturi erant, nisi decretum, nisi Romani Pontificis oraculo fuisset decretum, vel confirmatum.

92. Confir. ex Theodoreto lib. 5. Histor. Ecclesi.cap.22. vbi hoc solo motiuo asserit decretum Concilij Arimin. quo tollebatur Homousion, nullius esse ponderis, quia à Romano Pontifice non fuit confirmatum, sic: [Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicium habere non debet; præsertim cùm formula composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ omnibus expectanda erar, placuerit.] Et in Epistola ad Leonem Magnum, quæ habetur in fine operum eius, vt ostenderet quanta sit Romani Ponrificis auctoritas, & infallibilitas circà res fidei, ait: [Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum concurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret sententiam, multò magis nos, qui abiecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam vestram Sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.] Et postquam multa dixit in laudem Romæ, dicit: [Præcipuè autem, & insigniter cam exornat fides, & fide dignus Apostolus diuinus, qui clamat: fides vestra ennunciatur in vniuerso mundo.] Et post multa: [Ij vestram fidem effecere magis illustrem; ea est vestrorum bonorum colophon.] Et alijs interpositis; [Illorum Sedem claram, insignemque reddidit, cùm vestram Sanctitatem in ea collocauit, quia radios fidei Orthodoxæ emittit.] Deindè enarrat, quod hæreses Leo suis decretis damnauerit, quotque dogmata pro Concilio Chalcedon. firmauerit. Ergò.

94. Prudentius in Epist. ad Damasum: [Cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum in honore beatissimi Petri Patrum decrera omnium cunctam reseruauere sententiam inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura obseruare debemus. Maximè iustè debent ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vestra sollicitudo est eàm mala damnare, quàm reuelare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid horum, quamuis in longinquis positis ageretur prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuerit deductum, vt eius auctoritate iuxtà quod fuisset pronunciatum, firmaretur &c.]

95. Alios autem Patres, qui omnem firmitatem obligantem in decretis fidei nouiter formandis à Petri Sede confitentur emanare, in sequenti articulo abundè referam.

96. Prob. prætereà ex factis. Concilia generalia, etiamsi legitimè sint congregata, imò legitimè etiam inceperint; quia tamen non fuerunt secuta instructionem Papæ; vel non fuerunt ab eo confirmata, errarunt; nec valida sunt existimata eorum acta. Ergò vt decreta sint infallibilia obligantia ad credendum fide diuina, agnoscunt dependentiam à Sede Petri. Antecedens prob. de multis. Ephesinum secundum dictum prædatorium, seu latrocinale à Leone Magno, instante Theodosio, indictum anno 449. vt diffusè in Baronio eodem anno tom.6. turpiter errauit. Legatis siquidem Papæ præsidentibus, & eius instructionem, ac doctrinam manifestantibus, Patres acquiescere noluerunt; ijsdem proptereà legatis reclamantibus Episcopi Eutychetis fautores hæresim decreuerunt, scilicèt post vnionem Verbi cum natura humana, non duas remansisse naturas, sed vnam effectam. Damnatunt S.Flauianum Patriarcham Constantinopolitanum, qui olim Eutychem damnauerat, legatis de nullitate protestantibus; aliaque multa in eo Concilio indignè patrata sunt; quæ posteà omnia Leo rescidit, & cassauit in suo Concilio Romæ coacto, licèt prouinciali.

97. Concilium Constantinopolitanum sub Nicolao I. in causa Ignatij, & impij Photij de anno 861. ex Baronio turpiter errauit. Ipsimet enim legati Papæ auro corrupti Zacharias, & Rotoaldus mandatum Papæ non sunt executi, & damnationi S. Ignatij, ac Photij institutioni consenserunt. Quæ omnia cassauit Nicolaus in suo Romano Concilio, & legatos cum Photio excommunicauit. Ideò hoc etiam Concilium prædatorium, & latrocinale dicitur.

98. Concilium Ariminense absentibus Papæ legatis Homousion damnauit, vt suprà diximus.

99. Concilium Mediolanense sub Liberio, sine Romani Pontificis legatis Athanasium, fidei ijs temporibus propugnaculum condemnauit.

100. Concilij Basileensis tragedia notoria est. Item, & Pisani conciliabuli desormitas.

101. Ex quibus manifestè concluditur, quod Concilia, vel cum legatis Papæ, vel sine eis, etiam Generalia, si Papæ instructionem circà fidei, aut morum vniuersalis Ecclesiæ non sequantur; vel si talis instructio non adsit, decreta ab ijs formata, nisi ab ipso Papa confirmentur, errori, ac deceptioni subiacere: & proindè dicendum est, infallibilitatem decretorum in eis factorum, & anctoritatem obligantem ad credendum dependere à Petri Sede, tamquam à capite in omnia Ecclesiæ membra influente.

102. Confir. 1. Concilia Generalia habent robur à Romano Pontifice, aliàs non obligant, ex Concilio Lateranensi V. sess. 11. constit. 3. Pater æternus, & ex Bulla retract. Pij II. ex cap. Significasti de elect. Et ideò Concil. Senonense cap. 3. & Leo X. constr. 40. Exurge, docent Concilium Generale confirmatum à Papa esse infallibilis auctoritatis. Nota, quòd non dicunt simpliciter de Concilio, sed de confirmato à Papa. Ergò ex eius influxu habetur infallibilitas obligans, ad credendum Concilij decreta fide diuina.

103. Confir. 2. ex epist. Synodica Concilij Nicœni I. ad Siluestrum. Ex epist. Synodali Concilij Chalcedonensis. Ex Damaso epist. 4. Ex Vigilio constit. in sancta Synodo. Ex Nicolao I. epist. 7. & 8. Ex Gelasio in opusc. de Anath. vinculo. Ex Gregorio I. lib. 7. in registro epist. 70. Ex Iulio I. epist. 29. & habetur in can. regula distin. 17. Ex Symmacho, & est in can. Concilia cadem distin. Quibus omnibus decernitur Concilia Generalia, nullum habere robur, nisi à Papa confirmentur. Et Gelasius epist. 13. dicit, decreta, quæ in Concilijs Generalibus fiunt sine Papæ consensu, posse ab eo reuocari. Et proptereà solliciti semper fuerunt Patres Conciliorum, vt eorum Concilia, etiamsi cum legatorum pontificiorum præsentia fuerint celebrata, confirmarentur à Romano Pontifice. Et sic omnia octo Orientalia in primis id petierunt, & obtinuerunt, vt ex Can. sancta octo, dist. 16. & ex Leone IX. epist. 5. De alijs decem Occidentalibus est notorium: etsi enim multis ipsimet pontifices etiam præsederunt, & aliquando per legatos; adhuc tamen confirmata reperiuntur. Hæc praxis imperturbata, significat, totam Ecclesiam probè scire, quòd à capite influxus omnis in membra descendit. Et sic si infallibilia sunt decreta fidei facta in Concilijs, vt possit obligare ad credendum; à capite id principaliter deuenire dignoscerent, attestante infallibiliter, Concilia à Spiritu sancto fuisse directa.

104. Probatur insuper ratione, ex scriptura, & ex communi sensu Ecclesiæ deducta. Nulli clarè, & explicitè reperitur promissa à Christo assistentia circà fidei doctrinam docendam; nisi Petro Christi Vicario, & in eo eius etiam successoribus. Ergò ab eo, tamquam à capite dependet decretorum fidei infallibilitas, vt Ecclesiam obliget. Antecedens probatur. Et plura (vt in obiectis) assignentur promissæ infallibilitatis loca, omnia tamen sunt ambigualtate quadam debilitata; solus locus Lucæ 22. [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua &c.] est clarus, apertus, & obuius. Et in hoc patres omnes in articulo sequenti adducendi, fundantur. Ergò, cùm agitur de confirmandis fratribus, idest fidelibus omnibus, & Episcopis in doctrina, huius indubitatæ causæ influxus est quærendus, non verò aliarum, quæ dubium patiuntur. Hinc est, quòd duo illa magna Ecclesiæ lumina, Hieronymus, & Augustinus in sequenti articulo afferendi id tantùm in fidei doctrinis curabant, an à Romano Pontifice essent decretæ: ità quod Hieronymus acerrimè defendens personas Diuinas non posse dici hypostases, ad Damasum scribens dixerit; [Si iusseris, tres dicam hypostases,] vt fusiùs infrà. Augustinus verò triumphaus de Pelagio, ac Cœlestio in hoc solo securè triumphabat, quia hæreses eorum à Romano Pontifice cognitæ fuerant damnatæ, nempè ab Innocentio, & Zosimo, ità

in

in epist. 157. Tertull. lib. de præscr. cap. 36. [Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est, status felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.]Et sic alij permulti in sequenti referendi. Ergò dependenter ab eo Concilia formant decreta fidei cum infallibilitate, & obligatione credendi, aliàs non obligarent ex incertitudine, an impossibiliter sint operata.

105. Probatur tandem. Concilium Generale non est verè Generale, neque Ecclesiam vniuersalem representat, si sit, vel operetur sine capite, vel sine ordine ad ipsum; tunc enim esset corpus sine capite. Ergò, cum influxu capitis ad ipsum corpus, operatur, & cum assistentia Spiritus sancti, & infallibiliter, vt possit omnes fideles obligare. Et ideò Leo Magnus in epist. ad Theodoretum Episcopum Cyri, quæ est 63. de Chalcedonensis Concilij dogmate contrà Eutychem, ait: [Quæ Dominus nostro priùs ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodire ostenderet, quod potius à prima omnium Sede formatum, totius christiani Orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque, capiti membra concordent.] Igitur ex sancti Leonis sententia, per influxum capitis Ecclesiæ, Papæ in Concilium, hoc infallibiliter iudicat ad obligandum, & ipsorum Conciliorum iudicium confirmans testatur, ea non errasse, sed ex Spiritus sancti dictamine esse locuta.

Obie. 1. Conc. Generale, vel sine legatis Papę, vel cum eis sine instructione, & iudicio Papę, repræsentat Ecclesiam vniuersalem. Sed hęc est columna, & firmamentum veritatis, ex 1. Tim. 3. 15. Ergò. Maior prob. Si vnus, vel alter totius mundi desit Episcopus, imò si & centum, aut mille, Concilium non cessat esse tale, & repræsentatiuum Ecclesiæ: alioquin nullum hucusque factum, fuisset vniuersale.

106 Resp. negando maiorem. Ad probationem cócedo de Episcopis inferioribus, non verò de capite; nam sine capite, corpus non est verum, & viuum, neque opera vitæ potest efficere. Papa autem est Ecclesiæ caput, sicut S.Petrus, & in omni potestate est par illi, ex Concilio Florentino sess. vlt. quæ est constit. 17. Eugenij IV. Lætentur, §. 8. Ex Leone IX. Epist. 1. cap. 15. Ex Concilio Constantiensi contrà art. 37. Wicleff. & contrà art. 12. Ioannis Hufs. Et sicut Concilia Apostolorum numquam sine Petro capite facta sunt, ità neque alia legitima sine Petri successore per se, vel per alium fieri possunt.

Obiectio 2. Matth. 18. [Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum.] Ergò Concilium, etiam sine Papa, vel eius influxu potest infallibiliter dirimere, & hoc loco vtitur Concilium Chalcedon. in fine 3. actionis in epist. ad Latam.

107. Respondetur, vt dixi in art. præcedenti, hunc locum nimis probare; quia eò vti posset, quis in fauorem cuiuslibet prouincialis, imò Synodalis Concilij, imò cuiuslibet Congregationis in nomine Christi adunatæ. Ideò in articulo præcedenti, eo non sum vsus. Secundò, non promittitur infallibilitas ijs adunatis, sed assistentia, vt benè agant dirigendo ad hoc, sed de fortiter firmando, nè decipi possint. Ad id, quod dicitur de Concilio Chalcedonensi, dico, posse eo loco vti Concilium, quia præter adunationem in nomine Christi, ex Leonis Vicarij Christi sententia, decretum formauerat. Adstitit ergò illis Patribus Spiritus sanctus, vt veritatem sibi à Leone præmonstratam, & definitam agnoscerent, ac reciperent, quia purè, & simplici corde eam inquirebant. At non ita adstitit, quando paulò ante in Concilio latrocinali Ephesino sequentes Dioscori passiones, non petebant à Sancto spiritu edoceri; sed sequebantur Spirituum contradictionis; & ideo Spiritus sanctus non permisit, vt legerentur literæ Leonis; quia digni non erant illuminari: & propterea in Chalcedonensi, auditis Leonis literis, & clamantes, eam esse veritatem, & Petrum per os Leonis locutum, conquesti sunt, [Cur hæc Ephesi lecta non sunt? Dioscorus occultauit,] vt in sequen. clariùs. Assistit ergò Spiritus sanctus Patribus congregatis cum hac subordinatione, vt vocem Vicarij Christi audientes, veritatem intelligant, recipiant, atque confirment. Vel si Vicarius Christi adhuc non est locutus, Spiritus sanctus assistit quidem, vt veritatem intelligant, si parati sint suum iudicium Vicario Christi submittere. At est posteà necessaria confirmatio, qua Papa testatur, eos non fuisse deceptos.

Obiect. 3. Sæpè accidit, vt Patres Concilij absque instructione Rom. Pont. non deficiant, & idem definitum à Romano Pontifice confirmetur. Ergò tunc independenter ab eo decretum erat verum infallibile. Antecedens probatur primò ex Concilio Niceno 1. in quo etsi legati Papæ Siluestri præsentes fuerint; tamen sine instructione, 2. de Constantinop. 1. in quo legati Papæ non adfuerunt. Et tamen dogma de Diuinitate Spiritus sancti definitum, est verum, & infallibile, 3. in Concilio Constantiensi sine legatis Papæ, imò sine vllo certo Papa, 45. errores Wicleff, & 30. Ioan. Hus damnati sunt. Et hæc damnatio. & à Martino V. fuit confirmata, & ab Ecclesia tota recepta In Concilio Tridentino, etsi Legati Papæ adfuerint; tamen sine instructione; quia instructio suie solita dari, quando duo, vel tria, vel paulò plura negotia dogmatica debuerunt in Concilijs tractari. In Tridentino autem maior fidei pars periclitabatur in Germania; ideò sine instructione saltem completa omnium tractabilium, missi sunt piures sibi succedentes legati. Et nihilominùs omnia dogmata fuerunt à Concilio definita; quæ vera infallibilia, & de fide sunt. Ergò independenter à Papæ infallibilitate decreta Conciliorum sunt infallibilia, & fidei obiecta.

Confirmatur, Concilia ante confirmationem Papæ damnarunt hæreses, & anathema dixerunt auctoribus eorum. Ergò, cum eædem semper damnatæ remanserint, & auctores pariter damnati, ab initio habebant infallibilitatem. Antecedens ex factis Concilij constat, incipiendo à postremò Tridentini definitis doctrinis, auctores contrarij, etsi in genere (sine nominibus, vt resipiscerent)



rent) damnati sunt. Ità in Constantiensi Ioannes Wicleff, Ioannes Hus, ac Hieron. de Praga. In Concilijs Orientalibus Constantinopol. III. Genet. VI. act. 8. & 12. damnatur Patriarcha Antiochenus Macarius cum sequacibus, & in exilium agitur, & in actione 15. Polychronius. In Chalced. damnatur Eutyches cum sua hæresi. Dioscorus deponitur ex act. 3. Et Episcopi quidam Ægyptij numero decem, declarantur hæretici. In Ephesino damnatus est Nestorius, & fautores, atque sequaces, vt Ioannes Patriarcha Antiochenus, & cœteri alij. In Constantinopolitano I. & Macedonius cum asseclis. In Nicœno I. Arius, & sex alij Episcopi, cœterique fautores, & sequaces doctrinæ illius, in genere.

Hi autem omnes damnati, vt hæretici, ex tunc fuerunt iustè damnati, & vitati, vt tales. Sic & doctrinæ ex tunc cœperunt esse tales, semperque fuerunt. Sed tales damnationes iustæ, veræ, & infallibiles fuerunt, ex tunc, & ex tunc etiam fuerunt obiecta fidei; nempè, quòd istæ doctrinæ sint falsæ, & oppositæ veræ. Igitur, cùm ante Papæ confirmationem, ità fuerint, sequitur euidenter, quòd independēter ab eo infallibilitatē habuerint.

108. Resp. ex 3. notabili num. 82. vtique Concilia aliquando sine Legatis Papæ, vel cum eis sine Papæ instructione piè, ac religiosè cum omni diligentia dogmata discussisse, & ex assistentia Spiritus sancti verum infallibile, vel ex Scriptura, vel ex Traditionibus intulisse, illudque decreto firmasse, hoc numquam negabo. Sed dico, illud iudicium esse verum in se, & penès Deum, tamen non obligare Ecclesiam, ex duplici capite, vt ibi dixi. Primò, quia illud iudicium non est vltimum, cùm factum sit absque capite, quod est etiam Pastor, Iudex, & confirmator omnium ouium, etiam Patrum Concilij, in Fide. Secundò, quia iudicium illud penès Ecclesiam non est certò, ac necessariò infallibile; non enim ei constat, quòd omnes piè, ac religiosè in eo ferendo se gesserint, vt mererentur assistentiam Spiritus sancti; sciens quòd in alijs errauerit. At quando est confirmatum à Papa, vel factum est cum instructione Papæ; Ecclesia scit, necessariò adesse in eo infallibilitatem, & audit Pastorem suum loquentem; ideò tunc obligatur ad illud Fide Diuina credendum: nihil enim tunc deficit ad obligandum. Et sic patet, quòd Conciliorum Decreta dogmatica, facta sine instructione Papæ, & adhuc ab eo non confirmata, ex assistentia Spiritus sancti, infallibiliter vera sunt; & tamen non obligant ad credendum. Sicut, si alicui priuatæ personæ Deus aliquid reuelet, & iste narret reuelatum; huius dictum, quia Dei, est infallibiliter verum; tamen non obligat ad credendum, quia nullus infallibilis testatus illud approbat. Neque video, quomodo alitèr possit solui hoc argumentum, cùm reuera ex Spiritus sancti assistentia formata sint illa Decreta; nisi quia obnoxio errori; debet ergo testis non obnoxius testari, non fuisse deceptos Patres Concilij. Quomodo autem ferè semper, & in omni Concilio præcesserit sententia Papæ, quam Concilia secuta sunt; mox, & diffusiùs in articulo sequenti patebit.

109. Ad confir. primò generaliter dico, quòd Concilia vel damnant aliquam hæresim, quia expresè est contraria Scripturæ, aut Traditioni; & auctorem etiam anathemate feriunt. Sicut regulariter faciunt Episcopi singulares, & etiam Inquisitores; vel damnant hæresim nouam, quia opposita doctrina deducitur tantùm ex Scriptura. Si sermo sit de primo casu, nulla est necessaria infallibilitas, cùm veritas sit notoria, supposita Fide Scripturæ, aut Traditionum. In secundo autem casu, dico, sicut autem, quòd si piè, ac religiosè Patres processerunt, assistentiam Spiritus sancti habuerunt, & iustè, verè, ac certò damnarunt hæreses, & auctores; illa tamen damnatio obligat ad eam tenendam, quia à superiori facta, non tamen necessariò de Fide tenenda, nisi à Pastore, Magistro, & Christi Vicario de Cathedra loquente, & vt sic errare impotente, confirmetur.

110. Respondeo 2. ad singula. Ad Tridentinum patet, quòd multi successiuè fuerunt Legati Roman. Pontificum sibi succedentes: primi autem cum instructione Pauli Tertij accesserunt, immò cum rebus præiudicatis, quia multis ante annis præcesserat Constitutio 40. Leonis X. damnantis 41. errores Lutheri, & Concil. Florent. atque Constantiensis, in quibus alij permulti fuerunt damnati. Et puto, alios pariter Legatos, cum tali instructione circa alia damnanda processisse. At, quidquid sit de hoc, quia nolo cum Fratre Paulo, seu Petro Soaue litigare de calumnia, quam irrogat Rom. Pontificibus circa eiusmodi instructiones; Dico, quod omnia decreta dogmatica nouiter facta in Concilio Tridentino, deducta ex Scripturis, aut Traditionibus (vt suppono infrà de obiecto formali dicendum) etsi vera, & ex assistentia sancti Spiritus, & proindè sacra decreta infallibilia fuerint; tamen quousque à Romano Pontifice, Auctore, & Doctore infallibili fuerunt confirmata, non obligarunt fideles ad ea credendum de Fide, quod patet ex Bulla confirmationis Concilij emanata an. 18. ab inceptione illius; in qua Pius Quartus mandat, vt singula decreta in eo facta, & à se confirmata, ab omnibus fidelibus recipiantur, & obseruentur sub pœnis, &c. Ergo ante confirmationem non obligabant ad credendum Fide Diuina. Quia adhuc non auditus fuerat testis necessariò infallibilis. Ad alia, quo ad noua decreta, respondetur per idem, quando fortè reperitur, quòd sine Legatis Papæ, sed cum instructione fuit dogma conclusum, & Orientalibus excepto Constantinopolitano I. de quo mox dicam, semper adfuerunt, vt patuit, & in sequ. art. magis patebit. De Constantinopolitano ergo dico, vt in præced. num. 86. quòd licèt prouinciale secundum se fuisset, & postea honoris gratia à Damaso ob vnionem cum suo Romano, General. titulo donatum fuerit; tamen ex Damasi ipsius opera, & instructione, vt ex Notis eius Concil. V. Oecumenicum, damnata fuit hæresis Macedonij, cum auctore, sed iam in Concilio Romano fuerat damnata. Ad alia certum est; quòd iam Romæ hæreses illæ fuerant damnatæ, & ipsarum auctores, vt mox patebit. Et sic iam decreta

ta illa dogmatica obligabant Ecclesiam, & in eis Concilijs fuerant recepta, & in vsu posita. Semper ergo ex dependentia à capite visibili Ecclesiæ Conciliorum decreta habent infallibilitatem necessariò, & obligantem Ecclesiam ad credendum; independenter verò à capite (nisi ex contemptu sic fiant) habent veritatem, & certitudinem contingenter; quia errare possunt: & quando habent, & non errant, nequeunt sine Capite, Duce, Pastore, & Iudice supremo Ecclesiam obligare.

Ob. 4. Ipsimet Romani Pontifices docent, Concilijs Generalibus inesse infallibilitatem; & Ecclesiam obligari ad recipiendum eorum decreta. Ergo. Anteced. prob. Hormisda in decretis suis post epist. 1. ait; In Concilio generali Spiritus sanctus loquitur. Vigilius in epist. 9. & 11. dicit: Concilijs est præsens Spiritus sanctus, eisque à Deo promissa est assistentia. Agapetus epist. 6. Iulius I. epist. 2. Pelagius II. epist. 7. dicunt eorum decreta inuiolabiliter esse recipienda, & obseruanda: & non recipientes, aut non obseruantes, vel condemnantes, esse anathema. Consequ. prob. Verba Spiritus sancti sunt infallibilis veritatis.

111. Resp. dist. anteced. Si includant suū Caput, idest ordinem ad sententiam eius, ante, vel post prolatam; concedo: sin minùs, nego. De illis enim, vt videre est, loquuntur Pontifices, non de his, quia hæc sunt acephala, & non repræsentant corpus Ecclesiæ perfectum, sed mutilum in principali membro. Quod inde confirmatur; quia, vt suprà diximus, definierunt Roman. Pontifices, concilia generalia à Papa habere robur, idest obligandi fideles.

Obiec. 5. PP. Concil. Trident. in sess. 13. in procemio dicunt, quòd ex peculiari Spiritus Sancti ductu conuenerunt, vt veram, & antiquam de Fide, & Sacramentis doctrinam exponerent, hæreses damnarent, &c. Et post, quod Ecclesia [à Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocetur.] Ergo independenter à Papa habet infallibilitatem obligantem.

112. Respon. consequentiam hanc esse voluntariam. Quia omni Sessioni, & interfuerunt, & præsederunt Legati Papæ, vt ex Concilij historia certum est. 2. dicit, quòd Ecclesiæ Spiritus sanctus suggerit; at Ecclesia includit caput. 3. Quia omnia decreta illa, vel ex instructione Papæ, vel cum habendi ratione ad eius confirmationem, sunt formata. Et propterea in vltima sess. Concilium decreuit, vt omnium decretorum in toto Concilio factorum peteretur confirmatio per Papæ Legatos: & petita fuit, atque obtenta: & in fine Concilij hæc historia continetur.

Dices. Quid si tam hæc Tridentini decreta, quàm aliorum Conciliorum non fuissent confirmata; numquid non erant infallibilia, & non obligantia, cùm essent verba Spiritus sancti ante confirmationem?

113. Resp. vt in 3. not. & in 3. obiect. quòd si facta erant cum instructione Papæ; vel decreto eius præcedente, vt de omnibus ferè patet, & infallibilia esse, & obligantia. Si absque alterutro eorum, ista in specie, quæ iam fuerunt confirmata, vtiqueerant infallibilia, quia non ex post facto, sed ex assistentia Spiritus sancti sunt talia, cùm sint verba eius: tamen non obligabant ad credendum ante eam confirmationem, quia non aderat attestatio, quòd infallibile esset, quod confirmatum non fuerat. Et ideò Pontifex in confirmationis constitutione, obligat fideles ad ea recipienda, & obseruanda: quia tunc habent vltimum in ordine ad Ecclesiam iudicij complementum, & contestationem, quòd sunt conciliaria legitima ex assistentia Spiritus sancti. Et ideò Concil. Senon. c. 3. dicit. [Definitio Concilij generalis confirmati à Papa, est infallibilis.] Nota quòd dicit, Confirmati, & tamen confirmantur eadem decreta, quæ Spiritu sancto assistente, ac inspirante, facta iam erant.

Dices 2. Infallibilitas illa accidentalis, secundùm se, quia Dei Verbum, indigens confirmatione ad nihil inseruiret: Igitur, nè sit frustranea, debet obligare sciētes definitionē.

114. Resp. neg. antec. inseruit enim, vt fundamentum capax confirmationis, Ecclesiæ proponendum. Si enim Patres Scripturas scrutentur, ex Christi mandato Ioan. 5. & veritatem inquirant, & de ea petant à Deo illuminari, illuminantur, & iudicant sic esse. Et aliquando verum, ac certum iudicant: at iudicium non est vltimum, & attestans infallibile obligans alios; propterea vltimari debet, si non fuit præuentum per instructionem Papæ. Et sic proponitur credendum, quia tunc adest testimonium Diuinum, quòd verum sit. Neque ipsimet Patres Conciliares obligantur ad credendum de Fide, quod sine Papæ instructione decreuerunt, ante eius confirmationem; quia nesciunt, an verè fuerint illuminati, nec ne, cùm deducunt doctrinam ex Scriptura, vel Traditione; ideò quousque confirmetur, tenentur solum habere illam ad minùs vt veram conclusionem Theologicam necessariò ex creditis deductam.

Ob. 6. Concilium Basileæ, immò, & Constantiense confirmatum à Martino V. decreuit, Concilium generale esse suprà Papam. Ergo independenter ab eo habet infallibilitatem obligantem.

115. Resp. hoc esse aliud negotium ad nos non spectans. Dico tamen Concil. Basileæ, cùm hoc decreuit, erat Conciliabulum, quia à Papa iam dissolutum, & postea fuit reprobatum. Constantiense dum id dixit, sine Papa certè erat, & non fuit hoc dictum, à Martino confirmatum, sed ea, quæ contrà Wicleff, & Hus erant facta. 2. Benè dicit Bellarm. libro 2. de Concil. cap. vlt. Patres illos locutos de casu, quando nescitur verus Papa. 3. Neque vnquam potuerunt intelligere de potestate circa res Fidei: cùm confirmatio fidelium in Fide, immò Episcoporum, & Conciliorum, (cùm omnes sint Christi oues) sit singulare priuilegium Petro, & eius Successoribus à Christo concessum, vt in sequenti clarè patebit.

ARTICVLVS III.

An Decreta Romanæ Ecclesiæ, seù Sedis Apostolicæ sine Generali Concilio circa doctrinam credendorum, sint obiecta Fiedi?

116. ADu. quòd nomine Romanæ Ecclesiæ tria veniunt. Primò, tota Ecclesia Christi, quæ sub vno Capite, Romano scilicèt Pontifice est, & regitur, quia Petro dictum est: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues. Deindè, Pasce oues meas.] Et Pelagius II. in epist. 8. dicit vniuersalem Ecclesiam per antonomasiam dici etiam Romanã Et ideò Hæretici, omnes Catholicos appellant Romanos, & Papistas. Et de Romana Ecclesia ita accepta hic non loquimur; quia de ea in hoc sensu in præced. egimus. Secundò sumitur Romana Ecclesia pro Latina, seu Occidentali, vt distinguitur à Græca ratione Idiomatum, & Rituum quorundam; vndè Græci, Romanos appellant omnes Latinos Occidentales. Neque de Ecclesia Romana in hoc sensu hìc loquimur. Tertiò sumitur pro cœtu fidelium, & Cleto Romanæ Vrbis cum suo capite, seù Episcopo Papa, Successore S. Petri: & de ea sic accepta loquitur Paulus ad Romanos 1. 8: Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo; & vers. 11. gratulatur de communi Fide Romana cum sua: [Desidero videre vos: &c. & simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, Fidem vestram, atque meam. Et de Romana Ecclesia sic accepta dicuntur ea Priuilegia, quæ in Iure Canonico, & Ciuili habentur, Quòd sit consecrata sanguine Petri, & Pauli, Can. Sacrosancta. dist. 22. Quòd à Deo dotata Sacerdotio S. Petri, ex Eusebio epist. 1. Quòd sit Apex omnis Episcopatus, ex Damaso epist. 4. Quòd ex ea Ecclesia Vniuersalis habet principium, ex Nicolao 1. epist. 8. Quòd si mater omnium Ecclesiarum, Can. Non licet. dist. 22. Quòd sit Mater Ecclesiæ Græcæ, ex cap. fin. de Baptismo. Quod sit Magistra omnium Ecclesiarum, ex Felice 1. epist. 3. ex Caio epist. 1. ex Marcello 1. epist. 1. & Can. Denique. dist. 22. Quòd habeat Primatum super omnes Ecclesias totius Mundi, Can. Nolite dist. 11. Can. Nemini dist. 17. Can. In nuouo dist. 21. Can. Sacrosancta dist. 22. cap. Significasti de Elect. & cap. Si Papa de Priuili in 6. ex Anacleto epist. 2. ex Pio 1. epist. 2. & cœt. multis. Quòd sit Caput Religionis, ex Nicolao 1. in App. epist. 14. Quòd sit Custos Fidei, & Paternarum Traditionum, ex Iulio 1. epist. 3. cap. 35. ex Pelagio 2. epist. 5. 6. & 7. ex Agathone in epist. ad Concil. Constantinopol. 3. in causa Monothelitarum, ex Adriano in epist. ad Imperat. & alia ad Tarasium in concil. Nicæno 2. in causa Imaginum. Quòd sit à Christo fundata, ex Can. Omnes. dist. 22. Quòd nunquam errauit in Fide, nec errabit iuxtà Christi pollicitationem, ex Marco Papa in epist. ad Episcopos Aegypti, ex Lucio 1. in epist. decret. Calixto 1. epist. 1. Eusebio epist. 3. Pelagio 2. epist. 14. Agathone in epist. ad Imperat. & alia ad Taras. in concilio Generali VI. & alijs, qui cum proprijs verbis adducentur in conclusione. De Ecclesia Romana, in hoc sensu accepta loquimur hìc, an dum in doctrinis Fidei decernit quid faciendum, atque tenendum; hæc Decreta sunt obiecta Fidei?

117. Adu. 2. quòd ex dicendis, & ex factis in Chronicis, & Tomis conciliorum fusè narratis, Ecclesia hæc Romana, nempè Papa cum sua Ecclesia in decernendis doctrinis tam Fidei, quàm morum sine Generali concilio, etiam ab initio Christianitatis multipliciter procedere consueuit. Aliquando enim solus Papa per Epistolam decretalem statuit quid tenendum, (de quo puncto infrà) aliquando cum concilio totius Occidentis, aliquando cum concilio plurium Episcoporum à se delectorum; aliquando cum solis Episcopis assistentibus; aliquando cum Cardinalibus omnibus; aliquando cum aliquibus, & consilio Virorum probatorum in Sacra Theologia, vel Iure Canonico peritorum Decreta Fidei, vel morum statuit, & Ecclesiæ Vniuersali proponit. De his ergo Decretis Romanæ Ecclesiæ, seù Romani Pontificis, seù Sedis Apostolitæ, quæ in casu pro eodem sumuntur, quærimus, an sint obiecta Fidei?

118. Aduert. 3. & suppono aliqua. Primò, quòd Cathedræ nomen significat Doctrinam, ex Matth. 25. 2. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, id est in loco doctrinæ Moysi. Secundò, quòd Sedes in Ecclesiastica phrasi significat Episcopalem dignitatem. Tertiò, quòd Apostolica Sedes significat Episcopalem dignitatem Ciuitatis, seù Ecclesiæ ab aliquo Apostolo fundatæ, in qua sine interruptione hæreticæ labis successerunt Episcopi, vt diximus in Disput. de Traditionibus art. 5. Et licèt multæ olim essent Sedes Apostolicæ, tamen per antonomasiam, & præeminentiam semper Romana talis dicta est. Ex quo autem aliæ Apostolicæ hæresum maculis infectæ sunt, sola & vnica Romana, (quæ numquam à Fide in aliquo excidit, aut excidet, vt dicetur) Apostolica dicta est, & solus Romanus Pontifex Apostolicus, ex Can. Cleros dist. 21. Quòd autem Papa in Diplomatibus quandoque dicat, Nostra, & Apostolicæ Sedis authoritate; non geminat potestatem, sed maioris explicationis gratia, quòd vt Papa, & Petri Successor in Vniuersa Ecclesia, non vt Episcopus Romanus tantùm id faciat. Quæ cuilibet nota sunt, nec disputatione indigent.

119. Adu. 4. ex Ioan. 22. Extrà Quia quorundam de Verb. signific. quòd Papa aliquando loquitur, vt priuatus Doctor, & aliquando de Cathedra. Dum loquitur vt priuatus Doctor, potest decipi in sua sententia; & quòd tunc decidit, non est obiectum Fidei. Neque de hoc est controuersia. Sed de eo loquente de Cathedra. Loqui autem de Cathedra non significat aliquid materiale, v. g. sedentem loqui, vel cum alia simili cœremonia, seù solemnitate; sed significat eum loqui vt Papam, & Petri Successorem docentem Ecclesiam. Hoc ergo intendere debet Papa, dum vult de Cathedra aliquid decidere, seù proponere Ecclesiæ; & ex modo loquendi,

aut

aut manifestandi decisionem, debet id Ecclesiæ innotescere, nè putet, eum loqui, vt priuatum Doctorem. De Papa ergo sic decernente; & de eius decretis in materia credendorum, est noster sermo, an sint obiecta Fidei?

120. Adu. tandem, quòd hæc dubia prolixos exigunt Tractatus, apud Controuersistas legendos; nos tamen pro nostro instituto, eùm de obiecto adæquato materiali Fidei agamus; de necessitate duximus, hoc dubium exagitandum; multa enim à Romana Ecclesia, seù Apostolica Sede absque Generali Concilio fuerunt decisa, & quotidiè deciduntur circa Doctrinas, & mores Vniuersalis Ecclesiæ; ideò videndum, an, & quomodo decreta ista sint obiecta Fidei? Et consequenter decidendum, an, & quomodo sint Infallibilia? Quomodo autem, qualiuè diligentia debeat Papa procedere in Decretis hisce conficiendis, dicam infrà. His præmissis.

121. Dico, Decreta Romanæ Ecclesiæ, seù Sedis Apostolicæ, Romaniuè Pontificis in materijs credendorum, etiamsi extra Generale Concilium fiunt, siue eum particulari concilio, aut Congregatione, siue absque eis, si ex Cathedra fiant, sunt obiecta Fidei.

122. Probat. 1. Sedes Apostolica Romana, sedente Petro, potuit facere, & de facto fecit Decreta, quæ sunt obiecta Fidei, absque Generali concilio. Sed hæc Sedes quò ad potestatem, & authoritatem eadem est sedente Clemente Decimo, ac sedente Petro. Ergo. Maior à nemine controuertitur; tùm ob Epistolas Canonicas Petri, tùm ob instructionem Ecclesiæ tàm Romanæ, quàm totius Occidentis habitam à Petro siue per se, & immediatè, siue per Episcopos à se missos, vt ex Epistolis Clement. & ex Chronicis apparet. Et omnes Traditiones, quæ à Romana Ecclesia per Orbem totum, vt in Disputatione de Traditionibus dixi, acceptæ sunt, à Petro, & Paulo relictæ sunt; quæ tamen de Fide sunt. Min. est de Fide definita in concilio Florent. in sess. vlt. & nunc etiam in Const. 17. [Eugenij IV. Lætentur §. 8. Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Vniuersum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi Vniuersalem Ecclesiam à Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse]. Ergo. Et confir. ex concil. Constantiensi contra art. 37. Wicleff, & contra art. 12. & 13. Ioannis Huss, etsi mores non haberet Sancti Petri. Idem habetur ex Leone IX. epist. 1. cap. 13. Econe X. Const. 40. Exurge. & ex cap. 2. Fundamenta de Elect. in 6.

123. Prob. 2. Plura Concilia antequam de Fide decreuerint; Romanæ, seù Apostolicæ Sedis Decretum priùs audire voluerunt; & ipsum secuta, decreuerunt dogmata. Ergo. Anteced. prob. ex concil. Chalcedone. Act. 2. Post. lectionem Confessionum Fidei Nicænæ, & Constantinopolit. lecta est epistola Leonis tunc sedentis, & per Legatos concilio præsidentis, de vnitate Personæ, & dualitate Naturarum in Christo: & in Actis sic habetur: [Post lectionem autem prædictæ epistolæ, Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Hæc Patrum Fides. Hæc Apostolorum Fides. Omnes ità credimus. Orthodoxi ità credimus; Anathema, qui ità non credit. Petrus per Leonem ità locutus est. Et Apostoli ità docuerunt. Piè, & verè Leo docuit. Hæc vera Fides, Catholici ità facimus. Hæc Patrum Fides. Hæc in Ephesò lecta non sunt. Hæc Dioscorus occultauit.] Hoc autem Decretum à Sede Apostolica emanarat, & ad concilium fuerat transmissum.

124. Concilium Generale VI. Constantinopolitanum III. idem ferè confirmat. Nam Constantinus Pogonatus Imperator in sua Sacra initio concilij rogat Romanum Pontificem, vt mittat ad concilium pro se Viros habentes peritiam à Deo inspiratæ doctrinæ, in causa Monothelitarum. Agatho verò Pontifex mittit ad concilium Legatos cum decreto Fidei, vt in Act. 4. in qua legitur eius epistola, hæc præ cæteris continens: [Hæc est enim veræ Fidei regula, quam in prosperis, & aduersis viuaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis Mater vestra Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ Traditionis numquam errare probabitur, nec hæreticis prauitatibus deprauata succubuit]. Et alia plura, quæ prolixa sunt, & attuli in præced. de conciliorum dependentia à Papa circa infallibilitatem. Et in fine dicit: [Liberanda est Ecclesia Sancta de talium Doctorum erroribus, vt Euangelicam, atque Apostolicam orthodoxæ Fidei rectitudinem, quæ fundata est supra firmam petram huius B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ, quæ eius gratia, atque præsidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præsulum numerus, ac Sacerdotum, Cleri, ac Populorum veritatis formulam Apostolicæ Traditionis nobiscum confiteatur]. Et damnatis Monothelitis, definit duas voluntates in Christo. Concilium autem, nedum Decretum eius amplectitur, atque confirmat; sed petentes confirmationem ab eodem Agathone, præ cæteris dicit: [Sanctum, & Vniuersale concilium &c. Ideircò Christus verus Deus noster sapientem dedit Medicum, vestram à Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remedijs orthodoxiæ, & valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itàque Tibi, vt Primæ Sedis Antistiti Vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, permittimus stanti super firmam Fidei petram, acquiescentes veræ Confessionis literis à vestra Paterna Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas, vt à summo Apostolorum Vertice diuinitùs perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus]. Igitur clarè fatetur concilium, quòd decretum Doctrinæ à Romano Pontifice missum, ab eis fuit acceptum vt Fidei obiectum.

125. concilium Generale VII. & Nicænum 2. idem prorsùs confirmat. Nam Imperator in sua Diuali dicta initio concilij rogat Adrianum, vt in causa Imaginum [Ascendat in stabilitatem, & firmitatem an-

tiquæ Traditionis super venerabilibus Imaginibus], & rogat, vt si non possit personaliter ad concilium accedere, mittat Viros eum suis literis, idest cum suo decreto, seù doctrina super hac controuersia. Consentit Adrianus, Viros mittit cum suæ doctrinæ decreto. Literæ eius dignæ sont, ac plenissimè in Act. 2. concil. referuntur. Præ cœteris hæc habent: [Vos antem maximè in Traditione orthodoxæ Fidei Ecclesiæ B. Petri & Pauli Principum Apostolorum acquiesceris, eamque amplectemini. Et post: Hi quidem Principes Apostolorum sunt, [&c. decernens ex multis rationibus venerandàs esse Imagines. Lectis Adriani literis, Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus multis, & dignis verbis probat, totum concilium teneri ad sequendam Adriani doctrinam, vt retuli in articulo præcedenti, & concludit[: Ob id, & nos sic confessi sumus, confitemur, & confitebimur, concordamus, & vim literarum lectarum coufirmamus, & Imaginum, &c.] Mox S. Synodus interrogata, quid sentiat de literis & doctrina Adriani Papæ? Respondet: [Sequimur, recipimus, & approbamus.] Deindè immediatè omnes subscribunt. Ergo decretum Sedis Apostolicæ, vt Fidei obiectum à toto concilio fuit receptum, & approbatum. Et in Act. 7. anathema dixerunt oppositum dicenti; & iterum in epist. Synodali ad Adrianum pluribus se declarant, suum Decretum secutos.

126. De Concilio Constantinopolitano I. vt in artic. præcedenti patuit, certum est ex Tomo 1. Conc. quòd Damasus Romæ cum suo Concilio damnauit hæresim. Macedonij negantis Diuinitatem Spiritus Sancti; & postea cum Theodosio Seniore laborauit, vt coacto concilio Constantinop. cum solis Episcopis Orientalibus eadem hæresis damnaretur. Et ità accidit. Legantur notæ in id concilium Verbo, [Oecumenicum.] Ergo Sedis Apostolicæ Decretum, tam pro concilio illo Nationali pro tunc, quàm pro tota Ecclesia, fuit obiectum fidei.

127. De Concilio Ephesino est pariter manifestum. Nam, Cælestious ex Notis huius concilij, certior factus à Cyrillo Alex. de Hæresi Nestorij circa pluralitatem Personarum in Christo, conuocato suo concilio Romæ, eum damnauit, & monuit Nestorium, vt circa decem dies retractaret. Hic recurrit ad Imper., Cælestinus verò curat cum Imper. cogi concilium: destinat Cyrillum suum Legatum, eumque instruit de suo decreto. Cyrillus autem tot laboribus exantlatis cum Ioanne Antiocheno, & sequacibus, cum toto Concilio decretum Cælestini de vnitate Personæ Christi, & damnatione Nestorij secutus est.

128. De concil. Gener. V. & Constantiop. II. luce clariùs est, ex Tom. 2. Concil. summis præcibus Patres illos rogasse Vigilium Papam Constantinopoli existentem, vt concilio interesset, & suam sententiam diceret, qui semper renuit, & tandem Imperatoris rogatu, ex se solo Constitutum illud dogmaticum super doctrinis Ibæ Theodori Mopsuesteni, & Theodoreti, nec non Origenis 60. capita continens, edidit, in fine verò ait: [His igitur competenter, & per orthodoxæ fidei rectitudinem Apostolicæ sententiæ authoritate damnatis, constitutiones, &c.] statueos, nè personis eorum irrogetur iniuria. Patet ergo, quòd decreta circa doctrinam à solo Rom. Pontifice sint facta, & à concilio recepta. Sicque finem habuit Concilium.

129. Adde, quòd ex collat. 56. eius concilij Patres, antequam Constitutum hoc fieret; circa damnationem præfatorum trium Capitulorum, in hoc maximè confidebant, quòd Vigilius & scripto, & sine scripto ea damnauerat, & dolebant, quòd concilio nollet interresse, & suam sententiam primò proferre, sicut Petrus fecit in Concilio Act. 15. Ergo agnoscit hoc concilium, Decretum Sedis Apostolicæ esse fidei obiectum, & Ecclesiæ proponendum, si ab eo ederetur.

130. Conciliorum Occidentalium argumenta non curo adducere; quia fortè dicerentur ex propria domo accepta. Certum tamen est, quòd, tam quinque Lateranensia, quàm alia extrà, cum instructione, & præcedente sententia Romani Pontificis processerunt in causis fidei. Id ergo acceptarunt, ac decreuerunt Patres, quod Romanus Pontifex in ijs materijs sentiebat; & postea confirmationem concilorum petierunt ab eisdem Romanis Pontificibus.

131. Prob. 3. Tàm Concilia, quàm Patres semper renouerunt, in Sede Apostolica, seù Rom. Pontifice adesse firmitatem illam & infallibilitatem fidei, quæ Petro à Christo est promissa Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ Inferi non præualebunt adversus eam. Et Lucæ 22. Rogaui pro te Petre, vt non deficeat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ergo eius Decreta sunt fidei obiecta. Consequentia prob. Hoc requiritur ex dicendis de obiecto formali, in obiecto Fidei, vt sit quid infallibile, idest à Deo reuelatum, siue explicitè, & formaliter, siuè implicitè, & virtualiter; & postea per Spiritus Sancti suggestionem, seù illuminationem declaratum. Antecedens prob. Patres 630. Concilij Calcedonensis postquam, vt suprà patuit, lecto Leonis Decreto, dixeront: [Hæc est fides catholica, &c.] in petitione confirmationis ex Actione 16. sic dicunt de fide à Leone decreta: [Quam velut auro textam seriem ex veste Christi, & præcepto Legislatoris venientem vsque ad nos ipse seruasti vocis Beati P. omnibus constitutus interpres eius fidei beatificationem super omnes adducens. Vndè & nos quippè, vt inchoatori bonorum ea ad vtilitatem vtentes Ecclesiæ filijs hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus &c. Et eramus in communi corona gaudij, quasi in Imperialibus cœnis, & delicijs spiritualibus epulantes, quas per suas literas Christus præparauerat, inuitatis.] Ergo fatentur, quòd ex Christi oraculo infallibili Leo Decretum illud Concilio proposuit.

132. Confir. eadem propositio ex testificatis concilij Generalis VI. sequentis Decretum Agathonis, vt in præced. patuit, in synodali, qua confirmationem petunt, ex Actione 10. præ alijs hæc dicunt: [itàque tibi, vt Primæ Sedis Antistiti Vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, permittimus, stanti super

per

per firmam Fidei petram, acquiescentes veræ Confessionis literis à vestra Paterna Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis; quas vt à summo Apostolorum Vertice diuinitùs perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.] Ergo illi 289. Patres, in Rom. Pontifice confitentur firmitatem, & infallibililitatem Fidei à Christo ei dictatæ; & ideò ei adhærentes recipiunt, & firmant decretum contra Monotelitas.

533. Confir. ex Concil. Nicæno II. Gener. VII. Act. 2. in qua lectæ sunt epistolæ Adriani I. ad Tarasium, & ad Imperatorem, in quibus præ cæteris dicit, nullam esse congregationem Patrum sine consensu, & præsentia Sedis Apostolicæ: & ità anathematizandam hæresim contrà Imagines. [Quo omne zizanium ab Ecclesia eradicetur, & Christi Verbum impleatur: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et alibi: Tu es Petrus. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni Cęlorum, &c. Cuius etiam Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput, existit &c. Cui etiam, & beatæ vestræ, & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim beata vestra Sanctitas ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, vtpotè quæ re vera sit rectè sentiens, & pietatis incorrupta conseruatrix, hoc Sacrificium primum Deo exhibeatur,] & cętera multa. Quibus auditis, statim Patres subscripsere, Tarasius primò hoc motiuo, quiá Paulus ad Rom. scribens dixit: [Fides vestra prædicatur in vniuerso orbe. Deindè: Quamobrem Adrianus Veteris Romæ primas, & testatorum principum successor, clarè, & verè declarauit Catholicæ Ecclesiæ antiquam Traditionem.] Et subscripsit, Imagines venerandas, [Vniuersa S. Synodus sic credit, & sic docet.] Deindè interrogata Synodo, an Papæ literas reciperet? [Sancta Synodus dixit: Vniuersa Sancta Synodus. Sequimur, recipimus, & probamus.] In Synodali verò ad Adrianum, ex Act. 7. in fine. PP. Concil. postquam præmiserunt doctrinis Apostolorum semper in Ecclesia hæreses damnatas, sic subdunt: [Vestra igitur Deo decens Sanctitas horum adhærens doctrinis, & ab ipsis veritatis sermonem accipiens, turbas illas spinosas nunc pullulantes, extirpare machœra Spiritus sancti satagit. Misisti etiam nobis postulantibus viros concordes, & dignos Apostolica Sede sancti Petri. Et infrà: Literas Sanctitatis vestræ primo loco legi iussimus. & eramus quidem omnes, veluti in regio conuio epulis Spiritus intenti, quòd tali conuiuio animi nostri recrearentur: pedesque nostri in viam rectam veritatis per te ducebantur. Sic confracta membra in vnum corpus componebantur: sic vera concordia reualuit: sic Catholica Ecclesia in vnionem est collecta.] Ergò Concilium confitetur, in Romano Pontifice veritatem, & firmitatem doctrinæ Catholicæ.

534. Confirmari pariter potest minor illa ex facto Concilij generalis 5. quòd numquam quieuit, nec finem imposuit damnationi hæresum Ibæ, Mopsuest. & Origenis, donec eas sigillatim damnauit. Ergò existimabat Concil. decretum ab eo factum, posse errori, & infirmitati subiacere, nisi Vigilius, ex Cathedra Petri hæreses à se damnatas, aliasque plures damnaret.

135. Prob. modò ex Patribus, quòd decreta Sedis Apostolicæ, seu Romani Pontificis absque generali Concilio sint obiecta Fidei, eò quòd infallibilia.

136. Irenæus lib. 3. cap. 3. per multa docet, per doctrinam Romanæ Ecclesiæ à Petro fundatam, confundi posse omnes Hæreticos. Et concludit. [Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata, est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio.]

137. Origenes (ex Hieron. in epist. ad Pammach.) cum in varios errores incidisset, non alteri, quàm Fabiano Papæ rationem suæ fidei reddidit, vt ab eo tantùm corrigeretur, vt apertè monstraret, eum solùm, firmam, & infallibilem posse docere Fidem.

138. Athanasius in epist. ad Felicem II. Papam: [A vestra sancta Sede auxilium expectamus, vndè prædecessores nostri ordinationes, & dogmata cœperunt. Nolite obliuisci nos vobis commissos, &c.

139. Theodoret. in epist. ad Leonem I. estque in fine voluminum. [Si Paulus prædicator veritatis, & Spiritus sancti buccina ad Petrum accurrit, vt ijs, qui de viuendo secundùm Moysi legem, Antiochiæ discrepabant, quæstionem expeditam, ac solutam ab eo firmari: multò magis nos, qui pusilli sumus, ad solum Apostolicum accurremus, vt à vobis medicinam vulneribus nostris feramus.] Postea multa de vrbe Roma fatus, ait: [Fides verò pręcipuè eam ornat. Testis est Paulus, qui ait: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Et post aliqua: Vestram sententiam expecto. Et in epist. ad Renatum ait: Tenet ista sancta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, tum propter alia; tum quia semper Hæretici fœtoris expers mansit, nec vllus vmquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit, quin potius Apostolicam gratiam purus custodiuit. Et in lib. 5. Eccles. hist. cap. 10. Damasus Papa in omni genere laudis florentissimus simul, ac hanc Sectam exortam accepit, non Apollinarem solum, verùm etiam Timotheum eius discipulum abdicauit.]

540. Acacius Patr. Constantinop. epist. 4. ad Hormisdam, præ alijs dicit; [Vnam Sedem accipio illam Sedem Apostoli Petri, &c. Quia prima salus est, Fidei regulam custodire, & à Patrum Traditione nullatenùs deuiare, quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quę dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio.

141. Mennas Archiepisc. in Conc. Gen. 5. cuius sententiæ omnes subscripserunt, sic ait: [Sicut scit Charitas vestra, Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus; & ipsius communicatores habemus, condemnatos ab

ipsa condemnamus.] Et penè omnes isti Orientales erat. Ego.

142. Basilius Magn. in epist. 74. rogat Damasum Rom. Pont. vt damnet Apollinarem, eiusque hæreses. Quod accuratè considerans Baronius an.372.ait: [At cur Basilius Apostolicæ Sedi defert damnationem Apollinaris hæresiarchæ? Cur non ipse Cappadociæ Metropolitanus eam hæresim cum authore damnauit? Nosti causam lector, si memoria tenes, quæ superiùs sępè sunt repetita, atque exemplis sæpiùs demonstrata, nimirum illum viguisse vsum ab Apostolorum temporibus, vbi primùm Sedes Petri Romæ locara est, vt noua hæresis, recensque emergens hæresiarcha, non ab alio quopiam cuiusuis authoritatis Episcopo,quàm à Romano Pontifice, causa exactè peruestigata Apostolica damnaretur authoritate.] Quod & factum est, nam Damasus in sua Romana Synodo Appolinarem, cum suis hæresibus (in sequ. artic.) damnauit.

143. Sergius Patr. Constantinopol. in epist. ad Hon. orat. 1. quæ habetur in Concil. General. 5. Constantinop. 3. Actione 12. sentiens cum Cyro Patr. Alexan. in Christo vnam esse operationem, dissentiens à Sophronio Hierosol. Episc. consulit Honorium, an benè sanciat? & in fine, ei se submittit, vt ipsum doceat, an plus, minusuè dicturus sit in hac difficili controuersia.

144. Nicephorus Patr. Constantinopol. epist. ad Leonem III. præ alijs dicit: [Vestra diuina virtute nos veluti infirmiores fulcite, pedesque nostros ad currendam Euangelij semitam perficite.

145. Ignatius Patr. Constantinop. epist. ad Nicol. I. ex Action.3. & S. Synodi præ ceteris ait: [Christus &c. Vnum singularem, & Catholicissimum Medicum ex toto produxit, videlicèt tuam fraternam Sanctitatem, & paternam almitatem, propter quæ dixit Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo &c. Tales enim beatas voces, non solùm Apostolorum Principi circumscripsit, & definiuit; sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant Summi Pastores, & diuinissimi, sacrique Pontifices senioris Romæ transmisit, & ideò ab olim, & prisco tempore in extortis hæresibus, &c. eradicatores facti sunt earum multi, qui Sanctitatem tuam illic præcesserunt, Successores videlicèt principis Apostolorum: & nunc Beatitudo tua, &c.]

146. Probat. etiam ex Latinis Cyprianus in epist. 55. præ alijs de Schismaticis, dicit: [Nauigare audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta est, nec cogitare eos Romanos esse, quorum Fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.] Ergo decretum Cathedræ Petri, cùm non possit esse falsum ex Cypriano, dici debet obiectum Fidei.

147. Hieron. epist.ad Damasum. [Quo enim oriens indiscissam Domini tunicam perfectam discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes; ideò mihi Cathedram Petri, & Fidem ore Apostolico laudatam censui consulendam. Indè nunc meæ postulans cibum, vndè olim Christi vestimenta suscepi. Et post aliqua: Apud vos solùm incorrupta Patrum seruatur hæreditas. Vos estis lux Terræ. Et infrà: Cum successore Piscatoris, & discipulo Crucis loquar. Ego nullum primum, nisi Christum sequens; Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio &c.] Et cum de vocabulo hypostasis esset eo tempore magna concertatio; quidam enim dicebant significare substantiam, ideò negabant tres hypostases in Deo; quidam verò dicebant significare personam, ideò tres admittebant: Hieron. in eadem epist. paulò post ait: Obsecro, vt mihi literis tuis, siuè tacendarum, siuè dicendarum trium hypostaseon detur authoritas. Non timebo tres hypostases dicere, si iubebis. Et in epist. ad Demetriadem cap. 9. De Orientis partibus sæua tempestas hæreticorum, dum Anastasius Romanam Ecclesiam regeret, simplicitatem fidei, quæ Apostolico ore laudata est, labefactare conata est. Sed vir ditissimę paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis statim noxium caput, & sibilantia hydræ ora compescuit &c.] Ergo sola Sedes Romana damnat hæreses nouas.

148. Augustinus in epist. 157. Pelagius, & Celestius etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zosimo, nisi correcti egerint etiam pœnitentiam,toto orbe Christiano damnati sunt. Verbis vtar Beatissimi Antistitis Zosimi, illud propugnationę contractum Chirographum corrumpitur, in quo nullus omninò natorum antequam per Baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.] Ecce decretum Papæ. Sequitur Aug. [In his etiam verbis Apostolicæ Sedis, tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica Fides, vt nefas sit de illa dubitare Christiano. In epist. 165. Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petro enim successit Linus&c. In hoc ordine successionis, nullus Donatista inuenitur. In libro 1. contrà Iulian.cap. 4. Cui Ecclesiæ idest Rom. præsidentem, si Beatum Innocentium audire voluisses, iam tum periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Aphricanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia.] Ergo decretum Fidei Rom. Pontific. contrà Pelagium, &c. fuit Fidei obiectum ex tunc. Adde ex eodem, quòd etiam Celestius, etsi Hæreticus agnouit Rom. Pontificis decretum in materia Fidei respui non posse: sic in libro 2. cap. 7.contrà Pelagium, & Celestium. Celestius B. Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere; immò, se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.

149. Fulgentius de Incarnat.c.11.[Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis, & ad iustitiam nihil hesitans credit,& ad salutem non dubitat confiteri.

150. Possessor Episc. epist. ad Hormisdam. Decet, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. A quo enim magis curantia

tis Fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius Sedis Præside, cuius primus à Christo rector audiuit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

151 Petrus Chrysologus in epist. ad Eutychem. [Hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis præscripta sunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.)

152. Prosper in Chronicis ait. [Concilio apud Carthaginem habito 217. Episcoporum, ad Pontificem Zosimum synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.] Ergò solùm Papæ decretum fuit fidei obiectum.

153. Anselmus Cantuar. de Incar. Verbi cap. 1. Papæ Vrbano ait: [Quoniam Deus elegit vestram sanctitatem, cui vitam, & fidem christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret; ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur &c.]

154. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II. Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala, præsertim, quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarcire damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; hæc quippè huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est; Ego pro te rogaui petre, vt non deficiat fides tua? Ergò quod sequitur, à Petri successore exigitur, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuo &c. In eo planè Petri impletis vitam (Pater amantissimè) cuius tenetis Sedem. Si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmetis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.] Ergò auctoritas Sedis Apostolicæ in decidendis dogmatibus, est infallibilis.

155. Episcopi Galliæ in epistola ad Leonem I. quæ est ante 50. Leonis epistolam, sic dicunt: [Exultauimus lectis literis Beatitudinis Vestræ, & etiam instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiscum, qui catholicæ fidei lumine derelicto in errorum tenebras inciderunt, quæ Apostolatus vestri scripta ita vt Symbolum fidei quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores, paratior sit, memoriæ commendauit. Ergò.

156. Episcopi Hispaniarum ex Baronio tom. 6. anno 465. Hilario Leonis Successori idem confitentur, & in epistola ad eum ita dicunt: [Proindè nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, indè responsa quærentes, vndè nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur.] Et infrà: [Proindè, quia his præsumptionibus, quæ vnitatem diuidunt, quæsumus Sedem vestram, vt super hac parte obseruare velitis quid Apostolicis affatibus instruamur.] Et post: [Erit vester triumphus, Apostolatus vestri temporibus, quod S. Petri Cathedra obtinet catholica audiat Ecclesia, si nouella zizaniorum semina fuerint extirpata.] Hæc Synodus Tarraconensis.

Episcopi Concilij Bracarensis I. ex Baronio tom. 7. anno 563. in fine, damnantes hæreses Priscillianistarum, & aliorum, per 17. capita declarant ex Sedis Apostolicæ instructione eam tulisse sententiam: [Si quid illud est, vel paruum, vel magnum. quo variari videmur, ad vnam formulam præfixis rationabiliter capitulis, reuocetur, præcipuè cum & de certis quibusdam causis instructionem apud vos Sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationes suas quondam venerandæ memoriæ prædecessores tui profuturi prudentia ab ipsa beatissimi Petri accepit cathedra.]

157. Episcopi Cypri ad Theodorum Papam sic scribunt: [Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit (ò Sacer Vertex) Christus Deus noster; tu enim es, sicut diuinum veraciter enunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ firmatæ sunt. Tibi claues cœlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatem, & quæ in terra, & quæ in cœlo sunt, promulgauit. Tu profanarum hæresum depositor existis; Princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ fidei, Igitur non despicias Patrum tuorum Pater fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violatam, necnon periclitantem, resolue nebulam insipientium lumine tuæ diuinæ scientiæ, ò Sanctissime; abscinde blasphemias, & iactantiam vaniloquorum nouiter emergentium hæreticorum Doctorum;] ità ex Baronio tom. 8. anno 643. Eodem prorsùs stylo, vt suprà patuit, scripsere ad Agathonem Patres Concilij Constantinopolitani 3.

158. Episcopi Concilij Nicœni 2. ex act. 2. Rom. Pont. infallibilitatem, ac firmitatem, ex Matth. 16. Tu es Petrus, probant sic. Lectis literis Adriani Papæ ad Imperatorem, & ad Tarasium, [Sancta Synodus dixit: Vniuersa sancta Synodus sic credit, & sic docet.] Et omnes ad vnum varijs elogijs Adriani definitionem commendantes, dixerunt, se sic credere, & oppositum sentientes anathematizare. Omnes isti ferè Græci sunt, vel saltem Orientales 365. & decretum à Papa solo factum, vt fidei obiectum recipiunt, & credunt.

159. Episcopi Dardaniæ ad Gelasium (quorum epistola est inter epistolas Gelasij) sic dicunt: [Saluberrima Apostolatus vestri præcepta, qua oportet deuotione, suscepimus, & maximas beatitudini vestræ referimus gratias, quòd nos pastorali admonitione, & Euangelica doctrina visitare dignatus es. Desiderij enim nostri est iussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus inteme-rata seruare, atque Religionem Orthodoxam, cuius estis prædicatores, fideli, & inculpata deuotione custodire. Apostolicæ, & singulari illi Sedi vestræ communi fide, & deuotione parere contendimus.]

160. Episcopi Concilij Mileuitani in

Epi-

Epiſtola ad Innocentium I. in cauſa hæreſis Pelagianæ præ multis, orant, vt in hoc negorio paſtoralem diligentiam adhibere dignetur. Et quòd licèt multi eos damnarint, & impugnarint, præſertim Hieronymus, ſubdunt: [Sed arbitramur, adiuuante miſericordia Domini Noſtri Ieſu Chriſti (qui regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur) auctoritati Sanctitatis tuæ facilius, qui tam peruerſa, & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros.]

161. Epiſcopi Galliæ, vt habetur ex notis Concilij Arauſicani II. Verbo Canones, ſtrenuè decertantes cum Maſſilienſibus, nempè Semipelagianis, conſulunt Felicem IV. quid tenendum in hac materia de gratia, & libero arbitrio. Et ſanctus hic Pontifex mittit ad eos 24. decreta, quot nempè ſunt canones eius Concilij. Qui quidem ex eiſdem notis, illimet ſunt, quos comprehendit epiſt. 1. Cœleſtini I. qua damnat Pelagium.

162. Item, Epiſcopi Galli ex notis in epiſt. 3. Innocentij I. in fine conſulunt hunc ſanctum Pontificem, quinam ſint libri canonici ſacræ Scripturæ? & Innocentius hac epiſt. 3. cap. 7. definiens canonem ſacrorum librorum, ad eos tranſmittit.

163. Ex quibus euidenter conſtat omnes præfatos Patres agnouiſſe in Romano Pontifice infallibilitatem iudicij in rebus fidei. Alioquin fruſtra ad eum recurriſſent; cùm ex lectione librorum, aſſequi poſſent veritatem ſaltem probabiliſſimè, at non poterant, neque alios, neque ſemetipſos obligare ad eam firmiter, ac diuina fide credendum. Quod planè argumentum mihi videtur euidens.

Aliorum Epiſcoporum, Patrum, Imperatorum, Conciliorum prouincialium, & ipſorummet hæreticorum ad Sedem Apoſtolicam recurſum, & duos præſertim vltimos Epiſcoporum catholicorum, tam Gallorum 80. & plures pro deciſione propoſitionum Iaoſenij; quàm Hiſpanorum pro definibilitate Conceptionis Immaculatæ ad Innocentium X. & Alexandrum VII. 7. Archiepiſcoporum; 28. Epiſcoporum; 4. Capitulorum Eccleſiaſticorum; eſtò primorum cum effectu, & poſtremorum ſine principali effectu intento; infrà in art. 5. reperies.

164. Prob. etiam ex decretalibus Rom. Pont. quorum plerique etiam Martyres fuerunt. Qui vnanimiter ex illo Lucæ 22. [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua,] probant Apoſtolicæ, ſeù Romanæ Sedis fidem eſſe infallibilem. Et conſequenter eius decreta, eſſe fidei obiecta.

165. Lucius I. Martyr in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſp. tom. 1. Concil. ait: Hæc ſancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis, numquam erraſſe probatur, nec hæreticis prauitatibus deprauanda ſuccubuit, ſed vt exordio normam fidei percepit, ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata ſinetenus manet, ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum principi in ſuis fatus eſt Euangelijs: Petre, inquit, ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret te &c. Ego autem rogaui &c.]

166. Felix I. Martyr ex eodem textu Lucæ idem docet in epiſt. 3. ad Benignum, eiſdem prorsùs verbis, & addit: [Fidem beati Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit; quod Apoſtolicos pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt notum.]

167. Idem dicunt Marcus in epiſt. ad Epiſcopos Ægypti; quæ eſt in lib. 3. in Conc. Nic. tom. 1. Conc. Calixtus I. Martyr epiſt. 1. Euſebius epiſt. 3. Pelagius 1. epiſt. 1. Agatho epiſt. ad Imperatorem, quæ eſt in Concilio generali 6. act. 4. Leo I. epiſt. ad Leonem Imperat. Gelaſius epiſt. 8. Pelagius II. epiſt. 5. & 8. Leo II. epiſt. 5. Nicolaus I. ad conſul. Bulgar. cap. 106. Gregorius VII. lib. 2. poſt epiſt. 55. & alij, quos referre opus non eſt. Hi ergò omnes docent, Petrum, eiuſque ſucceſſores, qui loco eius in officio, & dignitate ſuccedunt, in fide docenda numquam defeciſſe, nec defecturos eſſe; ac proinde, quæ ipſi docent credenda, eſſe fidei diuinæ obiecta.

168. Gregorius item primus, omnium ſententia Magnus, & humillimus ex libro 4. regiſt. epiſt. 51. ad Epiſcopos Galliæ ſcribit: [Si quam verò contentionem de fidei cauſa euenire contigerit; aut negotium emerſit, cuius vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine Sedis Apoſtolicæ iudicio indigeat, examinata diligentiùs veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenùs à nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.]

169. Paſchalis II. in ſuo Concilio Romano, ſeu Lateranenſi 3. Prouinciali, definit, pro Eccleſia Romana Chriſtum oraſſe, vt non deficiat fides eius. Imò hoc valido argumento ſe purgauit ab hæreſi, quæ ſibi obijciebatur.

170. Nicolaus II. & habetur in cap. Omnes diſt. 22. præ alijs, ait: Illud Verbum, quod creauit elementa, cælum, & terram, Romanam fundauit Eccleſiam &c. [Qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubiò in hæreſim labitur, & proculdubiò hæreticus eſt dicendus. Fidem quippè violat, quæ aduersùs illam agit, quæ Mater eſt fidei. Vndè & ipſe S. Ambroſius, ſe in omnibus ſequi Magiſtram, ſanctam Romanam profitetur Eccleſiam.

171. Nicolaus III. de elect. &c. cap. 17. ait: [Huius muneris Sacramentum ita Dominus voluit ad omnium Apoſtolorum officium pertinere, vt in B. Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua, velut in corpus omne diffunderet, huuc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id, quod ipſe erat, Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.]

172. Innocentius III. [ad Patriarcham Conſtantinopolitanum: Ieſus Chriſtus Eccleſiam in ſeipſo lapide anguiari fundauit, & eius Magiſterium Apoſtolorum Principi beato Petro, cui licèt immeriti in Apoſtolatu ſucceſſimus dignitate, conceſſit, dicens: Tu

es

es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et post: Tibi dabo claues regni cœlorum: & etiam curam ouium suarum, tertiò dixit: Pasce oues meas, & quòd eius fides nunquam deficeret, se orasse fatetur. Præterea, licèt vniuersis Apostolis dixerit in communi: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. ad eum tamen verbo vtitur speciali, dicens: Quodcumque ligaueris super terram.] Deindè pluribus demonstrat Græcam nationem Petri successori, & Sedi Apostolicę subiectam, vestem Christi inconsutilem scidisse: & quia extra Arcam Noe sunt. extra viam sunt.

173 Innocentius II. epist. ad Henricum Episcopum Senonensem, & alios, ait: Nos igitur, qui in Cathedra S. Petri, cui à Domino dictum est: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: licèt indignè residere conspicimur: destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri Abailardi dogmata cum suo auctore damnauimus, eique tamquam hęretico silentium perpetuum imposuimus.]

174 Innocentius I. epist. 32. ad Episcopos Concilij Mileuitan. [Scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent: præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem deferri debere.

175 Adrianus I. epist. ad Constantinum, & Irenem. [Petrus, & Paulus principes Apostolorum sunt, qui Catholicam orthodoxam fidem auspicati per scripta quidem veluti legibus fidem suam seruandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in Sede illorum successuri erant, & in fide eorum vsque ad consummationem sæculi permansuri.]

176 Gregorius II. epist. 4. ad Afuleum, & cæteros Theologos, ait: [Dei gratia comitante vos ad meliora, & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei vestræ propositum, sanctæ Sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit, sacræ religionis à memorata sancta Sede Apostolica spiritali omnium fidelium matre solatium quærere, sicut decet filios cohæredes regni à regali parente.]

177 Vitalianus epist. 1. ad Paulum Cretensem Episcopum, excusans eum de doctrina erronea, ait: [Sed hæc per ignorantiam opinamur gesta esse, quàm per calliditatem: ideò quæ præcipimus, stude illicò peragere; quia scriptum est de Petro: Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.]

178 Bonifacius II. epistola ad Eulalium Alexandrinum Episcopum: [Olim, & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ auxiliante Domino subuenire, & quicquid nouum est, auctoritate Apostolica corrigere, & emendare.]

179 Damasus epist. 2. ad Stephanum, & ad Concilia Aphricæ. Scitis fratres firmamentum a Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, idest omnium Episcoporum Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum: Tu es enim Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, qui Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt; & tibi claues regni cœlorum commisi, atque ligare, & soluere potestatem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, promulgaui. Tu princeps existis omnium, & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei, cuius vice hodie gratia Dei, legatione pro Christo fungimur.]

180 Anacletus tandem, qui de anno 103. legitur electus, epist. 1. ait: [Si difficiles ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones, semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad B. Apostolorum principem Petrum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

181 Ex quibus euidentèr habes, Apostolicam Sedem posse causas fidei definire, & definita ad credendum toti Ecclesiæ proponere. Et sic semper ab initio vsque ad nostra tempora factum esse conspicimus: vltimò enim loco definitæ, & damnatæ sunt per Innocentium X. & per Alexandrum VII. quinque Iansenij propositiones; & vt hæreticæ ab omnibus reijciuntur; & opposita illis, fide diuina creduntur. Ex sequentibus verò articulis longa eiusmodi damnationum, & definitionum per Sedem Apostolicam series patefiet.

ARTICVLVS IV.

An, vt decreta doctrinalia credendorum à Sede Apostolica edita, sint obiecta fidei, debeant fieri in aliquo, saltèm particulari Concilio?

182 Adu. titulum esse clarum, & quærere tantùm quid iuris? An sit necessitas alicuius Concilij, vt decreta, quæ facit Papa in materia fidei, siue credenda fide diuina? At quoniam dicam in sequenti, quòd siuè fiant cum Concilio Generali, aut Prouinciali, aut Synodali, siuè non, adhuc sunt obiecta fidei diuinę; placuit per extensum adducere vtramque praxim Romani Pontificis in eiusmodi, imò & in decretis morum, ac disciplinę; & ostendere, quòd ab initio Ecclesię vsque nunc, aliquando in Concilijs generalibus, aliquando in prouincialibus, aliquando in Synodalibus cum Episcopis, nempè Vrbicarijs, & Cardinalibus, aliquando, & pluriès etiam sine Episcopis, sed cum solis Cardinalibus; numquam tamen sine Doctorum, seù Theologorum consultatione ea definisse. Et hac occasione de resolutionibus aliorum negotiorum, & grauium causarum aliqua dicam.

183 Adu. 2. vsum Conciliorum etiam particularium in Ecclesia Romana ab initio Ecclesię ex Apostolorum exemplo (vt in probationibus) fuisse, vt ex epist. Cœlestini ad Concil. Ephes. & ex epist. Concilij Chalcedonensis ad Leonem I. nec non ex epist. Constantini Pogonati Imperatoris Diuali dicta, initio

tio Concilij Constantinopolitani 3. directa ad Donum, quę peruenie ad Agathonem, in qua petit, vt in suo Concilio discutiat doctrinam Moothelitarum, & suam sententiam transmittat ad Concilium. Et licèt à tempore Petri vsque ad Constantinum, metu persecutionum pauca legantur Romana Concilia; tamen plura fuerunt celebrata, quę fortè non fuerunt registrata, etsi vnita frequentia, & plenaria, vt ex tempore Constantini, & ex Gl. Constanrini can. 1. dist. 15. Cùm verò fine metu, ac impedimento, Christiano Imperatore regnante, fuit Ecclesiasticorum commercium; nè dum sępè fieri cœperunt Romę Concilia, sed omni anno Kal. Octobris, ita Leo I. in epist. 4. cap. 7. & 9. dicit, hoc esse antiquum Patrum institutum his verbis: [Quare illud primitùs pro custodia concordissimę veritatis exigimus, vt quia saluberrimè à Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conuentus: terni semper ex vobis ad diem tettium Kalend. Octobr. Romam fraterno Concilio indissimulanrèr concurrant; quod vtique laboriosum non est, si vicissim intet hęc consuetudo seruetur. Quoniam adiuuante gratia Dei faciliùs poterit prouideri, vt in Ecclesijs Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram Beatissimo Apostolo Petro id semper in commune tractatum fuerit, vt omnia instituta, Canonumque decreta apud omnes Domini Sacerdotes inuiolata permaneant.] Quæ quidem epistola ad Episcop. Siciliæ est directa. Quanto autem tempore hęc consuetudo Romæ durauerit, exploratum non est; patebit tamen, etiam post Leonem, multos Pontifices, pro multis negotijs fidei, morum, & Ecclesiasticæ disciplinæ, multa Concilia, vel Romæ, vel alibi, vbi repericbantur, pro temporum, & rerum necessitatibus celebrasse; quæ omnia eruditionis gratia adducemus, etsi videamur paulisper à nostro instituto deuiare, inaoe tamen non erit scire, quali, quantauè maturitate, quotuè modis Romanus Pontifex ad vnum à Christo non alligatus, Ecclesiastica negotia, fidei, morum, ac disciplinæ discutere, ac definire consueuerit. In sequenti enim arric. alterius modi praxim, id est sine Coocilio Episcoporum, sed cum Cardinalium consistorio, aut coogregatione, aliorumque peritorum consilio discutiendi, ac definiendi aperimus.

184 Adu. 3. quòd Rom. Pontifex præter Concilia generalia, alia prouincialia, ne dum Romæ, sed in alijs Regnis, aut Prouincijs, vel per se, vel per alios, suos nempè Legatos, celebrare consueuit, vt ex facto patebit: & præter hæc prouincialia Romæ coacta, ad quę confluebat multitudo Episcoporum, quorum numerus apponitur initio eorum; alia quædam faciebat cum paucis Episcopis, quorum numerus non apponitur: & isti putantur esse Episcopi dicti Vrbicarij, & nulli Metropolitano subiecti erant, quibus vtebatur Papa in suis Synodalibus Concilijs, quando negotia fidei, vel disciplinæ erat discussurus.

185 Dico ergo Romanus Pontifex, sępenumero, grauia dubia, vel negotia, tàm fidei, quàm morum, ac disciplinę in Concilijs particularibus definire consueuit.

186 Prob. adductione plurium factorum ab initio Ecclesię. Primum factum, est Petri principis Apostolorum, Act. 1. Existimans enim ex Sacrę Scripturę prędictione, loco Iudę perditi alium esse subrogandum, vt numerus esset completus, noluit ex semetipso, assumendum designare, sed cęteros, qui cum eo erant, consuluit, Apostolos nempè, & alios fratres existentes in cœnaculo, & consentientes omnes statuerunt duos; & orantes dixerunt &c. Igitur cum aliorum consultatione, & consensu subrogationem noui Apostoli decreuit, 2. Act. or. 6. Cùm eligendi essent ministri mensarum, septem nempè Diaconi, conuocatum est duodecim Apostolorum Concilium. 3. Luculentiùs exemplum est illud Act. 15. Orta controuersia inter Pharisęos quosdam, & Paulum, & Barnabam, an qui ex gentibus veniebant ad fidem, deberent circumcidi priùs, quasi transeundo per legem Moysi ad Euangelicam? Paulus, & Barnabas ascenderunt Hierosolymam, vbi erat Petrus, qui conuocatis Apostolis, & senioribus Iudeę proposuit dubium; & ait Textus: [Cùm autem magna conquisitio fieret, audita sunt eorum vota, sed surgens Petrus dixit:] Decidit autem primus non esse imponendum hoc onus conuersis. Et tunc tacuit omnis multitudo. Et postquam omnes tacuerunt loquutus est Iacobus dicens, &c. confirmans Petri sententiam. Expleto autem eius sermone, [Placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia] formare decretum nomine omnium, mittendum Antiochiam, & ad alias regiones; quod sic habet: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, &c.] Quo facto, scripsisse videtur Petrus suis successoribus formulam in decidendis fidei negotijs, vt scilicet cum fratrum, vel seniorum consilio faciant.

187 Probatur ex praxi subsequenti, licèt in textu sacro non habeatur. Clemens I. ex Anacleto epist. 1. multò post initium cum Concilio collegatum, omnia, ad Ecclesiasticam doctrinam pertinentia statuebat: [Beatus prędecessor noster Clemens I. vit Apostolicus, & Spiritu Dei plenus, cum reliquis sanctis collegis suis statuit dicens:] & narrat decreta eius, tam disciplinę, quàm doctrinę.

188 Post Clementem, vsque ad Victorem, non legimus Concilium aliquod Episcoporum Romę coactum in causis fidei; forte ex causa persecutionis impedientis congregationem, sed soli Pontifices ex aliorum Doctorum Concilio, vt postea dicemus, causas istas definierunt. Victor ergo ex tomo 1. Concil. legitur primò Episc. congregasse ad definiendam causam celebrationis Paschę, & ad damnandum Theodorum Byzantium hęreticum negantem Christi diuinitatem, & mortem, eiusque falsas Prophetias, ex Baronio anno 201.

189 Cornelius secundo loco legitur Concilium Episcop. congregasse ad instantiam S. Cypriani, ex epist. eius 52. & tomo 1. Conc. in quo statutum est, vt lapsi ad pœnitentiam admitterentur, contra hęresim Nouatianorum, & Catharorum, idest Mundorum; quam damnauit in eo Concilio, & in alio Italico eiusdem opera celebrato.

190 Post Cornelium, vsque ad Melchiadem, nullus ex Romanis Pontificibus legitur

Epi-

Episcoporum Concilium congregasse, nec pro Fide, nec pro disciplina, fortè ob persecutiones Tyrannorum. Melchiades ergo ex tom. 1. concil. in vita eius, Concilium coegit, sed ad causam Cæciliani, & Donatistarum Carthaginensium dirimendam.

191. Syluester tria Concilia Romæ celebrauit plurium Episcoporum. Primum ad incundam disputationem de veritate Fidei, coram Constantino, cum Iudæorum Scribis, & Pharisæis, ex quibus Syluester victoriam reportauit, & hoc in Romano Concilio 1. sub Syluestro accidit ex tom. 1. Concil. in vita Syluestri. In alio verò 267. Episc. multa de disciplina ecclesiastica decreuit; sed vnum de doctrina, quòd Chrisma à presbytero non fiat. Itemque damnauit Arium, Callusium, Photinum, & Sabellium. In tertio Concilio Episcoporum 275. confirmauit Concilium Nicænum, iuxta petitionem Patrum illius Concilij; & omnes ei contradicentes anathematizat.

192. Iulius I. in Concil. Rom. 216. Episc. damnat iterum Arianam hæresim, eosque, qui vocem Consubstantialis à Symbolo expunxerant, & Athanasium sæpè calumnijs oppressum, atque exulem tuetur, atque restituit. In secundo Conc. Rom. Episc. 50. causa Athanasij iterum agitata, nec non, & plurium aliorum Episcoporum, & presbyterorum ab Eusebianis persecutionem patientium. In tertio consideratæ sunt literæ Eusebianorum iniurijs plenæ ad Iulium missæ, & iniuriæ illatæ Elpidio, & Phyloxeno, papæ Nuntijs, actaque illorum causa.

193. Liberius concilium Romæ cogit, pro causa Athanasij per nouas calumnias ab Arianis agitati.

194. Damasus in concilio Rom. 1. iterum damnat Vrsacium, Valentem, eorumque socios; & per literas ad Orbem totum missas, denunciat eos Hæreticos. In 2. concil. deposuit Auxentium Mediolan. Episc. damnauit Vrsicinum Pseudopapam Schismaticum. In 3. Concilio damnat hæresim Appollinaristarum, quòd Christus caruerit anima, & loco eius fuerit Verbum: & alias eorundem; & decem in eo Canones formati sunt. Damnauit iterum hæreses Arij, Sabellij, Macedonij, Eunomij, ac Photini. Et Paulino formulam Fidei præscripsit, vt ex Concilio Rom. 4. In quarto autem ad causam Paulini, & Flauiani aggregato ex Theodoreto; Constantinopolitanum Episcopum Patriarchalem ambientem dignitatem, statuit Canonem de primatu Ecclesiæ Romanæ, & prælatione ad omnes; quòdque secunda Sedes sit Alexandrina, tertia Antiochena.

195. Siricius in Concil. Rom. 80. Episc. disciplinam collapsam reformauit.

196. Cælestinus in Concil. Rom. damnat Nestorij hæresim, eique intimat, vt intra decem dies resipiscat, ex Notis eius Concilij. Et decretum in hoc Concilio transmittit ad Ephesinam Synodum, ex notis vitæ Cælestini tom. 1. Concil. in vita eius. Quod decretum Cyrillus cum vniuersa Synodo secutus est.

197. Leo I. in Concilio Romano primo reliquias Manichæorum Romæ latitantes repressit, atque fugauit; & omnes fideles de eorum impietatibus admonuit, tom. 1. Concil. In Secundo Romano Concilio acta est causa Hilarij Arelatensis Episcopi de vsurpatione iurisdictionis. In Tertio verò damnauit Conciliabulum Ephesinum, & Dioscorum malorum omnium incentorem.

198. Hilarus in Concilio Romano Episcoporum 48. fecit Constitutum, id est decretum Synodale ad vniuersalem Ecclesiam pertinens, de Fidei rebus, & de disciplina. In secundo Romano Concilio statuit, quæ ab Episcopis Taracon. Prouinciæ, essent agenda in suis Ecclesijs.

199. Felix III. in duobus Romanis Concilijs Petrum Fullonem Hæreticum Antiochenæ Ecclesiæ inuasorem, & Petrum Mogum Alexandrinam pariter occupantem damnauit. In his pariter damnasse videtur Enoticon Zenonis, idest Symbolum quoddam Fidei impium, quo vnire putabat Hæreticos cum Catholicis. Item, quod Trisagio additum est, [Qui crucifixus est pro nobis,] tamquam Sabellianum damnauit, quasi Deus passus sit. In secundo etiam damnauit Acacium Constantinopolitanum, Vitalem, atque Misenum. In tertio actum est de recipiendis lapsis à Fide, & de pœnitentia eis iniungenda.

200. Gelasius in Conc. Romano 1. Episcoporum 70. Canonem librorum sacrorum stabiliuit. Et Apochriphos multos proscripsit. In Concilio 2. Misenum Legatum absoluit. Alia ad Fidem spectantia, quæ infrà adducentur, non legitur in Concilijs statuisse; & si fortè in eis; tamen ex actis non colligitur.

201. Symmachus in Concil. 1. Romano Episcoporum 72. constitutionem fecit de detestando ambitu in electione Pontificia. In secundo 115. Episcoporum se purgat à crimine sibi obiecto; & damnantur inuasores Sedis Apostolicæ. In quarto Concilio, Palmari dicto, abrogauit legem Odoacris Regis libertati ecclesiasticæ repugnantem. In quinto 200. Episcoporum lectus est liber ab Ennodio conscriptus contrà eos, qui impugnabant 3. & 4 Concilia à se facta, & receptus est, atque custodiri mandatum est. Et alia plura in eo decreta sunt. In sexto factæ sunt Constitutiones contrà inuasores rerum Ecclesiæ.

202. Hormisda in Conc. Romano Orientales Ecclesias, quæ eo anno 80. (vt ex Notis vitæ eius) à Sede Apostolica erant diuisæ in communione eius recepit, eo priùs promisso & peracto, vt Acacij, Euphemij, ac Macedonij Constantinop. Episc. nomina è diptycis auferrentur, necnon Zenonis, & Anastasij Hæreticorum Imperatorum.

203. Bonifacius I. qui in Concilio Romano primo ad vitandas dissensiones, & fraudes in electione Papæ delegerat sibi Successorem Vigilium; aduertens id aduersari sacris Canonibus, in alio Concilio Romano deputationem illam abrogauit.

204. Ioannes II. in Concilio Romano in causa Acemetarum Monachorum Nestorianorum, qui ad eum appellauerant, pro sua sententia, quòd vnus de Trinitate crucifixus est; ijs auditis, & re discussa eos damnauit. Et professionem Fidei Imperatoris Iustiniani approbauit.

205. Agapetus Constantinopolim à Barbaro Theodoto Rege ad Imperatorem placandum missus, ibi Concil.conuocato Orientalium, etsi ante finem illius obierit, damnauit sectam Acephalorum, Nestorianæ, & Eutychianæ perfidiarum hęredes additionarios, & eorum principes, nempè Anthimium Episcopum Trapezuntinum, Seuerum Petrum, & Zoaram, ex tom. 2. Concil. in Notis vitæ Agapeti V. Hie missus.

206. Pelagius II. in Concilio Romano confirmauit, quæ circa tria capitula acta erant: & quòd pro Concilio Chalcedonensi &c. sit laborandum.

207. Gregorius I. in Concilio Romano ad petitionem Mauritij Imperatoris pro Catholicorum vnione coacto, decreuit,quæ opportuna visa sunt pro Schismaticorum totius ferè Ecclesiæ (pro causa trium capitulorum) vnionem. In secundo, audiuit Ioannem presbyterum Chalcedonensem de hæresi damnatum à Ioanne Constantinopolitano Episcopo, & cognita causa, innocenteque reperto: eum absoluit. In tertio Episcoporum 20. presbyterum 14. & Diaconorum 4. Monachorum libertati prouidens; prohibuit, ne laici in eorum administratione temporali se ingererent; ipsosque ab Episcoporum, quibus eousque fuerant subiecti, iurisdictione liberauit. Et hæc fuit prima Regularium exemptio.

208. Martinus I, in suo Concilio Romano 105.Episcoporum damnauit hæresim Monothelitarum; quem postea secutus est Agatho, cuius præuio decreto, Concilium generale 7. eam proscripsit; sequens horum Pontificum definitionem.

209. Agatho in Concilio Romano 125. Episcoporum damnauit hæresim Monothelitarum. Deinde Legatos cum hoc decreto misit ad generale Concilium 6. vt pluriès suprà diximus.

210. Ioannes VII. ad instantiam Iustiniani Imperatoris Romæ Concilium congregauit, quia petebat Imperator confirmationem Canonum Concilij Quinisexti, seù Trullani. Sed Papa noluit confirmare, tomo 3. Concil. par.1. in Notis vitæ eius.

211. Gregorius II. in Concilio Romano Episcoporum 22.illicita coniugia damnauit. In secundo Concilio causa Corbiniani Frisigensis Episcopi tractata est. In tertio verò hæresim Iconoclastarum damnat, Leonem Isaurum Imperatorem ob hanc hęresim sæpè monitum, anathematizat; & fideles à iuramento fidelitatis obedientiæ illius absoluit; & cum Francis contrà hæreticum Imperatorem se confœderat.

212. Gregorius III. in Concilio Romano 93. Episcoporum decernit, Imagines esse venerandas, & sententiam contrariam damnat.

213. Zacharias in primo Concilio Romano decreta multa in disciplina ecclesiastica, eaque notabilia stabiliuit. In secundo autem damnauit hæreses Aldeberti, & Clementis, & ipsosmet authores. Nonem errores in eo Concilio referuntur. Exauctoratio facta Chilperici Regis Francorum,cum inauguratione Pipini, item & concessio Regi Franciæ, vt nominet Episcopos sui regni, vt in Notis vitæ huius Papæ; fortè extrà Concilia facta sunt.

214. Paulus I. in Concilio Romano decreta de Ecclesiarum, & Monasteriorum immunitate formauit; licèt non extent.

215. Stephanus IV. in Concilio Romano Constantinum Pseudopapam ex Laico intrusum abrogauit, & decretum fecit, ne quis deinceps eligi posset in Papam, nisi Cardinalis Presbyter, aut Diaconus esset. Et improbauit omnia, quæ per Constantini Copronymi Imperatoris fraudem contrà Sacras Imagines Constantinopoli, & alibi decreta fuerant.

216. Eugenius II. in Concilio Romano 63. Episcoporum multa decreta edidit pro Ecclesiastica disciplina.

217. Leo IV. in concilio Romano 67. Episcoporum, Anastasium Cardinalem Sancti Marcelli deposuit.

218. Nicolaus I. in concilio primo Romano Episcopum Rauennatem, pessimum hominem, Ioannem dictum, damnauit. In secundo hæresim Orientalium Theopaschitarum renouantium abolitam hæresim, quòd Christus secundùm Diuinitatem passus sit.In tertio concilio acta conciliaboli Metensis reprobat, in causa repudij Theutpergæ Reginæ à Lothario Rege. In quarto damnat Zachariam Legatum suum malè officio functum in Oriente,& Photium, atque Gregorium Syracusanum Episcopum. In quinto reprobat Acta concilij Sylnactenensis in causa Rothaldi.In sexto Legatum suum Rodoaldum præuaricatorem repertum damnat, & ab Episcopatu Portuensi deponit. In septimo restituit suæ Ecclesiæ Suessionensi Rothaldum.

219. Adrianus II. in concilio Romano ter anathematizauit Photium Patriarcham Constantinopolitanum, & eius volumen contrà Nicolaum I. Romanum Pontificem igni adiudicauit.

220. Ioannes VIII. in concilio Romano primo, agit de electione noui Imperatoris. In secundo agit de modo restituendi Photium Patriarcham Constantinopolitanum ab Adriano II. depositum; ad quem finem Legatum misit ad concilium Constantinopolitanum. In tertio autem Rom. concilio 270. Episcoporum, damnauit Athanasium Episcopum, & Ducem Neapolis ob fœdus cum Saracenis.

221. Formosus in concilio Romano tractat de tollendo schismate Orientalium, & damnandis hæresibus inter eosdem exortis.

222. Ioannes IX. in concilio Rom. pro causa Formosi Papæ, statuit quomodo eligendus Romanus Pontifex ad vitandum tumultum, & seditionem populi.

223. Agapitus II. in concilio Romano confirmat duo concilia prouincialia, Engelheim, & Treuiren.

224. Ioannes XII. in concilio Romano declarat Leonem, Pseudopapam, & damnat conciliaboli Romani Acta, in quo fuerat intrusus.

225. Ioannes XIII. in concilio Romano quædam priuilegia Monasterio cuidam Sanctę Marię in Anglia, ad Regis petitionem concedit.

226. Benedictus VII. concilium Romanum

num congregauit ob cauſam Giſeleri Magdeburgenſis Epiſcopi.

227. Ioannes XV. in concilio Romano cauſam diſcutit Epiſcopi Pragenſis. In Secundo verò concilio tractat de Canonizatione S. Vdalrici Auguſtæ Epiſcopi. Cum 14. cardinalibus, & quinque Epiſcopis factum eſt hoc concilium.

228. Gregorius V. in concilio Romano ordinauit Conſtitutum, vt Imperator Romanorum, à ſeptem Electoribus, Germanis Principibus eligeretur, quos ibidem determinat.

229. Syluester II. Romanum concilium congregat pro cauſa Giſeleri Epiſcopi Magdeburgenſis.

230. Clemens II. in concilio Romano tractat de reformatione Eccleſiæ ob multos Simoniacos.

231. Leo IX. concilium Romanum ad eundem effectum congregat. In Secundo autem concilio damnauit hæreſim Berengarij circa Euchariſtiam. In Tertio acta eſt cauſa Gregorij Vercellenſis Epiſcopi de adulterio inceſtuoſo accuſati. Et factum eſt Conſtitutum de continentia Clericorum. In Quarto concilio actum eſt de Canonizatione S. Gerardi Leucorum Epiſcopi.

232. Victor II. in concilio Florentiæ habito iterum damnauit Berengarium, & fecit decretum de Bonis Eccleſiæ non alienandis.

233. Nicolaus II. in concilio Romano 113. Epiſcoporum iterum damnauit Berengarium bis relapſum. Et edidit conſtitutionem de electione Romani Pontificis. In alio Melfiæ in Apulia Tranenſem Epiſcopum depoſuit.

234. Alexander II. in Rom. concilio pluſquam centum Epiſcoporum damnauit Epiſcopum quendam de Simonia; & decretum ſtatuit contra Simoniacos. In Secundo concilio Rom. damnauit hæreſim Inceſtuoſorum; nempè eorum; qui dicebant, licita, & valida eſſe Matrimonia in gradibus prohibitis. In Tertio iterum Inceſtuoſi excommunicantur.

235. Gregorius VII. in concil. Primo Romano agit de reformando ſtatu Eccleſiæ. Idem tractat in Secundo Romano concilio. In Tertio excommunicauit Henricum Regem Germaniæ, & aliquot Epiſcopos. In Quarto excommunicauit alios plures Epiſcopos. In Quinto alij excommunicantur; & decreta multa pro reſtauranda Eccleſiæ diſciplina ſtatuuntur. Excommunicatus eſt Imperator Conſtantinopolitanus Nicephorus, quia tyrannicè occupauit Imperium. In Sexto recipitur ad pœnitentiam Berengarius ſæpè relapſus, præuia hæreſis abiuratione. In Septimo Regnum Germaniæ Henrico ablatum confertur Rodulpho. Et fit decretum, ne Beneficiorum inueſtituræ à Laicis accipiantur. In Octauo iterum excommunicatur Henricus, & Epiſcopi aliqui. In Nono actum eſt de conſtantia oſtendenda in tyrrannide Henrici Vrbem obſidentis. In Decimo Guibertus Antipapa, & Henricus fautor excommunicatione feriuntur.

237. Victor III. in concilio Capuano reaſſumpſit inſigna Pontificalia, quæ iam dimiſerat cum Papatu. In Beneuentano Guibertum cum fautoribus anathemate percuſſit.

237. Vrbanus II. in Rom. concilio 115. Epiſcop. omnia Acta Gregorij VII. & Victoris III. contra Guibertum, & Henricum Pſeudo imperatorem, alioſque Schiſmaticos confirmauit. In concilio Melphitano in Apulia, multa decreta pro diſciplina Eccleſiaſtica edidit. Duo concilia celebrauit Troiæ in Apulia, in quibus decreuit, coniungia conſanguineorum eſſe ſoluenda, quia nulla, & pro alijs Eccleſiæ neceſſitatibus. Aliud Beneuentanum, in quo Guibertum Antipapam, & complices excommunicauit. Aliud Placentinum, quod adeò numeroſum fuit, vt nulla Eccleſia eſſet capax multitudinis; ideò in campo celebratum. In eo cauſa Praxedis Reginæ ab Henrico ſeparatæ, &c. acta eſt. Damnata hæreſis Simoniacorum, & Nicolaitarum, ideſt incontinentium, & damnata rurſus hæreſis Berengarij. Statuti ſunt dies ieiuniorum quatuor temporum in determinatis temporibus. Item, nè Sacerdotes abſoluant Pœnitentes ſine Epiſcopi facultate, & cætera plura. Celebrauit etiam Claramontanum in Gallia, in quo 32. Canones de diſciplina confecit; & expeditio pro recuperatione Terræ ſanctæ tractata eſt. Idem fecit in concilio Turonenſi. In concilio Barenſi, Vrbanus, cùm agitata eſſet quæſtio cum Græcis per Anſelmum, An Spiritus procederet etiam à Filio? & argumentis validis viciſſet Anſelmus pro affirmatiua; ſententiam excommunicationis protulit contra ſentientes oppoſitum. In duobus Rom. concil. Guibertum, & ſequaces excommunicat, & Regi Anglorum citato inducias concedit.

238. Paſchalis II. in Concil. Rom. 1. iterum excommunicat Henricum Pſeudo imper. ob antiqua delicta Simoniæ, quia Beneficia vendebat, coniugia Sacerdotibus concedebat, & alia crimina patrabat. Alterum Florentiæ celebrauit 340. Epiſcop. contra Florentium Epiſc. Florentinum dicentem, iam natum eſſe Antichriſtum, quem tamquam leuem; & ignarum dimiſerunt. Ex præſentibus namque Eccleſiæ malis, id arguebat. In concilio Beneuentano ſtatuit, ne Beneficia Eccleſiaſtica de manibus Laicorum accipiantur. In concilio Rom. 2. 100. Epiſcop. abrogauit priuilegium, quod Henricus V. ab eo extorſerat de concedendis Beneficijs Eccleſiaſticis, & eum anathematizauit. In alio Beneuentano cauſam Monaſterij Caſſinenſis diſcuſſit. In Concilio Cyperano præter alia Guilielmum conſtituit Ducem Apuliæ, & Calabriæ. In concil. Rom. 3. confirmauit quæ fecerat in 2. & vt ſe purgaret de hereſi ſibi obiecta ab Henrico, docuit Romanam Sedem numquam huic labi ſubiacuiſſe, quia pro ea Chriſtus orauit, dicens: [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, &c.] In alio Romano cauſas duorum Monaſteriorum diſcuſſit.

239. Gelaſius II. In concil. Capuano excommunicauit Henricum Imper. & Burdinum Antipapam. In concilio Viennenſi, neſcitur quid actum ſit.

240. Caliſtus II. in concilio Rhemenſi damnauit quatuor errores, ſeu hæreſes Gilberti Porrectani. In Lateranenſi Generali I. 426. Patrum tractauit de recuperatione Ter-

ræ Sanctæ ; & de ineunda Pace. Ecclesiæ cum Imperio, & confirmauit omnia decreta Antecessorum. Egit quoque de inuestituris Ecclesiarum non faciendis à Laicis. Reconciliauit Henricum, cum quibusdam conditionibus, vt priuilegium inuestituratum relinqueret, &c. sed pro bono pacis, aliud simile, limitatum tamen in multis, & pro sua tantùm persona indulsit. In concil. Rom. particulari, quædam Cassinensis Monasterij resoluit. In alio Rom. confirmatur Pax cum Imperatore, & agitur de inuestituris à Laicis non faciendis. In concilio Tolosano per alios celebrauit, in quo Hæreticos quosdam Religiosos damnauit.

241. Honorius II. in Concilio Cretensi in Galijs suo mandato habito Militiam Templariorum erexit.

242. Innocent. II. in concil. Claromont. anacletum Pseudopapam damnauit. In Rhemensi iterum excommunicat eundem cum sequacibus. In Leodiensi idem fecit. Idem in Pisano. Idem in Stampen. In concil. 1. Later. Generali II. & in ordine Decimo mille Episc. damnauit Anacletum, & Victorem, Antipapas, & alios, qui ex parte Petri Leonis pro Anacleto stabant. In concil. Suessionensi per suum Legatum, Petrus Abailardus Monachus de hæresi damnatur, eò quòd tres Personas Diuinas, non proprietatibus, sed nominibus tantùm distinctas docebat; eiusque liber igni traditus est, nulla sibi concessa respondendi facultate. Et quia Abailardus appellauit ad Papam. Hic causam committit concilio Senonensi, vt audiat illum; sed illud etiam confirmauit sententiam: sed petit à Papa, vt ipse confirmet, qui suo rescripto damnationis sententiam confirmauit. In concilio Hierosolymitano per suum Legatum coacto errores quosdam Armeniorum damnauit.

243. Eugenius III. in concilio Vezeliaco in Burgundia, agit de expeditione contra Turcas, in quo Sancti Bernardi concione completa, Principes crucem accipiunt. In concilio Parisiensi damnauit alias propositiones Gilberti Porrectani Pictauien. Episc. idest Quòd Diuina essentia non est Deus. Quòd proprietates Personarum non essent ipsæ Personæ. Quòd Theologicè, Personæ, in nulla prædicantur propositione. Quòd diuina natura non sit incarnata. Quòd nullus homo meretur, præter Christum. Quòd nullus baptizatur, nisi saluandus. In concilio Rhemensi damnauit Hæreticum quandam, qui dicebat, se esse eum, per quem Deus faciebat omnia, & per quem concluditur omnis oratio per Dominum. nostrum, & sic se filium Dei iactabat. In concilio tandem Treuerensi cognouit de gestis, & virtutibus Sanctæ Virginis Hildegardis Abbatissæ viuentis, eique concessit, vt quæ sibi de donis accidebant, scriberet.

244. Alexander III. in concil. Claramont. anathematizauit Victorem 3. Antipapam, & Fridericum Imperator. eius fautorem. Idem fecit in concil. Turon. In concilio Venetico Alexander reconciliat sibi Imper. Fridericum; & Antipapam cum alijs à se ordinatis damnat. In tertio verò Generali Lateran. ordine 11. Episcoporum 300. damnat hæreses Catharorum, seu Vualdensium, vel Albigensium, nec non ordinationes factas ab Antipapis: & decreta multa pro Ecclesiæ ordinatione formauit.

45. Lucius III. in concilio Veronensi audiuit petitiones Imperatoris circa possessionem bonorum Dominæ Matildis, quæ Ecclesia Romana possidebat; nec non petitiones Schismaticorum; sed nihil est conclusum nolente Papa recedere à decreto Venetijs firmato.

246. Cælestinus III. in concil. Diuionensi per Legatum coacto, excommunicauit Philippum Franciæ Regem, ob repudium legitimæ vxoris. In Eboracensi Angliæ, per Legatum pariter Ecclesiam illam reformauit.

247. Innocent. III. in concil. Rom. Ottonem 4. Imperio deposuit, eo quòd Roman. Ecclesiæ inobediens, eius etiam ditiones surripiebat. In Later. Gener. 4. ordine 12. 400. Episc. & aliorum 800. Patrum Abbatum, &c. hæreses Almarici, & Albigentium, & errores Abbatis Ioachim damnauit. Decreta 20. pro disciplina edidit, & de expeditione Terræ sanctæ tractauit.

248. Honorius 3. per suum Legatum, in concilio Germanico Ecclesiam illam reformauit, maximè ob Simoniacos, & concubinatios.

249. Innocent, IV. in concilio Lugdun. General. 13. Episc. 140. Fridericum II. Imperiali corona priuauit, & per Principes eligi curauit Henricum Landtgrauium; & maximo studio expeditionem Terræ sanctæ promouit.

250. Clemens IV. per suum Legatum in concilio Vilnensi Ecclesiam illam reformauit.

251. Gregor. V. in concil. 2. Lugdun. Generali ordine 14. Episcop. 700. egit de expeditione Terræ sanctæ. Recepit Græcos ad Catholicam vnitatem reuertentes, literas nempè Imperatoris Michaëlis Palæologi, & alias Episcoporum totius Græciæ, cum Fidei professione: in primis, quòd Spiritus Sanctus ab vtroque procedit 2. cum detestatione omnium errorum Orientalium 3. cum confessione eorum, quæ credit Romana Ecclesia. Licèt statim à proposito recesserint, qua de causa, vt ex Notis illius concilij, à Martino Pontifice fuerunt excommunicat.

252. Bonifacius VIII. in concilio Rom. Philippum Pulchrum Galliæ Regem excommunicauit.

253. Clemens V. in concilio Moguntiæ per Archiepiscop. illom agit de causa Templariorum. In Viennensi Generàl. 15. Episc. 300. damnat hæreses Petri Ioannis, Fraticellorum, Dulcinistarum, Beguinarum, & Beguardorum; & alia decreta pro disciplina Ecclesiastica statuit, quæ in Clementinis continentur. Vindicauit Bonifacium 8. à calumnijs Philippi Galliæ Regis: & tractauit de expeditione Terræ sanctæ:

254. Ioannes dictus 22. per suum Legatum in concilio, dicto Sabinensi Palentinæ diœcesis, multa decreta sanciuit pro reformatione illius Ecclesiæ. In concilio Aueniononensi, vbi ipse interfuit, damnauit Petrum Corbarium Antipapam, dictum Nicolaum V. in Schismate 21. per Ludouicum Bauarum intrusum: & errorem Corbarij de pauperta-

te

æ Christi; dicebat enim eum, neque in communi, neque in particulari aliquid possedisse.

255. Martinus V. in 16. concilio Gener. Constantiensi 450. Episcoporum à Ioanne XXIII. ob Schismaticum Papam tollendum, & ad hæreses quasdam damnandas congregato, electus Pontifex circa finem concilij, nempè Sess. 41. per constitutionem specialem, quæ habetur post concilium, damnauit 45. errores, seu hæreses Ioannis Vuicleff. & alios 30. Ioannis Huss, nec non hæreses cuiusdam fratris Ioannis Falckenberg, & Hieron. de Praga. Idem in absolutione concilij approbauit, & confirmauit omnia decreta Fidei in eo concilio conciliariter facta; & decreta multa pro beneficialibus, & disciplina Ecclesiastica.

256. Eugenius IV. in concilio Florent. Generali 17. Episcop. 141. præsentibus Gregorum Imper. & Patriarcha Constantinopol. hæreses multas Græcorum, Armeniorum, &c. damnauit, & Fidei decreta multa de Sacramentis, de Purgatorio, de Processione Spiritus Sancti ab vtroque, & de Papæ primatu: atque successione in tota authoritate S. Petri, formauit.

257. Leo X. in concilio Lateran. V. Gener. 18. inchoato à Iulio II. Episc. 114. multas constitutiones edidit pro reformatione Ecclesiæ, tam in capite, quàm in membris: conciliabulum Pisanum reprobauit, & concilium Basileense nullius valoris esse, pronunciauit. Damnauit hæresim de animæ mortalitate, & quòd sit vna in omnibus hominibus. Quod concilium confirmauit, const. 17. Constituti.

258. Clemens VII. in concilio Ratisbonæ, per Legatum suum habito, multis, sanctisque decretis, Germaniæ Clerum reformauit.

259. Tandem sub Paulo 3. Iulio 3. Marcello 2. & Paulo 5. celebratum est concilium Tridentinum; in quo hæreses Lutheri, Caluini, & aliorum Sectariorum damnatæ sunt: multa Fidei decreta sancita, & antiqua confirmata, multa pariter morum decreta, renouata, & confirmata.

260. Ex quibus habes primò, quòd Romanus Pontifex, cui Ecclesia vniuersalis commissa est, grauia Ecclesiæ negotia, tam circa Fidem, quàm circa mores frequentissimè, in concilijs, siue Generalibus, siue Prouincialibus discutienda proposuit; deindè super eis decreta formauit. Ex infrà autem dicendis, patebit, quòd ipse etiam absque formalibus concilijs, sed non absque Cardinalium, atque Doctorum tam in Sacra Theologia, quàm in sacris Canonibus, consilio, consimilia negotia Fidei, & morum digesserit, atque decideret.

261. Habes 2. quòd ex tempore Ioannis 22. dicti, nempè ex anno 1328. circiter, Romani Pontifices concilia Prouincialia non celebrarunt; sed, Cardinalium, & Doctorum consilio in doctrinarum, & traditionum conquisitione vsi sunt, vt infrà videbimus; & sic Ioann. XV. in concilio 14. Cardinal. & 5. Episcoporum fecisse notauimus, n. 522. Hæ siquidem Congregationes concilia quædam sunt; & Leo 3. cum 7. Cardinalibus, & tribus Episcopis fecit concilium Vuerdæ, infrà, n. 302. Nec vmquam sine illis grauia eiusmodi negotia, siue Fidei, siue morum, tractari solent; Testimonium de hoc perhibent omnes Constitutiones, aliaque diplomata, seu Breuia, in quibus definitiones, seu decisiones eiusmodi, Ecclesiæ proposita hucusque sunt, semper enim in eis fit mentio, & eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum, aut etiam Canonistarum. Testis de visu ego ipse sum, qui per annos 15. pro his negotijs in librorum tantùm delatione, (cùm ad alia ineptus sim) fideliter, & libenter ob solam Dei gloriam, & Ecclesiæ Sanctæ incolumitatem, & exaltationem inseruio.

ARTICVLVS V.

An sine aliquo concilio, saltem Synodali, Papa possit decreta Fidei facere, & Ecclesiæ proponere?

262. Ad. ex dictis in præcedenti, Romanos Pontifices sæpenumero in definiendis rebus Fidei, & morum, nec non & disciplinæ, concilia adhibuisse, vel Prouincialia, vel Synodalia; & talia decreta Fidei, credenda fidelibus proposuisse. Videndum modò est, An possit eadem decreta Fidei efficere absque concilio Episcoporum, & ea credenda proponere? aut de Congregationibus Virorum doctorum, dicam in sequenti. Istius dubij decisio ex facto, & iure haberi potest. Ideò non tædeat legere prius, quæ ex factis collegi. Deindè argumenta de iure adducam. Nota tamen, quòd non omnia decreta, & sancita à Romanis Pontificibus, quæ ego hic refero, sunt obiecta fidei diuinæ; sed ea adduxi, vt pateat, quòd omnia siuè agenda, siuè non siuè etiam credenda, potest Papa solus sine concilijs definire validè; etsi non licitè sine Doctorum consilio, vt in sequenti articulo dicam.

263. Dico 1. Romanus Pontifex sæpè sine Episcoporum Concilio decreta fidei, morum, ac disciplinæ confecit, & Ecclesiæ proposuit, respectiuè credenda, & obseruanda.

264. Prob. 1. ex factis Petri. Is enim in duabus Canonicis Epistolis multa credenda; & alia agenda proposuit absque Episcoporum Concilio. quæ autem ea sint, in illis Epistolis legantur: omnia autem in ijs dicta, sunt de fide. In Epist. 1. cap. 2. docet obedientiam præstandam Superioribus, non solùm propter iram, idest propter vindictam, sed propter conscientiam. In cap. 3. mulieres esse viris subditas, &c. In 2. Epist. cap. 3. docet combustionem mundi ante iudicium, & cœtera multa. Et vno verbo dicam: omnia ibidem scripta, cùm ex suggestione Spiritus Sancti scripta sint, obiecta fidei sunt.

265. Confir. ex dictis de Traditionibus. Pleraque enim, quæ Ecclesia Romana tenet non scripta in Euangelio; ex Petri decretis habet, vt dicit Clemens I. Epist. 1. Sed quia respondetur, quòd Petrus est Scriptor Canoni-

nicus, adeòque non conoumcrandus pro hac materia inter alios. Ideò

266. Probatur ex praxi Sedis Apostolicæ, seù Romani Pontificis, solitariè, & sine concilio definientis dubia fidei, cuius decreta, vt fidei obiecta recepta fuere semper in Ecclesia, & sunt de rebus, quæ explicitè non erant reuelatæ.

267. Omnes Romani Pontifices vsque ad Syluestrum sine coocilio Generali decreta fidei, vel disciplinæ, fecerunt, & Ecclesiæ credeoda, vel ageoda proposuerunt. Ergo. Antecedens prob. Clemens ex Epist. 2. & 3. decret. decernit, quænam sint Sacerdotis, ac Diaconi officia, ex auditu, & iostructione S. Petri. Anacletus io Epist. 2. decernit à tribus ordinari debere Episcopum. Alexander I. in Epist. 1. decret. decernit, vinum aqua mixtum offerendum in Sacrificio; & mysterium Trinitatis io Vnitate, decreto suo explicitè declarat, immò in fine dicit: [Ideò fidei regulas iuxta huius Epistolæ finem posuimus, vt in eius confessione fideliter perseueremus, & Domino auxiliante bonam fidem habere mereamur.] Sixtus I. in Epistola 1. Patrem ingenitum credendum esse decernit; & quòd dubius io fide est infidelis. Hyginus Epistola 1. decret. decernit Filium Dei, & ex se, & à Patre missum venisse, nedum secundùm Deitatem, sed secundùm humanitatem. Pius I. ex Notis in Epist. 1. §. Cauete, Aquilam Pooticum ob Astrologiam iudiciariam &c. ab Ecclesia eiecit Tomo 1. Concil. ex Epist. 3. Cherinthianos damnat, eorumque doctrinam; & Pascha in Dominica celebrandam definit.

268. Eleutherius Marcionem, & Valentinum Romæ degentes, & relapsos anathemate percutit, ex vita eius Tom. 1. Concilior. à Lùcio Britaonorum Rege rogatur, vt ad fidem Christi fundandam in suo Regoo mittar; quod & fecit, mittendo Donatianum, & Fugatium, ibid. ex Notis in Epist. decret. eius. Damnat omnes Montani superstitiones, delectum eiborum ipsius, ieiunia, Prophetias, &c.

269. Zephirinus damoauit hæreses Cataphrygarum, Marcionistarum, Praxeæ, Sabellij, & Valentiniaui, & authores, ita ex Notis io eius vita. Ità Hieron. de Scriptur. Eccles. io Caio, & Euseb. libro 6. hist. cap. 14. Idem damnauit hæresim Montani, quòd lapsi à fide, neque per pœnitentiam sint percipiendi. Damnauit etiam hæreses Tertulliani. Ex Baronio Tomo 2. an. 216.

270. Fabiaous damnauit hæreses Helcesaitarum, & Vallesiorum, de immortalitate animæ, ex Notis in eius vita.

271. Stephanus I. damoauit hæresim de rebaptizatione baptizatorum ab Hæreticis, cum vera forma, ex Notis io vita eius.

272. Victor I. excommunicauit Theodorum Byzaotium dicentem, Christum esse purum hominem, ex Notis in vita eius, Tomo 1. Concil.

273. Dionysius mandat Concilio Aotiocheno 2. vt damnet Paulum Samosateoum Sabellij discipulum, eiusque hæresim, ex vita eius.

274. Felix I. damnat hæresim negantem Filij diuinitatem, & aliam negaotem duas naturas in Christo, & præcipit Maximo Alexandrioo Episcopo, vt harum fautores persequatur. In Epist. 3. damnat seotentiam dicentem Christum oon videre Deum.

275. Eutychianus in Epist. decret. decreuit Christum verum Deum, & verum hominem io vnitate personæ extitisse.

276. Marcellinus Epist. decret. 1. decernit esse hæresim dicere, Patrem esse filio maiorem in diuinitate.

277. Marcellus I. in Epist. decret. statuit Romaoam Ecclesiam ex Dei authoritate esse omnium Primam, & Supremam, sicut Aoacletus, & ipse Clemens Primus declarauerant.

278. Melchiades in Epist. decret. 1. declarat Baptismum esse Sacramentum maius Coofirmatione, & à quolibet adulto confirmationem esse suscipiendam; quòd si morte præuentus quis oon suscipiat, adhuc saluatur.

279. Marcus in Epist. ad Episcop. Ægypti, declarauit, Ecclesiam Romanam errare non posse.

280. Felix II. damnauit vt hæreticos, Vrsacium, Valentem, & ipsum Constantium Imperatorem.

181. Siricius Manichæos damnat; & præscribit signa, quibus discerni possunt, & seuerè ipsos puniri curat. Idem Epist. 2. damnat hæresim Iouioiani dicentis, Sacras Virgines posse, ac debere nubere: & ab Ambrosio in Epist. ad Siricium mirificè commendatur de hac damoatione, ex Notis vitæ Siricij.

282. Damasus Epist. 1. decret. definiuit, Verbum Diuinum, integram hominis naturam suscepisse contra Apollinarem diceotem, animam non assumpsisse, sed Verbum, animæ officio functum esse. In seq. Epist. damnat hanc sententiam, vt hæreticam. Alias hæreses Macedonij, Eunomij, & Photini damnauit in Tertio Romaoo Concilio, vt in præced. art. patuit. Alias hæreses præsertim Nestorij damnauit io suo Romano Coocilio, vt in præcedenti articulo dixi.

283. Anastasius I. damnat hæreses Origenis, olim etiam io Concilio Alexandrino damnatas (sed sine robore authoritatis infallibilis), & per literas Encyclicas totum Orbem de harum damnatione facit certiorem: Rufinum Origenistam, sæpè vocatum, venire renuentem, damnat, ex Notis vitæ.

284. Innocentius I. damnauit hæresim Pelagij, Cælestij, & Vigilantij io Epist. 24. 25. & 26. & ipsos Authores. Et liceat mihi pro hac vice damnationis seoteotiam hic adducere, quia notabilis est; & ad rem valdè faciens. Io epist. 25. sic senteotiat: [Quare Pelagium, Cælestiumque, idest inuentores vocum nouarum, Ecclesiastica communione priuari, Apostolici vigoris authoritate censemus, donec resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, &c. Et infrà: Simul autem præcipimus, vt quicunque id pertinacia simili defensare nitootur, par vindicta contingat.

285. Zosimus damoauit Cælestium eiusque hæresim; & fautores Pelagij ex Clero Romano, vt rebelles condemnauit; in Notis vitæ.

286. Cælestinus I. in epist. decret. 1. multos Canones de fide edidit, de Gratia, & Libe-

Libero arbitrio. Primò, quòd Adam omnes læserit,& nullus per solum liberum arbitrium surgere valeat, nisi illud sit adiutum diuina gratia. Secundò, quòd nemo sit bonus suis solis viribus, sed participatione eius, qui solus est bonus. Tertiò, quòd nisi gratia Dei continua inuaremus, insidias Diaboli vitare non possemus. Quartò, quòd per Christum, libero benè vtimur arbitrio. Quintò, quòd omnia Sanctorum merita dona sunt Dei. Sextò, quòd omnis sancta cogitatio, & motus piæ voluntatis, ex Deo sunt. Septimò, quòd gratia Dei non solùm peccata dimittit; sed etiam adiuuat, ne committantur; & præstat, vt Lex non tantùm faciliùs, sed vt absolutè impleatur. Hæresim verò Nestorij in suo Concilio Romano damnauit, vt in præced. dixi; & damnationem Concilio Ephesino per Cyrillum Legatum, ac præsidem suum significauit, ac præfiniuit, vt idem ab eis Patribus fieret, ac subscriberetur; quod & factum est.

287. Sixtus Tertius confirmauit concilium Ephesinum, ex Notis vitæ eius, initio.

288. Leo Primus in epist. 10. [ad Flauianum Patriarcham Constantinopolitanum] damnat sententiam Archimandritæ Eutychetis de confusione naturarum in Christo, vt hæreticam. Immò, vt dixi de decret. concilij Generalis, hæc Epistola in concilio Chalcedonensi ante omnia Patribus fuit perlecta, vt ex Act. 2. & tanquam fidei decretum, à toto concillo fuit recepta, eique omnes Patres 630. subscripserunt, & conquæsti sunt, quòd in Ephesino Secundo Latrociniali concilio, non fuerit lecta; quodque malignitate Hæretici Dioscori id acciderit. Et Constit. vnica. confirmat concilium Calcedonense.

289. Simplicius libellum fidei pro Eutychianis confecit; & pœnitentiam ab eis ad Catholicam Ecclesiam venientibus præscripsit, ex Notis vitæ.

290. Gelasius, ex notis vitæ eius, quinque libros contra hæreses Nestorij & Eutychetis edidit; & Apologiam contra Andronicum Senatorem, aliosque Romanos, qua Lupercalia damnauit. Et contra Manichæos, & Cherinthianos, qui vinum à Deo creatum negabant, sed à Dæmone factum: statuit, vt pro eo tempore omnes Christiani vtriusque sexus communicarent sub vtraque specie. Et Constitut. vnica. Definit Potestatem Romani Pontificis, in damnandis hæresibus, & retractandis concilijs malè actis.

291. Hormisda epistola 70. Fausti Galli Episcopi libros de Gratia, & Libero arbitrio, vt hæreticos damnat; & dicit Romanam Ecclesiam sequi doctrinam S. Augustini in materia de Gratia, & Libero Arbitrio, maximè in ijs libris, quos scribit ad Hilarium & Prosperum. In epist. 79. præfinit formulam Professionis Fidei pro Orientalibus, & omnibus; quomodo loquendum de Trinitate, & Incarnatione; quam declarat neminem transgredi posse sine damnatione.

292. Felix tertius dictus quartus, vt habetur in notis concilij Arausicani secundi Verbo Canones. Rogatus ab Episcopis Gallis pugnantibus cum Semipelagianis Massiliensibus in materia de Gratia, & Libero arbitrio, vt eos doceret de sua, seù Sedis Apostolicæ sententia, misit ad eos 24. decreta quot nempè sunt Canones illius Concilij Arausicani, qui quidem omnes sunt dogmatici, & existimantur ijdem prorsùs esse, qui comprehenduntur in epist. 1. Cælestini Primi damnantis Pelagium, eiusque errores.

293. Ioannes II. in epistola 3. cum exacta, ac distincta formula declarauit, atque decreuit, quomodo loquendum de communione idiomatum Christi Domini; quomodo loquendum de communione idiomatum Christi Domini; quomodo vnus de Trinitate increata, factus est homo; quomodo in Deitate passus non sit & quomodo Deus in carne sit passus; & alia multa.

294. Agapitus epist. 5. contra Antimum Episcopū Trapezuntium decreuit, ac definiuit vtramque naturam in Christo perfectam fuisse.

195. Vigilius in suo Constituto sexaginta capita dogmatica solus decernit contra 60. hæreses, vt dixi in præcedentibus, estque in fine Concilij Generalis quinti. Et hoc modo concilium illud finem sortitum est; damnauit enim nouitates quasdam Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Acephalorum, & aliorum; eas maximè, quæ in libris Theodori, atque Ibæ, & Theodoreti contra Cyrillum continebantur. Hæc enim sunt illa tria Capitula adeò decantata.

296. Pelagius I. in epist. 16. præscribit formulam Fidei pro Childeberto Franciæ Rege. Et in epist. 14. fidei suæ Professionem recitat, eamque omnibus fidelibus præscribit. In qua vnum adnotatione dignum est, quo obiectioni cuidam tacitæ detrectantium Sedis Apostolicæ infallibilitatem. Posset enim Hæreticus dicere: verum est, quòd, & præfati, & alij multi Papæ decreta multa in materijs fidei fecerunt, at ex hoc non sequitur, quòd sunt obiecta fidei diuinæ. Nam Pelagius in epist. 14. dicit, se recipere, ac profiteri decreta Pontificum Prædecessorum, quos nominatim adducit, [sicut fidem Nicænam, & aliorum Conciliorum,] & damnare, quos illi damnarunt. Quid clarius?

297. Benedictus I. in epist. vn. decret. definit, Summam Trinitatem vnitatem esse.

298. Pelagius II. constitut. 11. damnat Conciliabulum Constantinopolitanum, & Ioannem Episcopum eius Vrbis, vniuersalis Ecclesiæ Episcopi sibi nomen vsurpantis.

299. Gregorius I. damnauit Eutychium Episcopum Constantinopolitanum, negantem identitatem carnis in resurrectione; seù resurrectionem ipsam. Aliaque omnia ad disciplinam Ecclesiasticam abundè decreuit; neque ea in Concilijs fecisse legitur. In tribus enim Romanis Concilijs, vt in suo loco diximus, alia tractauit.

300. Leo II. habita relatione sexti Concilij contrà Monothelitas, decretum illius confirmat, & ad omnes Episcopos transmittit, vt illud subscribant, ex Epist. 2. 4. & 5.

301. Benedictus II. monet Episcopos Hispaniæ, vt declarent, quomodo intelligant, in Christo esse tres substantias; nè fortè putarent adesse tres voluntates, diuinam, humanam rationalem, & sensualem.

302. Zacharias ab Optimatibus Franciæ rogatus, Chilpericum Regem Ignauum, ac desidem per Moguntiæ Episcopum Regno

priua-

priuauit, & Pipinum suffecit, ex notis vitæ eius. Hic idem Papa concessit Francorum Regi facultatem nominandi Episcopos eius Regni; vt ipsius salubri gubernio consuleret. Ibidem.

303. Stephanus IV. Epist. 11. seuerè corripit Carolum, & Carolum Magnum Francorum Reges, quòd relictis suis coniugibus, cùm alijs tentarint contrahere; quod prohibet sub pœna anathematis.

304. Adrianus I. sua epistola missa ad Concilium Nicœnum 2. & habetur in eo act. 2. damnauit hæresim Iconoclastarum, definiens, Imagines esse pingendas, & venerandas. Qua lecta in Concilio, [Sancta Synodus dixit: Vniuersa Synodus ita credit, & sic docet.] Et iterum: [Sancta Synodus dixit: Sequimur, recipimus, & probamus.] Et sic patet, quòd ipsum decretum, vt fidei obiectum recepit. Idem Pontifex, ex notis Concilij Francfordiensis tom. 3. Concil. par. 1, in fine in admonitione Surij, interrogatus à Carolo Magno, quid sentiret de doctrina Elipandi Archiepiscopi Toletani, & Felicis Vrgelitani dicentium Christum, vt hominem, esse Filium Dei adoptiuum, eam damnauit, vt hæreticam.

305. Leo III. cum Concilio 7. Cardinalium, & 3. Episcoporum werdæ in Germania prima vice, vt notaui, solemniter canonizauit sanctum Suibertum presbyterum, anno 804. ex Baronio tom. 9. & ex Surio tom. 2. prima Martij.

306. Nicolaus I. epist. 1. anathema dicit ijs, qui Christum non in sola humanitate, sed etiam in diuinitate passum dixerint. In Decreto autem generali tit. de Romana Ecclesia cap. 9. sic decernit: [Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, decreta pro catholica fide, vel Ecclesiastica disciplina contempserit; Anathema sit. Et in tit. de Rom. Pontif. cap. 2. in fine, ait: [Si sententiæ aliorum, ex Sedis Apostolicæ confirmatione habent firmitatem; quantò magis decretum eius de fide &c.]

307. Ioannes VIII. reprobauit acta cuiusdam Constantinopolitani Concilij excepta Photij restitutione, quam ipse præceperat. Et sic etiam sententiam de processione Spiritus sancti à Patre tantùm, ab eo conciliabulo decretam ex tom. 3. Concil. par. 2. in fine vitæ Ioannis, 5. conciliabulum &c. 5. reprobatum.

308. Alexander II. approbat regulam Monachorum Eremitarum Camaldulensium, Const. vnica.

309. Vrbanus II. approbat regulam Congregationis Monachorum Vallisumbrosæ, ex const. vnica.

310. Paschalis II. canonizauit sanctum Petrum Anagniæ Episcopum constit. 3. sed veriùs illud decretum est indultum beatificationis.

311. Innocentius II. const. vnica, canonizauit S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum.

312. Eugenius III. canonizauit S. Henricum Primum, Imperatorem, constit. 1.

313. Alexander III. canonizauit sanctum Eduardum Regem Angliæ, const. 1. & S. Bernardum Abbatem, const. 2. necnon S. Thomam Cantuariensem, const. 4. Approbauit regulam Cartusianorum, const. 7. Cùm nos.

314. Cœlestinus III. constit. 1. canonizat S. Vbaldum Eugubinum Episcopum: & const. 2. S. Ioannem Gualbertum. Approbat regulam Monachorum Montis Virginis.

315. Innocentius III. approbat regulam Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum, constit. 1. Canonizat S. Homobonum, constit. 5. quia pietas. Damnat constitutum Henrici Imperatoris Constantinopolitani contrà libertatem Ecclesiasticam.

316. Honorius III. approbat regulam S. Dominici const. 2. religiosam, & regulam Ordinis Minorum S. Francisci, const. 5. Solet annuere. Canonizat S. Laurentium Episcopum Dublinensem, const. 7. ineffabilis. Approbat etiam regulam Ordinis Carmelitarum, const. 8. vt viuendi.

317. Gregorius IX. ex Eymerico par. 2. quæst. 14. damnat hæreses Valdensium, seù Pauperum de Lugduno cum suis auctoribus. Hæreses autem ab eodem Eymerico ibi relatæ sunt 20. Et ex cap. excommunicamus li. 2. de hæreticis damnat Catharos, Patarenos, Passagninos, Iosеppinos, Arnaldistas, Speronistas &c. Canonizat S. Franciscum constit. 2. Mira. & S. Antonium de Padua, const. 4. Cùm dicat, item S. Dominicum, const. 8. Fons Sapientiæ. Approbat regulam fratrum B. Mariæ de Mercede, const. 9. deuotionis. Approbat Stigmata S. Francisci, constit. 12. confiteor. Canonizat pariter S. Elisabeth Viduam, constit. 11. Gloriosus. Mittit ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum decretum primatus S. Romanæ Ecclesiæ, const. 14. Fraternitatis.

318. Innocentius IV. damnat, & deponit Fridericum II. Imperatorem, const. 4. Ad Apostolicæ. Statuit pœnas contrà hæreticos, fautores &c. const. 9. Ad extirpanda, per capita 38. Canonizat sanctum Petrum Veronensem, const. 11. Magna. Approbat regulam S. Claræ, const. 12. Solet. Canonizat sanctum Stanislaum Episcopum Cracouiensem, constit. 13. Olim. & S. Edmundum Cantuariæ Archiepiscopum, constit. 21. Nouum.

319. Alexander IV. constit. 3. Clara, canonizat sanctam Claram. Damnat librum de periculis nouissimorum temporum multas hæreses continentem, constit. 8. Romanus. Idem damnauit 21. hæreses nouas Ioannis de Parma Monachi, contentas in libro, prætitulato Euangelium æternum.

320. Vrbanus IV. instituit festiuitatem Corporis Christi pro certa die, constit. 1. Canonizat S. Riccardum Episcopum Cicestrensem, const. 3. exultet.

321. Clemens IV. canonizat S. Heduigem Poloniæ Ducissam, constit. 9. exultat.

322. Martinus II. dictus IV. anathemate damnat Michaelem Palæologum ab Ecclesia Romana discedentem, constit. vnica.

323. Bonifacius VIII. Extra vnam sanctam de maiorit. & obed. definit esse omninò de necessitate salutis omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici. Canonizat sanctum Ludouicum Galliæ Regem, constit. 6. Gloria.

324. Benedictus X. approbat regulam Fratrum Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ.

325. Cle-

325. Clemens V. constit. 3. Ad prouidam, damnat Militiam Templariorum, sed hoc in Concilio Viennensi factum videtur. Canonizat S. Petrum Moronum Cœlestinum V. const. 4. Qui fecit magna.

326. Ioannes XXI. dictus XXII. pluries, & plures nouas hæreses damnauit. Primò in extrà com. vas electionis de heret. damnat has doctrinas: Quod confessi Fratribus facultatem babentibus, teneantur iterum suo parocho confiteri. Secundò, quòd stante decreto, omnis vtriusque sexus, Papa non potest eximere fideles, quin suo Parocho confiteantur. Tertiò, quòd Papa, imò nec Deus potest concedere hanc generalem facultatem, vt fideles possint alteri quoque parocho confiteri; quas propositiones docebat Ioannes de Peliaco Doctor Parisiensis. Secundò, Extra Ioan. 22. Cùm inter nonnullos, de verb. signifieat. damnat istas: Quòd Christus, & Apostoli nihil posséderunt, nec in communi, nec in particulari. Secundò, eorum, quæ ex scriptura habuisse leguntur, potestatem non habebant alienandi. Hæc docebant fratres quidam ex nostris indocti, & indiscreti. Tertiò, Extra. Quia quorumdam, de Verb. signific. damnat, vt hæresim, sententiam dicentem, quòd in ijs, quæ Christus, & Apostoli habuisse leguntur, nullum ius habebant, sed tantùm vsum facti. Quartò, idem const. 3. Gloriosam, damnat hæreses quasdam nouas num. 55. Bizoccorum, Beguinorum, Fraticellorum, & Pseudofratrum sancti Francisci, præter eas, quæ damnatæ fuerant in Concilio Viennensi. Et ex Eymerico in direct. p. 2. quæst. 9. damnauit 20. hæreses Petri Ioannis, ab eo relatas, & etiam Fr. Michaelis de Cæsena. Idem canonizauit sanctum Ludouicum Episcopum Tolosanum, constit. 2. S. Thomam Episcopum Herfordiensem, constit. 7. vnigenitus, & S. Thomam Aquinatem, constit. 11. redemptionem. Approbauit regulam Monachorum Montis Oliueti.

327. Benedictus XI. aliàs XII. constit. 4. damnauit, vt hæresim, doctrinam dicentem, animas etiam innocentes, & purgatas ab omni reatu culpæ, & pœnæ non visuras Deum, vsque ad diem iudicij, & aliam, quòd in die iudicij non comparebunt omnes homines; & quòd visio Dei post iudicium non erit æterna &c.

328. Clemens VI. canonizauit sanctum Iuonem presbyterum Gallum.

329. Gregorius XI. ex Eymetico par. 2. direct. quæst. 9. damnauit 100. hæreses Raymundi Lulli Catalauni Mercatoris, quas ibi refert. Prima est, quòd Deus habet multas essentias. Vltima, quòd Deus ei concessit veram doctrinam ad illuminandum illud sæculum, & potestatem ad euellendos omnes mundi errores. Damnauit pariter viginti eiusdem volumina, ex eodem Eymerico quæstione 26. Damnauit etiam 22. hæreses Almarici ibi relatas, & alias Arnaldi de Villa noua.

300. Honorius IV. ex constit. 1. damnauit sectam quamdam Pseudo Apostolorum. Hi erant Geraldus, ac Dulcinus cum sequacibus; eorum hæreses damnatæ ab eodem pontifice, ex eodem Eymerico par. 2. q. 11. erant 20.

331. Sixtus IV. constit. 17. Licet: damnauit sex propositiones Petri de Osma contrà Sacramentum pœnitentiæ. Prima, quòd confessio peccatorum est iuris Ecclesiastici tantùm, non Diuini. Secunda, peccata mortalia quo ad culpam, & pœnam alterius sæculi sola contritione deleri, absque confessione; prauas verò cogitationes sola displicentia deleri. Tertia, non exigi, quòd confessio sit secreta. Quarta, non peracta pœnitentia pœnitentem absolui non posse. Quinta, Romanum Pontificem pœnam Purgatorij remittere non posse; neque dispensare posse in decretis Ecclesiasticis. Sexta, Sacramentum pœnitentię quo ad collationem gratiæ esse iuris naturæ, non verò legis nouæ, aut Veteris. Canonizauit S. Bonauenturam. Approbauit regulam sancti Francisci de Paula, constit. 5. Sedes, sub titulo Eremitarum; deindè Iulius II. constit. 10. Dudum, sub titulo Religionis. Idem Sixtus IV. Extra. Cùm præexcelsæ, de Reliqu. & Veuerat. Sanct. approbauit Officium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ, & concessit Indulgentias ijs, qui Missæ, & Officio interessent, etiam per octauas, sicut pro octaua Corporis Christi concessit Vrbanus IV.

332 Leo X. Const. 20. Pastor, damnat Pragmaticam sanctionem editam in Gallia, qua Sedi Apostolicæ iniuriæ graues inferebantur. Const. 35. excelsas, canonizat Sanctum Franciscum de Paula. Const. 4. exurge. damnat 41. hæreses Lutheri. Const. 41. decet. anathematizat Lutherum, eiusque sequaces. Const. 42. inter cetera. approbat regulam Tertij Ordinis S. Francisci.

333 Clemens VII. approbat regulam Clericorum Regularium, Const. 11. exponi. Canonizat S. Antoninum Archiepiscopum Florentiæ, constit. 1. approbat regulam Capuccinorum, const. 21. religionis.

334 Paulus III. const. 7. eius. Henricum Octauum Angliæ Regem cum suis adhærentibus in erroribus; anathemate perculit, erroresque damnauit. Approbauit regulam Patrum Societatis Iesu, const. 25. regimini.

335 Pius IV. const. 73. Benedictus. confirmauit Conc. Tridentinum. Et constit. 88. præscribit formulam professionis fidei emittendæ à quolibet promoto ad gradus, & dignitates Ecclesiasticas.

336 Pius V. constit. 143. licet. approbat regulam Fratrum Ioannis Dei. Damnat 75. propositiones Michaelis Baij, quam damnationem Gregorius XIII. publicauit. Constit. quæ incipit: Prouisionis nostræ.

337 Gregorius XIII. const. 33. præscribit formulam professionis fidei à Græcis emittendæ. Approbat institutum congregationis de Oratorio nuncupatæ, const. 101. copiosus.

338 Sixtus V. constit. 17. cœli. damnat Astrologiam iudiciariam, & eius vsum, & alias diuinationes similes. Const. 25. ex omnibus. approbat religionem ministrantium infirmis. Const. 82. canonizat S. Didacum.

339 Clemens VIII. const. 87. Sanctissimus. damnauit sententiam docentem confessionem factam absenti in scripto esse validam. Const. 34. Ritus Græcorum in aliquibus approbat, in alijs reprobat. Canonizat S. Hiacynthum Polonum, constit. 27. Benedictus; & S. Raymundum, const. 77. approbat indicem librorum

rum prohibitorum iuxta Decretum Concilij Tridentini factum, conft. 36. Sacrosanctum. In constit. cùm Sacrorum quæ initio Bibliorum est apposita, approbat Biblia iam emendatam, & sacram Scripturam in eo codice sic correcto Ecclesiæ ad credendum proponit.

340 Paulus V. conft.45. cęlestis. canonizat S. Franciscam; & constit.67. Vnigenitus. S. Carolum. Conft. 105. prohibet sub pœnis, ne in actibus publicis asseratur, B. Mariam Virginem conceptam fuisse cum peccato Originali. Multa statuit circa actus externos à catholicis non faciendos in Anglia, tamquam signa protestatiua fidei falsæ: quæ reperies in libro contra Regem Angliæ, à Bellarmino composito.

341 Gregorius XV. conft. 13. æterni. præscribit formam eligendi Romanum Pontificem, aliqua instaurans, alia reformans de alijs constitutionibus pro hac materia factis à Symmacho, Nicolao II. Alexandro III. Gregorio X. & Clemente V. Et cœremonialia pro ea ritè facienda confecit, ex constit. 19. decet Romanum. Canonizat S. Theresiam, conft. 20. Omnipotens; & constit. 29. Sanctissimus. statuit, vt nemo, neque publicè, neque priuatè; nec in sermonibus, nec in scriptis asserere possit, B. Virginem conceptam fuisse cum Originali; at, quòd non intendebat præiudicium inferre sententiæ contrariæ. Et in sequenti declaratione concedit Fratribus Ordinis Prædicatorum, vt iuret se tantùm, & non cum alijs possit tractare, an Beata Virgo fuerit concepta cum Originali? Alios canonizat S. Philippum Nerium, S. Ignatium Loiolam, S. Franciscum Xauerium; & horum constitutiones Vrbanus VIII. confecit, quia Gregorius morte fuit præuentus.

342 Vrbanus VIII. conft. 164. Vniuersa. præscribit, & præcipit, quæ festa de præcepto sint obseruanda. In constitutione, quę incipit: in eminenti. data Pridie Nonas Martij 1641. confirmat constit. Pij V. publicatam à Gregorio XIII. in qua damnantur 75. propositiones respectiuè vt hæreticæ, erroneæ, suspectę, temerariç &c. & sic ab omni Ecclesia tenendas pręcipit; in qua paritèr constitutione libros multos prohibuit, inter quos Volumen Cornelij Iansenij, aliosque de Auxilijs, &c. tractantes.

343 Innocentius X. conft. 31. cum occasione. rogatus ab 80. & pluribus Galliç Episcopis, vt ipse testatur, vt definiret, ac declararet, an quinque propositiones ex libro Iansenij decerptę, essent catholicæ, vel hęreticę? matura discussione, vt moris est, pręmissa, eas damnauit, vt hęreticas; & sic ab Ecclesia habendas, & credendas pręcepit. Idem, comparente quodam libello, in quo asserebatur Paulum Apostolum, in omnibus, etiam iurisdictione, Petro ęqualem fuisse; & doctrinam, & auctorem damnauit.

344 Alexander VII. in conft. quę incipit: Ad Sanctam B. Petri. definit, ac declarat pręfatas quinque Iansenij propositiones, in sensu Iansenij esse damnatas, & sic ab Ecclesia tenendum, & credendum. At quoniam ex Gallis quidam renuebant credere fide diuina esse damnatas in sensu Iansenij: idem Papa per constitutionem, quæ incipit: Regiminis. pręcipit, vt hoc, & non alio modo damnatas credant; præscripto quodam formulario tamquam fidei professione harum quinque propositionum, in quo dicitur, [Quinque propositiones Iansenij in sensu ab eodem intento, sincero animo reijcio, ac damno; & ita iuro, &c. Et omnes ibi renitentes ad talem professionem emittendam, eique subscribendum adegit. Insuper Pontifex idem Moralistarum relaxationem noniter introductam reformare cupiens, duplici decreto 45. propositiones ad minimum, vt scandalosas damnauit; & ab omnibus, vt tales haberi, & ab eisdem docendis, ac in vsu ponendis abstineri mandauit; & Apologiam quandam, relaxatarum eiusmodi doctrinarum propugnatricem alio decreto damnauit. Idem tandem ab Episcopis Hispaniarum, & à Rege Catholico rogatus, vt mysterium Conceptionis Immaculatę pro pia sententia definiret, prudens, doctusque Pastor, difficile hoc opus non attentauit, sed in constitutione, quæ incipit: Sollicitudo. data 8. Decembris 1661. non leue subsidium piæ sententię adiecit, vt eam legenti palàm est. Canonizauit S. Thomam de Villa noua, & S. Franciscum de Sales.

345 Clemens tandem IX. Diuinarum Scripturarum versioni, vt moris est Romanorum Pontificum, inuigilans, versionem quandam noui testamenti Gallicam, Montibus, impressam, in qua sæpè pro textu Doctorum, & aliarum vulgaræ non consonarum versionum verba intermiscebantur, & textus ipse vel in margine, vel nuspiam apponebatur, & aliqua quædam incongrua aderant; eliminanda decreuit. Canonizauit S. Petrum de Alcantara, & S. Mariam Magdalenam de Pazzis.

346 Ex his ergo habes 1. quòd Papa sine Concilio Episcoporum, at non sine consilio Doctorum, vt in sequenti, & nouas hæreses, nouosque errores, ac scandalosas, & offendiculis plenas doctrinas, damnat; & veras doctrinas proponit fide diuina credendas. Et omnia agibilia circa mores, cultum, ac venerationem Dei, ac Sanctorum decernit, & Ecclesiæ proponit.

347 Habes 2. quòd non omnia, quæ in hac praxi adduxi, sunt obiecta fidei; ea tamen adducere volui, vt manifestum fiat tyronibus, qui annales Ecclesiasticos adhuc non reuoluerunt; quòd etsi sæpissimè, vt in præcedenti articulo Romanus Pontifex cum Concilio Episcoporum, tam credenda, quàm agenda definiuit, vt Ecclesiæ proponeret: sępissimè etiam sine illis, vtraque, & definiuit, & proposuit. Nec vllus catholicus, etiamsi Romano Pontifici infensus, de hoc musitauit. Et ex qualibet mundi parte ad eum, etiam sine Concilio definientem recurrit.

348 Habes 3. quòd allata decreta, non comprehendunt omnia, quæ à Romanis Pontificibus vsque hodie fuerunt definita, sancita, atque Ecclesiæ ad credendum, vel faciendum proposita; non enim tantus sum, vt omnia videre potuerim; sed quæ pro mea tenuitate inuenire potui, in exemplum adduxi; quæ tamen sufficere ad præsens propositum, existimo. A praxi modo Pontificum sic facientium, ad praxim Ecclesiæ ad eos sic facientes recurrentis transeo. Ideò

349 Prob. etiam Patrum, & hæreticorum, & aliorum exemplis, qui ad Papam absolutè, & so-

& solitariè recurrendum censuerunt in causis fidei, & morum, vt iudicium eius audirent, ac sequerentur.

350 Alexander enim Patriarcha Alexandrinus, exoriente nouo Arij, & sequacium errore circa Filij Dei consubstantialitatem, statim consuluit Syluestrum Papam, ex Baronio tomo 3. anno 318. Et ipsimet Eusebiani, ac Meletiani hæretici contrà Athanasium in causa fidei ad Iulium Pontificem recurrunt, ex Baronio tomo 3. anno 339. Et quia de hæreticis est sermo; Marcion, & Cerdon cupientes venire ad fidei veritatem, seù ostendentes id cupere, Romam ad Anicetum se conferunt, ex notis in vita eius tomo 1. Conc. & coram eo recantantes palinodiam; hæresim abiurant; licèt postea sæpiùs relapsi, & reconciliati, tandem à Zephirino, cum alijs hæresiarchis Praxea, Sabellio, Valentino, ac cæteris anathematizati sint.

351 Basilius Magnus epist. 74. & ex Baronio tomo 4. an. 374. rogat Damasum, vt anathemate feriat Eustatium Sebastenum Episcopum, hæreses in Oriente diffundentem Arianas. Et quia laborabat, sed immeritò, de suspicione hæresis Apollinaris, ob consuetudinem cum eo, videns eum à Sede Apostolica damnatum, se excusat cum Damaso, accusans Apollinarem, & rogat Papam, & eundem publicet hæreticum per totum orbem.

352 Theodoretus ad Leonem I. recurrit pro veritate doctrinæ, & damnatione hæresum; imò ad ipsum recurrendum ab omnibus profitetur, sicut Paulus ad Petrum accessit, vt cum eo Euangelium conferret. In fine operum Theodoreti, vt sæpè diximus.

353 Hieronymus, quem in rebus fidei consulebat Damasus, vt ex epist. Hieronymi 122. tamen pro infallibili veritate dogmatis, iam iudicati, confitibatur se iudicium Damasi secuturum, etsi suæ propriæ opinioni contrarium, vt in controuersia, an tres Diuinæ personæ dicendæ sint tres hypostases? Hieronymus enim negatiuam tenebat, & tamen in epist. ad Damasum, ait: [Si iusseris, tres dicam hypostases.] In epist. ad Demetriadem, præcipit, vt Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ rector erat, fidem teneret. Et in eadem ad Damasum, de hoc lætum se dicit esse, quòd Petri Cathedræ consociabatur: [Quia, ait, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.]

354 Augustinus contrà Iul. lib. 1. cap. 4. dicit, eum defecisse à fide, quia Innocentium Papam noluit audire. Et in epist. 106. dicit, non esse ampliùs de veritate ambigendum, quia cùm duo Concilia Carthaginense, & Mileuitanum duas literas de ea controuersia ad Innocentium scripsissent; is eodem modo ad vtramque respondit.

355 Concilij Carthaginensis Episcopi, damnantes Pelagium, & Cœlestium recurrunt ad Zozimum pro validitate sententiæ dogmaticæ. Ex Prosp. aduersùs Collat. & August. vbi suprà, & contrà duas epist. Pelag. lib. 2. cap. 23. Et Zosimus confirmat sententiam, eosque hæreticos pronunciat, ac damnat. Epistola refertur à Baronio tomo 5. anno 418. initio.

Et vt annorum seriem sequar: Nestorius ipse putans se non errare, antè damnationem in Concilio secutam, recurrit ad Romanum Pontificem pro veritate doctrinæ contrà Cyrillum, ex epist. 16. Cyrilli; & tamen ab eo damnatus est, vt in præcedenti articulo diximus. Lege historiam in Baronio tomo 5. anno 430.

356 Eutyches putans se benè sentire, scripsit ad Leonem libellum de sua doctrina; cùm tamen à Concilio Prouinciali fuisset de ea damnatus. Baron. tomo 6. anno 448. Et tamen à Leone damnatus est, antè Concilium Chalcedonense, ex eod. anno 449. cuius decretum ipsum Concilium, tamquam Dei oraculum suscepit, vt in suo loco dictum est.

357 Iustinianus ipse Imperat. cùm sanæ esset mentis, in epist. ad Hormisdam, ex tomo 1. epist. Rom. Pont. in Hormisda, rogat, vt de veritate mundum edoceat in controuersia fidei, sic: [Quidam asserunt, Christum Filium Dei pro nostra salute, carne crucifixum de Trinitate debere prædicari. Quod si suscipiendum sit, paterna prouisione reuerentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidne super hoc vitare debeamus, nos certiorare dignetur; quoniam verba videntur facere dissensionem; nam sensus inter Catholicos omnes, vnus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborē Sancte, ac Venerabilis Pater, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, & de hac intentione liberos nos properatè reddere, & securos. Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.] En, ad quem recurrit Imperator; ad Papam solùm, non ad Concilium. Baronius tomo 7. anno 519.

358. Secundò, idem Imperator ex Baronio tom. 7. anno 520. in epist. ad eumdem, ait: [Sanctitas vestra cœlitùs inspirata, temporum, rerumque qualitatem consideret, & condemnatis huius erroris auctoribus, idest Acacio Constantinopolitano, Petro, & Timotheo Eluro, & Dioscoro Alexandrinis, Petroque Antiocheno finire dignetur inueteratum certamen, de cęterorum nominibus quæstione sopita, vt redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit.] Et post: [Non est ergo graue, quod suasit vestra Sedes: vt præstet illud, etiam magis, magisque deposcimus, vt tua sanctitas concepta gratia cęlesti, quæ prætendunt Orientales Episcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum. Nobis enim videtur, quoniam Filius Dei Iesus Christus &c. rectè dicitur vnus de Trinitate &c.] Et declarat modum difficultatis, qualis sit, & concludit: [Rogamus igitur, vt futuri iudicij memores, causam taliter ordinetis, nè quid dubitationis relinquatur in posterum &c.]

359. Idem Imperator consulit Ioan. 2. de veritate fidei ante epist. 1. Ioan. 2. idem mittit libellum fidei suæ, & Orientalium ad Agapitum, vt iudicet, an sana sit, & quæ credi debeat doctrina? & Agapitus eam approbat, & confirmat, ex epist. 1. Agapiti. Cùm autem Imperator adeò magnus hæc faceret, atq; scriberet, non sine totius ferè Orientis Doctorum, & Episcoporum consultatione, vt ipsemet aliquando innuit, hæc faciebat. Et sic totus mundus, sæcularis, & Ecclesiasticus,

hanc potestatem definiendi res fidei, & obiecta credenda, in Papa agnoscebat; aliàs frustra ad eum habuissent recursum. Igitur pro dubijs fidei sæpè ad eum recurrit Imperator.

360. Profuturus Episcopus Bracharensis in ortu hæresis Priscillianistarum, & cæterorum aliorum, ad Romanum Pontificem recurrit, à quo obtinet instructionem doctrinarum damnandarum, vt idem Concilium Bracharense I. testatur, ex Baronio tom. 7. ann. 565.

361. Eulogius Patriarcha Alexandrinus mittit ad Gregorium Primum, suum quod composuerat Opusculum aduersùs Agnoitas, vt iudicaret, an esset catholicum? Quod Gregorius laudauit, ex lib. 8. epist. 55. & ex Baronio tom. 8. ann. 500.

362. Carolus Magnus in causa Elipandi, eiusque doctrinæ, ad Romanum Pontificem Adrianum I. pro veritate dogmatis recurrit; eumque sequi profitetur: [Ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac noua intentione nostræ deuotionis ter, quaterque direximus missos; scire cupientes, quæ Sancta Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.] Et de responsione accepta, subdit: [Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor] ex Baronio tomo 9. anno 794.

363. Theodorus Studita præpositus cum cæteris presbyteris ad Paschalem data epistola, confitentur *ab ipso lumen recepisse*, quod hæreseos tenebras ab eis fugauit. Multis titulis illum celebrant, & præcipuè, vt ait Gennadius: [Vos illimis, & sincerus ab initio fons Orthodoxæ veritatis.] Baronius tom. 9. anno 818. initio.

364. His possunt adiungi alij omnes à nobis adducti in art. 3. 4. & 5. ad idem enim sunt; quia ostendunt, quouis tempore ab initio Ecclesiæ, ab omni Ecclesia, ex omni mundi parte ad Sedem Apostolicam semper habitum esse recursum pro decidendis fidei dubijs, eo nisi principio, quòd ex promisso, oratione, & facto, super Petrum fundata sit Ecclesia, & Petri, nempè eius, & successorum fides deficere non possit. Ipse autem Petrus, eiusque successores aliquando cum generali Concilio, aliquando cum Prouinciali, aliquando sine vtroque; nunquam tamen sine adiutorio, & consilio DD. Cardinalium, atque Theologorum hæreses damnarunt, dubia fidei definierunt, & Ecclesiæ credenda proposuerunt, & iam creduntur de facto.

365. Prob. tandem de iure. Romanus Pontifex succedit S. Petro in omni, & tota auctoritate pastorali, & iurisdictionali ad Ecclesiam regendam, pascendam, seù docendam necessaria. Ergò sine Concilio Synodali Episcoporum, vel Prouinciali, validè potest decidere, seù definire dubia fidei, & formare decreta, quæ sint obiecta fidei. Consequentia probatur. Poterat ea facere, & formare S. Petrus. Ei enim dictum est: [Pasce oues meas.] Et ei pariter dictum: [Rogaui pro te petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Et ei tandem dictum: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Tibi dabo claues Regni cælorum. Quodcumque ligaueris &c.] Potuit ergò Petrus solus per totam hanc potestatem infallibilem in docendo, & confirmando fratres, definire fidei dubia, & formando decreta, hæc Ecclesiæ proponere credenda. Nuspiam autem obligauit Petrum, vt cum Concilio, vel Generali, vel Prouinciali, vel Synodali hæc dubia definiret, & in eis decreta formaret, vt valida essent, & obligarent. De licito autem dicam in sequenti articulo.

366. Antecedens de successione Romani Pontificis in omni, & tota, auctoritate S. Petri, etsi pluriès ab art. 2. hucusque sit probatum; quia tamen nunc exigit ratio, probatur ex Eusebio Pontif. epist. 3. Adriano I. epist. 1. Nicolao I. epist. 8. Leone I. epist. 1. cap. 35. Bonifacio VIII. Extra. Vnam sanctam de maior. &c. Pio II. Bulla retract. ex Concilio Constantiensi, etsi mores S. Petri non habeat, in constit. Martini V. contrà art. 37. Wicleff, & contrà art. 12. Ioannis Huss. ex Concilio Florentino in sess. vlt. & est const. 17. Eugenij IV. Lætentur, §. 8. in qua Patres Concilij profitenter, de fide credere hanc successionem Romani Pontificis in tota facultate, & auctoritate S. Petri. Et propterea ipse solus confirmare potest omnes alios in fide, ex Felice I. epist. 1. & 3. ex Gelasio I. epist. 5. solus disponere potest circa res fidei. Ex Leone IX. epist. 1. cap. 13. & 15. ex Felice III. ex epistola Synodali Concilij Romani tom. 2. Concil. & ex Gregorio II. epist. 12. & ex Leone X. constit. 40. Exurge. Romanus Pontifex potest statuere articulos fidei, & leges morum, etiam sine Concilio, & definit esse hæresim dicere contrarium. Ideò papam errare non posse in docendo doctrinam fidei, docuerunt Felix I. Papa, & Martyr epist. 1. Marcus Papa in epist. ad Episcopos Ægypti ex lib. 3. in Concil. Nicœno; Leo I. epist. ad Leonem Imperatorem. Gelasius I. epist. 1. Pelagius II. epist. 5. & 8. & Gregorius VII. lib. 2. post epist. 55. Et nisi ita esset, frustra tot viri doctissimi, tot Imperatores, ac Reges, & vniuersitates Theologicæ, tot Episcopi, tot prouincialia, nationalia, & ipsamet generalia Concilia per 16. sæcula, pro decisione, & respectiuè pro confirmatione decisorum in materia fidei, ad Romanum Pontificem recurrissent, & ab eo decisa, vel confirmata, de fide credidissent, nisi auctoritatem infallibiliter definiendi in eo agnouissent, neque enim petierunt, vel necessarium agnouerunt, vt cum aliquo Concilio definiret: quia ei, vt Vicario Christi, & alteri Petro hanc potestatem definiendi agnoscebant.

Argumenta autem, quæ contra hanc Papæ sine Concilio infallibiliter definiendi auctoritatem, fieri possunt, adducam in proprio articulo.

AR-

ARTICVLVS VI.

An, vt decreta. Romani Pontificis sint obiecta Fidei, ipse teneatur de consilio saltem aliquorum ea sancire?

367. Aduert. 1. aliud esse loqui de valido, aliud de licito, & sensus est, an, scilicet volens Papa aliquid decernere in materia fidei, teneatur adhibere consiliarios ad discutiendam materiam, & dandum suffragium saltem consultiuum, ita quòd, nisi sic faciat, decretum eius, nec sit validum, nec obliget ad illud credendum? Vel si non ita faciat, sed se solo discutiat, ac resoluat; obliget quidem, validumque sit decretum, & fide credendum, ipse tamen Papa illicitè faciat?

368. Aduertendum 2. quòd aliud est loqui de facto, ac regulariter. Quid scilicet faciant, aut fecerunt Romani Pontifices, quodque sit aliorum norma in eiusmodi; aliud verò; Quid possint facere validè, & licitè. Vtrumque hic discutietur, ad obturandum ora obloquentium contrà Romanos Pontifices, quasi omnia despoticè, & sine consilio aliorum, operentur. Quales verò adhibendi sint, in eiusmodi rebus, consiliarij, res ipsa loquitur; at infrà obiter tangetur.

369. Dico 1. Regulariter Romanus Pontifex in decisione dubiorum fidei, & formatione decretorum vtitur consilio peritorum, & prudentum, siuè Episcoporum, siuè Cardinalium, siuè Theologorum, siuè horum omnium, vt discussa materia ex scripturæ, & Patrum doctrinis, atque traditionibus; eorumque consultiùs auditis suffragijs, orationeque sæpiùs præmissa, decidat, & decernat, quid tenendum, seù credendum.

370. Probatur 1. ex primo Petri facto statim post Christi ascensionem Actor. 1. vbi alijs decem Apostolis proposuit, quòd iuxta Scripturæ prædictionem in locum perditi Iudæ, alius erat subrogandus, vt numerus impleretur, & votis omnibus auditis, facta est ab omnibus oratio, vt Deus dignaretur ostendere, quem ex duobus expositis, in locum Iudæ eligeret. Ergò cum consilio, & suffragio etiam decisiuo operatus est Petrus. Secundum factum habetur act. 6. quando [crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersùs hæbreos, quòd despicerentur in ministerio viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum &c.] vt Diaconos eligerent, [Et placuit sermo coram omni multitudine &c. & orantes imposuerunt eis manus &c.] Vtraque hæc Synodus celebrata est anno Christi 34. ex tom. 1. Concil. initio. Tertium factum accidit act. 15. dum orta quæstione Antiochiæ; An Circumcisio adhuc obligaret? Paulus, & Barnabas ascenderunt in Ierusalem ad consulendum Petrum, qui congregauit Seniores, ac presbyteros; factaque magna conquisitione, tandem Petrus ipse statuit, non esse imponendum hoc iugum venientibus ad fidem; & post eum locutus est Iacobus, & confirmauit Petri dictum; & tandem formatum est decretum: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris &c.] quæ Synodus ex eodem tom. 1. Concilio facta est anno 15. post Christi mortem. Hæc ergò, & alia Petrus coegit Concilia, seù congregationes, quæ scripta non sunt, cùm de aliquo ad fidem spectante erat definiturus, exemplum successoribus præbens, vt nunquam eiusmodi dubia absque peritorum saltem, ac prudentum consilio decidant.

371. Probatur 2. ex praxi Romanorum Pontificum allata in artic. 4. qui cum Concilijs prouincialibus, aut Synodalibus, fidei, morum, ac disciplinæ decreta formarunt, cùm ea toti Ecclesiæ, vel peculiari alicui prouinciæ, aut regioni proponere voluerunt.

372. Probatur modò de ijs, qui sine Concilio decreuerunt, qui tamen non sine presbyterorum, idest Cardinalium, aliorumque peritorum id fecerunt. Siricius enim ex epist. eius 2. sic damnauit Iouinianum, ac socios, corumque errores, de quibus inquit: [Facto ergo presbyterio, constitit, doctrinæ nostræ, idest christianæ legi esse contraria dogmata.] Nicolaus I. epist. 70. dicit, se de aliorum consilio negotia definire, & maximè 106. responsiones ad consulta Bulgarorum, quas ibi subnectit Ioannes XXII. Extra de elect. dicit: De fratrum consilio, & plenitudine potestatis se decernere, quod ibi decernit. Idem dicit in extra. Execrabilis de præbend. Idem: Extra. Quorumdam cap. 5. de verbor. signific. Benedictus XI. Extra de elect. Sancta Romana, & sic de alijs permultis legi potest in libris extra communium, & in Bullarijs; nedum pro decisione dogmatum, sed morum, ac disciplinæ. Et modò omnes ferè constitutiones hoc stylo, & formula eduntur, scilicet: [De fratrum nostrorum consilio &c.

373. Probatur autem specialiter de constitutionibus dogmaticis, quæ à Romanis Pontificibus emanarunt, quæ quidem ex discussione Theologorum, & Cardinalium peritorum examine formatæ sunt; sic extra. Vas electionis de hæret. inter communes, qua Ioannes XXII. damnat tres errores Magistri Ioannis de Poliaco. Sic constit. 4. Benedictus, Benedicti XII. circa visionem Dei ante resurrectionem; cuius examen per eosdem Theologos, & Cardinales inceptum fuerat à Ioanne XXII. Sic constit. 17. Licèt Sixti IV. contrà errores quosdam in materia confessionis. Sic constit. 40. Exurge. Leonis X. contrà 41. errores Lutheri. Sic Breue Gregorij XIII. contrà propositiones Baij. Sic constit. 87. Sanctissimus. Clementis VIII. contra errorem de validitate confessionis per lit-ras. Sic constitutio Innocentij X. contra quinque propositiones Iansenij &c. Sic alia Alexandri VII. confirmantis eandem, & declarantis eas damnatas esse in sensu Iansenij.

374. Neque Praxis ista, moderna est, ex quo scilicet omissa sunt Concilia prouincialia, ac Synodalia, nempè ex tempore Ioannis XXII. quibus successerunt congregationes Cardinalium, & Theologorum: atque Canonistarum; sed ab antiquo, cùm Pontifex Romanus aliquid pertinens ad Fidem, vel ad mores totius Ecclesiæ definiturus erat, sem-

semper eiusmodi Doctorum consilio vsus est, vt patet de Eugenio Tertio cum Bernardo, de Damaso cum Hieronymo, ex vita Damasi, & ex epist. Hieronymi 122. & sic de alijs, ità vt Nicolaus Primus epist. 70. asserat Papam in difficilibus dubijs, & arduis semper consulere doctos viros, & meritò, quia ab his iuuatur in perquirendis Scripturæ locis, & Patrum Traditionibus; & Deum non tentat, ex abrupto decidendo.

375. Dico 2. Absolutè, & Metaphysicè loquendo, Si Romanus Pontifex sit in Theologicis, & Scriptura apprimè versatus, & per se possit Patrum, & Doctorum libros reuoluere ad indagandum, an aliqua propositio ex Scriptura, vel Traditionibus eruatur: si se solo absque aliorum consilio definiat de Fide, tale decretum est Fidei obiectum. Debet tamen ab hoc modo definiendi cauere, sicut omnes hucusque cauerunt, ne Deum tentet, suæ prudentiæ multum fidens.

376. Prob. primò à priori. Potestas data Papæ in Petro non est data dependenter à consilio aliorum, & multò minùs cum clausula irritante absque tali consilio. Ergo, cùm exercetur absque eo, validè exercetur. Antecedens probatur, tam ex Matthæi 16. quàm ex Ioannis 21. ibi enim ait: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum: quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cęlis.] Nulla hic apposita est conditio de consilio accipiendo ab alijs. In posteriori loco, dum promissam confert Petro potestatem, ait: [Pasce oues meas,] in quo actu omnes consentiunt, concessam summam Petro potestatem ad omnia Ecclesiæ necessaria, tam pro doctrina, quàm pro disciplina; & tamen nulla sit consilij capiendi ab alijs mentio.

377. Confir. in specie de potestate circa spectantia ad Fidem Lucæ 22. Petro absolutè dicit: [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Vbi non obligat eum ad consulendum alios, dum confirmat.

378. Probatur 2. Non fuit necessarium, vt cum hac dependentia alieni consilij pro validitate definitionis Christus conferret Petro, & Successoribus potestatem definiendi infallibiliter. Ergo. Antecedens probat. Primò, quia debuisset assignare, quot, & quales essent à Papa consulendi; de ipso tamen nulla mentio habetur in Scripturis. Secundò, si quandoque eiusmodi conditionum Consiliarij non adessent; potestas illa Papæ esset sterilis. Tertiò, Consiliarij, vel essent ipsi quoque infallibilis auctoritatis, vel non? Si non; frustra essent de necessitate adhibendi. Si sic; ergo pro illis etiam debuisset Christus rogare, ne eorum Fides deficeret; & sic non essent fratres eius, quia non capaces confirmationis Petri. Quæ omnia sunt absurda.

379. Probatur 3. Isti adhibendi ad consilium pro validitate talium decretorum, maximè essent Domini Cardinales. Sed isti non sunt de necessitate validitatis consulendi, ex gloss. De ipsorum consilio, Extra. Execrabilis de Præb. & dign. Ioan. 22. sed de congruentia, seu necessitate ad licitè faciendum, cùm supponantur periti in Canonum doctrina, vel in Theologia, vt mox dicemus.

380. Prob. 4. Petrus, tam pro se, quàm pro successoribus habet plenitudinem potestatis pro pascenda, & dirigenda Ecclesia. Ergo ad validè faciendum non eget aliorum consilio. Antecedens prob. ex Can. decreto 2. quæst. 6. estque Gregorij I. & Can. Multum. 3. quæst. 6. estque Leonis I. & ex epist. 219. Ioannis 8. Et hac lege vtitur Romanus Pontifex, vt ex Constitut. Bullar. videre est. Consequentia est euidens. Qui enim alijs eget ad suæ exercitium potestatis, eam plenariè non possidet, sed alterius complementum expectat. Et totum hoc mirificè confirmat Nicolaus Primus in epist. 10. ad Carolum Regem, dicens: [Sedes hæc sancta, atque præcipua, cui Dominici gregis sollicitudo, curaque commissa est, in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salubri, cuncta ordinare, perficereque diuino freta procurat auxilio, & quod singulari etiam auctoritate perficere valet, multorum sæpè Sacerdotum decernit definire consensu, &c.]

381. Probatur à posteriori. Etsi Petrus cum Concilio Presbyterorum, ac Seniorum, decreta illa dogmatica fecerit, vt patuit; illa tamen, quæ in suis duabus in Canonicis epistolis redegit; solus, & sine consiliarijs, sed solo Spiritus sancti consilio, & inspiratione formauit. Secundò, ea ipsa, quæ cum Concilio fecit, non ex aliorum consilio, sed ex semetipso, prior omnibus loquens, eructauit, vt legere est Act. 1. & cap. 15. licèt Iacobi consensu, & aliorum approbatione publicatum fuerit hoc secundum. Et quamuis de omnium Apostolorum Petro consentientium voto, facta sit oratio pro Matthiæ electione; ipse tamen decreuerat ex Scripturæ vaticinio, esse alium in Iudæ locum subrogandum. Præterea omnia, quæ Ecclesia Romana tenet, ac docet, & in Scripturis Canonicis non reperiuntur, ex Traditione Apostoli Petri, docet, ac tenet, vt in disputatione de traditionibus diximus; & propterea Hieronymus, nouas quasdam doctrinas respuebat, quia eas à Petro, & Paulo Rom. Ecclesia per traditionem non acceperat. Eas autem doctrinas circa agenda, & credenda, Spiritu sancto dictante, sine Concilio Petrus docuerat. Quæ autem hæc fuerint in epist. 1. Clemens I. refert. Ergo. Et ipsemet Clemens Primus idem fecisse videtur in suis epistolis. Idem alij in suis literis decretalibus, vt videre est in tomo 1. Concilior. Et quamuis existimem, istos Pontifices non sine fratrum, atque Doctorum Virorum consilio, ea decreta peregisse; tamen eorum mentio in ijs decretalibus non habetur. Eo fortè motiuo, quia non est simpliciter necessarium ad validitatem talium decretorum adhibere consiliarios, cùm Romanus Pontifex soluat, ac declaret dubia sidei eo prorsùs modo, sicut sanctus Petrus ex Melchiade in epist. decret. Et hinc est, quòd ipsamet Concilia generalia, quæ instructionem, vel confirmationem Romani Pontificis desiderabant, eius sententiam, vt à Petro per os eius latam, dicebant, vt Chalcedonense; Sextum, & septimum, sicut in articulo 2. §. Vnico pluribus ostensum est.

382. Prob. à pari. Primò, Summus Sacer-

cerdos in Lege Veteri habebat potestatem validè explicandi dubia Legis, absque alterius consortio, sed solitariè; & obligandi populum ad standum decisioni sub graui pœna, etiam capitis. Ergo non minorem potestatem putare debemus fuisse à Deo concessam Summo Sacerdoti Legis Nouæ, Christi Vicario, cui ore suo eam concessit. Antec. prob. ex Deuteron. 17. 8. vbi sic dicitur ad populum: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram: & iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quęresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.] Leuit. 13. & Deuteron. 17. &c. iudicium lepræ, an sanata esset, nec ne, & cuius generis esset, Sacerdoti erat commissum. Tantaque religione id fiebat, & sic Deus in eo peragendo, Sacerdoti assistebat, vt nunquam erraret in eo Sacerdos. Igitur si Deus hanc potestatem iudicandi graues eas causas summo Sacerdoti independenter ab alijs contulit; cur negabimus eodem modo contulisse Summo Sacerdoti Euangelicæ Legis? cùm clariùs de hac commissione habeamus argumentum? [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cęlis. Pasce oues meas.] Ad quem effectum dicit: [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quid hoc loco clariùs? Si alij ab eo sunt confirmandi; igitur eis de necessitate non eget ad confirmandum: sed solus potest validè confirmare. Puto tamen, neminem id attentasse, nec vnquam attentaturum.

383. Dico 3. Vt licitè omninò (sicut regulariter fit) Papa, decreta credendorum faciat, quæ proponet, vt obiecta Fidei, tenetur adhibere doctos Consiliarios, nempè sacrę Scripturæ, Theologiæ, & Canonum peritos.

384. Prob. Papa, sicut, & quilibet alius Pastor, immò & homo tenetur prudenter operari. Ergo. Antec. prob. ex Prouerb. 3. [Beatus homo, &c. qui affluit prudentia, cap. 4. Attendite, vt sciatis prudentiam; posside prudentiam: ne obliuiscaris in omni possessione tua acquirere prudentiam, in c. 9. Ambulate per vias prudentiæ. Matth. 10 Estote prudentes sicut serpentes, epist. 1. Petri cap. 4. Estote ergo prudentes, & vigilate in orationibus.] Et tandem Paulus epist. 1. ad Timoth. cap. 3. Oportet, Episcopum esse prudentem. Conseq. prob. Prudentia dirigit ad operandum conformiter ad Leges. Lex autem Diuina docet omnia presertim grauia cum consilio facienda, Prouerb. 2. [Si intrauerit sapientia cor tuum, &c. consilium custodiet te, cap. 8. Ego sapientia habito in consilio, cap. 13. Qui autem omnia regunt, cum consilio reguntur sapientia, cap. 24. Erit salus vbi multa consilia, & Ecclesiastici 32. v4. Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.

385. Confir. Ecclesiastici 6. 35. [In multitudinem presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire.

386. Confir. 2. Primus prudentiæ actus est consultatio ex 6. Ethic. cap. 7. [Prudentis viri est posse benè consulere circa ea, quæ sibi vtilia sunt.] Igitur, vt Papa prudenter agat, tenetur consultare de agibili; neque sufficit, si secum ipse consultet, inquirendo, quid decidendum sit iuxta scripturas, & Patrum Traditiones, vt formare possit iudicium. Ergò debet alios peritos adhibere. Assumptum prob. Quia non omnis Pontifex est in Scriptura, Sanctis Patribus, ac Theologia versatus; vel si aliqualitèr, non ità extensiuè; & si etiam extensiuè, vt de multis docent historiæ; tamen pontificatus tempore, tale otium non habet, vt per semetipsum percurrat loca omnia Scripturæ, vel Patrum volumina, quæ ad rem faciunt. Ergo, vt pontifices prudenter definiant, debent doctos, ac peritos adhibere consiliarios, in eiusmodi facultatibus eruditos.

387. Confir. 3. Cùm aliquod graue dubium Fidei, aut disciplinæ in Ecclesia oritur; Innocentius primus vt habetur in Can. fin. dist. 20. præscribit sic faciendum: [Si in libris Veteris Testamenti, quatuor Euangeliorum cum totis scriptis Apostolorum non appareat; ad Diuina recurre scripta Græca. Si nec in illis, Canones Apostolicæ Sedis intuere. Si nec in illis; ad Catholicæ Ecclesię historias Catholicas ab Historicis Catholicis scriptas, manum mitte. Si nec in illis, Sanctorum exempla perspicaciter recordare.] Et si nec in illis, dicit congregandum esse aliquod Seniorum Concilium, & assignat causam; [quia faciliùs inuenitur, quod à pluribus Senioribus quæritur. Verus enim repromissor Dominus ait: Si duo ex vobis, vel tres conuenerint super terram in nomine meo, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.] Est autem moraliter, immo & physicè impossibile, vt Romanus Pontifex tot curis grauatus per semetipsum hunc seruet ordinem, & tot inspiciat Codices. Ergo, nè imprudenter, ac pręcipitanter attentet rem decernere, debet consulere doctos, qui eos percurrant, & ei referant, quid in ijs reperiatur aptum ad decidendum.

388. Confirm. 4. & redit in idem. Ex dictis in Disputatione 4. de Traditionibus articulo 2. &c. Omnia, quę de nouo definiuntur, ex Scripturis, & Traditionibus eruuntur, vt pluribus ibi ex Conciliorum, & Patrum, ac Romanorum Pontificum dictis ostendimus. Et Adrianus Primus epist. 1. fatetur, se defendere Septimam Synodum, quia ex Traditionibus definiuit Imaginum venerationem. Et Hormisda epist. 70. inquit: Traditiones sequendas, alioquin deuiatur à recto tramite. Idem replicat in epist. 79. Euaristus epist. 1. Alexander I. epist. 1. Sixtus Primus epist. 4. & nos diffusiùs id ostendimus in

præ-

præfatis artic. 2. & 3. Sed est impossibile, & moraliter, & physicè, vt Papa decisurus Fidei dubium, & formaturus decretum, legat Patrum primariorum Volumina, ecclesiasticas Historias. &c. Ergo, nè oscitanter attentet rem definite, & nè Deum hoc modo tentet, præter orationem frequentem per semetipsum in primis faciendam, debet doctos, Theologos præsertim, ad consilium adhibere.

389 Prob. 2. Papa, licèt omnia iura positiua dicatur continere in scrinio pectoris, ex communi Doctorum à Barbosa cit. tomo 1. de iure Eccles. cap. 2. num. 93. & ex cap. 5. de constit. in 6. non præsumitur ius ignorare: hoc intelligunt, ex eodem, non de actuali memoria, & scientia omnium iurium, quia ipsemet Papa experitur, se eorum non recordari, imò & quàm plura nunquam vidisse, seu legisse: sed intelligunt de potestate in ea condenda. At notitias omnium dubiorum, quæ circa fidem possint accidere, & eorum decisiones, certè nullus Pontificum dicet, se promptas habere. Ergo adhibenda est diligentia, quæ per ipsum nequit adhiberi; & ideò per alios id est exequendum. Vndè sic fieri experimur; quæ autem in eiusmodi dubijs discutiendis diligentiæ sint adhibendæ? dicam in fine de obiecto formali.

390 Confir. ex praxi Conciliorum omnium, ad quæ, ne dum Patres, nempè Episcopi vocantur; sed etiam Theologi non Episcopi, qui separatim materias discutiunt: An Scriptura explicitè, vel implicitè de eis loquatur? quiduè de eis antiqui Doctores Ecclesiæ docuerunt? quid vniuersitates Theologicę sentiant? vt ex actis Conciliorum legi potest. Imò ipsimet Pontifices Romani, cùm dogmaticè ad Concilia, ad Imperatores, & Patriarchas, aliosuè Episcopos scripserunt; ex Scripturis, & Patribus sententias acceperunt, vt ipse Petrus, Clemens, Cletus, Anacletus, &c. deinde Damasus, Leo I. Gelasius; Hormisda, Agatho, Adrianus, &c. qui certè, saltèm non omnes potuerunt per semetipsos tantam librorum molem euoluere, sed per doctos Theologos id fecerunt, & doctrinis illis perpensis, decreta formarunt; quod hodieтенùs etiam in praxi esse videmus. Omnia siquidem eiusmodi dubia, ac materiæ fidei, per Theologos discutiuntur. Ego sum testis de visu, per annos enim quindecim eiusmodi consultationibus, etsi immeritò, interfui. Et ità prædecessores mei de seipsis testati sunt. Et si aliter attentarent facere, certum duco a Deo fore impediendos.

Ita vt ex speciali Diuina prouidentia Ecclesiæ promissa non permitteretur, vt Pontifices in eo casu procederet ad definiendum sine prauio accurato examine de re, de qua agitur.

ARTICVLVS VII.

An, vt Papa decreta circa credenda sint obiecta fidei, ipse debeat loqui de Cathedra? Et quid sit loqui de Cathedra?

319 ADu. 1. quòd nomen Cathedra, ex Gloss. Cathedram, Extra, Super Cathedram de Sepulturis. est nomen Grecum, & est excelsa Sedes præsidentis. Huius significati multa habemus exempla in Scriptura, Iob 29. 7. [Quando in platea parabant cathedram mihi? Lib. 1. Regum 20. 25. Cùmque sedisset Rex super cathedram suam. Lib. 2. cap. 23. 8. de Dauid dicitur: Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, &c. Lucæ 20. 46. Saluator improbat Scribas: Qui amant primas cathedras in Synagogis.] Moraliter autem cathedra significat potestatem, vel auctoritatem superiorem, vel locum doctrinæ supremum, à quo omnes doceri debent, Ecclesiastici 7. 4. [Noli quærere à rege cathedram honoris. De hac cathedra Saluator ait Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite. Hieronymus ait: Per cathedram doctrinam legis ostendit.] Lyranus, inquit, in auctoritate iudicandi populum. Augustinus tract. 46. in Ioan. ait: [Cathedra, locus doctrinæ est, de quo prædicatur fides.] Itaque vtrumque ex Ecclesiæ phrasi significat cathedra, scilicet locum dignitatis, & doctrinæ legis, seu fidei. Hinc dictæ, Ecclesiæ cathedrales, in quibus sunt Episcopi, positi à Spiritu sancto ad regendas Ecclesias Act. 20. pascendo doctrina, & corrigendo auctoritate, ac iurisdictione. Hinc etiam Ecclesia in festo cathedræ S. Petri tam Antiochenæ, quàm Romanæ vtitur oratione: [Deus, qui B. Petro ligandi, atque soluendi Pontificium tradidisti collatis clauibus regni cœlestis.] Ecce potestas suprema; & primis lectionibus epistolæ Petri, qua docet vniuersum orbem; & Euangelio Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Vtitur pariter sermone Sancti Leonis, qui ait de Roma: [Hic conculcandę Philosophiæ opiniones; hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates; hic confutandi Dæmonum cultus; hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Iam populos, qui ex circumcisione erant, erudieras; iam Antiochenam Ecclesiam fundaueras; iam Pontum, Galatiam, &c. legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, &c.] dicens Romam, Arcem Romani Imperij, tunc primò docere cœpisse. Ecce locus supremus doctrinæ Euangelicæ. Cathedra ergo Petri vtrumque significat, potestatis nempè, & doctrinę fundamentalis fidei locum, pro qua Christus rogauit, nè deficeret.

392 Adu. 2. consequenter ad dicta, Romanam Petri Ecclesiam, siue Sedem, siue Cathedram, siue Episcopatum, aut Sacerdotium, quæ pro eodem nunc sumimus, in quibus Romani Pontifices succedunt, cum plena Petri auctoritate, ac potestate ligandi, ac soluendi, necnon docendi, ex Concilio Florentino sess. vlt. habere supremam hanc potestatem, non ex concessione Imperatorum, aut Conciliorum, sed à Deo immediatè, ex Anacleto ep. 2. & 3. ex Pio I. epist. 2. ex Innocen. I. epist. 22. ex Iulio I. epist. 1. &c. ex Concilio Nicæno 2. Actione 2. A Deo dotata est sacerdotio S. Petri, ex Eusebio epist. 1. Est Apex omnis Episcopatus, ex Damaso epist. 4. Est regula fidei in toto mundo, ex Hormisda epist. 9. Est regula fidei inconcussa, ex Leone II. epist. 5. ex Agapito epist. 4. ex Vigilio epist. 5. & 7. ex Concilio Lateranensi 3. in append. tit. de sponsalibus. Secundò. Docet omnes fidem, ex Gelasio epistola 5. & Gregorio VII. lib. 8. epi-

epistola 1. Numquam defecit in fide, nec vmquam deficiet, ex Lucio I. in epist. decr. Calixto I. epist.1. Eusebio epist.3. Marco in epistola ad Episcopos Ægypti. Leone I. epist. ad Leonem Imperatorem. Pelagio I. epist.14. Pelagio II. epist.5. Agathone in epist. ad Imperat. ex Concilio 6. act.5. & ex cap. exijt. de verb. signific. in 6. & alijs multis decretis, & locis. Hæc autem priuilegia primatis, magisterij, & infallibilis iudicij in rebus fidei competunt Ecclesiæ Romanæ, seu Sedi Apostolicæ, ratione Cathedræ, seu pontificatus Petri. Omnes enim, vt in præcedentibus, præsertim articulo 3. visum est, existimant, & firmiter tenent, eius cathedræ competere, quia soli Petro dixit Christus: [Tibi dabo claues: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Pasce oues meas: &, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Et hæc sunt inter catholicos sine controuersia.

393 Adu. 3. quòd licèt ista sint sine lite inter Catholicos, quòd Romanus Pontifex in causis fidei de Cathedra pronuncians non possit errare, & ideò decreta eius tunc sunt obiecta fidei; tamen duo adhuc insurgunt dubia. Vnum ex pietatis zelo; Quid sit Papam loqui de Cathedra? cùm certum sit per extra. Ioan.XXII. Quia quorumdam, de verb. signif. Papam aliquando pronunciare, seu respondere, vt priuatum Doctorem; aliquando vt Papam: ideò meritò quæritur, quid sit loqui vt Papam? quod idem est, ac loqui de Cathedra Petri, & quid requiritur in eo, vt sic loquatur? Quæuè sint signa pro fidelibus, ad discernendum, quòd loquitur vt Papa, seu Cathedra? Alterum dubium, oritur ex zelo potiùs liuoris, quàm charitatis, an Papa, vt loquatur de Cathedra, debeat reperiri cum Generali Concilio, & in eo pronunciare decreta in materia fidei? An sine Concilio Generali potuit loqui de Cathedra? Aliqui enim erant pauci, & paulò etiam antè vnum sæculum dixerunt, Papam sine Concilio non posse loqui de Cathedra. His præmissis

394 Dico 1. Vt decreta Romani Pontificis in materijs fidei, sint obiecta fidei, debent iudicari, seu formari, ac pronunciari ex Cathedra.

395 Prob. Romanus Pontifex non habet, neque superioritatem, neque primitatem, neque magisterium fidei in tota Ecclesia, nisi quia, ex Concilio Florentino sess. vlt. succedit in potestate, auctoritate, & officio S. Petri, quæ omnia constituunt Cathedram Petri, cui dictum est: [Pasce oues meas; &, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Ergo, nisi loquatur, & iudicet de Cathedra, eius decreta non sunt obiecta fidei. Conseq. prob. Quia nisi sic; non procedunt à iudicio infallibili. Cathedræ enim, seu Pastorali dignitati, & Vicariæ Christi hoc priuilegium concessum est.

396 Prob.2. Experientia, & auctoritate. Omnes Episcopi, & Doctores, qui ab initio Ecclesiæ vsque nunc ad Petrum, eiusque successores recursum habuerunt in dubijs fidei; non recurrerunt, vt ad priuatam personam, vel ordinarium Episcopum; quia alios cognoscebant Episcopos, & fortè doctiores; sed ad eum accesserunt tamquam ad magistrum, & sacerdotem supremum à Deo constitutum cum priuilegio infallibilitatis, contra cuius magisterium portæ inferi potestatem deceptionis non habent. Ergo ad eum, vt de hac Cathedra, seu Pastorali, ac Magistrali solio loquentem.

397 Exemplis comprobatur antecedens. Paulus ad Gal. 1. ait: [Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Et tamen dicit: Post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Ad quid autem venerit ad Petrum, dicit in capit. 2. [Ascendi autem secundùm reuelationem: & contuli cum illis euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse: nè fortè in vacuum currerem. Gloss. ord. in fine, ait: Aliter enim non crederet Ecclesia ei, qui non fuerat cum Domino.] Igitur Paulus, cui facta fuerat à Deo reuelatio Euangelij, ad Petrum accessit, vt illud comprobaret, nempè ad caput, & magistrum Ecclesiæ. Idem fecit, cùm Antiochiæ orta esset controuersia, an ad fidem Christi esset intrandum per circumcisionem, eò quòd hæc à Deo etiam erat instituta, eaque vsus erat Christus? & tamen in hoc dubio Paulus ad Petrum Hierosolymæ existentem pro hoc puncto accurrit. Quod considerans Theodoretus, in epist. ad Leonem I. ait: [Si Paulus præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, afferret solutionem; multò magis nos, qui abiecti sumus, & pusilli ad Apostolicam vestram Sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse conuenit; multis enim quibus superiores estis, ornatur vestra Sedes. Et post multa sanctæ Sedis encomia, ait: Præcipuè autem, & insigniter eam exornat fides, & fide dignus diuinus Apostolus, qui clamat: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Et post aliqua de Petro: In Occidente promptò, & alacri animo suscepit occasum, & nunc illius orbem terræ suis radijs illustrat. Et paucis interiectis: Illam autem Sedem Deus nunc claram, insignemque reddidit, cùm vestram Sanctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei orthodoxæ emittit.] Ergo Papa, vt Petri successor in eius Sede, seu Cathedra, potest fidei decreta formare.

398 Prob. 2. ex recursibus ad Romanum Pontificem in causis fidei ab vniuerso mundo factis. Omnes enim ad eam recurrentes declararunt se ad Cathedram, vel Sedem Petri recurrere. Hieronymus in epist. ad Damasum ait: [Quoniam Oriens indiscissam Domini tunicam minutatim per frustra discerpit; ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Et post aliqua: Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior. Et infra: Obsecro, mihi literis tuis siue tacendarum, siue dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas. Non timebo tres hypostases dice-

dicere, si iubebis.] Tunc antem erat controuersia, an tres personæ Diuinæ dici possent tres hypostases? Quod putabatur esse hæreticum, quia adhuc non fuerat declaratum; in quo dubio Hieronymus ad Damasum ex Petri Cathedra loquentem recurrendum censuit, eiusque iudicio standum.

399 Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, deridens hæreticos, qui ex Aphrica ad Papam in sua causa recurrebant, ait: [Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vndè vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non potest accessum.] Ergo solitum erat ad Papam ex Cathedra definientem recurrere.

Idem yprianus [lib. de Vnitate Ecclesię, ait: Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat].

400. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 61. maximè conqueritur de eo, quòd calumnietur, non quidem Personæ Romani Pontificis, sed Cathedræ: [Verumtamen si omnes per totum Orbem tales essent, quales vanissimè criminaris; Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? Quare appelas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? Nonnè illam Cathedram Moysi commendauit? &c. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamaris, blasphemaretis Cathedram Apostolicam; cui non communicatis]. Ergo Cathedra Romana, seù Petri, est illa, quæ in honore supremo quò ad dignitatem, ac Magisterium habenda est. Ex hac ergo docere debent Pontifices, vt eorum iudicia, ac sententiæ sint decreta, & obiecta Fidei.

401. Et vt alios Patres, ac Doctores Scholasticos omittam, est communis sententia, & Theologorum, & Canonistarum, quòd Romanus Pontifex aliqua docet, vt priuatus Magister, ac Doctor; aliqua, vt Papa, ex Ioan. XXII. Extra. de Verb. signific. dicente, Cælestinum quædam asseruisse citeà regulam Fratrum Minorum, non vt Papam, sed vt Fratrem Petrum de Tarantasia; & eius dictis, vt priuati Doctoris, non esse standum de necessitate, seù de præcepto. Vt ergo habeantur, tamquam dicta obligantia ad credendum, vel operandum in materia morum, debet ea dicere, & statuere, vt Papa. Tunc autem sic statuit, quando de Cathedra loquitur, quia tunc agit, & dicit, vt Doctor Ecclesiæ; quia in eius Cathedra fundata est Ecclesia, ex Felice 3. epist. 2. ad Zenonem Imperatorem. Ex Christi oraculo: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et dicuntur ad conuertentiam: Papa docet, seù definit de Cathedra; est enim Papa per antonomasiam, idest Vicarius Christi, & Successor Petri; & docens vt talis, docet cum Magisterio Petri, etiamsi mores Petri non haberet. cap. Fundamenta de Elect. in 6. & ex concilio Constantiensi contra art. 37. Wicleff. & contra art. 12. Ioannis Huss. Neque de hoc est difficultas, sed de sequenti.

402. Dico 2. Vt Papa de Cathedra definiens dicatur, non est necesse, vt semper eum Generali concilio definiat. Est contra nouam sententiam præterito sæculo excogitatam.

403. Probatur 1. à priori. Christus promittens Petro Claues, Matthæi 16., & fundationem Ecclesiæ super eum, eique conferens Ioan. 21. Pasce oues meas; roganšque pro eo, Lucæ 22. vt Fides eius non deficeret; & præcipiens, vt fratres confirmaret, non præcepit ei, vt cum concilio Generali pasceret, atque doceret; neque dixit, se pro illo cum concilio tantùm operante rogasse, vt Fides eius non deficeret; sed ei solitariè accepto dixit: [Tibi dabo claues Regni cœlorum: &, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petre amas me? Pasce oues meas. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos]. Ex his autem locis, sine controuersia inter Catholicos est, non soli Petri personæ, sed omni Successori in eius Sede, eam potestatem traditam, quia omnis Successor habet potestatem, & authoritatem Sancti Petri, ex concilio Florentino sess. vlt. & est de Fide, vt in præcedenti articulo patuit. Ergo, sicut Petrus loquens de sua Cathedra, non est Petrus cum tota Ecclesia congregata, sed est Petrus loquens, & definiens, vt Pastor Supremus, & Vicarius Christi ab eo constitutus Magister cum infallibilitate Iudicij; ita & quilibet eius Successor de Petri Cathedra iudicans.

404. Prob. 2. à posteriori ex facto illo Petri celeberrimo Act. 15. orta Antiochiæ controuersia de necessitate circumcisionis pro Gentilibus, qui veniebant ad Fidem; An scilicet deberent transire per legem Moysi; sicut Apostoli, & Christus ipse fecerat, & postea baptizari, sic affirmantibus Pharisæis, Paulo & Barnaba negantibus; & pro dubij decisione, Paulus & Barnabas ascenderunt Ierosolymam ad Apostolos, qui erant ibi. At ibi tunc non erat, nisi Petrus, & Iacobus minor. Et Petrus sublimi, ac diserto eloquio definiuit, non esse necessarium, vt Gentiles conuersi, ante, vel post Baptismum circumciderentur; cuius sententiam, vt ibi, Iacobus confirmauit. Certè tunc Petrus de sua Cathedra locutus totam Ecclesiam instruxit; & tamen sine Generali omnium Episcoporum, id est Apostolorum Concilio, sed in eo Conuentu Seniorum, & Præsbyterorum, qui erant Ierosolymæ. Ergo.

Dices, ex hoc facto habetur contrarium, & ex eo optimè firmari potest contraria sententia: nam de Apostolis sæpè in eo capite sit sermo, [vt ascenderent ad Apostolos, & præsbyteros. Et post: Suscepti sunt ab Apostolis. Deindè: Conuenerunt Apostoli. Et infrà: Placuit Apostolis]. Et tandem in titulo Epistolæ: Apostoli, & Seniores. Et sic patet, quòd Petrus in Concilio Generali definiuit illud dogma adeò difficile, quo abrogabatur Lex Moysi.

405. Respondetur negando antecedens. Ad probationem, cùm sit res facti historici, oportet ad Historiam Ecclesiasticam recurrere. Paulus ipse testimonium perhibet de Apostolis, quos toto vitæ tempore vidit. Ad Galatas 1. dicit, quòd post conuersionem abijt in Arabiam ad euangelizandum [: Et post annos

nos tres, veni Ierosolymam videre Petrum, & cum eo mansi diebus quindecim: alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini [. Et in hoc tempore Concilium Act. 15. factum non est, vt mox patebit. In cap. 2. ait: Deindè post annos quatoordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, &c. Et cùm cognouissent gratiam; quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse; dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis]. Ecce, quos in vita, Paulus, Apostolos vidit; & cum quibus contulit Euangelium. Igitur isti, & non alij aderant in cœtu illo Ierosolymæ facto pro decisione dubij circumcisionis: Paulus enim testis est de visu; & de facto proprio loquitur. Secundò, probatur alia euidenti ratione, ex Baron. cum antiquis loquente in Tomo 1. anno 44. Apostolorum diuisio & partitio in Orbem vniuersum facta est anno Christi 44. die 14. Iulij. Concilium autem Actor. 15. pro dubio circumcisionis, ex eod. in anno 51. factum est hoc anno 51. Fuit in eo Iacobus, quia Episcopus Ierusalem; fuit etiam in eo Petrus, quia licèt discedens è Palestina anno 44. Romam peruenisset, vbi anno 45. ex Baron. hìc, erexit Cathedram; tamen Claudio expellente Iudæos è Roma anno 51. ex Baron. regressus est in Ierusalem, & potuit esse in eo Concilio; sic & Ioannes, quia, vt notat Baron. sæpè Ierusalem adibat. Alij verò Apostoli, quia dispersi, adesse non potuerunt. Et si ex Dei monitu adfuissent, Paulus non diceret, se neminem, præter illos tres, qui columnæ erant, vidisse. Cùm ergo dicitur à Luca, Conuenerunt Apostoli; &, Placuit Apostolis, benè dicitur; quia erant quinque Petrus, Ioannes (si aderat tunc) Paulus, & Barnabas. Cùm dicitur, Paulus, & Barnabas ascenderunt ad Apostolos; congruè dicitur; quia erant tres, quos Paulus dicit columnas. Illi alij Seniores, & Præsbyteri fuerunt præsentes ad audiendum decretum; quia illi duo tantùm locuti sunt, Petrus nempè, & Iacobus. At cùm magna conquisitio fieret, Petrus sic exorsus est: [Viri fratres, vos scitis. quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere &c. Nunc ergo: quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, &c. Tacuit autem omnis multitudo.] Deindè Iacobus confirmans Petri dictum, ei subscripsit, & factum est decretum: [Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris,] &c. Patet ergo, quòd in formatione huius decreti non fuerunt omnes Episcopi, nimirùm Apostoli, nec maior pars eorum; immò neque fuerunt vocati, vt si vellent, venirent; sed casu accidit, vt adesset Ioannes; Iacobus verò adfuit, vt dixi, quia erat Episcopus Ierusalem; alij autem conuenerant ad videndum de verbo hoc: scilicet ad audiendam decisionem, adeò insignis, immò primariæ controuersiæ de abrogatione Legis Mosaicæ; agebatur enim de mutatione status, & Diuinæ Legis: quod maximum excitauerat tumultum. Si autem eiusmodi discursus de absentia Apostolorum ab eo Concilio, doctis, & eruditis Viris non videatur subsistere; & asseratur, quòd miraculosè omnes adfuerint: saluetur dictum Pauli; ego verò illis cedo, & recedo ab hoc argumento, quia alia habeo. Sed non video, quomodo saluetur.

406. Confir. Conclusio. Petrus ad vniuersos fideles scribit duas literas, decretis Fidei, & morum plenas; & tamen solus sine vllo prorsùs Concilio: nam ex Baronio anno 45. Romæ scripsit primam hoc anno, & tamen de Cathedra sua loquebatur; quia Ecclesiam totam docebat, eamque obligabat ad credendum.

407. Prob. 2 Omnes Pontifices à Petro vsque ad Syluestrum scripserunt decretales, Epistolas morum & Fidei decretis refertas, vt in art. 3. 4. & 5. distinctè de quolibet ostendi, & infra iterum ostendam; hæresesque damnarunt sine Generali Concilio; & tamen de Cathedra definierunt, alioquin obligare non potuissent Ecclesiam, nec ad credendum, nec ad operandum conformiter ad sua decreta. Et ferè omnes, vt mox patebit, in ijs decretalibus mentionem faciunt de Sede Petri, de eius Pontificio, superioritate & prærogatiua docendi veram Fidem, eò quòd super eius authoritatem, ac Fidem Christus Ecclesiam totam fundauit. Ergo de Cathedra Petri locuti sunt.

408. Prob. 3. ex dictis in præcedentibus tribus articulis 2. 4. & 5. Multò plures hæreses damnarunt Romani Pontifices sine Concilio Generali, quàm cum eo, etiam ex quo tempore cœperunt ea celebrari, nempè in quinto sæculo, & omnia eorum decreta sunt de Fide; & niholominùs de Cathedra id fecerunt. Igitur Papa loquens de Cathedra, non est Papa cum Concilio tantùm.

409. Prob. 4. Cathedra Petri, est Sedes Romana, seù Episcopatus Romanus, alij autem Episcopatus, seù Sedes dicuntur, & sunt filiæ Romanæ Cathedræ, seù Sedis, Can. Non decet dist. 22. Romana, est etiam Mater Græcæ, & Latinæ, cap. fin. de Baptismo. &c. Est Caput, & Apex omnis Episcopatus ex Damaso epist. 4. & ex Nicolao epist. 32. Est Magistra omnium aliarum., ex Can. Denique dist. 21. ex Felice 1. epist. 3. ex Caio epist. 1. ex. Marcello 1. epist. 2. Ipsa sola est Apostolica, Can. Cleros dist. 21. Ergo inter Cathedram Romanam, seù Petri, &, & alias etiam olim Apostolica, vt de Traditionibus dixi, est differentia, sicut inter vnum, & multa; sicut inter Magistrum, & discipulos; sicut inter superius, & inferiora. Et consequenter Cathedra Petri, non est omnis alius Episcopatus, omnis alia Sedes; & omne aliud Pontificium, sed Romana, Caput; Magistra Apex, & Mater. Et proindè Romanus Pontifex loquens de Petri Cathedra, non est vt loquens cum omni, seù de omni alia Cathedra. sed de sua determinata Romana. Sunt enim aliæ, discipulæ, auditores, & subditæ Cathedræ Petri.

410. Confir. manifestè ex Can. Omnes dist. 22. vbi dicitur: Omnes, siue Patriarchij cuiuslibet Apices, siue Metropoleon Primatus

eus, aut Episcopatuum Cathedras instituit Romana Ecclesia. Illam verò solus ille fundauit, & super petram Fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis Imperij iura commisit, &c. Vndè quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit; iniustitiam facit. Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur: hic procul dubio in hæresim labitur, & cum illo vocetur iniustus: hic est proculdubio dicendus Hæreticus. Fidem qnippè violat: qui aduersus illam agit, quæ Mater est Fidei]. Ergo Cathedra Petri est de necessitate diuersa ab omni alia Cathedra omnis, & vniuersalis Ecclesiæ. Et Papa loquens de Cathedra Petri, uon est loquens de omni alia; sed potiùs loquens ad omuem aliam; quia omnis, & si Petri Cathedræ subiecta, & discipula, non tamen Petri Cathedra; scilicet Magister non est discipulus; nec Mater est Filia; nec superior est inferior.

411. Confir. Antequam aliæ Ecclesiæ, & Carhedræ vltra Apostolicas fundarentur; Petrus suam Cathedram habebat, sicut Iacobus, & alij Apostoli suam. Er dum ipse de sua docebat Gentes, certè non docebat de Cathedra Iacobi, Matthæi, Andreæ, Ioannis, &c. Igitur, sicut Cathedra Petri, est Pontificium, & Sacerdotium Romanum, & non alia; ita Romanus Pontifex in eo succedens, dum de ea Cathedra loquitur, non de omni Ecclesia, siue congregata, siue dispersa loquitur; immò ad illas Cathedras loquitur, eas dirigens. Vndè Felix 1. ex epist. 3. c. 3. & habetur nunc in Can. Sacrosancta in fine dist. 22. ait: [Hæc verò Apostolica Sedes, cardo, & caput omnium Ecclesiarum à Domino; & non ab alio est constituta; & sicut cardine ostium regitur, sic huius Sanctæ Sedis authoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.

412. Confir. 2. ex eod. Felice, & Canone. Petrus tres Cathedras, ac Sedes habuit, Antiochenam, Alexandrinam, & Romanam; hæc tamen Apostolica est, in qua Pontifices succedunt cum authoritate Petri, non autem illæ. Si ergo omnes Episcopatus, omnesque Ecclesiæ formarent Petri Cathedram, malè diceretur, quòd illæ tres sunt Petri Cathedræ; deberent enim onmes tres, immò omnes omnium Apostolorum, dici Petri Cathedra, & ramen non sic est. Ergo solùm Romana est Petri Cathedra, reliquæ verò ei subiectæ, non ea, nec eam constituentes.

413. Prob. 5. ipsamet concilia Ecclesiam repræsentantia, agnoscunt hauc distinctionem inter Ecclesiam congregatam, & Petri Cathedram, & ab ea, vel directionem petunt, vel confirmationem. Ergo Cathedra Petri, est non tota Ecclesia, sed eius Episcopatus præsidens toti Ecclesiæ, eamque pascens, docens, ac dirigens. Anteced. prob. de primo Concilio Generali Nicæno: tota namque Ecclesia congregata decidens controuersiam de consubstantialitate, à Cathedra Petri, à Siluestro, petit confirmationem. [Nunc itaque ad vestræ Sedis argumentum accurrimus roborari, &c. Deindè vt gradus ipsos, vel textus ordinationis suæ sanctimoniæ nostra possit habere regula, quoniam decet numerum dictorum tuorum Coepiscoporum à te discere gradus, vel ordines constituere Verbis. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, præcamur vestri oris consortio confirmetur.] Hæc est Ecclesia, quæ petit à Cathedra Petri edoceri, igitur ipsa non est Petri Cathedra, sed eius discipula. Siluester aut illud confirmauit.

414. Concil. Calcedon. 630. Patrum ob Eutychetis hæresim adunatum, certè Ecclesiam repræsentabat; & tamen Leonis Epistola hæresim damnante perlecta, omnes clamarunt: [Hæc est Petri Fides, hæc Apostolorum Fides. Omnes ita credimus; anathema qui ita non credir. Petrus per Leouem locutus est; Apostoli ita docuerunt. Piè, & verè Leo docuit.] Ecce quòd Leo de sua Cathedra Romana locutus est ad concilium, non de Concilio, vel cum eo, sed ad illud, vt Magister ad discipulos; quòd clarè confitentur, dum petunt confirmatiouem Concilij ex Act. 16. vbi præ cœteris dicunt: [Quam velut auro textam seriem ex veste Christi, & præcepto legislatoris venientem vsque ad vos ipse seruasti, vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres, eius Fidei beatificationem super omnes addneens. Et post aliqua: [Eramus in communi corona gaudij, quasi in Imperialibus cœnis, & delicijs spiritualibus epulantes, quas per tuas Sacras Christus præparauerat inuitatis, & supercælestem Sponsum inter nos conuersantem cernere putabamus. Et post: Proculdubio debuit à vestra prouidentia inchoari; vt sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.] Ergo Concilium non est Petri Cathedra, sed auditor, & susceptor eorum, quæ ipsi dicuntur, & de quibus docetur à Petri Cathedra. Leo enim iam ante Concilium scripserat eam Epistolam dogmaticam, quæ in Concilio lecta fuir, ad Flauianum directam, & certè de Cathedra damnarar Eutychetis hæresim. Ergo non concilium, sed Romanus Episcopatus est Petri Cathedra, de qua alloquitur, & docet Concilia.

415. Confir. ex concil. Gen. 4. Agatho de Sede, & Cathedra Petri sic ait: [Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nuuquam erasse probabitur, nec hæreticis prauitatibus deprauata succubuit.] Et alia multa, quæ attuli in art. 7. quibus docet fidem tenendam contra Monothelitas. Agatho tunc de sua Cathedra, non de concilio loquebatur: & Concilium petens confirmationem à Cathedra Petri sic ait: [Idcircò Christus sapientem dedit Medicum vestram à Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæreticæ luis forriter propulsanté, remedijs orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi, vt primæ Sedis Antistiti vniuersalis Ecclesiæ, quod gerendum sit permittimus stanti super firmam fidei petram; acquiescentes veræ confessionis literis à vestra Paterna Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis; quas, vt à summo Apostolorum vertice perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depuli-

pulimus.] Certè hæc Epistola Agathonis ad Imperat. qua damnat Monotheliras, Romæ iam damnatos, de Cathedra est, non de concilio, vel in concilio, aut cum illo, & antequam ad Imper. peruenitet, adhuc de Cathedra erat, & dum à Concilio fuit recepta, vt de Cathedra emanata recepta est, Ergo Cathedra Papæ, non est concilium, nec vllam rationem habet ad concilium tanquam ad sui constitutiuum, sed tanquam ad discipulum, & subditum sibi ad erudiendum, pascendum, arguendum, & confirmandum in fide, commissum.

416. Confir. 2. ex Concil. Nicæno II. Gen. VII. In act. 2. habetur, quòd Adrianus rogatus est ab Imperatore per Epistolam, Diualem dictam, initio concilij positam, vt dignaretur accedere ad eas partes, vel alium mittere pro dirimenda controuersia Imaginum, his verbis: [Tanquam verus primus Sacerdos, & is, qui in loco, & Sede Sancti, & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, ascendat, &c. Et si non poterit ascendere huc, eligat viros honorabiles habentes scientiam, &c.] Ecce, quòd Imperator agnoscit, locum, & Sedem Petri esse quid à concilio diuersum; & de Sede Petri petit viros, qui ab ea ferant agendorum notitiam, & instructionem ad concilium, non è contra, Papa verò Adrianus ex ead. act. 2. respondet.] Vos autem maximè in traditione orthodoxæ Fidei Ecclesiæ Beati Petri acquiesceris, & amplectemini, quemadmodum à superioribus factum est. Et post: Hi si quidem, Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam orthodoxam fidem auspicati, per scripta, veluti legibus latis, fidem, quam seruandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in Sede illorum successuri erat, & in fide eorum vsque ad consummationem sæculi permansuri: atque ita nostra seruat Ecclesia, & sanctas eorum figuras veneratur.] Hac autem Epistola lecta in concilio, Tarasius omnium primus, ait: [Paulus ad Rom. dicit; fides vestra prædicatur in Vniuerso Orbe. Hoc testimonium & nos insequi par est, temerariumque repugnare arbitramur. Quamobrem Adrianus Veteris Romæ Primas, & testatorum Principum Successor, clarè, & verè, cùm ad Imperatores, tum ad nostram mediocritatem mihi scripsisse videtur, constabiliuitque, & rectam declarauit Catholicæ Ecclesiæ antiquam traditionem: &c. Et Imagines venerandas confitemur, &c. deindè: Tota Synodus dixit: Sequimur, recipimus, & probamus.] Ex quibus euidenter habetur, Adrianum de Sede, & Cathedra Petri decretum misisse ad Imperatorem, & Tarasium, ipsumque lectum in Concilio; & ab hoc vt fidei obiectum receptum fuisse; cùm tamen nec de concilio, nec in concilio locutus fit Adrianus. Ergo concilium non est Petri Cathedra.

417. Confir. 3. ex Epistola Synodali eiusdem concilij, in qua præ alijs, dicunt Patres: [Literas Sanctitatis tuæ primò legi iussimus, & etamus quidem tunc omnes velut in regio conuiuio epulis Spiritus interni; quod tali conuiuio animi nostri recrearentur. Pedes nostri in viam rectam veritatis per ducebantur. Sic confracta membra in vnum corpus componebantur. Sic concordia reualuit. Sic Catholica Ecclesia in vnum est collecta.] Quid hoc clarius? Adrianus longè ante adunationem Episcoporum in Ciuitate Nicæna, Epistolam illam dogmaticam de Imaginum veneratione composuerat; tunc certè de Cathedra Petri locutus erat. Patres concilij dicunt, se per eam Epistolam ductos Adriano duce in viam veritatis. Igitur concilium illud didicit ab Adriano de Cathedra docente veritatem. Ergo ipsum concilium non est Cathedra Petri, nec pars eius, sed auditor, & discipulus quò ad approbationem, & confirmationem decretorum.

418. Confir. 4. ex conc. Gen. 8. Constantinop. quarto, in quo Episcopi 102. ferè omnes Orientales conuenerunt. Hi omnes euidentissimè distinguunt Cathedram Petri à concilio tanquam Iudicem respectu Populi, in actione enim 7. dum S. Ignatium Sedi restituunt, & Photium intrusum reijciunt, ac damnant, præ alijs dicunt: [Si qui verò ex illis alias ob causas, rei peraguntur? suas tamen Cathedras obtineant, donec in Romanæ Sedis tribunali de ijs iudicium fiat]. Et post, decretum confirmant de cultu Imaginum, damnantes Ioannem Constantinopolitanum, & asseclas, hac ratione: [Hæc Apostolica Cathedra decreuit, quæ à nobis sanctissimè sunt custodienda.] Et in libello supplici concilij ad Adrianum in eadem act. Patres damnantes scelus Photij contra Romanum Pontificem reluctantis, dicunt, temeritatem fuisse, [Dominus enim dicit; non est discipulus supra magistrum. Quàm proiectæ sunt ergo audaciæ ij, qui contra Apostolicam Ecclesiam Magistram, & præsidem reliquatum rictus pandunt? &c. Quarta Synodus Oecumenica Dioscorum ea de causa eiecit, vt ne vmquam throno suo restitueretur; Quòd & ipse supremum Ecclesiæ Tribunal canoni suprememorato contraria ausus oppugnarit; &c. Enim verò Beatissime Papa pro his te obtestamur: opitulare miseris, abiectos erige, resipiscentibus ignosce, vt Photio errotis duce præciso, cœteri Apostolicæ Sedis aperta circa se pietatis viscera sentiant. Et post aliqua concludunt; Quia verò rerum Ecclesiasticarum quotidiana administratione conuenire non possumus, quidquid tibi de Ecclesia Constantinopolitana Deus suggesserit, omnes approbauimus.] Ecce quod concilium confitetur, Papam solitariè, sine concilio facere cathedram, de qua potest omnes reos ligare, absoluere, & decreta formare. Si Græci Papæ infensi id dicunt, quid adhuc egemus testibus?

419. Prob. 6. ex confessione, & dictis ipsorum Romanorum Pontificum à Petro incipiendo; omnes enim nomine cathedræ Petri intellexerunt potestatem supremam docendi totam Ecclesiam, quæ potestas hæreditariè residet in Successoribus Petri.

420. Petrus, ex Epist. 1. Clem. 1. postquam multa de Ecclesiæ regimine Clementi dixisset; conuersus ad populum ait: [Charissimi fratres, & conserui mei, huic, qui præsidet ad veritatem docendam, in omnibus obedire, scientes, quòd qui hunc contristauerit, Christum, qui ei docendi credidit cathedram, non recipit.] Et post multa iterum

rum conuersus ad Clementem præ alijs dicit: [Ne verearis, ne forte multum de meo exitu contristandus sit, id est Iacobus, qui id me pro pietate sustinere non ambigat. Erit autem ei grande solatium, si didicerit, quòd post me, non imperitus vir aliquis, aut indoctus, atque ignorans Diuini Verbi Mysterium, & Ecclesiastici ordinis disciplinam, vel doctrinæ regulam nesciens, suscipiet cathedram meam.] Et cœtera multa. Ergo Petrus, nomine cathedræ, de qua loquuturi erant sui Successores, non intellexit concilium, vel eos in concilio; sed Sedem Romanam, idest Sacerdotium, seu Episcopatum Romanum, cui Deus contulit fastigium, & sublimitatem doctrinæ, seu Magisterium ad docendum omnes Ecclesias, & confirmandum eas omnes, & Rectores earum in docenda fide, & disciplina morum, absque erroris periculo. Et sic ex modo loquendi Petri ad Clementem Papam, loqui de cathedra Petri, aliud non est, quàm eum vti Magisterio, vt Successor Sancti Petri.

421. Anacletus Martyr. Epist. 1. decr. ait. [Si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint; ad Sedem Apostolicam referantur; quoniam Apostoli hoc statuerunt, iussione Saluatoris, quia super eam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso; tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Idem repetit in epist. 3. cap. 3. Ergo alia cathedra non eget, vt iudicet.

422. Euaristus Martyr. Epistol. 1. ait. [Consulentibus vobis, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis, visum esset nobis, vel quid docilis ratio persuaderet, vel quid à Beatis Apostolis nobis traditum, aut custoditum remaneret, optantes nostris institui documentis, hæc rescribimus. Siquidem dilectio vestra normam secuta prudentum, ad Sedem Apostolicam referre maluit, tamquam ad caput, &c.] Ergo Sedes Petri, seu Cathedra est Magisterium supremum Pontificum.

423. Alex. I. Martyr. Epist. 1. [Delatum est ad huius Sanctæ Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum ab ipso Domino traditæ sunt quasi ad caput, ipso dicente, tu es Petrus, &c.]

424. Pius I. Martyr. epist. 1. [Christus hanc Sanctam Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente Principi Apostolorum, Tu es Petrus, &c.]

425. Calixtus Martyr epist. 1. [Iuxta scilicet Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequuntur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare.]

426. Felix I. Martyr epist. 3. [Suscipientes fraternitatis tuæ epistolas, quibus me requisiuisti super fidei documentis, quæ ab alijs habeantur aliter, quàm rectæ fidei contineant sacramenta: respondere non cessultauimus. Semper enim dubia, & maiora negotia terminum ab hac sancta Sede accipere consueuerunt.]

427. Marcellus I. Martyr epist. 1. [Iubente Domino Sedes ex Antiochia Romam translata est, ad quam cuncta maiora ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principia.]

428. Siluester in Concilio Rom. cap. 20. [Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à Sede prima desiderant temperari.]

429. Iulius I. epist. 1. ad Orientales Epis. [Sicut B. Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum; ita & hæc Ecclesia, Domino instituente, prima, & caput est cœterarum, & ad eam, quasi ad matrem, atque apicem omnes maiores Ecclesiæ causæ, & iudica episcoporum recurrunt, eisque iuxtà sententiam terminum sumunt.] Idem dicit in epist. 2.

430. Liberius in epist. ad Athanasium. [Olim & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum sanctæ Ecclesiæ commouere ad læsionem recte credentium absque sui periculo honoris.]

431. Damasus I. in epist. ad Stephanum, & Concilia Aphricæ. [Oportet nos, qui supra domum Domini, hoc est vniuersalem Ecclesiam catholicam Episcopale suscepimus ministerium, sollicitè vigilare, ne &c. Scitis Fratres, firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, idest omnium Episcoporum Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum: Tu es enim, sicut Diuinum verbum pronunciat, Petrus, & super firmamentum istud, columnæ, qui Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt &c. Tu prophanatorum hominum, & membrorum meorum, maximè discipulorum existis, vt princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ fidei; cuius vice hodie gratia Dei, legatione pro Christo fungimur.]

432. Siricius epist. 3. ad omnes Orthodoxos. Nobis cura est omnium Ecclesiarum. Ideò tacere non licuit.]

433. Innoc. I. ad Episc. Mileuit. Concilij epist. 32. ait: [Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Episcopos nostros, id ad sui nominis, & honoris auctorem referre deberet, veluti nunc retulit dilectio vestra. Scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus, responsa semper emanent.]

434. Cœlestinus I. epist. ad Cyrillum Alex. in causa Nestorij. [Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, &c. vt nisi decem dierum interuallo nefariam doctrinam suam Nestorius conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum spondeat, quam, & Romana, & tuæ Sanctitatis Ecclesia prædicat: illicò &c.]

435. Leo Magnus epist. 5. ad Episc. Siciliæ: Diuinis præceptis, & Apostolicis monitis incitamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid vsquam reprehensione inueniatur obnoxium, celeri sollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis vsurpatione reuocemus.]

ecmus.] Et in epist. 93. ad epist. Vienn. prouinciæ. [B.Petro præ cęteris ligandi, ac soluendi tradita est potestas, & pascendarum ouium cura specialis mandata est; cui quisquis principatum ęstimat denegandum; illius quidem nullo modo minuere potest dignitatem &c.] Idem prolixius dicit in epist. ad Theodoretum, ad eum recurrentem, non ad Concilium.

436. Gelasius epist. 2. ad Episc. Dardaniæ. [Nec planè tacemus, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata, Pontificum, Sedes B.Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpotè, quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi; neque de eius liceat iudicare iudicio &c. Et in epist. 6. ad Episc. Lucaniæ &c. Satis indignum est, quemquam, vel pontificum, vel Ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri Sedem sequi videat, & docere; satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus totius Ecclesię posuit principatum. Idem dicit in commonitorio ad Faustum suum legatum. Et in decreto de Apocryphis libellis respondens ad consoltationem Episc. Galliæ, ait. [Sancta Romana Ecclesia catholica, & Apostolica, cæteris prælata est, nullis Synodicis constitutis, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquientis, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

437. Bonifacius 2. epist. ad Eulalium Episcopum. [Ab initio tantam percipimus à B.Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ auxiliante Domino subuenire, & quicquid nocuum, auctoritate Apostolica corrigere, & emendare.]

438. Nec prætermittam decreta Adriani 1. quæ habes in Concil. Gener. 8. act. 7. in causa Photij. In Synodo Rom. discutit Papa, quid agendum contra Photium rebellem. Ait Synodus: [Tu, qui Apostoli throni principatum acriter tueris &c. accinge lumbos tuos, atque hanc Apostolico throno irrogatam iniuriam vindica, & acta illius conciliabuli cum ipso, falce succide &c.] Et dicente Adriano, se damnaturum Photium, respondet Synodus: [Pium pontificis nostri, & cathedræ ęcumenicæ consilium placet omnibus.] Ecce, quæ est cathedra. Prosequitur Adrianus, afferens Papam, nisi ex causa hæresis, Concilio non subesse. Et referens factum Symmachi, quod nec instante Theodorico Rege potuit à Synodo iudicari, ait: [Non ignorabant, principem Apostoli Petri cathedram summa. auctoritate esse præditam, Romanamque, & Apostolicam Ecclesiam minorum pontificum iudicio subiectam non esse. Ita igitur nouimus vniuersi, Ecclesiam Romanam aliorum esse iudicem; ab alijs autem non iudicari.]

439. Vigilius epist. 1. ad Eucherium episcopum. Licèt omnium Apostolorum par esset electio; tamen Petro concessum est, vt cæteris præmineret. Vndè & Cephas vocatur, quia caput est. Quamobrem sancta Romana Ecclesia eius merito voce Domini consecrata, & sanctorum Patrum auctoritate roborata primatum tenet omnium Ecclesiarum, ad quam tam summa episcoporum negotia, & iudicia, quàm & maiores ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput semper referendæ sunt.] Et infrà: [Ipsa namque ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint nostræ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.] Et in epist. ad Episc. Gallię, significat, se Arelatensi Episcopo causam quamdam commisisse, & dicit: [Contentiones verò si quæ (quas Deus auferat) in fidei causa contigerint; aut tale emerserit fortè negotium, quod pro sui magnitudine Apostolicę Sedis magis iudicio debeat terminari, ad nostram discussa veritate perferat sine dilatione notitiam.]

440. Gregorius 2. epist. 1. ad Bonifacium, ait: [Idcircò, qui præmissi conatus pium affectum, vsque ad Apostolicæ Sedis modesta prouisione perduxisti consultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter se submittens, eius directioni iusto tramite properans soliditati compaginis plenitudo existas. Ideò in nomine indiuisibilis Trinitatis per inconcussam auctoritatem S.Petri Apostolorum principis, cuius doctrinę magisterijs dispensatione fungimur, & locum sacræ Sedis administramus, modestiam tuæ religionis instituimus, atque præcipimus &c. Ad confirmandum fidei vestræ propositum sanctæ Sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit, sacræ Religionis à memorata sancta Sede Apostolica spiritali omnium fidelium Matre solatium quærere, sicut decet filios cohæredes regni regali parente.] Ecce quòd in se solitariè accepto potestatem cathedrę, & Magisterij agnoscit.

441. Et ne in longum traham sermonem, compendiosiùs dicam. Ferè omnes pontifices, qui decretales, aliasuè scripserunt epistolas, asseueranter affirmarunt, cathedram, seù Sedem Romanam alijs præesse, ac prodesse; in eis ligare, & soluere; eas veritatem inconcussam docere, & quòd super eam fundata sit tota, ac vniuersalis ecclesia. Sic Sixtus 1. epist. 2. Anicetus epist. ad Episc. Galliæ cap. 3. Eleutherius ad eosdem cap. 2. Victor 1. ad Theophilum, & alios Ægypti Episcopos, Zephirinus ad Episc. Siciliæ, Antherus ad Episc. Beticæ, & Tolet. prouinciæ, Fabianus epist. 2. ad Orientales Episc. Lucius ad Galliæ, & Hisp. Episc. Sixtus 2. epist. 1. Dionysius epist. 2. Eusebius epist. 3. Marcus ad Athanasium, & alios episc. Ægypti. Felix 2. epist. 1. ad eosdem Alexandriæ congregatos. Damasus epist. ad episc. Orientis. Anastasius ad omnes Germaniæ, & Burgundiæ episc. Innocentius 1. epist. 2. 3. 17. & 29. Zosimus epist. ad Hesychium, & alia ad episc. Galliæ, & 7. prouinciarum. Leo 1. epist. 49. ad Concil. Chalcedon. & epist. 58. 88. & 93. Hilarus epist. 3. Stephanus 1. epist. 3. 5. 9. & 17. Gelasius præter supra dicta epist. 6. cap. 27. epist. 10. & 11. Anastasius 2. epist. ad Anastasium Augustum. Symmachus in Apologia aduersus Anast. Imper. Hormisda epist. 22. Ioann. 2. epist. 2. Pelagius 1. epist. ad Vigilium: & epist. ad episcopos Germaniæ, & Galliæ.

Greg. Mag. lib. 4. epist. 7. lib. 6. epist. 37. & 64. lib. 11. epist. 44. Deusdedit epist. ad Gordianum. Honorius 1. epist. 7. Martinus 1. epist. 1. 2. 10. & 11. Vitalianus epist. 1. Agatho epist. ad Constantinum, & Heraclium Imperatores. Leo 2. epist. 1. & 2. Greg. 2. epist. 4. Greg. 3. epist. 4. Greg. 4. epist. ad episc. per Galliam &c. Greg. 7. lib. 1. epist. 60. Greg. 11. const. 1. Zacharias epist. ad Wittam, & epist. 13. ad Bonifacium. Leo 3. epist. ad Sabinensem &c. Leo 4. epist. ad Carolum Regem. Leo 9. epist. ad Petrum, & epist. ad Michaelem Imper. Leo 10. in Concil. Lateranensi 5. sess. 11. Adrianus 1. epist. ad Const. & Irenem, & epist. ad Tarasium. Adrianus 2. epist. 3. Nicolaus 1. epist. 6. ad Photium, epist. 8. ad Michaelem Imper. epist. 10. 18. 20. 30. & 32. Nicolaus 2. epist. ad Eduardum Regem Angliæ. Nicolaus 3. de elect. & electi potestate. Alexander 2. epist. ad Haraldum. Alexander 3. epist. ad Vigilensem episc. Innoc. 2. epist. ad Henricum &c. Innoc. 3. lib. 1. epist. ad Patriarch. Antioch. & epist. ad Carum episc. lib. 2. epist. ad Patriarch. Constantinop. Innoc. 4. in 6. decr. de sent. & re iud. cap. 2. Placet referre verba Innoc. 2. & Nicolai 1. Ille epist. ad Henricum Seniorem, & alios Galliæ episc. circa condemnationem Petri Abailardi: [Nos, qui in cathedra S. Petri, cui à Domino dictum est; Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, licèt indignè residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri dogmata damnauimus, eique tanquam heretico perpetuum silentium imposuimus. Item & Nicolai I. epist. 18. ad Carolum Regem. Sedes hæc sancta, cui Dominici Gregis cura commissa est in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salutari, cuncta ordinare, perficereque diuino freta procurat auxilio; & quod singulariter etiam auctoritate perficere valet, multorum sæpè Sacerdotum decernit definire consensu; &c.] Ergo Rom. Pontifex vt de Cathedra loquitur, non eget generali Concilio. Tandem si omnium Pontificum epistolæ legantur, aut Constitutiones, & decreta, perspicuè patebit, eos decreuisse, quòd Romana Sedes, seu Cathedra, ne dum aliarum Cathedrarum non eget consortio, vt subsistat, & sua munera auctoritatiuè exerceat; sed eas tanquam filias, ac discipulas fouet, dirigit, atque docet.

442. Confir. denique graui, & formidabili argumento tam Bonifacij VIII. quàm Leonis X. Ille enim in Extrau. [Vnam sanctam. De Maioritate, & obedientia, præ cęteris habet: Ecclesiæ vnius, & vnicæ, vnum est corpus, & vnum caput, non duo capita quasi monstrum; Christus, & Christi Vicarius Petrus, Petrique Successor, dicente Domino ipsi Petro, Pasce oues meas, & generaliter non singulariter has, vel illas, per quod commisisse tibi intelligitur vniuersas. Siue ergo Græci, siue alij se dicant Petro, eiusque Successoribus non esse commissa; fateantur necesse est de ouibus Christi non esse, dicente Domino, vnum ouile, & vnicum esse pastorem.] Deindè statuit duplicem in Petro potestatem, temporalem, & spiritualem; & post multa dicta de vtraque; sic de spirituali decernit: [Est autem hæc, non humana, etsi data homini, sed potiùs Diuina iure diuino, Petro data, sibique, suisque successoribus in ipso, quem confessus fuit, petra firmata, dicente Domino ipsi Petro, Quodcunque ligaueris super terram &c. Quicunque igitur huic potestati à Deo sic ordinatę resistit, Dei ordinationi resistit. Porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.] Ergò tota, quanta est suprema potestas spiritualis data à Christo ipsi Petro, & cuius Successoribus, tam Petrus, quàm successores habent independenter ab omni alia Cathedra, Sede, Episcopo, & Concilio; immò isti omnes de necessitate salutis debent ei subesse, eumque audire, quia æternæ vitæ verba habet, & confirmare potest eas omnes, & non potest ab eis doceri, aut confirmari in fide docenda.

443. Leo verò X. in Const. 40. Exurge, contrà 41. articulos Lutheri, omnes damnat. Et inter eos est 25. [Romanus Pontifex Petri Successor, non est Christi Vicarius super omnes totius Mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus, & 27 Certum est, in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos Fidei, immò nec leges morum, seu bonorum operum.] Et Leo IX. iam statuerat in epist. 1. Papam sine Concilio posse totum, quod cum eo. Si autem dicatur, potestatem Papæ circa definitionem dogmatum Fidei, in solo Papa non esse, sed dependere à Concilio; in primis, non esset Vicarius Christi super Episcopos Conciliares, & sic non super omnes Ecclesias; quas illi repręsentant. Secundò propositio damnata in secundo loco, est disiunctiua, vel in manu Papæ. Qui ergo dicit Cathedram Papæ ex Concilio coalescere; & sine eo definire non posse; hic in vtraque sentiret cum Luthero, & Leonis sententia.

444. Prob. 7. ex factis multis maximæ considerationis eorum, qui pro causis, & veritate fidei, et si in remotis existerent, ad Roman. Pontificem, non in Concilio existentem, immò neque cogitantem de illo; sed in sua Sede Romana regentem accurrerunt, vel ab eo citati comparuerunt, eorumque Fides ab eo solo approbata, vel reprobata est, & eius iudicium semper firmum in Ecclesia mansit, & fidei obiectum fuit. De malis autem, & bonis exempla aliqua adducemus, etsi innumera alia adduxerimus in articulo 5.

445. Cerdon infamis hæresiarcha Romam venit sub Higino, ex Baron. ann. 155. ex Irenęo lib. 3. cap. 4. vt suas hęreses abiuraret, quod & fecit licèt fictè, & sic suę Fidei probationem Higino in sua Sede, non in Concilio existenti submisit; hic autem eas damnauit, & semper pro damnata habitę sunt; & formulam veræ Fidei præfixit.

446. Marcion pariter scelestissimus hæresiarcha ex Baron. in anno 167. testibus Irenæo, Epiphanio, ac Tertulliano ab eo relatis, Aniceto in sua Cathedra, non in Concilio præsidenti suam subdidit Fidem, quam damnante Papa, Palidoniam recantauit, &

Fidei

Fidei à Papa præscriptam professionem emisit; illa autem Marcionis doctrina semper damnata mansit.

447. Origenes de innumeris hæresibus infamatus, ad Fabianum in sua Cathedra, non in Concilio sedentem, in sui purgationem scripsit. Et quia fortè Fabiano non satisfecit, Romam ab ipso accersitus, ad sui defensionem in causa fidei venit, ex Baron. anno 248. & tamen eius errores damnati sunt, semperque damnati manserunt.

448. Tertullianus cùm esset Catholicus, confessus est hanc Rom. Pontificis in sua Sede manentis potestatem in lib. de præscript. cap. 36. inquiens. [Si Italiæ adiaces, habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt.] De doctrinarum traditionibus ibi loquebatur. Non dicit esse necessarium recursum ad Papam in Concilio, sed ad eum Romæ existentem. Factus tamen hæreticus Papæ auctoritatem in damnatione hęresum expertus est, nam à Zephirino, cum suis hęresibus damnatus est ex Baron.anno 216.fuerit contrà Catholicos ex hac damnatione; & curat reconciliari Papæ, sed frustra.

449. Possent & hìc adduci omnes Hæresiarchæ, qui cum suis impietatibus à solis Rom. Pontificibus, nihil prorsùs de Concilio cogitantibus damnati sunt, vt in art.3. 4. & 5. dixi. At, quod mirum est, & mirum in modum conclusionem confirmat, isti, cùm doctissimi essent, non mussitarunt de plena Papæ potestate in discernendis, & decernendis doctrinis hæreticis, atque Catholicis.neque dixerunt eum se solo id non posse facere, sed cum Concilio, vt Nouellistæ aliqui ex Occidentalibus frigidè multùm, & sine ratione, sed contra rationem dicere non verentur. Fortè illi sunt doctiores Origene,ac Tertulliano; & speciales aliquas notitias à discipulis Apostolorum habuerunt, quas illi solertes rerum indagatores, & Apostolis proximi, non habebant, de mutila hac Petri potestate, & de eius Cathedra secundùm se non integra; sed ex Concilio constanda.

450. Polycarpus ipse S. Ioannis Apostoli discipulus in quæstione Paschæ, existimans esse Iudaico more celebrandam; ad Romanum Pontificem accurrit, vt ità decerneret. Quod tamen non obtinuit: immò Victor, Asiaticos omnes Episcopos excommunicationis fulmine perterruit, vt ritum celebrandi Pascha cum Iudæis relinquerent; quod & factum est. Et tamen Concilium illud Asiaticum, in quo fœmina Apostolorum,aut saltem discipulorum, adhuc vigebant, non est conquestum de vsurpatione potestatis Victoris, neque eorum vllus verbum aliquod protulit de hac Papæ potestate in Concilio tantùm generali exercenda.

451. S. Ambros. epist. 81. ad Siricium, Cathedram Petri in sola, & solitariè operante Papæ potestate agnoscit, dicens: [Recognouimus Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fęliciter commissam tibi ianuam serues, & pro sollicitudine Christi ouile custodias, dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur. Et ideò quia nosti ouiculas Christi, lupos facilè deprehendes, & occurres quasi prouidus Pastor, ne illi morsibus perfidiæ suæ, feralique vlulatu Dominicum ouile dispergant.] In Siricio ergo pastoralem auctoritatem, & non in alio residentem agnoscit.

452. Cyrillus Episc. Alex.cum suo Concilio Nestorij hæresim damnat. At quia optimè nouerat suum iudicium, vel non esse verum; vel si verum, vt erat, non posse Ecclesiam obligare; ad Cœlestinum Papam recurrit, vt eum Apostolica Cathedra damnet. Quod & factum fuit, vt supra patuit. Vt autem concorditer omnes damnationem sui gentilis promulgarent, hortatu Theodosij in Concilio generali Ephesino iterum damnandum curauit.

453. S. Hieron. in epist. ad Damasum, suæ Fidei veritatem, ex communicatione cum Cathedra Petri,in qua Damasus sedebat, nulla habita mentione Concilij comprobat. Dicit, in Oriente tunicam discissam, & Fidem collapsam:& post multa ad Papam conuersus, ait: [Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea; & quamquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victima salutem; à pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia Romani culminis, recedat ambitio.] Legant Nouantes, & considerent. [Cum Successore Piscatoris,& discipulo Crucis loquor. Ego nullum præmium, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque tecum non colligi, spargit,&c.] Deindè, vt in prima conclusione, profitetur, in controuersia Hypostasis Diuinæ, se confessurum tres Hypostases in Deo (licèt aliter sentiret) si Damasus iuberet. Quod & fecit, quia ille iussit. In epist. ad Demetriadem: [Illud te pro charitatis affectu præmonendam puto, vt sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & Anastasij successor est, teneas Fidem, nec peregrinam doctrinam recipias.

454. S. Augustinus lib. quæst.vet.& noui Testam. quæst. 75. ait: [ficut in Saluatore erant omnes causæ Magisterij, ità post Saluatorem in Papa omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum, vt Pastor esset Gregis Dominici. Petro dicit; Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu tandem conuersus confirma fratres tuos. Tract. 124. in Ioannem: Petrus, natura vnus homo erat; gratia vnus Christianus; abundantiore gratia, vnus idemque primus Apostolus lib. 2. de Bapt. contrà Donatist. cap. 1.] comparans Cyprianum Petro in Martyrio, ait: [Vereor, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nesciat illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathedratum gratia; vnus est tamen Martyrum gloria.] lib. 1. contrà Iul. cap. 4. ait, quòd si Innocentium Papam audire voluisset, laqueos Pelagij effugisset, lib. 2. contrà Pelag. & Celest. cap. 7. ait: [Celestium non fuisse ausum resistere literis Innocentij; imò & omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum se esse promisit,] epist. 157. narrat, Pelagium, & Celestium à Zosimo, & Innocentio damnatos in toto Or-

be Christiano: & relata sententia Zosimi de originalis peccati contractione à cunctis hominibus, subdit: [In his etiam verbis Apostolicæ Sedis, tam antiqua, certa, atque fundata, & clara est Catholica Fides, vt nefas sit de illa dubitare Christiano. Et de Cæciliano epist. 162. ait: Cùm se videret Romanę Ecclesiæ, in qua semper viguit Cathedrę Principatus, & cęteris terris, vndè Euangelium ad ipsam Aphricam venit, per communicatorias literas esse coniunctum &c.]

455. Ex his ergo, alijsque permultis Ecclesiæ Doctoribus celeberrimis; immò & ex hæresiarchis ipsis, euidenter discimus, potestatem decerdendi dogmata, etiam in Cathedra Petri solitariè accepta, non antem cum consortio tantùm Generalis Concilij residere. Si enim sic esset, vt Nouantes dicunt, Celestius, Pelagius, cæterique hæresiarchæ damnati cum suis hęresibus à Papa extra Concilium, reclamassent de incompetentia indicij, & eius sententiæ non succubuissent. Et Patres isti, qui Papæ solius sententias exaltant, & hæreticas fatentur doctrinas ab eis damnatas, actum agerent, & vana docerent, si indicis, potestate carentis, sententiam, vt de hæreticis triumphantem buccinarent. Imò tota Ecclesia decepta fuisset tenens, vt dogma hæreticum, quod Pelagius, Celestius, Origenes, Tertullianus, alijque doctissimi, etsi peruersi hæresiarchæ docuerunt. Igitur potestas Cathedræ Petri est etiam in ipsamet solitaria Cathedra, neque eget alieno adiutorio, vt à Christo solo data facultate in Ecclesiam vniuersam vtatur, quando exigit fidei necessitas.

456 Confirmari posset totum hoc, ex praxi sexdecim sæculorum, in quibus Romani Pontifices sine Concilijs generalibus, hæreses ferè mille damnarunt, vt in art. 4. & 5. distinctè retulimus; & ex hæreticorum succumbentia, dum se, & suas doctrinas damnari sentientes, non de incompetentia iudicij, sed aliquando de grauamine conquesti sunt; & plerique, vel fictè, vt Marcion, Pelagius, &c. vel verè indicijs, ac sententijs se submittentes, ant abiurarunt, aut abiurare firmiter promiserunt. Si autem Cathedra Petri solitariè, non subsisteret, hæc frustra facta essent, & totus mundus perpetuò deceptus esset, solusque Lutherus, & ei fauentes, nouam hanc veritatem agnouissent.

457 Hinc Imperatores Orientis, & Occidentis, etsi maximi Episcoporum fautores, quorum consilio in omnibus regebantur; cùm tamen noua fidei dubia insurgebant, ad Romanos Pontifices recursum habebant, vt ille, vel cum Generali Concilio rem curarent definire, vel in suomet prouinciali, aut synodali, vel nulla facta Concilij mentione ad eosdem Pontifices solitariè inspectos accessum habuerunt, vt suo iudicio controuersijs finem darent, & Ecclesiam docerent, atque in fide confirmarent. De primis factis plura adduximus exempla in art. 2. ac 3. De postremis in 4. & 5. nam in eo solo supremam hanc Cathedræ potestatem fatentur.

458 Constantinus I. epist. ad Siluestrum præ alijs dicit: [Primum quidem nostram fidem, quam à Beatissimo Patre, & oratore nostro Silnestro vniuersali Pontifice edocti sumus.] Et præcipit habendum vt Christi Vicarium: [Sicut in terris S. Petrus Vicarius Filij Dei videtur esse constitutus, etiam & Pontifices, qui successores sunt ipsius principis Apostolorum, principatum, potestatem &c.] Eum ergo magistrum fidei cognoscit; cum tamen ab Osio, & alijs fuisset instructus, eum solitariè sumptum principem, & Filij Dei Vicarium dicit.

459 Valentinianus idem in epistola ad Theodosium Imperat. [Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habet de fide, & sacerdotibus iudicare, &c. nulla de Concilio fit mentio.

460 Valentinianus idem in epist. ad Leonem I. Tuam Sanctitatem principatum in Episeopatu diuinæ fidei possidentem Sacris literis in principio iustum credimus alloquendam.

461 Iustinianus præter dicta in art. 4. & 5. in epist. ad Bonif. præ multis dicit: Non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica Religio seruata. Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia constituta: & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereat; in qua est integra, & vera Christianæ Religionis perfecta soliditas, &c. Hanc autem professionem mea manu subscripsi, &c.]

In epist. ad Hormisdam, vt ex tomo 1. epist. Rom. Pont. inter epist. huius Papæ, pro Synodo Constant. rogat: [Postulamus enixiùs, vt assiduis precibus, & frequentissimis orationibus laboretis pro concordia Ecclesiarum vestrarum, nobisque tam de sermone, de quo vertitur controuersia, quàm de nominibus Episcoporum, &c. dignetur Apostolatus vester integrum, indubitatumque destinare responsum. Et post aliqua. Æternitatis igitur supernæ, tremendique indicij non immemor Sanctitas vestra, quæ tibi commissa sunt efficaciæ tradi deproperet; vt intelligant cuncti, rectè vos Apostolicæ Sedis primatum esse sortitos.] Agebatur de illo puncto, an dici posset, quòd vnus de Trinitate sit Crucifixus? In alia relata à Baron. anno 520. de eisd. controuersijs. [Non est ergo graue, quod suasie vestra Sedes, vt præstet illud etiam, vt magis, magisque deposcimus, vt tua sanctitas concepta gratia cœlesti, quæ prætendunt Orientales Episcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum.] Et infrà fortiùs inculcat. Tertiò scribit de eisdem ex Baron. anno 533. & alias plures in eiusmodi dubijs. Ecce quem, & qualem, & vbi, & sine quibus Iustinianus Orientis Episcopis stipatus agnoscit in Cathedra sedentem, & de ea docentem. Si Orientales tenebant Papam de Cathedra loqui solùm, dum est in Concilio; ad quid eum adire sine Concilio docturum?

462 Carolus Magnus insurgente doctrina Elipandi, in epist. ad eum dicit. [Nec nostrę me paucitati in confessione huius nouæ assertionis socium admitto, sed Apostolicæ Sedi;

in

in epist. ad Leonem III. sic de eo loquitur, Illius sublimitas, nostra salus est; illius proceritas, nobis perennis exultatio, quia vndè tibi Apostolica dignitas, indè nobis fidei veritas innotuit.] Et promittit, illa se amplexurum, quæ Leo iussisset, & illa vitaturum, quæ ille prohibuisset.

463 Leo Imper. Orientis in ser. de S. Petro, [Tu sequere me; hoc est; sicut ego cùm eram vobiscum, vos, vt Pater vester, & caput, & magister vigilans pro vobis: sic & tu esto meo loco, & sequere me principatu; ac potestate ista fratres tuos confirmans. Te enim volo esse meo loco. Vndè manet vsque in hodiernum diem Petrus sequens Christum in successore suo.]

464 Et sic alij omnes seriatim vsque ad nostra tempora, supremam potestatem, ac magisterium firmum, erroris que expers in Petro, Petrique successoribus in Sede Petri sedentibus, & vt talibus operantibus, Ecclesiamque ex ea docere volentibus, non in ijs, cum Concilijs generalibus, aut prouincialibus alligatis, agnouerunt.

Alia argumenta, quæ ad rem faciunt, ex §. vnico post art. 2. & ex sequentibus articulis, vsque ad præsentem sumantur.

Argumenta autem contraria infallibilitati Papæ simul congesta, infra referam, & soluam in disp. 8. in qua agam de proponente infallibili fidei, in art. 5. vbi adducam omnia, quæ asseri solent de erroribus Romani Pontificis circa fidem.

ARTICVLVS VIII.

An, vt decreta fidei facta à solo Papa de Cathedra, sint obiectum fidei; debeant priùs acceptari ab Ecclesia vniuersali.

465 ADu. hoc esse aliud effugium Nouatorum quorumdam inuidentium (credo) Summi Romani Pontificis auctoritati. Cùm enim perspicuè videant, per 14. sæcula ante Concil. scilicet Tridentinum, paucissimas hæreses à Concilijs generalibus damnatas, paucaque dogmata fidei ab eis stabilita, quæ numerari possunt: è contra verò, innumeras à Romanis Pontificibus solitariè de sua Cathedra iudicantibus, vel cum prouincialibus, aut Synodalibus Concilijs hæreses damnatas, & dogmata stabilita; quæ tamen, vt obiecta fidei habita fuerunt: vnum nouum adinuenerunt; nempè, quòd hæc ita decisa siue generali Concilio, ideò de fide credita sunt, quia ab Ecclesia vniuersali fuerunt acceptata; non quia à Pontifice tantùm de Cathedra definita. Auctores huius nouitatis nominare non curo; quia veritatem tantùm inquiro, & rationum pondera perpendo.

466 Adu. 2. ex generali principio iuris naturæ, & gentium; Canonici, ac Diuini, legem nullam obligare ad obseruantiam, nisi sit sufficienter promulgata: ità, vt potuerit venire in notitiam subditorum: alioquin ignorantia inuincibilis eos excusat. Et hoc est, quod adeò inculcat Paulus ad Rom. 10. [Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.] Vt ergo leges Ecclesiasticæ siue fidei, siue morum obligent ad credendum, vel operandum, debent sufficienter promulgari. Voluntas enim non fertur in incognitum; proinde Saluator Ioan. 15. 22. ait: [Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.]

467 Adu. 3. ex tract. de legibus, esse grauem controuersiam inter Doctores, nedum Canonistas, & Ciuilistas, sed inter ipsosmet Theologos: An leges humanæ positiuæ, siue ciuiles, siue Canonicæ habeant vim obligandi, antequam acceptentur à communitate, cui iam sunt promulgatæ. Quam latè discutit Suarez de lege ciuili lib. 3. de legib. cap. 19. De lege autem Canonica, lib. 4. c. 16. Et sicut in omnibus, sic & in ista de vtraque lege adsunt propugnatores pro vtraque parte; esto de lege canonica pauci dicant requiri acceptationem populi, eo quia subditi circa superiores Ecclesiasticos non se habent, sicut circa sæculares; nam quò ad istos cùm transtulerint in eos potestatem, possunt in aliquo sibi eam reseruare, & præsumuntur quò ad hoc reseruasse, dum eam transtulerunt: at quia potestas Ecclesiastica non à subditis, sed à Deo collata est Ecclesiæ prælatis; ideò cessat paritas. At quidquid sit de hoc, quò ad leges agendorum; modò inquirimus, an pari passu currant decreta credendorum, quæ à Romano Pontifice de Cathedra fiunt, vt scilicet non obligent ad ea credendum de fide, & sic non sint adhuc fidei obiecta, nisi à communitate Ecclesiæ acceptentur.

468 Dico ergo. Vt decreta credendorum Romani Pontificis de Cathedra fiut obiecta fidei, cùm sunt sufficienter publicata, non egent acceptatione fidelium; sed ex se ipsis sunt talia, vt obligent ad acceptandum, & credendum.

469 Prob. potestas Papæ ad pascendum, seu docendum res fidei, ac morum, & ad regendum Ecclesiam, est eadem, ac potestas tradita S. Petro à Christo. Sed hæc S. Petro data non fuit cum conditione, vt acceptaretur à populo fideli id, quòd docebat circa doctrinam, & mores, sed absolutè ab obligandum fidelem populum, vt acceptaret, atque crederet. Ergo. Maior pluriès fuit probata ex Concil. Florent. sess. vlt. & est constit. 17. Eugenij IV. Lætentur §. 8. ex cap. fundamenta de elect. in 6. extrau. Vnam Sanctam de maiorit. & obed. & ex Leone IX. epist. 1. cap. 32. & ex Conc. Constant. contra art. 37. Wicleff. & 12. Io. Huss. ex Eusebio epist. 3. Adriano I. epist. 1. Min. in qua vis est, prob. Dum Saluator concessit Petro Pontificium, concessit non conditionatè, vt eius actus obligarent si ab Ecclesia acceptarentur; sed dixit: [Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis. Similiter Ioan. 21. Pasce oues meas: & Matt. vlt. Euntes in mundum vniuersum docere omnes gentes, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.] Non supposuit gentium arbitrio, & acceptationi obligationem credendi; sed addidit. [Qui verò non crediderit, condemnabitur.] Et est communis sententia, quòd lex Euangelica cœpit obligare in Hierusalem, ex

die Pentecostes. in qua Petrus primam concionem Euangelicam ad populum habuit, Act. 2. quando in eius virtute circa tria millia hominum Fidem susceperont. Secundò, cùm Act. 15. factum est decretum; quòd Gentiles venientes ad Fidem, non tenebantur circumcidi; ex tunc absque alia acceptatione cœpit deficere obligatio circumcisionis.

470. Prob. 2. ex ratione pastoris. Hic enim non dependet à consensu ouium pascendarum in inuentione bonorum pascuorum, sed sua sapientia debet ea inuenire, & ouibus proponere. Papa autem est pastor spiritualis omnium fidelium, ex Christi oraculo pasce oues meas: immò est omnium pastorum pastor ex Pio II. in Bulla Retract. Omnes enim Ecclesiæ particulares, & omnia ouilia ei subsunt. Ergo non pendet vllo modo ab ouium acceptatione validitas suæ doctrinæ, quam tradit, vt pastor.

471. Prob. 3. ex ratione Magistri. Hic enim non dependet à discipulis circa bonitatem, & virtutem doctrinæ, quam docet; ipsi enim sunt auditores tantùm, & Magistro tenentur credere, eiusque doctrinam recipere, vt discipuli. Sed Papa est Doctor, ac Magister totius Ecclesiæ, ex Ioanne VIII. ep. 65. c. 89. & 190. ex Nicolao 1. in decr. de consuetudine c. 3. ex can. denique dist. 21. ex Concil. Later 3. in append. tit. de sponsalibus secundò c. 7. & ex Concil. Flor. Sess. vlt. in literis vnionis: Ergo non eget fidelium acceptatione ad eos obligandum, vt credant, dum aliquid eos docet de Cathedra, & vt supremus Doctor: sed statim ac auditur eius doctrina, credenda est.

472. Prob. 4. ex ratione Iudicis supremi, nempè Principis, à quo non datur appellatio, cùm enim hic iudicat, omnes tenentur stare eius determinationi. Papa autem disponit omnia circa Fidei, ac Dei cultum, ex Leone IX. epist. 1. c. 13. ac 15. & solus potest decidere causam Fidei, ex can. Quoties Fidei, & can. Rogamus 24. q. 1. & sicut non potest in alijs, neque in hoc ab aliquo iudicari, aut retractari eius iudicium, ex infra dicendis. Ergo decreta credendorum, vt obligent, non sunt subiecta acceptationi fidelium: alioquin isti possent iudicare de illis, an vera sint, vel falsa? & sic an essent recipienda, vel reprobanda?

473. Prob. 4. ex ratione plenitudinis potestatis, quæ in habente requirit modum habendi eam ab omni alio independentem, & cui nemo ex subditis, aut superioribus possit resistere, & facere, quin habeant effectum. At Papa habet plenitudinem potestatis in totam Ecclesiam ad eam docendam, & dirigendam, ex can. Decreto, & can. Multum 3. q. 6. & ex Pio 2. in Bulla Retract. habet in se totam potestatem necessariam ad regendam Dei Ecclesiam. Ergo independenter ab Ecclesiarum acceptatione eius decreta eas obligant, & ad acceptandum, & ad credendum.

474. Prob. 6. ex ratione Apostolatus. Apostolorum enim doctrina Fideles auditores statim obligabat ad credendum, vt in primo arg. patuit. [Docete. Qui non crediderit, condemnabitur; & Matth. 10. 14. mittens eos ad prædicandum, dicit: Quicunque non receperit vos, nec audierit sermones vestros, exeuntes foras excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis; tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij, quàm illi Ciuitati.] Sed Papa solus est Apostolicus, can. Cleros, dist. 21. Vas Catholicum, Euangelij tuba, & præco iustitiæ ex can. Agapitus de Consecr. dist. 1. ergo independenter à suis ouibus, seu fidelibus decreta doctrinalia obligantia ad credendum formare potest.

475. Prob. 7. Papæ decreta Fidei, ac morum obseruari debent ita, ac si essent facta à S. Petro, ex can. Sic omnes, estque Agathonis dist. 19. Sed decreta S. Petri non egebat acceptatione libra fidelium, vt obligarent, sed obligabat eò ipso, quòd notum erat, esse S. Petri. Ergo.

476. Confir. ex can. 1. dist. 19. estque Nicolao 1. [Si Romanorum Pontificum decreto cœterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur; ità vt quod Sedes Apostolica probauit; hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit hactenus inefficax habeatur; quantò potius, quæ ipsa pro Catholica Fide, pro sanis dogmatibus, pro varijs Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium moribus diuerso tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsùs in quibuslibet opportunitatibus discretione, vel dispensatione magistra reuerenter assumi?] Deindè pluribus probat literas decretales Rom. Pont. statim esse recipiendas, & repetit canonem 10. Leonis I. dicentis: [Omnia decretalia constituta tam beatæ record. Innocentij, quàm omnium Prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ità à vestra dilectione custodiri mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.

477. Confir. 9. ex canone [: Nullis fas est ead. dist. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, sed extortis à sancto ministerio fiat, nec de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus à Sancta, & Apostolica Ecclesia, &c.]

478. Ex can. Ita Dominus ead. dist. Leo I. ait: Voluit Saluator, vt veritas per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exiuit, &c. Sà huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; vt extorrem se intelligeret Mysterij diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Et post aliqua de fundatione Ecclesiæ in Petro, ait: Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Domino ædificante constructam nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere].

479. Confir. 2. ex decreto Nicolai I. in decr. tit. de Rom. Ecclesia. Et nunc debetur in 35. q. 2. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica Fide, vel Ecclesiastica disciplina pro correctione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apostolicæ Præsule promulgata con-

tem-

tempserit; anathema sit. Idem ferè statuerunt Bonifacius II. in epist.decr. & Agapitus epist. 1.decr. Symmachus epist. 9. ad Orientales. Ioannes III. epist.vnica in fine,concil. Tolet. III. c. 1. & Concil. Constansiense contra art.38.Wicleff.& contra art. 17.Ioan. Huss, dicenteium, decretalibus Papæ non esse parendum. Si autem ab Ecclesiæ acceptatione dependeret authoritas Papæ quò ad obligandum, possee hæc non acceptare & sic non parete, neque in decretis Fidei ad credendum, nec in decretis morum ad operandum.

480. Prob. 8. Papa ex Christi oraculo per potestatem Petro datam, confirmare potest omnes in Fide, ex Felice 1. epist. 1.& ex Gelasio 1.epist. 5.& ipse solus potest decernere, quod Concilium cum eo potest decernere ex Felice 3. in Concil. Rom. 1. epist. Synodali, & ex Gregorio II. epist. 12. Et ipse est regula Fidei inconcussa ex Leone II. epist. 5. ex Hormisda epist. 9. ex Agapito epist. 4. & ex Vigilio epist. 5. Et ipse semper destruit errores contra Fidem ex Calixto 1. epist. 1. ex Leone IX. epist. 1. c. 8. can. A recta, can. Memor sum. & can. Si Petrus. Ipse solus iudicat causas Fidei ex Pelagio 1. epist. 5.& 8. ex Felice 1.epist. 3. ex Fabiano epist 2. ex Marcello 1. epist.1. ex Innocentio 1. epist.25. ex Vigilio epist. 9. & 10. can. Quoties Fidei. can. Rogamus 24. q. 1. Ergo, vt eius decreta obligent ad credendum, non egent alio adminiculo, & maximè inferiorum: alioquin hanc potestatem neque completè, neque absolutè haberet, sed ex consortio acceptantium populorum, ità quòd si populi non acceptarent, eius decreta non obligarent, & sic non esset confirmator fratrum, sed isti potiùs, & principalius se, & illum confirmarent, credendo quod acceptarent; & non obligati ad credendum ei, non acceptarent. Quæ sunt ridicula, & homini sanæ mentis indigna.

481. Prob. 9. à pari, vt alias in præced. art. Deuter. 17. cùm Deus dedit summo Sacerdoti potestatem iudicandi graues causas inter sanguinem, & sanguinem; lepram, & lepram: non solùm contulit ei independentem à populi acceptatione, sed statuit pœnam mortis contra inobedientes. Ergo idem erit dicendum de potestate summi Sacerdotis Euangelici, quò ad independentiam in iudicijs, maximè dogmaticis, & de obligatione acceptandi, & credendi. Antec. prob. Quid autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille; & auferes malum de Israel].

382. Prob. 10. Iudicium Papæ in terris nullis subiacet, nisi soli Deo. Ergo, vt habeat vim obligandi ad credendum, si est doctrinale, vel operandum, si morale pro tota Ecclesia; non dependet, nec ab aliqua Ecclesiæ parte; nec à tota. Consequentia est euidens: si enim ab Ecclesia dependeret in acceptatione; iam non esset supremum; quia remaneret aliud faciendum ab Ecclesia, si deberet acceptari, necnè. Antec. prob. ex concil. Rom. 2. Sub Siluestro c. 20. ex Concil. Rom. sub Sixto III. ex Concil. Rom. 3. & 4. sub Symmacho ex Leone IX. epist. 1. c. 35. ex Adriano 1. epist. decret. c. 56. ex Stephano VI. epist. 1. ex Zozimo epist. 10 ex Gelasio epist.4.ex can. [Humanum can.In tantum dist.21 can. Io nomine dist. 23. can.In scripturis, & can. sicut quamuis dist. 96. can.Nemini 17.q.3. Extrau. Vnam sanctam de Maiorie& obed. Immò ibidem definitur esse de necessitate salutis omni humanæ creaturæ subesse Papæ. Ergo iudicium eius super omnes est.

483. Prob. 11. Et si leges ciuiles cum fiunt, & publicantur, acceptationem populi admittant, qua Principes à populis agnoscunt originariuè iurisdictionem: id tamen nullomodo dici potest de suprema Papæ potestate, quæ non à populis, sed à Deo immediatè collata est Petro, & Successoribus, in eo. Ergo. Minor prob.ex Euangelio Ioann. 21. Petre pasce oues meas. Item ex Sanctis multis Pontificibus, ex Marcello 1. epist. 1. Felice 2. epist. 1. ex Gelasio 1. epist.4.ex Damaso ep.4 Extrau. Vnam sanctam, de Maiorit & obed. Eugen. 4. const. 17. Letentur §.8. Nullus ergo hominum potest ei limitare authoritatem asserendo, se, vel alios non teneri ad recipienda, vel credenda decreta Fidei ab eo sancita.

484. Prob. 12. Si decreta Fidei à Papa facta non haberent vim obligandi,nisi dependenter ab acceptatione Ecclesiæ; sequitur, quòd Fideles licitè possent à suo decreto recedere, & appellare ad Concilium Generale. Sed hoc est hæreticum. Ergo. Minor patet tum ex Bulla Cœnæ anathematizantis eos, qui à Papa prouocant ad Concilium, igitur non licèt,& asserere est hæreticum:tum etiam ex Leone 1.in epist. ad Leonem Imper.docente, Papæ Fidem non posse ad Concilium prouocari;cùm ipse solus possit Conciliorum decreta retractare, dum ea malefacta iudicat, ex Innocentio I. epist. 7. ex Gelasio I. epist. 12. & constit. Vnica, Valdè mirari, in qua plura adducit retractionum, seu reprobationum exempla. Sequela euidenter probatur. Potens non acceptare aliquam legem, vel sententiam prouocare potest ad superiorem, vel iudicem aliquem, cuius authoritati resisti non possit. Hic enim est prouocationis finis, vt à superiori authoritate lex, seù sententia moderetur. Aduersarij autem existimant, supra Papam esse Concilium Generale tantùm. Et frustranea esset in fidelibus illa facultas non acceptandi noviter declaratum fidei dogma; nisi daretur in mundo iudex, qui definire deberet, an sit verum, nec ne? Qui ergo censet, Ecclesiam posse non acceptare decretum Fidei factum à Papa ex cathedra; conuincitur etiam censere, quòd possit ab eo reclamari, & prouocari ad alium iudicem, qui illud definiat; alioquin censeret in terris non adesse iudicem, qui posset in dubijs Ecclesiam docere, & quòd Ecclesia careat vna regula fidei.

485. Prob. 13. ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ. Cùm enim ex vno loco aut prouincia recursum est ad Apostolicam Sedem pro decisione alicuius dubij; Rom. Pontifex cum suo concilio, seu congregatione, rem maturè discutiens responsum dogmaticum petenti concessit: neque fuit sollicitus, vt priùs à tota ecclesia acceptaretur; immò, neque, vt per totam publicaretur, sed ad pe-

su-

ſonam, & locum deſtinatum, tantùm reſponſum dixerit; & per accidens ſe habuit, vt in alijs mundi locis decretum illud ſit diuulgatum. Ergo. Anteced. euincitur ex omnibus recurſibus relatis in art. 3. 4. & 5. ac 6. in quibus ferè omnes notorij ab initio Eccleſiæ vſque ad noſtra tempora relati ſunt.

486. Confir. Nemo, præter hæreticos aliquos, à definitione dogmatica Romani Pont. aliquando reclamauit. Neque Catholicorum vllus eam reclamationem approbauit. Ergo ſignum eſt, non adeſſe inter fideles poteſtatem reclamandi à deciſione dogmatica Papæ. Alioquin aliquis ſaltem Catholicus ab ea reclamaſſet. Et ſi enim à decretis poſitiuis, aliquando ſit à Catholicis reclamatum; & ſæpè talia decreta non fuerint acceptata; à dogmaticis tamen nunquam. De hæreticorum verò petulantia curandum non eſt; quia ipſi etiam conciliorum dogmata, dum ſuis non conſentiunt, reſpuere ſolent.

Ob. 1. Aſiatici non receperunt decretum Pij, Aniceti, & Victoris de celebratione Paſchæ contra ritum Iudaicum; & tamen non errarunt; cùm anteſignanus eorum fuerit Polycarpus, qui reſtitit Aniceto, inquiens, ſic feciſſe S. Ioannem, & cæteros in Oriente, ac Paleſtina.

487. Reſp. 1. ex tranſgreſſione alicuius legis non naſci ius, quòd licitum ſit eam tranſgredi. Demus ergo, quòd aliqui ex zelo non paruerint Romano Pontifici, ſicut pluriès accidit, numquid ex hoc infertur, non debuiſſe parere?

488. Reſp. 2. De Polycarpo certum eſt, quòd in Aſia more Iudaico adhuc ſollemnizabant Paſcha, & Romam venit, vt idem perſuaderet Aniceto, quia ſic à Ioanne factitatum aſſerebat; Anicetus è contra conabatur ex reuerentia in Ioannis diſcipulum, ei perſuadere, vt morem illum omitteret; noluit tamen præcipere. Hiſtoria adducitur ab Euſebio. lib. 5. cap. 24. Notat autem Baron. an. 167. quòd Anicetus videns non potuiſſe Iudaicos ritus omnes ſimul abrogari, quando vigebat multitudo fidelium, qui in Aſia venerant ex circumciſione, dimiſit in pace Polycarpum, expectans tempus congruum ad eum morem proſcribendum, cùm ſcilicet fideles ex Chriſtianis multiplicari cœpiſſent, & Iudaicorum rituum eſſent inſcij. Quod Victoris tempore accidiſſe videmus. Nam an. 198. epiſcopi Aſiæ concilium congregantes ſcripſerunt quidem ad Victorem, ſe ex traditione diſcipulorum Ioannis, & maximè Polycarpi celebrare Paſcha more ſolito nihil addendo, vel minuendo. Victor autem videns non eſſe vlterius toleranda legalia, ait Euſebius, decreuit, omnes Aſiæ Epiſcopos anathemate percellere, ni pareant. Et de facto paruerunt. Quid autem ex hoc infertur, niſi, quòd Aſiatici cupiebant patrium morem ſeruare? At audito ſupremi Eccleſiæ Paſtoris præcepto cum interminatione cenſuræ, acceptarunt humiliter. Si autem potuiſſent iure non acceptare, procul dubio obſtinatè reſtitiſſent. Itaque hoc argumentum non eſt ad rem, eò vel maximè quia agebant de diſciplina, non de dogmate.

Ob. 2. Non ſtatim omnia Conciliorum decreta fuerunt à tota Eccleſia recepta, etiamſi à Papa confirmata. Ergo ſignum eſt egere acceptatione. Anteced. prob. de concilio Generali V. quod fuit Secundum Conſtantinopolitanum ſub Vigilio, vbi actum eſt de tribus Capitulis. Romana enim, ac Mediolanenſi, & Aquileienſi Eccleſijs exceptis, tota eccleſia per multum tempus eius Decreta repudiauit.

489. Reſp. diſt. anteced. Et hoc illicitè, concedo: & hoc licitè, diſtinguo; ſi cum ignorantia inuincibili validitatis concilij, aut definitionis, concedo; ſi cum ſcientia, & vincibili ignorantia; nego. Vel item Reſp. quò ad decreta fidei, & credendorum, nego; quò ad diſciplinam, ſeu decreta morum, diſtinguo vt ſupra de illicito. Ad illud de concilio 5. hiſtoria nota eſt: coactum eſt enim propter tria capitula, epiſtolam nempè Ibæ, ſcripta Theodori Mopſueſteni, & Theodoreti, quæ Græci proſcribere conabantur, ſicut factum eſt. At quia Patres, & epiſcopi omnes Latini, & ipſemet Vigilius ſuſpicati ſunt, hac ratione Orientales velle infamare concilium Chalcedonenſe, recuſabant de hoc tractare, immò Papa, qui Conſtantinopoli præſens erat, nolebat concilio intereſſe, & multum diſtulit Patribus congregatis morem gerere, vt concilio adeſſet. Pacis tandem gratia interfuit, ſed conſtitutum illud mirabile dogmaticum ſexaginta capitum confecit, quo tria capitula abrogauit quidem, ſed doctrinam Calcedonenſis concilij, ideſt Leonis I. decreta de Vnitate Perſonæ, & qualitate naturæ in Chriſto cum inconfuſione, & proprietatibus vtriuſque naturæ mirificè declarauit, & confirmauit. Quòd Orientalibus mirum in modum placuit; Occidentales verò quouſque certiores de facto ſunt redditi, à Vigilio abſceſſerunt; quod vſque ad Greg. I. perdurauit. Ipſe autem authoritate, ſapientia, ac prudentia, quibus pollebat eximiè, toti Occidenti perſuaſit per concilium Vigilij, eiuſque conſtitutum, nullum præiudicium concilio Calcedonenſi fuiſſe illatum. Et hinc eſt, quod hic Sanctus, etſi quinque ad eum præceſſerint concilia, de hoc tamen Quinto, quia in contradictione poſitum erat, & nouum dogma non definierat, non loquitur: ſed quatuor tantùm enumerat dicens, quòd Sancta quatuor concilia, velut quatuor Euangelia haberi voluit. At Quintum inter legitima, & approbata habetur, & conſtitutum Vigilij dogmaticum ab omnibus, vt fidei antiquæ declaratæ materiam continens, receptum eſt. Epiſcopi autem, qui illud non receperunt ab initio; ipſi viderint, an ex ignorantia inuincibili, vel alio motiuo ab initio ipſum non acceptarint: certum tamen eis erat, quòd nouum dogma in eo concilio non fuerat definitum.

Ob. 3. concil. Tridentini decreta non fuerunt ſtatim ab omni natione recepta, immò neque nunc videntur omnia acceptata; & tamen non recipientes non ſunt hæretici, ſed inter veros Catholicos computantur. Ergo.

490. Reſp. diſt. anteced. Decreta doctrinæ, nego; omnes enim Catholici ea ſtatim acceptarunt. Decreta Reformationis diſciplinæ, ſeu morum, tranſeat, non omnia fuiſſe ab omnibus acceptata; ſed an licitè? hoc

opus.


opus. At ego de his non disputo, sed de primis.

Ob. 4. S. Cyprianus non acceptauit decretum dogmaticum fidei à Stephano emanatum de non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis; & tamen perseuerauit in fide Catholica. Ergo.

491. Resp. in primis illud rescriptum Stephani tunc fuisse præceptum, non decretum definitiuum, sicut nunc est. Ad illud de resistentia Cypriani pluriès responsum est, & Augustinus pluribus defendit. At ego, vt aliàs dixi, iterum repeto, quòd Cyprianus rationi allatæ resistere voluit, vt in epist. ad Pompeianum, non autem præcepto Papæ: quia Papa allegabat Traditionem in genere, [Nihil innouetur præter id, quod traditum est;] Cyprianus autem traditionem contrariam habebat in sua Ecclesia, vltima vice à Sancto Agrippino Aphricæ Primate in concilio Carthaginensi firmatam; & ideò desistebat, vt traditionem suam defenderet. Quòd si Stephanus dixisset, Romanam Ecclesiam aliam habere Traditionem; certè Cyprianus, qui vt in Dispur. de Tradit. & Romano Pontifici, & ipsi Clero Sede vacante scripsit pro Traditione circa lapsos recipiendos (quia veras Traditiones, cum Tertulliano in Ecclesia Romana reperiri existimabat;) proculdubio non repugnasset. At quidquid si de hoc, vel ex alio capite illicò non obedierit, & peccauerit, saltem venialiter, vel etiam mortaliter, quid inde? Postea obediuit, & Martyr occubit.

492. Ex quibus omnibus infertur primò, decreta dogmatica Sedis Apostolicæ non egere acceptione fidelium, vt sint vera, & obligantia: quia non fidelibus data est cura ouium Christi, neque priuilegium non errandi in Fide, sed Petro, eiusque Successoribus; neque fideles vnquam contulerunt Papæ potestatem regendi, & docenti dogmata; sed ipse Christus in electione cuiusque Papæ illam ipsi confert. Igitur cùm nullo modo dependeat à subditis in docendo doctrinam Fidei, nulla eget eorum acceptatione, vt definitio habeat robur obligandi.

493. Infero 2. ex nullo Facto Induci posse necessitatem huius acceptationis dogmatum ad hoc vt obligent fideles. Omne autem, quod adducitur, insolentiam, temeritatem, schisma, vel hæresim redolet. Quilibet enim refractarius hæresiarcha posset reddere legem doctrinæ, nedum Papæ, sed conciliorum cum Papa, inualidam, & non obligantem; & sciuissent Arius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, &c. Caluinus, Lutherus &c. qui decretis Conciliorum restiterunt. Adducantur facta quæuis in contrarium, immò, & plura; ius numquam infringent. Quærimus enim non quid fit, sed quid iustè fit? Vndè non potui non dolere de digno, ac mirabilis eruditionis Archiepiscopo quodã, qui in gratiam quorundam Principum omnia penè gesta irreuerentia contra Romanam Sedem in vnum collegit, vt exinde iura Principum in eam, concluderet. Deus bone per peccata quotidiana in Deum, præscribimus ne contra Deum, vt licitè peccemus? Hallucinatio ambitionis est in causa, cur aliquando impropria quædam & inepta proferamus,



DISPV.



DISPVTATIO SEXTA.

De obiectio materiali Fidei in quæstionibus facti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ differentia sit inter quæstionem Iuris, & Facti?



Du. 1. quòd pro exactâ discussione obiecti materialis fidei hęc alia disputatio fuit adiungenda. Multa enim credimus, quæ sunt pura facta, seù dicta creaturarum, siuè hominum, siuè Angelorum &c. Et alia; quæ sunt à Deo immediatè facta, vel dicta, siuè de se, siuè de alijs. Ecclesia enim proponit omnia credenda; & aliquando definit aliqua facta creata, verbi gratia, quòd Cerdon, Ebion, Cherintus &c. fuerint hæretici; quòd fuit congregatum Concilium Nicœnum primum, & in eo damnatus Arius; quòd Constantinopolitanum primum, & in eo damnatus Macedonius, & sic de alijs factis creatis. Ideò videndum mox erit, an hæc facta sint, aut possint esse obiecta fidei Diuinæ: eò quod Ecclesia, seù Romanus Pontifex in ijs proponendis sit infallibilis?

2. Adu. 2. nomen ius, vt dixi in tom. 2. huius tertij sent. in disp. de iustitia, est quid commune ad duo præcipuè: vel enim sumitur, vt deriuatur à iubeo; & sic ius significat legem. Quia dum legislator legem condit, iubet subditis, quid agere debeant, & à quo abstinere. Et ius hoc modo sumptum diuiditur in diuinum, & humanum. Primum in naturale, & positiuum. Secundum in ius gentium, ciuile, & canonicum. Vel sumitur ius, vt deriuatur à iusto, & significat æquum, quod cuique contingit, seù prælationem moralem, quam quisque habet in suas res, vitam, famam, & honorem &c. Non loquimur hic de quæstionibus iuris secundo modo accepti; quia istæ sunt lites, & materię litium, pro istis enim iuribus, omnia mundi tribunalia plena sunt causis; seù quęstionibus, ac litibus. Sed sermo est de quæstione iuris primo modo accepti; & quærimus, per quid differat à quæstione facti?

3. Adu. 3. quòd factum ex vi vocis significat actionem aliquam, quæ ab aliquo processit, siuè voce, siuè scripto, siuè motu locali, siuè alio modo per aliquam potentiam organicam, aut inorganicam, ac spiritualem, Dei, Angeli, vel hominis. Et sic quæstio facti dicitur, quando quæritur, seù controuertitur, an aliqua actio eiusmodi facta sit ab aliquo? Et in casu nostro, an factum aliquod sit dignum fide diuina? His præmissis.

4. Dico 1. Quæstio iuris, siuè Diuini, siuè humani, aliud non importat, nisi controuersiam, vel disputationem de aliquo agibili, vel omissibili, an in iure, seù lege, siuè Diuina, siuè humana contineatur, ab ea pręcipiatur, vel prohibeatur?

5. Probatur ex communi vsu loquentium sacrorum scriptorum. Nam ex lib. 2. Paralip. 19. 10. habetur: [In Hierusalem constituit Iosaphat Leuitas, & sacerdotes &c. Dicetis omnem causam, quæ venerit ad vos &c. Vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cœremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum &c.] Hæ ergò sunt quæstiones iuris. Ex lib. 2. Machab. orta est quæstio in exercitu inter principes; an tanta esset sabbati celebritas, vt non posset in eo, nec bellum defensiuum committi? Tandem decisum est, posse, cùm priùs alterius essent sententiæ, 3. act. 15. orta contentione inter quosdam ex conuersis, cum Paulo, & Barnaba, an Gentiles venientes ad fidem, essent prius circumcidendi, deberentque alia obseruare legalia? ait textus. [Statuerunt, vt ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos, & presbyteros in Hierusalem super hac quæstioue cap. 23. 29. De Paulo sic ait Lysias. [Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum.] Cap. 25. 19. Festus de causa Pauli ait Agrippæ Regi: [Quæstiones verò quasdam de hac superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autem ego de eiusmodi quæstione &c.] cap. 28. 29. postquam Paulus cum Iudæis Romæ de Christo, eiusque factis annunciasset, ait textus: [Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi multam habentes inter se quæstionem. Ex 1. Timoth. 6. 4. [Si quis aliter docet &c. languens circà quæstiones &c. Ex 2. Timoth. 2. 23. Stultas autem, & sine disciplina quæstiones deuita.] Et ex epist. ad Tit. 3. 9. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis, deuita: sunt enim inutiles, & vanæ.] Istæ ergò ex Spiritus sancti eloquio vocantar quæstiones iuris, quibus quęritur, quid ius, seù lex, siuè diuina, siuè humana iubeat, aut præcipiendo, aut prohibendo.

6. Cou-

6. Confir. ex praxi, & vsu loquendi iuristarum. & causidicorum; quædam enim scribunt in iure, seu pro iure; quædam verò in facto. Primi generis dicuntur ea, quæ ex iuris dictamine, seu præcepto, & comprehensione probant. Ergò.

7. Dico 2. Quæstio facti, aliud non significat, nisi disputationem, & controuersiam, an aliquis fecerit actionem aliquam, vel dixerit verbum aliquod?

8. Prob. ex communi vsu loquentium, imò ex ipsamet sacra Scriptura. Ex Deuter. 17. Moyses iussu Dei docet modum iudicandi lites, & puniendi delicta, inquiens: [In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium.] Idest factum homicidij, an, & à quo fuerit commissum, debet probari per duos saltem testes ad effectum puniendi. Deindè prosequitur: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus &c.] Quæstiones istæ sunt facti.

9. Confir. Exod. 24. 14. [Habetis Aaron, & Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis. referetis ad eos, cap. 33. Omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra.]

10. Confir. 2. ex num. 35. 34. vbi statuitur, quomodo sit procedendum in causis homicidij, & præ cæteris de casuali dicitur: [Quòd si fortuitò, & absque odio, & inimicitijs quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum; atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio fuerit ventilata &c.] Lib. 2. Reg. 21. 4. Gabaonitæ dicunt ad Dauid: [Non est nobis super argento, & auro quæstio, sed contrà Saul, & contra domum eius &c.] Alia plura suppetunt Scripturæ loca de nomine quæstionis facti. De rebus verò innumera legi possunt; omnes nempè causæ decisæ à Moyse, à iudicibus, à regibus, in eorum libris.

11. Probatur 2. ex iuristis tàm in ciuili, quàm in cannonico iure, qui & in iure, & in facto scribunt; idest factum prius controuertunt, eoque firmato, disputant, quid de iure; idest, quid statuat ius pro eo facto? Et multa pro, & contra facta videntur stabilita in iure canonico, ac ciuili. Nam facta contrà ius habentur pro infectis de Reg. iuris in 6. Reg. Quæ contrà ius, & glos. 1. ibi. Et facti quæstio submittitur necessitati probandi, non verò quæstio iuris ex cap. Sepè 44. de appellat. & glos. iuris, atque glos. facti, ibidem. Facti series aliquando non sufficit narrare in literis Papæ; nisi facti causa adijciatur; hæc enim potiùs quærenda est, quàm ipsum factum, ex glos. 1. in cap. Disertus 26. de rescriptis &c. Ex quibus euidens est, quòd quæstio facti est disceptatio inter aliquos, an res aliqua facta sit, vel verbum aliquid dictum sit?

12. Dico 3. Sicut ex factis, quædam sunt reuelata in scriptura, & quædam non, sed naturaliter cognita; ità quæstiones factorum, quædam sunt de reuelatis; quædam de purè naturalibus.

13. Probatur prima pars. In sacra Scriptura innumera penè facta, siuè à Deo immediatè, siuè ab Angelis, siuè ab hominibus, referuntur, vt videre est ab initio Genesis. [In principio creauit Deus Cœlum, & terram:] & sic prosequendo per totum Pentateuchum, per libros Iosue, iudicum, regum, & totum vetus Testamentum. Ità est tota scriptura noui Testamenti. Vno verbo dicam: etsi in scriptura vtriusque Testamenti habeatur duplex lex; tota tamen, vt leges istas complectens, dici potest factum, quia reuera est quid à Deo extra se factum, nempè reuelatum. Neque de hoc est controuersia; nam ab initio Ecclesiæ, vsque ad tempus Concilij Tridentini, de aliquibus libris canonicis disceptatum est, an essent tales; idest an à Deo reuelati?

14. De factis verò purè humanis, est notoria multitudo historicorum cuiuslibet nationis narrantium facta prædecessorum.

15. Prob. secunda pars. De quæstionibus factorum reuelatorum. Nam hæ sunt perpetuæ lites, nedum inter fideles, ac gentiles; sed inter fideles catholicos cum hæreticis, & inter ipsosmet catholicos aliquando, donec per iudicem controuersiarum habeatur decisio. Ergò dantur quæstiones factorum reuelatorum; licèt, vt dicam postea, penes fideles istæ quæstiones dicantur iuris. Antecedens prob. fideles disputant cum Philosophis de creatione cœli, & terræ; de creatione Angelorum; de principio mundi &c. omnibus, quæ in Genesi, ac Pentateucho, imò & in tota Scriptura narrantur facta. Et Pythagoras dixit de Moyse; Hic vir multa dicit, sed nihil probat.

16. De alijs multis est quæstio inter christianos, & Iudæos; an acciderint, nec ne? vt de historia Iob, de historia Susannæ &c.

17. De multis inter ipsosmet christianos catholicos cum hæreticis, vt de historia libri secundi Machab. in quo habetur euidens argumentum de suffragijs mortuorum. De pluribus alijs libris integris canonicis; de locis nonnullis eorum, quos ipsimet hæretici asserunt canonicos &c.

18. De pluribus inter latinos, & græcos etiam catholicos, vt de consecratione Christi in azymo, vel fermentato; de Ministro confirmationis &c.

19. De multis alijs inter ipsosmet latinos, quæ adhuc decisæ non sunt, quia de reuelatione non constat, nec mediatè, nec immediatè: vt de anno, in quo à creatione mundi natus sit Christus; de præciso anno ætatis, in quo mortuus sit. In quo tempore fuerit à magis adoratus; in quo cœperit prædicare &c. Quæ facti quæstiones sunt, & donec decidantur ab Ecclesia permittuntur in vtramque partem asseri.

20. Notandum tamen, quòd quæstiones Facti, quæ per Ecclesiam postea decisæ sunt pro altera parte: post decisionem vocantur Iuris. Quia sunt obiecta, quæ per legem, seu præceptum Fidei proponuntur credenda. Et sic omnes quæstiones facti inter fideles, & Philosophos de creatione cœli, terræ, materiæ, Ange-

Angelorum, &c. & omnium, quæ in Genesi, & tota Scriptura narrantur facta, sinè à Deo, siuè à creaturis, respectu fidelium sunt quæstiones iuris; cùm enim totam Scripturam Deus reuelauerit, & credendam proposuerit: iam & iure naturali de credendo ipsi Deo, cùm loquitur; & iure positiuo de credendo, siuè explicitè, siuè implicitè totum id, quod dicit Deus, qui nec fallit, nec potest fallere: adest ius credendi omnia. Et ideò si de illis reuelatis factis insurgit quæstio; iam non dicitur questio facti, sed Iuris. Sic enim se habet lex, seu preceptum Fidei respectu intellectus in ordine ad credendum; sicut lex seu preceptum agibilium respectu voluntaris in ordine ad agendum. Et sicut, cùm disputatur, an aliquod sit agibile, & contineatur in lege? est quæstio Iuris; ità, cùm disputatur; an aliquod ex factis reuelaris sit verum, seu credendum? quæstio non est facti, sed Iuris, Fidei nempè; quia lex Fidei talis est, vt precipiat, quòd omnia reuelata, siuè facta, siuè infecta, siuè facienda, credi debent. Etpropterea de his facti quæstionibus, non est sermo; quia sunt quæstiones Iuris, de quibus huc vsque in præcedentibus disputationibus actum est; sed est quæstio de factis à creatura; at non reuelatis.

ARTICVLVS II.

An factum non reuelatum possit euadere obiectum Fidei?

21. ADu. 1. quòd prima facie hoc dubium videtur adeò insubsistens, vt sit despiciendum potiùs, quàm discutiendum; cùm formale obiectum Fidei, seu id, propter quod aliquid creditur Deo, sit locutio, seu manifestatio Dei, siuè immediatè internè, & externè, aut internè tantùm, siuè mediatè facta. Nihilominùs adhuc fuit discutiendum propter aliqua facta, & decreta Ecclesiæ, quæ inducunt obligationem credendi, cùm tamen nulla appareat reuelatio, vt manifestum est, præcipuè in Canonizatione Sanctorum, & in damnationibus hereticorum factis, siuè in Concilijs, siuè extra, vt de damnatione Arij, Nestorij, Eutychetis, Macedonij, Sabellij, &c. de damnationibus doctrinarum in sensu eorum.

22. Adu. 2. hæc precipuè esse facta humana, ob quę mouetur hæc questio. Primum est Sanctorum passiua canonizatio; idest, an dum aliqui per Ecclesiam declarantur Sancti, sit de Fide credendum, quòd sint Sancti? Secundum est; an quando per Ecclesiam aliquis ob aliquam doctrinam nouam declaratur hæreticus, & damnatur noua illa doctrina; sit de fide credendum, quòd nedum doctrina sit hæretica, sed etiam auctor? Et an in his casibus possint fideles ita distinguere, vt credant de fide, doctrinam esse hæreticam, non verò auctorem, tamquam duo obiecta, vnum Iuris, aliud facti? Tertium est, an sit obiectum fidei, quod Ecclesia nunc existens sit vera Ecclesia à Christo fundata? Quartum, an hic numero existens Papa, sit verus Papa, & Sancti Petri successor, & Christi Vicarius, &c. Quæ sigillatim discutientur.

23. Adu. 3. ex dicendis de obiecto formali; aliquid posse reuelari in specie, vel in indiuiduo cum omnibus circumstantijs indiuidualibus, aliquid verò tantùm in genere, cujus indiuidua, & circumstantiæ eorum cognosci possunt naturalitèr. De primis reuelaris nulla est difficultas: sed solùm de secundis, tam factis, quàm faciendi. Declaratur. Reuelauit Deus initio Gen. ipsi Moysi rerum omnium creationem: [Creauit Deus cœlum, & terram, &c.] Hoc est obiectum Fidei. Nos videmus oculis proprijs cęlum, & terram &c. Videndum est, an cognitio hæc naturalis cęli, & terræ impediat, quin actu fidei credere possimus hoc cœlum, & hanc terram? quam videmus esse creatam? Ità reuelauit Christus: [Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.] Videndum est, an cùm cerno aliquem, vel me ipsum credere, & esse baptixatum, & hoc naturali cognitione; hoc impediat, quin credam, me cum his requisitis, nisi alium ponam obicem, fore saluandum? Item, cùm videam Turcam sine fide, & baptismo decedere, & hoc naturaliter; an id impediat, quin credam, aut credere possim, & debeam, quòd iste damnetur? Et sic de alijs in genere reuelatis, & naturaliter cognitis in singulari.

24. Adu. 4. hoc dubium coincidere in pluribus cùm eo, quod discutiunt Theologi; an ex vna præmissa credita, & alia naturali, conclusio sit credita, seu de Fide? Quod sub ijsdem terminis discutiam in Disput. de obiecto formali. Nunc autem solùm inquiro facta à creatura, vel cognita naturaliter in indiuiduo, reuelata tamen prius in genere, vt nuper patuit, & insuper de alijs multis patere potest, v. g. est reuelatum, omnem animam rationalem esse creatam; naturaliter agnosco animam meam. An credere debeam fide diuina hanc esse cratam? Est reuelatum, post consecrationem adesse Corpus Christi in Eucharistia; ego cognosco Eucharistiam per consecrationem; an hæc naturalis noritia impediat, quin Fide diuina sit credendum esse ibi Corpus Christi? Et sic de omni effectu Sacramentorum. Et quia hæc omnia simul discussa confusionem pariunt, de singulis distinctè loquar.

25. Dico 1. Purum factum hominis, vel Angeli, alteriusuè craturæ, nulla accedente reuelatione diuina; siue præcedente explicita, aut implicita; siuè sequente; non potest esse Fidei Diuinæ obiectum.

26. Prob. ex mox dicendis de obiecto formali. Nihil credi potest Fide Diuina, nisi quod dicitur à Deo. Sicut nihil creditur Fide humana, nisi quod ab homine dicitur. Ergo. Antec. prob. Ideò enim alicui credimus, quia loquens aliquid dicit; & si nullus aliquid diceret nobis ignotum, nulli credimus. Vt ergo Deo credamus, Deus debet loqui. At facta ista pura ab hominibus, Angelis, &c. non dicerentur à Deo. Ergo. Neque de hoc est aliqua difficultas.

27. Dico 2. Factum creatum, quod vel in genere, vel in specie, vel explicitè, vel implicitè est prædictum à Deo; vel manifestatum postquam est factum, est fidei obiectũ.

28. Prob. ab opposito primæ. Omne tale

tale habet rationem formalem obiecti Fidei. Ergo. Sicut omne lucidum est ab oculo visibile, & quod participat formalem rationem obiecti oculi; & sic de alijs.

29. Prob. 2. incipiendo à factis purè creatis reuelatis immediatè à Deo, postquam facta sunt. Incipiendo ab initio mundi vsque ad Moysem, quòd Eua, & Adam pomum comederint, quòd se excusauerint; quòd se absconderint, &c. quòd genuerint Cain, & Abel; quòd iste ab illo fuerit occisus, & cætera de eorum gestis, sunt facta purè creata; quia tamen à Deo reuelata Moysi, sunt obiecta fidei. Et ità dicendum de factis aliorum hominum, & de genealogia eorum vsque ad ipsum Moysem, vt in Genesi tota vsque ad Exodum legere est. Omnia enim illa hominum gesta, postquam facta sunt, fuere à Deo reuelata, & omnia sunt Fidei obiecta.

30 De factis creatis mediatè à Deo reuelatis postquam facta sunt, esse obiecta Fidei, est manifestum. In Veteri Testamento, incipiedo ab Exodo, & progrediendo vsque ad secundum Machabæorum Librum insertæ sunt historiæ gestorum innumerabilium hominum, quæ ipsimet Canonici Scriptores ex Dei inspiratione, & afflatu scripserunt, vt in suo loco dictum est, & ideò mediatè nobis reuelata: [Sancto enim Spiritu inspirati locuti sunt Sancti Dei homines,] ait Petrus epist. 2. cap. 2. Et omnia hæc facta, sunt obiecta fidei. Idem de Nouo Testamento dicendum. Euangelistæ enim, & alij Scriptores Canonici, multa scribunt, & à se, & ab alijs hominibus, tam bonis, quàm malis; tam fidelibus, quàm infidelibus gesta; de Herode, Pilato, Pharisæis, Gentilibus multis, &c. Et hæc omnia pariter sunt Fidei obiecta, quià mediatè, idest medio Scriptore Canonico, ac infallibili, à Deo sunt manifestata. Neque de hoc est difficultas, quia clarè constat, quòd reuelacionem expressam præseferunt. Sed de futuris, dum accidunt, est maxima difficultas. Ideò.

31. Prob. de factis, explicitè prædictis, Lucæ 21. prædicit Saluator: [Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum. Ibidem: Surget gens contra gentem, & regnum aduersùs regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, & signa magna erunt.] Et de rebus euenturis ipsismet Apostolis ait: [Sed ante omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in Synagogas, & custodias trahentes ad Reges, & Præsides propter nomen meum; continget autem vobis in testimonium. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus.] cap. 19. prædicit euersionem Ierusalem. [Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique.] Et Matth. 24. 2. prædicit Templi demolitionem,] Videtis hęc omnia? Amen dico vobis. Non relinquetur hic lapis super lapidem.] Et de alijs factis hominum immediatè, & explicitè prædictis, & de singularibus, explicitisque subiectis, omnia enim eiusmodi sunt obiecta Fidei, etiam antequam fiant.

32. De factis mediatè, ac etiam implicitè prædictis, est etiam manifestum; tam enim in veteri, quàm in nouo Testamento multa hominum in genere facta prædicuntur per Prophetas. Psal. 21. Dauid prædicit: [Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ.] Non indiuiduantur, qui ex illis. Et ità omnes alij Prophetæ, qui euentura per homines prædicune, non se restringentes neque ad determinatum tempus, neque ad personas.

33. In nouo autem Testamento per Scriptores Canonicos multa pariter hominum facta euentura prædicuntur; v.g. Petrus ep. 2. cap. 2. [Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant; superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, & cap. 3. Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Paulus epist. 2. Timoth. 4. Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.] Apocalypsis tandem Ioannis plena est eiusmodi prædictionibus faciendorum ab hominibus; neque determinat, qui, qualesuè sint isti talium euentum patratores. Ex quibus patet, quòd omnia prophetica euenta per homines, prædicta, priùs quàm accidant, sunt fidei obiecta.

Neque de hoc est dubium, quia omnia subsunt reuelationi. Sed dubium, & difficultas est: an, & quomodo aliquis euentus agnoscatur, quòd sit ex ijs, implicitè, & in genere prædictis? Et, an, ac quomodo talis euentus secutus euadere possit fidei obiectum? Hoc enim opus, & hic labor: an scilicèt alia noua reuelatio, vel alia diuina actio illuminatiua sit necessaria ad statuendum talem euentum inter obiecta fidei? Ideò.

34. Dico 2. facta humana, & quæuis creata futura; implicitè tantùm, & in generè reuelata, quando eueniunt, non sunt obiecta fidei respectu omnium fidelium, nisi ab Ecclesia proponantur talia. At respectu particularium personarum, quæ circumstantias idiuiduales talium prædictorum certissimè cognoscunt; sunt obiecta fidei, obligantque ad sic credendum.

35. Prob. prima pars; vt in disp. de proponente dicam. Cùm aliqua eueniunt, quæ similia sunt reuelatis implicitè; Fideles possunt decipi in eorum notitia; an scilicet sint ea, quæ prædicta sunt ventura, an alia illis similia? Et de facto ipsimet Sancti videntes persecutionem Neronis in Ecclesiam, putabant aduenisse tempus finis mundi, & aduentus Christi, vt dixi in 4. sent. tom. 4. disput. 1. de Antichristo. Ergo.

36. Prob. 2. cùm aliquid accidit progressu temporis; & nemo tunc ex parte Dei manifestar, id esse, quod olim prædixit Deus; non adest motiuum formale credendi fide diuina, quod sit illud. Ergo. Consequ. prob. quia, nisi Deus expresse loquatur, vel alius

ex parte Dei, & Ecclesia, vel eius caput (quod nequit fallere in docendo) proponat aliquid credendum, nemo tenetur credere.

37 Confir. Ipsemet Christus nos monet, quòd venient multi in nomine suo, & signa facient, & seducent multos, Matth. 24. [Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus; & multos seducent. Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia; ità vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.] Igitur, sine aliquo proponente infallibili, nequeunt cognosci, an quæ accidunt, sint illa, quæ fuerunt prædicta; quia semper adesset periculum deceptionis.

38 Confir. 2. Inspirationes nouæ, neque possunt prædicari, nisi examinentur ab Episcopo, vel Papa ex Concil. Later. 5. sess. 11. const. 1. Ergo multò minus debent credi de fide ea, quæ accidunt, quòd nempè sint ex ijs, quæ prædicta sunt implicitè, ac in genere.

39 Prob. 3. Multæ conclusiones Theologicæ deducuntur à præmissis reuelatis, in quibus implicitè continentur, & reuelatę sunt; & tamen non sunt obiectum fidei respectu vniuersitatis fidelium, nisi Concilium, vel Papa eas definiat, & credendas proponat. Et hoc modo in Concilijs, ante dogmatum definitionem factum semper videmus: prius enim Theologi, vel ipsimet Patres seorsim disputarunt hinc inde, an, & quæ pars sententiæ deduceretur euidenter, & necessariò ex Scriptura, vel ex traditione? Deinde conuenientes inter se, quòd hæc, vel illa sententia; hæc proposita fuit omnibus, & definita. Ergo idem dicendum à pari de euentu secuto. Ratio autem est, quia vtrobique requiritur infallibilis proponens.

40 Prob. 2. pars. Respectu eorum obiectum illud est euidenter credibile. Ergo. Consequ. probatur; nil enim aliud requiritur ad credendum, nisi hoc, vt sit euidenter credibile aliquid dictum esse à Deo. Et propterea, cùm Deus in veteri testamento locutus est Moysi, Iosue, Gedeoni, Abraham, &c. quia circumstantijs talibus sua dicta muniebat, vt euidenter esset credibile, ipsum tunc loqui; illi tenebantur fide credere, quod dicebatur, siuè præteritum, siuè præsens, siuè futurum. Ergo à pari, si aliquod prædictum in genere, dum accidit, sit prædictum ijs circumstantijs, quæ fuerant prædictæ, & quis certissimè cognoscat eas omnes adesse, iam respectu illius euentus ille est euidenter credibile, quòd sit ipsum idem olim prædictum.

41 Prob. 2. Ideò Iudæi, qui Christi opera viderunt inexcusabiles fuerunt, quia, quod in Scriptura prædictum erat futurum de Messia, & in ipsomet Messia; videbant in Christo. Ergo, quando prædictum à Deo, respectu alicuius verificatur, & cognoscitur cum præcisis circumstantijs iam prædictis, tunc respectu illius est obiectum fidei. Antecedens prob. Ioan. 15. 22. [Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.] Sic de posteris eorum dicendum; omnes enim sciunt, quæ de Messia erant prædicta, fuisse in Christo verificata.

42 Confir. ex Matth. 11. 2. Ioannes Baptista in vinculis, credens quidem, Christum esse Messiam, quia eum baptizauerat, & in Columbæ specie Spiritum sanctum audierat, eum esse Dei Filium; tamen, vt Iudæos ad eius fidem reduceret; tamquam si ipse Christum non cognosceret, eorum nomine legationem ad eum adornat: [Mittens enim de discipulis suis ad Christum, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Saluator autem non respondit: Ego sum: sed sic; Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.] At quænam est hæc responsio, ad interrogationem, an esset Messias, vt in eum crederent? Optima quidem, quia Isaiæ cap. 35. 5. & cap. 61. 1. omnia hæc prædicta sunt euentura in Messia. Quasi diceret Christus: Quod maius signum quæritis, quòd ego sim Messias? Reflectite in miracula, quæ operor, hæc enim iam olim prædicta sunt de Messia; & ita credetis me eum esse. Et ideò Ioan. 8. iterum ait: Si mihi non vultis credere, operibus credite.] Et ipsimet Pharisæi aliquando confitebantur ex operibus, eum esse Messiam. [Nemo potest facere opera, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Et nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus.] Ergo, dum quis ex circumstantijs euentus secuti, agnoscit, euentum esse eum, qui implicitè, & in genere fuerat prædictus, tenetur credere eum esse.

43 Confir. 2. Cùm Apostoli, & omnium primò Petrus Act. 2. vellent Iudæos conuincere, Iesum Christum, iam mortuum, esse Messiam ab eis expectatum, & in Scriptura promissum; vsi sunt argumento illo, quòd in eo erant verificata manifestè omnia signa de eo prædicta. Ergo ita de alijs euentibus prædictis est dicendum; cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio: Quod enim implicitè erat prædictum, explicatur in exercitio per circumstantias, fitque euidenter credibile. Ergo is, cui euentus aliquis fit euidenter credibilis, quòd sit ex ijs; quos Deus prædixit, tenetur de fide eum credere. De singulis autem in sequentibus, saltem de principalibus erit specialis disputatio. Ideò sit

ARTICVLVS III.

An Canonizatio Sanctorum sit obiectum fidei; & quomodo?

44 Adu. 1. quòd verbum canonizare, neque in Scriptura, neque in antiquis Patribus reperitur; est tamen Ecclesiasticum, & deriuatur à nomine canon, quod significat regulam, & aliquando etiam numerum; vt patet de canone factorum librorum. Itàque ex communi Ecclesiæ vsu canonizare significat declarare fideles, & apponere aliquem in numero eorum, qui adorantur, vt Sancti.

45 Adu. 2. quòd ex Sanctis, quidam adorantur, & sunt apud nos in numero Sanctorum, quia Deus eos canonizauit, idest tales declarauit per Sacram Scripturam, tam veteris, quàm noui Testamenti. Quidam verò,

quia

quia Ecclesia, ideſt Paſtores eius tales declararunt, & omnibus venerandos propoſuerunt. Quod quomodo factum ſit, mox dicetur. Exempla priorum habemus in Eccleſieſtico à cap. 44. [Laudemus viros glorioſos, vſque ad caput 50. in quibus enumerantur. Henoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Aaron, Phinees, Ioſue, Caleb, Samuel, Natan, Dauid, Ezechias, Ioſias, Elias, Eliſeus, Iſaias, Ieremias, Zorobabel, Ieſus filius Ioſedech, Nehemias, Ioſeph, Seth, Simon filius Oniæ, de quibus ibi dicitur, Quorum corpora in pace ſepulta ſunt, & viuent nomina eorum in æternum.] In libris Machab. fit mentio de Iuda Machabæo, de Eleazaro ſene, de Matre cum ſeptem filijs. Quos omnes iterum refert Paulus ad Heb. 11. quos Sanctos appellat. In nouo teſtamento reperiuntur B. Virgo Lucę 1. [Beatam me dicent omnes generationes,] & & gratia plenam Angelus ſalutauerat; Ioannes Baptiſta, ea Chriſti oraculo maior inter omnes homines; Eliſabeth, Zacharias. Simeon, Anna Propheteſſa, Ioſeph ab Arimathia, Ioſeph iuſtus, bonus Latro; Stephanus Act. 7. qui lapidatus obdormiuit in Domino, Paulus, [Vas electionis eſt mihi iſte, Act. 9. Iacobus frater Ioannis, ipſimet vndecim Apoſtoli, quibus Ioan. 16. dicitur: [Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. & Matth. 19. Vos qui ſecuti eſtis me, vitam æternam poſſidebitis, &c.] Alia multa ſunt loca, in quibus per anticipationem ab ipſomet Chriſto canonizantur. Ad Philipp. 4. de Clemente, & alijs dicitur, [Quorum nomina ſunt in libro vitę. Apocal. 2. Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos.] Hos, & alios quoſdam veneramur Sanctos; quia Deus ipſe per Scriptores Canonicos canonizauit, ideſt declarauit, tales eſſe. Cæteri autem, quos ex Scriptura non habemus, niſi implicitè, vt poſtea dicam, veneramur Sanctos, qui Eccleſia eos tales eſſe declarauit. Quomodo autem tales declarauerit, ex hiſtorijs pendet. Ideò

46 Adu. 3. Non eſſe manifeſtum, quo vſu Synagoga, & Eccleſia in lege naturæ cęperint aliquem venerari pro Sancto; num ex facto populorum, & maximè Sacerdotum, ac Leuitarum; num ex decreto aliquo principis Sacerdotum; vel alicuius Prophetæ inſinuatione, ac præcepto; cùm tamen certum ſit, ijs temporibus plures poſt mortem, vt Sanctos, ac Dei amicos fuiſſe veneratos, vt Abrahamus, Iſaac, Iacob. Pro lege verò noua duo Sanctorum genera, nempè Martyrum, & Confeſſorum, ideſt omnium aliorum non Martyrum, ſunt diſtinguenda; & plures Eccleſiæ ſtatus conſiderandi, & propterea plures canonizandi formulæ, ſeu ritus. In primitiua enim Eccleſia vniuerſaliter, Martyres tantùm in maxima veneratione habebantur, eorumque memoria in Eccleſijs fiebat: vnde Cyprianus lib. 3. epiſt. 6. de eis ad Romanos ſcribens dicit: [Dies eorum, qui excedunt, adnotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Et poſt aliqua: Frater noſter ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, vt celebrentur hìc à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum, Domino proſperante, celebrabimus.] Et hoc ex Romanæ Eccleſiæ vſu; quia Clemens I. ex Pontificali Damaſi inſtituit ſeptem fideles Notarios, qui acta Martyrum colligerent. Et Fabianus idem proſecutus eſt, qui ſeptem Subdiaconos creauit, vt ſeptem Notarijs imminerent, qui geſta Martyrum in integrum colligerent. Hoc ergo modo canonizabantur Martyres, & populis adorandi proponebantur. Habita à primatibus Eccleſiarum, vt ita dicam, certa notitia de paſſione alicuius Martyris, ſi corpus eius alicubi habebatur, ſuper eo conſtruebatur altare, & Sacrificium Deo in honorem eius Martyris offerebatur. Si verò reliquiæ eius non habebantur; adhuc ſuper aliquo Altari Sacrificium in eius honorem, cum ipſius commemoratione, Deo, qui eum coronauerat, offerebatur. Neque ſolùm Romana Eccleſia id faciebat, ſed aliæ etiam maiores per Orbem diſpoſitæ: nam Auguſtinus in Breuic. collat. diei 3. refert, à primate Aphricæ diligentiſſimè inquiri ſolitum, quinam occubuiſſent Martyres, vt debitum eis cultum præciperet. Et propterea Menſurius Epiſc. Carth. prohibuit Secundò Primati Numidiæ, pro Martyribus venerari eos, qui non diuino impulſu, ſed temeritate quadam, nulla præcedente interrogatione, Sacros libros ſe tenere manifeſtarent. In lib. de oper. Monach. c. 28. ait: Cæcilianum Archidiaconum, poſtea Epiſcopum Carthaginenſium, prohibuiſſe exhiberi cultum aſſerto, cuidam Martyri, ab Eccleſia nondum recepto. Et quo facto Optatus Mileuit. lib. 1. contra Parmen. ait Lucillam excanduiſſe. Quod fuit cauſa ſeuę illius perſecutionis Cæciliani. Et proindè Concil. Carthag. 7. de anno 398. can. 14. ſic decreuit: [Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint, aut vbi origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur.] Et Pius I. in epiſt. ad Verum Epiſcop. Vienn. ex Baron. ann. 166. ſic ſcripſerat. [Martyria Sancta, Spiritu ſancto probate.] Et ſic, nedum per Papam; ſed per alios primarios Epiſcopos in prouincijs, modo præfato Martyres canonizabantur, ideſt declarabantur veri Martyres, amici Dei, ac Sancti, & vt tales à populis venerandi proponebantur. Et hæc quò ad Martyres.

47 Quò verò ad Confeſſores, ac Virgines, pauca admodum habemus documenta de ritu, ac forma, quibus canonizabantur in primitiua Eccleſia: & tamen compertum eſt, quòd poſt Chriſti mortem, plures, qui cum eo vixerant, venerari cœperunt pro Sanctis, & cum Deo regnantibus; vt patet de tribus Ioſephis; Sponſo, ab Arimathea, & Iuſto: de Martha, ac Magdalena; de Lazaro: item de alijs, qui ſucceſſu temporis fuerunt in Eccleſia Sancti, Epiſcopi, Papæ, Doctores, Virgines, cæterique non Pontifices. Primum, & antiquius, quod vſque hodie inuenire potui, exemplum (eſto antiquiora fuerint, & plura) de ritu canonizandi eiuſmodi non Martyres, eſt de S. Suiberto, quod ex Ludgero Epiſcopo affert Baron. an. 754. canonizato à Rom. Pont. exiſtente in Gallia, ad inſtantiam Caroli Magni. [Sanctus vero Stephanus Papa volens ſatisfacere iuſtæ petitioni

Chri-

Christianissimi Regis, commisit vices suas ad experiendum actus, virtutes, gesta, ac miracula ipsius sancti Suiberti ad canonizandum ipsum sanctum, vice ipsius venerabilibus Patribus, & Pontificibus sancto videlicet Idolfo Treuirorum, Bonifacio Maguntinorum Archiepiscopis; Fulcario Leodiensi, & Hildegero Coloniensi Archiepiscopo, in cuius Parochia sanctus Suibertus migrauit ad Christum.] Et hæc quò ad commissionem pro formando processu virtutum, ac miraculorum. Decedente tamen Stephano, canonizatio facta est multo post tempore à Leone III. quę sic describitur à Ludgero apud Baron. anno 804. [Pridie nonas Septembris, tam Papa sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alij conuenientes in Ecclesia sancti Suiberti ibi oratione finita, statim celebrante solemniter summam missam Felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, & sanctissima vita ipsius Suiberti cum innumeris miraculis conscripta per venerabilem presbyterum Marcellinum, socium, & conterraneum ipsius sancti ibidem lecta: Papa sanctus Leo de assensu pariter, & consensu suorum Cardinalium, cœterorumque prælatorum illic coram adstantium, solemniter catalogo sanctorum Confessorum ipsum adscripsit. Quo facto, pulsata campana conuentus per aliquot horas &c. & hymnus Te Deum.] Quid autem amplius in hac functione actum sit, nescimus. Aliud exemplum repetio apud Petrum Damianum epist. 16. cap. 29. de canonizatione plurium, ait enim: [Nostra ætate beati Viri Romualdus Camerinensis, Amicus Ramisborrensis, Guido Pompesianus, Firmanus Firmensis, & quàm plures alij sanctæ conuersationis studio floruerunt, super quorum videlicet veneranda cadauera, ex sacerdotalis Concilij auctoritate sacra sunt altaria erecta; vbi nimirum Diuina mysteria miraculis exigentibus offeruntur.]

48. Ex quibus nunc colligitur, quòd tam Episcopi, quàm Romanus Pontifex canonizabant, idest declarabant populis, quinam essent sancti, & vt tales venerandi. Colligitur secundò, quod præuijs probationibus, vel Martyrij in his, vel virtutum, & miraculorum in alijs, id peractum est. Collig. 3. quòd siuè cum maiori, siuè cum minori solemnitate hæc canonizatio fieri solebat, vel cum altari super corpore sancti erecto, & sacrificio in eius honorem Deo oblato; vel in alijs altaribus, si corpus non adesset, & in sacrificijs, eorum commemoratio fiebat; quod per preces, seu collectam ad sanctum directam factum esse existimo. Et hæc vsque ad Alexandrum III. nempè ad annum 1159. ex quo sedere cœpit. Ipse enim perspiciens nonnullas negligentias in eiusmodi canonizationibus per Episcopos factis intercedere. solemni decreto, vt ex cap. 1. de Reliq. & Vener. SS. statuit, ac præcepit, vt in posterum nullus vspiam locorum haberetur, & veneraretur pro sancto absque Sedis Apostolicę facultate, & ex tunc omnes canonizationes à Papa factæ sunt, siuè in Concilio prouinciali, siuè Synodali, siuè in Consistorio præuia discussione per Theologos, & canonistas facta, vt in disp. 5. art. 4. 5. & 6. dictum est.

49. Adu. 4. quòd stantibus præmissis, oritur controuersia; An canonizatio ista passiua, idest quòd aliquis sit sanctus, sit obiectum fidei diuinæ? & quomodo possit hoc esse? Ratio autem dubitandi, clara est; quia quocumque modo, ex prædictis fiat, aut facta sit canonizatio; totum, quod in ea interuenit, est factum humanum, non reuelatum, sed naturali sensuum diligentia notum. Et quia duo sunt dubia; vnum, An sit obiectum fidei, sanctos canonizatos esse verè sanctos? alterum, Quomodo euadat fidei obiectum, cùm reuelationem non includat? Distinctionis gratia, hic primum; in sequenti discutietur secundum.

50. Adu. 5. hoc dubium discuti solere in disp. de obiecto formali, vel in alia de infallibilitate Ecclesiæ, & sub titulo; An Ecclesia in canonizatione sanctorum possit errare? At mihi placuit distinctionis gratia inter species materialis obiecti fidei istud enumerare, cum tale sit, & ab alijs hucusque enumeratis, diuersum, & de eo priùs inquirere, an tale sit? deindè, per quid tale sit?

51. Dico ergo. Inter materialia fidei Theologicæ obiecta reponi, & computari debet, quòd sancti ab Ecclesia canonizati, idest declarati tales, nempè amici Dei, eum videntes, eoque fruentes, verè sint tales.

52. Prob. 1. Sanctos ab Ecclesia canonizatos, esse venerandos, & inuocandos, est de fide. Ergò de fide est, quòd tales sint. Consequentia probatur: virtus fidei, eiusque præcepta non possunt inclinare ad id, quod non est eius obiectum. Ergò si est obiectum fidei, sanctos esse adorandos, & inuocandos, est etiam fidei obiectum, esse sanctos; alioquin ex præcepto fidei dandus esset cultus eis, qui incertè, & infallibiliter digni essent eo cultu. Antecedens probatur ex Concilio Senon. cap. 13. [Sancti sunt honorandi, ac venerandi, & eorum festa celebranda, & contrarium dicens est hæreticus.]

53. Concil. Trident. sess. 25. in decr. de inuocatione, & veneratione, ac Reliq. Sanct. definit, [Sanctos vnà cum Christo regnantes orationes nostras Deo offerre; bonum, ac vtile esse eos inuocare; illos verò, qui negant sanctos æterna fœlicitate fruentes in cælo, inuocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singuli orent, inuocationem esse idololatriam &c. omninò damnandos esse, prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia.]

54. Concilium Gen. 6. cap. 7. sic definit: [Vnusquisque christianus, solo Deo adorato, inuocet Sanctos, vt pro se intercedere apud Maiestatem Diuinam dignentur.]

55. Concilio Chalcedon. act. 11. dicit. [Flauiano æterna memoria. Flauianus post mortem viuit. Martyr pro nobis oret.]

56. Concil. Cabilonen. 1. de anno 658. celebratum in cap. 1. ait: [In Ecclesia sancti Vincentij Martyris conglobati, intercessionem huius sancti poscamus, vt longæuitatem Clodouæi Regis, suis suffragijs mereamur.]

57. Concilium Nicenum 2. Gener. 7. act. 6. circa finem, ait: [Cum timore omnia agamus postulantes intercessiones incontamina-

minatæ Deiparæ, sanctorum Angelorum, omniumque sanctorum.]

58. Probatur 2. In professione fidei, quam emittere debent omnes promoti ad Episcopatus, Canonicatus, & cæteras dignitates Ecclesiasticas, à Concilio Tridentino reformata, & à Pio IV. in constit. 88. In sacrosancta, & 89. Iniunctum, præfixa, id explicitè habetur: [Credo in vnum Deum &c. Profiteor,& Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum SS. habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impartiendam.] Ergò.

59. Confirmatur 1. Hæc fuit semper Ecclesiæ praxis, & rigorosum præceptum, vt ij, quos sanctos declarauerat, sacra veneratione colerentur, vt ex 48. Bullis canonizationum solemnium constat. At non potest cultu vniuersali venerari, quod non est infallibiliter certum; intolerabili enim errore Ecclesia laboraret. Et hinc exploditur effugium quorumdam dicentium, de fide vtique esse, quòd Sancti sint venerandi, & quòd cum Christo in cęlo regnantes sint. Sed non est de fide, quòd hic, vel ille sit cum Christo regnans, & hic, vel ille sit pro tali habendus. Exploditur, inquam, quia dum Ecclesia aliquem solemniter canonizat, illum declarat Sanctum, & cum Christo regnantem, ac Deo fruentem; illi statuit festum, officium, & missam; illum præcipit venerandum, & pro eius cultu concedit indulgentias, tam pro venerantibus sepulchrum, eiusque reliquias quàm pro inuocantibus, vt ex præfatis Bullis est manifestum. Ergò si de fide est, eos esse venerandos, de fide pariter est, eos tales esse. Cognitio enim, & assensus passionis, vel accidentis non est perfectior cognitione subiecti, Et notitia fidei nequit inniti principio naturali.

60. Confir.2.ex Romanorum Pontificum gestis. Leo Mag. Ser.1. de Epiphania cap.4. ait: [Confirmate amicitias cum Angelis sanctis; intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini. Et per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia,] Hormisda epist. 31. ait: B. Petrum Apostolum quotidiè suppliciter obsecramus &c.] Greg. Mag. [In Agenda Mart. Subuenite Sancti Dei, succurite Angeli, suscipientes eam, & offerentes in conspectu Altissimi.] Cornelius epist. 1. [Orantes Deum, vt intercedentibus sanctis suis Apostolis maculas vestrorum purget peccatorum &c.]

61. Probatur idem ex Patribus, quòd nempè Eclesia semper orare consuenit sanctos iam canonizatos, idest tales declaratos, & ab ea receptos. Origenes lib. 2. in Iob. [O beate Iob viuens in perpetuum apud Deum ora pro nobis miseris, vt nos Dei misericordia protegat.]

62. Basilius Magnus homil. 26. de S. Mart. Mamante, multa miracula ad eius intercessionem patrata commemorat, & ad eum inuocandum hortatur.

63. Gregorius Nazianaenus orat. 18. de S. Cypriano eum orat, & orandum consulit, vt apud Deum intercedat. Idem facit orat. 21. quæ est in laudem Athanasij, & etiam in Epitaphio Basilij.

64. Ioan. Chrysost. homil. de sanctis Petro, & Paulo, & in serm. Catenarum sancti Petri cap. 26. eos inuocandos docet, & in Liturgia de S. Nicolao sic dicit: [Pater Nicolae fungere legatione apud Christum Deum, vt animæ nostræ salutem consequamur. Apostoli, Martyres, Prophetæ, Sacerdotes, Confessores, & iusti cum mulieribus Sanctis, pro nobis ipsis orate saluari animas nostras.]

65. Nectarius Episc. Constant. Orat. de S. Theodoro. [O splendor Martyrum, & decus sanctorum. O custos inuictissimè, & defensor fidelium: ne obliuiscaris nostræ paupertatis, sed semper pro nobis intercede &c. Te enim etiam post mortem viuere credimus. Vt qui ergo cum Christo viuis, & stas propè eum, redde eum cum tuis precibus propitium tuis famulis.]

66. Tarasius quoque Constantinus Episcopus epist. ad Episc. Antiochiæ &c. Obsecro intercessionem sanctissimæ, & incontaminatæ Deiparæ semper Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum, & Martyrum.]

67. Nicephorus etiam Const. Episc. in vita Ioan. Damasc. in fine, orat. vt pro ipso, & alijs intercedat.

68. Prob. idem ex PP. Latinis. Ambros. in Natali sancti Nazarij, & Celsi, & in libro de viduis, monet orandos, & inuocandos esse sanctos cum Deo regnantes. [In orat. præparatiua ad missam, ait, Apostolorum intercessionem imploro; Martyrum preces deposco, confessorum orationes expostulo. Talium Domine Deus preces numquam spernis, si, vt pro nobis exorent, ipse inspiraueris.]

69. Hieronymus epist. 27. de Epitaphio Paulæ, eam post mortem inuocat; & in Psal. 15. Sanctos deprecandos dicit: [Vndè eos deprecamur, vt ab his nequaquam deiuncti, si non metemur vestri gloria, non excludamur a venia.]

70. Augustinus Ser. de sancto Stephano. Commendemus ergò nos S. Stephani orationibus. Multò magis enim nunc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis.] Et lib. de cura pro mort. pluribus, inquit, defunctos sanctorum orationibus commendari, dum in ipsorum Ecclesijs sepeliuntur.

71. Probatur idem antecedens ex canone Missæ, in quo Sancti inuocantur, vt pro nobis intercedant; & tamen ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 4. & can. 6. Canon ille ab Ecclesia ex Apostolorum traditione confectus est, nullumque errorem continet.

72. Confir. ex Rogationibus, seu Litanijs Sanctorum, quæ ex antiquo in Ecclesia recitantur. Non enim Gregorij Magni tempore tantùm cœperunt recitari, vt aliqui putarunt; sed etiam tempore Gregorij Thaumaturgi, vt ex epist. 63. Basilij ad Neocæsarienses, quorum Greg. fuerat Episcopus, qui de anno 340. viuebat. Et Tertull. lib. 2. ad Vxorem, dicit morem fidelium perpetuum fuisse vt ad sepulcra Martyrum accurrerent, eisque se commen-

mendarent, vt apud Deum intercederent.

73. Confir. 2. ex Liturgijs omnium Ecclesiarum; in quibus Inuocatio omnium Sanctorum reperitur. Patet ex Liturgia Ecclesiæ Romanæ, quæ à S. Petro exordium cæpit, & postea per eius Successore aucta est; in ea autem habetur; Et omnium Sanctorum, quorum meritis, precibusque concedas, &c. 2. ex Liturgia Ecclesiæ Hiesolym, quæ à Iacobo originem ducit. Ex ea Æthiopiæ, quæ à mattheo. Ex illa Mediolani cæpta à Barnanaba, & aucta ab Ambrosio. Ergo, si Ecclesia vniuersalis ab initio inuocat Sanctos, & præcipit eos inuocari; certum de Fide est, Sanctos, qui inuocantur, esse Sanctos. Hi autem sunt illi, quos Ecclesia canonizauit. Ergo.

74. Prob. 3. conclusio ex praxi eiusdem Ecclesiæ in ædificatione Templorum ad Sanctorum honorem. Publicè enim ex tempore Constantini ædificari cæperunt, nam ex Eusebio Lib. 4. cap. 58. & 59. Constantinus in Vrbe Regia Ecclesiam in honorem Saluatoris, & omnium Apostolorum magnificè erexit; cuius pietatem summis laudibus omnes Patres maximè Nicæni, & posteri commendarunt: alias autem Romæ plures construxit, vt ex vita Siluestri. Ex quo tempore concessa est facultas Christianis, vt possent Ecclesias in Dei, & Sanctorum venerationem ædificare. Exindè autem per totum Orbem vsque ad nostra tempora valdè insignia ædificia sacra plurimis Sanctis sunt consecrata. Ergo signum est, de Fide esse, quòd sint Sancti, eaque templa in Sanctitatis suæ argumentum mereantur. Alioquin maximo, ac perpetuo errore per tot sæcula Ecclesia tota, ipsique Martyres laborassent, qui hoc improbatè omisissent.

75. Prob. 3. ex festorum in eorum honorem institutione. Ecclesia enim iam indè ab initio festa Sanctorum instituit. Nam Clemens l. lib. 8. const. Apost. c. 33. statuit, vt Apostolorum, & S. Stehani festa celebrarentur. Deindè successu temporis aliorum, & Martyrum, & Confessorum, & Virginum festa sunt instituta: nec enim vacat omnium festorum institutionem in ordinem adducere. Id tantùm sufficiat, quòd & celebrentur, & præceptum graue sit de eis celebrandis; aliqua tamen cum maiori solemnitate, nempè cum Sacri auditione, & à seruilium operum cessatione; alia verò, cum officlj, & missæ tantùm recitatione per Ecclesiasticos. Immò pro festis, tam Domini, quàm Sanctorum celebrandis multa per Ecclesiam condita sunt decreta. In Concil. Aphric. c. 27. statutum ne eum tripudijs, & conuiuijs celebrentur. Quòd non celebrentur in Quadragesima in Concil. Laodiceno c. 51. In Bracar. c. 28. quòd in eis non fiant placita populorum, seu consilia, Concil. Triburin. 1. c. 35. & Concil. Erpfordien c. 5. & cætera multa. Paucicra olim erant de præcepto, ex cap. 1. de Consect. dist. 3. Nunc autem quæ sint de præcepto: præscripta sunt ab Vrbano VIII. const. 162. Vniuersa.

76. Prob. 5. ex sacrificijs, quæ Deo in Sanctorum honorem iam ab ipso Ecclesiæ initio celebrari cæperunt. Vt S. Augustinus disertè docet in lib. 8. [de Ciuit. cap. vlt. ex quo desumpsit Concil. Trident. Sess. 22. cap. 3. & can. 5. Sic autem dicit August. Nec enim eisdem Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tamquam Sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, vt innotesceret vera Religio. Quis autem audiuit aliquando fidelium Sacerdotum stantem ad altare, etiam super Sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus, Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum ad eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cœlesti honore sociauit; vt ea celebritate, & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. [Ergo Ecclesia ante Augustini tempora Sacrificia Deo offerebat in Sanctorum memoriam, & honorem: & ideò Trid. vbi supra [cap. 3. ait. Et quamuis in honorem; & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit; non tamen illis Sacrificium offerri, &c. Sed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignetur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Et in can. 5. air: Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit].

77. Confir. ex Cypriano [lib. 3. ep. 62. & lib. 4. ep. 5. Laurentius, & Ignatius in castris ipsis quondam sæcularibus militantes; sed veri, & spirituales Dei milites, dum, diabolum, Christi confessione prosternunt, palmas à Domino, & coronas illustri passione meruerunt, sacrificia pro eis semper vt ministris offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus]. Igitur pro eis, idest in honorem eorum Deo offerebant Sacrificia.

78. Confir. 2. ex Cyrillo in Catechesi 5. mystag. Cùm Sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum, qui obdormierunt, Sanctorum, vt Deus illorum orationibus vestras preces suscipiat.

79. Confir. 3. ex Missali Romano etiam antiquo, in quo Missæ Sanctorum sunt præscriptæ. Adde vnum adnotatione dignum ex Amalarig. Lib. de rebus Eccl. cap. 3. & ex Albino lib. de diuin. off. cap. de Ioanne Baptista; olim in Ecclesia tribus Sacrificiis colebatur S. Ioannes Baptista; vnum fiebat in vigilia, 2. in die festo, 3. in sequenti; & idem legitur in libro [Ordo Romanus; Quia tribus refulsit triumphis; vna Missa de officio Præcursoris erat, altera de Sanctificatione in vtero Matris; tertia de officio ministrandi Baptismum.

80. Ex quibus euidenter colligitur, quòd si vniuersalis Ecclesia, Græca, & Latina, & Patres ipsi in Concilijs adunata, Sacrificia semper obtulerunt, & offerri iusserunt in honorem, & memoriam Sanctorum; & hoc factum non est impostura, qua Ecclesia decipir, aut

aut decipitur. est Fide certum, quòd sancti illi, in quorum honorem offeruntur, sunt verè, & certè Sancti. Ex his ergo Ecclesiæ ritibus, obsequijs, ac venerationibus religiosis, & sacris erga Sanctos, euidenter concluditur, de Fide esse, quòd sint re vera Sancti.

81. Confir. ex valido S. Thomæ argumen. quodlib. 9. q. 16. vbi quærens; an Ecclesia possit errare in canonizatione Sanctorum? postquam plura dixit in corpore quæst. sic concludit; [Quia tamen honor; quem Sanctis exhibemus, quædã professio Fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus; piè credendum est, quòd nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit. Si igitur honorare Sanctos, est Professio Fidei, quia creditur eorum gloria, quòd canonizati sint Sancti; est obiectum Fidei. Euidens est conseq. Virtus etenim Fidei non potest inclinare, vel tendere, nisi in ea, quæ sunt intra latitudinem sui obiecti. Neque potest aliter sciri, quòd aliqui sint Sancti, & gloria fruantur, nisi per Fidem: aliàs firmitas Fidei non posset firmiter inclinare, quia obiectum esset naturale, & contingens, Concludens ergo est D. Th. argumentum & est magis id dixisset post Concil. Trident. & post formulam professionis Fidei à Pio IV. [const. 89. stabilitam, inter quæ est, Profiteor, Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos esse, atque inuocandos, eosque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum reliquias esse veneradas. Istæ autem reliquiæ sunt canonizatorum. Ergo, si credimus, eos, & eas venerandas, & hoc Fide Diuina; credimus pariter, eos esse Sanctos. Quod arg. est euidens.

82. Prob. ex pœnis, & censuris, quibus afficiuntur illi, qui Sanctos canonizatos ab Ecclesia, pro talibus non habent, ac non venerantur. Concil. Senon. can. 13. statuit inter hæreticos recensendum, & eorum pœna plectendum, eum, qui negat Sanctos ab Ecclesia canonizatos, & in cœlo regnantes esse venerandos, & inuocandos. Idemque decreuit Concil. Trident. in sess. 25. decreto de inuocatione, veneratione &c. Sanctorum. At quoniam potest hæreticus, immò, & quis Catholicus proteruire, inquiens, hoc intelligi de Sanctis in generali, ijs nempè, qui actu sunt in Cœlo, quos refert Diuina Scriptura, vt sunt Angeli, & cœteri alij tam Veteris, quàm Noui Testamenti: ideò.

83. Confir. de Sanctis in particulari. Ioan. XV. const. vn. postquam ritu solemni Vldaricum Episcopum in Sanctorum numerum retulit; in [§. 3. ait: Si quis temerario ausu contra ea, quæ hac nostra authoritate piè, ac firmiter per hoc priuilegium constituta sunt, contraire tentauerit; vel hæc, quæ à nobis in laudem Dei, & pro reuerentia dicti Episcopi statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi; sciat, se authoritate B. Petri Principis Apostolorum anathematis vinculo innodatum, & in §. 4. At verò, qui pio intuitu obseruator extiterit, benedictionis gratiam, a misericordiosissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur.

84. Alij autem Pontifices, in calce Constitutionum pro canonizationibus adiungunt. [Nulli omninò hominum liceat huic &c. refragari ausu temerario contraire &c. sub indignatione omnipotentis Dei, & B. Petri, & Pauli. Ità Pius 2. Const. 4. pro S. Catharina Senen. Sixtus IV. Const. 21. pro S. Bonau. Leo X. pro S. Francisco de Paula. Clemens VII. Const. 1. pro S. Antonino. Sixtus V. Const. 82. pro canonizat. S. Didaci. Clemens VIII. Const. 77. in canonizat. S. Raymundi. Paulus V. Const. 45. in canonizatio S. Franciscæ: & sic alij post eum. Ergo non potest quis asserere, quòd aliquis canonizatus, idest relatus inter Sanctos, non sit Sanctus, absque culpa hæresis.

85. Confir. Si quis assereret Sanctos canonizatos non esse Sanctos; vel id assereret de aliquo determinatè: puniretur, vt hæreticus; eique imponeretur abiuratio de formali. Ergo oppositum est de Fide; nequit enim aliqua doctrina dici hæresis, nec eam tenens hæreticus, nisi opposita sit de Fide.

86. Confir. ex modo loquendi Romanor. Pontif. cum aliquem canonizant. Pius. 2. in canoniz. S. Catharinæ, [Const. 6. §. 15. dicit: Ad honorem omnipotentis Dei, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis argumentum, authoritate, &c. Catharinam, æternæ gloriæ corona donatam declaramus, publicèque, & priuatim colendam esse decernimus.] Idem dicit Innoc. VIII. Const. 19. §. 15. in canoniz. S. Leopoldi. Idem Leo X. Con. 38. pro S. Francisco de Paula. Idem Sixtus V. Const. 82. pro S. Didaco. Idem Clemens VIII. pro canonizatione S. Hyacinthi Const. 27: & pro S. Raymundo Const. 77. Ergo si canonizatio auget Fidem, & dat ei robur, pertinet ad Fidem.

87. Prob. 6. ex concessione indulgentiarum, quæ Fidelibus, Sanctos canonizatos venerantibus solent concedi. 1. ex praxi generali Ecclesiæ: 2. ex peculiaribus Sanctorum celebritatibus. Honor. 3. Const. 7. Ineffabilis in canoniz. S. Laurentij Archiep. Dublinen. concedit. 20. dies indulgentiarum ijs, qui in eius diei, vel infra octauam festo eius Ecclesiam visitaret.

88. Greg. IX. Const. 8. Gloriosus, in canoniz. S. Dominici vnum annum indulg. concedit pro singulis annis ijs, qui in eis festiuitate sepulchrum ipsius. &c. visitauerint. Idem concesserat in Const. 4. in canonizatione S. Antonij de Padua, pro ijs, qui in festo, & per octauam eius sepulchrum visitarent. Idem in Const. 11. in canonizatione S. Elisabeth Viduæ.

89. Innoc. IV. Const. 11. Magnis in canon. S. Petri Martyris vnum annum, & 40. dies in festo; & 40. dies per quindenam. Idem pro S. Stanislao Const. 13. concessit, & Const. vlt. pro S. Edmundo idem indulsit.

90. Alex. IV. Const. 3. pro canonizatione S. Claræ vnum annum pro ijs, qui in festo, vel per octauam sepulchrum eius visitarent.

91. Vrbanus IV. Const. 3. pro canonizat. S. Riccardi annum vnum, & 40. dies.

92. Clem. IV. Const. 9. pro canoniz. S. Eduigis vnum annum, & dies 40. pro festo; & 40. dies per octauam.

93. Ioan. XXI. Const. 2. pro canoniz. S. Ludouici Episc. annos duos, & dies 40. & infra octauam 40. dies. Constitutione 11. pro canon. S. Thomæ annum vnum, & 40.

40. dies, & infra octauam, centum dies.

94. Bonifacius IX. conſt. 5. pro canoniz. S. Birgittę annos ſeptem, & totidem quadragenas.

95. Eug. IV. conſt. 27. pro canon. S. Nicolai de Tolent. pro feſto ſeptem annos, & totidem quadragenas; per octauam duos annos, & duas quadragenas.

96. Nicol. V. pro canon. Sancti Bernardini conſt. 2. ſeptem annos, & totidem quadragenas.

97. Pius II. idem fecit in conſt. 6. pro canon. S. Catharinæ Senenſis.

98. Sixtus IV. conſt. 21. pro can. S. Bonau. eaſdem conceſſit, & pro alijs temporibus centum dies, &c. pro Eccleſijs Fratrum Minorum.

99. Leo X. conſt. 38. pro Sancto Franciſco de Paula conceſſit plenariam indulgentiam ijs, qui fuerunt præſentes canonizationi, 40. annos, & totidem quadragenas ijs, qui ſepulchrum eius viſitarent.

100. Clemens VII. conſt. 1. indulgentiam plenariam pro aſſiſtentibus canonizationi, & pro ijs, qui intereſſent translationi eius corporis, & per octauam.

101. Sixtus V. conſt. 82. in canonizatione Sancti Didaci plenariam conceſſit pro aſſiſtentibus functioni, & alias pro viſitantibus ſepulchrum, & altaria in eius honorem erecta.

102. Clemens VIII. conſt. 77. idem fecit in canonizatione Sancti Raymundi.

103. Paulus V. conſt. 45. in canonizatione S. Franciſcæ, idem fecit.

104. Ex quibus, alijſque per Greg. XV. Vrbanum VIII. Alexandrum VII. & Clementem IX. ac in alijs canoniz. peractis, manifeſtum eſt, quòd pro actu illo religioſo venerandi Sanctos canonizatos, Romani Pontifices indulgentias, remiſſiones nempè temporalium pœnarum conceſſerunt; & Eccleſia tota, eas ſe lucrari credidit. Ergo ſignum eſt de fide teneri, quòd Sancti Dei canonizati, ideſt inter ſanctos relati, reuera ità ſiot. Non enim Eccleſia, eiuſque caput theſaurum Eccleſiæ erogaret pro actu, vel idololatriæ, vel falſæ virtutis, qualis eſſet religioſa hęc veneratio eorum, qui tales non ſunt, quales Eccleſia teneri iubet, ac tenet. Immò Concilia toties congregata reclamaſſent de imprudenti, & deceptoria hac elargitione theſauri, ſi firmiter non tenuiſſent, ſeruos Dei declaratos Sanctos, tales eſſe, quales declarantur.

Dices. Sepè conceduntur indulgentiæ pro cultu religioſo alicuius facti, quod certum, & notorium eſt in Eccleſia, non eſſe de fide. Ergo ex hac indulgentiarum conceſſione non infertur per neceſſe, quòd ſit obiectum fidei, Sanctos canonizatos, tales eſſe. Anteced. prob. de Aſſumptione B. Virg. quæ quidem à tota Eccleſia tenetur, & temerarium eſſet eam negare; non tamen hæreſis. Idē patet de Conceptione immaculata eiuſdem. Conceduntur enim, & frequenter indulgentiæ pro colentibus tale priuilegium; Miſſa, & Officium in eius honorem celebrantur: & tamen non eſt de fide. Immò Romani Pontifices, qui huic myſterio fauerunt, manifeſte teſtati ſunt, vel quòd contraria non ſit hæretica, vel quòd non intenderunt præiudicium inferre contrariæ. Idem dici poteſt de alijs non reuelatis, vt de Martyrio, etſi non completo S. Ioannis Apoſtoli, cùm in feruentis olei dolium immiſſus eſt. Et ſic de alijs. Igitur conceſſio indulgentiarum pro aliquo cultu alicuius facti, ſeu myſterij, non ſemper concludit, illud factum eſſe de fide. Saluatur autem legitima diſpenſatio theſauri in his caſibus ex certitudine probabiliori morali, vel Theologica, quia nempè ex aliquo principio reuelato implicitè, id includente deducitur explicita aliqua concluſio. Confirmari poſſet de priuilegijs, & indultis, quæ pro ſeruis Dei Beatificatis tantùm, & non canonizatis ſunt; in die enim, quo declarantur Beati, & in Eccleſijs proprijs alicuius Ciuitatis, vel Prouinciæ, conceduntur indulgentiæ; & tamen communiter non tenetur eſſe obiectum fidei, quòd beatificatus ſit talis. Ergo.

105. Reſp. concedendo totum, nempè ex hac ſola conceſſione indulgentiarum, non inferri per neceſſe, quòd canonizatio illa, vel beatificatio paſſiua ſint obiectum fidei, quia vt benè dicitur in argumento, & nos infra clariùs, & etiam ſi teneatur, quòd piè tantum credatur, vt ex Diuo Thoma multi, quòd canonizati, ſint tales; adhuc poteſt Eccleſia, & Rom. Pontifex pro eorum cultu indulgentias concedere. At ego vſus ſum hoc argumento, tamquam adminiculo aliorum, quia ſcilicet de fide eſt, Sanctos eſſe venerandos, & earum reliquias religiosè colendas; de fide eſt indulgentias habere ſuum effectum in eo, qui obicem non pouit. Ergo de fide conſequenter eſt, Sanctos, quibus ita ex fidei præcepto ſunt præſtandæ, eſſe Sanctos.

106. Prob. 7. ex definitionibus plurium Romanorum Pontificum, qui dum Sanctos canonizarunt, in eiſdem conſtitutionibus canonizationum inſeruerunt definitionem, quòd tales ſint. Ergo Anteced. prob. Nicolaus V. conſt. 3. §. 18. in canonizat. S. Bernardini Senen. dicit: [De omnipotentis Dei miſericordia, qui non deſerit Eccleſiam ſuam, & Beatorum Petri, & Pauli authoritate confiſi, &c. decernimus, declaramus, & ordinamus ſanctum Bernardinum inter Sanctos Dei ab vniuerſa Eccleſia debere deputari, & ſanctum haberi, & tamquam Sanctum honorari, & coli.] Et mandat feſtum eius celebrari. Innocen. VIII. conſt. 19. §. 13. in canoniz. S. Leopoldi: [Sanctorum Catalogo annectimus, publicè Sanctum definimus, profitemur, & veneramur.

107. Sixtus IV. conſt. 21. pro S. Bonauent. §. 19. ait: [Nos ergo Dei nutum, & voluntatem ſequentes, attendenteſque iuſtum, ac debitum eſſe, vt quos Deus honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, &c.] Et poſtquam dixit, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum teſtimonium perhibuiſſe de ſanctitate Bonauenturæ, in fine §. dicit, [Sanctum eſſe, ac fideliter, firmiterque teneri decernimus, &c.]

108. Leo X. conſt. 38. §. 38. in canonizatione S. Franciſci de Paula: [Decernimus, & definimus, Franciſcum de Paula in cęleſti Ieruſalem inter beatos Choros iam receptum, æternaque gloria donatum fuiſſe, ac Sau-

Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum.

109. Adrianus VI. const. 5. §. 7. de S. Bennone Episcopo Misnensi ab eo canonizato, ait: [Decernimus, & definimus Bennonem sanctum esse, & in sanctorum Cathalogo adscribendum.

110. Clemens VIII. const. 27. in canoniz. S. Hyacinthi, dicit: [Decernimus, ac definimus Hyacinthum Polonum, &c. sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum.] Et in const. 77. in canonizatione Sancti Raymundi, ait: [Beatum Raymundum sanctum esse definiuimus, ac Sanctorum numero, & Cathalogo adscribendum esse decreuimus, prout per præsentes definimus, decernimus, & adscribimus, &c.

111. Paulus V. const. 45. in canonizat. Sanctæ Franciscæ ait: [Beatam Franciscam Romanam, sanctam esse definimus.] In const. 67. in canoniz. S. Caroli Borom. ait: [Authoritate Dei, &c. Carolum Boromeum sanctum esse definimus.

112. Gregor. XV. const. 21. in canoniz. sanctæ Theresiæ dicit: [Auctoritate, &c. Theresiam Virginem de Abula, sanctam esse definimus.

113. Vrban. VIII. const. 2. §. 98. de sanctis quinque à Greg. XV. counonizatis, ait: [Nè de decreto, adscriptione, definitione, &c. valeat hæsitari, &c.] Conficit eam constitutionem. Idem replicat in const. 3. quæ est pro canoniz. sancti Ignatij Loiolæ §. 48. & in const. 4. §. 11. de canoniz. sancti Francisci Xauerij.

114. Ex quibus omnibus habetur, eos definire de Cathedra, & auctoritate Dei, quòd canonizati ab eis sunt sancti. Ergo, cum obiectum definitionis Papalis de Cathedra loquentis, sit obiectum fidei, euidenter concluditur, de fide esse, quòd Sancti canonizati per Ecclesiam, sint verè Sancti.

115. Prob. tandem. Tota ratio, quæ in contrarium potest adduci, est; quia Deus non reuelauit, quòd isti sint Sancti, obiectum enim fidei est à Deo reuelatum. Sed hæc ratio non obstat; quia vt mox dicam, est aliquomodo reuelatum. Ideò fit.

§. I.

Quomodo sit obiectum Fidei, quòd aliquis canonizatus sit Sanctus?

116. ADuert. 1. quòd licèt in hoc articulo videamur confundere materias, id enim spectat ad obiectum formale: quia tamen hoc punctum facti canonizationis, est specialis considerationis; & lector, omnium primò petit, Quomodo potest quid fide credi, quod reuelatum non est statuimus, hìc statim discutere dubium istud.

117. Adu. 2. ex dicendis de obiecto formali. Deus quædam immediatè reuelauit aliquibus; quædam verò mediatè. Prophetis enim, & alijs Scriptoribus Canonicis primo modo reuelauit. Alijs autem per illos, 2. quà ad modum, aliquando per internam locutionem, producendo nempè, vel species sensibiles tantùm in phantasia, vel etiam intelligibiles in intellectu, vel etiam ipsammet intellectionem rerum reuelatarum. 3. Quædam reuelat explicitè; quædam implicitè: primo modo accidit, quando rem, cum determinatis circumstãtijs indiuidualibus manifestat, v. g. quòd cœlum, terra, &c. creata sint. Secundo modo, quando manifestat aliquid virtualiter inclusum in alio reuelato expressè: & hoc dupliciter accidere potest; vel. enim illud includens, & inclusum se habent per modum principij, & conclusionis, & ità se habent omnia doctrinalia, quæ definiuit, ac definit Ecclesia, vt contenta in doctrinis expressè reuelatis, v. g. Filius sit Patri consubstantialis; quòd Spiritus sanctus sit Deus, quòd in Christo sit vna persona, &c. vt cum Concilijs hucusque, & præsertim in Disput. de Traditionibus diximus, & cùm de obiecto formali agetur, dicemus; istæ enim conclusiones, quæ per necessariam consequentiam deducuntur ex principijs expressè, & clarè reuelatis, dum à puris Theologis deducuntur, sunt conclusiones Theologicæ, quamuis reuera sint de fide, si necessariò deducuntur; dum verò per Ecclesiam, vel per Papam asseruntur necessariò deductæ, & vt tales proponuntur Ecclesiæ, sunt vera obiecta fidei, quia virtualiter, & in suis principijs erant reuelatæ, vt dicam postea. Quædam verò sunt implicitè reuelata, & virtualiter, tamquam in toto aliquo discreto, seu numerico indefinitè manifestato, de quo habemus innumera propemodum exempla in sacra Scriptura, v. g. in hoc. [Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum; Beatus vir, qui timet Dominum: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c.] Certè hìc non manifestantur singulares personæ, & tamen omnes singulares personæ, quæ ista faciunt, in eo numero implicitè reuelatæ sunt; ideò, dum illæ existunt, de illis reuelatis sunt. Legatur totum Vetus Testamentum; Psalterium maximè, Prophetiæ, Sapientia, Ecclesiasticus, Prouerbia, & Ecclesiastes, & inuenientur propemodum innumerabiles einsmodi propositiones vniuersales de præsenti, præterito, vel futuro promissoriæ, vel assertoriæ alicuius boni dati, vel dandi cuilibet exequenti aliquod Dei mandatum, vel consilium. Nullus negabit, quòd singulares personæ illud exequturæ continentur in illis propositionibus generalibus, & de illis loquebatur Deus, quia illas præuidebat. Idem dicito de malis, ac pœnis, transgressoribus in vniuersali comminatis. Adducam aliqua exempla ex Nouo Testamento. Lucæ 6. & Matth. 5. ait Saluator: [Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei. Beati qui nunc esuritis; quia saturabimini: Beati, qui nunc lugetis, quia ridebitis. Beati eritis, cùm vos oderint homines, &c. Gaudete, & exultate in illa die: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Matth. 19. 3n. Omnis, qui reliquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Matth. 10. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus. Item; Cùm steteritis ante Reges, & Præsides,

des, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.] Quæ, ne dum Apoſtolis, ſed omnibus, qui Dei nomen confeſſuri erant, promiſſa ſunt: ideò Martyres, & Sanctæ Virgines hoc ſcuto coram Tyrannis ſe defendebant, & ità de alijs multis propoſitionibus vniuerſalibus, vt infrà.

118. Aduer. 3. ex dictis in diſp. 5. art. 4. & ex dicendis de obiecto formali, omnia ad ſalutem neceſſaria, & ad regimen Vniuerſalis Eccleſiæ iam reuelata eſſe ſiuè explicitè, ſiuè implicitè, quia ex Chriſti promiſſione Spiritus ſanctus docuit Apoſtolos omnem veritatem. Et quoties Eccleſia aliquid nouum proponit credendum, vel agendum in tota Eccleſia, illud eruit ex iam reuelatis, vel traditis. Et hoc modo dicit Concil. Trident. Seſs. 13. in Proem. [Spiritus ſanctus in dies ſuggerit Eccleſiæ eas veritates:] quia nempè illuminat mentes Patrum Concilij, vel Roman. Pont. vt cognoſcant veritates illas nouas contineri in antiquis, & ex illis deduci. Ità protsùs dicendũ exiſtimo de factis quibuſdã implicitè reuelatis in propoſitionibus vniuerſalibus, v.g. Marci 13. 22. dicit Chriſtus: [Exurgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetę, & dabunt ſigna, & portenta. Item ex 2. Tim. 4. Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſubſtinebunt, ſed coacetuabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad ſabulas autem conuertentur.] Et ità de alijs. Poterit Eccleſia, ex Spiritus ſancti ſuggeſtione, ſeu illuminatione, ex illa vniuerſali, & alijs reuelatis propoſitionibus infallibiliter, ſicut in præcedenti, deducere, quòd hic, vel ille ſit Pſeudochriſtus, & Pſeudopropheta, & magiſter pruriens auribus. Et ſic puto factum, cum Ebionem, Cherinthum, Marcionem, Eunomium, Sabellium, Arium, Macedonium, Eutychem, &c. anathematizauit, & omnibus fidelibus, vt tales abominandos propoſuit. Vnum tamen hic addendum duco, quòd nulla eſt repugnantia cum ſuperiori doctrina, quòd factum aliquod de nouo, & ſi in aliqua vniuerſali propoſitione non contentum, & ad cunctorum ſalutem non neceſſarium reueletur, ſicut de multis legimus, nedum priuatæ perſonæ, ſed etiam ipſi Romano Pontifici reuelatis. Ve prę ceteris damnatio Arij reuelata Petro Martyri, & Epiſcopo Alexandriæ. Pax Eccleſiæ futura reuelata Cæciliæ Virg. & Mart. & ſic de alijs. Beatæ Virg. placitum de Eccleſia in Exquilijs ædificanda reuelatum Liberio. Reparatio Eccleſiæ Lateran. per S. Franciſcum facienda reuelata Innocentio III. & ità de alijs.

119 Adu. 4. ex D. Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. 3. declarante illud Philipp. 3. 15. [Et ſi quid aliter ſapitis; & hoc vobis Deus reuelabit. Vbi ait Deum reuelare, vel per occultas reuelationes, inſpirationes, atque admonitiones: ſiuè per manifeſta eloquia ſua; ſiuè per fraternas ſermocinationes.] Et ad primum eorum genus exiſtimo reduci inſtinctum, quem communiter Theologi, & præcipuè Lyranus, concedit Eccleſiæ promiſſus à Chriſto Matth. vlt. [Et ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi. Aſſiſtit etiam Eccleſiæ, ait Lyr. ſemper ipſam dirigendo per occultos inſtinctus Spiritus ſancti, vt ſic non deficiat fides Petri.] Et hoc inſtinctu procedit Papa in canonizatione Sanctorum, ait D. Th. mox adducendus, & hanc puto eſſe ſuggeſtionem Spiritus ſancti cognitam à Tridentino vbi ſuprà. Eſt enim illuminatio intellectus, qua certò cognoſcit, aliquid verum contineri in aliquo principio reuelato, & ex eo alijs multis penſatis circumſtantijs deduci, & inflammatio voluntatis ad præcipiendum intellectui, vt ſic teneant; & alijs potentijs, vt exequantur. His autem ſtantibus

120 Dico, Quòd Sanctus canonizatus ſit talis, eſt fidei obiectum; quia ex principijs reuelatis implicitè id continentibus, à Romano Pontifice per inſtinctum Spiritus ſancti, penſatis virtutibus, & miraculis illius, tamquam ex Dei eloquijs, deducitur. Hæc concluſio plures habet partes diſtinctè diſcutiendas.

121 Prob. 1. pars. Quod à Deo non eſt reuelatum ſaltem implicitè, nequit eſſe fidei obiectum. Sicut quod ab homine aliquo non dicitur, nequit eſſe obiectum fidei humanæ. Quòd autem ex principijs fidei id implicitè continentibus deducatur: probatur. Pluribus in locis S. Scripturæ reperitur promiſſa gloria, & regnum benè, ac virtuosè operantibus vſque in finem; obſeruantibus præcepta, & conſilia Euangelica. Ex his autem vniuerſalibus dictis deduci poteſt, quòd ſi A. B. &c. ea adimpleuerit, ſit Sanctus. Hæc enim deductio eſt neceſſaria ex fidei principio, & alia naturali propoſitione, Ergo. Maio. probat. Matth. 5. v. 19. Chriſtus manifeſtat in genere omnes, qui ſaluandi ſunt, & cum eo regnaturi, delineans qualitates, ſeu virtutes eorum, ità quòd qui eas poſſidet finaliter, infallibiliter ſaluandus eſt. [Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm vos mentientes propter me. Gaudete, &c. Qui autem fecerit, & docuerit hic maior eſt in regno cœlorum. Cap. 7. 12. Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cęlis eſt, ipſe intrabit in regnum cęlorum. Cap. 18. 4. Quicumque humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum. Matth. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, ibidem. Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, veni, & ſequere me: ibidem v. 29. Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Cap. 24. 46. Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit Dominus, inueniet ſic facientem, amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum, Ioan. 12. 25. Qui odit animam

ſuam

ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam; Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur; Et vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit; honorificabit eum Pater meus.]

122 Ex Pſalterio pſalm. 14. interrogans Dauid: Domine quis habebit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcit in monte ſancto tuo? Ipſemet ex Spiritus Diuini inſufflatione reſpondet: Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam; qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua; nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduersùs proximos ſuos, qui iurat proximo ſuo, & non decipit; qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. Qui facit hęc non commouebitur in æternum.] Aut reuelat Deus, quales conditiones habere debent, qui ſaluandi ſunt. Pſal. 1. [Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, ſed in lege Domini voluntas eius, &c.] Alia multa Pſalt. loca, immò & Eccleſiaſtici, & ex alijs libris canonicis veteris teſtamenti, in quibus manifeſtè dicit Deus virtuoſos, ac ſanctè operantes fore gloria coronandos. Ergò.

123 In alijs Euangelij locis diſtinctè manifeſtat, quæ alia ſint homini neceſſaria ad ſalutem. Fidem Marci vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: & hoc pariter eſt quod docuit Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, ideſt in ſpe, vt cognoſcant, ideſt per fidem, te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.] De charitate loquitur Matth. 22. dicens ex illis duobus præceptis charitatis in Deum, & proximum totam legem pendere, & Ioan. 12. [Qui diligit, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &c.] Hæc autem omnia Petrus, Paulus, Ioannes, & Iacobus, nec non Iudas in ſuis Canonicis Epiſtolis ſtylo pleniore nobis indicarunt, nempè virtutum tam Theologalium, quàm Cardinalium neceſſitatem in adulto ſaluando. Et hac de cauſa cum de aliquo ſeruo Dei beatificando, aut canonizando agitur; omnium primò inquiritur, An conſtet de eius virtutibus per ſigna externa, actus nempè earum, vt diximus in tomo 2. de virtut. Card. in diſp. de virtute Heroica.

124 Ex his ergo omnibus euidenter patet, quòd in Sacra Scriptura, per Prophetas, & poſtea per ſuum Filium, Deus reuelauit implicitè omnes, qui ſaluandi ſunt, & in cœlo cum Chriſto regnaturi: ij nempè; qui conditionibus, nempè virtutibus forent prædici. Cùm autem in mundo exiſtit aliquis hiſce conditionibus præditus; hic proculdubio eſt vnus de ijs, quos in vniuerſalibus illis propoſitionibus Deus comprehenſos pręuidit, & ſaluandos, & cum Chriſto regnaturos, implicitè dixit. Ex illis ergo principijs reuelatis Eccleſia, nempè Concilium, ſeu ſolus Romanus Pontifex in canonizatione alicuius ſerui Dei deducit, eum eſſe Sanctum, & cum Chriſto in cœlo regnare. Et ideò Pontifices multi hiſce principijs vſi ſunt in Sanctorum canonizat. Cœleſt. III. conſt. 2. pro S. Ioanne Gualberto ait: Dixit Dei filius: [Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus; Et qui mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus. Innoc. III. conſt. pro S. Homobono, quia Dominus electis pollicetur. [Fulgebunt iuſti ſicut ſol in conſpectu Patris eorum. Greg. IX. conſt. 4. pro S. Antonio, dicit, cùm dicat Deus per Prophetam, [Dabo vos cunctis populis in laudem, gloriam, & honorem &c.] Nicol. V. conſtit. 2. pro S. Bernard. Senen. §. 18. poſtquam multa retulit facta, quibus Bernardinus Chriſto miniſtrauerat, ait: [Et quia veritas mentiri non poteſt, Dei filius dicens: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Cùm ſciamus hunc virum miniſtraſſe Chriſto, & ipſum fuiſſe ſecutum, certiſſimum tenere debemus, vt vbi eſt Chriſtus, ſit etiam Bernardinus. Ergo quia cum Chriſto ſunt omnes Sancti; de omnipotentis Dei miſericordia, qui non deſerit Eccleſiam ſuam, &c. decernimus, declaramus, &c.]

125 Prob. 2. pars. Cùm Concilium, ſeu ſolus Pontifex ſuppoſitis diligentijs, & probationibus virtutum, ac miraculorum alicuius ſerui Dei, iam defuncti iudicat hunc eſſe vnum ex illis implicitè reuelatis ſaluandis, & cum Chriſto regnaturis; ideoque ſaluatum, & regnantem eſſe; non vtitur iudicio purè naturali; & diſcurſu merè Theologico, v. g. ſic operanti à Deo promittitur, & datur gloria; hic ita eſt operatus. Ergo: non inquam hoc puro diſcurſu vtitur, quia ſic omnis Theologus, imò omnis aliqualiter eruditus, ſciens, vel ex proprio viſu, vel ex teſtibus iuratis fide dignis virtutes alicuius defuncti, poteſt tale iudicium formare. Sed Concilium, ſeu ſolus Pontifex in hoc iudicio formando, intendens id proponere Eccleſiæ, habet ſpecialem influxum, ſuggeſtionem, ſeu illuminationem Spiritus ſancti, quæ illuminatio appellari ſolet inſtinctus, quo certò, & infallibiter cognoſcit, cum Dei ſeruum fuiſſe præditum ijs virtutibus, quæ de eo probantur, & propterea vnum eſſe ex ijs, qui implicitè regnaturi, fuerant à Deo reuelati.

126 Confir. 1. ex formulis loquendi, quibus vtuntur Romani Pontifices in Conſtitut. canonizat. Alex. III. conſt. 2. pro S. Bernardo, narratis virtutibus, meritiſque illius, ait: [Quibus penſatis, de miſericordia Dei confidentes, nec non de BB. Petri, & Pauli meritis præſumentes; eum Apoſtolicæ Sedis auctoritate cathalogo Sanctorum adſcribi mandauimus.]

127 Cœleſtinus III. conſtit. 1. pro Sancto Vbaldo, aſſignat cauſam dilationis Epiſcopo Eugubino, dicens: [Hoc factum eſt potiùs diuini iudicij, quàm humani, cùm ipſe ſolus plenè nouerit, qui ſunt eius, ſuſpendimus deſiderium tuum aliquandiu, vt nobis, & fratribus noſtris, quid potiùs agendum eſſet, Spiritus Sancti gratia reuelaret. Tua igitur tandem ſupplicatione, &c. canonizantes prædictum S. Vbaldum.]

128 Innoc. III. conſt. 2. pro S. Homobono, §. 3. De Diuina miſericordia confidentes, Cathalogo, &c. Idem dicit Honorius III. conſt. 7. §. fin. pro S. Laur. Dublin. Archiep. addens §. 10. [De ipſius igitur Sanctitate tantis certificati miraculis, diuinumque ſecuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis, eum &c. Alexand. IV. conſt. 3. pro S. Clara: De omni-

omnipotentia Diuina confisi, auctoritate B. Petri &c.] Eodem modo loquitur Bonifacius VIII. const. 6 pro S. Ludouico Rege, & Clemens V. constit. 4. pro S. Petro Morono, Ioan. XXII. const. 2. pro S. Ludouico Episc. Tolosano, & constit. 7. pro S. Thoma Episc. Etphord. Et sic omnes ferè Pontifices, qui Sanctos aliquos canonizarunt.

129 Sixtus IV. const. 21. pro S. Bonauen. §. 19. dicit: [Nos igitur Dei nutum, & voluntatem sequentes; esse Sanctum, & Cathalogo SS. adscribendum, fideliter, firmiterque teneri decernimus.]

130 Leo X. pro S. Francisco de Paula constit. 38. §. 39. [Nos humiles Deo gratias agentes, quòd corda nostra illuminare dignatus est, ad canonizationem, &c.]

131 Clemens VII. const. 1. de S. Antonio canonizato ab Adriano VI. in §. 31. dicit: [Adrianus prædecessor, Dei nutum, & voluntatem sequens; considerans, quòd Deus non esset permissurus ipsum errare, &c.]

132 Sixtus V. constit. 82. pro S. Didaco, §. 5. in fine dicit: [Publico nostro, & huius S. Apostolicæ Sedis testimonio, quæ à Spiritu sancto gubernatur, & regitur, B. Didaci sanctitatem optimo iure declaratam esse, & promulgatam. Et in §. 21. in fine: Vt Spiritus sancti gratia illustrati, de fratrum nostrorum consilio deliberare possemus.]

133 Alij aliquid aliud addiderunt, vt ostenderent Spiritus sancti illustratione, seu instinctu, se dignoscere, ac iudicare, quòd Seruus Dei canonizatus, vnus ex ijs sit, quos Deus in genere, cum Christo regnaturos reuelauit; addiderunt, scilicet, se definire hoc. Omnium primus videtur fuisse Bonifacius IX. const. 5. pro S. Brigitta: [Auctoritate omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti decernimus. definimus, siuè pronunciamus, B. Brigittam Sanctam esse, & tamquam Sanctam ab vniuersali Ecclesia venerari, & Sanctorum Catalogo adscribi debere.]

134. Ita Innoc. III. definiuit pro S. Leopoldo. Idem Leo X. pro S. Francisco de Paula: Adrianus VI. pro S. Benuone. Clemens VIII. pro SS. Hyacintho, & Raymundo. Paulus V. pro Sancta Francisca Romana, & pro S. Carolo Boromæo; Gregorius XV. pro Sancta Theresia, &c. vt in præced. articulo fusiùs relatum est. Ergo, dùm Pontifex, probatis virtutibus, & miraculis, iudicat, aliquem Dei seruum esse vnum ex ijs, quos Deus prædestinauit, & in vniuersali reuelauit esse cum Christo regnaturos in cœlo; superiori, seu supernaturali lumine, ac illustratione, seu instinctu à Deo regitur, & sic facit testimonium authenticum, & infallibile: quod non competit cœteris Consultoribus, Episcopis, atque Cardinalibus, qui examinatis processibus de virtutibus, ac miraculis Serui Dei canonizandi, iudicant de eis constare, & talem Dei Seruum esse Sanctum, atque cum Deo regnantem, & propterea debere in catalogum Sanctorum, qui ab Ecclesia sunt venerandi, adscribi. Etsi enim illi potuerint à Deo illuminari ad id dignoscendum; tamen eorum illuminatio, nec adeò necessaria est, cùm per solas regulas artis processandi possint concludere; nec eis promissa infallibiliter, cum non sint Ecclesiæ caput, & fidei regula.

135. Confir. 2. ex manifesto testimonio S. Thomæ Quodlibet. 9. quæst. 7. art. 16. vbi quærens, an omnes Sancti, qui sunt per Ecclesiam canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum in inferno? Format contra se primum arg. Nullus potest esse certus de statu salutis suæ, ex Eccl. 9. Ergo multò minùs Papa, qui canonizat, potest esse certus de statu Sanctorum; quia potest canonizando errare. Et postquam in corp. Quæsiti, dixit; [Quòd si consideretur Diuina prouidentia, qua Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, sicut ipse promisit Ioan. 14. quòd Spiritus adueniens doceret omnem veritatem &c. certum est, quòd iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare non potest in ijs, quæ ad fidem pertinent. Vndè magis est standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet sapientum in scripturis, opinioni. Et post: Honor, quem Sanctis exhibemus, est professio quædam fidei, qua Sanctorum gloriam credimus.] Postquam, inquam, hæc docuit, soluens primum argumentum, ait: [Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.] Ergo lumine Diuino, seu instinctu Spiritus Sancti Pontifex iudicat vera esse, quæ de aliquo Dei seruo sunt probata, & quòd sit vnus electorum, quibus Christi regnum, implicitè in vniuersalibus fuerat promissum.

136. Prob. tertia pars, quòd nempè pensatis miraculis, tamquam Dei eloquijs Pontifex per instinctum indicat, Deum per ea miracula sufficienter manifestasse, quòd ille canonizandus sit vnus ex amicis, & electis eius implicitè reuelatis in vniuersalibus reuelationibus. Primò; quia Deus per miracula manifestat sanctitatem doctrinæ, & vitæ alicuius post mortem. Marci vlt. promittit Saluator se confirmaturum doctrinam ab Apostolis prædicandam per miracula: [Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient; linguis loquentur nouis; serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et ità accidit, quia profecti, prædicaverunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.] Et hoc modo, vt notum est, processit dilatatio, & confirmatio doctrinæ Euangelicæ, quia progressu temporis in omni Prouincia facta sunt miracula, per quæ Deus, quasi de nouo loquens, manifestauit, doctrinam à suis seruis prædicatam, esse veram.

137. Hoc etiam modo loquitur, & manifestat, aliquem fidelem esse Sanctum, nempè per miracula, quæ ad eius contactum, vel inuocationem operatur. Ità testantur plures Romani Pontifices in Bullis canonizationum. Alexander III. const. 4. de S. Thoma Cantuar. [Redolet Anglia fragrantia, & virtute signorum, quæ per merita Sancti Thomæ Deus operatur. Et post: Voluit Saluator, eius Sanctitatis insigna, magnificis irradiare miraculis, vt cognoscatur, in æterna beatitudine accepisse triumphum.]

138. In-

138. Innoc. III. const. 2. in proem. pro S. Homobono. [Vult Deus, vt qui Sanctus etiam ab hominibus habeatur; & in hoc præsertim hæreticorum confundatur peruersitas, cùm ad Catholicorum tumulos Diuina videant prodigia pullulare.] Et in fine §. 1, postquam adduxit locum Marci nuper allatum de confirmatione doctrinæ per miracula, ait: [Hoc etiam Dominus vsque hodie operatur in Sanctis, & potentiam suam signis euidentibus manifestat, dum viuorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum, & eos plus posse post mortem, & feliciùs viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, quàm qui viuunt in mundo, demonstrat.] Et in §. 3. dicit, ex signorum claritate se ad canonizationem eius deuenisse.

139. Honorius III. const. 7. pro S. Laurentio Dublin. Archiep. §. 2. [Misericors Dominus, qui neminem vult perire, signa interdum innouat, & mirabilia immittit ex numero illorum, quos in Ecclesia triumphante clarificat, aliquorum fidem, & merita in militante miraculis declarando. Et in §. 10. ait: De ipsius igitur Sanctitate tantis certificati miraculis, Diuinumque secuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis: eumdem &c. catalogo Sanctorum adscripsimus,

140. Greg. IX. const. 4. §. 1. pro S. Antonio ait: Cùm Deus ad confirmationem fidei, & ad confusionem hæreticæ prauitatis euidenter innouat signa, & mirabilia potenter immutat, faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde, quàm ore, nec non & opere roborarunt. Et §. 3. dicit, quòd licèt sola merita faciant Sanctum ex Sacra Scriptura; tamen duo Ecclesia requirit, & merita, & miracula, vt hæc & illa sibi inuicem contestentur: cùm nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium veritatis: sed cùm merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent iudicium sanctitatis. Et in §.4. dicit, cum tot euidentibus argumentis, &c. & sic eum canonizat.

141. Innocentius IV. const. 13. de S. Stanislao, §. ait: [Ecce gloriosus Deus in Sanctis suis volens eiusdem Sancti plenitudinem gloriosè indicijs exprimere manifestis; tot, & tantis fecit ipsum famosis miraculis coruscare, quòd &c.]

142. Idem Innoc. IV. const. 3. de S. Riccardo Episc. §. 14. inquit: [Sed alijs miris operibus Sancti huius adstruentibus Sanctitatem, & Christianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente, &c.]

143. Ioannes XXII. const. 11. de S. Thoma Aquinate, postquam retulit distinctè decem miracula per ipsum patrata post mortem, in §. 19. dicit. [Hæc sunt igitur testimonia tua Deus, quæ in hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quo animam enim cœlum possidere iam credimus, intercessorem ipsum expectamus, ac inter Sanctorum agmina quasi stellam matutinam eum fidimus esse locatum, vndè fidem tuam in nobis bone Iesu tueris, spem erigis, dilectionis charitatem accendis.]

144. Clemens V. const. 4. de S. Petro Morono, postquam plura miracula retulit, in §. 25. ait: [His, & alijs quàm plurimis miraculis gloriosis mirificauit Dominus Sanctum suum, & clarum mundo reddidit, ac colendum. Gaudeat itàque mater Ecclesia; nam hic Christi Confessor inter beatorum agmina stellam possidet matutinam.] & cætera multa.

145. Eugenius IV. const. 27. de Sancto Nicolao de Tolent. relatis pluribus miraculis, in §. 21. ait: [His itàque, ac alijs miris operibus Sancti huius astruentibus Sanctitatem, & Christianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente. Et post: De omnipotentis Dei virtute, & BB. Petri, & Pauli, ac nostra Authoritate confisi, Sanctorum catalogo duximus adscribendum.

146. Sixtus IV. const. 21. pro S. Bonauent. postquam multa de eo dixerat in §. 19. dicit: [Nos ergo Dei nutum, & voluntatem sequentes, &c.] Et paulò post collaudat dictum Procuratoris Generalis nostri Ordinis, qui instans pro canonizatione dixerat; [Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, quòd Bonauentura in Cœlo sit; Pater in miraculorum potentia, filius in doctrinæ sapientia, Spiritus Sanctus in vitæ ipsius bonitate. Ait verò: considerantes, quòd in hac canonizatione Deus non permittat nos errare; quia omnia requisita etiam superabundanter obseruari fecimus; de omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli authoritate confisi Bonauenturam Sanctorum catalogo adscribendum, ac fideliter, firmiterque teneri decernimus.

147. Ex his, ergo, aliarumque canonizationum Bullis, quæ legi possunt, Romani Pontifices declarant, & docent, quòd Deus per miracula post mortem alicuius serui Dei, tamquam per signa ab eius solius prouenire potentia testatus est, & digito suæ admirandæ potentiæ subscripsit, eum esse Sanctum, & cum ipso regnare.

148. Confir. Hoc modo Deus testatus est in vtraque lege, vel veritatem doctrinæ, vel Sanctitatem alicuius personæ, nempè miraculis, vt patet legenti Sacrum Textum; ideò Matth. 9. ait Saluator: [Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi, peccata in terra (ait paralitco) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit &c. Lyr. ait: Sicut per literam habentem sigillum declaratur voluntas ipsius scribentis: sic per signum, quod est virtutis diuinæ manifestatiuum, attenditur Diuina potentia. Et ideò Ioan. 10. 38. ait: Vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, vt credatis, & cognoscatis, quia in me est Pater, & ego in Patre.] Igitur opera, quæ non possunt nisi à solo Deo procedere, vt sunt miracula sunt euidens attestatio, vel doctrinæ, vel Sanctitatis, si ad vtramque, vel ad alterutram firmandam implorantur, & fiunt à Deo miracula, & propterea Iudæi toties à Christo quærebant signa; vt ex multis Euangelij locis habetur; Et ideò ex Actibus Apostolicis multa signa per eos fiebant, iuxta Christi

pro-

promissionem, vt per ea cognoscerent homines, vera esse, quæ ab eis dicebantur; erant enim viua, & manifesta Dei testimonia. Et hac de causa totus mundus ad Christū conuersus est; quia, vt ex Chronicis patet, omnes Prouinciæ, & omnia regna, quæ fidem Christi susceperunt, (vt in paruo quodam eractatu de omnium Nationum conuersione notaui) post aliqua miracula, vel ab Apostolis, vel à Discipulis eorum, vel à Martyribus vel ab alijs Missis edita, id præstiterunt; Digitus enim Dei ea operatur. Vnd Ioan. 2. 3. ait Nicodemus, [Nemo potest facere signa, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo]. Deus autem non potest esse testis mendacij. Numer. 23. 19. Non est Deus, sicut homo, vt mentiatur. Et Rom. 3. 4. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax. Ergo; quæ Dei signo sunt demonstrata, nequeunt esse falsa.

149. Ex his ergo habes, quomodo Sanctus canonizatus euadat Fidei obiectum, quòd nimirum sit talis; qualis declaratur, quamuis hoc dependeat à factis humanis, nempè depositionibus testium, & iudicio Consultorum, & tandem supremo, & infallibili ipsius Concilij, seu Papæ. Quia nimirum Deus per miracula id testatur, & per instinctum Papæ assistit ad formandum decretum. At quia multa argumenta obstant huic thesi; ideò sit.

§. II.

In quo soluuntur omnia argumenta contrà factum canonizationis.

Obijcitur 1. Quòd canonizatus sit Sanctus, non est reuelatum à Deo. Ergo. Obiectum enim Fidei Diuinæ debet à Deo manifestari. Anteced. prob. Nouæ enim reuelationes non dantur post Apostolos, omnia siquidem necessaria Ecclesiæ fuerunt eis reuelata ex Ioan. 14. & 16. [Ille docebit vos omnia, & suggeret omnia, quæcunque dixero vobis. Ille docebit vos omnem veritatem. Ergo post eos nil aliud est reuelatum, nec reuelabitur; alioquin non fuisset verificata Christi promissio de reuelatione omnium veritatum.

150. Ad hoc arg. quod est præcipuum, & ad quod omnia alia reducuntur, cum omnibus Authoribus respondebo. Primò distinguo Mai. Non est reuelatum implicitè, nego. Explicitè transeat. Ad impugnationem distinguo Anteced. vt dixi in Disput. 3. art. 4. §. vn. Omnia ad salutem necessaria omnibus, fuerunt reuelata Apostolis, & subdistinguo, vel explicitè, vel implicitè, concedo: Omnia, quæ non omnibus, & pro omni tempore sunt ad salutem necessaria fuerunt reuelata explicitè; vel omnia facta, aut facienda fuerunt eis reuelata explicitè, nego. Illa autem facta canonizatorum, quòd sint Sancti, &c. sunt implicitè reuelata in ijs propositionibus vniuersalibus, quas in præcede. retulimus. Et si Apostoli nunc viuerent, etiamsi nullam haberent explicitam reuelationem de sanctitate alicuius canonizari, supposita notitia virtutum, & miraculorum de eo probatorum; adhuc per instinctum Spiritus Sancti deducerent, tamquam per necessariam consequentiam, quòd sit verè Sanctus, & cum Deo regnans.

151. Resp. 2. cum alijs, & pro illis distinguo antec. Non est reuelatum à Deo, quòd aliquis sit sanctus, reuelatione illa rigorosa, quæ fit per externas voces, vel internam Dei allocutionem cum productione nouarum specierum in phantasia, vel etiam in intellectu, quibus Deus manifestet alicui aliquid nouum, concedo. Non est reuelatum alio reuelationis genere, per miracula attestantia sanctitatem, vel per certum, & infallibilem Spiritus sancti instinctum. Nego. Tum nego consequentiam. His enim duobus modis Deus Ecclesiæ suæ loquitur, cùm aliquis canonizatur. Præcedunt enim miracula, & sequitur in mente Papæ instinctus Spiritus sancti, illustrantis intellectum, & firmantis eum ad iudicandum, quòd sic est.

152. Resp. 3. cum alijs neg. anteced. Ad prob. dist. Omnia pertinentia ad doctrinam fuerunt reuelata omnibus Apostolis concedo; omnia facta, aut facienda à Deo, quocumque modo, nego. Nam, neque quilibet eorum sciuit omnia, quæ per quemlibet erant facienda. Et de facto, qui morte alios præcesserunt, eorum facta, miracula, conuersiones populorum nescierunt. Item reuelationes, quas Paulus habuit, alijs fuerunt ignotæ; & tandem reuelationes Ioannis in Apocalypsi, cùm alijs superuixerit, & in fine vitæ eas acceperit, cæteris notæ esse nequiuerunt. Non est ergo mirum, si aliæ nouæ reuelationes de factis particularibus, & non spectantibus ad substantialia fidei, & ad salutem omnium, non fuerint explicitè reuelatæ Apostolis, vt in ea disp. 3. art. 4. dictum est.

Instabis contra primum modum dicendi, Tunc reuelatio implicita sufficit ad constituendum aliquid obiectum fidei, quando in ea virtualiter ità continetur res aliqua, vt per necessariam consequentiam à viro docto possit ex principio reuelato deduci. Sicut factum est in omni Concilio, cùm aliquid nouiter de fide fuit declaratum; At in casu canonizationis, res non sic se habet, nam, quòd quis virtuosè vixerit; & miracula patrata sint eius intuitu, est merè per accidens, non autem necessariò coniunctum cum principijs generalibus reuelatis; quia homo iste, & potuit non esse Sanctus, & non esse homo. Ergò, quòd sit Sanctus, non deducitur per necessariam consequentiam, & sic reuelatio implicita non saluat, quòd euadat obiectum fidei, sicut in deductis scientificè à principijs reuelatis, quia hæc necessariò deducuntur, non illa.

153. Resp. neg. min. Ad prob. dist. antec. Non est coniunctum necessariò necessitate consequentis, concedo necessitate consequentiæ, & subdistinguo. In ratione essendi concedo, in ratione reuelati, nego. Declarantur omnia; verissimum est, quòd in hoc principio, [Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,] vel in hoc alio: [Omni diligenti aduentum Domini reddet Dominus coronam iustitiæ;] vel in alio simili, vt initio præced. non continetur hæc alia

[Fran-

[Franciscus de Assisio, vel Dominicus erit, vel hæc alia, virtuosè viuet, vel miracula faciet, vel erit sanctus,] Et sic ex aliquo eorum non potest deduci aliqua ex his consequentijs. Tamen negari non potest, quòd Deus, qui illa principia reuelauit, actu cognouit, & Franciscum, & Dominicum, & omnes electos, ea esse facturos, & gloriam, vt coronam recepturos. [Nouit enim Dominus, qui sunt eius.] Itàque in ratione reuelati implicitè quo ad nos continentur. Cùm ergò isti existunt, eaque opera faciunt; facillimè cognoscitur, An sint de illis contentis in generalibus, quia Matth. 16. [A fructibus eorum cognoscetis eos, non enim potest arbor bona malos fructus facere &c.] Videns ergò Ecclesia, quòd quis sanctè vixit, & quòd Deus suis characteribus, nempè miraculis hoc est testificatus; concludit necessitate consequentiæ, esse vnum ex ijs, quos implicitè Deus reuelauerat, & proindè eum coronam gloriæ, & Dei visionem ei promissam obtinuisse. Et ita ratione illius principij reuelati, eum implicitè quo ad nos, & explicitè quo ad Deum, euadere obiectum fide.

Dices. Si hoc sufficit, sequitur, quemlibet agnoscentem opera virtuosa alicuius, & miracula eiusdem, ex illo generali principio posse deducere, eum esse Sanctum, & sic, nedum ipse, sed alij, quibus id manifestaret, tenerentur de fide credere, eum esse Sanctum, quod est falsum.

154. Resp. neg. sequelam. Quia quoties aliquid non est ab Ecclesia propositum, vt obiectum fidei, non obligat ad fidem. Sicut dicam postea de actu credendi. Et par est ratio de consequentia scientifica, seù in materia iuris. Theologus enim potest aliquas propositiones necessariò deducere ex principijs reuelatis; imò eamdem, vt ab eo deductam sequi, & decidere Papa, seù Concilium, sic enim factum videmus in omni Concilio. Præmittuntur namque disputationes, an aliqua doctrina contineatur in scriptura, vel in traditionibus, & si concluditur contineri, ac necessariò deduci; Concilium, seù Papa, si solus agit, per suggestionem, seù instinctum Spiritus sancti, cognoscit veram esse deductionem, atque doctrinam deductam, & eam desinit de fide, atque proponit Ecclesiæ. Ità facit in casu canonizationis; supposito enim iudicio virtutum, & miraculorum per consultores facto, & quòd sit aliquis dignus canonizari, quia in eo reperiuntur ea, quæ Deus requirit in Sanctis suis; Pontifex per Spiritus sancti instinctum iudicat, eum esse vnum ex Dei electis, & implicitè reuelatum, cum conditionibus talium operum, & miraculorum. Quo peracto eum Ecclesiæ proponit. An verò, qui cognoscit de visu, & virtutes, & miracula alicuius Serui Dei, antè iudicium Ecclesiæ teneatur credere eum esse Sanctum; videtur eadem, cum ea quæstione; An Theologus doctus deducens consequentiam ex principio reuelato, euidenter videns eam esse necessariam, teneatur credere de fide talem conclusionem, ante iudicium Ecclesiæ, de quo dicam in suo loco, An officiat, quòd vtrque subditur deceptioni, cui non subditur Ecclesia, [Quæ est columna, & firmamentum veritatis,] neque Papa, pro quo Christus orauit, vt non deficiat fides eius.

Dices 2. Etsi admittatur generale principium, implicitè continens reuelationem omnium Sanctorum, eorum nempè, qui opera præcepti, & consilij facient; non propterea potest Ecclesia, aut Papa deducere necessariò, quòd hic sit vnus de illis. Ergò, antecedens prob. dupliciter, primò, quia neque Concilium, neque Papa de visu sciunt, eum operatum virtuosè, aut miracula patrasse. Sed ex depositione testium hæc sunt eis nota; hi autem possunt decipere, & decipi, quia vnus pro alio cognoscētes, & hallucinantes, & etiam decipere, quia affectu circa Dei seruum ducti, vel dono à postulatoribus subornati, dicere possunt falsum. 2. Idem antecedens prob. quia esto proprio visu ea cognoscerent: illa notitia est merè naturalis, & sic non potest influere in notitiam, seù obiectum fidei; nam conclusio semper sequitur debiliorem partem. Ergò nullatenus potest euadere obiectum fidei, quòd canonizatus sit Sanctus.

155. Resp. neg. antec. ad prob. primam dico quòd licèt à testibus dependeat illa cognitio; & hi possint decipere, & decipi; nihilominùs ad Diuinam prouidentiam spectat, vt non admittantur falsæ depositiones, & hoc est, quod dicit S. Thomas quodlibet 9. q. 16. Hinc est quod, vt patuit, tot Pontifices in his Bullis dicunt, freti Diuina virtute, quæ in hoc negotio non permittit nos errare. Et hinc à posteriori est, quòd multæ probationes, tam miraculorum, quàm virtutum sæpissimè non admittantur, quia fortè testes nimio affectu ducti, vel ignoratione decepti deposuerunt aliter, ac res se habent. Et in hoc valet Spiritus sancti instinctus, vt vera à falsis dignoscantur. Imò hoc idem accidere potest in quæstionibus iuris; si enim Theologi, vel rem non capientes, vel præoccupati, iudicantes concluderent, aliquam doctrinam deduci ex traditionibus, vel ex scriptura; & hoc verum non sit, vt sæpè aliqua factiosa pars in Concilijs tentauit; legantur acta Conciliorum Nicæni vtriusque, Ephesini, Chalced. & quatuor Constantinopolitanorum, & tandem Florentini; non proindè Concilium secutum est eorum consilium, sed aliorum, qui Dei Spiritu ducti, veram consequentiam deducebant; Quia Spiritus sanctus regit Concilium, & Pontificem de fide definientem. Sicut ergò Theologi possunt decipi, ac decipere, & nihilominùs id non officit, quin conclusa à Concilio, vel à Papa in materia doctrinali sint obiecta fidei, eò quia Deus non permittit, vt Concilium, seù Papa sequatur consilium Theologi decepti, vel decipientis, sed illuminat ad illud cauendum, etiam si Patres conciliares, vel Papa non essent in ijs materijs valdè versati: ità dicendum est de testium depositionibus. Cùm enim Concilium, seu Papa canonizans, proponere debeat Ecclesiæ adorandum canonizatum, & in ea adoratione fiat, vt ait Diuus Thomas, quædam professio fidei, nam creditur gloria Sancti adorati; pertinet ad Dei prouidentiam, & veracitatem non permittere, vt habeatur ratio de falsis depositionibus, illuminando, vel ipsosmet consultores, vel si permittat hos etiam decipi; Papæ in-

instinctu interno inspirando ad eas reijcien-das, & ad vlterius non procedendum.

156. Ad secundam probationẽ. Dico, quæstionem esse longioris indaginis, vt infrà in suo loco; pro nunc, inprimis est eadem ratio de propositionibus deductis ab alijs reuelatis. Cùm enim in Concilio Theologi eas deducunt, naturali opera id faciunt, studio nempè Scripturæ, & Patrum, necnon subtili, & ingenioso discursu; legi possunt acta Conciliorum omnium; humano siquidem modo materiæ discutiuntur. Sic pariter fit, cùm solus Papa est definiturus. Et tamen discursus isti, & enonciationes naturales non officiunt, quin Concilium, vel Papa solus, conclusiones per eos deductas ex principijs, siuè Scripturæ, siuè traditionum definiat, & proponat, vt obiecta fidei. Igitur naturalis illa cognitio non impedit, quin Sanctus canonizatus euadat obiectum fidei. Alia adducam exempla in suo loco; quia consecrans Eucharistiam, naturali cognitione scit se consecrasse, & tamen tenetur fide credere ibi esse corpus Christi, quia ex principio reuelato habet, post consecrationem ibi esse corpus Christi. Imò, & alij, qui fide humana credunt, Sacerdotem consecrasse, adhuc tenentur credere, ibi esse Corpus Christi. Naturali notitia cognoscimus hos cœlos, & hanc terram, materiam primam &c. Et tamen tenemur credere, ea esse à Deo creata. Ergò cognitio naturalis præcedens decretum canonizationis, non impedit, quin deductio illa, quòd talis sit Sanctus, sit obiectum fidei, nam ex reuelato generali per instinctum Spiritus sancti deducitur.

Instabis contrà 2. modum respondendi ad primum argum. Si reuelatio illa per inspirationem esset vera, & non analoga reuelatio, & sufficeret ad constituendum fidei obiectum, sequitur omnem diuinam inspirationem ad opus honestum in homine esse veram reuelationem, & sufficere, vt eam habens credat de fide opus bonum inspiratum. Secundò, si hæc sufficeret, sequitur, quòd Scholastici malè omisissent hunc loquendi modum, agentes de canonizatione, cùm nullus hucusque illo vsus sis, vt statueret canonizationem obiectum fidei. Ergo

157. Resp. nego sequelam. Ad prob. dico, quòd licet omnis inspiratio diuina ex Augustino dici possitquędam reuelatio, quia reuera Deus internè tunc loquitur; non tamen in quouis homine sufficit ad constituendum obiectum fidei id, quod inspiratur, quia non quilibet homo est regula fidei, nec à Deo constitutus, vt alios confirmet in fide; sicut facit Ecclesiæ caput; Quia omnis homo mendax, idest actiuo, & passiuomendacio obnoxius; non sic caput Ecclesiæ; priuatus enim homo subiacet illusionibus, quæ ex ignorantia, vel ex diabolica suggestione proueniunt; non sic caput Ecclesiæ, cùm doctrinam fidei Ecclesię vult proponere. Adde, quòd priuatus homo, cùm inspiratur ad aliquod opus faciendum, cognoscens euidenter, opus illud esse bonum, & supernaturale in doctrina fidei contentum, tenetur credere, opus illud à Deo sibi inspiratum, nam ex Iacobi 2.17. [Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.] Et Io. 15. [Sine me nihil potestis facere, & nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.] Et 2. Cor. 3. [Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.] Quòd autem hæc inspiratio sit quædam Dei reuelatio, est in Scriptura clarissimum, Psal. 118. Dauid orat: [Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua;] petit oculos mentis illuminari. Et Matth. 11. 25. [Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.] Et Apostolus 1. Cor. 14. 30. loquens de ijs, qui docere debent in Ecclesia, & quo ordine, aie: [Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.] Quænam autem est hæc reuelatio, nisi interna Dei inspiratio ad aliquid dicendum, vel faciendum. Et ad Philip. 3. 15. ait: [Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus; etsi quid aliter sapitis, & hoc ipse Deus reuelabit, verumtamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.] Ergò, cùm hæc reuelationis species Paulo placeat, Dauidi, & Christo, mirum non est, si etiam Augustino arrideat. Concludamus ergo, quòd inspiratio illa, seù instinctus, quo Papa, supposita cognitione virtutum, & miraculorum per testes idoneos probatorum, cognoscit, & iudicat canonizandum esse vuum ex ijs, quos Deus implicitè reuelauerat, esse Christi discipulos, ministros, & electos, format iudicium, & decretum hunc iuxta Christi promissum, [Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit, & minister meus,] de facto esse in cœlo cum Christo.

158. Ad aliud argumentum negatiuum, quòd Doctores vsi non sint hoc medio. Resp. in primis id nihil officere; non enim omnes scrutantur omnia. Resp. 2. Scholasticos post D. Thomam eo vti dicentes; quòd quia Papa per instinctum Spiritus sancti aliquem canonizat, & honor, quem Sanctis canonizatis tribuimus, est quædam fidei professio, qua credimus eorum gloriam; piè creditur Papam errare non posse in Sanctorum canonizatione. Igitur ipsi quoque agnouerunt vim instinctus ad eleuandum iudicium, illud ab ordine naturalium, & transferendo ad supernaturalem ordinem.

Dices. Etsi fateantur vim instinctus; tamen manifestè negarunt esse de fide. Et proindè instinctus non sufficit ad constituendum aliquid inter obiecta fidei.

159. Resp. dist. antec. Negarunt esse de fide, quòd canonizatus sit Sanctus; nego: Negarunt esse de fide, quòd Papa in ea actione possit errare, concedo, & nego consequ. Ratio est, quia ego non quæro: An sit de fide, quòd Papa non possit errare in canonizatione; sed quæro, An sit de fide, quòd canonizatus sit Sanctus, & dico esse. Et ipsimet S. Tho. & discipuli, alijque sequentes id etiam affirmare videntur, quia licet negent, esse de fide, quòd Papa non possit in canonizatione errare, tamen confitentur, quòd honorare sanctum canonizatum, est professio fidei, qua creditur gloria illius Sancti. Ergo, quòd sit sanctus, & in gloria, etiam per eos est obiectum fidei, & hæc est mea controuersia. Si autem præfati Doctores diguarentur considera-

derare hoc aliud motiuum, quod ego fortè primus adduxi, quòd scilicèt Papa canonizans, non vtitur solo instinctu, tamquam principaliori causa inducente ad canoniaandum, & proponendum Ecclesiæ canonizatum, vt debito obsequio, & honore veneretur, habeaturque pro sancto; sed vtatur Theologico discursu habente maiorem propositionem reuelatam, scilicet, [Beati mites, qui persecutionem patiuntur &c. Et, Vbi ego sum, illic erit, & minister meus,] Minorem verò naturalem, nempè cognitionem virtutum, & miraculorum testantium esse vnum ex illis, quos in ijs vniuersalibus reuelauit Deus; cuius quidem minoris veritatem Papa cognoscit per instinctum. Conclusio vt dependens à maiori explicitè reuelata, & à minori reuelata, seù inspirata per instinctum maiori ratione dici potest, & debet obiectum fidei; quàm si dicatur, Papam vti solo instinctu, & non aliqua alia propositione reuelata, vt hucusque visi sunt loqui auctores, & tamen dixerunt de fide esse, quòd canonizatus sit Sanctus, & sit professio fidei, eum venerari.

ARTICVLVS IV.

An, & quomodo sit obiectum fidei, quòd Ecclesia nunc extans sit vera, & catholica? & an hac sit Romana?

160. ADu. 1. quòd ex dictis in disp. 5. ar. 1. Ecclesia Græcè idem significar, quod Latinè conuocatio, seù collectio fidelium ex Iulio I. epist. 3. cap. 8. Et de consecr. dist. 1. can. Ecclesia. Et ex sacra Scriptura tam noui, quàm Veteris Testam. est euidens. Nota tamen, quòd aliquando in Scriptura, & in iure canonico Ecclesia nominatur singulariter, & hoc frequens est, & datur articulus fidei, quòd sit vna, vt ex Symbolo, & Saluator Matth. 16. singulariter eam nominat, [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et cap. 18. Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Et sic significat vniuersitatem omnium fidelium credentium in Trinitatem, & Christum. (An autem hæretici pertineant ad hanc Ecclesiam ratione subiectionis, & quomodo non ratione participationis, & communionis bonorum spiritualium, non curo nunc discutere, sed postea.) Aliquando tam in Scriptura, quàm in iure canonico nominatur pluraliter, act. 15. 41. [Paulus perambulabat Syriam, & Ciliciam cōfirmans Ecclesias.] 1. Cor. 14. [In omnibus Ecclesijs Sanctorum, & mulieres in Ecclesijs taceant. 2. Cor. 8. 18. [Misimus fratrem, cuius laus est per omnes Ecclesias. Et, Ordinatus est ab Ecclesijs omnes &c. cap. 11. 28. [Instantia mea, sollicitudo omnium Ecclesiarum.] Quia quilibet cœtus fidelium alicuius ciuitatis, vel Oppidi, dicitur Ecclesia, Petri 1. cap. 5. 15. [Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone, idest fideles, qui sunt Romæ &c.

161. Adu. 2. Quòd licet in omni ciuitate, & Oppido sit particularis Ecclesia, & omnes istæ vnam faciant vniuersalem Ecclesiam; tamen etiam ex antiquo tempore plures Ecclesiæ alicuius nationis, vel ratione idiomatis, vel ratione rituum, vel vtriusque alia vnitate sub vniuersali appellari consueuerunt, & sic omnes Ecclesiæ Orientis, quæ ritum, & idioma Græcum in officijs Ecclesiasticis sequuntur, dicuntur Ecclesia Græca: omnes, quæ ritum sancti Ambrosij, Ambrosiana; omnes, quæ idioma Gallicum, Gallicana &c. omnes tamen sub vna vniuerlali Ecclesia, cuius caput est Petrus, eiusque successores comprehenduntur.

162. Adu. 3. Quòd ex quo aliquarum Nationum Ecclesiæ, seu Matrices earum, puta Patriarchales, aut Metropolitanæ, ratione hæresis, vel schismatis, vel vtriusque (vt nostro tempore accidit) recesserunt ab vnitate vniuersalis Ecclesiæ, noua aliqua dogmata tenendo, quæ non tenebat, nec tenet vniuersalis; nomen vel Nationis hæreticæ, vel Antistitis, alteriusue authoris Hæresiarchæ retinuerunt, vndè Græca schismatica; Nestoriana, Seueriana, Ariana, Anglicana, Lutherana, Caluiniana, &c. quæ in aliquibus conueniunt nedum inter se, sed cum vniuersali; tamen & ab hac, & inter se differunt; At quælibet ex aliqua speciali confessione fidei, seu dogmatum coalescit, & ab alia secernitur. Hoc autem stante, oritur triplex difficultas. Prima, An Ecclesia, quam Christus fundauit per dogmatum verorum subsistentiam, & Petro tradidit gubernandam, nunc etsi in diuersis hominibus, tamen in identitate dogmatum subsistat, sicque obiectum fidei, quòd subsistat? Secunda, quænam sit ista Ecclesia, seu penès quam Nationem, aut penès quos pastores existat, & an hoc sit obiectum fidei? Tertia, cùm hæc sit quæstio facti, quomodo euadat obiectum fidei, quòd hæc, & non illa sit vera Ecclesia à Christo fundata, & perpetuò ex eius oraculo duratura? His præmissis.

163. Dico 1. quòd nunc detur Ecclesia vera à Christo fundata, est articulus, seu obiectum fidei.

164. Prob. 1. ex Symbolis Apostol. & Niceno, nec non Constantinopolitano. Ergo.

165. Prob. 2. ex Christi promisso Matth. 16. [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, 2. ex Lucæ 22. Hic est Calix noui, & æterni testamenti, & Matth. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.] Ergo, cùm Christus reuelauit, Ecclesiam à se fundatam mansuram vsque ad mundi finem; est obiectum fidei, quòd nunc adsit.

166. Prob. 3. ex Concilio Constantiensi contra Ioannem Hus, dicente, Ecclesiam esse, est articulus fidei.

167. Prob. 4. ex facto omnium Concil. in quibus Patres omnium primò emittētes professionem fidei, confitentur [Vnam sanctam Catholicam, & Apostolicum Ecclesiam. [Et sic postremò à Patribus Tridentinis factum cernimus ex sess. 3.

168. Prob. tandem ex praxi omnium fidelium, Symbolum Apostolorum recitantium, & prætereà ex praxi Clericorum, qui ad Canonicatus, Episcopatus, &c. nec non & aliorum, qui ad gradum Doctoratus promouentur; nam ex const. 88. & 89. Pij IV. tenentur emittere professionem fidei, in qua

articulus existentiæ Ecclesiæ præ ceteris continetur.

169. Dico 2. est obiectum fidei, quòd Ecclesia vera, & Catholica, sit Romana, id est fideles omnes sub Romano Pontifice eorum capite credentes dogmata, quæ ipse docet, & credit, vt Petri successor.

170. Prob. ex nuper dictis; Ecclesia vera est illa, quam Christus fundauit, & Petro commisit. Sed hæc est Romana. Ergo. Maior prob. ex Matth. 16. Saluator promittit se ædificaturum Ecclesiam, igitur illa est vera, quam ipse fundauit. Min. prob. ex eodem loco, & indiuisibiliter loquitur de Ecclesia, & de commissione eius, seu capite, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Quod postea executus est Ioan. 20. [Petre, pasce oues meas.] Ergo Ecclesia à Christo ædificata, est ea, quæ commissa est Petro. Sed Petro commissa est Romana, idest omnes fideles cum hoc capite connexi. Ergo.

171. Confir. ex Anacleto epist. 2. & Gregor. VII. lib. 2. epist. 5. Ecclesia Romana à Christo fundata est. Ex Eusebio epist. 1. Ecclesia Romana à Deo dotata est Sacerdotio sancti Petri, & ex Christi oraculo Petrus elegit Sedem Romæ, ex eod. Eusebio epist. 3.

172. Confir. ex 1. ad Rom. 8. Gratias ago Deo meo, quia fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo; & infrà, desidero simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam.] Eadem ergo erant dogmata, quę à Paulo in Orientalibus, ac in Palestinæ partibus, & quæ Romæ docebantur; Ecclesia autem est vna, & hic est articulus Fidei. Ergo, cùm à Capite totum corpus denominari, & regi debeat, & Romana obtinuerit à Christo, vt sit caput totius Ecclesiæ; hæc est illa, quam Christus fundauit. Id est communitas fidelium sub capite Petro.

173. Prob. 2. Esto per mundum, & ab Apostolis, & ab eorum Discipulis, ipsismet viuentibus plures fuerint particulares Ecclesiæ fundatæ; omnes tamen istæ vnam formaliter faciunt Ecclesiam vni Petro subditam. Ergo. Anteced. prob. ex Cypriano, tract. de Vnit. Ecclesiæ. [Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. Super vnum ædificat Ecclesiam, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat; sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit, & Petrus, pari consortio prediti, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur; quam vnam Ecclesiam, etiam in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit, vna est Columba mea; &c.] cùm ergo omnes Ecclesiæ faciant vnam, quia vnam fidem tenent sub vno Capite inuisibili Christo, vnoque visibili Petro, & quolibet eius Successore; Ecclesia ab ea ciuitate fuit denominanda, in qua caput Cathedram perpetuò permansuram ex Christi mandato fundauit. Hæc autem Romana est; nam licèt Petrus ex can. Cleros, dist. 21. tres Ecclesias fundauerit, Romana tamen est Apostolica, quia in ea mortuus est, & ex Christi oraculo eam perpetuo elegit.

174. Confir. Illa est Ecclesia fundata à Christo, & commissa Petro, quæ est Apex, Caput, & Mater omnium aliarium particularium ei coniunctarum. Sed hæc est Romana, Ergo. Mai. prob. Fundatio Ecclesiæ facta à Christo in hoc Consistit, quòd ipse docuit fidem, & mores, aliaque ad salutem necessaria, & conuertens Apostolos, aliosque permultos in mundo manens, cętum fidelium, in se credentium adunauit; Ideò Act. 5. 11 [Timor magnus in Ecclesia, cap. 8. Facta est persecutio magna in Ecclesia, &c.] processu autem temporis multæ nationes in diuersis Regnis, & Prouincijs crediderunt in eum, & sic materialiter multiplicatæ sunt Ecclesiæ, vt Ecclesia Corinthiorum, Ephesiorum, Colossensium, Galatarum, &c. Omnes autem istę sub vnitate formali, nempè fidei sub vno supremo capite Petro. Ideò omnes sub Petro militantes vna sunt Ecclesia, neque alia, quàm Romana, quod ex probatione Minoris constat. Nam ex can. Non decet, dist. 12. Romana est Mater omnium Ecclesiarum. Ex cap. fin. de Baptismo, est Mater Græcæ. Ex Nicolao I. epist. 8. de Romana Ecclesia, vniuersalis habuit principium. Ex Damaso ep. 4. & ex eodem Nicolao epist. 32. Romana est Apex omnis Episcopatus. Ex eodem Nicol. epist. 14. est caput Religionis. Ex Felice I. epist. 3. Ex Caio epist. 1. Ex Marcello I. ep. 1. Est Magistra omnium Ecclesiarum. Ergo hęc est Ecclesia fundata à Christo, & ideo hæc est vera; estque obiectum fidei, quòd hæc sit vera.

175. Prob. 3. Illa est Ecclesia fundata à Christo, quæ habet proprietatem, & priuilegium ei à Christo promissum; sed hæc Romana. Min. prob. Proprietas, & priuilegium est, quod innuitur Matth. 16. [Et portæ inferi non preualebunt aduersus eam.] Et vt Rector, seu Caput eius confirmet alias in fide. [Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma Fratres tuos.] Hęc autem competunt Ecclesiæ Romanæ, & eius Capiti: nam Romana Ecclesia immaculata est, & nunquam in fide errauit, sed nec errare potest. Ex Lucio I. in epist. decret. Ex Calisto I. epist. 1. Eusebio epist. 3. Ex Marco epist. ad Episc. Ægypti. Ex Leone I. epist. ad Leonem Imperat. Ex Leone II. epist. 5. Ex Agathone in epist. ad Imper. in Concil. Gener. VI. act. 4. &c. multis. Igitur hæc Ecclesia est ea, de qua loquutus est Christus, commissa Petro, & successoribus, nempè communitas fidelium, quorum Caput est Roma.

176. Confir. Illa est vera Ecclesia, de qua locutus est Christus, extrà quam non est salus; Sed hęc est Romana; Ergò. Maior prob. ex cap. Firmiter de Summa Trinit. &c. estque Concilij Later. sub Innoc. III. in can. 1. Item can. Loquitur. 24. qu. 1. can. Alienus, ibid. Suntque Cypriani. Et ex Greg. 1. lib. 9. Ex regis, epist. 40. Ecclesia vera est velut arca Noe, in qua salus, & effugium à diluuio damnationis reperitur. Min. prob. [Extrà Romanam Ecclesiam non potest comedi Agnus Dei,

Dei ,] id est Eucharistia , neque saluari . Ex can. Quoniam, vetusto 24. qu. 1. estque Hieronymi, Ecclesię Romanę fidem non sequens, non est in Ecclesia can. Qui Cathedram, dist. 93. estque Cypriani . Non habet Spiritum sanctum , Ex can. Loquitur, & can. Alienus, 24. quæst. 1. suntque eiusdem Cypriani, idololatriæ scelus committit ex Greg.VII. lib.4. epist. 24. & lib.7. epist. 14. Et ideò est de necessitate salutis , esse in fide Romanæ Ecclesiæ , & subesse Romano Pontifici quo ad spiritualia , Extrauag. Vnam sanctam, de maiorit. & obedientia .

177 Prob. 4. ex dictis in disp. 5. art. 3. & deinceps ; omnia Concilia , omnes Doctores Ecclesiæ , omnes Patres, quantumuis sanctissimi , ac doctissimi, hoc vnum semper curarunt , esse in communione Romanæ Ecclesiæ . Patet de Cypriano , Ambrosio , Augustino , Hieronymo, Theodoreto, Cyrillo, &c. allatis ibi . Immò ipsimet Hæresiarchæ , vt alios deciperent, multis dolis olim curabant suffurari communionem Ecclesiæ Romanæ , vt de Marcione, Nouato, & alijs compertum est , vt viderentur esse in Ecclesia . Ergo. Anteced. patet ex ibi diffusè , & distinctè dictis, ex confessionibus, nempè omnium Conciliorum , Imperatorum, Regum, Sanctorum, atque Doctorum , vndè meritò Pelagius II. in epist. 13. dixerit , [Ecclesia Romana per anthonomasiam est Ecclesia ;] Loquebatur autem de Romana materiali ; ego verò loquor de Romana formali , id est de tota multitudine fidelium credentium vna fide Catholica, seu vniuersali sub Pontifice Romano ; hanc voco Ecclesiam Romanã à Christo fundatam.

Dices: Ecclesia à Christo fundata fuit illa multitudo fidelium , quos ex Iudaismo ad sui fidem attraxit , at illa non fuit Romana , sed Hierosolymitana , seu Palæstina , Ergo non est fidei obiectum , quòd Romana sit vera Ecclesia . Consequ. prob. quia nec ratione loci , nec ratione personarum , nec ratione originis cœtus ille fidelium dici potuit Romanus .

178 Resp. dist. Ma. Fuit Ecclesia initiatiuè, quo ad personas. Concedo. Fuit Ecclesia completiuè . Nego . Tum concessa minori , nego consequ. Ratio est ; quia etsi Saluator ante passionem multos ad fidem conuerterit , vt Apostolos , & Discipulos, adhuc tamen non stabilierat Ecclesiam; vt ipsemet dicit Matth. 16. [Ædificabo Ecclesiam meam] id autem perfecit , dum Ioan. 21. dicit Petro, [Pasce oues meas.] Quia verò ex ipsiusmet Christi dispositione Petrus Cathedram suam Romæ erat fundaturus, & ex capite Religionis sumi debet denominatio : ideò Ecclesia fundata dicitur Romana , quia nempè tota , & tunc , & perpetuis futuris temporibus futura erat subdita Pontifici Romano; quamuis ab initio sic denominata non fuerit, quia adhuc Romę Cathedrã Petrus nõ fundauerat.

Instab. Petrus anno 45. à Natiuitate Christi Romam venit , & Cathedram ibi erexit , quam postea sanguine suo decorauit . Igitur licèt ex tunc Ecclesia tota , ratione capitis dici potuerit Romana ; non tamen ante , Et ideò Ecclesia à Christo fundata nequit dici , quòd fuerit Romana .

179 Respon. distinguendo consequ. Pro tunc dici non potuit Romana , concedo; Pro tempore futuro fundationis Cathedræ , nego . Non enim dici potest Hierosolymitana, neque Antiochena , etsi in Hierusalem cęperit Ecclesia , & Antiochiæ Petrus primùm sederit ; nam ex Eusebio Papa epist. 3. Petrus à Christo mandatum acceperat , vt Romæ Cathedram fundaret .

Vrgeb. Ecclesia illa , & ante aduentum Petri Romam , immò ante erectionem Cathedræ Antiochiæ, erat vera Ecclesia à Christo fundata, & hęc non erat Romana, sed proprio nomine dici debuit Christiana. Ergo Ecclesia fundata à Christo non est Romana .

180 Resp. dist. Anteced. Non erat pro tunc Romana denominatiuè , concedo : non erat pro tempore futuro , nego . Vt autem hæc quæstio tollatur , dico : Cùm dicimus Ecclesia fundata à Christo , est Romana, non intelligimus , quòd prima Christianitas , seu primi fideles fuerint Romani , vel quòd Romæ cœpit fieri conuersio ad Christum , & cętus fidelium ad eum conuersorum , sed quòd cętus fidelium , & Christianitas , quæ primò cœpit Hierosolymis , deindè Samariæ , & postea Antiochiæ , est illa Ecclesia , quæ fuit commissa Petro , vt Pastori supremo , quia verò Petrus Romæ , ex Christi mandato , vt supponimus ex Eusebio epist. 3. Cathedram fundauit , & Vicarius Christi perpetuus extitit ; ideò , & illam priorem collectionem , & alias subsequentes; quoniam faciebant vnum ouile, vnamque generalem Ecclesiam , vt dicit Cyprianus sub vno capite , Romano Pastore ; ideò dicimus , Romanam Ecclesiam esse à Christo fundatam .

Dices 2. Etsi omnes Synagogæ per mundum dispersæ sub vno Summo Sacerdote essent ; non propterea fuerunt vnquam appellatæ Synagoga Hierosolymitana . Ergo sicut de ijs omnibus dicitur , vnam esse Synagogam ; ità de omnibus Ecclesijs dicendum erit , vnam esse Ecclesiam ; etsi Romana sit Caput omnium ratione Papæ .

181 Resp. 1. Nos etiam dicere. quòd omnes Ecclesiæ vnam faciunt Ecclesiam. 2. Disparitatem esse de Synagoga, & Ecclesia; nam Synagogæ dispersæ per Mundum , non desciuerant ab vnitate Hierosolymitanæ ; ideò opus non fuit ob vnitatem fidei nomen ab ea desumere . At in Lege Noua , etsi multæ Sedes Apostolicæ , & Matrices fuerint fundatę, omnes tamen, excepta Romana, vt in disp. 5. art. 3. (præ cæteris,) à vera fide exciderint , & super Petrum fundata Ecclesia , vera erat futura ; ad discernendum veram Ecclesiam cum vera fide , hoc discerniculum erat apponendum, vt illæ dici possent , ac deberent veræ Ecclesiæ , quæ cum Romana crederent , & proindè in partibus Hęreticorum, Catholica doctrina vocatur Romana ; ideòque omnes Ecclesiæ, etsi speciali nomine, ratione vrbium, seù materialiter sumptæ suo nomine nuncupentur , vt Toletana , Parisiensis, &c. tamen formaliter , & ratione fidei sunt Romanæ , id est vnitæ cum Romana , & credentes cum ea, & de hoc gloriantur .

182 Concluditur ergo , esse obiectum fidei , quòd vera Ecclesia à Christo fundata in perpetuum duratura, sit Romana , id est congregatio fidelium , quæ ab initio , & vsque

in

in finem fuit, eritque subiecta Petro, & Successoribus Pontificibus Romanis.

183 Dico 3. Est fidei obiectum, quòd Ecclesia nunc extans, Romana dicta; id est cœtus fidelium credens cum Romano Pontifice, sit vera Ecclesia.

184 Prob. 1. Est perpetuus fidei articulus, quem in Symbolo fidei quotidie profitemur, dari vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Sed non est alia, nisi hæc, quę dicitur Romana. Ergo. Min. prob. Romana Sedes tantùm est Apostolica, & solus Papa dicitur Apostolicus can. Cleros, dist. 21. & ei subesse, est de necessitate salutis, Extrauag. Vnam sanctam, de maiorit. & obed. Ergo, cùm omnes aliæ per mundum nunc existentes Ecclesiæ non possint dici Apostolicæ, nec eorum pastores Apostolici; quia alię ab Apostolis fundatæ, nunc vel non extant, vel sunt hęreticæ; & tamen datur Ecclesia Apostolica vna; & non ex alio motiuo talis dicitur, nisi quia omnes sub capite Apostolico, & Sede Apostolica sunt, atque credunt. Igitur Ecclesia Apostolica, quę nunc creditur de fide, est Romana, id est omnes fideles Romanæ Ecclesiæ, seu fidei adhærentes.

185 Prob. 2. Si aliquid obstaret; maximè esset, quia hoc est quid facti, & non reuelatum, quòd hæc de anno 1671. existens Ecclesia Romana, sit vera: sed hoc non obstat. Min. prob. Etsi iam reuelatum à Christo, quòd Ecclesia ab eo ædificata est illa, quæ commissa fuit Petro; & contrà quam portæ inferi non erant præualituræ: Sed Ecclesia, Romana dicta, nunc existens, est talis. Ergo est reuelatum, quòd hæc existens sit vera. Ecclesia enim fundata, & perseueratura, cum illis proprietatibus regiminis Petri, & inexpugnabilitatis ab inferis, est à Christo reuelata.

186 Confir. à pari de multis futuris reuelatis, quæ dum extant, non cessant esse obiecta reuelata. Reuelauit Deus: [Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.] dum S. Ioseph, & Maria id experti sunt in facto, crediderunt, hunc, esse conceptum, & partum illum à Deo reuelatum. Christus multa Apostolis prædixit: [Oportet ire in Hierusalem, ibi multa pati, & occidi; Vnus vestrum me traditurus est, &c.] quando hæc acciderunt, nihil impediebat, quin Apostoli crederent, hæc facta esse illa, quæ Christus prædixerat: tandem prædicit eorum passiones, &c. quando ista accidebant, crediderunt, ista prorsùs esse eis prædicta, immò, cùm accidebant, tunc magis credebant. Patet Io: 2. 22. quia Christus dixerat: [Soluite Templum, & in tribus diebus reædificabo illud, & loquebatur de Templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dixisset, crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.] Itá dicito de omnibus alijs futuris, [Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, &c.] quę præcedent iudicium. Cùm hæc aduenient, homines tunc existentes credent, hæc esse signa iudicij à Christo prædicta. Ergo à pari, cùm prędixerit, Ecclesiam à se fundandam super Petrum, non fore expugnandam à Diabolo; cùm hæc videtur, non repugnat credere, quòd sit illa, quam Christus reuelauit.

187 Confir. 2. Exemplo præteritorum adhuc perseuerantium in esse, & visibilium, quæ tamen creduntur. Est de fide, quòd Terra, Cęlorum, Sol, Luna, & omnia elementa, mare, &c. sint à Deo creata, tamen ea videmus, & credere tenemur, esse illa, quæ Deus creauit. Ergo idem de Ecclesia nunc extante dicendum.

188 Prob. 3. Omnia, quæ de Ecclesia à Christo fundata, & Petro commissa, Sancti Patres, Romani Pontifices, Doctores Ecclesiæ antiqui, & Scholastici dixerunt; de Ecclesia Romana nunc extante dixerunt, & dicunt alij Sancti Romani Pontifices, Doctores, ac Scholastici; ergo eadem est nunc. Anteced. prob. ex dictis in secunda concl. & in disp. 5. per totam, ab initio enim Ecclesiæ, & successiuè vsque nunc, vniformiter omnes loquuntur de Romana Ecclesia suis temporibus extante: & vniformiter Romani Pontifices resoluunt dubia fidei, nouasque hæreses damnant, soluunt, & ligant, indulgentias concedunt per vniuersum mundum; aliaque omnia iurisdictionalia, & papalia per omnes Ecclesias exercent; sicut tempore sancti Petri, & Concilium Florent. in sess. vlt. in liter. vn. Græcorum definit de fide, quòd Romanus Pontifex in tota auctoritate Sancti Petri succedat. Ergo eadem, quæ priùs est Ecclesia. Ideòque, si aliquando fuit obiectum fidei, quòd sit vera; nunc etiam est.

189 Prob. 4. Ecclesia Romana nūc extans habet omnia requisita ad veram Ecclesiam, & facit omnia, quę potest vera Ecclesia. Ergo. Anteced. prob. Habet pro capite visibili Successorem Petri, qui habet eandem potestatem, quam sanctus Petrus. Itá ex Leo IX. epist. 1. cap. 33. Leone X. const. 40. Exurge. Itá Eug. IV. in const. 17. Lætentur, estque conciliaris in Concil. Flor. facta. Itá Concil. Constantiense contrà art. 37. Wicleff. & contra art. 12. Huss. Secundò, ecclesia, Romana dicta, siue in Concilio, siuè extrà, solum nempè caput definit doctrinas fidei: euidens est de Concilijs postremis Constantiensi, Florent. Later. 5. & Tridentino; hęc enim Concilia repræsentabant ecclesiam, Romanam dictam. Patet de solo Papa extrà Concilium, vt de innumeris definitionibus distinctè diximus in disp. 5. art. 4. & 5. Et postremò de propositionibus Iansenij, ab Innocentio definitis. Tertiò, Quia ecclesia Romana est vna; omnes enim particulares ecclesiæ, & eorum fideles sub Romano Pontifice, credunt vnum, & idem. Quartò, Quia contra Romanam ecclesiam extantem non præualent portę inferi. Hę sunt potiores notę verę ecclesię. Ergo, cùm istæ competant Romanę ecclesię; hæc est vera, & illa, de qua locutus est Christus. Ergo, si est obiectum fidei, dari veram ecclesiam; est etiam obiectum fidei, quòd Romana nunc extans sit vera ecclesia.

190 Confir. ex formula professionis fidei statuta à Pio IV. const. 89. in qua prę cœteris habetur: [Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco.] Qui autem eam professionem emittunt, de ecclesia extante loquuntur. Ergo.

Ob. contra 1. Nuspiam reuelatum est, dari ecclesiam, sed lumine naturali est omnibus

bus

bus notum, dari cœtum fidelinm credentium in Christum . Quod autem naturaliter, & euidenter cognoscitnr , nequit esse obiectum fidei ; quia hęc ex Hebr. 11. est argumentum non apparentium . Ergo .

191 Resp.neg.primam partem Mai.Quia Christns ante mortem ecclesiam instituit nouam , quam Petro committere promisit Matth. 16. [Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam . Lncę 22. Hic est calix Nounm Testamentum.] Et postea Ioan. 20. Ecclesiam commisit Petro , dicens : [Pasce oues meas.] Et propterea Apostoli in Symbolo apposuerunt : [Credo sanctam ecclesia Catbolicam.] Idemque fecerunt Concilia Nicęnum primum , & Coustantinopol. I. & per traditionem pariter semper idem creditum est .

192 Ad aliud de naturali , & euidenti cognitione ; Dico , quòd Apostoli , & Discipuli in duplici tempore sunt considerandi. Primum est , quando Christus Matth. 16. dixit , se ædificaturum ecclesiam , id est stabiliturum ; & Lucę 22. quando dixit hoc esse Nounm Testamentum in sanguine fudendo . Tunc antem reuelauit , & Apostoli crediderunt . Cum autem post resurrectionem vocato Petro dixit , Pasce ; Et in die Pentecostes ad primam Petri concionem baptizati sunt circa tria millia , viderunt ecclesia iam fundatem super Petrum , multiplicari ; & sic deinceps habuerunt euidentiam de ecclesia , & crediderunt eam esse , quam Christus se fundaturum dixerat . Cùm enim id dixit , erat obscurum , & futurum . Sicut cùm prędixit se missurum Spiritum sanctum ; hoc apparente in die Pentecostes, euidenter effectus prędictos viderunt, & crediderunt illum esse Spiritum promissum . Nos autem , sicut , & omnes post Apostolos vtrumque credimus, & quòd Christns prædixerit , & quòd fecerit ; Quia ipsimet Apostoli , siuè scripto, siuè traditione id testatum reliquerunt .

Inst. ecclesia iam fundata , quam Apostoli videbant , non poterat esse obiectum fidei ; quia multitudo illa fidelium erat visibilis clarè , & euidenter . Ergo .

193 Resp. neg. Anteced. Quia multitudo fidelium existens, non erat obiectum fidei, vt existens , sed vt reuelata extitura. Videntes ergo eam Apostoli credebant, eam esse,quam pręedixerat Christus . Et ità se babent omnes prophetię ; cùm enim existunt , quæ prędicta fuerant, res illę existentes iam clarè videntur; sed creduntur , quòd sunt illę , quę erant prędictę . Prędictus fuerat Messias cum suis signis miraculorum, &c. Aduenit Messias cum illis signis ; visus fuit eadem facere ; aliqui crediderunt ; alij non ; horum dissensus fuit vera infidelitas ; & assensus illorum vera fides . Et tamen vtrique eum cum signis intuitiuè viderunt . Quidnam fuit obiectum formale fidei in his , qui viderunt, ac receperunt eum , & crediderunt ? certè non euidentia rei visę ; sed reuelatio pręcedens rei istius visę euidenter credibilis .

Dices: in his exemplis adhuc aderat aliquid obscurum , quod dici nequit de ecclesia . Anteced. prob. Quia videntes Christum miracula patrantem; non videbant diuinitatem ; secundò , quia poterat aliquis signa illa facere, & non esse Christus , sicut de Ioanne decepti sunt Iudęi ; plerique decipientur de Antichristo . Et ità de alijs propheticis dictis , quando in executione ponuntur; adest enim semper obscuritas , an sint illa met . At non potest hoc dici de ecclesia tunc existente; quia videbant Apostoli omnia verificata , vnam scilicet fidem Cbristi in omnibus Christianis .

194. Resp. quòd in eo effectum iam posito in esse , adhuc remanebat obscuritas , An illa esset Eccltsia prædicta, & propterea Apostoli eam credere potuerunt, sicut & in ipsum Christum , quòd esset Messias , & in Spiritum Sanctum iam promissum .

Ob. contra 2. & 3. Ecclesia quæ post Apostolos successiuè vsque ad nos extitit, est quid Facti visibilis . Ergo nec aliquando fuit, neque nunc est obiectum Fidei. Conseq. patet ; quia obiectum Fidei non debet esse manifestum , sed obscurum, & non apparens. Ant. est clarum ; quilibet enim clarè videt , fideles sub Petro , vel successoribus idem credere . Ergo videt vnam Ecclesiam .

105. Resp. dist. Anteced. Est quid Facti reuelari , concedo . Non reuelati nego . Ad probat. dist. Videt fideles credentes concedo : videt , quòd isti sint reuelati , seu prædicti à Christo , nego . Ratio autem generalis est ; quia , vt dicam de obiecto formali , dum exercendus est aliquis actus Fidei circa rem aliquam , non est semper necesse , vt tam subiectum , quàm prædicatum sint obscura , & non visa ; sed sufficit , si prædicatum sit obscurum . Euidens est exemplum de cœlo , terra,& cœteris creatis: ista videntur; at quòd sint creata , non videtur ; quòd anima sit in homine, quilibet Philosophus demonstrare potest; at, quòd sit creata, immortalis, capax beatitudinis , &c. non videtur , sed creditur ; quilibet videt, quòd puer baptizatur: at, quòd ei infundantur virtutes, quòd remittatur originale , &c. non videt . Quilibet consecrans Eucharistiam , euidenter scit , eam esse consecratam; & tamen non videt , quòd in ea sit Corpus Christi . Potest ergo euidenter cognosci subiectum aliquod , & tamen propositio de eo facta esse de Fide , ratione prædicati non visi ; sicut accidit in Fide humana ; potest enim quis rem aliquam , vel personam visibilem attendere , dicens : hæc res est mea , vel hic homo est filius meus , seu genee , &c. tunc babetur humana fides de re , vel homine illo , quòd sint illius , qui loquitur , & tamen res illæ videntur . Ità de Ecclesia dicendum ; quilibet enim videre potest multitudinem fidelium , qui in toto orbe credunt idem sub vno Capite ; id certè non credunt ; qnia Hæreticus , Turca , vel Iudæus id potest experimento videre , & tamen nullus horum Fide Diuina credit articulum vnitatis Ecclesiæ . Fidelis ergo non credit multitudinem illam credentem vnum, & idem , quia id videt : Sed credit , multitudinem illam esse Christi Ecclesiam ab eo prædictam , & fundatam super Petrum . Neque censeo ; posse aliter credi articulum Ecclesiæ , quæ videtur .

Ob. 2. Credens Ecclesiam , credit eius existentiam , in hoc autem complexo , nihil est reuelati . Ergo . Mai. prob. ex Symbolo, Credo Sanctam Ecclesiam . Id aliud non sonat , quàm , Credo dari Ecclesiam. Sicut credo

do Communionem Sanctorum, Carnis resurredionem &c. id est, credo dari ista. Min. prob. Tam multitudo hominum, quàm existentia eorum est euidens, sicut & conuenientia in Fide, ac Sacramentis; Ergo.

196. Resp. dist. Mai. Credit tantùm existentiam eorum, qui conueniunt in Fide, & Sacramentis; nego. Credit existentiam illam esse veræ Ecclesiæ Deo gratæ, & ab eo institutæ, & gratijs cumulatæ: concedo: sic ad Minorem. In hac enim multitudine sic credentium, id est reuelatum, quòd scilicet hæc sit vera, Deo placita, & grata, ab eoque per Christum Sacramentis munita.

Ob. 3. Quòd hæc multitudo fidelium existens de anno 1671. sit Ecclesia illa fundata à Christo, perseuerans in hominibus nunc extantibus, non est reuelatum. Ergo hæc modò existens Ecclesia non potest esse obiectum Fidei; Deficit enim ei ratio formalis obiecti Fidei. Neque iuuat reuelatio vniuersalis, & implicita, quia hæc sufficit ad Fidem implicitam, non verò explicitam; in hoc enim hæ Fides differunt.

197. Resp. dist. Antec. Non est reuelatum implicitè, & in vniuersali hic status Ecclesiæ nunc existentis, nego. Explicitè cum hisce indiuidualibus circumstantijs talis anni, talium hominum, talis Capitis, & aliorum accidentium, concedo: Et nego consequentiam. Ad probationem dico, vt in suo loco, quòd fides implicita actualis est illa, quæ non terminatur ad aliquod obiectum determinatum, secundùm sua expressa prædicata, v. g. cùm quis credit in genere omne, quod est in Scriptura, vel omne, quod est in Symbolo; vel omne, quod credit Ecclesia, vel Papa, &c. Explicita verò est, quæ terminatur ad obiectum determinatum, vt Incarnationem, Trinitatem, Eucharistiam, &c. itàque Fides explicita non differt ratione reuelationis implicitæ, aut explicitæ, sed ratione obiecti crediti, propositi, vel apprehensi in confuso, vel determinatè, ac distinctè. Cùm ergo ea, quæ Deus reuelauit futura in vniuersali comprehendant singularia determinata; Erunt terræ motus, pestilentiæ, fames &c. cùm hæc in particulari accidunt, iam explicita fiunt, & non desinunt esse reuelata. Ideò qui ea credit, antequam fint, habet Fidem explicitam de vniuersali illo complexo, implicitam de particulari; cùm autem hoc aduenit, habet explicitam, non quòd euenerit, quia videt, sed quòd sit illud prædictum. Ità de Ecclesia, & tempore Apostolorum, & nunc existente; immò de eadem extitura vsque in finem mundi. At quia (vt de proponente dicam) instari posset, quòd nequit, Ecclesia esse obiectum Fidei, quia nemo eam proponit, optimè videtur Suarez de fide dispur. 9. sect. 9. n. 14. cum alijs dicere, Ecclesia se ipsam proponit, vt veram, & obligat credendum talem veritatem, non minùs, quàm cœteras ad veram fidem pertinentes. Et certè ab initio, & successiuè semper hoc modo se proposuit Ecclesia; & ità fuit semper credita.

ARTICVLVS V.

An, & quomodo sit obiectum Fidei, quòd Romanus Pontifex nunc existens sit verus Papa, & Christi Vicarius?

198. Ad hanc etiam quæstionem difficillimam esse, cùm sit factum quoddam pendens ab hominum electione, & non sit quid reuelatum, sed naturaliter, euidenter notum.

199. Adu. 1. Duo hic esse videnda, Primum, An sit de fide, dari Papam Caput Ecclesiæ; & hoc facilè resoluitur. 2. An sit de Fide, quòd Papa aliquis pro tempore existens canonicè electus, sit verus Papa, & Ecclesiæ Caput, & Christi Vicarius.

200. Adu. 3. Inter Doctores, Catholicos quoque hanc esse controuersiam. Quidam enim dicunt, esse conclusionem Theologicam ex vna de Fide, & alia naturali. Alij dicunt, esse de fide ex hoc capite, quia ex vna de fide, & alia naturali sequitur conclusio de fide. Alij tandem docent, esse de fide, quia est implicitè reuelatum in eo Christi dicto; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et in Concilijs est definitum, Romanum Pontificem succedere S. Petro in tota potestate. Pro prima, & secunda sententia videri possunt Caiet. 2. 2. q. 1. art. 3. in resp. ad 4. Castro lib. 1. contrà hæres. cap. 9. Turrecremata lib. 4. summæ p. 2. cap. 9. & moderni multi. Ideò.

201. Dico 1. Est fidei obiectum, quòd dari debeat in Ecclesia Papa, qui sit Caput eius, & Christi Vicarius.

202. Prob. In concilio Constantiensi contrà art. 29. Ioann. Huss. definitum est, Non posse regi Ecclesiam sine Papa. Et, ideò officium Papæ semper fuit in Ecclesia etiam ab initio.] Ergo.

203. Confir. Est obiectum fidei, quòd detur Ecclesia; ergo &, quod detur eius Caput. Euidens est consequ. Sicut enim dari nequit corpus integrum physicum sine capite; ità neque morale, seu mysticum. Igitur quo lumine cognoscitur corpus, eodem cognoscitur caput. At Papam esse Caput Ecclesiæ, & Pastorem, cui à Deo commissa est Ecclesia, profitetur [Concil. Chalcedon. in epist. Synodica, & Concil. Florent. in literis Vnion. Græcorum in sess. vlt.] nec non concil. Constantien. contrà art. 27 Ioann. Huss. quę omnia id acceperunt ex Matt. 16. Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Et ex Ioann. 21. Pasce oues meas; hæc enim potestas, nedùm S. Petro; sed & Successoribus tunc data est; Extrau. Vnam Sanctam, de Maiorit. & obed. Et Concil. Flor. vbi suprà. Ergo est Fidei obiectum, quòd Ecclesia constet ex Papa.

204. Dico 2. Est etiam obiectum Fidei, quòd verus Papa sit Vicarius Christi.

205. Prob. Est de Fide, quòd S. Petrus fuerit Christi Vicarius. Ergo etiam de quolibet vero Papa id est verum. Anteced. prob. ex ipso Christi dicto, Pasce oues meas 2. ex Concilio Constantien. in Constit. Martini V.

Ex-

Extrau. Vnigenitus de Pœnit. & Remiss. Extrau. Vnam Sanctam de Maior. & obed. Prob. consequ. Papa Successor Petri habet totam potestatem, quam habuit S. Petrus, & est Vicarius filij Dei, sicut S. Petrus, ex Leone IX. epist. 1. cap. 13. Ex Concilio Constantien. contra art. 12. Ioan. Huss. & contra 37. Wicleff. Ex Concil. Florent. Sess. vlt. in lit. vnion. Gracorum cap. Fundamenta de elect. in 6.

206. Confit. ex dictis io disp. 5. art. 5. neque ista reuocantur in dubium, sed sequens difficultas: Ideo.

207. Dico 3. Est pariter obiectum fidei, quod hic numero Pontifex v. g. Clemens X. canonicè electns, sit verus Papa, Caput Ecclesiæ, & Christus Vicarius.

208. Prob. 1. ex formula professionis fidei, quam tenentur emittere omnes laureati, & prouisi de dignitatibus Ecclesiasticis, præscripta in Coust. 89. Iniunctum Pij 4. vbi circa finem sic habetur: Romano Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, & iuro. Ergo.

209. Prob. 2. ex instructione Martini V. in const. concilij Constantien. quæ habetur in fine Concilij, vbi ad detegendum sequaces Ioan. Hus, & Ioan. Wicleff. Hæresiarcharum, præcipit, vt multæ fiant interrogationes, ad effectum detestandi eorum hæreses, & confitendi veram Fidem; inter quas hæc est vna: Interrogetur, vtrum credat, quod Papa cenooicè electus, qui pro tempore fuerit, eius proprio nomine expresso, sit Successor Beati Petri, habeus supremam authoritatem in Ecclesia Dei. Ergo, si fideles illi tenebantur id credere, alioquio, vt Hussitæ Hæretici puniebantur, dicendum est, esse obiectum fidei, quod Papa canonicè electus existens, sit verus Papa, & Successor S. Petri, & actus id credendi, est actus fidei, actus vero dissentiendi, hæresis.

210. Prob. 3. Quod Ecclesia extans sit vera, est obiectum fidei; Ergo, & quod Caput extans in ea, Anteced. in præced. patuit, quia quotidie in Symbolo profitetur credere [Vnam Sanctom Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam;] At credimus Ecclesiam non præteritam, aut futuram præcisiuè, sed extantem. Consequ. prob. ex nuper dictis: Est obiectum fidei, quod Ecclesia vera, & visibilis constet ex Capite vero visibili; ac propterea, qui credit Ecclesiam, credit etiam eius Caput. Sicut, qui credit Christum habere corpus, credit etiam eum habere omnia membra veri corporis, saltim principalia.

211. Prob. 4. si quid obstat, quin sit obiectum fidei, omnium primum est, quia non est quid reuelatum: at hoc non obstat. Ergo. Min. prob. Licèt explicitè Deus eum non reuelauerit; tamen implicitè reuelauit, dum reuelanit, Ecclesiam Petro commissam, stabilem futuram, & hoc Nouum Testamentum esse vltimum, & æternum. Igitur, si Ecclesia ex tunc successiuè constans ex nouis, & noois fidelibus, durans cum vnitate fidei, & Sacramentorum, est obiectum fidei, eo quia reuelatum in eo dicto: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & hic est calix Noui, & æterni Testamenti;] remanet etiam reuelatum principale membrum, scilicèt Caput illius; Christus enim prædixit Corpus mysticum integrum, & perfectum, saltem ex præcipuo, immo essentiali membro. Hæc autem implicita reuelatio, sufficit, vt reuelatum sic, sit obiectum fidei, sicut sufficit pro Ecclesia; alioquin nunc non esset articulus fidei Ecclesia extans, & vanè diceremus, Credo Sanctam Ecclesiam. Hæc enim nunc extans non fuit explicitè, sed tantùm implicitè reuelata.

212. Prob: 5. Si aliud obstat, est quia notitia electi Pootificis habetur naturaliter, Cardinales enim electores sciunt, se elegisse iuxta formam canooum; sed neque id obstat. Ergo. Min. prob. Dum Cardinales eligunt Pontificem, designant persouam, cui Christus ex vi sui promissi confert potestatem, ex can. Electionem dist. 79. estque Anacleti epist. 2. dicentis: Deus sibi reseruauit electionem Romaootum Pontificum, licèt electoribus potestatem contulerit eligendi. Et sic io electo ab ipsis adsunt duo, & electio passiua per Cardinales, quam isti naturaliter sciuot; alia est electio passiua à Deo facta cum collotione Pontificiæ potestatis; Ex Eusebio epist. 1. Adriano 1. epist. 2. Nicol. 1. epist. 8. Felice 2. epist. 1. c. 20. & Extrau. Io: 20. Quia quorundam de Verb. sig. Hoc autem, & ipsi Cardinales, & tota Ecclesia credit, & id non videc iu Papa electo: nihil ergo impedit, quin iste numero naturaliter, & canonicè electus sit obiectum fidei, quòd sit verus Papa cum potestate S. Petri.

213. Confir. Omnia prophetaliter prædicta futura, sunt eiusmodi, vt cum existout, videantur secundum esse seosibile, seu intelligibile, quod præseferunt, & tamen credantur esse illa, quæ prædicta sunt, vt multis ostendimus in præcedentibus de canonizatione, & de Ecclesia. V. g. Matt. 10. prædicit Christus: [Tradent vos in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos. Tunc autem nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; oon enim vos estis; qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] Certum est, quòd Apostoli, & alij Discipuli hæc audieutes à Christo, tunc ea crediderunt: neque tunc solùm, sed quando hæc sibi acciderunt; etsi enim experimento purè naturali cognoscebant, se traditos coram Regibus, & loqui ea, quæ nusquam cogitauerant; tamen hæc quoque credebant, esse illa, quæ Christus prædixerat.

214. Confir. De fide est, omnem animam à Deo creari in corpore perfectè organizato. Scimus naturaliter omnes homines natos habere corpus perfectè organizatum, & animam; & tamen est obiectum fidei, quòd hæc anima est creata. Item obiectum fidei est, quòd facta consecratione panis, & vini, est sub illis speciebus Corpus, & Sanguis Christi. Omnis consecrans, naturaliter scit, se consecrasse; & tamen est ipsimet obiectum fidei existeotia Corporis, & Sanguinis Christi sub ijs speciebus. De fide est, quòd puer baptizatus mundetur ab originali, & iustificetur per receptionem gratiæ, & donorum. Sacerdos, vel alius naturaliter cer-

certus de aqua naturali, & de sua intentione baptizandi, puerum baptizat; & tamen est ei obiectum fidei, quòd ille sit iustificatus. Alia his similia possunt in exemplum adduci. Horum autem omnium ratio est; quia, vt aliqua propositio sit obiectum fidei, non est necesse, vt tam prædicatum, quàm subiectum sint reuelata, sed potest subiectum naturaliter cognosci, & prædicatum esse reuelatum. Sit pro exemplo, Christus ab Apostolis, & alijs, quibuscum est conuersatus, creditus fuit pro Messia, pro Filio Dei. Certè subiectum, nempè homo ille, qui cum ijs conuersabatur oculis carneis videbatur, & tamen, quòd esset Christus, & Messias, credebatur; vnde adeò exaltata Petri confessio, dum Matt. 16. interrogat, [Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.] Non fuit reuelata Petro existentia, & apparentia illius, qui sibi loquebatur; sed prædicatum eius, scilicet subsistentia, & filiatio Diuina, & quòd esset Messias. Ita de Thoma vidente plagas; eas enim naturaliter vidit, sicut & Christum plagatum; at quòd esset filius Dei, credidit, non vidit. Ità de mundo, cœlo, terra, aquis &c. dicendum; hæc subiecta oculis cernimus; credimus autem, quòd sint ea, quæ Deus creauit.

215. Ex quibus omnibus infero, quòd licèt Cardinalibus sit naturaliter, & euidenter notum, quòd hic Papa Clemens X. sit ab eis canonicè electus; nobis autem fide humana; quia credimus eis, qui dicunt, se canonicè elegisse, & sic iste electus nobis, & illis sit naturaliter notus; vtrique tamen, nos scilicet, & illi credimus, eum esse verum Papam Petri Successorem, & Christi Vicarium; hæc enim prædicata, nec à nobis, nec à Cardinalibus videntur, sed sunt obscura à Christo implicitè, & in vniuersali de hoc reuelata. Ergo nihil deficit, quin sit obiectum Fidei, quòd hic numero Papa canonicè electus, sit verus Papa, & Christi Vicarius.

Dices. Est etiam naturaliter notum, quòd sit verus Papa, naturaliter enim cognoscunt Electores, quæ ex Iure Canonico sint requisita ad electionem veri Papæ, & naturaliter cognoscunt, ea omnia fuisse ab eis adhibita. Ergo.

216. Resp. dist. Mai. Naturaliter cognoscunt, quòd sit verus, veritate Iuris Canonici; concedo. Veritate Iuris diuini; nego. Id enim creditur. Duo ergo consideranda sunt pro hoc negotio de vero Papa. Primum, de veritate resultante ex Iure Canonico; quia nempè electus est conformiter ad dispositionem Iuris Canonici; in hoc enim consistit veritas iuridica. Secundum, de veritate Iuris diuini, nempè, quòd sit ille, cui Deus conferat potestatem, ac iurisdictionem; & hæc veritas Papæ, nec à Cardinalibus eligentibus, nec à fidelibus electionem scientibus, nec ipsi electo est naturaliter nota, sed credita. Immò de ipsomet Petro à Christo instituto dici debet, quòd naturali cognitione audiuit Christum promittentem ei Papatum: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et postea sibi conferentem: [Quodcunque solueris super terram &c. Et, Pasce oues meas;] sensibus enim, naturali modo operantibus hæc verba percepit: & tamen in vtroque casu credidit sibi conferendam, & collatam; immò toto vitæ suæ tempore credidit, se eam habere. Quid ergo mirum, si eligentes naturaliter cognoscant, se eligere; & tamen credant, quòd ille à se electus, sit illemet, quem Deus elegit, datque illi Papalem potestatem, iuxtà Christi promissum. Non ergo electio ab eis facta, est obiectum Fidei Diuinæ, sed electio facta à Christo cum collatione potestatis Pontificiæ. Id enim fuit implicitè, & in vniuersali reuelatum.

217. Prob. 6. Nisi esset obiectum fidei, quòd hic nunc existens, sit verus Papa, Petri cum eius authoritate Successor; non esset obiectum fidei, quòd Pastor, & Caput vniuersalis Ecclesiæ sit verus Papa. Sed hoc est hæreticum ex conc. Constantiensi. Ergo. Mai. prob. Nunquam homo vagus fuit, aut erit, aut potest esse Caput Ecclesiæ; sed homo certus, existens existente Ecclesia, ergo si de existente non est de fide, esse verum Papam; nunquam fuit, aut erit de Fide, quòd aliquis Papa, seu Pastor vniuersalis Ecclesiæ sit verus Papa. Si autem semel dicatur, quòd aliquis sit verus, & hoc sit obiectum fidei; de omni canonicè electo, dici debet esse obiectum fidei, quòd sit verus.

218. Confir. Est de fide, quòd Concilia vera, ac legitima definientia fidei dogmata, esse nequeunt sine vero Papa. Certum est autem, tot vera, & legitima concilia, facta esse, quæ fidei dogmata definierunt. Et Greg. I. docuit quatuor prima concilia, Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense, habenda esse, vt quatuor Euangelia. Igitur sicut ipsa sunt obiecta fidei, sic & eorum caput pro tempore existens.

219. Confir. 2. Si non esset obiectum fidei, neque decisa ab eo pro tempore existente essent obiecta fidei, regulatum enim nequit esse maioris certitudinis, ac firmitatis, quàm sit regula. Ergo.

220. Prob. tandem arg. mihi euidente. Est hæresis Lutheri, quòd Papa non sit Vicarius Christi, & Successor S. Petri; quam prius docuerant Ioannes Huss, & Ioannes Wicleff. Ergo oppositum est obiectum fidei. Euidens est consequentia; hæresis enim est assensus contra fidem in parte; Apostasia vero in toto. Hi autem Hæresiarchæ, optimè callebant, electionem Pontificum canonicè fieri, & electos recipi, venerari, & teneri tales ab Ecclesia. Ergo, quod hic canonicè electus sit verus Successor Sancti Petri, est obiectum fidei: alioquin dictum Wicleff, & Lutheri non esset hæresis.

Ob. 1. Nusquam reperitur reuelatum, quòd Papa existens, puta Clemens X. sit verus Papa, & Petri cum sua authoritate Successor. Ergo. Anteced. prob. Nequit assignari locus Scripturæ, neque traditio; alioquin per plura sæcula præcedentia scirentur futuri Pontifices: neque implicita reuelatio suffragatur. Nusquam enim inuenitur vniuersalis aliqua prædictio, qua dicatur, [Sic ele-

electi, erunt Petri cum eius authoritate Successores.] Nec alia prædictio reperitur, in qua virtualiter, & implicitè contineatur hæc; [Clemens X. est verus Petri Successor,] vel assignetur. Conseq. prima, & principalis probatur: Nihil potest esse obiectum fidei, quod non sit explicitè, vel saltim implicitè reuelatum.

221. Resp. vt suprà, nego Antec. Ad probat. dico esse revelatum in illis: [Super hanc petram ædificabo. Et in illa, Pasce oues meas. Quodcunque ligaueris super terram &c.] Hæc enim verba, nedum ad Petrum, sed ad Successores eius dicta fuisse, defendit Ecclesia de Fide; quia nedum tempore Petri, sed vsque ad diem iudicij Ecclesia permanere debuerat; ideoque cum capite, & potestate, sicut tempore Petri. Quòd vero de Successoribus etiam dicta sint, pluribus in disp. 5. art. 4. & 5. Et tandem Concil. Florent. Sess. vlt. in liter. vnion. Græcorum, de Fide definiuit, Romanos Pontifices succedere D. Petro in Cathedra, primatu, & potestate. Cùm ergo existit aliquis canonicè electus, succedit in potestate S. Petri, estque verus Papa, & est de prædictis in ea propositione [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Dices. Etsi concedatur, quòd sit reuelatum implicitè, omnes Successores Petri fore veros Papas; non tamen est reuelatum, quinam sint eius Successores, num ij, qui eliguntur à Clero Romano, vel à Solis Cardinalibus; nihil enim tale habet Scriptura. Si verò spectetur traditio, res erit difficilior; Primò, quia S. Petrus Successorem suum fecit Clementem I. qui tamen non fuit, & sic altera videtur forma succedendi Petro. 2. Quia ab initio Successor Petri dicebatur, qui à toto Clero eligebatur, & sic per plura sæcula factum est; postea videtur variata forma eligendi; quia ad solos Cardinales restricta est potestas eligendi. Ergo, cùm successio materialis, ac sensibilis non sit certa; deduci non potest ex illa vniuersali implicitè continente Successores, quòd hic, hac forma electus, sit verus Petri Successor, & hoc sit de Fide.

222. Resp. per traditionem haberi, quinam intelligantur Petri Successores. Illi nempè, qui in eius cathedra sedent, & ità semper intellexit Ecclesia, ipsaque Concilia, incipiendo à Niceno I. & prosequendo per omnia, vsque ad Tridentinum; vt clarè diximus in disp. 5. art. 5. præsertim. Quo verò ad institutionem, seù electionem eius, qui sedere debeat in ea Cathedra; fateor esse variatum in modo eligendi, & numero eligentium; id autem ex traditione pariter habitum esse oportuit. Quò ad deputationem Clementis factam à S. Petro, non est huius loci eam discutere; at dici potest, quòd Petrus designauit tantùm, qui posset eligi; ipse tamen Clemens non acceptauit pro tunc, ideò non fuit electus ipse, sed Linus, deinde Cletus, postea Clemens; per electionem ergo semper successum est in Petri Cathedra. Eligentes autem initio Ecclesiæ erant Presbyteri, & Diaconi, & alij Romanæ Ecclesiæ, id est Vrbis Romæ Clerici; pauci enim tunc erant. Libet autem eruditionis gratia Cypriani historiam Ep. 52. ad Antonianum referre de electione Cornelij Romani Pontificis post Fabianum. [Factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc Romæ aderant. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, ac virorum bonorum collegio. Sexdecim autem tunc erant Episcopi exteri in Vrbe, qui ad electionem Cornelij concurrerunt. Optimè tamen notat Baronius, in anno 254. quòd plebis suffragium erat solùm testimonium, quod de vita, & moribus plebs ferebat, iuxtà Pauli decretum 1. ad Tim. 3. 7. Episcopi verò exteri honoris gratia ad electionem inuitabantur, si aderant in Curia, ius tamen eligendi erat penès Clerum. At quoniam crescente Christianitate in Vrbe, in immensum creuit Clerus, ad euitandos tumultus ius eligendi ad pauciores prudenter redactum est; ij autem fuerunt Cardinales, Presbyteri, & Diaconi, id est principales Ecclesiastici, nempè Parochi, qui erant Presbyteri Cardinales; & Diaconi Ecclesiæ Romanæ; & hoc ad vitandum tumultum, & confusionem. Quando autem cœperit hæc restrictio, parùm refert: cùm non fuerit diuinum præceptum, vt tot, vel tales concurrant ad electionem Papæ, sed fuerit remissum Ecclesiæ arbitrio. Ac quidquid sit de hoc; materialis hæc eligendi variatio, nostræ thesi non officit, nam etiamsi totus Clerus Romanus, immò totius mundi ad hanc electionem concurreret, eodem modo vrgeret argumentum; omnes enim eligentes, naturaliter, & euidenter scirent, se Papam elegisse; & nos eodem modo responderemus, idest scire quidem, quod ipsi fecerunt; credere verò, quòd fecerit Deus, nempè tradendo ei electo potestatem Sancti Petri; & hoc sufficit, vt sit obiectum Fidei.

Ob. 2. Notitia hæc, & assensus, quòd hic numero Papa sit verus, & successor sancti Petri, habetur ex discursu theologico, constante ex vna de fide, & altera naturali. At quilibet talis assensus est purè theologicus; alioquin omnis conclusio theologica esset de fide, si circa obiectum fidei. Ergo.

223. Resp. dist. mai. Ex discursu necessariò inferente, concedo, ex discursu contingenter, seù probabiliter inferente, nego. Ad prob. dico, per idem, quoties discursus theologicus necessariò infert, conclusio, quò ad me est de fide. Hoc enim modo Patres in Concilijs dogmata ex traditionibus, vel scripturis concluserunt, & hoc modo pariter nunc fit, dum aliquid de fide proponendum est, Theologi enim discutiunt; An euidenter, & necessariò propositio aliqua ex Scripturis per Patres declaratis; vel ex traditionibus inferatur, constito autem, quod sic; Concilium, seù solus Papa decernit proponendam, vt fidei obiectum.

Dices 1. Si sic. Ergò Theologus perspicuè cognoscens conclusionem deduci necessariò ex principio fidei, tenetur eam credere de fide, & ità nulla daretur conclusio merè theologica. Contrarium autem est communis sententia.

224. Resp. Si ad hoc perueniret Theologus,

gus, vt vndeqnaqut esset certus, se non decipi in deductione illa necessaria, ego teneo, quòd tenetur eam de fide tenere. At quia pauci sunt eiusmodi, & fortè nullus; ideò; eam dicunt theologicam, quia nullo testimonio infallibili confirmata, sicut fit in Concilijs, vel, cùm solus Papa definiuit.

Dices 2. Ad eam conclusionem concurrit naturalis cognitio, & vis illatiua pariter; naturalis. Igitur nequit esse assensus fidei, & eius obiectum non est obiectum fidei.

225. Resp. dist. antecedens. Concurrit cognitio, vt apprehensiua terminorum, concedo, vt motiuum assentiendi, nego. Item de vi illatiua, concurrit, vt formale motiuum assentiendi, nego; concurrit ad formandum subiectum, de quo affirmari debet prædicatum reuelatum, & credendum, concedo. Declaratur. Cognitio naturalis subiecti, seù prædicati, non impedit, quin propositio sit de fide, qui enim audit hæc, cœlum est creatum, & sic de alijs; naturaliter ista cognoscit, & tamen, quòd cœlum sit creatum, fide credit, omnes autem propositiones de fide sunt huiusmodi; necesse est enim terminos, vel à Magistro audire, vel in libro legere. & tamen assensus circa connexionem eorum est fidei assensus: Illud autem de vi illatiua est difficilius; quia illatio illa videtur habere influxum ad assensum conclusionis. Et tamen dico, neque eam obstare; quia dum supposita maiori de fide, [Omnis patiens pro Christo est Martyr, & Dei amicus;] cùm apponitur minor naturaliter nota, [Laurentius passus est pro Christo,] hæc ad aliud non inseruit, quàm ad manifestandum subiectum, de quo debet affirmari prædicatum reuelatum, scilicet esse Martyrem, & amicum Christi; quod continetur, non in minori, sed in maiori. Non ergo ex vi minoris, credo, quòd Laurentius sit Martyr, & amicus Christi. sed vi maioris creditæ; inseruit autem minor ad manifestandum, seù apprehendendum subiectum, cui applicari debet prædicatum creditum.

Dices 3. Negans conclusionem theologicam euidenter à se, vel ab alio deductam non est hæreticus; sed erroneus. Ergo conclusio illa non est de fide.

226. Resp. In mea sententia dist. antec. In foro externo, concedo, quia non est proposita ab Ecclesia, tanquam de fide. In foro interno, distinguo; vel cognoscit euidenter, & necessariò eam deduci, vel non: si primum; iam dubitat de causa præcisa, si dubitat de eius effectu; si secundum, non sumus in casu. In primo ergo casu in foro Dei non liberarem sic discurrentem ab hæresi; quia negans conclusionem necessariam, virtualiter negat principium, in quo est implicitè ea conclusio. Ità ego sentio, si malè, me remitto doctioribus.

Ob. 3. Conclusiones theologicæ in Concilijs firmatæ à Theologis ante definitionem Conciliorum, vel Papæ, non sunt obiecta fidei, nisi à Concilijs definitæ, & à Papa confirmetur Concilium, & fidelibus proponatur. At conclusio hæc, quòd hæc Persona sit verus Papa, deducta per maiorem de fide, & minorem naturaliter notam non est neque à Concilio definita, neque à Papa confirmata, neque proposita fidelibus credenda. Ergo nequit esse obiectum fidei.

227. Resp. distin. min. Non est à Concilio vero, ac proprio, & per veram, ac propriam expressam definitionem firmata, concedo: à Concilio similitudinario, & per factum ipsum definita, nego. Declaratur. Certum est, quòd Conclaue Cardinalium, non est verè, & propriè Concilium à Papa indictum pro tota Ecclesia ad definiendum, res fidei; neque intersunt Episcopi totius mundi, aut vocati sunt, vt exigit Concilium: tamen negari non potest, quòd Cardinales congregati faciunt aliquod Concilium auctoritate constitutionum Papalium, sicut, cùm congregantur ad eligendum verum Papam in causa schismatis vtroque electo renunciante, & tunc à Papa non indicitur. Quò verò ad definitionem, quòd sit per factum, nempè electionem canonicam expressa, iam patet; hoc autem facto proponunt toti Ecclesiæ, quòd sit verus Papa, cùm ipsi omnium primi eum, vt talem venereutur, ac adorent, tanquam successorem Petri, & Vicarium Christi, & ipse Papa exercens in facto munia Papæ, se ipsum, vt Christi Vicarium toti Ecclesiæ facto proponit.

Dices, Propositio illa non est infallibilis. Ergò fideles non tenentur credere, eum esse verum Papam. Antecedens probatur. Infallibilitas non est concessa Cardinalibus, sed Papæ.

228. Resp. dist. Sola propositio Cardinalium non est infallibilis, transeat, & posset negari, quia ijs assistit tunc Deus. Ipsa cum acceptatione Pontificis se gerentis, vt Papa, nego. Ipsa enim Pontificis electi acceptatio, inthronizatio, & operatio, vt Papa, est propositio sufficiens, vt fideles credant, esse verum Papam à Deo electum.

Dices 2. Electio duorum in Schismate, continet verum Papam, & tamen Ecclesia non tenet, nec adorat aliquem eorum, vt verum, licèt Cardinales diuisi in factiones hinc inde, dicant, vtrumque esse verum Papam; imò, & vterque electus acceptet, & gerat se pro vero Papa. Ergò, neque propositio Cardinalium, neque ipsa electi acceptatio, & operatio, vt veri Papæ sufficit, vt sit obiectum fidei, quòd sit verus Papa.

229. Resp. dist. antecedens. Si adsit electio, continet verum secundum se, & in rei veritate concedo; in existimatione communi Ecclesiæ, nego. Et ideò in casu, fideles nescientes, quisnam sit canonicè electus; non tenentur fide Diuina, imò neque humana credere, alterum eorum esse verum Papam. Quia non adest sufficiens propositio, & donec certificetur Ecclesia de canonica electione, non tenetur credere fide Diuina, quòd alteruter sit verus. Nostra autem conclusio intelligitur de certè electo, & se gerente pro vero Papa; vtrumque enim est necessarium, vt fide Diuina credatur, eum esse verum Papam. Interim verò nulla est obligatio id credendi.

Ob. 4. Qui negaret, Pontificem electum esse verum Papam, non esset hæreticus, sed tantum Schismaticus, diuidens vnitatem charitatis. Ergo. Antecedens prob. In nullo schismate recedentes ab obedientia alterius

ele-

electi fuerunt puniti, vel habiti, vt hæretici, vt ex Chronicis videre est.

230. Resp. dist. antec. Qui negaret, esse verum, id est verè, & canonicè electum, concedo, non esse hæreticum, qui negaret, quòd verè, & canonicè electus, non sit verus Papa; nego. Ideò nota, quòd schisma ortum est ex hoc, quòd eligentes diuisi in factiones, duos fortasse elegerunt, vel vnum tantum, & alterutra, vel vna pars opposuit, quòd non esset canonicè electus; in quibus casibus, nihil negatur coutra fidem; imò pars negans, esse verum successorem Petri, & Vicarium Christi ex eo, quòd non sit canonicè electus, neque aliquid contra fidem diceret; dummodo sic esset in facto, quòd scilicet non esset canonicè electus, At qui scit, ac tenet, electionem esse canonicam, & negat, talem electum esse verum Christi Vicarium, is proculdubiò, quo ad me esset hæreticus; quia Concil. Florent. iam definiuit, Rom. Pontificem canonicè electum succedere iu tota potestate sancti Petri, quod est maximè notandum.

Ob. 5. Veritas Vicariatus Christi in Papa electo, pendet à multis contingentibus. Ergò nequit esse obiectum fidei; boc enim habet causam infallibilem. Antec. prob. Accidere potest, vt electus sit fęmina, oon sit baptizatus, sit hæreticus &c. ista reddunt eum incapacem electionis, & sic veritatis Vicariatus Christi. Cùm ergò subiectum possit non subsistere, seù esse incapax; prædicati connexio cum eo, potest esse falsa, & sic non obiectum fidei.

231. Resp. oeg. antec. Hoc enim pertinet ad Dei prouidentiam, vt eligentes non decipiantur circa capacitatem institutionis Diuinæ; quidquid sit de alia idoneitate morum, doctrinæ, ac prudentiæ. Alioquin falsa euaderent veritatis oracula; [Portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclsiam &c. Et Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.] Necnon Pauli effatum: [Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.] Et ideò per 16. sæcula nunquam tale monstrum accidit, nec potest accidere.

Ob. 6. Etsi catholica Ecclesia, Romano Pontifici obsequium obedientiæ semper præstiterit, & nedum fidei dogmata; sed & munera præcepta ab eo reuerenter acceperit; tamen sola humana fide, nou autem Diuina credidit, eum esse verum Petri successorem, & Christi Vicarium. Ergò antecedens prob. Non enim habemus, nec Episcoporum, nec Doctorum testimonia id asserentium. Consequens prob. Non fuerat omittenda hæc traditio, & doctrina. Eò, vel maximè, quia licèt definitum sit, esse de necessitate salutis subesse Papæ, vt in Extrau. vnam sanctam, de maiorit. & obed. Nunquam tamen definitum est, esse de necessitate salutis credere, quòd hic numero Romanus Pontifex, sit verus successor S. Petri, & Vicarius Christi.

232. Resp. neg. consequ. Quia hæc conclusio non erat de fide, sed disputabatur inter Theologos, tamen post Concilium Constanciense, non video quomodo, non sit de fide. Cùm negare, Papam esse successorem S. Petri, sit hæresis wicleffi, & Lutheri, vt supra dixi. Patres autem, ac Doctores facto crediderunt: neque fuit opus scribere omnia, quæ credebant, vel dicas; quòd non est datum præceptum positiuum credendi hoc. Negatiuum tamen ex rei natura insurgit, de non dissentiendo, vt dicam de proponente fidei.

ARTICVLVS VI.

An propositiones doctrinales includentes aliquid Facti, possint esse obiecta Fidei?

233. ADu. dubium hoc exagitari in gratiam nuperæ disputationis inter catholicos; circa quinque propositiones Iansenij damnatas ab Innocentio X. Deindè iterum damnatas ab Alexandro VII. cum hoc addito in sensu Iansenij. Sensus ergo articuli est hic, interdum ab Ecclesia damnatę fuerunt, & nunc damnautur propositiones contra fidem, sine auctoris nomine, verbi gratia [Christus est purus homo; Verbum in Christo gerebat vicem animæ. Anima est mortalis &c.] Aliquando cum nomine auctoris, verbi gratia Sabellij doctrina, quòd Pater sit passus, vel eiusdem, quòd vna persona sit in Deo. Sententia Cherinti, quòd ante Mariam Christus nullo modo erat, & sic de alijs. Aliquando, eò quòd doctrina in aliquo sensu est catholica, in alio hæretica; damnari solet in vno sensu, verbi gratia, quòd [Filius sit minor Patre, in sensu Arij. Quòd gratia sit tantùm necessaria, in sensu Pelagij. Quòd Verbum sit vnitum humanitati, in sensu Nestorij. Quòd vtraque natura remaneat in Christo, in sensu Eutychetis &c.] Propositiones primi ordinis sunt puri iuris non includentes factum hominis, non reuelatum. Propositiones vero secundi generis includunt Ius, & Factum; Ius, id est doceri, nam, [Pater est passus, vna Persona est in Deo &c.] Factum verò, quòd [Auctores illi fuerint in mundo, & quòd ea dixerint.] Similiter propositiones tertij ordinis includunt ius, idest doctrinam (id enim hìc intelligimus nomine iuris) nempè Filius est minor Patre &c. Et præterea factum, quòd nempè [Arius non intellexerit de minoritate ratione humanitatis,] sicut intellexit Christus [Pater maior me est. Sed ratione diuinitatis] Patet autem hoc esse factum hominis, scilicet prauam intelligentiam Arij manifestatam, vel scripto, vel dicto, vel vtroque. Et ità de alijs. Hoc autem stante, quęstio est; An quando Ecclesia, vel Papa damnàt aliquam doctrinam, cum nomine Auctoris, vel in sensu illius Auctoris, totum illud complexum sit obiectum Fdei, quòd nempè sit damnatione dignum, & hæreticum? An vna tantùm pars, ità vt illud complexum sit diuidendum in duas propositiones categoricas, vuam, quæ sit iuris; [Hæc doctrina est hæretica] aliam, quæ sit facti [Arius, vel Pelagius &c. eam docuit, seù habuit eum sensum] & sic prima tantùm sit fidei Diuinæ obiectum; secunda verò, vel euidens, vel humana fide credita.

234. Adu. 2. Et recolo nuper dicta in præced. quòd non officit propositioni, vt sit de fide, si subiectum sit naturaliter, imò notoriè

torie

toriè notum, aut etiam euidens, sed sufficit, si prædicatum sit obscurum, & à Deo immediatè, vel mediatè reuelatum; exempla plura adduximus de baptizante, & consecrante, de cœlo, terra, & alijs elementis, quæ euidentia sunt, & tamen de fide est, esse creata, eò quia esse creatum, in eis est quid reuelatum. Idem de omni re existente dicendum; quælibet enim est certa, & euidens omni intuenti, & tamen de omni in genere, & de qualibet in specie, & indiuiduo credimus fide Diuina, esse creatum, & à Deo dependere in esse, fieri, & conseruari.

235. Adu. 3. Quòd dum damnatur doctrina alicuius Auctoris nominati; aut in sensu illius; vel Auctor ille est viuus, vel mortuus; item vel notorium est, eum dixisse talem doctrinam, & in tali sensu, vel non, & in quolibet casu, atque statu hæc quæstio est discutienda. Ideò

236. Dico 1. Dum Ecclesia in Concilio, vel Romanus Pontifex, extrà Concilium, damnat aliquam doctrinam cum expressione Auctoris ver. gr. doctrinam Sabellij in Vnitate Personarum in Deo; Cherinti, aut Enomij de non existentia Christi ante Mariam, vel Arij de inæqualitate Filij cum Patre, & cætera eiusmodi; licèt totum complexum includat aliquid facti, damnatio illa est obiectum fidei, ideò absolutè, & sine distinctione facti à iure est recipienda, vt fidei obiectum.

237. Prob. 1. ex 1. Timot. 1. 20. Apostolus damnat doctrinam personarum viuentium, [Timothee &c. habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ,] & tamen totum illud complexum sine distinctione facti à iure fuit obiectum fidei Timotheo, & toti Ecclesiæ, tunc, & nunc. Ergò.

238. Confir. ex Apocal. 2. 6. [Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.] Nicolaitarum, quæ & ego odi.] Nicolaitæ autem pessimam illam doctrinam de communitate vxorum tenentes, tunc viuebant, & id erat quid facti; doctrina autem, iuris, & tamen non poterat Angelus, id est, Episcopus Ephesi, sicut neque nos distinguere inter factum euidens, quòd, scilicet Nicolaitæ eam doctrinam tenebant, & inter ius, vt hoc tantùm debuerit credere Spiritui reuelanti, & non illud. Et sic dicito de omni reuelatione facta in textu canonico includente factum euidens, & rem reuelatam; vtrumque enim respectu eius, cui reuelabatur formabat obiectum fidei, dico respectu eius, cui reuelabatur; nam respectu nostri, vtrumque est reuelatum, facta enim, quæ in scriptura legimus, sunt reuelata.

239 Prob. 2. si aliquid obstat, quin tale complexum indistinctè dici debeat obiectum fidei; hoc potissimè est; quia factum, est verum naturaliter euidens, sed hoc non obstat. Ergo. Min. prob. Primò; quia non definitur connexio doctrinæ damnatæ cum subiecto, sed damnatio doctrinæ tantùm; ideòque parum refert, quòd subiectum sit euidens, vel probabile, quia tale subiectum se habet, vt connotatum; sicut enim cœlum, terra, & cætera elementa naturaliter cognoscuntur; & tamen est fidei obiectum, quòd sint creata. Item facta purè humana ingredi possunt, vt subiecta in obiecto fidei, v. g. Quis consecrauit Eucharistiam; est factum purè humanum, & tamen est obiectum fidei, quòd [in Eucharistia à Sacerdote consecrata sit Corpus Christi.] Neque aliter potest hoc mysterium credi. Est factum humanum baptizatio pueri; & tamen est obiectum fidei, [quòd puer baptizatus cum hac specificatione sit mundatus ab originali peccato, & sit in gratia.] Est factum humanum, quòd quis ordinetur ab Episcopo, & quòd velit ordinari, & tamen est obiectum fidei, [quòd ordinatus recipiat characterem; & si non ponat obicem, etiam gratiam.] Et ità de alijs fidei obiectis includentibus factum humanum; non enim fideles, cùm hæc audiunt, distingunt inter factum, & Ius; sed indistinctè, & absolutè credunt, (& maximè qui Sacramenta consecerunt,) quòd puer à se baptizatus, sit mundus ab originali; & quòd in Eucharistia à se consecrata sit Corpus Christi, &c.

240 Eadem Minor probatur secundò. Etsi clarè, & explicitè non sint reuelata hæreticorum nomina, & quòd has, vel illas hæreses sint edocturi: tamen vniuersaliter, & confusè, seu implicitè sunt reuelati, &, vt dicetur postea, potest etiam esse fidei obiectum, quòd Sabellius, Arius, &c. sint hæretici. Ergo multò magis possunt coniungi cum obiecto fidei, & sine vlla distinctione iuris à facto, credi obiectum fidei, quando proponitur coniunctum cum auctore hæresum. Antec. prob. Marci 13. 22. [Exurgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa, & portenta. Ex 2. Petri 2. 1. Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur; & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. & cætera multa. Ex 2. Timot. 4. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur. 1. Cor. 11. Oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Quod cum sententia Saluatoris congruit Matth. 18. 7. Necesse est, vt veniant scandala, verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.] Itàque omnes hæresiarchæ, & iniqui magistri, sunt iam confusè, & implicitè reuelati. Cùm ergo aliquis contrà sanam, & ab Ecclesia receptam, atque traditam doctrinam, aliquid docet; conuincitur esse vnus de ijs, qui prædicti iam fuerant futuri. Nihil ergo impedit, quin eiusmodi coniungantur cum obiecto fidei, quod proponitur credendum, totumque complexum absque vlla distinctione, sit obiectum fidei, maximè quando factum illud, puta existentia personæ, vel quòd illam doctrinam docuerit (vt proponi posse dicam postea) non proponitur credendum; sed proponitur tantùm, vt subiectum materiale obiecti fidei, vt, Doctrina Arij de inæqualitate Filij Dei, est hæretica.] In hac propositione præcisè non proponitur credendum, quòd Arius sit hæreticus,

ticus; licèt in alijs id etiam propositum fuerit, vt postea in sequenti. Sed proponitur credendum, quòd hæretica sit eius doctrina, & contraria sit vera.

241 Prob. 3. Mos Ecclesiæ perpetuus fuit, damnandi hæreses cum Auctorum nominibus, & fideles omnes receperunt indistinctè damnationes hæresum, cum suis Auctoribus non distinguentes partem illam subiecti, quæ tangit factum, quòd, scilicet Auctores illi fuerint, vel dixerint eas hæreses, ab alia parte, quòd nempè illæ doctrinæ sint hæreses. Ergo sic faciendum semper est, nec à generali Ecclesiæ praxi recedendum. Anteced. prob. In Concilio Nicæno 1. in formula fidei hæc habentur; [Credimus in vnum Deum &c. Et post: Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, & quia ex nullis substantijs (id est de nihilo) aut ex alia substantia, vel subsistentia dicunt esse, aut conuertibilem, vel mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesiá.] Illi ergo 318. PP. crediderunt obiectum includens Ius, & factum, nec aliorum vllus hanc damnationem distinxit in propositionem Iuris, & facti; & tamen, qui aliter docebant, nempè Ariani, erant viui, notorij, & præsentes, non tenelati; nisi in genere Pseudoapostolorum, & Magistrorum prurientium auribus,& docentium peruersa, vt supra n. 240.

242 In Concilio Constantinop. 1. cap. 1. habetur: [Statuerunt, qui Constantinopoli conuenerunt Sancti Patres, trecenti decem & octo, qui Niceæ conuenerunt, fidem non abrogari, sed firmam, ac stabilem manere oportere, & omnem hæresim anathematizari, & specialiter Eunomianorum, seu Eudoxianorum, Arianorum, Semiarianorum; siuè Spiritus sancti aduersariorum, & Sabellianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.] Tota hæc damnatio fuit recepta, & habita semper, vt obiectum fidei, nec vllus vnquam eam ausus est distinguere in propositiones iuris, & facti; quamuis existentia horum omnium, & doctrina, seu magisterium, ac sermo eorum, fuerit merum factum humanum.

243 In Concilio Ephesino, ex notis eius sess. 1. in fine, sic definitum fuit: [Dominus noster Iesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetiuit; per Sacram hanc Synodum, eundem Nestorium omni pietatis dogmate priuatum, & ab vniuerso Sacerdotum consortio,& cœtu alienum esse decreuit.] Ex eisdem notis sess. 9. refertur, à Concilio damnatam fuisse hæresim Pelagij, & sequacium: Nestorius autem, Pelagius, & sequaces viui erant, ac notorij, & tamen nullus hominum vnquam ausus est dogmaticam damnationem secare in duas cathegoricas, Iuris, nempè falsæ doctrinæ, & facti, quòd fuerint talium Auctorum.

244 In Concilio Chalcedonensi clarissimum est, hæreses cum Auctorum nominibus damnatas. Act. 4. cap. Consulatu. Legati Papæ: [per Paschalinum dixerunt, Sancta Synodus fidei regulam, quæ apud Nicæam est constituta, sequitur, & tenet; sed etiam, & CL. Patrum, apud Constantinopolim sub Theodosio maiore congregata Synodus ipsam fidem confirmauit; cuius symboli expositionem à Beatæ recordationis viro Cyrillo apud Ephesum expositam, quando Nestorius est pro sui calliditate damnatus, similiter amplectitur. Tertiò verò Beatissimi, & Apostolici viri vniuersalis Ecclesiæ Papæ Leonis, Nestorij, & Eutychetis hæresim damnantis decreta scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt. Similiter verò, & Sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur. Et PP. Idem dixerunt, Omnes sic credimus, sic baptizati sumus; sic baptizamus. Et infrà, Episcopi Ægypti, sic credimus, Anathematizantes omnes hæreses, & Arij, & Eunomij, & Manichæi, & Nestorij, & illos, qui dicunt, è cœlo carnem Domini nostri fuisse &c.] Et quia nolebant Eutychem anathematizare, dicetur infrà, quid cum eis factum sit in act. 5. habetur definitio prolixa, in qua ad rem hæc leguntur facti, & iuris.

Nam volens Concilium damnare hæreses ex Nestorio, & Eutyche exortas, circa medium Decreti, ait: [Ad arguendum quidem Nestorianam dementiam; & ad expugnandam prauitatis Eutychianæ perfidiam, epistolam Beatissimi Leonis Flauiano scriptam, vtpotè maximi Petri confessioni nostræ satis conuenientem, & veluti monimentum cuiusdam statuæ communis extantem, contrà cunctos hæreticos meritò S. Synodus copulauit, vt recto dogmati sua firmitas inconcussa permaneat. Nam, & in duos filios dispensationis tentantibus diuidere Sacramentum, resistit hostiliter; & eas, quia passibilis audent diuinitatis vnigenitum dicere, è collegio Sacerdotali detrudit, & confusionem, siuè commixtionem in duabus Christi naturis excogitantibus, reluctatur, & cœlestem, vel alterius cuiusdam substantiæ esse, quam de nobis assumpsit sibi formam similem delirantes exterminat, nec non, & eos, qui duas quidem ante vnitionem, vnam verò post vnitionem naturas in Christo fabulosè confingunt anathematizare non cessat. Beatissimos igitur sequendo Patres, (id est Cyrillum de quo prius, & Leonem) &c. His igitur à nobis vndique cum omni deliberatione, ac diligentia ordinatis, decreuit sancta, & vniuersalis hæc Synodus aliam fidem nemini licere proferre, siue conscribere, aut exponere &c.] In act. 8. imponitur Theodoreto anathematizare Nestorium, hæc docentem. Theodoretus verò, & ipsum, & Eutychem anathematizauit, & omnes, qui sicut ipsi sapiunt. Ecce, quòd totum Concilium amplectitur definitionem dogmaticam, facto, & iure constantem. Imò Theodoreto dicitur, quòd est hæreticus, nisi dicat anathema Nestorio, ità in act. 8. Ergo, ex praxi, tam solemnis, & numerosi Concilij 630. Patrum non officit dogmati, quòd est cum facto definitum, quin sit subiectum fidei.

245 In Concilio Constantinopolitano 2. & Generali 5. collat. 8. post canones purè doctrinales, ponit sequentes. [Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem cum impijs eorum conscriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt à Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, &c. anathema sit. Deindè: Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui

qui dixit, & adducuntur eius propositiones, anathema sit. Mox: Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contrà, &c. narrat qualitatem scriptorum ab eo, & non anathematizat ea, & eos, qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, &c. anathema sit. Postea: Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marium Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat, &c. narrans totam Ibæ doctrinam diffusè, anathema sit: Et in fine dicitur; Cùm igitur hæc ità rectè confessi sumus, &c. facta autem à vobis condemnatione, &c.] Quam definitionem Patres 175. qui in eo conuentu erant, vnanimiter subscripserunt, nulla facta, neque somniata diuisione iuris à facto, sed totam vt fidei obiectum receperunt, & cæteris fidelibus proposuerunt, & tamen facta multa in eis inclusa cernuntur. Ergo non potest in similibus casibus fieri à Catholicis hæc diuisio ad effectum credendi vnum, & non aliud.

246 In 6. Concilio Constantinop. 3. act. 4. & in Synod. cap. 8. [Patres damnant hæresim Monothelitarum, & auctores Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Cyrum, Paulum Pyrrhum, & Petrum. Et addunt: Et eos, qui viuunt suscepta illorum impietate, vel vt apertius dicatur Apollinarij, & Seueri, & Themistij, exosorum à Deo. Macarium damnauimus ob circa orthodoxam fidem obstinatam peruicaciam, & impœnitentiam, & Stephanum eius ad amentiam discipulum, ad impietatem Doctorem; Polychronium, qui in dogmatibus hæreticis, nomini suo respondens inueterauit &c.] Hæc est dogmatica Concilij definitio, quæ est hæretica, & Auctores comprehendit, & Ecclesia sic complexè definitionem amplexa est, nunquam distinguens illud complexum in duo incomplexa iuris, & facti.

247 In Concilio Gen. 7. Nicæno 2. act. 7. post Symboli recitationem Patres omnes dicunt: [Execramur, & anathematizamus Arium, & asseclas eius, & qui communicant cum illius improbis opinionibus: Macedoniumque, & sodales illius, qui rectè appellantur Pneumatomachi, id est impugnatores Spiritus: impium Nestorium, sociosque eius, tanquam dualitatem personarum inducentes: Eutychemque, & Dioscorum. Præterea Origenis, & Didymi fabulositates anathematizamus; deindè duas voluntates, & cum ea Sergium, Pyrrhum, Cyrum, Macarium, impios istos pietatis impugnatores.] Deindè prolixo sermone omnes, qui Imagines, seu Sanctorum picturas impugnant, & cum his complexionibus omnes illi Patres subscripserunt damnationi; & cum eisdem Ecclesia eas acceptauit, non distinguendo propositiones, quòd doctrinæ, & Auctores damnandi sint, sed quòd dixerint, aut fuerint personæ illæ non esse recipiendum cum obiecto fidei.

248 In Concilio Later. 4. sub Innoc. III. cap. 2. hæc formula damnationis reperitur: [Damnamus, & reprobamus libellum, seu tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de vnitate, & essentia Trinitatis, appellans eum hæreticum, & insanum pro eo, quòd dixit, sententijs, quo modo quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens. Vndè asserit, quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam. Et in fine illius decreti, dicitur: Reprobamus etiam, & damnamus peruersissimum dogma Impij Almarici, cuius mentem, sic Pater mendacij excœcauit, vt eius doctrina, non tam hæretica censenda sit, quàm insana.]

249 In Concilio Viennensi, vt ex Clemen. ad Nostrum. De Hæret. Narrantur explicitè octo hæreses, & aliæ implicitè Beguinarum, & Beguardorum Regni Alemaniæ. Deindè ab eodem Concilio damnantur.

250 In Concilio Constantiensi sess. 12. damnantur Ioannes Wicleff, & eius propositiones, seu articuli 45. & Ioannes Huss cum suis propositionibus, seu articulis 30. sic Sacrosancta generalis Synodus, &c. [Cùm vir damnatæ memoriæ Ioannes Wicleff sua mortifera doctrina velut radix virulenta plures genuit filios pestiferos, quos sui peruersi dogmatis reliquit successores, aduersùs quos hæc Sancta Synodus &c. Cùm nuper in Sacro Concilio Romæ celebrato decretum fuerit doctrinam damnatæ memoriæ Ioannis Wicleff damnandam esse, & libros eius eadem doctrinam insanam, & pestiferam continentes, fore tanquam hæreticos comburendos, & doctrinam damnatam &c. Nihilominus quidam Io. Huss in hoc sacro Concilio personaliter constitutus Io. Wicleff Hæresiarchæ discipulus, errores plures, & hæreses dogmatizauit, & prædicauit, &c. qui in libris ipsius Io. Huss, & opusculis notoriè continentur, &c. Hæc Sacrosancta Constantien. Synodus declarat, & definit articulos infrascriptos, qui habita collatione per plures Magistros in sacra pagina reperti fuerunt contineri in eius libris, & opusculis manu propria scriptis, & quos etiam ipse Io. Huss confessus est in suis libris, & opusculis contineri, non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, &c. nonnullos notoriè hæreticos &c.] En quot, & quanta facta in hoc dogmatica definitione continentur, quę naturaliter nota erant, & tamen tota definitio complexa constans ex factis naturaliter, & notoriè manifestis, est obiectum fidei ratione prædicati; neque vllus vnquam distinxit eam definitionem in duas partes, facti, & iuris, An scilicet doctrinę istæ dictæ fuerint ab Wicleff, & Huss, sed omnes fideles totam sanctionem dogmaticam acceptarunt, vt fidei obiectum, esto secundum partem, id est subiectum non sit quid reuelatum.

251 At nullum exemplum abundantius eo, quod præbet Concilium Florentinum in Constit. Conciliari vnionis Iacobitarum, quę nunc est 23. Eugenij IV. in §. 10. hæc habentur: Anathematizat, & damnat Ebionem, Cherinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photium, omnesque similiter blasphemantes, qui percipere non valentes vnionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum esse negauerunt, ipsum purum hominem confitentes, &c. Anathematizat Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somnian-

tes

tes humanitatis in Christo veritatem penitùs sustulerunt. Nec non Valentinum, asserentem, Dei Filium nihil de Virgine Maria cepisse, sed corpus cœleste sumpsisse, atque ità transiisse per vterum Virginis, sicut per aquæ ductum defluens aqua transcurrit. Ætium etiam, qui asserens corpus ex Virgine assumptum, anima caruisse, voluit loco animæ fuisse Deitatem. Appollinarem quoque, qui solam posuit animam sensitiuam, sed Deitatem Verbi, vicem rationalis animæ tenuisse voluit. Anathematizat etiam Theodorum Mopsuestenum, atque Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filij vnitam esse per gratiam, & ob id duas in Christo esse personas, sicut duas fatentur esse naturas, cùm intelligere non valeant, vnionem humanitatis ad Verbum, hypostaticam fuisse, &c. Anathematizat etiam, execratur, & damnat Eutychem Archimandritam, qui cùm intelligeret, iuxta Nestorij blasphemiam, veritatem incarnationis excludi &c. ac etiam capere non posset, stante pluralitate naturarum vnitatem personæ, sicut Deitatis, & humanitatis in Christo vnam posuit esse personam, ità vnam asseruit esse naturam; volens aute vnionem dualitatem esse naturarum, sed in vnam naturam in assumptione transisse, maxima blasphemia, & impietate concedens, aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem esse conuersam. Anathematizat etiam, execratur, & damnat Macarium Antiochenum, omnesque similia sapientes, qui licet verè de naturarum dualitate, & personæ vnitate sentiret; tamen circa Christi operationes enormiter aberrauit, dicens in Christo vtriusque naturæ vnam fuisse operationem, vnamque voluntatem, & concludit. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat Sacrosancta Romana Ecclesia.] Ecce quot Auctorum dogmata, & quot Auctores damnauit vnica vice Concilium, & proposuit omnibus, & præsertim Ægypti Iacobitis eas damnationes fide credendas; nec vllus vnquam distinxit inter factum, & ius; sed indistinctè, fideles, damnationes omnes receperunt. Ergo.

252 Confir. ex praxi ipsorum Rom. Pontificum, qui hæreses sæpissimè non in abstracto, sed Auctores, cum eorum expressione damnarunt. Legi potest integer art. 5. disp. 5. (in quo adductæ sunt omnes dogmaticæ definitiones, quas inuenire potuimus factas à Romanis Pontificibus ab initio Ecclesiæ vsque ad præsens,) & comperietur, damnatas hæreses cum suis auctoribus. Nec vllus vnquam Doctor, vel Episcopus ausus est distinguere, quòd reciperent definitiones, secundùm eam partem, quæ esset Iuris, non autem secundùm eam, quæ esset Facti, quòd, scilicet homines illi fuerint in mundo, vel ea dixerint: sed indistinctè omnes receptæ sunt, vt iacebant, & habitæ, vt obiecta fidei docentis, quæ sunt fugienda, & damnanda, vt sibi contraria.

253 Prob. 4. ex praxi eiusdem Ecclesiæ non admittentis eiusmodi distinctionem in decretis dogmaticis, sed compellentis ad ea recipienda indistinctè, vt iacebant. Adducam celebre testimonium Concilij Nicæni. Refert Sozomenus, lib. 1. hist. cap. 20. quòd damnata Arij sententia, dictoque ei anathemate, Eusebius Nicomediensis, & Theognides Nicænus dicebant, Arium non sic dixisse, & non credere, quòd talis erat, qualis accusabatur, nec propterea hæc eorum distinctio fuit acceptata, sed coacti sunt subscribere definitioni, & anathemati Arij; at quia restiterunt, depositi fuerunt; postea tamen veniam petierunt, quòd non subscripsissent ex eo motiuo, quòd non putarent esse vera, quę de Ario dicebantur.

254 In Concilio Chacedon. vt ex Act. 4. postquam Patres subscripserant, vt patuit damnationi Eutychetis, & eius dogmatum, 14. Episcopi Ægyptij renuentes Eutychem anathematizare, [Omnes Episcopi dixerunt, dogma Eutychis quare non anathematizant, cùm impostura peritiones porrexerunt? Epistolæ Leonis subscribant, anathematizent Eutychem, & dogma eius; omnes consentimus epistolæ Leonis, consentiant & ipsi. Paschasinus Lucentius, & Bonifacius Vicarij Sedis Apostolicæ dixerunt: dicant, si consentiunt epistolæ Apostolicę Sedis, & si anathema dicunt Eutycheti. Aradus Episcopus dixit: suggerimus eos anathematizare Eutychem, & dogma eius, qui dixit, ante incarnationem, duas naturas Saluatoris nostri, & post incarnationem, vnam.] Sic dixerunt, & alij. At Ægypti nolentes Eutychem anathematizare, sed quicumque esset, qui ea dixit, & nolentibus subscribere epistolæ Leonis, eo prætextu, quòd non adesset eorum Patriarcha Alexandrinus, (quòd ex Concilio Nicæno erat necessarium, vt possent subscribere,) [Eusebius Dorylæi, & alij Episcopi clamauerunt manifestè: anathematizate dogma Eutychis, qui non subscribit epistolæ, cui omnis Sancta Synodus consensit, est Hæreticus. Anathema Dioscoro, & omnibus amantibus eum. Si non rectè sapiunt,] id est Episcopi illi 14. [quomodo possunt eligere Episcopum.] Ægyptij effugiunt damnationem Eutychis, & Dioscori, tanquam facti quæstionem dicentes, de fide est certamen. Non fuit admissa hæc distinctio. [Nam Ceropius Episcopus dixit. Non nouerunt illi, quomodo credunt, & nunc volunt dicere.] Ideò Photius Episcopus Tyri dixit. [Consentitis epistolæ Beatissimi, & Sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis, sicut vniuersalis Synodus consensit, ac subscripsit, an non?] Et iterum, atque iterum alij eadem inculcarunt, & tandem Ægyptij victi clamarunt, anathema Eutychi, & credentibus eum, circa aliam facti partem, nempè epistolæ Leonis, nolebant ei definitioni subscribere, causantes vocationem Sedis Patriarchalis; quod non fuit admissum, pluries se prostrarunt, rogantes Synodum, ne eos ad hoc adigeret, alioquin habitare non possent amplius in Ægypto; sed Eusebius Dorylæi, & alij fortiter instabant, vt subscriberent, quia erant procuratores omnium Episcoporum Ægypti (digna contentio est, ac legenda.) Magnificentissimi Iudices pro Ægyptijs illis sic intercesserunt apud Synodum, [Quoniam Episcopi Ægyptiorum, non vt repugnantes Catholicæ Fidei subscribere in præsenti distulerunt epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Leonis; sed dicentes, consuetudinem esse in Ægyptiaca regione, extra sententiam, & iussionem Archiepiscopi nihil tale

tale se posse; poscunt autem se sustineri, donec consecretur Episcopus Alexandriæ; rationabile est, vt in eodem habitu expectent in regia ciuitate, & dilationem habeant, vsque ad ordinationem Archiepiscopi Alexandriç.] Legati Papæ consenserunt, si darent fideiussores, postea subscribendi. En qualis, quantaque contentio, vt dogmata à Concilio definita, etsi constarent de Facto, & Iure, reciperentur, & subscriberentur integra, vt proponebantur, & à toto Concilio sexcentorum sexdecim erant iam subscripta, & recepta. Qui quidem casus valdè notabilis est in eiusmodi, cùm quis vult distinguere Ius à Facto in recipiendis fidei dogmatibus complexis ex Facto, & Iure definitis. Neque potest alia assignari ratio, nisi quia propositioni de fide non officit, quòd subiectum sit, quid facti humani, non reuelati, sed naturaliter noti, dummodo prædicatum, eiusque conexio cum subiecto sint reuelata.

255 Confir. euidenter ex instructione Martini V. quæ habetur in fine Concilij Constantien. pro cognoscendis Catholicis, & Hęreticis discipulis Wicleff, & Hus, præ cœteris enim erant interrogandi, [Vtrum credant, quòd condemnationes Wicleff, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga factæ de personis eorum, libris, & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint ritè, & iustè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ. Et subdit. Item, vtrum credant, teneant, asserant Ioannem Wicleff de Anglia, Ioannem Hus de Bohemia, & Hieronymum de Praga fuisse Hæreticos, & pro Hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros, & doctrinas eorum fuisse, & esse peruersas, propter quos, & quas, & eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro Hæreticis sunt condemnati.]

Et aliquibus interpositis, [Item, specialiter literatus interrogetur, vtrum credat, sententiam sacri Constantiensis Concilij super quadraginta quinque Ioannis Wicleff, & Ioannis Hus triginta articulis superius descriptis latam, fore veram, & Catholicam, quòd scilicèt supradicti 45. articuli Ioannis wicleff, & Ioannis Hus 30. non sint Catholici, sed quidam ex eis sunt notoriè heretici, quidam erronei, alij temerarij, & seditiosi alij piarum aurium offensiui.] Si ergo Catholicus tenebatur hęc complexa ex Facto, & Iure credere indistinctè, non separans factum, quòd scilicèt illi ea dixerint; sequitur euidenter, rationem facti humani non reuelati, sed naturaliter noti, non officere, quin definitio ratione prædicati reuelati connexi cum subiecto non reuelato sit obiectum fidei.

256 Dico 2. Dum Ecclesia, seu in Concilio generali, seu Romanus Pontifex solus damnat doctrinas cum hac formula loquendi, in sensu Arij, in sensu Nestorij, in sensu Eutychis, vel alterius personæ, esto tota illa complexio constet ex Facto, & Iure, & ratione vnius partis non sit exprefsè reuelata; non propterea definitio illa cessat esse obiectum fidei; ideò, vt talis recipienda ob Ecclesia.

257 Prob. eodem prorsùs modo, sicut præcedens. Nam totum id, quod in eo dicto habet rationem facti humani naturaliter noti, se tenet ex parte subiecti complexionis. Ergo non officit, quin complexum sit obiectum fidei. Anteced. prob. Dum propositio aliqua est æquiuoca ad bonum, & malum sensum, ne damnetur bonus, potest limitari; quia verò aliquis est Auctor sensus mali; damnando eam in sensu talis Authori; talis damnatio idem importat, ac si diceretur, Doctrina Arij, Almarici, Photij, &c. est hæretica; quia expressio illa sensus determinat Authorem. Igitur, sicut damnatio doctrinę Authoris nominati non cessat esse obiectum fidei; ità neque damnatio sensus Authoris.

258 Confir. Si Ecclesia in æquiuocis doctrinis, secernens sensum Catholicum ab hæretico, diceret, [Hæc doctrina in hoc sensu est hæretica;] Hæc definitio esset dogma fidei, quando autem aliquis locutus est in eo sensu prauo, alij verò in Catholico; potest Ecclesia addere Authorem sensus praui, & tamen esse dogma fidei. Anteced. prob. Quià reuelatum est, quòd Christus dixit, [Pater maior me est, est de fide, sic esse. Et tamen est etiam de fide, quòd [Pater non sit maior Filio.] Ideò oportuit distinguere sensum Christi ab alio hæretico. Et quia Arius fuit Author istius sensus; Christus enim loquebatur de se, vt homo erat; Arius verò de eo, vt Deus. Ideò sicut damnauit Ecclesia dogma Arij; ità potuit dicere sic, [Quòd Christus sit minor Patre in sensu Arij, est hæresis.] Ità de dogmate Nestorij dicendum, negante Mariam esse Matrem Dei. Est enim de fide, quòd Deus secundùm se, vel persona aliqua Diuina, nequit accipere esse Diuinum ab aliqua creatura. Et tamen damnata est doctrina Nestorij id dicentis, ideò potuit Ecclesia dicere, [Quòd Maria sit Mater Dei in sensu Nestorij, est hæresis;] quia Nestorius sic intelligebat, nempè in humanitate Christi, esse personam creatam, & hanc fuisse genitam à Maria, personam verò Diuinam fuisse per affectum coniunctam cum humana. Catholici verò, cum Concilio Ephesino dicebant humanitatem conceptam in vtero Mariæ fuisse personatam, non à persona creata, sed Diuina, & in eo instanti, in quo creata anima, & vnita corpori, debuerat resultare personalitas creata, hæc fuit impedita, ne resultaret, & pro ea adsuit persona Diuina, & quia omnis Mater dicitur concipere, ac parere personam; ideò Maria est Mater Personæ diuinæ. Idem dici potest de dogmate Eutychis, certum est, quòd natura diuina permixta est, seu vnita cum natura humana. At Eutyches dicebat, eas naturas ità vnitas, & permixtas, vt euaserint vna, & hoc dogma fuit damnatum. Ideò potuit Ecclesia hoc modo illud damnare, [Vnio, & permixtio naturarum in Christo, in sensu Eutychis, est hæretica. Et ità de alijs dici potest.

259 Cur autem Concilia, vel Pontifices non sint vsi hac formula, & sensus restrictione, est ratio manifesta; quia erant notissimi, disputati pluries, & decantati praui sensus Authorum, cùm vtrique damnabantur; multæ enim præcesserant disputationes publicæ, & per Orientem totum, ac Occidentem, erant nequissimi sensus illi diffamati; ideò non oportuit damnare doctrinas cum ea restrictione, In sensu Arij, v. g. Nestorij, &c. sed

suffi-

sufficiebat damnare eos, & eorum doctrinas circa diuinitatem Christi, & personam, &c.

260 Confir. ex damnatione ipsa 75. propositionum Baij. Pius V. ex const. Greg. XIII. quæ refertur à Vasquez, in fine opusc. moral. sic habet: [Magno mœrore afficimur, quòd plerique spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ in varias sententias offensionis, & periculi plenas, cum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis in scholis controuertuntur inuicem, cuiusmodi sunt sequentes.] Ecce, quòd de personis spectatæ vitæ loquitur, & honoris gratia eas non nominat, quia viuebant; nam Michael Baius per Epistolam ad Cardinalem Sermonetam legendam, & cum Pio se excusat, ac defendit (penès me exemplar habeo.) Deindè Papa subnectit 75. sententias, postea ait: [Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent; in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. præsentium authoritate damnamus, &c.] Duo ergo hìc considero, & quòd Authores spectatæ vitæ, iam noti; & quòd sensus eorum apponantur in damnatione, & tamen neutrum officit, quin damnatio sit fidei obiectum. Neque vllus tunc, aut nunc distinguere est ausus hanc damnationem in duas partes, vnam facti, aliam Iuris, sed indistinctè recepta est, quamuis eius subiectum, nempè plerique spectatæ vitæ, & sensus eorum, sint quid facti.

261 Prob. 2. ex praxi Conciliorum. In Concilio Sardicensi dicitur anathema omnibus sequentibus doctrinam Arij; quid aliud est hoc, quàm dicere, in sensu Arij: nam in alio sensu minoritas, non existentia ante natiuitatem, & corruptibilitas Christi ratione humanitatis secundùm se, independenter à diuinitate, non erant doctrinæ damnandæ. Dicens ergo Concilium, Anathema sequentibus doctrinam Arij, dicere voluit, quæ dicuntur de Christo in sensu Arij. Sic & Concil. Constantinopol. I. damnas, vt potuit, dogmata Eunomianorum, Arianorum, Macedonianorum, Photinianorum, Apollinianorum, &c. Nil aliud voluit, immò nec potuit intelligere, nisi doctrinas dogmaticas in sensu illorum; fortè enim alium bonum sensum habere poterant apud Catholicos; sed pessimum apud damnatos. Sic Ephesinum Concil. damnans dogma Nestorij, & cogens Ioannem Antiochenum, aliosque Nestorió addictos, ad anathematizandum doctrinam Nestorij; aliud, nec voluit, nec potuit intelligere, nisi doctrinam de persona Christi in sensu Nestorij. Sic & Chalcedonense damnans, & compellens omnes damnare dogma Eutychis circa mixtionem naturarum in Christo; non voluit, nec potuit aliud intelligere, nisi sensum Eutychis. Et ità de alijs Concilijs, quæ dogmata nominati alicuius Hæresiarchæ damnarunt; quamuis explicitè non dixerint in sensu, seu secundùm sensum eorum; id tamen intelligere voluerunt limitando, & determinando Authorem. Et confirmatur manifestè, quia cùm Cœlestinus, & Cyrillus pro Concilio Ephesino declarassent, quędam de dispensatione (vt ipsi dicunt) id est de mysterio Incarnationis circà Personam Christi. Concilium hęc recepit, & damnanit dogma Nestorij. Hoc quid aliud est, nisi quòd damnauit ea, quæ de Christi Persona dicebantur, non vt sentiebant Cęlestiuus, & Cyrillus Legatus Cęlestini, sed, vt dicebat Nestorius. Ità in Concilio Chalcedonensi, cùm lecta esset epistola Leonis Papæ, in qua distinctè declarabantur, quæ credenda erant, tàm circa personam, quàm circa naturas Christi, Patres illi 630. clamarunt, [Per os Leonis locutus est Petrus; hæc est fides Apostolorum; hęc est fides Patrum.] Deindè damnarunt dogma Nestorij, & Entychis sic in genere: quid aliud voluit Concilium, quàm dicere, credimus, quæ de Christi Persona, & naturis sentit, & docet Leo, & damnamus, quæ sentiunt, & docent Nestorius, & Eutyches.

262 Ex his ergo, & alijs omnibus Conciliorum decretis, quibus damnantur doctrinæ cum Hæreticorum nominibus; euidenter infertur, quòd eas secundùm sensum eorum, qui prauus erat, damnare voluerunt, & tamen Patres in Concilijs existentes, aliique Episcopi, extra Concilia, & Doctores omnes ea decreta indistinctè, vt fidei dogmata receperunt, & crediderunt: quamuis ex parte subiecti adesset factum non reuelatum; id est, quòd homines illi fuerint in mundo; ac ea, & in eo prauo sensu dixerint.

263 Confirm. potest totum hoc ex alijs Scholasticis damnationibus, quæ postea authoritate Ecclesiæ euaserunt dogmaticæ, & obiecta fidei. Tota Augustini cum Pelagio concertatio de gratia fuit de sensibus doctrinarum, Callidus enim (vt Augustinus sæpè notauit) Pelagius sub Catholica doctrina, sensum prauum, & hæreticum occultabat; & doctrinæ eius sub his sensibus impugnabantur ab Augustino, & sub eisdem damnatæ sunt ab Ecclesia, primò à Rom. Pontificibus Innocentio, Cęlestinò, & Zosimo; deindè in Concilio Arausicano ex præscripto Papæ, vt dixi in disp. 5. art. 5.

264 Prætereà omnes sciunt, quanta fuetit inter Catholicos Orientis, & Occidentis, immò, & cum ipsomet Hieronymo contentio de hypostasi. An in Diuinis vna, vel tres essent hypostases, & in sensu dicentium, hypostasim significare personam, non naturam, definitum est, Tres esse in Deo hypostases. In sensu dicentium significare naturam, damnatum est tres esse in Deo hypostases; hi autem fuerunt Tritheitæ.

265 Tertiò notissima est concertatio illa antiqua, An dici possec, [Vnus de Trinitate crucifixus est,] vt contendebat Petrus Fullo Episcopus intrusus Antiochiæ; ideò ex Baron. tom. 6. anno 483. ad Trisagium, [Sanctus Deus &c.] addi præcepit, [qui pro nobis passus est.] Qua de causa, nedum ab Orientalibus; & ab ipsomet Acacio Fullonis studiosissimo; sed à Felice Papa anno 483. in Concilio Romano damnatus est. Et tamen ex eod. Baron. an. 533. Iustinianus solemni legatione ad Ioannem I. petit, an dici possit, [Vnus de Trinitate passus est.] Et postquam aliquandiù nutatum fuit Romæ, an admittendum esset, quòd semel negatum erat; tandem cùm Anatolius Rom. Eccl. Diaconus de hoc consuluisset Ferrandum discipulum Sancti Fulgentij, Carthaginensem Diaconum,

hic respondit: [Rectè dici vnum de Trinitate passum, sed securiùs addi passum secundum carnem,] quæ, & aliorum Romæ existentium sententia à Papa probata; hic rescripsit Imperatori, sic posse dici. Et Facundus Episcopus Hermiarien. inquit, hoc ex sententia Concilij Chalcedon. dictum esse, ità in tract. de tribus capitulis. Idemque Romæ Dionysius exiguus docuit. Hoc autem stante, cur Felix, cum suo Concilio damnaueat Monachorum quorundam,& Petri Fullonis, seu Gnaphei sententiam dicentem, [Vnus de Trinitate passus, & crucifixus est?] certè ob sensum Nestorianum, & Eutychianum, & aliorum, qui diuinitatem ob naturarum permixtionem, & vnitatem in Christo, passam somniabant. Poterat ergo Felix dicere, [in sensu Eutychis, vel Nestorij, hæreticum est dicere, Vnus de Trinitate passus est.] Et idem importasset, ac si dictum fuisset, [Hæreticum est dicere, quòd vnus de Trinitate secundum Diuinitatem, vt aliqui dicunt passus est.] Et hoc decretum, absque vlla distinctione fuisset receptum, etsi factum ex parte subiecti, includeret.

266 Concludendum ergo, quòd dum propositiones sunt æquiuocæ ad Catholicum, & Hæreticum sensum, æque possunt damnari cum expressione sensus personæ hæreticæ, atque cum nomine eiusdem. Vterque enim modus determinat sensum damnatum, & propterea, sicut propositiones damnatæ cum nomine Authoris, recipiendæ sunt, vt obiecta fidei, sicut semper ex dictis fuere receptæ, absque distinctione Facti à Iure; ità recipiendę sunt, quando damnantur cum ea formula, In sensu Arij v. g. Nestorij, &c. eùm eodem modo se habeant; sic enim ex parte subiecti, seu connotati, est quid facti, quòd persona illa id dixerit, & quòd hic, vel ille sit eius sensus, dummodo clarè, vel ex eius dictis probatis iuridicè, vel ex scriptis suis contestibus id habeatur.

267 Dico 3. Damnatio doctrinæ facta à Concilio, vel à solo Papa, modo præfato, scilicèt in sensu Authoris, siuè Author sit viuus, & per semetipsum verbo, aut scripto exprimat suum sensum, siuè sit mortuus, & sensum in scripto authentico sufficienter manifestauerit, ea damnatio adhuc est obiectum fidei.

268. Prob. prima pars ex factis. Sic enim Arij, Macedonij, Nestorij, Eutychis, & aliorum, vt Pelagij, Cœlestij, &c. dogmata damnata sunt, ijs nempè viuentibus, & se obstinatè defendentibus. Neque de hoc vlla potest esse difficultas; cùm enim Ecclesia non iudicet de internis; nisi per externa manifestentur; nunquam melius manifestantur, quàm à viuente persona, quæ omnia sua dicta, vel scripta potest declarare. Neque datur maior probatio, quàm propria loquentis, aut scribentis confessio. Ergo.

269. Prob. secunda pars. Dogma aliquod est catholicum, vel hæreticum, non quia Auctor eius viuit, vel est mortuus, sed quia conforme, aut difforme sacræ Scripturę, aut Concilijs, aut traditionibus. Igitur, si damnetur in sensu Auctoris iam mortui, si erat obiectum fidei; mors eius non impedit, quin sit obiectum fidei eius damnatio; sicut ipsius mors non facit, vt non sit difformè sacræ Scripturæ, Concilijs, aut traditionibus. Igitur, ità se habet, ac si Auctor viueret quo ad hoc; dummodo sufficienter se declarauerit, & ex contextibus suæ doctrinæ sit notorius eius sensus.

270. Prob. 2. Ex factis. Multa dogmata fuerunt damnata, vt hæretica post Auctorum mortem, cum expressione nominum eorumdem; quia illa reliquerunt scripta, vel in corde, & in ore sequacium impressa. Ergo mors Auctoris non impedit, quin damnatio sit de fide. Antecedens prob. Nam errores Sabellij damnati sunt à Dionysio Papa an. 263. multò post illius mortem. Errores Anomœorum, Apollinariorum &c. damnati in Concilio Constantinop. I. post Auctorum mortem. Errores Theodori Mopsuesteni in 5. Synodo sub Vigilio, illo iam defuncto. Et ità de alijs, quorum errores, vel post mortem fuerunt detecti, vel si ante, non fuerunt ad Iudicem controuersiarum delati. Legi possunt, quæ dixi in disput. 5. art. 4. & 5. de omnibus ferè damnationibus, quas reperire potui iam factas. Et tandem in Concilio Constantiensi mortuo Wicleff. 45. illius errores, eius nomine expresso damnati sunt.

271. Confir. viuente Auctore, & sensum suum voce, aut scripto manifestante, si fidei repugnat, damnari potest doctrina illa in eius sensu. Ergo multò magis eo mortuo. Nam viuens poterat, vel retractare, vel declarare, quòd dixerat, & ad bonum sensum reducere, at per mortem, doctrina eius, cum prauo sensu remanet inalterabilis, & inexplicabilis, imò per hoc persona etiam damnari potest, vt innumeris vicibus factum legimus, nisi Auctor dicto, vel scripto authentico testatum reliquerit posteris, se in suis dictis, aut scriptis nolle recedere à sensu Ecclesiæ catholicæ; eo enim casu, doctrina tantùm, non persona damnatur.

Ob. contra primam, & secundam. Propositio complectens factum, & ius est hypothetica, constans ex duabus categoricis, quarum vna tantum est obiectum fidei, & non altera. Ergo non debet, nec potest totum illud complexum ex duabus recipi, & credi, vt obiectum fidei. Antec. est clarum in hac, [Doctrina Sabellij est hæretica; adest vna Categorica, quæ est [Sabellius eam tenet, vel tenuit.] Et alia est hæretica. Conseq. prob. Neque Deus, neque Ecclesia exigit, vt credatur Diuina fide, quod non dixit Deus, neque explicitè, neque implicitè, sed sensu suo proprio homo illud percipit, vt factum, vel dictum alterius hominis, quia hoc non habet rationem formalem credibilis diuina fide.

272. Resp. dist. consequ. Non debet, nec potest quo ad vtramque partem seiunctim acceptam (nisi vtraque sit reuelata, vt postea) concedo. Non potest quo ad vtramque partem coniunctim, vt facit vnam complexionem tantùm, nego. Declaratur; Certum est, quòd illa hypothetica potest resolui in duas categoricas, [Sabellius dixit; alius dixit, & hoc est hæreticum,] & cùm sit illa resolutio, vna, quæ est facti, non est obiectum fidei. At quando tota ab Ecclesia proponitur ad credendum, per modum vnius complexionis, constantis ex ea de facto tanquam subiecto, &

& alia de iure, copulata cum eo subiecto; tunc non potest aliter recipi, aut credi, nisi per modum vnius copulationis, quia vnum sensum facit ratione vnius prædicati, & copulæ, & illud factum, est tanquam subiectum connotatum, & apprehensum, non creditum. Et hoc est commune omni assensui circa obiectum fidei. Nam necesse est, vt proponatur id, quod credendum est, & multoties, imò semper propositio proposita ad credendum resolui potest in vnam categoricam facti, & aliam iuris (ver.gr.) Anima Petri est immortalis; hæc est obiectum fidei, & resolui potest in hanc, [Petrus habet animam.] Item hæc, [Puer hic baptizatus, est ab originali mundatus] est fidei obiectum, & tamen, quod sit baptizatus, immò, quod sit puer, est quid facti. Hæc alia, [Sub hac hostia à Sacerdote consecrata, est Corpus Christi.] Et sic de alijs. Hæc terra, hoc cœlum, hæc elementa, quæ videmus, sunt à Deo creata. Omnes istæ resoluuntur in duas categoricas, vnam facti, alteram iuris, & tamen, quòd sit terra, cœlum, aqua, & cętera, non sunt obiecta fidei separatim sumptæ; quia nedum obscura non sunt, sed proprio sensu, ac nemine dicente percipiuntur. Et nihilominùs complexiones ex illis formatæ, Terra est creata &c. sunt obiecta fidei, neque ex alio capite id prouenit, nisi quia, etsi virtualiter includant duas categoricas, & duo subiecta, duo prædicata, & duas copulas, tamen proponuntur, & apprehenduntur per modum vnius, cum vna copula vnius prædicati ad vnum subiectum, ideòque vnus assensus ei debetur, ad hunc enim finem proponitur. Adde, hoc esse commune non solú assensui fidei Diuinę, & humanæ, sed assensui opinatiuo, & scientifico, cùm enim legimus, vel audimus hypotheticam propositionem continentem non formaliter, sed virtualiter duas categoricas, intellectus assentit vni connexioni vnius tantum prædicati, cum subiecto (ver.gr.) Cælum solis, est maius cælo lunæ, vel cælum lunæ est maius terra, Petrus currens mouetur &c. Intellectus non assentitur prius categoricæ, quòd detur cælum solis, sed apprehendens tantùm hoc, assentitur copulæ, quod sit maius &c. Ità cùm proponitur hæc [doctrina Sabellij de Trinitate, est hæretica] assensus vnus est, & hic fidei, nempè, quòd illa doctrina Sabellij sit hæretica; hanc enim solam copulam respicit; non verò alias, quòd scilicet fuerit Sabellius, vel quòd eam protulerit.

Instab. Ergo non totum illud complexum, sed tantum eius pars est obiectum fidei. Assumptum probatur; Sola copula prædicati cum subiecto, est reuelata, siuè explicitè, siuè implicitè, non autem subiectum. Ergo.

273. Resp. neg. sequelam; nam complexum illud explicitè, & formaliter est vnum, licet implicitè multiplex, vna enim copula, vnoque prædicato constat; hæc autem specificant, & numerant propositiones, nempè copulæ prædicatorum explicitè.

Vrg. Igitur fidelis non tenetur credere, quòd se tenet ex parte subiecti, siuè sit simplex subiectum; siuè virtualis categorica, vt est hæc, Sabellij doctrina.

274. Resp. dist. antec. si subiectum non sit reuelatum, concedo, quia in seq. art. dicam subiecta quoque aliquando esse reuelata. Et hoc ęst valdè notandum, quia complures audiui in hoc hallucinari, putant enim, quòd si subiectum sit naturaliter notum, siuè sit simplex, siuè virtualis categorica, quando vnitur cum copula, & prædicato reuelatis. ipsum quoque subiectum euadat pars obiecti fidei, & credibile. Magna simplicitas est hæc, vt si dicatur terra est creata, quia esse creatum dictum de terra, est quid reuelatum, & obiectum fidei: sit etiam reuelatum, quòd terra sit. Item, quòd quia est reuelatum, & obiectum fidei. [Esse Corpus Christi in hostia à me, vel ab alio consecrata,] sit etiam obiectum fidei, quod ego, vel alius consecrauerit. Stet ergo firmum, quòd in hisce complexis ex subiectis facti, & prædicatis iuris, complexio illa prædicati cum subiecto est obiectum fidei, non autem subiectum, nisi hoc quoque sit aliquo modo reuelatum, vt postea.

Ob. 2. contra 2. Quòd aliquis sensus alicuius doctrinæ sit talis, vel talis personæ; nedum est quid facti, sed facti dubij; ergo complexum illud, cum tali formula, nequit esse obiectum fidei. Antec. prob. Raró, vel nunquam reperiuntur propositiones, seù dicta aliqua, quæ non sint æquiuoca, & possint trahi ad plures significationes, seù sensus, Igitur quodlibet dictum in sensu alicuius, est factum dubium. Conseq. prob. Tale complexum nihil haberet de reuelato; non subiectum, quia incertum, non prædicatum; quia non potest applicari subiecto incerto, nec de eo proponi. Fides enim est de re certa.

275. Resp. neg. Antec. Est enim de subiecto non supponente; quia nostra conclusio supponit, quòd sensus sit certus, ac determinatus, & vt talis ab aliquo Auctore profetatur; imò ab illo ad certam illam intelligentiæ speciem sit determinatus, cùm aliundè potuisset aliter intelligi. Ad probationem assumitur falsum, quia, licèt aliquod dictum capax sit duorum sensuum; quando tamen aliquis illud intelligit sub vno determinato; hic iam est certus; ideòque argumentum nihil probat; alioquin, nunquam de propositione æquiuoca ad duos sensus habere possemus vnum ex ijs sensibus in hominibus certum habere, & periret omnis disputatio, imò omne commercium.

Ob. 3. Quòd hic, vel ille fuerit sensus Auctoris, non est quid reuelatum; sed naturaliter notum, quia nempè ipse dixit, seù se declarauit sic intelligere. Ergò sensus ille non potest ingredi obiectum fidei propositum ad credendum; & propterea quando proponitur, cum tali formula, [Minoritas Christi in sensu Arij, est hæretica; [non tota propositio, sed prædicatum tantum de subiecto assertum est obiectum fidei, & hoc tenentur omnes credere, & ità de alijs; non verò, quòd sensus ille fuerit Arij, cùm id Deus non reuelauerit, sed ipsemet Arius.

276. Resp. transeat antecedens (dico transeat vniuersaliter, quia de aliquo potest esse etiam reuelatum saltem implicitè, vt postea) dist. consequens: non potest ingredi obiectum credendum, tanquam aliquid etiam

fecun-

secuodùm se credendum, concedo, tanquam subiectum conflans obiectum credendum, nego. Ratio autem sæpè allata est, quia ego non intendo id alicui obtendere, vt factum purum non reuelatum, euadat aliquando obiectum credendum; sed hoc solùm contendo, quòd quando tale factum coniungitur cum iure, tanquam subiectum respectu prædicati, & illud complexum ab Ecclesia proponitur credendum, non potest distingui in duas partes, vt dicat fidelis, credo illam secundam partem esse hæreticam, non verò primam, sed totum indistinctè recipere debet, & credere prædicati copulationem, cum eo subiecto.

Dices. In his casibus, fidelis iam, vel scit, vel humana fide credit, quòd ille sensus sit talis Auctoris; igitur debet hunc assensum distinguere ab alio fidei; aliàs duo simul haberet asseusus.

277. Resp. neg. conseq. In ijs enim casibus, assensus facti præcessisset, & dum eliceretur asseusus fidei circa copolationem prædicati cum subiecto facti. Et hoc est commune in omni assensu fidei humanę, mihi cuim nota est mea patria, mei amici, & aliæ regioues, ac personæ: si quis mihi narret aliquod accidens de patria, amico &c. non elico duos assensus, vnum, quòd extet mea patria, alium quòd ei illud acciderit, sed supposita apprehensione patriæ, credo de ea talem casum. Ita cùm per historias sciam fuisse Arium, Nestorium, Caluinum &c. si Ecclesia mihi proponat damnationem dogmatis Arij, Nestorij, Caluini, &c. vel doctrinas damnatas iu sensu eorum (quod idem est, ac dogmata eorum) non est necesse, vt assentiam priùs, quòd isti nequam fuerint, vel ea dixerint; sed sufficit, si apprehendam eos, eorumque dicta, & credam, dogmata esse falsa.

Dices 2. Poterit fidelis ea seiungere, quia verè sunt seiungibilia, & dicere, [Quòd Arius fuerit, & dixerit, credo historicis; at, quòd hoc dogma sit hæreticum, credo Deo reuelanti.] Et tunc fidelis non esset damoabilis; quia Deus non præcipit, vt propositio hypothetica nomquam resoluatur in duas categoricas.

278. Resp. dist. antec. Quando factum humanum non est reuelatum, & propositum, vt tenelatum) sicut fieri posse dicam in sequenti) subdistinguo, potest seiungere, speculatiuè loquendo ad cognoscendum distinctè vim propositionis hypotheticæ, concedo. Potest id facere practicè, quando dogma propositum, credendum est; nego, & nego conseq. Ratio primi est, quia nulli prohibitum est distinguere, & distinctè considerare, partes cuiuscumque propositionis hypotheticæ, & assentiri illis iuxta conditionem, seù merita ipsarum, vt si sint scientificæ, assensu euidenti, si opinabiles, assensu probabili, si credibiles, assensu fidei, siuè humanæ, siuè diuinæ, iuxta conditionem manifestantis. At quando proponitur ab Ecclesia aliqua hypothetica dogmatica, constans ex facto non reuelato, seù non definito (quia aliquando potest etiam defioiri tanquam implicitè in vniuersalibus reuelatum contentum) tunc non potest fidelis aliter illam recipere, quàm per modum vnius, & sic credere, ver. gr. quòd dogma Arij sit hæreticum, vel sensus Nestorij &c. sit hæreticus. Nec potest in abstracto tantùm credere, hic sensus, hoc dogma est hęreticū, quia tunc non crederet, sicut sibi propooitur. Et ideò in concilijs, vt visū est, & in seq. confirmabitur, Patres uon fuerunt contenti, vt fideles, & adhærentes hęresiarchis damnatis, damnarent, & anathematizarent dogmata in abstracto, sed talium Auctorum, anathematizo dogma, Arij, Macedonij, Nestorij, &c. Non, quòd, vt igoaui quidam putant, Ecclesia exigat duos consensus fidei, vnum respectu facti purè humani, alterum respectu damnati dogmaris; vel quòd (vt malè pariter putant) exigat vnum quidem consensum realiter, sed virtualiter duplicem, nempè terminatum ad factum, & ad Ius, quasi vtrique sit Fide diuina assentiendum, sic esse, (nisi etiam factum sit definitum) vt hallucinari multos video, quia nec Deus, nec Ecclesia, iubent, fideles credant, quæ ab alijs fieri viderunt, vel ab allijs hominibus narrantibus audierunt. Sed iubent, vt credatur, quod reuelatum est de aliquo subiecto, etiam naturaliter noto, non distinguendo duos assensus, vnum circa subiectum, alium circa prædicatum, licèt extra casum credendi, possint assensus illi distingui. Exempla plura sunt adducta; sed placet alia adiungere, quia mihi est euidens eiusmodi doctrina. Dicit Deus Adæ, [De ligno scientiæ &c. in qua hora comederis, morte morieris. Adam credens Deo, ex comestione ligni, quod videbat, secuturam mortem, vnum habuit assensum de morte secutura per ligni, quod videbat, comestionem. Dixit Deus ad Noe, [Delebo aquis diluuij omnem carnem,] Noe non edidit duos assensus, vnum circa carnem omnem, quam videbat; alium circa deletionem futuram, sed vnum circa deletionem. Dixit Deus Abrahæ, [Semini tuo dabo terram hanc;] Abraham vnum assensum elicuit de traditione futura illius terræ. Dixit Dominus Moysi; [Terra, in qua es, terra sancta est est.] Et ità de alijs innumeris reuelationibus prædicatorum circa subiecta non reuelata, sed visa, vt ex Sacro Textu constat. Ex quibus tria ad rem nostram habemus manifesta, & quòd subiecta illa, de quibus aliquid reuelabatur, erant naturaliter, & ad sensum nota ijs, quibus fiebat reuelatio prædicatorum; & quòd vnum tantùm habuerunt assensum ijs, quibùs fiebat revelatio; & tandem, quòd subiecta illa, nec distincto, nec vnico illo assensu Fidei, quo credebatur prædicati connexio, fuere credita; sed naturaliter cognita. Et quilibet in semetipso id poterit experiri; cùm videt puerum baptizari, aliquem confirmari, ordinari; hostiam consecrari &c. actus illos non credit, sed effectus. Similiter cùm à Catechista, vel Parocho, Episcopo, vel Papa proponente, per hæc sensibilia, quæ dicuntur Sacramenta, ab homine verbis, & rebus confecta, gratiam, vel characterem produci, subiecta videt, & de eis credit prædicata. Item, si Deus alicui per se, vel per Angelum, aliumue Prophetam reuelaret, quòd ciuitas aliqua nota esset subuertenda, vel Princeps aliquis extollendus in Regem, aliudue simile de subiectis notis?

tunc

tunc vnum eliceret assensum Fidei, non circa subiecta uota, sed circa prædicata ignota, manifestata tamen, vt connectenda cum ijs subiectis. Parcat lector prolixitati; quia necessariam existimaui.

Ob. contra 3. Sensus doctrinæ Authoris mortui nunquam potest esse adeò clarus, & certus, vt est Authoris viventis, qui potest eum determinare, ac restringere cum talibus loquendi formulis, vt nullus remaneat dubitandi locus de suæ sententiæ intelligentia. Quod de mortuo dici non potest. Si enim viueret, fortè aliter se declararet; formulæ namque loquendi cuiusuis idiomatis, multos permittunt sensus, ac intelligentias, vt cuique exploratum est. Ergo mors Authoris impedit, ne damnatio alicuius doctrinæ fieri possit in eius sensu, alioquin grauis iniuria ei inferretur.

279. Resp. neg. Anteced. Etsi enim aliqui, subdole, in sermone, & scripto æquiuocationibus vtantur, vt falsum dogma aliquandiù occultent: tamen non omnes sic loquuntur, aut scribunt: alioquin circa Patrum, & Doctorum sententias, in tenebris adhuc essemus. Nostra ergo conclusio intelligitur de scripto authentico Authoris demortui, claro, expresso, & æquiuocationem non admittente. Cùm ergo talibus clausulis eius doctrina est expressa, vt nullum relinquat æquiuocationi locum; tunc potest doctrina in eius sensu, si Hæreticus sit, damnari.

Dices. Etsi aliquibus sensus eius videatur clarus, alijs tamen videtur æquiuocus; hinc oriuntur dissensiones inter Factionarios, ac adhærentes Authori, vt frequenter contingere videmus. Ideò non videtur tutum, absque periculo infamiæ damnare doctrinam Authoris in eius sensu; quia damnatio illa fundaretur in subiecto ficto, & falso.

280. Resp. conclusionem intelligi de claritate, & certitudine sensus, de quo non possit rationabiliter dubitari, aut contendi. In casu autem dissensionis, videndum a Magistro Fidei, Romano nempè Pontifice, quisnam sit verus, & clarus sensus; quod multis diligentijs, & consultationibus exequitur. Et stabilito per suos Theologos, quòd ex antecedentibus, & consequentibus, totoque contextu scriptorum alicuius Authoris, sensus aliquis sit adeò certus, vt nequeat aliter dici, nisi à proteruis; tunc potest doctrinam illam in eis sensu damnare. Contentio autem, quæ fortè postea insurgit ex affectu priuato aliquorum, est irrationabilis, & de ea nulla habenda est ratio.

Dices. Si sic, ergo nedum definit, sensum esse hæreticum, sed quòd sit etiam illius Authoris sensus, quod est falsum, quia talis singularis Author, neque implicitè reuelatus est.

281. Resp. nego sequelam, etsi enim (vt in sequ.) aliquando factum aliquod implicitè reuelatum definiri possit; tamen regulariter, & in damnationibus factis à Sixto IV. Pio V. & Greg. XIII. non videmus, esse definitum Factum v. g. quod Petrus de Osma, vel Michael Baius sic, vel sic, id est in tali sensu sint locuti; sed supponentes ex doctrinarum consideratione sensum eorum, quisnam esset, esse clarum; illum, tanquam clarum declararunt, hodieque in alijs similibus declarant hæreticum. Non ergo definiunt, hunc, vel illum esse sensum illius, sed facta inquisitione Theologorum ad sciendum, quisnam sit; eum damnant. Et damnatio illa, vt quid complexum ex vtroque, est, modo supradicto, obiectum Fidei.

Vrg. Fieri potest, vt Author talis doctrinæ, ac sensus fuerit Catholicus, & se remiserit correctioni Ecclesiæ dicto, vel scripto, immò & testamento; ergo saltem in eo casu, vel damnari non poterit doctrina in eo sensu, vel si ità damnetur, officiet, quin damnatio sit obiectum Fidei; quia non adesset pertinacia.

282. Resp. in hoc casu, dummodo constet de sensu clarè, & certè, adhuc damnatio sit obiectum Fidei; sed Author non posset damnari, nisi sensus ille esset apertè contrarius, vel Scripturæ, vel decretis Ecclesiæ. Secùs si contrarius, quia tunc protestatio illa esset contraria facto. V. g. Si quis aliquam doctrinam, vel plures in sensu Caluini firmiter defenderet, etiam nulla facta Caluini mentione, & sua scripta ijs doctrinis aspergerer, esto alias Catholicas doceret; quamuis Ecclesiæ Catholicæ se submitteret; tunc Ecclesia, & doctrinam cum sensu, & Authorem damnare posset, vt de multis factum est: testis sint Origenes, & Theodorus Mopsuestenus, &c. De primo enim asseritur se Fabiano submisisse. De secundo Concilio Chalcedon. & tamen vterque damnatus fuit.

Dices, Fieri potest, vt Theologi sint malè affecti Authori, vel præoccupati à malè affectis; & tamen Papa, horum nescius, eis vtatur ad eruendum Authoris mortui sensum.

283. Resp. posse vtique aliquando id accidere. Sed ad diuinam prouidentiam spectat, vt Christi Vicarium aliquo modo in hoc illuminet, & sic alijs indifferentibus utatur, qui ex antecedentibus, & consequentibus, totoque contextu rem perpendentes, eam Papæ exhibeant, qui diuino instinctu illuminatus, certè cognoscit, eum esse Authoris sensum, & sic ad definitionem procedit. Magna enim maturitate in bis proceditur (testis sum de visu) vt proindè resolutiones in longum produci videantur. At sic, fert negotij discussio, vt decisio ex Petri Cathedra firma procedat.

ARTICVLVS VII.

An, & quomodo damnationes Hæreticorum, aliaque Facta possint esse obiecta Fidei?

284. Adu. 1. & suppono ex propria disputatione, hæresim diuidi in internam, & externam; obiectiuam, & formalem, de quibus postea. Qualibet autem ex his dicitur error, Fidei ex parte contrarius; ad differentiam apostasiæ, quæ ex toto est Fidei contraria. Interna hæresis est actus, quo intellectus dissentit alicui articulo fidei cum pertinacia, id est non obstante notitia, quòd sit contra articulum ab Ecclesia propositum. Externa, est actus, quo externè, siuè dicto, siuè scripto manifestatur error ille inter-

ternus. Formalis est actus assentiendi siuè internè tantùm, siuè etiam cum enunciatione externa. Obiectiua randem est ipsum obiectum, siuè propositio fidei, cui quis dissentit. Hoc supposito.

285. Aduett. 2. Quòd dupliciter potest quis incidere in hæresim. Primò, vt ipse fit Author, & primus, qui eam inuenerit. Secùndò, vt incidat in eam ab alio inuentam. Hic diceretur simplex Hæreticus; prior verò Hæresiarcha.

286. Adu. 3. Quòd declaratio, An aliqua doctrina sit hæresis, nec ne? dupliciter potest accidere, primò Scholasticè, & sic Vniuersitates Theologicæ, & Doctores priuati possunt enunciare, ac iudicare, doctrinas esse, vel non esse hæreses, seu hæreticas 2. Authoritatiuè, nempè cum potestate obligandi sub mortali ad credendum, tales esse; & hoc modo spectat ad concilium Generale, legitimum, confirmatum à Papa, immò etiam ad Prouinciale, si ex Papæ instructione declaret hæreses, vt de Arausicano 2. factum diximus in dispot. 5. aut à Papa confirmentur eius declarationes. Et tandem ad solum Papam, sine concilio spectat hæreses declarare, & Ecclesiæ vitandas proponere, vt pluries factum, & fieri ostendimus in disp. 5. art. 5. per totum.

287. Adu. 4. Quòd in declaratione, ac damnatione alicuius nouæ hæresis, siuè facta à concilio Generali, siuè à Papa, vt plurimum damnatos fuisse etiam Authores, dictumque anathema, nedum doctrinæ, sed Authori; & tam dogma, quàm authorem damnatum, fuisse propositum Ecclesiæ, vt vitandum. Hinc oritur præsens quæstio, An tunc Authoris etiam damnatio sit fidei obiectum, & quomodo id esse possit, cùm sit merum Factum, & quòd ipse sit Hæreticus, & quòd sit damnatus. His præmissis.

288. Dico 1. Dum Ecclesia, seu Caput eius, Romanus Pontifex proponit fidelibus damnationem alicuius Hæretici; vel Facti hæreticalis, damnatio illa est fidei obiectum.

289. Prob. 1. Ex instructione Martini V. in concilio Constantiensi. Ad discernendum enim Catholicos ab Hæreticis Hussitis, & Wicleffistis de multis interrogandi erant, An ea crederent. In 7. interroh. hoc habetur, [Vtrum credat, quòd condemnationes Ioannis Wicleff. de Anglia, Ioannis Huff. de Bohemia, & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris, & documentis, per sacrum Generale Constantiense concilium, fuerint ritè, & iustè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ. In 8. interrogatorio sic dicitur: Verum credat, teneat, asserat, Ioannem Wicleff de Anglia, Ioannem Huss de Bohemia, & Hieronymum de Praga fuisse Hæreticos, & pro Hæreticis nominandos, ac deputandos; & libros, ac doctrinas eorum fuisse, & esse peruersos, propter quos, & quas, & eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro Hæreticis sunt condemnati. In 13. interrog. sic habetur: Specialiter, literatus interrogetur, vtrum credat, sententiam sacri Constantiensis concilij super 45. Ioannis Wicleff, & Ioannis Huss 30. articulis superius descriptis latam, fore veram, & Catholicam, scilicet, quòd supradicti 45. articuli Ioannis Wicleff, & Ioannis Huss 30. non sunt Catholici, sed quidam ex ei sunt notoriè hæretici, quidam erronei &c.] Sic ergo suspecti de erroribus talium Hæresiarcharum erant interrogandi; & illi hæc credere professuri erant; alioquin, vt Hæretici erant tractandi. Igitur damnationes Hæreticorum factæ per Concilia, aut per Papam, sunt obiecta fidei.

290. Confir. ex formola professionis fidei emittenda à Græcis, ab Vrbano VIII. præscripta, in qua quis profitetur credere [Nicænam I. Synodum, & quod in ea contra Arium damnatæ memoriæ definitum est: Constantipol. I. & quod in ea contra Macedonium damnatæ memoriæ definitum est. Item de Ephesina, & quod in ea contra Nestorium damnatæ memoriæ definitum est. De Chalcedoni & quod in ea contra Eutychem, & Dioscorum, ambos damnatæ memoriæ definitum est.

291. Prob. 2. ex constit. 23. Eug. IV. Cantate 5. to. in Concilio Florentino emanata, adducta in præced. num. 250. in qua æquè damnantur dogmata contraria mysterio Incarnationis, & Authores eorum, expressis nominibus; [Firmiter credit, profitetur, & prædicat, Dei Filium in assumpta humanitate ex Virgine verè natum, verè passum, verè mortuum, & sepultum, verè ex mortuis resurrexisse, in cœlum ascendisse, &c. Anathematizat autem, execratur, & damnat omnem hæresim contraria sapientem. Ebionem, Cherintum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Fotinum; & narrat suam hæresim. Sic de alijs facit, vt distinctè, & prolixè nu. 250. retulimus.

292. Confir. ex Concil. Vienn. & habetur in Clement. De Hæret. Ad nostrum, vbi Beguinarum, & Beguardorum narratis hæresibus, eædem, ac secta damnantur. [Nos Sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum erroribus damnamus, & reprobamus. &c.

293. Confir. 2. ex concilio Constantinopolitano IV. Generali VIII. act. 4. vbi præsente Photio, tanquam Reo lecta fuit Epistola Nicolai I. iam defuncti, in qua damnabatur promotio Photij ex laico, contra canones, eaque damnatio confirmata fuit ab Adriano viuente, & subdunt Legati Papæ. [Quem ergo, nec Sedes nostra Apostolica, nec Sedes receperunt Orientalium, quis de cætero Christianus esse volens viterius suscipiet? Sed talem conatum abijcimus, & anathematizamus, & Sancta, & vniuersalis exclamauit, recipimus hæc omnia &c. Act. 7.] Anathematizatus Photius, vt sæcularis, tyrannus, schismaticus, mœchus, vt Patricida, & fabricator mendacij. Photio nouo Iudæ, Dioscoro nouo Iudæ anathema. Act. 8. contra Photium, & Iconomachos sic condemnatio in hac forma. [Concilio, quod adhuc fremit contra venerabiles Imagines, anathema. His, qui sumunt Diuinæ Scripturæ dicta, quæ sunt aduersus idola, contra veneradas Imagines, anathema. In can. 4. dicitur, Photium contra ius, fasque præcipiti temeritate, velut atrocem lupum in gregem Christi insilientem, nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc vlla ratione esse, iusto iudicio declaramus.

294. Confir. 3. ex concil. Niceno 2, Gentia-

nerali VII. act. 1. in quo Basilius Ancyræ Episcopus, vt concilio satisfaciat, Fidei professionem emittens, Credo in Deum Patrem, &c. post multa, quæ profitetur, & damnat, vt fidei contraria, ait: [Abijciens, & execrans ex toto animo, & corde congregatam ex deprauata mente, & insania, & appellatam VII. Synodum, seu Pseudosynodum &c. venerandas Imagines contumelia afficientem, &c. cui præfuit Theodosius falsò nominatus Ephesi Episcopus, & alios præsentes nominat, & addit: Hæc ità confiteor, & in his acquiesco; ob id simplici corde, & animi arbitrio, Deum testem citans, subiectas execrationes, hoc est anathematismos constitui: Et sunt nouem, qui quidem omnes sunt circa personas hæreticas, & dicta eorum hæreticalia, & postea concludit: Hæc quidem sic confiteor, & approbo, & ex tota anima, corde, ac mente demonstro. Quòd si ab his, à me prius confessis desciuero vllo tempore, aut peruerso animo discessero, alienus sim, & à Deo Patre, & Filio, & Sancto Spiritu à Catholica Ecclesia &c. In act. 2. cùm Synodus Imagines venerandas constituisset, Episcopi subscribentes, damnarunt, & anathematizarunt omnes contrarium tenentes, & alienos ab Ecclesia, & Hæreticos declararunt. Idem fit in act. 3. & 4. In act. 5. non solùm personis, sed libris eorum dictum est anathema. In act. 7. in qua fit definitio fidei post Symbolum, dicunt Patres: [Execramur, & anathematizamus Arium, & asseclas eius, qui communicant cum illius improbis opinionibus &c. Impium Nestorium, sociosque illius, tanquem dualitatem Personarum inducentes, &c. Eutychemque, & Dioscorum blasphemantes in illius Diuinitatem, Petrum, Seuerum, & catenam istorum blasphemam. Præterea Origenis, Euagrij, & Didymi fabulositates anathematizamus, & alios.] Ergo Authores, & libri eorum, ac opiniones, seu sententiæ æque damnati sunt aliquando à concilijs, & anathema dicti, & sic fuerunt obiecta à fide reiecta.

295. Confir. 4. Ex concil. Const. 3. Gener. 6. sub Agathone act. 4. vbi lecta Epistola Agathonis, damnantis sententiam Monothelitarum, & Authores primarios illius, Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinop. Episcopos, Patres omnes, & dogmata, & Authores vnanimiter damnarunt.

296. Confir. 5. ex concilio Constantinopolitano II. sed Generali V. collat. 8. vbi Sancta Synodus præmissa ratione congregandi concilium illud, & narratis præcipuorum Hæresiarcharum hæresibus, ferè vsque ad ea tempora, & sancitis 10. canonibus super Doctrinis tenendis, ac respuendis; statuit alios quatuor super quæstionibus Facti, anathema dicens Personis, & earum scriptis. [Si quis non anathematizat Arium, Eunomium. Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, Origenem cum impijs, eorum conscriptis, & alios Hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt à Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & à prædictis Sanctis quatuor concilijs, & eos, qui similia prædictis Hæreticis sapuerunt, vel sapiunt, & vsque ad mortem in sua impietate permanserunt, vel permanent, anathema sit.]

Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum passionibus animæ &c. narrantur eius doctrinæ, anathema sit.

[Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam Fidem, & contra primam Ephesinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum, & eius capitula exposuit, & omnia, quæ conscripsit pro Theodoro, & Nestorio impijs, & cætera plura, anathema sit.]

[Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam Hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de Sancta Dei genitrice, & semper Virgine Maria Incarnatum; &c. narrata eius integra hæresi, anathema sit.]

Et concludit: Cùm igitur hæc ità rectè confessi simus, quæ tradita nobis sunt à Diuinis Scripturis, & Sanctorum Patrum doctrina, &c. Igitur Patres illi 165. qui huic sententiæ subscripserunt, & confessi sunt, veras esse, nedum doctrinas, sed Hæreticorum damnationes. & anathema dixerunt omnibus eos non tenentibus, habuerunt ipsas, tanquam obiecta Fidei; nullus enim fit anathema ex Conciliorum phrasi, nisi qui contradicit obiectis fidei.

397. Confir. 6. ex concil. Chalcedon. Patres enim, postquam actione 5. formarunt definitionem dogmaticam fidei contrà Nestorium, & Eutychem [Act. 7. sic conclamant: Nestorio, Eutychi, & Dioscoro, Anathema. Trinitas hos tres damnauit. Trinitas hos tres eiecit. Act. 4 Qui non anathematizat Eutychem, Hæreticus est. Act. 10. præceperunt Theodoreto, Amphilochio, atque Sophronio Episcopis, vt anathema dicerent, Nestorio, & Eutychi iam anathematizatis à Concilio; alioquin in cœtum, seu Synodum, tanquam heterodoxi non reciperentur; & sic Theodoretus vtrumque nominatim anathematizauit, & tota Synodus eum ortodoxum conclamauit, & in suam Ecclesiam restituendum iudicauit. Sic cum Sophronio, & Amphilochio factum est. Itàque, si isti non anathematizabant Nestorium, & Eutychem, Hæretici existimabantur, non solùm ratione doctrinæ eorum, sed ratione personarum; quas nolebant anathematizare. Nam in ea act. 10. cùm Theodoretus diceret: [Veni satisfacere, me esse ortodoxum, & omnem Hæreticum, qui conuerti noluerit, anathematizo, & quia Nestorium, & Eutychem, & omnem hominem dicentem, vel opinantē duos filios anathematizo. Episcopi dixerunt, dic apertè anathema Nestorio. Theodoretus dixit, Ego nisi exposuero, quomodo credo, non dico, credo autem. Et cùm diceret, Episcopi clamauerunt, Hæreticus est iste. Iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte. Tunc Theodoretus dixit anathema Nestorio.] &c. Ergo nedum censebatur Hæreticus, quia doctrinam Nestorij credere existimatur; sed quia Nestorium, & Eutychem damnatos non anathematizabat, quasi non essent digni anathemate. Oportebat ergo, eum credere, quòd isti essent Hæretici, vt ab hæresis labe cense-

retur immunis. Quod & factum est. Igitur damnatio illa spectabat ad fidei obiectum; alioquin eam non credens, non potuissent declarari Hæreticus.

298. Confir. 7. ex formula Fidei concilij Nicæni I. postquam enim Arium, & eius asseclas nominatim anathematizauerunt, & Symbolum fidei Patres professi sunt; Subdunt, [Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, &c. anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.] Hi ergo omnes, sicut & alij nominati in canone 1. concilij Constantinop. I. per definitionem Ecclesiæ damnati sunt. Igitur eorum damnatio est fidei obiectum.

299. Prob. tandem. Negans Arium, Macedonium, Eutychem, Nestorium, Apollinarem, Paulum Samosatenum, vel alium quempiam ex damnatis à concilio, vel à Papa per definitionem, esse Hæreticum, siuè Hæreticos, est Hæreticus. Ergo est obiectum fidei, quòd sic per definitionem damnati, sint Hæretici. Nihil enim aliud requiritur ad obiectum fidei. Anteced. patet ex dictis suprà; nolentes enim dicere anathema, seu habere pro Hæreticis eos, qui à Concilio tales fuerant declarati, tanquam Hæretici habiti sunt. Ergo.

300. Dico 2. Quòd declarati Hæretici per definitionem Concilij, aut Papæ sint tales credendi, vt fidei obiectum, etsi non habeatur ex reuelatione explicita personarum; habetur tamen ex reuelatione generali implicita; & ex instinctu, ac suggestione Spiritus Sancti, quòd particulares illæ personæ sunt de numero reuelatorum implicitè, ac in vniuersali.

301. Prob. prima pars. Nusquam enim in Scriptura, vel in traditionibus reperiuntur nomina, aut damnationes istorum futuræ, vt legenti est manifestum. Igitur non datur explicita horum reuelatio; neque vllus id contendit.

302. Prob. secunda pars ex Matth. 24. vbi Saluator pluries reuelat futuros falsos quosdam Magistros v. 4. [Videte, ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo, dicentes: ego sum Christus, & multos seducent. Interl. dicit: Quorum primus Simon Magus, cui omnes in Samaria auscultabant, dicentes: hæc est virtus Dei magna v. 11. Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos v. 24. Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna.] Ergo reuelati sunt in genere falsi Prophetæ, ac falsi Magistri.

303. Confir. ex 2. Petri, cap. 2. [Erunt in vobis Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant; super inducentes sibi celerem perditionem; & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Et post multa: Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur, superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eorum, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cùm ipsi sint serui corruptionis.] Ecce, quòd prædicuntur Magistri errorum, ac falsæ doctrinæ, qui futuri erant.

304. Confir. 2. ex 2. Timot. 4. 3. [Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus: à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Glossa ordin. Magistri, quæ est Augustini, dicit: Hos Magistros Salomon vult per mulierem, de qua ait: Vanitas impletum mulier est insipiens; & audax, quæ inops panis, conuocat prætereuntes, dicens, panes occultos libenter attingite; & aquæ furtiuæ dulcedinem; cùm sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis, &c. Et post aliqua subdit August. Sub Christiano enim vocabulo multas scelestas hæreses condidit, nefandas fabulas finxit. Et nænias tales, quales in theatris cantantur, siuè inimica scurrilitate ridentur. Illam insipientiam dolemus, & miramur audaciam.] Agnouit Augustinus verificari Salomonis vaticinium de eiusmodi Magistris iniquitatis. Si autem ad literam Salomonis prophetia explicanda sit, in quibus meliùs, quàm in audacibus illis fœminis Montani Pseudoprophetissis, Maximilla, & Priscilla, quæ in Pepuza Phrygiæ loco suis fabulis, ac nænijs plurimos, & Tertullianum ipsum dementarunt. Hi ergo iniqui Magistri, & Hæresiarchæ, omnes à Christo præuisi, & per ipsum, & per Petrum, ac Paulum in genere prædicti sunt futuri in Ecclesia. Cùm ergo aliquis nouiter insurgens, declaratur ab Ecclesia in Concilio, seu à Papa de Cathedra, esse Hæreticus, vel Hæresiarcha, ratione nouæ doctrinæ, contrariæ Scripturæ, vel traditionibus; eatenus eius damnatio euadit de fide; quia prædictus fuit falsus Magister in generali illa reuelatione.

305. Confir. 3. act. 20. 30. vbi Paulus ait Ephesijs: [Ego scio, quòd post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; & ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.] Ergo Magistri hæresum, in genere sunt reuelati. Deus autem sic reuelans, in indiuiduo eos videbat.

306. Prob. 2. à pari, quòd libri damnati, vt apocryphi sint tales, est obiectum fidei; & tamen libri isti in indiuiduo, & explicitè non sunt reuelati, nusquam in Scriptura, neque in traditionibus Apostolicis, aut Dominicis eorum fit mentio saltem aliquorum, qui post Apostolos prodierunt: nam de alijs apocryphis, qui ante eorum tempora circumferebantur, potuit haberi traditio. Antec. prob. ex concilio Rom. sub. Gelasio, & habetur nunc in can. Sancta Romana dist. 15. vbi damnantur innumeri ferè libri, & opera tanquam apocrypha; alij autem ve canonici approbantur. Idcircò, sicut de Fide est aliquos esse canonicos, ità &, alios non esse tales, sed damnatos. Conseq. prob. quia non est maior ratio de libris, & de personis damnatis, si de vtrisque Ecclesia definiat.

307. Prob. alia paritate rerum Facti, quæ explicitè reuelatæ non sunt; vt dictum est de Ecclesia, Papa, & canonizationibus, ac sensuum propositionum, Nunc alio exem-

plo

plo rem coufirmo, nempe conciliorum Generalium, quòd enim Concilia Generalia fuerinr legitima, est Fidei obiectum; & tamen hæc in indiuiduo futura esse nuspiam explicitè est reuelatum, sed rantùm implicitè, immò indirectè, Matt. 18. [Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo. Ex ex Factis, ac traditinnibus Apostolicis, ipsi enim Act. 1. & 7. ac 15. nec non ante separationem ab inuicem, plura cnngregarunt Concilia. Antec. prob. Nisi talia essent, non possent dogmata fidei proponere: non enim effectus supernaturalis potest prnecedere a causa purè naturali. 2. Quia hæc concilia sunt authnritatiua, sicut Euangelium, ex can. Sicut Sancti. dist. 15. quia in eis assistit Spiritus Sanctus ex Christi promissione. Ex Vigilio, Ep. 9. & 11. & Spiritus Sanctus per Patres in eo loquitur. Ex Hormisda post Epist. 1. cap. 1. suggerit, quæ agenda sunt. Ex Trid. Sess. 13. in proemio; & ideò omnia ista legitima, in suis proemmijs, ac definitionibus semper hæc verba præmittunt; [Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata. Et propterea in prnfessione fidei prn Orientalibus id est appositum, vt nempè profiteantur, se recipere Concilia Generalia legitima nominatim expressa, & ea non recipiens, est anathema. Ergo. Confir. Qui enim negatet, aliquod ex Concilijs Generalibus legitimis fuisse legitimum, vt Hæreticus tractaretur. Id autem esse non posset, nisi quia aliqnid contra Fidem negaret.

308 Confir. 3. Alia paritate Conciliorum; quia tenetur fidelis credere, quòd Concilium generale repræsentet Ecclesiam vniuersalem, ex Cnncil. Cnnstantien. in instructinne Martini V. ad discernendum hæretiens Wicleffistas, interrogetur quinto, [Vtrùm credat, teneat, & asserat, quòd quodlibet Concilium generale, etiam Constantiense vniuersalem Ecclesiam repræsentet? In sequenti interrogetur: Vtrùm credat, quòd illud, quod Sacrum Concilium Constanriense vniuersalem Ecclesiam repræsentans approbauit, & approbat in fauorem fidei, & ad salutem animarum; quòd hnc est ab vniuersis Christi fidelibns approbandum, ac tenendum; & quod condemnauit, & condemnat, esse fidei, vel bonis moribus contrarium; hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum;] ea antem omnia, quæ approbauit, aut condemnauit hoc Concilium, non erant reuelata explicitè, vt approbanda, vel damnanda, sicnt constat; damnauit enim, & Wicleff, & Huss, & Hieronymum de Praga, & eorum scripta, & articulos, in summa 75. quæ explicitè, nec in Scriptura, nec in traditionibus, quò ad singnla continentur; sed multa implicitè tantùm; & maximè Auctores.

309 Prob. 3. pars. Ex nuper dictis personæ anathematizatæ non sunt reuelatæ explicitè, neque quò ad nomina eorum, neque quò ad anathematizationem. Igitur, ne erretur in tali anathemate, seu definitione, est necessarium aliquod supernaturale lumen, seu instinctus diuinus, vel suggestio, qua certè, & infallibiliter Persona, anathemate digna cognoscatur. Sicut de doctrinis generaliter, & in confuso reuelatis suprà dictum est, & de obiecto formali fusius dicetur, hoc enim instinctu Ecclesia ex principijs reuelatis deducit conclusiones in eis inclusas, & ex eis necessariò deducibiles.

310 Confir. Nisi hic instinctus, seu hoc lumen, conducens ad infallibilem operationem, seu damnationem esset necessarium; sequitur, quòd quilibet Scholasticus, vel Canonista, vel saltem Episcopus posset aliquem ex vana doctrina anathematizare, & vt talem Ecclesiæ proponere; sicut de facto aliquem hæreticum declarat ex doctrinis depositis; quod est salsum. Ergo.

311 Confir. 2. Paritate canonizationum, ex art. 3. §. 1. Eatenus est obiectum fidei, quòd aliquis canonizatus sit Sanctus, licèt virtutes, ac miracula ipsius naturaliter per processum, & dicta testium sint probata; quia in generali reuelatione prædictum est, quænam sint conditiones, ac certæ notæ alicuius Sancti, & à Saluatore pariter prædictum, quòd vbi ipse est, illic, & eius Minister erat futurus; & summus Pontifex auditis virtutibus, & miraculis, ex Dei illuminatione, atque instinctu agnoscit, probationes veras esse, ac talem Dei seruum ijs virtutibus, atque miraculis coruscasse. Ergo ità dicendum de damnatione Hæresiarchæ, prn tali proponendi, vt anathematizetur, ac vitetur, supposita enim generali reuelatinne de horum impiorum futuritione, & diligentijs, An hic, vel ille sit talis: Deus assistit Concilio, vel Papæ, vt agnoscat per instinctum, ipsum esse talem, & ità definit, atque credendum proponit.

Ob. contra 1. Ex praxi Ecclesiæ, damnationes hæreticornm nunquam inter articulos, seu obiecta credenda fuerunt repositæ, vt ex consideratione symbolorum omnium patet. Ergo

312 Resp. disting. anteced. Nnn fuerunt repositæ explicitè, concedo; implicitè, nego. Ratio est, quia quoties articuli fidei creduntur, toties implicitè oppositæ doctrinæ creduntur falsæ, & damnatæ. Et cùm creditur, quòd hi, vel illi sunt Auctores canonici, toties creditur, quòd Auctores docentes contrarium sunt falsi, & Apocryphi, quando autem aliquis in indiuiduo ab infallibili auctoritate declaratur talis; tunc nihil deficit, quin explicitè sit credendus talis.

Ob. 2. Inter nbiecta fidei non computantur Magistri, docentes veritatem reuelatam; ergo neque debent computari Magistri damnati, docentes falsitatem. Anteced. probat, quia nuspiam legitur talis cathalogus Magistrnrum credendnrum, neque talis obligatio credendi. Consequ. prnb. à fortiori, quia Magistri falsitatis eatenus pertinent ad obiectum fidei, quatenus contrarij Magistris fidei. Igitur, si Magistri fidei solùm humana fide creduntur, & non diuina, quia à Deo non reuelati; multò minùs magistri falsitatis.

313 Resp. dist. anteced. Non reponnntur omnes, transeat; quamplures, nego. Nam certum est, omnes Scriptores sanos, seu canonicos reponi inter obiecta fidei, sicut, & libri ab eis compositi, vt ex canone Scripturæ, tam Innocentij. & Gelasij, quàm Concilij Florentini, ac Tridentini conspicuum est. Secundò alij plures ab Ecclesia creduntur magistri veritatis, & vt tales sunt canonizati, omnes nempè Doctores, quos Ecclesia pro-

posuit, & proponit fidelibus, vt ex can. Sancta Romana dist. 15. & cap. vn. de Reliq. & Vener. Sanct. in 6. Et ità de alijs, quos Ecclesia proponit fidelibus, vt Sanctos Doctores. At dato, quòd eos non proponeret credendos, quia nototij essent, & sufficeret, humana fide eos credere tales; adhuc disparitas esset de anathemarizatis, vt hæreticis; isti enim tales essent, declarati per iudicinm insallibile Concilij, vel Romani Pontificis.

Dices si sic. Ergo omnes hæretici iam damnati essent obiectum fidei; quod est falsum. Nam negans aliquem ex damnatis esse hæreticum, nec perderet habitum fidei, qui per hæresim perditur; nec puniretur, vt hæreticus: nam non posset ei obijci, cuinam articulo contradiceret.

314 Resp. dist. anteced. Omnes damnati per sententiam insallibilem Concilij, vel Papę de Cathedra definientis, concedo. Alii aliter damnati, nego. Ad prob. nego antec. quò ad habitum fidei; id enim est probandum. Nego pariter quò ad reatum hæretici, is enim puniretur, vt hæreticus, & ideò in Concilijs, vt vidimus, non damnantes Arium, vel Nestorium, aut Eutychem, esto doctrinam damnarent, pro hæreticis habiti sunt. Et in Constantiensi non damnantes, Wicleff, & Huss, vel non credentes, eos verè, ac legitimè damnatos, tanquam hæretici puniebantur. Ad illud de articulo, cui contradicunt, in seqnenti patebit, contradicere reuelationi implicitæ Pseudoapostolorum, explicatæ per Ecclesiam de talibus personis.

Ob. 3. Quòd Nestorius, vel Arius, &c. fuerint hæretici, fuit factum totaliter humanum ex eorum dictis, vel factis notum. Ergo nequit spectare ad obiectum fidei. Anteced. prob. Quiuis eorum manifestauit ex semetipso suam hæresim. Et Episcopi eos damnarunt ex propria confessione, quamuis ergo hæresis, quia contratia doctrinæ reuelatæ, pertineat ad obiectum fidei, vt ab ea damnanda, qnia ei contraria; non tamen persona.

315 Resp. dist. antec. Implicitè antea reuelatum concedo; non reuelatum vllo modo, nego. Ad prob. dico: Quòd licèt hæreticus ille natutaliter fuerit notus, & seipsum prodiderit, vt hæreticum; tamen fuerat implicitè à Christo, tam per se, quàm per Apostolos Petrum, ac Paulum prædictus in vniuersali prædictione iniquorum magistrorum, qui futuri erant in Ecclesia.

Dices: si hoc sufficeret; omnia, quæ in dies accidunt, vel in posterum accident, pertinerent ad obiectum fidei; quod est falsum, imò ridiculum; cùm ista videantur, ac palpentur, quando existunt. Ergo. Anteced. prob. Omnia, quæ in dies accidunt, à Deo sunt præuisa, imò, & in aliqno vniuersali principio prædicta, vt patet de bello, peste, fame, mortalitate, & de omni aduersitate, quæ ob hominum peccata aduenite solet; & facilè erit doctis viris quamlibet calamitatem, in Sctiptura implicitè prædictam reperire, & ex ea eruere, maximè publicas.

316 Resp. nego sequelam. Ad prob. dico. Non sufficit implicita prædictio ad hoc, vt aliquid euadat obiectum fidei, sed requiritur, vt iudicio insallibili præuio proponatur à Concilio, seu Papa, tanquam aliquid per consequentiam necessariam deductum à principio illo implicitè, & virtualiter id continente. Et ideò, quamuis omnia, quæ contingunt, sint in aliquo vniuersali prædicta, non tamen, dum existunt, sunt obiectum fidei, quia non proposita ad credendum, ab insallibili iudicio Concilij, vel Papæ.

Dices 2. In deductione illa ex principio vniuersali adesse potest deceptio; Ergo. Anteced. prob. quia id non pertinet ad doctrinam.

317 Resp. neg. antec. & ratio est à pari, qnia sicut de canonizatione diximus, licèt sit aliquod natnraliter, & ex operibus notum, quòd aliquis pleuus virtutibus in amicitia Dei decesserit; & ex hoc capite nnn potest esse obiectnm fidei, quòd sit verè sanctus. Sed quia fuerat implicitè à Deo prædictus, & Ecclesia, seu Papa solus, præuio diligenti examine, & insallibili iudicio deducit, hunc esse vnum ex illis in generali prædictis; ità facit in casu damnationis alicuius Hæresiarchæ, quem vult fidelibus proponere, vt fugiendum. Ad illud de deceptione, dico, quòd sicut Deus assistit Ecclesiæ, & Papæ soli, ne decipiatur in conclndendo, quòd aliquis Sanctus sit vnus ex ijs, qui fuerant à Deo prædicti; ità assistit in hac alia deductione. Adde, quòd idem argumentum fieri posset contra deductiones doctrinales; & tamen firmiter tenemus, Deum in eiusmodi assistere Concilio, ac Papæ soli; non quidem per nouam reuelationem, sed per instinctum, illuminando nempè intellectum Episcoporum, & Papæ ad cognoscendum, & formandum rectam rationem, quòd ità sit, hoc enim modo Deus Ecclesiam regit in eiusmodi veritatum cognitione, ac iudicio; vt sæpè dixi.

Vrg. Potest instinctus ad deductionem veram, & necessariò consequentem in his admitti, quia ea pertinent ad professionem fidei, at non sic damnatio passiua alicuius hæretici.

318 Resp. qnòd in casu, quo Ecclesia eam facit, vt Ecclesiæ proponat, est eadem ratio, quia tunc pertinet ad professionem fidei reijcientis, nedum falsa dogmata, sed dogmatizantes, vt initio patuit.



EIVSDEM AVCTORIS.

DISPVTATIO OCTAVA.

De proponente legitimè res Fidei.

ARTICVLVS IV.

An sit necessarius proponens infallibilis omnium obiectorum fidei pro toto mundo? & quinam iste sit?

132 Dn. r. Quòd sicut sumus protestati in art.1.hucusque locuti sumus de proponentibus immediatis fidei iam stabilitæ in Ecclesia, & quæ ab omnibus est recipienda, si constet ab Ecclesia doceri. De ijs nempè, qui sunt idonei ex officio, vel ex delegatione, ad docendam fidem. Isti autem sunt fallibiles passiuè, & actiuè, qui Omnis homo mendax ex Psal.115. nisi habeat à Deo priuilegium infallibilitatis. Nunc autem est videndum, An sit necessarius in mundo aliquis proponens infallibilis, non solùm ad docendum noua dogmata, quæ in dies à sacra Scriptura, vel ex traditionibus eruuntur? Sed etiam, An fuerit necessarius ad proponendum ab initio, quæ cœperunt proponi fidelibus in principio Ecclesiæ, & in progressu; quæ quidem modò sunt stabilita; nec possunt ampliùs conuelli, vel in dubium reuocari? Et quis fuerit, & modò sit iste?

133 Adu. 2. Quòd fides Christiana in duplici tempore potest considerari. Primùm est ab anno trigesimo Christi, in quo cœpit prædicare, vsque ad annum 101. in quo postremus omnium mortuus est Ioannes Apostolus. In toto enim hoc spatio, & Christus per tres annos, & Apostoli, & alij 72. Discipuli fidem in toto mundo prædicauerunt. Secundum tempus est, vel ab anno, in quo decesserunt Apostoli, qui infallibiles erant: vel ab anno 69. in quo mortuus est Petrus (qui priuilegium infallibilitatis obtinuit pro se, & suis successoribus) vsque ad nostram ætatem; imò vsque ad diem iudicij. Et quæri potest, an in vtroque tempore fuerit, sitque necessarius aliquis proponens infallibilis, cuius testimonio standum sit tanquam veraci ex diuino priuilegio, tam circa definita, quàm circa definienda, & quis sit?

134 Adu.3. Quòd satis, superque de hoc argumento locuti sumus in disp.5.per totam, in qua de Ecclesiæ, & Romani Pontificis decretis ad fidem obligantibus abundè diximus. Quia tamen hìc de proponente authentico, & infallibili, cui standum est, agimus; aliqua etiam ex ibi dictis tangemus; alia verò ibi videnda omittimus, & de omni infallibili, qui huc vsque in lege noua proposuit aliqua inuenemus. Ideò

135 Dico primò. Primus in lege noua infallibilis proponens credenda, isque per essentiam, & pro toto mundo fuit Christus Dominus.

136 Probat. prima pars. Christus fuit Messias: id est missus à Patre, vt pluries in Euangelio testatur: Sicut misit me Pater,&c. ad docendum homines viam salutis,& à Paulo ad Hebr. 3. 1. appellatur Apostolus Iudæorum principaliter; quia ipse Iudæis tantùm in persona erat prædicaturus,quod argumentum latè prosequitur Paulus. Ideò Matt. 15. 24.[Missus sum, non nisi ad oues Israel, quæ perierant.] Et facto missionem ad Iudæos comprobauit; quia, nec extra Palæstinam abijt, nec alijs, quàm Iudæis prædicauit. Doctrina autem, quam proposuit, est doctrina fidei, quam credimus, docuit enim Trinitatem personarum cum vnitate essentiæ; necessitatem Baptismi; & Pœnitentiæ ob peccata post Baptismum, Eucharistiam, iudicium, resurrectionem, beatitudinem, & pœnam æternam, & cætera alia credenda, quæ in Euangelio, & in traditionibus eum proposuisse legimus. Alia de hoc argumento legantur in disput. de Propaganda Fide art. 1.

137 Prob. secunda pars, de veracitate infallibili. [Solus Deus verax, omnis autem homo mendax] ex Rom. 5. 4. At Christus est Deus. Ergo. 2. Christus erat per essentiam impeccabilis: [Quis ex vobis arguet me de peccato? Io. 8. 46. 3. ex Io. 1. erat plenus gratiæ, & veritatis. 4. ex Io. 14. 6. Ego sum via, veritas, & vita, & c. 18. 37. Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.] Ergo erat proponens infallibilis per essentiam, neque hoc controuertitur.

138 Dico 2. Post Christum, ex officio omnes Apostoli fuerunt infallibiles proponentes fidei pro toto mundo. Est de fide.

139 Prob. Apostoli, ideò tales dicuntur, quia missi à Christo; nam Ioan. 20. [Sicut

misit

misit me Pater, ità ego mitto vos, & Marci vlt. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.] Ecce missio authentica eorum. Illi autem profecti prędicauerunt vbique, vt ex Actis Apostol. Et scimus, quòd iuxta Dauidis vaticinium, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et ex Conc. Ephesino in epist. Cyrilli ad Nestor. Apostoli sunt Doctores totius orbis. Et ex cap. Fundamenta. de elect. in 6. & de facto, iussu Christi prædicarunt Euangelium in toto mundo canon. In nouo. dist. 21. & can. Sacrosancta dist. 22.

140 Quòd autem fuerint proponentes infallibiles, est de fide. Tum quia in die Pentecostes fuerunt confirmati in fide docenda: per gratiam septiformem, id est cum septem donis Spiritus sancti; tum, quia ipsi, vt nuper patuit, sunt fundamenta visibilia fidei Christianæ post Christum; tum etiam, quia Apostolorum doctrina non potest omitti, & vsque ad sanguinem est defendenda, & Papa ipse non potest, neque celare veritatem; quam Apostoli prædicarunt ex Concil. Rom. 6. sub Symmacho. Et ex Eusebio epist. 3. & doctrinas eorum contemnens, est Hæreticus, can. Quid autem 24. quæst. 3. Tandem quia Saluator 1 Matth. vlt. promittit eis assistentiam: [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.] Neque vllus vnquam, nisi Iudæus, vel Gentilis de infallibilitate Apostolorum in docendo dubitauit, quia ex Ioan. 14. & 16. Spiritu sancto dictante loquebantur.

141 Confir. ex praxi totius Ecclesiæ ab initio vsque nunc. Nam neque Catholici, neque Hæretici dubitarunt de veritate doctrinæ ab Apostolis propositæ; sed solùm an essent Apostolorum doctrinæ, nec ne. De hoc disputatum aliquando est. Adde, quòd Apostoli omnes miraculorum characteribus demonstrarunt, se veros veri Dei, ac veritatis Magistri præcones, ac legatos veridicos esse.

142 Dico 3. Præter Apostolos, inter homines, proponens infallibilis fidei pro toto mundo est Petri successor, Romanus Pontifex, siue cum Concilio aliquo Generali, aut Prouinciali; siue absque illis.

143 Probari potest hæc conclusio omnibus argumentis, à priori, & à posteriori allatis in disp. 5. art. 3. 4. & 5. Ipsi enim in Petri persona dictum est à Christo: [Pasce oues meas. Et eidem, Lucæ 22. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Solus Romanus Pontifex est vas Catholicum, Euangelij tuba, & præco iustitiæ] can. Agapitus. de consecr. dist. 2. Ipse solus est Apostolicus can. Cleros dist. 21. Est caput Ecclesiæ visibile ex Concilio Constantien. contra art. 27. Ioan. Huss. Est Vicarius Filij Dei sicut Petrus, ex eodem. Et ex Concil. Florentino in literis vnion. Armen. Extra vnam sanctam de maior. & obed. Est Magister, & Doctor omnium Ecclesiarum, ex Concil. Later. 3. in append. tit. de sponsalib. secundo, & ex Conc. Florent. vbi suprà. Nicol. I. in decr. de consuetudine can. Denique dist. 21. Est caput Religionis ex Nicol. I. in appendice epist. 14. ex Leone IX. epist. 1. cap. 10. & 15. Ratione officij, est sicut Sanctus Petrus ex Leone IX. epist. 1. cap. 31. & ex Concil. Constantien. in constitut. Martini V. Habet à Christo omnem potestatem necessariam ad regendam Ecclesiam, ex Pio II. in Bulla Retract. Solus iudicat, & soluit res fidei, sicut Sanctus Petrus, ex Melchiade epist. decret. Ergo post Apostolos, ipse, vel cum Concilio, vel sine eo, sufficienter proponit toti mundo obiecta fidei.

144 Prob. 2. ex praxi totius Ecclesiæ, & omnium Episcoporum, Doctorum, Sanctorum, & Conciliorum, quæ pro dubijs, & difficultatibus fidei, semper ad Romanum Pontificem habuerunt recursum, vt ab eo edocerentur. Et ipsamet Generalia Concilia etiam, si concorditer aliquod dogma definierint; semper ad Romanum Pontificem pro confirmatione recurrerunt, vt in dicta disp. abundè, ac distinctè pro viribus demonstrauimus, quæ replicare molestum est. Non sit graue lectori, plura facta authentica ibi legere.

145 Prob. 3. Nisi ità dicamus; omnia fidei fundamenta nutabunt. Ergo. Antec. prob. Quòd isti, & non illi sint fidei libri, seu Scripturæ canonicæ; & quòd alij, qui priùs in canone non connumerabantur, postea sint in eo repositi, & obligent ad credendum, auctoritate, & definitione Romani Pontificis scimus. Quòd canones omnes dogmatici ad doctrinam pertinentes, sint veri; & ad credendum obligent; eiusdem testimonio, & definitione habemus. Igitur, si ipse non sit infallibilis; hæc omnia non mererentur fidem diuinam: sicuti non merentur alij canones, siue Doctorum, etiam Sanctorum; siue Conciliorum tam Prouincialium, quàm Generalium, non confirmatorum à Papa; eò quòd subiecta sunt deceptioni, & de facto multa Concilia, atque Doctores errarunt, vt in disp. 5. abundè dictum est.

Dices 1. Libri canonici, qui sint, sciuntur per traditiones Ecclesiarum Matricum, seu Apostolicarum; & sic per consensum Ecclesiæ Vniuersalis. Igitur, etiam non admissa infallibilitate Papæ, adhuc stabilis est Ecclesia, nec fides nutat; nec aliquod sequitur absurdum.

Dices 2. Non potest assignari quomodo certitudo fidei circa libros canonicos resoluatur ad Papam, cùm Ecclesiæ omnes eos immediatè habuerint ab Apostolis; & ità nullum influxum ad eam videatur habere Papa.

Dices 3. Tam canon librorum sacrorum, quàm noui Canones fidei, à Concilijs Generalibus originem habuerunt, vt notum est de cunctis. Ergo nulla sequeretur Ecclesiæ ruina, nullumque malum, si non admittatur infallibilitas proponendi in Papa; sed sufficit, si ponatur in Ecclesia; Paulus enim 1. ad Timoth. 3. is de ea dicit, & non de Papa, [est firmamentum, & columna veritatis.] Ergo.

146 Resp. ad primum dist. antec. Sciuntur fallibiliter, concedo. Infallibiliter, nego. Olim enim ipsemet Ecclesiæ Matrices, non omnes libros canonicos habebant in canone. Et dato quòd habuissent, illæ iam defecerunt per hæreses, paucis post sæculis ab earum fundatione. Igitur, vt Cyprianus, & Tertullianus dicebant ex disp. 5. ad Romanam

pro

prò veritate erat recurrendum. Quis nos docere poterit Ecclesia Antiochena, Alexandrina, Hitrosolymitana, Ephesina, Cretensis, &c. schismaticæ, & hæresibus infectæ? Immò ipsæmet vt ex disput. 5. recursum ad Romanam habuerunt pro fidei veritate, & Ecclesia tota Græca pluries circa dogmata fuit à Romana edocta. Legantur historiæ; const. 14. Innoc. IV. Sub Catholicæ. Concil. Florent. in sess. vlt. const. 34. Clem. VIII. Sanctissimus, & canonem librorum ab ipso Concilio Florent. cui Papa Eug. IV. præsidebat, præformatum accepit.

147 Ad 2. patet Resp. ex disput. 5. ar. 2. 5. vn. Cùm enim ex ibi dictis diffusè, nullius Concilij etiam Generalis decreta, canones, seu dogmata habeant robur, firmitatem, aut vim obligandi Ecclesiam, nisi à Romano Pontifice, vel præuia instructione sint præformata; vel per sequentem confirmationem approbata; sequitur, quòd Romanus Pontifex influat in certitudinem librorum canonicorum quia vt ibi dixi, ipse tanquam testis authenticus, pro cuius fide in docendo Christus orauit, dum confirmat Concilium, testatur quòd Patres in decernendo non sunt decepti. Adde quòd, vt suo loco ibid. dixi, Innocentius I. ac Gelasius, canonem sacræ Scripturę in suis Prouincialibus Concilijs stabilierunt. Confert ergo, & influit in certitudinem canonis Rom. Pontifex; ac propterea si falli, & fallere in hoc potest; nullam haberemus canonis Scripturæ firmitatem infallibilem.

148 Ad 3. patet per idem. At rogo lectorem, ne huius solius articuli lectione pro hac materia sit contentus; quia est omnium grauissima, & in hoc loco non est pro dignitate discussa. Sed dignetur legere disp. 5. præcipuè ab art. 2. vsque ad 8. in quo congesta sunt potissima argumenta ad rem istam facientia.

Dices. Plures Romani Pontifices circa dogmata fidei docenda errarunt. Ergo. Anteced. ex historijs patet.

149 Resp. neg. Anteced. At quoniam huius argumenti discussio prolixa est; & pee eam vendicandæ sunt calumniæ, quæ contrà Romanos Pontifices, & contrà asserta in disp. 5. adduci solent. Articulum instituam de huiusmodi di erroribus, Romanę Sedi, atque Pontifici affictis, an veri sint; an potiùs verę calumniæ. Ideò sit.

ARTICVLVS V.

In quo soluuntur argumenta contra infallibilitatem Papæ, in definiendis, & proponendis fidei dogmatibus.

150 ADu. quòd Hæretici omnes in primis, absolutè negarunt Romani Pontificis potestatem in faciendis decretis fidei, & infallibilitatem in proponendo ipsa decreta. Aliqui verò Catholici ei cum Concilio operanti infallibilitatem non negant. Sed negant, si absque eo definiat. Alij communiter eam concedunt, tam in Concilio, quàm extrà, sed aliud monent dubium, an sit de fide, quòd Papa solitariè, & sine Concilio generali definiens, sit infallibilis, affirmantibus multis, negantibus alijs, quia dicunt esse tantùm conclusionem theologicam, cuius opposita est temeraria, seu erronea. Quidquid sit de hoc dubio, licèt ego assentiam primæ sententiæ affirmanti, ab hac quęstione abstineo, quia parum refert dummodo concorditer concedatur infallibilitas eius in definiendis rebus fidei; principale quæsitum exagito de potestate definiendi, & infallibilitate. At quoniam de prima fusè egi in disp. 5. ab art. 3. & deinceps, de secunda tantùm loquar.

151 Adu. 2. Quòd fortius argumentum, quo impugnatur infallibilitas Rom. Pontificis est illud, quod deducitur ex quibusdam erroribus affictis Pontificibus. Ideò in hoc erit laborandum, an de eis constet, nec ne.

152 Adu. 3. Quod moueri solet duplex quæstio in hac materia. Prima est, an Papa possit errare quo ad se, & vt persona priuata, per hæresim internam, atque etiam externam, ità vt perdat habitum Fidei. Secunda principalis est, an possit errare docendo hæresim.

Aliqua breuiter dicam de prima. Posteà, de assertis factis loquar pro secunda, & quæsitum in plures §§. distinguam.

§. I.

An Romanus Pontifex possit in hæresim incidere, etsi eam non doceat?

153 DIco. Quamuis probabile sit, Romanum Pontificem non posse in hæresim incidere, neque quo ad seipsum tantùm, seu vt priuata persona; tamen probabilius videtur, quòd possit in personalem hęresim incidere; licèt non possit eam docere, de quo infra.

154 Prob. prima pars ex facto. Plures enim sancti Pontifices docent, Rom. Pontificem in fide nunquam errasse. Ergo. Antec. prob. Lucius I. in epist. 3. Marcus in epist. ad Athanasium. Leo II. in epist. 2. in qua defendit Honorium, sed eum insimulat de negligentia, quòd Monothelitis non restiterit Apostolico robore. Nicolaus I. ad Consul. Bulgar. cap. 106. Agatho in epist. ad Imperatores in Concil. gener. 6. art. 4. Gregor. VII. lib. 2. post. epist. 55. & lib. 8. epist. 1. Eusebius epist. 3. can. A recta. can. In sede, can. Hæc est Fides. 24. qu. 1. Hi omnes asserunt, Rom. Pontificem in fide nunquam errasse.

155 Confir. ex Hieron. ad Damasum in expositione Symboli, & nunc habetur in can. Hæc est fides, 24. qu. 1. dicente [Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit; & Domino prouidente, & Beato Petro Apostolo operante in futuro manebit, sine vlla Hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.] Ergo. Conseq. prob. hìc enim loquitur Hieronymus de personali, & propria hæresi, non de dogmatizatione, seu propositione fidei.

156 Prob. 2. Paschalis II. ex tom. 3. Concil. & ex Baron. tom. 12. anno 1116. cum ob quietis bonum Henrico Imperat. concessisset Ecclesiarum inuestituras, contrà Later. I. Con-

Concilij decretum, diffamatus de hæresi, ad se purgandum, & corrigendum, aliasque causas, Concilio intimato, & congregato cùm factum à se damnasset. [Brunus Episcopus Signiæ dixit: Gratias agamus, quòd Dominum Paschalem Papam, qui præsenti Concilio præsidet, audiuimus proprio ore damnantem priuilegium illud prauitarem, & hæresim continebat. Subdens: Si priuilegium hæresim continebat, qui illud fecit, Hæreticus fuit. Tunc Caietanus Episcopus ad hæc commotus Signino respondit: Romanum Pontificem appellas Hæreticum? Scriptum, quod fecit Papa, malum quidem fuit, sed non hæresis. Et alter dixit, Neque malum fuit, &c. Papa autem horrendo hæresis nomine pulsatus, manu silentium indicens dixit: Fratres, & Domini mei, audite: Ecclesia hæc nunquam habuit hæresim, immò hic omnes hæreses conquassatæ. Ab hac Sede hæresis Eutychiana, & Sabelliana contrita; Photiuus, cæterique Hæretici destructi sunt. Pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua orauit, cùm dixit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.] Si autem esse posset Hæreticus; inaniter se hoc argumento defendisset; nam eius aduerarij potuissent respondere. Esto alij non sint lapsi in hæresim, quid inde? Nos te accusamus lapsum; igitur probatio Paschalis concludebat de impotentia etiam labendi, alioquin non se purgasset sufficienter. Sicut si quis diceret: Mei maiores, & antenati non patrarunt homicidium, aut sacrilegium, igitur neque ego, non admitteretur hæc probatio pro innocentia, immò tanquam inanis, & à nullo iure admissa derideretur. Igitur de impotentia intelligit Paschalis.

157 Probari etiam solet per illud Luc. 22. [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua;] vbi notatur tua. Si ergo Petri successores eius priuilegio gaudent, quo ad hoc, vt ex pluribus, & Rom. Pontificibus, & Patribus, atque Concilijs ostendimus in disp. 5. cùm Petri fides etiam personalis non poterat omitti in eo; sequitur, quòd neq; in successoribus eo priuilegio fruentibus, possit omitti.

158 Probari solet 4. ex ordinato modo operandi Dei, quia non prouidisset sufficienter Ecclesiæ necessitati, si Pater, qui alios regere debet in fide, potest ab ea cadere; nam cæcus nequit cæcum ducere.

159 Probari tandem potest authoritate Doctorum id docentium. Pighius de eccles. hierarchia lib. 4. cap. 8. Cardinal. Belar. de Rom. Pont. lib. 4. cap. 6. Suar. tomo 1. de fide disp. 10. sect. 6. num. 11. & alij minoris considerationis ab eis citati, qui omnes tanquam magis probabilem, & dignitati Pontificię, immò & Christi prouidentiæ magis conformem, defendunt.

160 Prob. tamen secunda pars, opposita, quòd possit errare vt priuata persona. Hoc priuilegium Romani Pontificis de immunitate hæresis personalis, nusquam explicitè in Scriptura legitur. Sed, quod in Petro, & successoribus propugnatur, est de Magisterio, quòd nimirum non posset alios de Cathedra docere hæresim; vt mox dicetur. Validum est ad hoc argumentum desumptum ex can. Si Papa dist. 40. qui est Bonifacij martyris, qui consultus, an Papa possit ab aliquo in terris iudicari, inter alia dicit: [Huius culpas isthic redarguere, præsumit mortalium nullus; quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. & gloss. à fide deuius,] prolixè discurrit super hac materia, cur possit accusari de hæresi etiam occulta, & non de alio crimine; & Hugo ex eadem gloss. dicit, quòd si Papa est paratus corrigi de hæresi; non potest accusari. Igitur per hunc textum, & glossas Papa, vt persona priuata, & quò ad se, potest deuiare à fide, & in hæresim incidere.

161 Confir. ex glossa, Nouitaribus, can. A recta; 24. qu. 1. vbi habetur; sed certum est, quòd Papa errare potest, & de errore in fide, & de eo vt priuata persona est sermò.

162 Prob. 2. Nisi, vt priuata persona posset labi in hæresim; frustra controuerteretur inter Canonistas; immò, & inter Theologos, an Papa per aliquod graue crimen, saltim hæresis, possit deponi; & an eo in casu esset iure diuino, de facto priuatus Papatu; an verò deberet ab Ecclesia indicari, & declarari, quòd iam esset à Deo priuatus. Et Azotius par. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 6. docet quòd Papa lapsus in hæresim, certè iure diuino priuatus est Papatu; tamen ex Ecclesiæ sententia debet declarari, ipsum ob crimen hæresis à dignitate excidisse: & pro hac sententia alios adducit. At quidquid sit de iudicio hoc; habetur quòd Papa possit in hæresim labi.

Confirmari potest hæc sententia ex dicendis in tota hac disputatione, in qua liberamus à calumnia omnes Rom. Pontifices, de hæresi insimulatos. Doctores enim, non hoc medio vtuntur, quòd, scilicet non possint in eam incidere, vt priuatæ personæ; sed alijs, ex dicendis de Honorio in §. 8. nam aliqui eum defendunt per negationem facti, nempè damnationis à Concilio 6. & Leone II. alij per temeritatem Concilij, quod non potuit de Papa iudicare. At validè obstat querela Adriani ibi referenda, quòd Græci cum Photio iudicarint de ipso Papa, addens, quòd si in Concilio 6. iudicatus fuit Honorius; agebatur de hæresi. Et sic videtur approbare, quòd saltim erat capax incidendi in eam. Ergo non videtur absurdum, quòd vt priuata persona possit in eam labi. Licèt non possit eam docere, ex priuilegio Christi.

163 Prob. 2. ex cap. Quia quorundam de verb. signif. Extrà. Ioann. XXII. Papa quædam dicit vt priuatus Doctor, quædam verò, vt Papa, & de facto plures in Papatu tractatus quosdam scripserunt, vt Innocentius III. Innocentius IX. Adrianus VI. & alij, & hoc vt priuati Doctores; Immò Innoc. IV. interrogatus cuiusnam authoritatis vellet esse sua scripta, sapienter respondit: qualis competit priuato Doctori. Et hoc modo facilè saluantur multa dicta Rom. Pontificum, vt optimè notat Alphonsus de Castro lib. 1. de iusta Hæret. punit. cap. 6. Ergo vt priuati Doctores potuerunt in fide errare.

164 Prob. 3. ex hebr. 5. 1. [Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur &c. qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propte-

pterea debet, quemadmodum pro populo, ità etiam pro semetipso offerre pro peccatis.] Nullum Pontificem Paulus excludit, nec ab vllo peccato facit immunem. Ergo.

165 Prob.4. Dum Theologi, & canonistæ liberant multos Pontifices à labè hæresis, quæ eis affingitur (vt nos cum eis faciemus in sequentibus) non vtuntur hoc medio, quòd nempè non possit Rom. Pont. vt priuata persona in eam incidere; sed, vel quia in eam de facto non inciderit, vel quòd eam cœteros non docuerit, vel quòd inaduertenter, vel quòd æquiuocè sit locutus, vel tandem, quòd negligens fuerit in ea explodenda, & ideò apud multos suspectus de ea sit habitus. Ergò signum est, eos agnonisse fragilitatem labendi.

166 Prob. tandem auctoritate Doctorum grauissimorum hanc sententiam tuentium, Turrecrem. lib.1. cap.112. Couar. lib. 1. var. resolut. cap.10. num.12. Caiet. de auctor. Papæ cap.9. & in Apol. par.2. cap.13. Soto in 4. sent. dist.22. quæst. 2. art. 2. Alphonsus de Castro de iusta hæret. puuit. lib. 2. cap. 23. Cano, lib.6. cap.8. ad 11. Turrian. lib. de fide disp.11. cap. 1. & alij multi, Ideò existimo hanc sententiam esse probabiliorem. Argumenta in contrarium facillimè soluuntur, vt patet.

At quoniam, tam hæretici, quàm aliqui catholici, etsi pauci, ex factis inferunt Papam, & vt priuatam personam, & vt alios docentem posse errare, facta, quæ objici solent discutiemus, à Petro incipiendo.

§. II.

An sanctus Petrus vnquam à fide exciderit?

167 ADu.1. duos lapsus solere Petro opponi, vnum tempore passionis Christi, dum, eum cognoscere negauit; alium dum gentilibus conuersis, legalia permittebat, de quo fuit à Paulo reprehensus. Et de vtroque videndum, an hi fuerint lapsus infidelitatis, nedum externæ, sed internæ, itè vt in vtroque, vel altero, habitum fidei per hæresim amiserit: & quamuis primus ad nostrum non faciat institutum, quia eo tempore Petrus adhuc non erat Papa; tamen eius discussio valdè confert ad verificandam illam Christi promissionem, Lucæ 22. [Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.]

168 Adu.2. Magnam inter Patres, præsertim Ambrosium, & Augustinum, videri controuersiam, an Petrus negauerit Christum hominem, vel etiam Deum. Item magnam esse inter Augustinum, & Hieronymum de lapsu eius, quisnam fuerit, dum legalia gentilibus, vel præcipiebat, vel permittebat: quæ omnia in Petri, & veritatis obsequium breuiter, sed distinctè aperiemus.

169 Adu.3. Negationem Petri, sic accidisse ex Matth. 26. dum Saluator in domo principis sacerdotum à militibus illuderetur, colaphis cæderetur &c. Petro sedente in atrio, ancilla quædam ait: [Et tu cum Iesu Galilæo eras.] Petrus negauit dicens: [Nescio quid dicis.] [Et exeunte illo ianuam, alia ancilla, & ait his, qui erant ibi, & hic erat cum Iesu Nazareno.] [Petrus autem iterùm negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem.] Itàque non negauit Christum esse Deum, neque negauit, eum esse Messiam, neque quòd veritatem prædicaret, vel aliud simile, sed negauit se esse discipulum eius, aut cognoscere eum. An verò, dum id negauit externè, & peccauit, fidem amiserit? an solùm gratiam? est quæstio, cùm fides, vt suppono ex dicendis in proprio loco, non perdatur, nisi per internum dissensum obiecto releuato, his præmissis.

170 Dico 1. Negatio Petri, non habuit pro termino purum hominem, sed illum, qui ibi erat, nempè Christum, hominem Deum.

171 Prob. Eum negauit cognoscere, de quo interrogabatur, & de cuius cognitione iudicabatur, & quem eousque secutus fuerat. Sed ille erat non purus homo, sed homo Deus. Ergo.

172 Confir. Illum negauit, quem Christus ipse paulò ante prædixerat Petro, hunc fore negaturum. Sed hic erat Christus homo Deus. Ergò ad eum terminata est negatio.

173 Confir.2. Eatenus aliqui dicunt, eum negasse hominem tantùm, quia audiunt Petrum dicentem, non noui hominem. Sed hoc non obstat; nam tunc non erat quæstio, an ille ligatus, ac cæsus, esset Deus, nec ne? sed de discipulis illius hominis. Ideò Petrus ad interrogata respondens ait: Non noui hominem, idest istum, de quo me interrogaris. Ille autem erat homo Deus. Igitur negauit, se esse discipulum sequacem, seù cognitorem illius hominis Dei.

174 Confir.3. Alij ideò dicunt, eum negasse hominem, vt excusent à labe infidelitatis. Sed neque excusarent si hominem negasset. Et non adest necessitas id dicendi, vt ab infidelitate excusetur. Ergo nequit hoc dici. Prob. min. quo ad primam partem. Si negatio illa discipulatus Christi, fuisset coniuncta interno dissensui, iam Petrus fecisset actum infidelitatis, discipulatum negans.

175 Prob. 2. ex Augustino tract. 66. in Ioan. explicitè id docente; [An Apostolus Petrus, sicut eum quidam fauore peruerso excusare nituntur, Christum non negauit, quia interrogatus ab ancilla, hominem se nescire respondet; sicut alij Euangelistę contestantur expressius? Quasi verò, qui hominem Christum negat, non Christum negat, & hoc in eo negat, quod factus est propter nos, ne periret, quod fecerat nos. Sed quid multis immoror, cùm ipse Dominus abstulerit omnes humanæ argumentationis ambages; non enim ait, non cantabit gallus, donec hominem neges, aut sicut loqui familiariter cum hominibus dignatione consueuit, non cantabit gallus, donec Filium hominis ter neges. Sed me; quid est me, nisi quod erat, & quid nisi Christus erat? quidquid ergo eius negauit, ipsum negauit, Christum negauit. Dominum Deum suum negauit.] Quid clarius? certè id Augustinus dicere voluit con-

P tra

tra Ambrosium dicentem, Petrum negasse hominem.

176. Confir. hoc idem ex Hieronymo in cap. 26. Matth. ver. [Et negauit iterum cum iuramento. Scio quosdam pij affectus erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum: nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm friuolum sit, prudens lector intelligit, si defendunt Apostolum, vt Deum mendacij reum faciant. Si enim iste non negauit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat, hac noctè antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, me negabis non hominem.]

177 Dico 2. Illa Petri negatio peccatum mortale fuit, externæ tantùm infidelitatis.

178 Prob. prima pars. Nisi esset mortale, non foret tanta emphasi, & exaggeratione à Christo prædictum [Hac noctè antequam gallus cantet, ter me negabis:] neque pœnitentia adeò grandis fuisset Petro pro negatione necessaria. [Exiuit foras, & fleuit amarè,] imò de eo scribitur, semper fleuisse, quoties suæ negationis recordabatur. Ergo.

179 Confir. ex August. tract. 66. in Ioan. [Non accusemus Christum, cùm defendimus Petrum; peccatum agnouit infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Et prorsùs Petri infirmitas peccatum agnouit, & quantum mali Christum negando commiserit, plorando monstrauit; ipse suos redarguit defensores, & vndè eos conuincat, producit lacrymas testes.] Et rationem huius infirmitatis assignat in serm. 149. de tempore: [Quare non attenderit illud, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; dicens, Nondum vires acceperat, vt impleret promissum.] Idem clarius ex sequenti conclusione, quia confessio externa fidei est ad salutem necessaria.

180 Prob. 2. Erubescentia christianitatis, seù discipulatus Christi adducit damnationem; huius generis fuit negatio Petri. Ergo mai. patet ex Lucæ 9. 26. [Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris &c.]

181 Prob secunda pars. Præceptum fidei, nedum obligat ad internum assensum circa obiecta fidei, sed etiam ad externam confessionem in tempore, & loco congruis, quando nempè est necessaria protestatio fidei vt in suo loco dicetur ex Matth. 10. 32. [Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo] & Rom. 10. [Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.] Ergò omissio talis confessionis, vel opposita confessio, est externa infidelitas. Peccatum enim contra fidei præceptum, nequit aliter appellari.

182 Confir. Quoties christiani coram iudice fatentur, se tales esse, vt de multis legimus, si pro ea confessione patiuntur mortem, sunt veri testes fidei, verique martyres, quia tunc implicitè etiam confitentur, veram esse legem, ac doctrinam Christi. Ergo, qui negantes externè, se esse christianos, si coram iudicibus, alijsuè id faciant, ne tales existimentur externè, negant etiam implicitè christianam legem. Ideòque externi hæretici sunt. Imò contra eos procederetur, tanquam contra hæreticos; quamuis internè fidem non negassent, nec enim eis crederetur, quòd internè non negauerint; nisi sint spontè comparentes. Cùm ergo tale peccatum non possit ad aliud vitium reduci; nec sit contra aliam virtutem, nisi contra fidem, externa infidelitas est.

183 Dico 3. Negatio Petri non fuit interna infidelitas, seù hæresis, & ideò fidem non amisit.

184 Prob. Si interna fuisset, assensum infidelem habuisset, & sic fidem amisisset. Sed non amisit. Ergo mai. prob. Quia per assensum infidelem amittitur fides, vt dicetur postea. Min. prob. paulò ante negationem ex Lucæ 22. Christus dixerat: [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.] Ergò, ne Saluatoris promissio statim euanesceret, dicendum est, eam non perdidisse. Vndè August. lib. de correct. & grat. cap. 8. ait: [An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrum eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset, quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet?] Ergo, nedum eam non perdidit, sed ex Augustino neque poterat, si vellet.

185 Prob. 2. Petrus ex timore externè tantùm negauit dicens, se non esse ex discipulis Christi, non autem internè. Ergò antecedens prob. ex August. lib. contra mendacium cap. 6. dicente: [Nonne penè omnes, qui Christum coram persecutoribus negauerunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, & tamen ore ad salutem non confitendo perierunt, nisi qui per pœnitentiam reuixerunt?] Deindè de Petro ait: [Quis ita euanescat, vt existimet, Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negauit? nempè in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lacrymis diluit, quod ore negauerat, si saluti sufficiebat, quod corde credebat? Cur credens in corde suo veritatem, tam amaro fletu puniuit mendacium, quod ore deprompsit, nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad iustitiam; sed ore non confessus est ad salutem.] Ergo.

186. Confir. ex Ambr. in cap. 22. Lucæ vbi, nedum dicit, Petrum internè non fuisse infidelem, sed dicit, eum, neque Christum, vt Deum negasse externè, sed in hoc ab August. & Hieronymo impugnatur; & nemo ferè eum sequitur. At in hoc eum eis consentit, quòd Petrus internè infidelis non fuerit.

187 Confir. 2. ex Chrysost. Homil. 83. in Matth. vbi Petrum non amisisse fidem docet, non dixit Iesus: [Rogaui vt non neges, sed vt non deficiat fides tua.]

188 Prob. 3. Nullus vnquam, nec hæreticorum, ausus est dicere, Petrum in eo casu negationis fuisse hæreticum. Etsi enim aliqui dicant, eum amisisse fidem, id de externa confessione intelligendum est; sicuti de multis persecutionis tempore negantibus, existimat Augustinus, vbi supra.

189 Prob. 4. Hæresis, per quam fides habitualis amittitur, essentialiter, vt in suo loco dicam, est internus assensus contrarius fidei

ex parte, vel ex toto cum pertinacia. At nullus potest asserere, quòd Petrus hunc assensum internum habuerit; neque ex verbo externè prolato potest id colligi. Ergo. Min. de primo prob. Quia neque Petrus alicui manifestauit, quòd cum habuerit, neque Deus, qui interna cognoscit, id alicui reuelauit. Igitur, nullus potest ex certa scientia asserere. De secundo probatur; quia ex verbo externo, tantùm habetur, quòd timens, ne ligaretur, & tractaretur, vt Christus, dixit, se non esse eius discipulum, neque eum cognoscere. Ideò, nec negauit, eum esse Christum, aut Deum, aut Messiam, aut quòd vera esset eius doctrina. Vnde ergo colligitur hæresis? Adde, quod Hæretici externi tantùm, etiamsi articulum negent, nisi internè assentiant, non sunt formales, neque adæquatè Hæretici. Igitur multo minus Petrus.

190. Dico 4. Petrus verè, & realiter fuit correctus à Paulo ratione legalium, quæ Gentilibus conuersis, atque conuertendis ad fidem Christi, iubebat, seu permittebat.

191 Prob. ex textu expresso Galat. 2. [Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem eius restiti, quia repræhensibilis erat. Et Assignat causam; Prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant; & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: si tu cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè: Quomodo Gentes cogis iudaizare? Nos natura Iudæi sumus, & non ex Gentibus peccatores. Scientes autem, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.] Ecce clarus textus.

192 Prob. 2. Etsi D. Hier. vt optimè Gl. ord. notat, contra Augustinum sentiat, repræhensionem factam Petro à Paulo fuisse, non veram, dispensatoriam, seu simulatam, quod mox declarabitur; fatetur tamen adfuisse verè, & realiter factam, sicut Augustinus, & alij omnes Scripturam sequentes, testantur. Ergo.

193 Confir. Si semel negatur Scriptura aliqua canonica, quid in cœteris remanet firmitatis, ac roboris, vt optimè August. in Epist. 9. ad Hieron. & habetur in can. [Si ad Scripturas Sanctas admissa fuerint, vel officiosa mendacia; quid in eis remanebit authoritatis? Quæ randem de Scripturis illis sententia proferetur; cuius pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas?] Ergo si legitur correctio facta Petro, fatendum est, factam esse.

194 Dico 5. Repræhensio illa Pauli in Petrum non fuit simulata, sed vera, & ex animo. Ita communior recedens ab excusatione Petri.

195 Prob. 1. Omnia, quæ in ea Epist. ad Galatas, & in Actis Apostolorum leguntur, sunt vera, & propria sine simulatione dicta, & facta: & comestio illa cum Gentibus, realis, vera, physica, & propria erat; & subtractio illa ab eis, quando adueniebant alij instructi à Iacobo, vera erat. Et sic simulatio edendi, & non edendi erat vera. Igitur & repræhensio, quæ obiectum hoc reprehensibile respiciebat.

196 Confir. S. Cyprianus in Epist. ad Quintum fatetur, veram & propriam fuisse repræhensionem, immò ex patientia Petri in sufferendo, maximè humilitatem eius commendat, ad cuius imitationem omnes superiores, etiam supremus inuitat. [Petrus, quem primum Dominus elegit; & super quem ædificaui Ecclesiã suam, cùm secum Paulus de circuncisione disceptaret, postmodum non vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nullis, & posteris sibi potius debere. Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ priùs persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facilè consensit; documentum scilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus; sed, quæ aliquando à fratribus collegis nostris vtiliter, & salubriter suggeruntur, si vera sunt, & legitima, ipsa potius nostra dicamus.] Ergo vera fuit repræhensio: alioquin vanè laudaretur Petrus de patientia, & humilitate, si simulata omnia fuissent.

197 Confir. 2. ex August. lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 1. c. [In scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam præcellenti gratia præeminet, aliter quàm res postulabat de circumcisione agere solitum, à posteriore Paulo esse correctum.] Quòd autem vera hæc fuerint, & non simulationes, addit. [Quod Paulus in ea scripsit Epistola, in qua Deum, nòn se mentiri testatus est; ait enim: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior, & post hanc sanctam, ac terribilem Dei attestationem narrauit hæc omnia, in quibus cùm vidissem, quia non rectè ingrediuntur ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus, si tu Iudæus cùm sis &c. & infrà: Si Petrus illud faciens à Paulo posteriore corrigitur &c. Ergo, sicut Petri actio Iudaica vera fuit, ità & Pauli vera correctio.

198. Confir. 3. ex Theodoreto in Ep. ad Gal. cap. 2. [Quomodo cogis Gentes iudaizare? Magnus autem Petrus & quæ dicuntur, silentio confirmat; propemodum dicens ijs, qui ex Iudæis crediderant, & præsentes erant, illos iustè repræhendit, nec ijs, quæ dicit, licet contradicere &c. Hæc autem scripsit ad Galatas diuinus Apostolus, docens quod etiam magni, & primi Apostoli, Iudæorum imbecillitatis gratia, legem seruare nonnunquam sustinuerunt, sed hoc non semper fecerunt. Porrò autem dicit etiam alia, quæ dixit Beato Petro, præsentium Iudæorum vtilitatis curam gerens. Ergo ex Theod. vera fuit repræhensio.

199 Confir. ex Tertulliano lib. de Præscripti aduer. Hæret. cap. 23. diffusè hanc repræhensionem discutientes, vbi veram & realem docet fuisse; tamen, in seq. concl. dicit, repræhensionem conuersationis fuisse, non doctrinæ: & in lib. 5. aduer. Marcionem, ait: [Paulus repræhendit Petrum non rectò pede incedentem. Planè reprehendit, non ob aliud

tamen, quàm ob inconstantiam victus, quem &c.] Vt inf. Idem dixerat in lib. 4. post initium, contra Marcionem, asserentem doctrinam Euangelicam fuisse ab Apostolis alteratam; quam ob causam, Paulus Petrum repræhendit, non recto pede incedentem ad veritatem Euangelij. Tertullianus ergo, vt ei respondeat, non dicit hanc stropham ex condicto, & simulatione vtriusque accidisse, vt putat Hieron. sed fatetur verè, ac realiter, & cum fundamento in re factam repræhensionem, & ait: [Porrò etsi repræhensus est Petrus, & Ioanness, & Iacobus, qui existimabantur columnæ, manifesta causa est personarum, cuius respectu videbantur variare conuictum.] Et ex alio capite dicit potuisse inuicem se corrigere, vt infrà. Ergo vera, & non simulata correctio fuit.

200 Confir. ex ipsomet Hieron. in Ep. ad Gal. cap. 2. [Non ideò repræhensibilis erat, quia cum illis edebat; sed quia postea propter homines se subtrahebat,] alia eius dicta adducam in sequenti, de qualitate erroris Petri; dicens fuisse scandalū publicum, ideòque publicè reprehensum. Ergo fuit vera, non autem simulata repræhensio.

201 Dico 6. Petrus in hac ciborum, & cœremoniarum Iudaicarum variatione, non peccauit contra fidem, neque mortaliter, sed ad summum venialiter, ob passiui scandali periculum.

202 Prob. 1. ex totidem ferè Tertulliani verbis lib. de Præscript. c. cap. 23. vbi præ alijs dicit: [Etsi Petrus à Paulo repræhensus, non tamen ob aliam doctrinam à Paulo superinductam citrà eam, quam præmiserat Petrus & alij. Et post: itàque dexteram ei dederunt, id est Paulo, signum concordiæ, & inter se distributionem officij ordinauerunt, non separationem Euangelij, nec vt aliud alter, sed vt alijs alter prædicaret, Petrus in circumcisionem, Paulus in Nationes. Cæterum si repræhensus est Petrus, quòd conuixisset Ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat, personarum respectu; vtique conuersationis fuit vitium, non prædicationis, & posteà: Adeò pro temporibus & personis, & causis quædam repræhendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus, & personis, & causis committebant.] Et adducit ipsiusmet Pauli facta, qui postea circumcidit Timotheum: adde, & Iudaico more totondit se in Cenchris.

203 Idem Tertullianus lib. 5. aduer. Marc. paulò post initium; [repræhendit Petrum non rectè ambulantem ad Euangelij veritatem. Planè repræhendit, non ob aliud tamen, quàm ob inconstantiam victus, quē pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione, non ob aliquam diuinitatis peruersitatem,] idemque dixerat lib. 4. post initium; respondens Marcioni asserenti, quòd Petrus Euangelium peruerterat, & ob id à Paulo repræhensus; Marcionem acriter repræhendit Tertullianus, inquiens, causam repræhensionis non fuisse doctrinam, sed variationem conuictus respectu personarum.

204 Confir. ex Ambrosio, si modò eius sint commentaria illa Ep. ad Gal. cap. 2. vbi ait: [Iudæi qui consenserant simulationi Petri propter scandalum eorum, qui veniebant à Iacobo præsentibus eis non commiscebantur Gentibus, timebant enim impetum eorum, qui æmulabantur legem, quòd si solum fuisset, non erat repræhensibile; sed in quo erratum est, in subiectis ostendit. Nam & ipse vtique cessit animositati, & audaciæ Iudæorum, timens, ne per hoc, quod facilè est, subreperet scandalum, quod difficile sedaretur. Et infrà: Nunc aperit causam repræhensionis, si præsentibus Iudæis dissimulasset, à Gentilibus timens scandalum. Sed hìc tota causa repræhensionis est, quia aduenientibus Iudæis à Iacobo non solùm segregabat se ab eis, cum quibus gentiliter vixerat; sed & compellebat eos iudaizare, causa timoris illorum, vt quid horum verum esset, ignorarent Gentiles. Sciebant enim, ipsum secum, non quasi Iudæum vixisse; pòst autem, audientes ab eo, quia Iudæorum instar sequendum erat, hæsitabant vtique quid esset verum.] Ergo nihil contrà fidem, nec fecit, nec asseruit Petrus.

205 Prob. 2. Si quis Catholicus, cum Hæreticis, vel Paganis aliquid externum faceret ex eorum cœremonijs, siue sint signa protestationis, siue non; nisi assentiat internè eorum religioni, non est formaliter Hæreticus, sed penès circumstantes esset tantùm de hæresi suspectus. Igitur multò minus hoc dici potest de Petro exercente aliqua cœremonialia, quæ bona, & sancta fuerant aliquando, & non adhuc abrogata, vel damnata, cùm ipse ijs vtebatur. Igitur, nec externam habuit actionem hæreticam, nec internum assensum; tum quia hìc à nomine inspici potuit; tum etiam, quia contrà nullum fidei principium tunc erat; adhuc enim, nec Spiritus sanctus suggesserat, sic, vel sic esse operandum; nec Petrus adhuc decretum formauerat in eiusmodi, sicut Act. 15. Spiritu sancto suggerente; Petrus prædicante, quid esset agendum. Ergo nullus in fide lapsus.

206 Confir. ex Hieron. in cap. 16. Matth. vbi vnum considerabile notat. Vix Christus dixerat Petro: [Beatus es Simon Bar-Iona &c. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,] deindè statim corripit Petrum impedientem eius passionem, [Vade post me Sathana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt &c. inquit Hieronymus: Claues de futuro promiserat; sicut & Ecclesiæ ædificationem super eum, ideò ea dixit, concludens: Si statim dedisset ei, nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum.] Ergo, dico ipse, non potuit in eo facto repræhenso à Paulo, errorem fidei vllum habere, qui iam claues obtinuerat, & pro eo Christus orauerat, ne ipsius fides deficeret.

207 Idem Hieronymus in puncto ad Gal. cap. 2.] Quamuis Petrus, hoc propter scandalum faceret Iudæorum, tamen publicè illum conuertit, vt Iudæis superbia, & Gentibus desperatio tolleretur. Cur autem coram alijs repræhenderit, ait: Publicum scandalum non poterat priuatè curari. Si tu non tenes, quod natus es, quomodo illos facis tenere, quod nati non sunt.] Ergo, nullum adfuit peccatum contra fidem.

208. Prob. Si quid facit pro sententia Marchionis, est ipsa litera textus. Cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad

veri-

veritatem Euangelij, dixit Cephæ coram omnibus; si tu cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare?] Ex quibus videtur concludi, quòd in veritate Euangelica errauit Petrus. Sed hoc non probat intentum. Ergo. Min. prob. Non enim ait textus, quòd non rectè ambularent in veritate Euangelij, aliquam nempè eius doctrinam non credendo, quia Paulus non intuebatur intentionem Petri, nec aliorum; sed dicit ad veritatem Euangelij, id est ad introducendum cum libertate, & constantia Euangelium purum iudaicis ceremonijs spoliatum, & verum dicit, quia gentes videntes, quòd caput Ecclesiæ præcipiebat vsum earum, existimare poterant, esse necessarias, sicut Glosa ordin. in cap. 2. ad Gal. quæ est Hieron. ait, existimasse Cherintum, & Hebionem, qua de causa anathematizati sunt. Petrus autem sic faciebat, vt Hieron. Theodoretus, & Ambrosius notant, ne irritaret Iudæos, si statim simul omnia sua legalia viderent contemni; vterque ergo Apostolus motiuo charitatis, ac zeli lucrifaciendi animas, operatus est. Petrus quidem, qui specialiter Apostolus circumcisionis, id est iudæorum dictus est, ne iudæi scandalum acciperent ex totali, & simultanea legalium abrogatione: Paulus verò specialiter gentium Apostolus; ne gentes hanc doctrinam, ex fonte, & capite Ecclesiæ Petro imbibitam, tenaciter posteà retinerent. Itàque dispensationem illam, etiam temporaneam, tunc fortè periculosam, Paulus reprehendit, vt eadem Glosa ait, non autem dogma aliquod fidei contrarium, vt autumauit Marcion, ex Tertulliano lib. 5. contra eum, quem acriter impugnat.

209 Prob. secunda pars, quòd Petrus mortaliter non peccauit. Primùm quia contra nullam legem diuinam, nec naturalem, nec positiuam fecit, neque contra aliquam Ecclesiasticam. Ergo. Conseq. patet; Omne enim mortale est contra aliquam ex ijs legibus. Anteced. prob. Lumen naturæ id non dictat, nec nunc, nec pro tempore illo, quo desinere debuerunt legalia; sicut neque dictabat, quòd pro aliquo tempore erant necessaria, sed ex lege positiua Dei fuerunt statuta. Neque adest lex diuina positiua vetus, aut noua, illa abrogans pro tempore Apostolorum, ante Concilium Hierosol. imò Christus videtur dicere oppositum: [Non veni legem soluere, sed adimplere. Et si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et super Cathedram Maoysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.] Et Saluator totam legem Iudaicam seruauit, sicut & B. Virgo. Ergo contra legem diuinam non fecit. Neque adhuc factum erat decretum ex suggestione Spiritus sancti de abolitione legalium, quod accidit act. 15. & sic neque contra legem ecclesiasticam. Adde, quòd etiam post tale decretum, absque peccato mortali, in aliquibus casibus Apostoli aliqua legalia dispensatiuè obseruarunt, & maximè Paulus, qui circumcidit Timotheum act. 16. 3. quia erat filius Patris Gentilis. Ratio ibi assignata est, [Propter Iudæos, qui erant in illis locis, sciebant enim omnes, quòd Pater eius erat Gentilis.] Neque aliquis dicit, eum peccasse mortaliter: & act. 18. 18. Paulus ipse more Nazaræorum capillos nutrierat ad tempus, & totondit sibi in Cenchris caput; habebat enim votum. Nec vllus dicit, eum mortaliter peccasse. Fortius, act. 21. 26. hæc fecisse legitur. [Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offeretur pro vnoquoque eorum oblatio, &c.] imò in cap. 24. 18. hoc in sua causa pro sui defensione adducit, [Post annos autem plures eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota, in quibus inuenerunt me purificatum in templo.] Ioannes ipse ex Polycarpi testimonio, Pascha more Iudaico vsque ad finem vitæ quotannis celebrauit. Et sic de alijs. Tunc sic arguo: nemo damnat Paulum de mortali, cum magis substantialia Iudæorum obseruauerit post decretum abrogationis legalium, vt fuerunt circumcisio, oblationes, vota, purificationes; & alios ad hæc induxit, & audebimus sugillare Petrum de mortali, quòd aliqua earum leuiora, vt ciborum delectum seruauerit, ex fine optimo charitatis, ne Iudæi tumultuarent æmulantes legem, cùm adhuc cœremonialia abrogata non erant? Absit omninò.

210 Confir. ex Hieron. in epist. ad August. [Nec Petrus peccauit, nec Paulus procaciter eum arguit. Petrus autem fuit huius decreti Author legem post Euangelium non esse seruandam. Petrus itàque benè sentit de abolitione legis, sed simulauit præ timore Iudæorum, ne occasione gentium à fide recederent.

211 Prob. 2. ex generali doctrina pro omnibus Apostolis Aug. in lib. 1. de serm. Domini in monte docuerat, in Apostolis in hac vita completum esse, quòd pace fruerentur in ea motus concupiscentiæ, & sic fuisse perfectos, nec peccasse. At in lib. 1. retract. c. 19. se declarat, id intelligi non absolutè, quòd nullum motum carnis arbitremur spiritui Apostolorum repugnasse; sed in eis hanc pacem sensus cum spiritu esse completam, sicut possibile est in hac vita. Commentator August. ibi, dicit, [Quatuor hinc accipiuntur documenta. 1. est quòd Apostoli post aduentum Spiritus sancti peccauerunt venialiter. 2. quòd non peccauerunt mortaliter, quia fuerunt perfecti. 3. quòd nullus præter Christum, & B. Mariam fuit perfectior Apostolis. 4. quòd nunquam erit aliquis status, aut persona quæ attingat vltra perfectionem Apostolorum simpliciter.] Ergo ex his habetur, Petrum non peccasse mortaliter.

212 Prob. vltima pars. Ipsemet Hieronymus, qui Petrum excusat, nescit eum liberare ab aliqua culpa, in epist. enim ad Galat. cap. 2. [Cùm autem venisset, ait, non ideò reprehensibilis erat, quia cum illis edebat, sed quia posteà propter homines se subtrahebat. Et infrà: Publicum scandalum non poterat priuatè curari.] Idem dicit Ambrosius, vt suprà. Idem Tertullianus inquiens, lib. 5. aduer. Macionem, [planè reprehendit, non ob aliud tamen, quàm ob inconstantiam victus, quem pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione.] Augustinus verò, vt suprà patuit, cum pec-

casse

caſſe exiſtimat, at non dicit, neque potuit dicere mortaliter, alioquin ſibi contradiceret, qui poſt Spiritus ſancti aduentum exiſtimat Apoſtolos mortaliter non peccaſſe? Ergo ſaltem venialiter.

213 Dices. Si fuit peccatum ſcandali; non potuit eſſe niſi mortale. Ergo. Reſp. neg. Antec. In re enim leui poteſt aliquando eſſe ſcandalum. Reſp. 2. Non adfuiſſe actuale ſcandalum, neque in Gentilibus, neque in Iudæis, vt ex textu patet: ſed dicitur culpa illa ſi adfuit ſcandali, quia poterat generare ſcandalum, & hoc timebat Paulus, ne ſcilicèt exemplo, & doctrina Petri, putarent fideles, legalia eſſe neceſſaria. At quia Petrus exiſtimauit, eam ſimulationem ad tempus eſſe licitam, ne Iudæi deterriti abhorrerent legem Chriſti tollentis ex abrupto omnia legalia, quæ ipſemet Deus inſtituerat, ſciens quòd paulò poſt cum ſuauitate erant tollenda, & proinde fortè, nec venialiter peccauit. At quoniam ait Tertullianus, & cæteri, non debuit id occultare, ſed palàm facere, ſi exiſtimabat licere, id alicui leui culpæ adſcribitur. Eam repræhendit Paulus.

Dices 2. Leuis culpa non potuit adeò graui, ac notabili repræhenſione corripi, præſertim in capite Eccleſiæ, Vicario Chriſti, ad quem ipſemet Paulus acceſſerat, vt cum eo ſuum conferret Euangelium. Ergo fuit mortalis.

214 Reſp. diſt. Antec. Leuis, vt talis putata, concedo. Leuis, potens grande malum inducere, vel ſaltem talis exiſtimata ab aliquo zelatore, nego. Paulus autem exiſtimauit ſimulationem illam Petri, ratione ipſius Petri, & temporis, & circumſtantium poſſe graue malum parere, & proindè, tanquam grauem reprehendit. Et in hoc Pauli zelus, & Petri charitas, ac manſuetudo elucere videntur. Vterque enim ex fine optimo operabatur, vterque bonum operari intendebat; Petrus autem zelum admiratus, tacuit, patienter tulit, & ſe à Paulo in hoc docere permiſit, ait Auguſtinus lib. 2. de orig. animæ ad Hieron. cap. 7.

Ex his ergo omnibus innocens à lapſu fidei egreditur Petrus.

§. III.

An Marcellinus Papa & Martyr, à Fide exciderit aliquando?

215 ADu omnibus notam eſſe hiſtoriam, ſeu ſtropham, quæ de Marcellino Papa circumfertur, quòd nempè Diocletiani tempore, vt mortis pœnam effugeret, thus idolis obtulit; qua de cauſa, conuocato Sinueſſano concilio, permiſit, ſe tanquam reum ab eo iudicari: quod tamen facere noluerit, ſed dixerit: [Tuo te ore iudica; nam prima Sedes à nemine iudicatur. An autem hiſtoria ſit hæc, an Donatiſtarum inuentio, vt exiſtimat Auguſtinus lib. de vnico Bapt. cap. 16. ſub iudice lis eſt. Factum autem, ſiue fictum, ſiue verum, diſtinctè, ac diffusè refertur à Baronio t. 2. an. 302. & 303. & habetur etiam in t. 1. Concil. in vita Marcellini. Baronius autem accuratè rem diſcutit, & ex nonnullis argumentis factum nutare concludit.

216 Adu. 2. Quòd dato, & non conceſſo, Marcellinum thurificaſſe idolis; adhuc videndum eſt; an tunc à fide exciderit; & quale fuerit eius peccatum?

217 Dico 1. Licèt non ſit certum, quòd Marcellinus thurificauerit idolis, ex Diocletiani decreto. Id tamen Eccleſia aſſeri permittit.

218 Prob. prima pars. S. Auguſt. [lib. de vnico Baptiſmo contra Petilianum c. 16. Quid ergo opus eſt, vt Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumnijs inſectatus eſt, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & presbyteri eius, Melchiades, Marcellus, & Sylueſter, traditionis codicum diuinorum, & thurificationis ab eo, crimine arguuntur. Sed nunquid ideò etiam conuincuntur, aut conuicti aliqui argumentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos eſſe dicit. Ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam; cùm ille, nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?] Ergo incertum eſt hoc; alioquin Auguſtinus poterat conuinci actibus illis publicis, quæ de caſu Marcellini circumferuntur. Ideòque concluditur, Petilianum eo mendacio calumniatum Pontifici Marcellino, quo Cæcilianum; atque Menſurium Carthaginenſes; quorum innocentiam defendit Auguſtinus.

219 Confir. ex inueriſimilitudine eius concilij, in quo dicitur, Marcellinum ſe accuſaſſe; nam Auguſtinus in breuic. collat. die 2. c. 17. ait, multò difficilius congregari potuiſſe eiuſmodi Concilia perſecutionis tempore. Quomodo ergo potuerunt tot viri congregari, dicitur enim de hoc concilio in t. 1. Concil. Introiuit autem vniuerſa Synodus in Cryptam Cleopatrenſem in ciuitate Sinueſſana, & quia tota multitudo non recipiebatur in crypta Synodi, quinquageni introibant. 300. Epiſcopi, 28. Præsbyteri, & 72. Teſtes, qui teſtimonium ferrent de eius thurificatione. Inueriſimile videtur, vt Imperatori, aut Miniſtris id non deterretur, & cœtus ille impediretur. Alijs etiam indicijs Baronius ibi probat, non eſſe certum hoc Marcellini factum.

220 Prob. ſecunda pars. Ex aſſertione [Nicolai I. in ep. ad Michaelem Imper, cuius pars habetur can. Concilium autem 21. diſt. Siquidem tempore Diocletiani, & Maximiani Auguſtorum, Marcellinus Epiſcopus Vrbis Romanæ, qui poſteà inſignis martyr effectus eſt, adeò compulſus eſt à Paganis, vt in templum eorum ingreſſus grana thuris ſuper prunas imponeret; cuius rei gratia collecto numeroſorum concilio Epiſcoporum, & inquiſitione facta, hoc idem Pontifex, ſe egiſſe confeſſus eſt. Ergo Eccleſia illud aſſerit.

221 Confir. Eccleſia die 26. Aprilis in lectione S. Marcellini, hoc factum diſtinctè narrari, & recitari permittit. Ergo habet illud pro vero.

222 Dico 2. Per hoc factum externum, etſi grauiter contra fidei externam confeſſionem peccauit Marcellinus; Hæreticus tamen nullatenus dici poteſt.

223 Prob. prima pars. Ex ipſiuſmet con-

confessione, quæ facta asseritur in eo Sinuessano concilio; [in quo priùs iacens in terra, & moram faciens, deinde caput cinere conspersum habens, Marcellinus Episcopus Vrbis Romæ voce clara clamans dicebat: Peccaui coram vobis, & non possum in ordine esse Sacerdotali, quoniam auarus, aliàs aurum me corrupit. Et quia se voluntariè eis submiserat: cùm omnes clamassent, primam Sedem à nemine posse iudicari, damnauerunt eum extrà Ciuitatem, &c.

224 Confir. Eiusmodi actio fuit externa protestatio, idololatriæ signum, quod Christiano est illicitum ex communi omnium sententia, sic enim discernuntur idololatræ à Catholicis, & communiter infideles ab omnibus fidelibus, quando externa opera, & mysteria peragunt, quæ infideles facere solent, & à fidelibus cauentur, & è contrà fideles agnoscuntur per hoc, quòd externa opera, & mysteria faciunt, quæ infideles fugiunt, & idcò Eleazarus 2. Machab. c. 6. voluit porcinas carnes manducare, neque solo actu externo, quia contra legem, neque simulans, quod manducabat: neque septem illi iuuenes Machabæi, neque mater aliquod externum gentilium opus peragere voluerunt; nec vllus martyrum, & præsertim multa illa millia Nicomediæ, quorum memoria 25. Decembris agitur, qui ne Ioui thus adolerent, incendio omnes in Ecclesia ad Dominicum adunati, pro Christi nomine perierunt. Quælibet enim Religio sua habet signa, quibus ab alijs discernitur, & qui eis vtuntur, eam profiteri foris ostendunt; etiam si internè ei non adhereant, immò falsam iudicent. Id autem graue peccatum est, & de his ait Saluator [Lucæ 9. Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua. Hoc est, quod damnat Paulus 2. Cor. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Balial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis consensus templo Dei cum Idolis? &c. Graue ergo peccatum, graueque scandalum Marcellinus commisit, neque hoc negari potest.

225 Confir. 2. Opposita sententia fuit hæresis Elcæsei ex Salelle Reg. 218. qui docuit, tempore persecutionis ad tuendam vitam esse licitum aliquid externum contra fidem agere, & idola adorare, dummodo non adsit assensus internus. Ergo.

226 Prob. secunda pars. Nemo potuit testificari internam Marcellini credulitatem, nec ipse eam confessus est in asserto Concilio; sed tantùm factum externum, quod, & detestatus est. Nec vllus hominum potest hoc probare. Actos enim hæreticales, & maximè primarij, sunt inditia quidem, & vehementia hæresis internæ, at non sunt euidentes probationes. Immò Augustinus lib. contra mendacium c. 6. à fortiori sic dicit: Nonne omnes, qui Christum coram persecutoribus negauerunt, quod de illo credebant; corde tenuerunt, & tamen ore ad salutem non confitendo perierunt, nisi qui per, pœnitentiam reuixerunt? Et adducit Petri negantis exemplum. Si ergo Marcellinus, facto tantùm fidem negauit, ex imbecillitate, aut ex cupiditate auri, vt videtur eius accusatio innuere, id tantùm de eo potest affirmari, & quia per testes 72. fuit de hoc facto conuictus; & quia ipsemet illud est confessus: de interna autem incredulitate, poterit quidem esse vehementer suspectus, quia vt plurimum ità accidit; dici tamen non potest, nec confessus, nec conuictus, & proptereà, nec hæreticus. Eò vel maximè; quia factum illud detestatus, paulò post sub eodem Imperatore, cui morem gesserat, Martyr occubuit.

227 Probari ab alijs solet medio illo communi, sed adhucà nobis non stabilito, quòd successores Petri esse non possunt hæretici, neque personaliter; & hoc tantùm medio Paschalis II. vt infrà, in suo Rom. concilio III. purgauit se de hæresi; quæ sibi opponebatur (licet re vera hæresis non esset (quia in Sede Apostolica nequit esse hæresis, hæc enim inquiens est illa, pro qua Christus orauit. Sed hoc argum. sic nudè adductum, petit principium; quia ad hoc euincendum vtimur inductione Rom. Pontificum, quòd hæresi non succubuerunt, & ij præsertim, qui de hac ab hæreticis insimulantur.

§. IV.

An Zefirinus à fide exciderit?

228 Adu. 1. quòd inter Rom. Pont. quibus affingitur hæresis, vnus est Zefirinus Martyr, qui anno 221. occubuit. Hunc calumniatur Tertullianus, initio Libri aduersus Praxeam his verbis: Praxeas primus ex Asia intulit hoc genus peruersitatis Romanæ humo aliàs inquietus, Et post: Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem à falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesijs earum asseuerando, & præcessorum eius authoritates defendendo coegit, & literas pacis reuocari iam emissas, & à proposito recipiendorum Charismatum cessare: ità duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procurauit, Prophetiam expulit, & hæresim intulit, Paracletum fugauit, & Patrem crucifixit. Ideò.

229 Adu. est 2. quòd eius temporis Papa erat Zephirinus 2. Nota, & suppone, quòd Montanistarum, & Cataphrygarum secta eadem, quoad multa est, & ex his saltem Montanus prodijt. Ex Iacobo Gualtero in secundo sæculo. Is autem, vt Salelles notat in reg. 224. multas habuit hæreses, & præter eas iactabat se Paracletum habere; & prophetare; quod & impudicis illis fœminis Priscillæ, & Maximillæ tribuebat. Legatur Baron. an. 171. vsque ad 221. Hoc stante Tertullianus narrat, quòd Romanus Episcopus, iam receperat Montani, Priscillæ, ac Maximillæ prophetias, quas sui prædecessores impugnauerant, & hac cognita veritate literis suis pacificis pacem dederat Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ eò vsque à suis prædecessoribus Pontificibus afflictis ob Montani, & fœminarum earum persecutiones, quia harum prophetias damnabant. Et quòd Praxeas hæreticus Patropassianus Sabellianus, accedens Romam, indu-

induxit Rom. Pontificem ad reuocandum pacis literas, & anteriorum sententiam tenendam in persequendis Montani &c. prophetijs. Adde, quòd in antiquis Codicibus in margine narrationis huius facti, initio libet Tertull. adu. Praxeam, hæc erant scripta, Episcopus Romanus Montanizat. Ideò videndum, quid de facto, deindè quid de iure in hoc negotio sentiendum.

230 Dico 1. Negari non potest, quòd Ecclesiæ Asiæ turbatæ occasione eorum mirabilium, quæ de Montano, & socijs initio dicebantur, literas communicatorias à Romano Pontifice obtinuerint, quisquis hic fuerit.

231 Prob. Expressè à Baronio id affirmatur anno 173. Ratio autem fuit, quia initio non erat suspecta, imò laudata earum probitas, sic enim de ijs scribit Eusebius lib. 5. cap. 3. hist. [Cùm Montanus &c. in Phrygia iam prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent; per multa enim diuina gratia largiente miracula, & opera stupenda ad illudusque tempus per varias Ecclesias edita, fidem multis faciebant, illos etiam donum prophetiæ fuisse consecutos. Cumque de illis hominibus controuersia orta esset &c.] Duo enim, imò tria Montani tempora notat Baronius esse distinguenda; primum in quo hypocrisis perspecta non erat, nihil enim contrà Catholica dogmata initio afferebat, & bonis operibus, vt deciperet, vacabat. Pluriès autem accidit, vt eius farinæ homines similia facta prætexentes, communionem à Sede Apostolica suffurati sint, vt de Eustatio Sebasteno à Liberio narrat Socrates lib. 4. epist. 2. &c. quia einsmodi peregrini olim, sicut & nunc Romam venientes, imò & mittentes pro se alios, si professionem catholicæ fidei emittunt, literas communicatorias, seù pacificas olim dictas obtinent, vt de Episcopis, & Patriarchis Orientalibus sæpissimè accidisse legimus in Annalibus. Neque possunt eis denegari, quia non est nota malitia. Et quomodo tunc peruersum Montani animum agnoscere potuit Zefirinus, aliusuè? Alterum verò tempus Montanistarum est, dum per Praxeam detecta fuit eius iniquitas; & tunc reuocatæ sunt literæ pacificæ, imò, vt patebit cum omnibus Cataphrygis damnatus est.

232 Dico 2. Ex literarum communicatoriarum concessione Zefirinus, aliusuè concedens, neque hæresis, neque alterius erroris, aut peccati notari potest.

233 Prob. Nullus ex Rom. Pontificibus notatur erroris, si literas pacificas concedat, fidei professionem emittentibus; imò Orientales omnes eam emittere tenebantur, si catholici haberi cupiebant, ex Baron. tom. 3. an. 342. tit. 5. an. 417. & Alexandrina Ecclesia, vt Papæ reconciliaretur, fidei professionem misit, Bar. tit. 6. an. 497. Per eam agnosci voluit Catholicus Iustinianus Imper. Bar. tit. 7. an. 527. Per eam Iacobitæ Orientales, tom. 13. Oder. an. 1233. Per eam nuperrimè Rutheni temp. Clem. VIII. Bar. tit. 7. in appendice. Per eam Ecclesia Alexandrina sub eodem tit. 6. in appendice. Per eam omnes volentes communicare cum Ecclesia Romana. Ergò, si ea præhabita, Zephirinus communicauit cum Montano, & alijs Cataphrygibus; prudenter, & catholicè egit.

234 Prob. 2. ex ipsamet Tertulliani historia. Romanus Pontifex prophetias tantùm Montani audierat, easque non improbabat, quousque detecta est per Praxeam deceptio. Ergò nihil, nec contra fidem, nec contra mores egerat, Antecedens est ipsius accusatoris. Conseq. prob. Prophetia, cùm sit gratia data, potest à Deo concedi etiam malis: Caiphas enim, & Saul prophetasse leguntur, & Matth. 7. 22. [Multi in illa die dicent mihi, Domine, Domine: nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; quia nunquam noui vos.] Ideò potest credi vera, donec constet de contrario, vel de fictione, atque magia prophetantis. Eò vel maximè, quia refert Iustinus in Dial. cum Trif. [Apud nos hucusque prophetica extant dona, vndè & vos intelligere debetis, quæ olim in genere vestro; idest iudaico, fuere, ea esse in nos translata: at quemadmodum apud vos sanctorum Prophetarum tempore etiam Pseudoprophetæ erant; ità apud nos permulti sunt falsi Doctores.] Et infrà: [Est apud nos videre, & fœminas, & masculos dona à Spiritu Dei habentes.] Facilè autem fuit decipi à Montano, & socijs eius, cùm, vt inquit Theodor. lib. 4. hæret. fabul. & Epiphan. hæresi 48. omnia, cum catholicis initio tenerent, & disciplinam Ecclesiasticam rigorosè seruare profiterentur, initio quidem. Quid ergò impedire poterat, quin Zephirinus literas eis communicatorias concederet, quas postea ex ipsiusmet Tertulliani testimonio reuocauit.

235 Prob. 2. pars. Zephirinus errores Montani, neque credidit, neque fouit, neque vllus vnquam id dixit, neque Tertullianus ipse; imò asserit oppositum, quòd nempè Praxeas falsa de Montano, & socijs Prophetis, & Ecclesijs earum asseuerando, & defendendo auctoritates, præcessorum Pontificum Romanorum; coegit eum, nempè Zephirinum reuocare literas pacis. Ergò tantum abest, vt Montani hæreses fouerit, quin etiam, eas abhorruit, vt earum motiuo communicatorias literas reuocauerit.

236. Confir. ex vita Zephirini tit. 1. Conc. Hic Pontifex damnauit Cataphrygas, inter quos Montanistas, Marcionem, Praxeam, Sabellium, Valentinum, & alios, teste Hieronymo de scrip. Eccles. in Cain, & Eusebio lib. 6. histor. cap. 14. & ex Baron. tom. 2. an. 215. Pontifex idem, Tertullianum, Montani prophetias tunc propugnantem anathemate perculsit; sic etiam, & Proclum Cataphrygam. Ergo nullius erroris in fide, nec alterius delicti, reus esse, aut dici potuit Zephirinus.

§. V.

An Liberius à fide exciderit?

237 ADu. huic Pontifici quarto loco, à malignis, hæresim opponi solere; quòd nempè in Sirmiensi Concilio, in quo Osius, qui Conciliorum dicebatur Pater, lap-

lapsus est; Ipse quoque Liberius sit lapsus subscribens formulam fidei ab Arianis confectam, in qua, vel omittebatur consubstantialis, vel dicebatur Filius Dei, esse Patri dissimilis. Secundò, quòd Athanasij consubstantialitatis propugnatoris damnationem ab Arianis factam, quam antea constanter improbauerat, confirmauerit, vt ex eius epistola ad Orientales directa, manifestum est, necnon ex alia ad Vrsacium, Valentem, & Geminium, ex Baron. tom. 3. an. 357. Videndum ergo, quid subsistat in facto, & an ex eiusmodi assertis factis, concludatur, eum de hæresi damnandum?

238 Dico 1. Negari non potest, quòd Liberius tædio exilij, & alterius Romæ sua vice sedentis inuidia, victus, Sirmiensis Arianorum fidei formulæ subscripserit, etsi quæ fuerit, nesciatur.

239 Prob. Patres Sancti, & coætanei Liberij, id affirmant. Ergo antecedens patet. Athanas. in epist. ad solitarios, ait: [Liberius deindè post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est.] Sed eum excusat, vt infra. Hilarius in epist. ad Constantinum ait: [Vertisti deinde vsque ad Romam, bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum, & ò te miserum, qui nescio vtrum maiore impietate relegaueris, quàm remiseris;] quia illum relegauit, eò quòd noluit subscribere contra Athanasium, eiusque sententiam; & reuocauit ab exilio, eò quòd subscripsit. Hieronymus idem de Liberio dicit lib. de script. Ecclesiast. in Fortunariano ait: [In hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ Vrbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.] Idem Hieron. in Chronico dicit: [Liberius tædio victus exilij, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauit.] Idem in lib. de Rom. Pontif. ait: [De eodem Liberio scriptum legitur, quòd consentit Constantino hæretico, communicauitque cum hæreticis, extra tamen secundum baptisma:] Igitur extra dubium est, sic fecisse.

240 Confit. ex Sozomeno lib. 4. cap. 14. vbi relata distinctè historia artificij Arianorum, & Constantij in Concilio Sirmij, deuictique Osij, & moliminis inducendi Liberium ad Arianam fidei formulam, ait: [Vicissim autem confessionis fidei formulam à Liberio abduxerunt, quæ illis, qui Filium Patri non substantia, & cęteris rebus omnibus similem asseuerarent, interdixit Ecclesia. Nam cùm Eudoxius, & cæteri cum eo, Antiochiæ hæresis Ætianæ fautores epistolam Osij nacti fuissent, rumorem dissiparunt, Liberium quoque verbum consubstantiale reiecisse, asseruisseque Filium Patri dissimilem esse. Et sic Imperator dat Liberio potestatem Romam reuertendi; atque Episcopi Sirmij congregati, scribunt literas Felici tum Romanæ Ecclesiæ Antistiti, & Clero eiusdem Ecclesiæ, vt Liberium recipiant.] Igitur nulla tergiuersatione celari potest, Liberium fidei alicui Arianæ subscripsisse. Et confirmatur ex propria eius confessione mox adducenda.

241 Prob. 2. pars, quòd nesciatur, quam fidei formulam subscripserit, ex tertia cōclus.

242 Dico 2. Neque celari, aut negari potest, quòd Arianis externè consentiendo in damnationem, sententiam confirmauerit.

243 Prob. 1. Nulla maior in factis datur probatio, quàm oris confessio. Sed ipsemet in duabus epistolis suis sententiam damnationis catholici, & sanctissimi viri Athanasij describit. Ergo min. prob. in epist. ad Episcopos Orientales præ cęteris dicit: [Itàque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum, à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt; dico, me cum omnibus vobis, & cum vniuersis Episcopis Orientalibus, semper vniuersis Prouincijs pacem, & vnitatem habere. Nam vt verius sciatis, me veram fidem, per hanc epistolam meam perloqui: Dominus meus, & Frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua beneuolentia fidem veram, & catholicam exponere, quæ Sirmij à pluribus fratribus, & Coepiscopis vestris tractata, & exposita, & suscepta est; hanc ego libenti animo suscepi in nullo contradicens &c.] En vtrumque delictum confitetur. In epist. pariter directa Vrsacio Valenti, & Geminio, ait: [Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinę Ecclesiæ Episcopus fuit, priusquam ad comitatum Imperatoris peruenissem, secundùm literas Orientalium Episcoporum ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse, sicut testis est omne presbyterium Ecclesiæ Romanæ.] Et se declarat id fecisse, vt Imperatorem beneuolum sibi redderet, subdens: [His meis literis conuenio vos, & adiuro per Dominum Omnipotentem &c. vt dignemini ad Clementissimum Imperatorem pergere, & petere, vt pro bono pacis, & concordiæ, in qua pietas eius semper exultat, me ad Ecclesiam mihi diuinitùs creditam iubeat reuerti. Igitur certum, vt ex eius confessione, se tædio victum, Athanasium ex aliorum, nempè Orientalium voto damnasse; cùm antea talem damnationem impugnasset, ac Athanasium strenuè defendisset.

244 Dico 3. Ex subscriptione formulæ fidei asserta, non potest concludi, quòd Liberius in hæresim inciderit.

245 Prob. Non subscripsit formulam, manifestè, & patenter hæreticam, sed æquiuocam, & explicitè potiùs catholicam, quàm hæreticam, licèt Arianis in aliquo fauentem. Ergo. Antecedens prob. (fateor verum) nisi Hieronymus esset testis subscriptionis assertæ, posset negari; quia non posset probari, nisi per rumorem, seù famam, non fundatam, nisi in effectu, quia ab exilio reuocatus fuit Liberius, & Romanis aliquandiù ex hoc inuisus. At stante veritate suppositæ subscriptionis, dici nequit, quòd subscripserit secundam patenter Arianam in qua dicitur Filius Patri dissimilis, & in deitate inferior: tum quia nemo id dicit, & à Romanis numquam fuisset receptus, imò perpetuò reiectus, tamquam Arianus: tum etiam, quia, si hanc secundam, fuisset opus, vt hæc à Concilio prius fuisset acceptata, & subscripta; deindè aliorum, & maximè 300. Occidentalium Episcoporum exemplo inuitatus fuisset Liberius ad subscribendum. At non ita accidit, vt factum manifestè euincit, quia, si Occidentalibus placuisset secunda hæc Ariana,

non fuisset opus, formare tertiam, vltra quam alia non fuit formata; sed terminatum est negotium, deceptus Osius, & tandem Liberius inflexus. At hæc tertia omnia Catholica includit, vno excepto, quod fauet in aliquo Arianis, hostibus vocis [Consubstantialis, in ea dicitur Filius, Deus de Deo, similis Patri suo, qui ipsum genuit; in fine verò dicitur, Vocabulum porrò substantiæ, quia simplicius à Patribus positum est, & à populis ignoratur, & scandalum afferr, eò quòd in Scripturis non contineatur, placuit vt de medio tolleretur, & nullam post hac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eò quòd Sacræ Scripturæ numquam meminere substantiæ Patris, & Filij, ilium tamen Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacræ literæ dicunt, & docent.] Hæc ergo formula præsumitur à Liberio subscripta. At in hac formula, nulla visa est Liberio, nec alijs permultis; neque nunc hæresis contineri, & excepto hæreticorum fauore, qui in odium Nicœni Concilij, & Athanasij, vocem Consubstantialis renuebant, Catholica videtur; Arius enim dicebat Filium Dei aliquando non fuisse: & esse Patri in Deitate minorem; in hac formula dicitur Filium Dei [esse ante omnia sæcula, & initio, & ante omne tempus, quod in intellectu cadere potest. Dicitur, esse Deum de Deo. Dicitur, esse per omnia Patri similem, vt dicunt, & docent sacræ literæ. Igitur in omnibus opponitur hæresi Arii, & sic non hæretica explicitè, nisi ex intentione fortè Semiarianorum. Qua de causa fortè Hyeron. dicit, Liberium subscripsisse hæresi, quia formulæ delenti vocem Consubstantialis; & eadem quoque de causa Liberius fuit Romanis inuisus, quòd formulæ Nicœnæ verba non debuerant mutari, maximè secundùm peruersam Semiarianorum intentionem.

246 At esto malè, immò pessimè fecerit Liberius, formulæ isti mutanti aliquod Nicœnæ verbum, externè consentiens, ac subscribens; cùm tamen contineret verba æquiualentia Nicœnæ, opposita hæresi Arianæ; in eam non incidit, immò ipsam damnauit, sic enim in fine [epist. ad Vrsacium &c. concludit; Quicunque autem à pace, & concordia, & concordia vestra, quæ per orbem terrarum firmata est, dissenserit, sciat se separatum esse à vestra communione. Præuaricatori Anathema vnà cum Arianis à me dictum. Ergo tantùm abest, quòd Arianæ hæresi fauerit, vt fautores anathemate percuterit.

247 Prob. 2. Quamuis non debuerit, neque in ea exclusione, licèt vocis, apponendo æquiualens Semiarianis, vel ipsis Arianis complacere; tamen in hoc ipso ab eodem Athanasio excusatur, quòd metu, & tædio fecerit; sic enim ait in citata epist. ad solitarios. [Verùm illud ipsum quoque, & eorum violentiam] de Episcopis Semiarianis loquitur [& Liberij in hęresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus habebat satis coarguit; quæ enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt; ea iam non metuentium, sed ità cogentium voluntates habendæ sunt.] Ergò hoc ipsum factum, quòd fauere videtur Semiarianis; tamquam non totaliter liberum ab Athanasio excusatur, & simul comprobatur odium in hæresim. Igitur nullo modo à fide excidit; etsi contra eam, multis agere visus est in eius formulæ sidei subscriptione.

248 Dico 4. Neque ex damnatione Athanasij conuincitur, Liberium in hæresim incidisse.

249 Prob. ex facti inspectione. Causa enim Athanasij non erat causa fidei, etsi ab ea ortum habuerit; sed erat causa morum, ac disciplinæ. Ergò, licèt Liberius malè secutus sit hostium Athanasij sententiam, eamque confirmauerit, eum à communione separando, & iniustus iudex fuerit; non tamen hæreticus; nec externè, nec internè ex defectu obiecti hæresis. Antecedens prob. Certum est, Athanasium ab Arianis Episcopis, ad necem etiam, sæpè quæsitum, sæpè ad ius vocatum, & damnatum in Concilio Tyri, deindè in Concilio Hierosolymitano, postea Constantinopoli, vbi sententiam exilij Treueris subijt. At in Alexandrinam regressus ab Eusebianis Arianis ad Iulium Papam de hæresi accusatus; vocatus à Papa Romam accedit, & Aduersarijs per menses 18. non comparentibus, iussus à Iulio confessionem suæ fidei emittere, composuit Symbolum: [Quicunque vult saluus esse,] ideò eius agnita innocentia, maxima in existimatione fuit apud Iulium, ex Baron. tom. 3. an. 339. & 340. & absolutus, Alexandriam reuertitur. Et in hac causa Iulius præcessor Liberij processit. Mortuo autem Iulio, sedente Liberio alia tempestas in Athanasium insurgit, ex Baron. an. 353. Constantius Imperator, ex Seuero hist. lib. 2. expertus, quòd Occidentales catholici Episcopi, sententiam non reciperent, quam Ariani contra Athanasium tulerant; edicto sæuiuit, vt qui in Athanasij damnationem non subscriberent, in exilium pellerentur. Hanc autem sententiam Constantius idem, à Liberio subscribi, sicut ab alijs factum fuerat, totis viribus curabat; quod & postea obtinuit. At videndum quænam fuerit sententia, & in qua materia, legatur Bar. to. 3. an. 350. Cùm post Iulij absolutoriam sententiam, literis Constantis imperantis in Occidente ad fratrem Constantium commendatus, honorificèque ab eo tractatus, pacificè Alexandriæ degeret; nollet tamen his, idest Arianis neque ad Imperatoris preces, nouam Ecclesiam concedere; hi in eum infensissimi, nouam calumniam ei opponunt, quòd cum Magnentio tyranno, Constantij acerrimo hoste, amicitiam coleret, imò literas Athanasij nomine, ad tyrannum datas, confingunt, vt tandem ab Alexandria extorrem facerent: nec sine frustrati. Constantius enim in illum acerbissimè excandescens, loco mouit, & Episcoporum Arianorum Concilio deponit, & Georgium infamem hominem suffecit, hic est Athanasij confictus reatus; hæc damnatio, hanc Imperator, vt factum iustificaret, ab orbe toto Ecclesiastico subscribi curabat; ad hanc precibus, & minis Liberium allicere conabatur, renitentem imò, & impugnantem primò, ideòque missum in exilium; sed tandem exilij, & angustiarum tædio victus, succubuit. En tota huius facti strophæ. Liberium de iniustitia, inconstantia,

tia; & scandalo non excusamus; sed de hæreti accusare, nec volumus, nec possumus, cum in hoc facto fidem minimè læserit.

Dices Hieronymus, vt suprà, apertè dicit Liberium subscripsisse hæresim. Ergò licèt in facto Athanasij sit ab hæresi immunis, nullatenus tamen in facto subscriptionis fidei Sirmiensis. Nec valet quorumdam excusatio, quòd hoc non constat, sed rumor tantum fuit sparsus, quòd Osio victo per subscriptionem, Liberius sit eum secutus; at nullus dicit, quòd reuera sic fuerit. Nam Hieronymo Liberij synchrono, & Sedis Apostolicæ studiosissimo, id testanti, (quidquid sit de alijs obscuris de hoc facto loquentibus) deferendum est.

250 Respond. sic dixisse Hieronymum, quia totum, quòd Arianis circa vocem Consubstantialis abolendam concedebatur, hęresis putabatur. Et reuera secundùm mentem Semiarianorum negantium Filium eandem cum Patre habere essentiam, quodlibet equiualens appositum, vice Consubstantialis Nicœni, erat suspectum; proindè hæresis existimabatur, & hac de causa dicit Hieronymus Liberium eam subscripsisse. At secundùm Catholicorum mentem deletio vocis tantum Consubstantialis, & appositio vocis, identitatis naturæ, [& Filius, Deus de Deo, ante omnia sæcula, initia, & ante omne tempus existens, per omnia Patri similis,] non est hæresis, sed scandalum quoddam, & irreuerentia in Patres Nicænos. Putatiuæ ergo potiùs, quàm certæ hæresi, si modò subscripsit, dicendum est Liberium (culpabiliter tamen) subscripsisse.

Dices 2. Liberius cum Arianis communicanit, & hac de causa è Pontificatu decidit; vndè & Romani Felicem II. eius loco, sibi in Pontificem delegerunt. Ergo in hæresim incidit; non enim potuit alia de causa deponi.

251 Resp. dist. antec. Communicauit in doctrina; nego; In alijs negotijs, & iudicijs; concedo. Patuit enim quòd se Vrsacio &c. hęreticis commendauit; Athanasij damnationem subscripsit, nec non suspectam illam fidei formulam. At constanter tenuit æqualitatem Filij cum Patre in omnibus, & per omnia. Ad illud de Felicis suffectione, & si nostri instituti non sit, breuiter dico cum Athanasio, rei istius conscio, in epist. ad solitarios: Liberio in exilium amandato, Constantius in eiusdem improperium, & inuidiam iussit in suo Palatio Felicem Diaconum catholicum per tres Arianos Episcopos in Episcopum Romanæ Ecclesiæ consecrari; & sic, vt optimè Baron. notat in an. 355. non Concilio Sacerdotum vt Pontificale dicit, sed Ariani Imper. & Episcoporum eiusdem farinæ opera, fuit institutus. Quis melius Athanasio id sciat? Igitur non substitutus legitimè, sed intrusus potius Felix dicendus est, vt optimè ibidem Baron. Numquam ergo iustè, aut legitimè depositus est Liberius, neque à Clero, Romanisque vitatus, vt supponit argumentum. Quòd autem Felicem sic ordinatum receperunt, eique communicauerint, necessitas tyrannica fuit in causa. Quo verò ad actus Felicis legitimos, & si Pontifex Romanus non fuerit, tamen conniuente Liberio, durante huius exilio, Corepiscopus fuit; & ideò redeunte Romam Liberio, Felix, & cessit ei, & aliò migrauit ex Theodoreto lib. 2. cap. 17. & Baron. an. 356. Imò addendum ex Theodoreto ibidem, Romanos ægrè tulisse Felicis subrogationem, adducam verba in obsequium Populi Romani, qui Liberium semper pro vero Pontifice habuit, & si de damnatione Athanasij, & de subscriptione illa doluit; sic autem habet Theodoretus loquens de intercessione Matronarum Romanarum apud Constantium pro Liberij reditu ad Ecclesiam: [Præstantes illæ fœminę virorum audito consilio splendidè vt solent, & magnificè accedunt ad Imperatorem, vt eas ex vestitus splendore, nobiles, illustresque esse arbitratus, tum reuerentia erga ipsas, tum clementia vtendum existimaret, quæ cùm hoc modo ornatæ ad eum aduentassent, orāt, vt Vrbis Pastore orbatæ, & luporum expositę insidijs miseratur. Quibus respondet Imperator, altero Pastore Ciuitati opus non esse, quippè cùm haberet vnum, qui eī posset prouidere; etenim successum est Liberio à fideli quodam eius Diacono, nomine Felice, qui tametsi fidem in Concilio Nicæno expositam seruauit integram, tamen cum illis, qui eam labefactare studebant, liberè communicanit, ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori significarunt. Qua causa inflectebatur Imperatoris animus, vt Pastorem illum longè præstantissimum, Romam redire, & vtrosque communiter inter se, Ecclesiam illam regere iuberet. Itàque lectis Imperatoris in circo literis plebs clamat, æquam esse Imperatoris sententiam; nam bifariam diuisos esse spectatores, quibus nomen impositum est ex coloris varietate, & propterea alterum Episcopum his, alterum illis præesse debere. Itàque cùm hoc modo Imperatoris literas irrisione insissent, omnes vno ore vociferantur, vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus. Quibus vocibus cum pietate, & iustitia à pia plebe profusis, redijt Liberius Episcopus; Felix autem clam Roma se subducens, ad aliam Vrbem migrauit.] Hæc tota Liberij historia, ostendit, Librium, nec hæresis causa, nec alia simili è Pontificatu excidisse. Si autem acta Felicis legitima fuerunt, id ex conniuentia, vel potius permissione, aut concessione Liberij eo tanquam Corepiscopo vtentis, accidisse dicendum est.

252 Ex quibus euidenter constat, quòd quamuis debilis, & pusillanimis extiterit Liberius, & Apostolico robore, vt par erat non restiterit hæreticis, sed potiùs eis fauerit, maximamque suspicionem de se exhibuerit, Ecclesiamque scandalo maximo affecerit; numquam tamen hæresim, nec interuè, quia nequit probari, nec externè, quia facta id non concludunt, defendere visus est. Est ergo ab hac labe immunis etiam Liberius.

§. VI.

An Felix Secundus à Fide exciderit?

253 ADuert. A quibusdam Apostolicæ Sedi infectis, inter hæreticos numerari Felicem II. qui Liberio successit, quia Arianis consenserit, eorumque opera, in Liberij exilio, fuit ordinatus Romæ Episcopus: Id autem probant ex Hieronymo, ac Theodoreto infrà adducendis. Duo ergo Felicem molestant, & quòd fuerit Arianorum, & maximè Acacij opera intrusus in Sedem Petri, viuente Liberio, & quòd Arianus fuerit. Vtrumque, & quò ad factum, & quò ad delictum considerare oportet, & an alterius saltem reus existens, à Fide exciderit? An autem verus Papa fuerit, & ex quo tempore, ad nos non spectat. Certum tamen esse debet, quòd & verus Papa fuit paruo tempore, & non per annum vnum, & menses tres, vt dicit Pontificale Damasi, & quòd esse non potuerit verus Papa, nisi mortuo Liberio, & tandem, quòd hic est ille Felix; qui primò à Constantio honoratus, & in Sede Petri intrusus; posteà mortuo Liberio verus Pontifex Constantium ipsum ob fidei defensionem excommunicauit; quam ob causam ab eo in Tusciam relegatus, Ceræ; iussu ipsius occisus est, de quo die 29. Iulij in Martyrol, & in tom. 1. Concil. in Notis vitæ eius.

254. Dico 1. Negari non potest Felicem II. Liberio viuente, jubente Constantio ad Acacij, & aliorum Arianorum impulsum, electum fuisse Romanæ Sedis Episcopum.

255 Prob. Ex Hieronymo lib. de Script. Ecclesiast. in Acacio. [Hic tantum sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum, Romæ Felicem Episcopum constitueret: idem dicit Rufinus lib. 1. cap. 22. in Liberij locum Felix Diaconus eius ab hæreticis subrogatur. Idem Athanasius in Epist. ad solitarios: Incredibile facinus, Constantius designauit, vt qui in locum Ecclesiæ, Palatium suum succedere voluit, & pro Conuentu populi, & iure Conciliorum, tres Eunuchos præsentes esse iusserit, tres item exploratores, non Episcopos esse dixeris, vt ipsi Felicem quendam Episcopum, in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus.] Et sic vt optimè notat Baron. in tom. 3. an. 355. malè dicit Pontificale, quod falsò, Damaso adscribitur, Felicem à Concilio Sacerdotum electum; nisi intelligat de Arianis: ab Arianis enim Episcopis, in Palatio Cæsaris, eius iussu, coram tribus Eunuchis, (id est lecti custodibus) fuit institutus, & consecratus.

256 Confir. ex dicendis in sequenti conclusione per Theodoretum, & alios.

257 Dico 2. Felix II. & si ab Arianis Episcopis ordinatus; tamen Hæreticus non fuit.

258 Prob. Rufinus post verba superius allata, subdit: [Non tam sectæ diuersitate, quàm cõmunionis, & ordinationis conniuentia maculatur. Theodoretus in lib. 2. c. 17. ait, Successum est Liberio à fideli quodam illius Diacono, nomine Felice; qui tametsi fidem in Nicæno Concilio expositam ipse seruauit integram; tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicauit; ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus, in Ecclesiam dum ille intus erat, ingredi voluit.

259 Confir. ex Sozomeno lib. 4. cap. 10. Romanæ Ecclesiæ Episcopatui præficitur Felix illius Cleri Diaconus, quem aiunt fidei Concilij Nicæni semper consensisse, & omninò quantum ad religionem pertinebat, reprehensione caruisse; atque ob id solùm in crimen vocatum fuisse, quòd non modò Arianos ministros Ecclesiæ ordinaret, verum etiam quòd eorum communione vteretur.

260 Confir. ex Nicephoro Calixto lib. 9. cap. 35. Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus, administrationem Liberij sortitus est; qui Nicænam quidem fidei professionem retinebat, & in religione reprehensione carebat; vnum tamen illud vitio ei vertebatur, quòd priusquam Episcopus creatus esset, cum diuersæ opinionis studiosis communicare sustinuerit.

261. Platina in Felice II. ait Felicem profectò catholicum fuisse constat, & Arianos semper damnasse; qui postremò cùm nulla in re Orthodoxæ fidei deesset, ab aduersarijs captus, vnà cum multis secum benè sentientibus, interficitur.

262 Prob. 2. ex eius martyrio, nedum ex præcitatis, sed ex Beda in Martyrologio, 4. Kal. Augusti, dicente: Romę S. Felicis Pontificis. Hic declarauit, Constantium filium Constantini esse Hæreticum, cùm secundò rebaptizaretur ab Eusebio Nicomediensi Episcopo; & iuxtà præceptum eiusdem Constantij Augusti capite truncatur.] Idem dicunt Vsuardus, & Addo in suis Martyrol.

263 Confir. ex facto, quod narrat Baron. in an. 357. in sequenti conci. adducendo.

264 Dico 3. Felix II. etsi malè ingressus in pontificatum viuente Liberio; eo tamen mortuo, benè prosequutus est; & martyrio vitam finiuit; neque vnquam hæresis labe infectus est.

265 Prob. prima pars, ex nuper dictis; rursus ex Baron. tom. 3. an. 355. Quo titulo dicere possumus, Felicem in loco Liberij substitutum? Non certè Romanum Episcopum, superstite adhuc, & Romanum pontificem agente Liberio, & amplissimam dignitatem clarissimo gloriosæ confessionis titulo illustrante, quamobrem siue à Concilio Sacerdotum, siuè procurante Liberio, siuè simul suffragantibus Concilio, atque Liberio, non nisi Corepiscopus Romanæ Ecclesiæ potuit Felix esse delectus, nec ei à Catholicis valuit titulus Episcopatus conferri, viuente adhuc, & Episcopum agente Liberio, ne vnius Catholicæ Ecclesiæ duo essent Episcopi, & vnius corporis duo capita eminerent. His verbis curat Baron. aliquo modo honestare Felicis ingressum; sed videns ex Athanasio vbi supra, omnem aliam sententiam respui, cùm dicat iussu Constantij in palatio à tribus Episcopis Arianis coram tribus Eunuchis Felicem ordinatum, sitque Atanasio totius rei conscio fides præstanda, quia de eius causa agebatur, ideoque accuratè scribebat, inquit Baron. eam Felicis ordinationem viribus caruisse.

fuisse. Ideòque malè ingressum esse Felicem dicendum est. Et

266 Confir. si ex Liberij consensu, & Clericis suffragijs fuisset electus, Romanus populus non vitasset, sed vt suffraganeum, delegatum, ac Vicarium Liberij gratanter recepisset. Et tamen ex Theodor. vbi suprà, Romani, à Felice sic ingresso. Liberio in exilio pro confessione agente, abstinuerunt. Et Hier. vbi suprà, exaggerat, quòd Acacius adeò potens fuerit apud Constantium, vt Felicem Romæ in locum Liberij substitueret. Igitur, promotio Felicis, non fuit de consensu Liberij, sed ex sola potentia, ac tyrannide Canstantij, & Acacij persequentium Liberium.

267 Confir. ex Sozomeno lib. 4. cap. 14. dicente, [quòd Romanus Clerus, Liberio in exilium misso, iurauerat, se nullum creaturum pontificem, donec Liberius ipse restitueretur, quosdam tamen ex illis periuros effectos, intrusisse Felicem. Reuertebatur autem Liberio, ait Sozom. cum gaudio exceptus est in Vrbe, quando & pulsus est Felix, qui paulò post fauore periurorum, ingressus est in Vrbem, Transtyberinamque habitauit regionem.] Hæc Sozom. Igitur, absolutè dicendum est, Felicem intrusum fuisse, atque schismaticum in suo ingressu, & vt Baron. concludit an. 357. per totum illud biennium, quod Liberius Berce exulauit, inuito Leberio sedisse, imò eo redeunte perseuerarò tentasse, & proinde malè ingressum.

268 Prob. secunda pars de valido, ac legitimo eius Pontificatu post Liberium. Verè enim in Rom. Pontif. seriè ponitur in Martyrologio Rom. 29. Iulij. Felicis II. Papæ, & Mart. & idem Baron. rom. 3. an. 357. narrat hæc: [Cùm ingressus Felicis absque controuersia à maioribus fuerit existimatus iniquus; & de exitu ipsius eadem inter se pugnantia scripta nutent, inde & accidit, vt tempore Greg. XIII. dum de emendatione Romani Martyrologij à viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conuentus, & de Felice non leuis controuersia incidisset, expungendus ne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absque titulo martyrij relinquendus, &c. accidit casus ille, vt quidam cupientes inuenire thesaurum in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, suffodientes, inuenerunt aram quandam, in cuius altero latere erat corpus quodam cum lapideo laterculo sic inscripto, corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnanit Constantium.] In Pontificali etiam notatur Papa, & Martyr. Sic & Beda ab Vsuardo, Addone, Nicephoro &c. Et si autem certè nesciatur quanto tempore legitimè sederit: quia aliqui, etiam dicunt ante Liberium fuisse occisum, vt notat Baron. an. 357. quod falsum putatur, quia sic nunquam legitimè sedisset: tamen certum est, quòd aliquo paruo saltem tempore sedit, vt inter veros Pontifices adnumeretur.

269 Prob. tertia pars. Iidem, qui eum malè ingressum, & schismaticum dicunt, fatentur, hæresi maculatum non fuisse, imò & pro fidei Nicænæ confessione occisum. Ergo.

Ob. 1. valido Hieronymi argum. in lib. de Script. Eccles. in Acacio; vbi dicit, Acacium in Liberii locum, Romæ Felicem Arianum substituisse. Ergo.

270 Resp. Negari non posse, quòd ità legatur in Hieron. in eo lib. de Script. Eccl. in Acacio, variè conantur Doctores hunc locum explicare, Iodocus Coccius in lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ in Felice; dicit vocem illam, Arianum, non haberi in Sofronio, & tamen hic librum illum, Hieronymo viuente, in Græcam linguam translulit: &, quod Marius Victorinus, ait: in multis manuscriptis non reperiri. Et quod idem dicit Freculphus Lexouiensis tom. 2. lib. 4. cap. 8. Idemque Addo Viennensis ætate 6. Et videtur verisimile; quia Rufinus, Theodoretus, & alii, vt suprà citati, contemporanei Felicis, eum liberant à labe Arianismi; quod certè non dixissent, si Hieronymus contrarium scripsisset; facilè enim alterutri de mendacio conuinci poterant.

271 Alij vt notat Belarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9. dicunt; & si lectio illa verè esset Hieronymi, & Felix tempore electionis fuerit Arianus; nihil Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ priuilegio, ac infallibilitati præiudicare; tunc enim non erat Felix verus Pontifex, sed schismaticus. Ergo nihil ad rem. Quia, cum mortuo Liberio, erat verus Pontifex, strenuè pro fide Nicæna decertauit, & pro ea Constantium damnauit, & pro ea tandem martyr occubuit. Imò ex hoc dicunt confirmari priuilegium Rom. Pontificis; ille enim idem homo, qui schismaticè electus regebat, Arianus, vt dicitur, extitit; verus postea Pontifex Arianos est persecutus, eosque damnauit.

Ob. 2. Felix II. ab Augustino non numeratur inter Romanos Pontifices, vt patet ex epist. 165. in qua recensens Pontificum numerum, post Liberium ponit Damasum, Felicem omittens. Ergo signum est ratione hæresis fuisse expunctum ab eorum numero.

272 Resp. Conseq. esse voluntariam; potiùs enim sequitur, quòd non fuerit Pontifex; & sic nihil ad rem. Sed reuera non sic dicendum, quia tot Martyrologia, & tot Scriptores mentirentur. Ratio autem, cur ab Augustino post Liberium ponatur Damasus, omisso Felice, ait Baron. an. 357. est, quia tam Augustinus, quàm Optatus Mileuitanus, eius, & non ex instituto, successionem omnium Pontificum discutiunt. Addi potest, quòd cùm post Liberium non fuerit facta noua electio Felicis, sed Damasi; quia fortè Romanus Clerus electionem olim nulliter ab Arianis factam, posteà ipsemet ratam habuit, & Felicem, vt verum Papam adorauit; id enim sufficere poruit: quod indè potest comprobari; quia Damasus Felicis parti adhæsit. Igitur aliquando fuit verus Papa; alioquin Damasus etiam schismaticus semper fuisset.

§. VII.

An Anastasius Secundus à fide exciderit?

273 ADu. 1. Quòd ex tomo 2. Concil. & ex 1. Bullar. hic Pontifex legitur creatus 5. Kalend. Decembris an. 497. quòdque sederit annum 1. menses 11. & dies 23.

post

post Gelasium Primum, & ante Symmachum.

274 Ad. 2. Rationem dubitandi de Anastasio esse; quia in decreto Gratiani can. 9. dist. 19. hæc leguntur, Anastasius II. fuit temporibus Theodorici Regis. Eodem tempore multi Clerici, & Presbyteri, se à communione ipsius abegerunt, eò quòd communicasset sine Concilio Episcoporum, vel Presbyterorum, & Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono Thessalonicensi, nomine Photino, qui communicauerat Acacio, & quia voluit occultè reuocare Acacium, & non potuit, nutu diuino percussus est.] Quod accepit ex libro de Rom. Pontificibus. Idem ferè repetit in §. Quod verò can. 96. dictum 1. quæst. 1. notans, quod fecerit contra decreta prædecessorum, qui excommunicauerant Acacium, vt fecit Felix II. & Gelasius: imò & post eum Hormisda, & addit: [Vndè etiam ab Ecclesia Romana repudiatur.] Hinc oritur primò dubium circa factum, an ità acciderit: Secundò circa ius; an si ex hoc commercio, cum Acacio, & attentato restituendi illum, & ex segregatione Ecclesiæ ab Anastasio, ex his motiuis, concludi possit, eum fuisse hæreticum?

275 Dico 1. Liquidò non constat, quòd Anastasius in Acacium fuerit propensus, eique fauerit; sed potiùs contrarium.

276 Prob. manifestè ex epist. eius ad Imperatorem Anastasium fautorem Acacij iam mortui, enixèque curantem, vt eius nomen in Dyphticis Ecclesiasticis recitaretur; num. enim 3. sic habet: [Precamur itàque clementiam vestram, vt specialiter nomen taceatur Acacij; vt quod multis ex causis scandalum, vel offendiculum Ecclesiæ concitauit; speciali appellatione taceatur. Et paulò post: Quantos verò excessus, atque præsumptiones habuerit Acacius, ne clementiæ tuæ suggerere, per singula, fortasse videatur onerosum, Cresconio, vel Germano fratribus, & Coepiscopis meis, quos misimus ad serenitatem tuam de causis singulis Acacij, qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus, clementiæ vestræ specialiter referendam; inde videre poteris, non superbia, vel elatione Sedis Apostolicę in Acacium talem processisse sententiam, sed facinoribus certis exortam &c.] Itàque sententiam decessorum suorum confirmat contrà Acacium, vt, scilicet nomen eius inter sacra mysteria peragenda, non recitetur, vt fieri solebat de benemeritis Catholicis Episcopis in suis Ecclesijs, in num. 7. declarat, quod baptizati, confirmati, & ordinati ab Acacio, validè erant ordinati, &c. & quòd Acacij crimen, eos non attigerat, num. 8. ait: [Imò ipse Acacius, cuius nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando, sibi tantùm nocuit; nam inuiolabile Sacramentum, quod per illum datum est, alijs perfectionem suæ veritatis obtinuit; ei autem obsuit; quod, cùm ità sit, aliquorum in tantùm se extendit curiosa suspitio, vt imaginentur, prolato à Papa Felice iudicio, postea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acacius vsurpauit egisse.] Deindè varijs Scripturę locis prauos superbię effectus enumerat, vt Acacium sugillet, eiusque ruinam declamet, nec aliam postea ad Imperatorem Acacij defensorem, vel ad alium scripsit in Acacij causa epistolam. Ex quibus, euidens remanet, Anastasium non propensum in Acacium, sed infensum fuisse.

277 Confir. Promissio illa, & tractatio occulta cum Imper. Anastasio de restituendo nomine Acacij, quæ asseritur in lib. Roman. Pontif. ex nullo Auctore habetur, imò tantùm abest, vt Papa cum Imperatore hæretico, in hoc præsertim pacem habuerit, vt eum excommunicauerit, quod ex apologetico Symmachi successoris habetur, sic enim dicit. [Dicit, quòd mecum, Senatu conspirante, excommunicauerim te; Ista quidem ego; sed rationabiliter factum à decessoribus meis, sine dubio subsequor.] Igitur nulla pax, nullaque conuenientia inter Papam, & Imperatorem hæreticum, nullaque tractatio de Acacij nomine restituendo, si moriens Papa Imperatorem reliquit excommunicatum, potiùs hic de sua, quàm de Acacij causa tractasset.

278 Confir. 2. ex Iustini Imperatoris ad Hormisdam epistola, in qua fatetur, Anastasium Papam in Acacium infensum; is enim aliorum hæreticorum nomina retinenda, & laudanda in dyphticis apud Papam curabat; sic autem dicit: [Anastasius Religiosissimæ memoriæ, vestræ culmen Ecclesiæ, palam, aperteque constituit, cùm hoc idem scriberet negotium decessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantùm retineatur Acacii. Ergo priora vestræ sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum iudicat esse contemnendas.] Si autem tractatio aliqua præcessisset inter Imperatorem, & Papam de restituendo Acacii nomine; hoc argumento fortiori vsus esset Iustinus cum Hormisda, ad obtinendum intentum retinendi aliorum memorias; nec potuit eiusmodi factum latere Græcos Acacii Episcopi Constant. studiosissimos: & tamen, nullus eorum id Iustino innuit, nec memoriæ commendauit, vndè optimè Baron. in an. 497. inquit Scriptorem libri Pontificum notasse, quod dicebatur à Laurentianis schismaticis, Anastasio infensis adinuentum, vt eius vitę calumniam inferrent, eiusque nomen exosum redderent.

279 Dico 2. Anastasio nulla heresis labes potest affingi.

280 Prob. Nihil ei opponitur præter ea, quæ nuper sine fundamento dicta sunt, & cum fundamento improbata. Ergo. Conseq. est euidens. Nam sine facto, vel dicto externo, nequit in alicuius mente colligi interna hæresis, nisi mendaciter, aut temerè.

281 Confir. Esto vera essent, quæ de eo circa Acacii nominis restitutionem asseruntur; non proindè hæreticus dicendus esset; non enim effectum habuit tractatus ille assertus; & si effectum habuisset, non propterea doctrinam Acacii approbasset. Imò vt optimè notat Baron. si totum, quod liber Pontif. & Gratianus notat, verum est, eum hæc tentantem diuinitùs percussum, maximè indè probatur Rom. Pont. priuilegium, quòd neque in eo permittat Deus hæreticorum fautoriam. At neque aliquid prodigiosum circa Anastasii Papæ mortem legitur, nisi naturalis, communisque decessio. Notat autem Auctor Comment. in vita Anastasii t. 2. Concil. Anastasium Imperatorem fulmine percussum decessisse, vt Cedrenus, Zonaras &c. testantur;

alii

alii Historici incauti, in caput Anastasii Papę retorquent, cuius quidem casus, vtpotè falsi, apud Scriptores Ecclesiasticos altum est silentium. Ergo liber ab hæresi est Anastasius.

S. VIII.

An Honorius Primus à fide exciderit?

282 ADu. 1. Neminem ex Rom. Pontificibus acrius Honorio ab Hæreticis, & à quibusdam, Sedis Apostolicæ maiestati inuidentibus, de hæresi insimulari. Duo ergo hic videnda sunt, vnum quod spectat ad factum, alterum, quod spectat ad ius. Prius ergo videbimus, an opinatiuè, aut verè Honorius fuerit ab Ecclesia vniuersali, vel à particularibus condemnatus de hæresi Monothelitarum? Deindè, an ea facta, vel dicta, ob quæ asseritur iudicatus, vel existimatus hæreticus; sint sufficientia ad ferendum de eo tale judicium, siue iuridicum, siue scholasticum? Fateor discursum maiori ex parte historicum esse; quia tamen non potest aliter elucidari hæc veritas; historicè paululùm erit procedendum: parcat Lector.

283 Adu. 2. Me difficultatem non fugere, sed ei obuiam ire, vt clarius veritas elucescat. Ideò non dedignabitur Lector cursim legere ipsamet verba Auctorum, quibus Honorius accusatur, & defenditur. Plura autem sunt, quæ eius hæresim, & damnationem probare videntur. Acta Concilii 6. gener. Constantinopolitani 3. duæ epistolæ Leonis II. prima scilicet, ac secunda. Conquestio quædam Adriani secundi, quòd Honorius fuerit à Concilio de hæresi damnatus. Doctores aliqui Græci, & Latini, & historiæ aliquæ. E contrà multò plura sunt, quę eum vindicant, & à facto damnationis, & à reatu; vtraque distinctè adducam.

284 Dico 1. Negari non potest quod circumferatur, siuè falsò, siuè verè, Honorium in Concilio Generali VI. fuisse damnatum de hæresi Monothelitarum. De veritate dicam infrà.

285 Prob. In actis Concil. Gener. VI. hæc inueniuntur, in actione 15. Patres iubent comburi omnia scripta, opuscula, ac libellos, &c. inuenta in Cartophylacio, Constant. in quibus asseritur in Christo vna tantum operatio, vel dicitur non esse dicendas duas, & verisimile est inter ea scripta fuisse epistolam Honorij ad Sergium infrà referendam (quæ tamen Catholica est vt patebit) in act. 17. Patres, post professionem Fidei damnant Hæresim Monothelitarum cum suis Authoribus, tamquam Diaboli in malitiæ inuentione cooperatores, [Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, ac Petrum Constantinop. Episc. Cyrum Alexandrinum, insuper & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, afferentes causam; Non vacauit per eos plenitudini Ecclesiæ, erroris scandala suscitare, vniusue voluntatis, & vnius operationis Christi veri Dei nostri orthodoxæ plebi vnisonè disseminando hæresim consentaneam insanæ, ac malitiosæ Apollinarij, Seueri, &c. insaniter introducens, &c. In act. 18.] post subscriptiones omnium, etiam Legatorum Papæ Agathonis, dicitur anathema infrascriptis [Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio, & Honorio anathema. Pyrrho, Paulo, Petro, & Cyro anathema.] Tandem in epist. Synodica ad Agathonem, qua Patres petunt ab eo confirmationem concilij, hæc habentur: [Hæreticorum falsam doctrinam adorti, linguam eorum confundentes, extructam ab ijs impijssimæ hæresis turrim, subruimus, ac ipsos, vel lapsos circa fidem anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras literas de ijs lata, videlicèt Theodorum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, &c. Ad hos autem, & post eos anathematibus hæreticorum insti subiecimus, & eos, qui viuunt, &c.]

286 Confir. ex testimonio Adriani Primi, qui conquæritur de ijs, qui audent etiam in Concilijs proferre sententiam contra Romanum Pontificem; & videtur excusare Patres Concilij VI. quòd damnauerint Honorium, quia in causa hæresis aliter proceditur, verba referam; habetur totum hoc in Concil. Gener. VIII. act. 7. colloquio 3. Sic autem dicere asseritur Adrianus II. [Non ferenda est hæc audacia dilecti fratres, adeòque aures cordis mei, eam ferre nullo modo possunt. Inauditum hactenus est, Romanum Pontificem à cæteris Ecclesijs esse iudicatum, sed alias omnes ab illo iudicatas scimus. Nam quamuis Honorius post mortem ab Orientis Episcopis anathemate sit affectus; manifestum tamen est, illum de hæresi fuisse accusatum, qua sola in causa licet inferioribus de superioribus iudicare; quamquam, nec ipsi, nec Patriarcharum quisquam, nec aliorum vllus Antistitum sententiam pronuntiare potuerit, nisi Primariæ Sedis accedente ad eam rem authoritate.]

287 Dico 2. Negari non potest, quod circumferatur (an verè, an falsò, posteà) Honorium in alijs etiam sequentibus Concilijs, immò & à Leone II. fuisse eadem hæresi damnatum; & complures Authores etiam ex nostris in hac opinione fuisse, quòd acta ista, & damnationes veræ fuerint, sed malè, factæ: at de veritate, infrà, nunc de facto, quod circumfertur, loquor.

288 Prob. In actis Concilij Nicæni II. Gener. VII. actione 7. post Fidei professionem in finali definitione, post decretum de Imaginum veneratione, hæc leguntur: [Cum sexta synodo testamur Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, &c. impios istos pietatis impugnatores, omnesque illis consentientes anathematizamus.

289 Leo II. post Honorium, Decimus, qui, 48. annos post hunc sedit, fertur damnasse Honorium, in Epistola enim 1. qua respondet ad Synodicam Concilij VI. (in quo dicitur damnatus Honorius, & confirmat eius acta, iuxta petitionem Patrum, defuncto iam Agathone, ad quem fortè Synodica directa erat; hæc habentur præ alijs: [Pariterque anathematizamus noui erroris inuentores Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolitanæ Ecclesię successores magis, quàm Præsules, nec non, & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non

Apo-

Apostolicæ traditionis doctrina lustrauit;sed prophana traditione immaculatam Fidem subuertere conatus est. Et in Epist. secunda] postquam approbauit decretum eiusdem concilij VI. de dualitate operationum in Christo,confirmat sententiam damnationis dicentium contrarium, his verbis: [Qui verò aduersus Apostolicæ traditionis puritatem perduelliones extiterant, abeuntes quidem æterna damnatione mulctati sunt, idest Theodorus Pharanitanus, Cyprus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus,Paulus, & Petrus Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non vt decuit Apostolicam authoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confouit.] Et sic, si veræ sunt eiusmodi Epistolæ, constatet, veram esse Honorij & à Concilio, & à Leone damnationem. Sed de veritate mox dicetur.

290 Alij quoque Scriptores referunt, & defendunt hanc Honorij damnationem. Tharasius Patriarcha Constant. in epist. ad Patriarchas: Theodorus Patriarcha Hierosolim. in epist.synodica, & vtraque habetur in act.3. Concilij Nicæni secundi, vbi Patres illi consentiunt huic damnationi iam factæ, eamque confirmant, vt patuit. Beda in lib. de sexta mundi ætate in Constantino, eam refert. Nilus Thessalon. lib. de Primatu Papæ, ne dum eam refert, sed asserit veram, iustamque fuisse: sed de hoc non curo.

291 Hoc ergo asseritur esse Honorij delictum, quòd vnitatem voluntatis, seu operationis in Christo asseruerit cum Sergio Cyro, Pyrrho &c. Et hæ iam allatæ, sunt probationes talis delicti.Restat modò videre de corpore delicti priùs; alioquin eo non probato,non potest damnari. Deindè videbimus de veritate, & sufficientia probationum, vt tandem iudicare possit iustus, prudensque lector, an Honorius à Fide exciderit; fuerit hæreticus; ideòque damnatus, vel damnandus fuerit, vt dicitur.

292 Dico 3. Ex ipsismet Honorij indubitatis Epistolis ab Aduersarijs eius in ipsomet Tribunali Concilij sexti productis, non constat de corpore delicti, illi oppositi, nempè hæresis Monothelitarum. Ideòque non veniebat ex hoc damnandus.

293 Prob. adducendo particulas epistolarum ad Sergium Patriarcham Constant. & ad Sophronium Hierosol., quæ in Concilio VI. act. 12. reperiuntur, prima incipit, Scripta fraternitatis vestræ. Esset autem inanis labor totam exarare; adducam partes substantiales, quæ faciunt ad negotium pro, & contrà Honorium, vt appareat, eum, non solùm non affirmasse vnitatem operationis, seu voluntatis in Christo; sed pluries pluralitatem confessum fuisse: sed tantùm prohibuisse, ne vocabula hæc [vna, vel duæ operationes] dicantur ad effugienda diuerticula Nestorianorum cum duplici Persona, & Eutychianorum cum simplici natura; fatendam tamen, adesse in Christo operationes diuinas, & humanas correspondentes naturis, diuinæ, & humanæ in eo existentibus distinctis, & inconfusis, cum suis proprijs differentijs.Oppositiones ergo istæ sunt; quòd in epist. ad Sergium sic dicat: Literarum tuarum (idest Sergij) ad Sophronium directarum suscipientes exemplar, & intuentes, satis prouidè, circumspectèque fraternitatem vestram scripsisse laudamus nouitatem vocabuli auferentem, quæ posset scandalum simplicibus generare. Nos enim,in quo peruenimus oportet ambulare. Et post multa: Vtrum autem propter opera diuinitatis; & humanitatis, geminæ operationes debent deriuatæ dici, vel intelligi, ad nos illa peruenire non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent paruulis exquisita nomina deriuando vendicare. Nos enim non vnam operationem,vel duas Dominum Iesum Christum, eiusque Sanctum Spiritum sacris literis percepimus, sed multiformiter cognoscimus operatum. Et post aliqua ait: Nos quidem secundùm sanctiones diuinorum eloquiorum oportet sapere, vel sperare, illa videlicet resutantes; quæ quidem nouæ voces noscuntur, sanctis Dei Ecclesijs scandala generare; ne aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur: aut certè si rursus vnam operationem Domini nostri Iesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur; præcauentes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres, & rediuiuos ignes flammiuomarum denuò renouer quæstionum. Simpliciter itàque, atque veraciter confitentes Dominum Iesum Christum vnum operatorem diuinæ, atque humanæ naturæ electius arbitrantes,vt vani naturarum ponderatores, otiosè negotiantes, & turgidi, aduersùs nos insonent vocibus ranarum Philosophi, quam vt simplices, & humiles spiritu populi Christiani possint remanere ieiuni. Et in fine: Hæc vobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut, & nos ea vobiscum vnanimiter prædicamus, hortantes vos, vt vnius,vel geminæ nouæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, vnum nobiscum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei viui, Deum verissimum in duabus naturis operatum diuinitùs, atque humanitùs, fide orthodoxa, & vnitate catholica prædicetis.

294 Confir. hoc assertum delictum ex alia simili Honorij in eadem materia scripta ad Cyrum Alexandr. Patriar., quæ quidem non extat, sed eius meminit, in alia ad eundem Sergium scripta, & relata act. 13. eiusdem Concil. VI. sic dicente: [Cyro fratri nostro &c. significauimus, quatenus nouæ adinuentionis vnius,vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Ecclesiarum preconio nebulosarum commentationum caligines effundi non debeant, vel aspergi, vt profectò vnius,vel geminæ operationis vocabulum nouiter introductum à prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt; quid aliud, nisi iuxta vnius, vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ità & operationem vnam,vel geminam sospicantur? Super quod clara sunt diuina testimonia. Vnius autem operationis,vel duarum esse, vel fuisse, mediatorem Dei,& hominum Dominum Iesum Christum sentire, & ponere, satis ineptum est.] Idque dicit se scripsisse Sophronio Hierosolymitano Episcopo.

295 Hoc est; quòd Honorij hostes accusantes eum, existimant esse totum corpus delicti,

licti, ob idque fuisse damnandum, atque damnatum.

296 Sed ex aduerso, neqne ex adductis, neque ex mox adducendis alijs Epistolæ particulis etiam iodubitatis, potest afferi, seu probari corpus delicti, nempè hæresis formalis, ex oculari, studiosa, & diligenti totius huius Epistolæ, omninmque particularum inspectione. An verò Honorus de negligentia aliqua, timiditate, vel imprudentia sit ootandus, dicam postea. Ex deductis ergo euidens est Hooorium noo asserere hæresim Monothelitarum, quæ hæc est, io Christo vna tantùm est operatio. Nulla eoim ex deductis periodis literarum, neque ex alijs, hanc propositionem cootinet, vt iudicare potest, qui simplicem etiam grammaticam callet; sed oppositum potiùs asserit; non esse scilicet dicendam vnam, oec gemioam, licèt multifariam Christus sit operatus. Ergo oon constat de corpore delicti hæresis Monotheiitarum io Epistolis Honorij, & sic neque de eo. Cùm non ex alio capite accusetur de externa hæresi, nisi qnia in ea Epistola, & in alia ad Sophronium hoc eodem modo sit locutus.

298 Ex alijs autem eiusdem Epistolæ particulis excludi prorsùs videtur corpus delicti Honorij, oempè hæresis Monothelitarum, & in te fitmari oppositum, etsi à voce abstioendum censuit, ob nouitatum scandala, & alterutrius Nestorij, aut Eutychetis fautoriam. Singula dicta recensebo; deiodè aliorum depositiones io eius fauorem adducam; Neque pigeat Christianum, veri amantem, defensiones Honorij audire, vt æquum indè ferre possit iudicium, an ds corpore delicti, hæresis nempè externæ Honorij constet; &, an quæ afferuntur probationes, enetuent cootrarias, vel saltem conquassent; & quibusnam ex testibus de alieno facto deponentibus, credendum sit. In Epistola ergo ad Sergium dicit primò: [Duce Deo peruenimus vsqoe ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripeutarum Sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Iesum Christum mediatorem Dei, & hominum operatum diuina, media humanitate verbo Dei naturaliter vnita; eumdenqoe operatum, humana ioeffabiliter, atque singulariter assumpta carne discretè, inconfusè, atque inconuertibiliter plena Diuinitate; & qui coruscauit io caroe plenus diuinis miraculis, ipse est & carneus effectus plenè Deus, & homo, passiones, & opprobria patitur. Ee post aliqua: Profectò nos instruens, qnòd diuinitati voita est caro passibilis ioeffabiliter, atque siogulariter, vt discretè, atque inconfusè, sic indiuisè videretur cooiungi, vt nimirum stupenda mente mirabiliter maoentibus vtrarumque naturarum differentijs cogooscatur voiri.] Ecce, quòd confitetur in Christo duas naturas vnitas; inconfusas, & indiuisas, cum suis proprijs differentijs diuinitatis, & humanitatis: & opera diuina, atque etiam opera humana.

299 Deinde declarans, quòd caro dupliciter sumitur, primò naturaliter pro corpore humano: secundò moraliter pro sensualitate sequente oaturam vitiatam per peccatum, dicit: [Non est itaque assumpta, (vt præfati sumus) à Saluatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis eius; nam lex alia in membris, & voluntas diuersa non fuit, vel cootraria Saluatori, quia super legem natus est humanæ cooditionis, & siquidem scriptum est, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris. Et, Noo quod ego volo, sed quod tu vis Pater; & alia huiusmodi, non sunt diuersæ voluotatis, sed dispensatioois humanitatis assumptæ; ista enim propter oos dicta sunt, vt noo suam vousquisque nostrum, sed Domini faciat voluntatem.] Ecce quòd duas voluntates humanas, nempè sensum rationi repugnantem, ex vitio peccati, denegat Christo, & duas huiuscemodi operationes.

300 Dicit 3. infrà: [Via igitur regia iocedentes, &c. Ducum oostrorum semita gradientes, etsi fortè quædam balbutientes, vt ità dicam, nisi sunt proferentes, expooere, formantes se in specimeo nutritorum, vt possent mentes imbuere auditorum, noo oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquete, quæ neque Synodales apices super hoc examioantes, neque authoritates canonicæ visæ sunt explanasse, vt vnam, vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas oeque Euaogelicæ, vel Apostolicæ literæ, neque Syoodalis examinatio super his habita visæ suot terminasse; &c. Nam quia Dominus Iesus Christus Filius, ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit vnus operator diuinitatis atque homanitatis, plenæ sunt sacræ literæ lucoleutiùs demonstrantes.]

301 Dicit 4. [Vtrum autem propter opera diuinitatis, & humanitatis geminæ operationes diriuatæ debent dici, vel intelligi, ad nos ista perueoire non debent, relinqueotes ea Grammaticis, &c.] Ecce quòd fatetut vnum esse Christum operatorem per diuinitatem, & humanitatem, & opera exercere diuinitatis, & opera humanitaris; at vult effugere quæstionem, an dicenda sint [duo, vel vnum; quod confirmat per hæc sequentia: Nos enim; non vnam operationem vel duas Dominum Iesum Christum, eiusque Sanctum Spiritum sacris literis percepimus, sed multiformiter cognoscimus operatum; scriptum est enim, Si quis Spiritum Domini non habee, hic eius non est. Et alibi: Nemo potest dicere Dominos Iesus, nisi in Spiritu sancto; diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus 1. Cor. 12. Si enim operationes Dei sunt multæ & has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur, quaotò magis capiti nostro Christo Domino hæc possunt coaptari? Si enim in membris Christi, Spiritus multiformiter operatur, in quo viuunt, moueotur, & sunt, quaotò magis pet semetipsum mediatorem Dei, & hominum, plenè, ac perfectè, multisque modis, & ioeffabilibus confiteri nos commuoione vtriusque oaturæ condecet operatum?]Ecce, quòd confitetur multas operatiooes, ratione diuinitatis, & humanitatis.

302 Dicit tamen 5. [Et nos quidem secundùm sanctiones diuinorum eloquiorum oportet sapere, vel sperare, illa refutantes, quæ quidem nouæ voces noscuntur Sanctis

Dei Ecclesijs scandala generare; ne aut duarum operationum vocabulo offensi sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certè si rursus vnam operationem D. N. Iesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur; præcauentes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres, & rediuiuos ignes flammiuomarum denuò renouent quæstionum. Simpliciter itaque veraciter confitentes Dominum Iesum Christum vnum operatorem diuinæ, atque humanæ naturæ electius arbitrantes, &c. Et concludit: Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum vnanimiter prædicamus, hortantes vos, vt vnius vel geminæ nouæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, vnum nobiscum Deum Iesum Christum Filium Dei viui, Deum verissimum in duabus naturis operatum diuinitùs, atque humanitùs fide orthodoxa, & vnitate Catholica prædicetis.]

303 Ex quibus cuiuis, etiam rudis mineruæ homini, euidenter,& palmariè constat, Epistolam illam,in re catholicam doctrinam in omni parte continere, & in re concedere plures Christi operationes, & voluntates,diuinam scilicet, ac humanam, & vocem tantùm gemine, vel vnius ad cauendos Nestorianos, & Eutychianos fugiendam præcipit. Dicit enim, Christus duas naturas habuit cum suis differentijs diuinæ, & humanæ. Opera habuit diuina, & humana: diuinitùs, & humanitùs operatus est. In humanitate non erant duæ voluntates carnis, ac spiritus,quia non conceptus sicut alij homines in peccato, neque ex viri coniunctione. Quid aliud est hoc, quàm dicere, Plures habuit voluntates, pluresque operationes; at nolite dicere vnam vel plures, ne videamini fauere Nestorio, vel Eutycheti, Vbi hæresis hic? Nusquam certè.

Dices. Fuit postea in sexta Synodo definitum, in Christo duas fuisse voluntates, duasque operationes diuinam, & humanam, dictumque Anathema dicentibus contrarium. Ergo si Honorius dixit oppositum, hæresis erat.

304 Resp. In primis ante definitionem concilij confirmatam à Papa, decretum fidei non obligare de fide. Cùm autem Honorius Epistolam scripsit,non erat adhuc decisum, quia concil. VI. factum est post annos 18. At quoniam Honorius respondebat Sergio de Cathedra, vt regula fidei, hæc responsio non iuuat; quia ipse debuit docere, sicut concilium postea docuit, sicut fecit Agatho ante concilium. Ideò.

305 Resp. 2. dist. Antec. concilium decreuit oppositum, quò ad vocem tantùm, concedo; quò ad vocem, & quò ad rem, nego. Et dicenti contrarium quò ad rem, & vocem, dixit anathema. Et proindè non potuit complecti Honorium, qui rem, immò etiam vocem pluralem fatebatur, non verò vocem illam vna, vel gemina. Declaratur. Sergius Cyrus, Pyrrhus, Theodorus Pharanites,rem & vocem pluralitatis operationum Christi negabant: & sic suspecti erant de Eutychianismo, quod tunc vigebat, & operationem Dei virilem in Christo admittebant, quia confusionem naturarum in vnam permixtarum; & ideò non confitentes diuersitatem operationum Christi diuinæ, & humanæ, neque vocem dualitatis, hæretici sunt denunciati. At si prædicassent in Christo operationes diuinas diuersas ab humanis, abstinendo tantùm à voce geminæ, sicut faciendum docuit Honorius; fortè neque concilium aliquid in hoc decreuisset, immò neque celebratum fuisset; quia omnes sciebant, quod ipsi affirmabant, quodue negabant.

Dices. Hoc idem debuit facere Honorius, quod Agatho, & postea Concilium, sciens quid Cyrus, & Sergius docebant, & quòd controuersia erat, non de sola voce, sed de re etiam ipsa; & tamen non fecit, neque eos damnauit. Igitur eorum sententiæ fauit.

306 Resp. Fortè de hac negligentia non fuit excusabilis, si clarè sciebat Sergium, & Cyrum ità loqui, vt in re non distinguerent operationem Christi diuinam ab humana. At esse potuit, quòd ita clarè illi locuti non sunt ad Honorium, sicut fortè scriptis traditum reliquerunt; qua de causa inualescente clara earum hæresi, opus fuit eam damnare, vt fecit Agatho prius in suo Concilio Romæ, deindè per suam epist. in Concilio Generali, quod etiam quò ad hoc confirmauit. In hoc ergo, quò ad me, saluo meliori iudicio, putarem Honorium defecisse, quòd diligenter non inquisiuerit, an de re, an de sola voce pluralitatis operationum esset contentio, sed crediderit, vt ex sua Epistola videtur haberi, esse de voce tantùm. Nihilominus prouidè cum hac scientia operatus est, quia extrà controuersiam rem posuit, cùm dixit esse prædicandum, quòd Christus diuinitùs, & humanitùs operatus est, quòd opera diuina, & humana habuit; quòd multis modis, & multifariam quò ad diuinitatem, & humanitatem operatus sit. Hæc est res catholica, quam Sergius, Cyrus, & Pyrrhus comperti sunt negasse;quod tamen Honorio non innotuit, sed cum præcautione illud docuit, à voce tamen vnius, vel geminæ tantùm, dixit abstinendum, quia erant voces nouæ, & in Scripturis, ac Patribus non repertæ. Et sic censeo, cum Ioanne IV. Martino I. & Agathone, in hæresim Honorium, nullo modo, nullaque ratione incidisse, sed catholicè epistolas illas scripsisse, vt ex semetipsis loquuntur.

307 Prob. 1. ex testibus deponentibus de perpetuo eius in Papatu catholicismo. Et primò ex teste omni exceptione maiori, & ratione status, & temporis, & loci, & personarum, quibus attestatur, Honorium in Pontificatu catholicum; is est Agatho Papa, qui inuitatus ab Imperatore, intimauit illud Concilium & ad extirpandam hæresim Monothelitarum; in sua Epistola ad Imperatores instructoria de sententia ferenda contra Monothelitas; quam Concilium recepit, velut Euangelium, dicens; per os Agathonis Petrum locutum; & in Synodica, qua petitur confirmatio actorum, Patres dicunt, se ex literis, & ex sententia eius hæresim, & hæreticos damnasse. In hac autem Epistola, quæ in act. 4. Concilij 6. refertur hæc præ cæteris habentur: [Hæc est fidei regula, quam defendit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apo-

stolicæ

stolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed, vt ab exordio Fidei Christianę percepit ab auctoribus Apostolorum Christi principibus, illibata permansit.] Et de suis prædecessoribus, infrà dicit: [Consideret itàque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defuturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.] Hæc Epistola missa est ad Imperatores legenda, sicut lecta fuit in consessu 289. Patrum Concilij, & ab omnibus recepta, & laudata. Si autem Honorius piceæ hæresis inquinatus aliquando fuisset, qua fronte potuisset dicere Agatho, neminem prorsus ex suis prædecessoribus iuxta Christi promissum fuisse hæresi maculatum? Quam apud Orientales fidem Agatho habuisset, & quomodo Patres per eam Epistolam ore Petri dixissent locutum Agathonem, si falsum asseruisset? Et quomodo ei contradixissent damnando, vt hæreticum vnum prædecessorem, si approbant dictum Agathonis, [quòd nemo à tramite veritatis errauit?] Si, vt infrà in ea Epistola Agatho damnat Sergium, Pyrrhum, Cyrum, ac Theodorum, non verò Honorium; quomodo Patres verè dicere poterant, se ex sententia Agathonis damnasse etiam Honorium, ab Agathone nedum non damnatum de hæresi, sed præseruatum ex priuilegio Christi, conseruantis eum Catholicum? Certè insolubile argumentum est hoc.

308 Prob. 2. ex testimonio S. Maximi Martyris Scriptoris eius temporis, dicente quinam fuerit verus Honorij sensus in ijs Epistolis. Cùm enim coram Gregorio Patricio disputarent Pyrrhus Patriar. Constant. successor Sergij, ipse quoque Monothelita, & Maximus assertor duarum voluntatum, hæc acciderunt. [Quid, ait Pyrrhus, de Honorio respondendum habes, qui apertè antecessori meo vnam voluntatem Domini Nostri Iesu Christi esse tradidit?] Maximus dicit: [Quis fuerit fide, & auctoritate dignus Epistolæ eius interpres, qui eam ex persona sancti Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum pietatis dogmatibus illustrauit; an hi, qui Constantinopoli ex suo corde loquebantur? Pyrrhus: Ille, qui hanc scripsit Maximus. [Is igitur, cùm ad D. Constantinum Imperatorem ex persona Ioannis Papę de hac epistola scriberet, dixit: Vnam voluntatem diximus in Domino non diuinitatis eius, & humanitatis, sed humanitatis solius. Cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam, duas voluntates in Christo contrarias dicerent; rescripsimus, Christum, non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed vnam tantùm, quæ naturaliter eius humanitatem signabat. Hoc autem ità esse, argumentum euidens est meminisse membrorum, & carnis; quæ quidem in diuinitate non licet intelligere.] Et quia Maximus adduxit hunc testem de visu, Pyrrhus acquieuit, nec ausus est amplius in sui defensionem Honorium hæreticè sentientem adducere. Quid hoc testimonio clariùs?

309 Dico 4. Probabilissimum est, quòd Patres Concilij 6. non damnauerint Honorium de hæresi Monothelitarum; sed nomen Honorij ab aliquo falsatore Actuum eius Concilij, fuerit per calumniam appositum.

310 Prob. prima pars. Ex Synodica eius Concilij ad Agathonem collata, cum epistola Agathonis ad Imperatores, relata in act. 4. vtraque autem legi debet, quia ex omissione lectionis huius secundæ, aliqui, non infimæ notæ, hallucinati sunt dicentes Agathonem in hac sua Epistola damnasse Honorium, quod merum mendacium est. In Synodica ergo, hæc dicunt Patres: [Anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras literas de ijs lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.] Si vera esset damnatio, insigne hoc esset mendacium; Epistola enim Agathonis, tam ad Imperatores, quàm instructoria ad legatos, Honorium non continet inter damnatos; nec vllo modo nominat. Imò in Epist. ad Imperatores post Sergij, Cyri &c. damnationem, statim apponitur præcautio Romanorum Pontificum; quòd nempè illi numquam à fide exciderint. In Epist. etiam legatorum, quæ pariter in act. 4. continetur, multa dicit de Monothelitarum hæresi, & quòd in Concil. Later. sub Martino I. fuit decreta veritas ei contraria, & quòd in eo damnati sint Auctores eius, his verbis: [Zizaniarum auctores extiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani.] Non nominatur Honorius. Qua ergo facie Patres illi ausi essent dicere, damnauimus damnatos ex tua sententia in literis tuis contenta, si talis non erat sententia Agathonis; sed ei in principaliori parte contraria, cùm tangeret pupillam Sedis Apostolicæ, damnari Papam, multò ante mortuum, inconsulto Papa viuente, imò contrarium defendente? & qua fronte petijssent ab Agathone confirmationem Concilij, hoc nobili encomio, quòd ex eius sententia omnia definierunt, si contra eius sententiam fecissent? Nam fatui omnes erant, vt crederent, Agathonem fore confirmaturum damnationem Honorij, si Agatho dicit, & defendit ex Christi priuilegio, nullum ex prædecessoribus suis, inter quos an. 18. ante fuerat Agatho, hæreticum fuisse. Censeo fatuum esse eum, qui huic attentato credit.

311 Confir. Si damnatio hæc accidisset, vel attentata fuisset; tres Legati Agathonis, qui semper præsidentes fuerunt, omnibus Concilij actibus, vt ex eis patet; semperque primi, vt moris, & iuris est, subscripserunt; quomodo in hoc grauissimo attentato iudicandi Papam mortuum, non contentum in sua instructione, in qua potiùs habetur contrarium, muti, nullo prorsus facto verbo de dilatione saltem huius negotij, quousque consuleretur Papa? Sed nullo facto conquæstionis verbo, cæco, & Andabatarum more subscripsissent? Inuerisimile hoc est.

312 Confir. Prætensa Honorij hæresis, non erat notoria sicut Sergij, Pyrrhi, Cyri &c. Igitur non potuit iudicari, indiscussa

priùs causa. Nulla autem legitur facta discussio, præter simplicem Epistolæ lecturam. Quæ ad damnationem hæresis,in ea non contentæ, non sufficit; nisi, vel de crassa ignorantia iuris, atque ordinis iudiciarij, vel de manifesta malignitate, atque iniustitia 289. Patres insimulare velimus; quod absit omninò. Et Confir. hoc. Quia Orientalia Græcorum Concilia maximo semper in honore Romanum habuere Pontificem, patet præcipuè ex Concilio 8. Act.7. in supplici Patrum libello ad Adrianum I. Papam, in quo grauissimis verbis detestantur temerarium Dioscorum, qui in Concilio 2. Ephesino latrocinali, ausus est Leonem Magnum sententialiter excommunicare, his verbis loquuntur: [Quòd ipse Dioscorus supremum Ecclesiæ Tribunal, cùm esset vltimus, primus tamen reluctaretur, atque in Papam Leonem Magnum absolutam damnationis sententiam pronunciaret: Ad horum igitur exemplum, quicunque in illo impio Conciliabulo contra Sedem Apostolicam, vel os aperire, vel manum protendere ausi sunt, instam iudicij damnationem non effugient.] Et ex disput.5.art.4. patet, numquam processisse ad sententias de fide, nisi præuia Papæ instructione, vel cùm spe obtinendi ab eo confirmationem. Quod in quinto Concilio, de Vigilio est manifestum. Hoc autem stante; quomodo Patres illi 289. inaudito viuente Agathone, & Honorium defendente, ipsi eum damnassent; deinde, fronte perfricta, eius damnationis confirmationem ab eo petijssent.

313 Confir.3. digno Baronij discursu in anno 681. [Si ad condemnationem muscæ mortuæ, vt ità dicam, Theodori Mopsuesteni, & ad condemnationem scriptorum Theodoreti, & Ibæ Orientalium Episcoporum, totum Orbem terrarum oportuit commoueri, Synodumque Oecumenicam congregari, & non sine maximo labore id vix obtineri valuit; quomodo accidere potuit, vt vnius dumtaxat lectione Epistolæ tamquam cœlo sereno repente fulmine misso condemnatus fuerit primariæ Sedis Antistes, de qua illa consueuit omnium vox in Synodis,Prima Sedes omnes iudicat, & à nemine iudicatur? Quomodo lecta Epistola antea cum auctore damnata fuit, quàm examinata? Sed si examinata fuisset, quàm hæretica inuenta esset,nonne antequam cum ea damnaretur ipsius auctor, oportuisset exactè disquiri, num vsque ad obitum in eadem sententia perstitisset? Quòd verò Catholicus obijt Honorius, nullus dubitat, tum quia S.Maximus id testatur; tum etiam, quia dignis encomijs eum prosequuntur Ioannes IV. Martinus I. in Concilio Romano; & alij recentes, qui pro eo scripserunt, & vt ibidem notat Baron. Nicolaus I. in Ep. ad Michaelem Imper.& Agatho ipse in Epist. ad Imper. asseuerauter dicunt, neminem ex suis prædecessoribus labe hæresis,nec rumore, aut suspitione eius, vmquam fuisse aspersos, qua quæso fronte id dixissent Imperatoribus, aut Episcopis Græcis horum directoribus habentibus in suis Archiuis acta constitutorum Conciliorum, eaque exactè callentibus, & Romanos Pontifices molestè infestantibus, si Honorius, nedum rumore, vel suspicione hæresis fuisset aspersus, sed diffamatus, & in Concilio solemniter, ac publicè damnatus. Fateor verum, nullus hominum ad id credendum me adiget.

314 Confir. 4. Si Concilium damnasset Honorium, Agathone inconsulto, imò cum suis epistolis contrauitente; hic Papa acerrimus Pontificum priuilegiorum vindex; quomodo sub silentio id præterijsset, & non potiùs actum improbasset, & iustis quærelis declamasset de iniuria sibi, ac Prædecessori illata? neque dicas id non sciuisse, quia tempore conclusionis Concilij mortuus erat; & ideò confirmario Concilij, non ab eo sed à Leone II. successore facta est, & hic damnationem Honorij, omniaque Concilij acta confirmauit. Nam contra est; quia, Concilium anno 681. inchoatum, & initio 82. expletum est, & Synodica ad Agathonem erat directa; potuit autem, & ante Synodicam resciri à Legatis, quòd contra Sedem Apostolicam machinabantur Patres, ab initio enim Concilij, vt patet ex act. 4. penetrari potuit quò tenderet eorum intentio;& in alijs actionibus sequentibus, ex magno mensium plurium spatio ante finem Concilij diuulgari potuit, quod contrà Honorium cogitabant; non enim Legati Rom. Pont. erant in India, neque mortui, aut fatui; adeòque omnia debuissent Papæ Agathoni significare; & hic fortissimè, nouitati, & attentatis contrà Cathedram Romanam verbo, facto, & protestatione restitisset; & saltim non ausi essent Patres illi, ad eundem contra eius instructionem, & firmam sententiam infallibilitatis suorum antecessorum, post vnius Honorij damnationem, perfricta fronte adhuc etiam damnationis petere confirmationem.

315 Probatur præterea testibus ex eisdem inimicorum Romanæ Sedis, adeòque Honorij, productis, Græcis nempè Scriptoribus, qui certè non pepercissent Honorio,si potuissent cum veritate, eius damnationem asserere; si alijs nõ parcunt commentitia fingendo, vt nota aliqua eos inurant. Photius in lib. de septem Synodis, loquens de Patribus sextæ, ait: [Hi simul cum alijs Sacris, Sanctisque Patribus Sergium, Pyrrhum, Paulum, Constantinopolitanos, Cyrumque Alexandrinum, & Theodorum Pharensem, qui mutuam mendacij catenam conficiebant, &c. alios condemnarunt.] Quænam opportunior occasio detegendi Romani Pontificis pudenda? & tamen Honorium non nominat. Quis credat voluisse ei ignoscere, cum suo mutilatę historiæ dedecore? iudicet prudens.

316 Zonaras Sedi Apostolicæ infensus in Constantino IV. narrans damnatos, ex Monothelitarum hæresi infectos. In sexta Synodo, alios nominat, nulla de Honorio facta mentione. Quis ei prohibuit, ne Honorium etiam inserere, si vera fuisset damnatio?

317 Emmanuel Galleca Græcus in sęculo 13. floruit, & insignem librum contrà Græcos pro Latinis scripsit, in quo firmiter asserit, Honorium Catholicum semper fuisse. Quid adhuc egemus testibus, [Si enim in ore duorum, vel trium stat omne verbum, ex Dei doctrina?] Et testes fisci, seu partis in fauorem præsumpti Rei optimè probant; euidenter demonstratum remanet, Honorium, nec in hæresim externam incidisse; neque ob eam potuis-

potuisse damnari, & multò minùs, damnatum fuisse. Ad articulos autem ex iudicijs contrà Honorium initio deductis, postea responsa proferam.

318 Confir. Alij Latini Scriptores de damnatis in 6. Synodo meminerunt; & tamen Honorium non nominant, & funt Regino Prumiensis, Hugo Floriacensis, Otho Frisingensis, Conradus Vrspergensis, Marianus, Scotus, Godofridus Viterbiensis, Onuphrius Panuinius in Honorio. Alij peculiares tractatus confecerunt pro defensione Honorij, vt Albertus Pighius lib. 4. Hierarch. Eccl. c. 8. Osius lib. 2. contra Brentium, & recentiores multi, cum quibus Belarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. qui omnes Honorium à calumnia liberant.

319. Pob. tandem ex facto Martini Primi martyris Rom. Pont. qui quartus post Honorium, breuique post eumdem sedit. Hic in Concilio Later. damnat Sergium, Cyrum, Pyrrhum, ac Paulum, nullo facto verbo de Honorio. Certè si Honorius eiusdem sententiæ fuisset, inter eos fuissee adnumeratus; alioquin Papa cum suo Concilio, manifesto irrisionis & querelæ periculo se exposuisset; acceptator enim personarum apparuisset, & Græci queruli, id non preterijssent sine silentio, cùm suos tantùm Patriarchas, non verò Romanum, eiusdem delicti reum, damnari vidissent.

320 Prob. concl. quo ad aliam partem de corruptione actorum Concilij in ea parte, in qua nominatur Honorius. Primò, quia tot argumenta probantia inuerisimilitudinem, cogunt ad hoc dicendum. Si enim in ijs reperiatur scriptum Honorij nomen, & non potuit apponi à Patribus Concilij; sequitur peruecesse fuisse appositum ab aliquo impostore. Secundò, sæpè accidit hoc, vt à Græcis aliquibus inuidis, falsarentur acta Conciliorum, & epistolæ Romanorum Pontificum: Nam Leo Magnus in epist. 83. conqueritur, quòd sua ad Flauianum epistola, fuerit corrupta. Greg. Magn. lib. 5. epist. 14. conqueritur, quòd fuerint corrupta acta Concilij Chalcedonen. & suspicatur idem factum fuisse de Ephesino. Nicolaus V. in epist. ad Michaelem Imper. dolet de eodem casu, corruptionis literarum à Græcis factam. Et idem Concil. 6. in act. 12. & 14. manifestè contrectauit acta Concilij quinti fuisse corrupta. De eodem delicto sunt conuicti Græci in Concilio Florentino. Quod argumentum falsationis latè, & fundatè prosequitur Baronius circa Honorium anno 681. Potuit igitur idem infortunium, eademque impostura accidere actis Concilij 6.

Ob. 1. Conquestio Adriani II. in Concilio 8. vbi supra quòd PP. Concilij 6. damnarint Honorium, probat, eum fuisse damnatum; quod enim adduci potest fortiùs ad hoc argumentum, quàm querela Papæ. Imò ipse excusat eos Patres, quòd processerint contrà Honorium, eò quod agebatur de hæresi, quò in casu inferiores, iudicare possunt de superiori. At acriter de Photio conquestus est, quòd sit ausus, damnare Nicolaum primum suum prædecessorem, ex commentitijs imposturis. Ergo non potest celari damnatio Honorij, si ab Adriano refertur, & serè nõ improbatur, sed potiùs PP. excusantur.

321 Resp. Conquestionem illam non esse de damnatione Honorij, vt euidens est, sed de damnatione Nicolai, impudenter à Photio peracta. Cùm verò dicit hæc verba: [Nam quamuis Honorius post mortem, ab Orientis Episcopis anathemate sit affectus, manifestum tamen est, illum de hæresi fuisse accusatum, qua sola in causa licet inferioribus de superioribus iudicare,] dicens, inquam, hoc non approbat, quod ità fuerit; sed ex suppositione illa, quòd circumferebatur, & ab aliquibus credebatur factum hoc fuisse, voluit dicere Adrianus, dato, & non concesso, quod dicitur; tamen dicitur etiam causam fuisse prætensam hæresim; At id de Nicolao non vrget. Suum ergo intentum erat improbare Photium, & purgare à calumnia Nicolaum, non approbare damnationem Honorij, imò eam improbat, si facta esset, vt dicebatur, inquiens: [Quamquam nec ibi, idest in Concilio, vel Patriarcharum quisquam, nec aliorum vllus, Antistirum sententiam pronuntiare potuerit, nisi eiusdem primariæ Sedis accedente ad eam rẽ auctoritate.] Igitur damnat Patres illius Concilij, si Honoriũ damnarunt.

Obijc. 2. Factum, seu damnatio Leonis Secundi circa Honorium, celari non potest. Hic autem Pontifex, immediatè successit Honorio, rem certè scire potuit; fuit sanctissimis moribus præditus; vndè Ecclesia, officium de eo celebrat: & Synodica Concilij 6. cum damnatione Honorij, ad Agathonem missa, hoc morte præuento, peruenit ad Leonem, & tamen hic damnationem confirmauit. Et quod peius est, ne dum ad Concilium eam direxit; sed ad omnes Episcopos Hispaniæ, vt illi decreto Concilij subscribant. Hoc autem Leonis factum, & rem concludenter probat, & omnia suprà in contrarium allata argumenta eneruat.

822 Resp. ad hoc arg. ex Baronio tom. 8. an. 583. primò, literas hasce Leonis esse commentitias, & pluribus indicijs id constare. Primò, in epist. ad Præsules Hispaniæ dicit hæc: [De diuersis autem Concilijs, huic sanctæ Apostolicæ Sedi, cuius ministerio fungimur, subiacentibus, Archiepiscopi sunt à nobis destinati, qui cum pio Principe simul, & omnibus, qui conuenerunt Ecclesiarum præsulibus præsidentes, ac consedentes, primùm quidem sancta quinque vniuersalia Concilia, & venerabiles Ecclesiæ Patres, quorum libri, ac testimonium hinc fuerant destinata cum tomo dogmatico Apostolicæ memoriæ nostri decessoris Domini Agathonis Papæ, atque Pontificis, & responsis totius nostræ Synodi pro confirmatione duarum voluntatum naturalium, & operationum in vno Domino nostro Iesu Christo, & condemnatione eorum, qui aliter docuerunt, vel crediderunt, & hæc singula relegerunt, ac retractarunt.] In hac epist. notat Baron. falsum contineri, in primis, quòd ipse; Secundò, quòd Agatho è Roma miserit Archiepiscopos ad Concilium 6. nam tres tantùm Legatos misit Agatho, duos Presbyteros, Thodorum, ac Georgium; & vnum Diaconum Ioannem: & si omnia illa acta reuoluantur, nullus alius reperitur missus, & minimè Archiepiscopi. Secundum mendacium, quod in ea obseruatur, est,

est, quòd asserat Leo à se esse destinatos Archiepiscopos ad tractaudum cum Imper. & PP. Coucilij de dogmate discutiendo iu Concilio; quasi sedente Leone duraret Concilium; quod ex actis falsum est; quia ante mortem Agathonis decima indictione inchoata, iam erat absolutum Concilium; ideò Synodica pro actorum confirmatione, non ad Leonem, sed ad Agathonem erat directa. Aliud ego adnotauit, fortè non leue fasitaris inditium. Dicit Leo, quòd ab Agathone fuerat transmissum ad Concilium volumen dogmaticum in Romana Synodo congestum de doctrina duatum voluntatum, & operationum in Christo, & de condemnatione eorum, qui alirer docuerunr, & erediderunt; Et vt vidimus iu Synodica PP. dicunt ex sententia Agathonis per suas literas expiicata definisse doctriuam, & damnasse contradictores. Hoc stante, putauit iam, qnos damnauetat Agatho, & quòd Honorinm non damnauerar. Leo iam habebar exemplar liberi dogmatici doctrinæ, & damnationis, missi ab Agathone, paucis ante diebus mortui, si sic, quomodo, & illi, & iste dicere potuissenr, [secundùm doctrinam, & sentenriam Agathonis processisse,] si fecerant contrarium, alterantes sententiam adeò exorbitanter, cum damnatione Papæ mortui in communione Catholica? Iterum dico; si iuxra librum dogmaticum Agathonis, dicit Leo processisse, & damnasse in eo damnatos; nonne hoc esset solemne mendacium; si in libro dogmatico non erat damnatus Honorius; imò in eo dicebatur, nullum Romanum Pontificem à tramire veriratis deuiasse, imò ex Christi priuilegio nec posse deuiare? Quomodo ergo vernm dixisse Leo? Quomodo doctrinam dogmaticam sui decessoris fuisset secutus? Quomodo acta decessoris defendisset? Quomodo priuilegium Papale defendisser? Quomodo passus esset, quòd incousulta S. Sede, imò contrarinm tuente, Papa fuisset iudicatus, & ne verbum quidem de hoc fecisset? Hæc Leone indigna essenr. Quattum commenti indicium est, qnòd Leo II. dicit in epist. 1. ad Imper. quòd receperit eius literas indictione decima mense Iulii; & eidem respōdet eadem indictione decima nnnis Maii. Hæc stare non possunt; quia in nullo mense Iulii; nec decimæ, nec vndecimæ indictionis Leo fuie Papa; quia durauit in pontificatu menses rantummodo decem, & obiit 4. kal. Iulii. Ergo. Non potuit recipere iiteras Imperatoris in vllo mense Iulii, ac proindè epistolas istas Baronius, ac Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. iudicant commentitias. Alia Baronius ex aliis epistolis assertis Leonis deducit commentotum indicia, sed prædicta mihi sufficiunt. Nullum enim; vidi Pontificem, nec posse me cogitare fateor, qui in dogmaticis prædecessoribus contradixerir, aut in iurisdictione, & priuilegio supremi indicii murus, eis præiudicium intulerir, aut iudicia contra eos temerè, & sancta Sede inconsulra, iam peracta, ne dum non improbauerit, sed acriter impugnauerit. Nil enim adeò cordi infixum habebant Sanctissimi illi, omnimodeq; spirituales Pontifices, quàm vt sanctæ Sedis priuilegia etiam cum vitæ discrimine tuerenrur, & ne latum quidem vnguem in eis præiudicium inferretur. Legantur acta Leonis istius Siculi, & reperietur: [Hic fregit superbiam Antistitum Rauennatum, qui Exarchorum freti potentia Sedi Apostolicæ non obtemperabanr, quamobrem decreuit, vt electio Cleri Rauennatis irrita esset, nisi Romani Poutificis auctoritate comprobaretur.] Adde, in eiusdem vita legitur, quòd acta sextæ Synodi confirmauit; & quòd in eo Concilio Cyrus, Sergius, & Pyrrhus condemnati sunt; Non ergo Honorius. Quomodo enim ardens, zelatorque Siculus esset passus à Græcis, præsentibus Legatis Sedis Apostolicæ, damnatum Papam, & hos non contradixisse, nec fuisse protestaros de nullirate, donec consuleretur Papa? Absit omninò, vt id de tanto Pontifice etiam somniem.

323 Vndè Turrecrematæ, & aliorum euasionem dicentium, & sextam Synodum, & Leonem Secundum damnasse quidem Honorium; at in facto errasse; non recipio: sed existimo id non fuisse factum. Superius enim adducta argumenta, ad id dicendum me adigunt. Nihilominùs & eorum, & aliorum sententiam veneror; sed omnia me non cogunt, ad asserendum, quæ cum aliis dixi. Ad alios Pontifices ab iniquis accusatos, pergamus.

§. IX.

An Ioannes XXII. à Fide vnquam exciderit?

324 ADuert. Quòd licèt alii plures ante Ioannem XXII. de labe hæresis immeritò insamentur, vt infrà succinctè dicam; quia tamen iste Pontifex plùs aliis de hoc videtur ab eius aduersariis grauatus; de eo priùs loquar.

325 Adu. 2. Duos errores opponi Ioanni XXII. vnus notus est omnibus; quòd nempè tenuerir, nullam animam, & si innocentem, vel purgatam igne Purgatorii, videre Deum, ante communem resurrectionem. Primus, qui id opposuit Ioanni, fuit Fr. Guglielmus Okam mei Ordinis, huic Papæ minimè propensus, & post eum, alii. Secundus error ei opponitur à Caluino lib. 4. Inst. cap. 7. §. 28. quòd tenuerit animam esse mortalem, & simul cum corpore destrui vsque ad resurrectionem, & iudicium vniuersale. Videndum ergo prius est, an constet factum? Deinde, quid de iure?

326 Dico 1. Negari non potest, quòd à vlgo circumferatur Ioannem XXII. ante definitionem vllam ab Ecclesia expiicitè factam, dubitasse, an ante resurrectionem, ac iudicium vniuersale, animæ etiam innocentes, & sine reatu pœnæ admittantur ad Dei visionem, & fruitionem.

327 Prob. Apertè id dicit Okam in opere 93. dierum: Adrianus Papa in disput. de confirmat. circa finem, & alii post eos, vt videre est apud Spondanum anno 1333. inter quos computatur Ioannes Gerson, &c.

328 Dico 2. Nou constat quòd Ioannes XXII. ità tenuerit, aut id Ecclesiam tamquam certum docuerit.

329 Prob. neque ex eius confessione, neque ex pluribus testibus idoneis de visu, seu de proprio auditu id potest concludi. Ergo. Anteced, de confessione probatur. Nullum enim extat authenticum scriptum Ioannis documentum, in quo id dicat; non enim ab aduersariis producitur. Sed fortè ex fama, seu verius tumore, orto ex eo quòd ipse de hoc dubius, permittebat, vtramque sententiam prædicari, vt mox dicam. De testibus de visu, seu de proprio auditu, pariter probatur. Nullus enim dicit se audisse eum fatentem extraiudicialiter, quòd tenebat eam sententiam. Ergo non potest quis cum veritate dicere, Ioannes tenuit eam sententiam, nisi ei imponendo, & calumniando. Non enim potest alicui crimen affingi, nisi videatur ipso facto delinquens, vel à testibus idoneis, omnique exceptione maioribus, vel à scriptura eius authentica, & indubitata id habeat.

330 Dico 3. Ioannes XXII. de ea sententia olim videbatur dubius, & aliquando vtramque partem prædicari posse permisit; postea tamen ad iudicii trutinam eam submisit, vt nempè discuteretur, an ex Scriptura, vel traditione, alterutra pars posset erui.

331 Prob. prima pars, ex Epist. Ioan. ad Philippũ Regem Galliæ adducta ab Oderico Raynaldo t. 15. an. 1333. nu. 46. Rex enim minis, ac terroribus prohibuerat prædicari sententiam negatiuam, quòd nempè tales animæ non videant Deum faciliter, vsque ad resurrectionem, & minatus fuerat, eos prædicatores subijcere S. Officij Inquisitoribus. Papa, pluribus dicit, hoc dubium non esse decisum adhuc, & S. Augustinum, aliosque Patres, ac Doctores in hoc vacillare adhuc. Et concludit: [Rogamus Fili beneuolentiam tuam, vt per fideles nuncios Magistris in Theologia, & Baccalaureis, Parisijs legentibus, & degentibus facias nunciari, quòd talibus minis illatis non obstantibus, quilibet dicere, & disputare, & prædicare valeat, quod sibi iuxta doctrinam Euangelicam, & Apostolicam disputandum videbitur, & etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per sedem fuerit Apostolicam, vel etiam declaratum.] Ergo tunc erat dubius, & permisit vtramque partem prædicari.

332 Prob. secunda pars, orta, & inualescente hac controuersia in Ecclesia tempore Ioannis, præfatus Odericus, & Spondanus in eodem anno, sed ex alijs Scriptoribus, referunt, Ioannem dirimere eam cupientem, DD. Cardinalibus, Episcopis, atque Theologis manifestasse loca Scripturæ, ac patrum in alterutram, & vtramque partem propendentium, eisque præcepisse sub anathematis pœna, vt eam controuersiam omni, qua possent diligentia discuterent, & Patrum sensum inuestigarent, suamque postea fideliter sententiam proferrent. Immò, & libellum ex Scripturæ, & Patrum, pro vtraque parte conflatum, ad eundem finem, misit Petro Archiepiscopo Rhotomagensi. Et Benedictus XII. successor Ioann. const. 4. sic refert eiusmodi diligentias à Ioanne peracta: [Cùm prædecessor noster Ioannes; ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet in suo Concistorio publico, tàm fratribus suis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis, & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, iniungendo districtiùs, & mandando, vt super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè vnusquisque diceret quid sentiret, Tamen morte præuentus, sicut Domino placuit, perficere illud nequiuit.]

333 Confir. multi in hac re scripserunt, quos Odericus refert, inter quos Durandus acris ingenij vir, Episcopus Meldensis, qui partem affirmantem tenuit; videre nempè Deum faciliter ante diem Iudicij &c. optimè probauit, & aduersa argumenta dissoluit. Ergò certum est, Ioannem, iudicio, controuersiam submisisse.

334 Dico 4. Ex hoc modo agendi, & fortè etiam ex propensione in negatiuam, vsque ad iudicium de hac controuersia faciendum, non debet, nec potest Ioannes de hæresi notari.

335 Prob. Nulla eò vsque in eo erat pertinacia, contra veritatem Fidei ab Ecclesia definitam, seu receptam. Hæc autem est necessaria ad statuendum Hæreticum formalem. Ergo. Maior patet. Numquam enim id fuerat ab Ecclesia definitum; neque erat explicitum in aliqua parte Scripturæ, alioquin, nec Augustinus, nec vllus hominum fidelium, ausus esset contrarium docere. Adde, quòd Pauli locus ad Heb. 2. insignis, ante Ecclesiæ definitionem, negatiuæ opinioni multum fauebat; postquam enim retulit multos Veteris Testamenti Sanctos in singulari, & omnes in generali, sic concludit: [Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur;] licèt id intelligatur de completa consummatione beatitudinis, nempè cum corpore. Igitur contra Scripturam, de fide, eò vsque explicatam, non tenuit, nec permisit Ioannes, sed permisit tantùm doceri, ac prædicari, sicut eo vsque fuerat absque contradictione prædicatum. Et sic non pertinax, neque contumax in fide.

336 Prob. 2. Si hac de causa Ioannes dicendus esset Hæreticus; quia in re non definita, sed controuersa, vel permisit; vel tenuit oppositum; multi Sancti essent de hæresi infamandi, vt Sanctus Hieronymus, qui in Epist. ad Damasum dicit tres Personas diuinas non posse dici tres hypostases; quod tamen postea fassus est, S. Cyprianus, qui tenebat baptizatos ab Hæreticis, esse rebaptizandos. Immò & ipse S. Petrus, qui antequam de Cathedra definiret, Act. 15. venientes ad fidem non teneri ad legalia, facto eos ad hæc adigebat. Et Sanctus Augustinus hoc prorsus motiuo excusat sæpè Cyprianum, & Petrum, quia materia non erat adhuc definita.

337 Confir. In omnibus Concilijs, in quibus aliqua noua doctrina fidei est definienda, ante definitionem, adesse solent opiniones pro vtraque parte; neque propterea Auctores partis damnatæ, dicuntur Hæretici pro tempore antecedenti; sed si perseuerant in ea sententia post definitionem. Anteced. potest probari ex praxi incipiendo ab ipso Concilio Apostolorum Act. 15. cùm orta

esset

esset quæstio inter conuersos ad fidem, an quilibet Gentilis præter Baptismum, pati etiam deberet Circumcisionem; affirmabant aliqui; urgabant alij; neutri verò ante Petri decretum erant Hæretici; sed qui in ea sententia affirmante persistentes, post decretum, vt Pharisæi. Idem de hæresi Rebaptizantium baptizatos ab Hæreticis dicendum. Sancti enim Aggrippinus, & Cyprianus eius sententiæ erant, item & alij, vt Donatistarum Antesignani, & eorum sententia hæretica tunc non habebatur, quia non fuerat ab Ecclesia damnata; at post damnationem, Donatistæ in ea persistentes, vt Hæretici sunt damnati. Idem de quæstione Purgatorij, Imaginum, &c. vno verbo dicam: Nullus eorum, qui ante decretum Concilij defendit, quod postea damnauit Concilium, dici vnquam potuit Hæreticus, si eius sententia, non fuerat adhuc ab Ecclesia proscripta. Sententia autem asserens, animas electorum etiam purgatas, vel innocentes, non visuras Deum facialiter ante vniuersale iudicium, ante Ioannem numquam fuerat ab Ecclesia damnata. Ergo, quicunque eam tenebat, non erat Hæretica nota inurendus.

338 Confir. ex superius dictis. Neque potest probari, quòd Ioannes extenè tenuerit negatiuam; sed arguitiuè tantùm, eò quòd permittebat vtramque doceri, & prædicari: sed hæc permissio, vel dubietas, in re non decisa, non facit Hæreticum. Ergo.

339 Confirmari posset 2. ex eodem Ioanne. Extrà. Quia quorundam de verb. signif. Papa multa tenet, vt priuatus Doctor; multa verò vt Papa; & huius est signum, quando ex se id docet Ecclesiam, vel consultus ab alio. Sed hæc probatio non est necessaria; quia non constat, quòd docuerit, aut tenuerit. Ergo.

340 Dico 5. Nec leuis quidem suspicio vmquam fuit, quod Ioannes XXII. docuerit, aut tenuerit, quòd animæ rationales sunt mortales.

341 Prob. ex negatiua coarctata; Nullum adducitur, neque authenticum, neque dubium documentum de sententia hac Ioannis. Immò nec potest adduci. Ergo. Antec. prob. Non adsunt testes de visu, seu de proprio auditu, quod idem est in hoc casu. Neque datur, aut dari potest scriptura eius manu, vel iussu scripta, in qua hæresis ista contineatur. Et mox exhibebitur scriptura authentica, continens oppositum. Ergo est maligna calumnia, id imponere Ioanni, vt facit Caluinus.

342 Prob. ergo per authentica documenta contraria. Ipsamet Epistola ad Regem Galliæ, & Constitutio 4. Benedicti XII. id euincunt, Nam stante contrarietate Authorum circa visionem Dei ante, vel post indicium, Ioannes instituit, sollemnem consultationem, vt iudicari posset vtra vera esset. Ergo ex subsistentia subiecti, id inquirebat Ioannes, existentibus nempè animabus in aliquo loco; an viderent Deum ante iudicium. Si enim mortales essent, ad quid inquirere, an, vel post videant Deum; si pereunte corpore, animæ quoque pereunt? Tenebat ergo animas durare; & de ijs inquirebat à DD. Cardinalibus, ac Theologis, an videant Deum ante iudicium. Quod arg. certè conuincit.

343 Prob. 2. ex multis eius Constitut. ex 2. Sol oriens, quæ est canonizationis S. Ludouici Episcopi in §. 1. ait, [Huic præstant hospitium Cœli ciues, vt sibi conformem, & comparem ad suum hunc consortium admittunt in supernis; Christus hunc reficit, idem ipse prandium, & conuiua. In §. 29. ait: Cæterum quia conuenit, vt quem Dominus in Cœlo magnificat, mundus colat; nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius inquiri fecimus diligentet, &c. Septima die Aprilis Sanctorum Confessorum catalogo diximus adscribendum. Imponensque Episcopis, &c. vt eius festum sollemnizari faciant, dicit, vt pia eius intercessione hìc à noxija protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis. Et Indulgentias concedit accedentibus ad eius sepulchrum, suffragia petituris. In Const. 7. quæ est canonizatio S. Thomæ Episcopi Herfordiensis. In §. 2. ait: Lætentur Cœli sursum, qui hunc Sanctum gloriosum in se susceipiunt, & exultet terra deorsum, quæ superiùs transmittit Præsulem tàm mirandum. Huic occurrant cœlestes cunei, huic collaudent festiuè Cœliciues. In Const. 11. quæ est Canoniz. S. Thomæ de Aquino, in proemio ait: Patet igitur Cœlum credentibus, patet humilibus; patet etiam qui honestatis, paupertatis, & obedientiæ votia se Deo deuouent. In §. 19. ait: Quo animam enim Cœlum possidere iam credimus; inter eos rem ipsum expectamus, ac inter Sanctorum agmina quasi stellam matutinam eum fidimus esse locatum. In §. 20. Ordo rationis postulat, vt triumphantem in Cœlis Ecclesiam, deuota in terris militans subsequatur. Illum veneratione præcipua percolat, quem in cælestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscitur. In §. 21. Eum Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum.] Et præcipit Episcopis, vt eius festum faciant celebrari. Qua ergo fronte, nisi impudenti, & calumniatoria potuit Caluinus dicere, Ioannem tenuisse, animam esse mortalem?

Ob. contra 1. Adrianus in quæst. de confir. dicit Ioannem fuisse huius opinionis. Idem dicit Okam; idem Erasmus in præfat. lib. 5. Irenæi. Et Spondanus in an. 1373. asserit à Ioanne missum Parisios fratrem Gerardum Generalem mei Ordinis, ve ibi prædicaret publicè sententiam negatiuam, eumque à Doctoribus, Religiosisque de hoc reprehensum, & à Rege decretum, vt nisi contrarium prædicaret, viuum eum comburi iussisset, qua de re Gerardus publicè fuit protestatus, se disputationis gratia id fecisse. Et quòd Rex ad ipsummet Papam super hoc facto scripsit, hortans eum, vt ab eiusmodi suspectis quæstionibus dignaretur abstinere. Ergo id verè tenuit Ioannes.

344 Resp. Omnes præfatos, & alios quoscunque id de Ioanne cogitantes, hallucinatos esse; & plùs de eo credidisse in hac materia, quàm ipse sentiret. Eius namque mentem nullus hominum poterat, nisi ex dictis suis penetrare. Dicta autem, vt vidimus non sonant intentum negatiuè, sed permissio illa, ad summum probat dubium, quod in mente ha-

habebat. Dubium autem in re non determinata de fide, non facit Hæreticum; sed solùm dubium in fide. Ad illud de missione Fr. Gerardi ad prædicandum, dicitur tantum, sed non probatur, quòd sit à Ioanue missus, ad finem disseminandi senrentiam negatiuam, vt eius confessio euincit; imò nec probatur missio. Potuit fortè Fr. Gerardus esse eius sententiæ, & videus placere Papæ, vt non damnaretur absque causæ cognitione, eam voluit docere; & fortè etiam ex iactantia dixit, se à Papa missum, vt hac via honorabilior ipse, & senteutia à persecutoribus esset tutior. Sed aliter accidit. Quodcunque horum dicatur; nunquam concludetur, Ioannem ex hoc procedendi modo, probari hæreticum; immò ad formandum super hoc fidei Decretum, Consultores conuocarit. Immò Okamus ipse, Ioanni in hoc contrarius in Dial. 1. p. 2. cap. 9. fatetur Ioannem protestatum esse, se numquam tenere, docere, aut defendere velle, quod esset fidei Catholicæ contrarium. Quid ergo vlterius quærimus testimonium? [Salutem ex inimicis.]

§. X.

An Nicolaus Quartus vnquam à fide exciderit?

345 ADu. Huic etiam Pontifici opponi solere hæresim, circa paupertatem Christi, eò quòd dixerit, Christum nihil possedisse, neque in communi, neque in particulari. Et hanc esse paupertatem verè perfectissimam, quam postea seurenriam Ioannes XXII. damnauit, vt hæreticam. Hìc ergo, sicut de alijs suprà, videndum prius est de corpore delicti, in quo accusatur Nicolaus, quid nempè dixerit circa hoc, & vbi: Deindè, an hæreticè sie locutus, & quomodo ei contradicat Ioan. XXII.

346 Dico 1. negari nequit, quòd Nicolaus IV. aliqua definierit circa Christi paupertatem, quæ alíquibus visa sunt malè, & & contta Scripturam dicta. An verò talia sint dicetur postea.

347 Prob. Hic Pontifex in cap. Exijt de verb. signific. in 6. vt doceret paupertatem Fratrum Minorum initio Religionis, quæ prohibebat proprietatem, tàm in communi Religionis, quàm in particulari Fratrum, esse perfectam, & meritoriam in §. Cæterorum. dicit hæc verba: [Dicimus, quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, non tàm in speciali, quàm in communi propter Deum, meritoria est, & sancta; quam, & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit; quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè viuere per doctrinæ, ac vitæ exempla in eos deriuarunt. Nec his quisquam putet obsistere, quòd interdum dicitur, Christum loculos habuisse: nam sic Iesus, cuius perfecta sunt opera in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis; sic & in nonnullis alijs infirma humanæ carnis assumens, non tantum carne, sed & mente condescendit infirmis.] Videtur ergo in his docere, quòd paupertas Christi tanta fuit, vt nihil proprij admiserit, neque in communi.

348 Hæc autem doctrina, aliquibus videtur falsa, imò hæretica, quia contradicere videtur Scriptutæ, nam Ioannis 12. de Iuda dicitur: [Loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Interl. ait, Iudas, Domini loculorum custos. Gloss. ord. Cui ministrabant Angeli, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis.] Glos. Lyr. Dabantur aliqua Christo ad subueniendum necessitatibus Christi, & discipolorum, & ad dandum pauperibus. Et infrà: Ex hoc patet quòd Christus, & discipuli eius ex eleemosynis viuebant. Idque docent omnes S. Scripturæ interpretes, & præcipuè Augustinus tract. 50. in Ioan. [Quare habuit loculos cui Angeli ministrauerunt? nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat?] Alia Scriptutæ loca id euincunt, tàm de Christo, quàm de Apostolis ante, & post Ascensionem Christi, possedisse, vel in particulari, vel in communi. Matt. 2. Magi aurum Christo offerunt, fuitque eius Dominus, sicut myrrhæ, & incensi. Matth. 17. Christus præcipit Petro, vt exactoribus tributi, solueret staterem, seu didragma. Matth. 8. apud Apostolos erant septem panes, & pauci pisces. Cap. 27. legitur quòd Christus habebat vestimenta, & ea in morte fuerunt diuisa. Lucæ 9. Apostolis dicitur in deserto: [Date illis manducare: At illi dixerunt; Non sunt nobis, plusquam quinque panes, & duo pisces, nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem ferè viri quinque millia.] Igitur habebant tantam pecuniam, quæ posset sufficere ad emendum cibos pro quinque millibus. Et sic senrenria Nicolai videtur contraria sacræ Scripturæ, etiam loquendo de Christo, & Apostolis, eo agente cum ipsis. Post Ascensionem verò, palàm est, Apostolos possedisse, saltem in communi, Act. 4. 32. [Nec quisquam, eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Et infrà: Quotquot possessores agrorum, & domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Et 1. Corint. 16. Vnusquisque nostrum apud se seponat, recondens ex collectis, quod ei benè placuerit.] Ergo doctrina Nicolai videtur à Scriptura discordare.

349 Adde quòd à Ioanne XXII. Extrau. de verb. signif. cap. 4. Cùm inter nonnullos. Hæc sententia declaratur hæretica, sic enim habet: [Cùm inter nonnullos scholasticos viros, sæpè contingat in dubium reuocari, verùm pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum, ac Dominum Iesum Christum, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam hæreticum sit censendum, Nos huic concertationi finem imponere cupientes; assertionem huiusmodi pertinacem, cum sacræ Scripturæ, quæ in plerisque locis, ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expressè, &c.] Declarat eam erroneam, & hæ-

& hæreticam. Deinde declarat etiam hæreticam sententiam dicentem, quòd de illis rebus, quas eos habuisse Scriptura testatur, non habebant ius vtendi, vendendi, donandi, aut ex ipsis alia acquirendi; immò, cum idem Ioannes audisset aliquos Doctores contra eum publicè obloqui, quòd non potuerit damnare, vt erroneam, & hæreticam præfatam sententiam, de Christi omnimoda expropriatione, tam in particulari, quàm in communi, eò quòd prædecessores sui, Nicolaus IV. &c. per clauem scientiæ definierant oppositum: Quo in casu successor non potest contrarium docere; ipse in cap. Quia quorundam. eod. tit. declarat, hos Doctores, sibi in ea declaratione contradicentes, in hæresim incidisse, cùm contrarium tenuerint, & propterea esse hæreticos vitandos.

Hoc est corpus delicti, quod Nicolao IV. opponitur; ideòque in hæresim incidisse, hæretici saltem, asserere non verentur. Nihilominus

350 Dico 2. Nicolaus IV. ob præfata verba, in nullam hæresim incidit; neque ex Constitut. Ioann. XXII. damnatus remanet; neque eius doctrina, circa Christi paupertatem.

351 Prob. Nicolaus in hoc puncto paupertatis Christi, nihil dixit Sacræ Scripturæ contrarium; quia docuit Christum quoad se, & pro se, nihil proprium possedisse, & sine omni prorsùs mundana proprietate potuisse viuere; & ita vixisset, nisi alijs infirmis, eam vitam imitari impotentibus, debuisset compati, & normam viuendi suauiorem ostendere; qua de causa, & loculos in sua societate haberi permisit. Primum patet; quamdiu enim Christus, vsque ad annum 30. solitariè, idest, sine discipulis vixit, non legitur possedisse aliquid proprium; sed in pueritia, & adolescentia subditus erat Mariæ, & Iosepho, ab eisque alebatur, & vestiebatur. In maiori autem adolescentia vsque ad annum 30. nescimus quidem quomodo vixerit, an Iosepho in opere fabri auxilium præbendo, an mendicando, an in desertis degendo, nihil certè de hoc habemus; & potiùs tenendum videtur, quod pro tunc, nihil proprij, præter corpori necessaria, vt vestes, & cibum possederit. At, cùm Apostolos vocauit, aliquid possidendum, pro tota societate, & pro pauperibus permisit. Hoc credo voluisse Nicolaum dicere; non enim potuit ignorare loca Scripturæ, quæ ipse conterunt de proprietate Christi, neque potuit pro nullo statu, aut tempore asserere omnem expropriationem Christi, alioquin frustra dixisset Christum omni proprio caruisse, & inaniter distinxisset de condescendentia ad infirmos; itaque voluit eum considerare in se, præscindendo à compassione, & condescendentia, & dispensatione circa infirmos; & cum hac qualitate. At per hoc nihil dicit Scripturæ contrarium; & sic nullam asserit hæresim.

352 Et totum hoc confirmari potest digna obseruatione Cardinalis de Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 112. in resp. ad 10. vbi ait, quòd ex doctrinis Patrum, & Scripturæ discussione, duas paupertates instituit, congruentes duobus exercitijs, vel statibus perfectorum. Vna fuit ea, qua vsuri erant illi, qui prædicaturi erant in Iudæa, & hi, nihil habere poterant, nec in particulari, nec in communi, ideò Matth. 10. [Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo.] Id autem ex Glosa Hieron. ibi præcepit Christus, ne viderentur prædicare causa lucri, & non causa salutis: & hanc paupertatem habuit Christus aliquando: quia Matth. 8. de se dicit: [Filius hominis non habet vbi caput reclinet.] Gl. Hieron. ait: Ita pauper sum, vt nec hospitiolum quidem habeam, nec necessario vtar tecto.

Alia verò paupertas, quam ordinauit Christus, est illa, quæ excludit proprium in particulari, & admittit in communi; & hanc approbauit verbo, & exemplo; verbo enim Lucæ 22. [Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis; numquid aliquid defuit vobis? Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter, & peram.] Et Glos. Magna est pro hac diuersitate præcepti, dicens primum, non pertinere ad perfectionem essentialiter, & necessariò. Exemplo verò, quia loculos haberi iussit; & id per Augustinum confirmat: & postquam multis probauit, multas Religiones hac secunda vti; concludit, quòd Nicolaus nihil dixit contra fidem; & Ioannes XXII. non damnauit, sed declarauit dictum Nicolai, per hanc distinctionem duplicis paupertatis.

353 Confir. Ipsemet Ioannes XXII. in cit. cap. Quia quorumdam: dicit, Nicolaum benè dixisse, & sacræ Scripturæ non contradixisse, quia asserit Christum loculos habuisse propter infirmos. Sic enim ait: [Non apparet Nicolaum dixisse, sustentationem Christi, & Apostolorum eius in solo, & nudo simplici consistere vsu facti; cùm quoad Christum, & Apostolos, nullam præfatus prædecessor noster Nicolaus, in sua declaratione fecerit mentionem; immò sensisse satis videtur expresse, quod ius aliud à proprietate habuisse potuerunt; cùm de sola abdicatione proprietatis, non iuris alterius in præfata declaratione, quantum ad ipsos attinet, mentio habetur. Adhuc idem Nicolaus videtur sensisse, quòd Christus, & Apostoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communi; cùm enim in sua declaratione verba de abdicatione proprietatis dixisset; respondens obiectioni tacitæ, quæ sibi de loculis, quos Christus in Euangelio habuisse legitur, poterat fieri: statim subiunxit. Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur, Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera in suis actibus viam perfectionis exercuit; quòd interdum infirmorum imperfectioni condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Et sic infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse. Alias impertinens de loculis fuisset obiectio, nisi intellexisset, Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse,] Ergo tantum abest, vt Ioannes damnauerit declarationem Nicolai, vt potiùs eam commendet.

354 Confir. ex eod. Ioanne in eod. cap. Quia quorundam. multò infrà post dicta: [Præ-

[Prærerea dicant nobis, vbi legunt, assertiones huiusmodi quòd ad fidem, vel mores pertineat, Christum, & Apostolos non habuisse in his, quæ habuerunt, nisi simplicem vsum facti. Profectò directè hoc non ad fidem pertinet; cùm de hoc articulus non sit aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, vt patet in Symbolis, in quibus articuli fidei continentur: nec reductiuè, quasi hoc sacra Scriptura contineat, quo negato, tota Scriptura redditur dubia &c.] Ergò dum Ioannes definiuit Christum, & Apostolos aliquid possedisse in communi, & loculos habuisse, & non simplicem vsum facti, sed iuris in ea bona habuisse; quia poterant alijs dare, commutare &c. non definiuit contra dicta à Nicolao, cuius dicendi formulam approbat, sed contra eos, qui nihil prorsùs Christum possedisse dixerant, neque quoad se, neque vt infirmis condescenderet, & in hoc non contradixit alicui prædecessori. Eos autem, qui damnatam sententiam pertinaciter tenebant, & asserebant, eum malè definisse; quia contra definitionem antecessorum in materia fidei, aut morum, declarat hæreticos; iterumque se declarat contra definitionem prædecessorum in materia fidei nihil definisse, quia nullus eorum in hac materia paupertatis Christi, aliquid de fide decreuerat.

§. XI.

An alij Romani Pontifices aliquando à Fide exciderint?

355 ADuert. est, quod, vt diligenter ex se ipso, & ex alijs notauit Belarminus in lib. 4. de Rom. Pont. à cap. 8. vsque ad 14. Osores Romanæ Cathedræ, vt Priuilegium infallibilitatis, Christi ore, Petro, & successoribus eius concessum infringant, infamare tentarunt de hęresis labe 40. Romanos Pontifices. Cùm ergò hucusque magis ab eis grauatos expedierimus, cæteros, breuiter ab infamia, gratis illata, liberare conabimur.

356 Adu. 2. Quod inter 40. prælatos, adnumerari solent ab hæreticis aliqui, quorum prætensi reatus, nedum non sunt contra fidem; sed pietatem redolent, ideòque de ijs non loquar, exempli gratia de Lino, quòd instituit, ne qua mulier templum ingrederetur, nisi capite velato. At quid hoc cum hęresi? Cur non dicunt religiositatis maximam notam esse? De Anacleto, quòd sepulchrum S. Petri construxerit, atque ornauerit. At ex maxima pietate, hęresim colligunt. Quorsum hoc? Quid in ea fidei aduersum?

357 De Telesphoro, quòd Ieiunium Septuagesimæ Clericis indixerit, sed quid opera pœnitentiæ cùm hæresi? Item quod tres Missas in Natali Domini dicendas statuerit. At quæ scriptura id prohibet?

358 De Victore I. quòd dixerit Christum esse purum hominem. Sed Eusebius Pamphili lib. 5. hist. cap. 28. eos mendacij conuincit, dicens Theodorum Byzantinum à Victore de hac hæresi damnatum.

359 De Vrbano I. quòd docuerit baptizatos per confirmationem accipere Spiritum sanctum, fierique plenè Christianos. Sed vnde hæresis in hoc? Si vniuersa Ecclesia docet, quia per confirmationem homo accipit virtutem Spiritus sancti, ad resistendum contra tentationes fidei, vt ante Vrbanum docuit Cyprianus lib. 1. Epist. 12. & post eum Augustinus in Ioan. tract. 6. & Cyrillus Catechesi 3. mystagogica:

360 De Pontiano, quòd dixerit, Sacerdotes, Christi Corpus proprio ore, seù verbis conficere, ac populis tradere, & per eos peccata populorum dimitti. Sed isti Christum Dominum de hæresi arguent, quod vtramque potestatem Sacerdotibus tradiderit.

361 De Cornelio, quòd dixerit in Sacrificio, solam aquam esse in calice offerendam, sed hæc est manifesta calumnia; vbi enim id dixit Cornelius? eò vel maximè quòd Alexander I. statuerat, vinum, aqua mixtum in Sacrificio esse offerendum: Fortè id somniauit ex Epistola 3. Cypriani lib. 2. in qua damnat hunc errorem Aquariorum; sic Armeni Hæretici in hac re, appellabantur. Sed quid Cornelius cum hac Epistola, si Cyprianus eam scribit ad Cęcilium?

362 De Innocentio I. quòd in Epist. 18. dixerit baptismum Arianorum ratum esse, sed per eos non conferri Spiritum sanctum. Et in Epist. 22. quòd dixerit, non posse esse Sacerdotem illum, qui viduam duxerit vxorem. Sed Centuriatores impunè detrahunt, & ignoranter insimulant; certè enim baptizatus, vel ordinatus ab hæretico, si cum eo conuenit in hæresi, recipit vtique characterem Ordinis, vel baptismi; non tamen gratiam; quia ponit obicem mortalis peccati. Ad aliud patet imbecillitas, qui enim conferead hæresim positiuum illud præceptum? Et quare potiùs non accusant Paulum de ritu Iudaico, qui Episcopum Bigamum eligi prohibet? Quòd verò Innocentius adducat exemplum Leuitici de Sacerdote, cui prohibitum erat viduam accipere, parum refert; moralia siquidem legis Veteris optima sunt, & omnia approbantur; non autem legalia. Ad moralia autem pertinet, quòd virginem accipiat Sacerdos, ad Christi, cum Ecclesia Virgine, imitationem.

363 De Siricio, quòd in Epistola ad Hispanos videatur cum Manichæis sentire, quia coniugium appellat pollutionem. Verùm fateor, impudentissimè id dicitur, in Epist. enim 1. quæ est ad Himerium Tarraconensem multa dicit de sanctitate coniugij in cap. 4. & plura alia de procacitate clericorum nonæ legis, volentium exemplo Sacerdotum Veteris legis in coniugio viuere. In capite autem 5. cùm dicit: [Quam formam, & circa mulieres, quæ se post pęnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus] est manifestum eum loqui, de ijs, quæ peracta pænitentia, illicitis copulantur coniugijs, sicut de masculis antea dixerat.

364 De Leone I. quòd in Epist. ad Nicętum; quæ est 79. duo contra Sacramentum Matrimonij dixerit, & habentur in can. Cùm per bellicam 34. quæst. 1. nempè: Si viris in captiuitatem ductis, vxores putauerint interemptos, vel numquam liberandos, illæ vxores alia coniugia possint contrahere. Et quòd vxor reuertente primo viro, si hic eam nolit

secum cohabitare, possit manere cum secundo. Apage nihil tale dicit Leo, legi potest eius Epistola. Respondet enim ad dubia quædam ab Episcopo Aquileiensi proposita: Captiui fuerant ducti mariti quidam, Vxores putantes eos mortuos, vel numquam à captiuitate liberandos; alios maritos duxerunt; at quia aliqui ex primis reuersi sunt; quid agendum? Leo dicit; quia, quòd Deus coniunxit, homo nequit separare, vxores illas ad primos viros redire debere. Et dicit excusabilem esse secundum virum, qui videtur alienum ius peruasisse (puto ex ignorantia) & sic primi viri, si perseuerant in dilectione suarū vxorum, eas excusare possunt, & reassumere. Nota, quòd illa cōditionalis, si perseuerant in dilectione, non dat licentiam vxori manendi cum secundo, si non impleatur conditio; sed solum facultatem viro, vt reassumat, si non ægre ferr pollutionem vxoris cum secundo. In hoc enim casu, non teneretur recipere, sed nec illa posset cum secundo cohabitare. Sed facto thori diuortio, primus vir, & vxor, vinculo perseuerante, separati manere debent. Imò addit, quòd si reuerso primo, & volente vxorem, hæc nolit ad eum redire, sed potiùs manere cum secundo, est per excommunicationem ad id compellenda. Quid autem in his contrà Matrimonij Sacramentum dixit Leo? Nihil, vt patet, sed catholicè respondit, iura Matrimonij tuendo, & eius resolutio in his casibus, in praxi est.

De Vigilio, & alijs paucis, calumnia hac notatis, est modo aliquid, sed breuiter dicendum.

365 Dicendum 1. Vigilius numquam in fide errauit tempore Pootificatus.

366 Prob. Vigilio solet opponi, quòd in Epistola ad Theodoram Augustam, cæterosque hæreticos Acæphalos, & Eutychianos, damnauit dogma catholicum duarum naturarum Christi, & confirmauit Eutychianum, Quod factum refertur in Breuiario Liberati cap. 22. & habetur in tomo 2. Concil. post Concil. 5. Generale. Sed tota hæc historia, siuè falsa sit, & ab hæreticis inuenta, siuè vera, vt fortè existimo, Pontificis Rom. Priuilegium non violat; errauit enim quando erat Diaconus, vel Antipapa, per vim intrusus à Bellisario, viuente adhuc Siluerio; non verò cùm erat Papa. Liberatus ipse factum refert; scilicet, quòd Theodora Augusta, hæretica, fautrix Eutychianorum Seueris, & Antimi, atque Theodosij, promisit Vigilio Diacono, se curaturam, vt Pontifex eligeretur, si Chalcedonense Concilium damnaret, & fidem eorum confirmaret, eosdemque ad communionem vocaret. Assensit Vigilius tunc Diaconus; Romam venit Bellisarius, & dolo capit Siluerium Papam, ac in exilium Pataraoi Liciæ mittit, & Vigilium intrudi procurat. Hic viuente Siluerio Epistolam præfatam scribit inusitata hac superscriptione, atque inepta, [Dominis, & Christis, Vigilius.] In qua pluries hæresim firmat contrà Leonis, & Concilij Chalcedon. dogma sic: [Non duas Christum naturas confitemur; sed ex duabus naturis compositum vnum Filium Dei, vnum Christum. Qui dicit in Christo duas formas, vnaquaque agente cum sua communione, & non confitetur vnam personam, vnam essentiam, anathema sit.] Hæc Vigilius Antipapa: Ecce quid operatur ambitio, & intrusio in Papam. At non sic locutus est quando Siluerio defuncto, electus est in verum Papam. Legantur acta per ipsum; dum Concilium 5. Generale Constantinopoli celebraretur. ipseque ibi esset, non potuit adduci, vt ad illud accederet, quia timebat aliquod Chalcedonensi Concilio præiudicium fore afferendum. Tandem disponens ad illud accedere, & tria capitula, cum toto eo Concilio damnare nè vnquam suspicari quis posset, quòd in odium Concilij Chalcedon. id faceret, quodque verè sapiens, vt Petri successor, Christique Vicarius verus, non Pseodopapa, tunc esset, edidit mirabile illud constitutum, quod in fine Concilij quinti ponitur, quo per 60. capita nedum Chalcedonensis, sed Ephesini, Constantinopolitani Primi, & Nicœni primi fidei decreta confirmat, & luculenter declarat, & alia multa Scripturæ loca, pro eis dogmatibus adducit; Idemqoe hæresim Theodoræ, & Acephalorum in eodem Concilio damnauit, ex Gregorio I. lib. 2. Epist. 36. & multis laudibus ab alijs commendatur. Ex alijs autem eius dictis, ac factis nihil contrà fidem colligitur. Ergò in Papatu ab hac labe fuit immunis. Legat curiosus acta quintæ Synodi, & experietur robur Apostolici pectoris Vigilij.

367 Diceodnm 2. de Stephano VII. & Sergio III. quòd licèt in facto, ex odio in Formosum prædecessorem, plura indigna fecerint, in fide tamen non errarunt.

468 Prob. prima pars. Celari enim non possunt ea, quæ notoria sunt, ab omni Scriptore referuntur, & simul improbantur. Apud Baronium anno 897. legitur, sed non sine bile, ac nausea; quòd indigna multa patrarit Stephanus in cadauer Formosi decessoris (etsi Luitprandi dicat facta à Sergio III.) & in eius odium, cunctos ab eo ordinatos, gradu proprio depositos, iterum ordinari iussit, & sic videtur malè sensisse de characteris impressione, & de validitate ordinationis factæ, à malo Episcopo. Nam Formosus vir sanctus fuit, vt ibi ex eodem Luitprando, & Baronio. At esto malus, & malè ingressus; erat tamen antea, Episcopus Portuensis, & sic validè vbique, etsi non licitè, potuit ordinare. Sed reuera legitimus Papa fuit; legitimus pariter Stephanus. Igitur iste declarans, quod ordinati à Formoso erant inualidè ordinati, & ideò reordinandi, malè sensit de effectu Sacramenti Ordinis, eiusque iteratione.

369 Et quoniam Ioannes IX. qui de anno 901. fuit electus, cassauit hæc attentata Stephani contrà Formosum, declarans valida acta illius, validasque Ordinationes. Sergius III. qui anno 908. sedit, cùm esset Stephani VI. studiosissimus, & contra Formosum coniunctissimus, ex Baron. an. 897. iterum Ordinationes Formosi irritas iudicauit. Ex eodem anno, & ex 908. &c. Igitur facta ista indigna acciderunt. Sic enim ab omnibus etiam tunc fuerunt iudicata. Sed an in fide errauerint, id contenditur, & negatiua tenetur. Ideò

370 Prob. Quòd in fide non errauerint. Sic enim de primo dicit Luitpraod. ex Baron. an. 897. initio: [Ita furore percitus homo;

non

non quod iure liceret; sed quod exestuans rabies suasit, impleuit; non enim fuit error in fide; sed violenta tyrannis in facto.] Addens, quòd omnes, qui aderant, contra patratum facinus reclamarunt. In his ergo factis indignis, odium inuidia, & furor, apertè comperiuntur: At hæresis nequaquam, non enim alteruter eorum definiuit, quòd semel ritè ordinatus, possit iterum ordinari, sed iusserunt, ordinati à Formoso, tamquam malè ordinatos, iterum ordinandos. Hic error facti est, ex ira procedens; non autem doctrinæ.

371 Dicendum 3. Quòd Gregorius VII. à sequacibus Henrici IV. Imperatoris, in aliquibus calumniosè infamatus, nulla hæresis labe, neque infectus, neque suspectus fuit.


372 Prima pas, ex historia huius Pontificis relata à Baronio ab ann. 1047. vbi de primordijs suæ vitæ, ac status vsque ad ann. 1073. in quo electus est Pontifex, vsque ad an. 1085. octauo kal. Iunij in quo mortuus est. Breuiter ex tanta dictorum Baronij mole, sciendum, quòd Sanctus iste Pontifex fuit acerrimus propugnator libertatis Ecclesiasticæ, & Simoniacorum hostis manifestus. Quas ob causas indignationem Henrici, vtroque crimine notoriè maculati indignationem incurrit, & grauissimas ab eo persecutiones pertulit; ità vt continuò in agitatione fuerit, & tandem extrà Sedem, Salerni obierit. Vndè coactus fuit excommunicare, & deponere eumdem Henricum constit. 2. Beate Petre, & lib. 5. post Epist. 55. &c.] Benno, & Sigebertus Scriptores, alijque Henrici assecle ex Baron. plura contra eum, in Henrici gratiam confinxerunt. Et quòd malis artibus Pontificatum occupauit; & quòd vir deterrimus fuit, & quòd cum Berengario sensit, negans permanentiam Corporis Christi in Euchatistia &c. At hæc omnia calumniæ sunt, eius enim electionem canonicam, immò eo contradicente ex multis eius temporis, & SS. Viris Scriptoribus narrat Baron. Deindè Belarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 13. Eam pariter habes in tom. 3. Concillorum parte. Mihi, Secunda. Belarm. ibidem adducit 32. Auctores graues, & plures ex ijs Sanctos, qui de Greg. VII. sanctè scribunt quoad totum eius vitæ progressum.

373 Prob. secunda pars, de conficta in eum Berengarij antiqua, & prima heresi, quòd Eucharistia sit figura tantùm Corporis Christi, at in ea Corpus non adsit, sed sit in cęlo ad dexteram Patris. Hæc calumnia ei ab Bennone fuit imposita, à qua Abbas Vrspergensis eum defendit, vt ex notis Concil. Rom. 6. sub Greg. VII. mox adducendi: Et reuera notoria impostura est. In præfato Concilio Rom. 6. hæresim Berengarij damnat, & eum ibi præsentem, & pluries relapsum, illum abiurantem publicè, ab excommunicatione, vt hæreticum pœnitentem absoluit. Hęc sunt Actorum Concilij verba: [Omnibus in Ecclesia Saluatoris congregatis, habitus est sermo de Corpore, & Sanguine Domini Nostri Iesu Christi, multis hæc nonnullis illa sentientibus. Maxima siquidem pars, panem, & vinum per sacræ Orationis verba, & Sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto inuisibiliter operante, conuerti substantialiter in Corpus Dominicum, de Virgine natum, atque auctoritatibus Patrum, tam Græcorum, quàm latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò cęcitate nimia, & longa perculsi, figuram tantùm substantiale illud Corpus esse &c.] Et quòd Synodus hanc secundam sententiam, vt hæreticam damnauit; eamque confessus Berengarius abiurauit, vt ibi, Ego Berengarius. Peracta abiuratione, & facta professione fidei, de existentia Corporis Christi realis in Eucharistia, dicunt acta: [Tum Dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & SS. Petri, & Pauli, vt de Corpore, & Sanguine Domini numquam vlterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, excepta causa reducendi ad fidem hanc eos, qui per eius doctrinam ab eo recesserant.] Si ergo damnat Gregorius hæresim Berengarij, & abiurari præcepit, quomodo eam fouit? Ex notis Concilij 6. Romani habetur, Gregorium, anno primo Pontificatus in Epistola ad Matildam loqui, & asserere explicitè contra Berengarium, in Eucharistia post consecrationem, reperiri realiter, ac substantialiter Christi Corpus, & Sanguinem. At quoniam eiusmodi Epistolam, inter alias non reperio, eius verba non adduco.

374 Confir. Ex summa veneratione, qua Ecclesia Gregorium, viuum, ac mortuum, semper est prosecuta. Nam in Martyrol. die 25. Maij legitur: [Salerni B. Gregorij Papæ VII. Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi.] In notis verò habetur: [Sanctissimi Pontificis gloria, numquam valuit schismaticorum Scriptorum; schismaticis Regibus fauentium calumnijs obscurari, vel aliqua ex parte labefactari; quin potius longè clarior est semper reddita, atque illustrior.] Et ex Lambert. ibidem. Baron. dicit, Gregorium miraculis in vita claruisse. Huius Sanctissimi Papæ prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo, Fides, Spes, & Charitas, nedum ex vita à tot Scriptoribus vnanimiter descripta conspiciuntur, sed in 353. Epistolis, in vndecim registri libris ab eo conscriptis, & in decem Conciliis Romanis ab eo celebratis in 13. annis, vt nephas sit, quid à Religione auersum de eo cogitare.

Hæc sunt, quæ communius contra Rom. Pontifices, circa fidei defectum obijci solent, qui alia, leuiora contra alios obiecta, videre cupit; legat Iodocum Coccium, & Belarminum, hæc autem mihi dixisse sufficiat, ad calumnias detegendas.

LÆ-



LÆLII IORDANI
EPISCOPI
ACERNENSIS,

Iuriſconſulti Romani præclariſſimi, & olim in primis Scholis Romani Gymnaſij ex ordine Iuris Ciuilis acutiſſimi Interpretis.

TRACTATVS

De Maioribus, rerumque capitalium Epiſcoporum cauſis ad Papam deferendis, & Romanæ Sedis origine, atque auctoritate.

Lælius Iordanus Romanus à primis incunabulis totum ſe deuouit ſcientiæ Iuris, coniungens tamen excelſam pietatem eximiæ Sapientiæ. Habuit excellentiſſimos Præceptores, Gabrielem Palçotum, & Gulielmum Sirletum, quibus duabus veluti Aquilarum alis erectus altiſſimæ iuris penetrauit. Anno milleſimo quingenteſimo primo, & ſex continuis ſequentibus Cæſarea Placita in primis Scholis Romani Gymnaſij acutiſſimè interpretatus eſt, quæ res ei omnium venerationem,& Maximorum Sapientum amorem conciliauit, inter quos,erant Cardinales prudentia, & doctrina celeberrimi Scipio Rebibba, Marcus Antonius Columna, Hugo Boncompagnus, Franciſcus Alciatus familiariſſimi eius Patroni, & firma præſidia. Cum ergo foret Iureconſultus præclariſſimus non minùs in Iure Cæſareo, quàm in Pontificio, & pietatem comitem iuriſprudentiæ iunxiſſet, nullus poterat deſiderari aptior ad Eccleſiæ alicuius formidandum pondus, vndè ad Acernenſem Eccleſiam eſt erectus. Eſt autem Acernum mediteranea ciuitas Campaniæ Felicis in Prouincia Citerioris principatus, nomen retinens Mauritio de Aſte Saonenſi origine Aſtens, vetuſtiſſima Marchioni titulo ſubiecta. Eſt poſita citra Silarum Flumen, habens ad latus Veliam, de qua Sybilla apud Virgilium Portuſque require Velinos, & Picentiæ celeberrimæ quondam arcis à Romanis excitæ ruinas. Eſt montium aſperitate vallata, nullis munita muris, ſed in media planitie, quod frequens eſt in ijs vrbibus, nam à Romanis ea mulcta impoſita eſt Picentinis,vt ſine murorum ambitu pagatim habitarent. Lino ſerendo viuunt, & rerum tranſuectationibus ſuam, & finitimorum inopiam leuant. Huius autem ciuitatis Leander non meminit. Eſt Antiquus Epiſcopatus, Suffraganeus Salernitano Epiſcopo, & Eccleſia ita eſt receptiua, vt tot ſint Canonici in ea ciuitate, quot presbyteri, & ijs ipſis per gyrum omnia munera diſtribuuntur quatuor perpetua tantùm dignitate eminentibus Archidiacono, Primicerio, Theſaurario, & Cantore, In ijs, vtpotè deditis inimici-

micitiæ Episcopus valdè laborat, quod tamen facilè fuit Lælio rationibus ex iurisprudentia deductis, & quod plus est exemplo extorquere. Annis decem præfuit illi Ecclesiæ, in quibus & in ipsa vrbe, & Romæ etiam taliter eluxit, vt ad maiorem gradum Rossanensem scilicet Archiepiscopatum fuerit electus. Est autem Rossanum, quod veteribus, Roscianum, & Ruscianum, mediteranea, & vetusta Calabriæ citerioris ciuitas trigintaquinque milliaribus à Cosentia, tribus tantùm à litore sinus Tarentini distat, æqualique spatio inter Bisidianum, & Turrium posita, arte, & natura munitissima, quippè sita super saxum asperrimis vndique rupibus circumdata, tertio à mari milliario, condita à Romanis, vt vult Procopius lib. 3. de bello Gothico, vel ab Ænotrijs, vel à Sibaritis, vt volunt alij. Abbas verò Ioachim in Commentarijs super Isaiam affirmat Rossanum Coloniam fuisse Rhodiorum. Vteumque sit est vetustissimum, aerisque salubritate insigne. Captum est à Totila Gothorum Rege defficiente commeato, & auxilio à Belisario expectato diù. Seruatum est altera vice ab Agarensis Calabriam vastantibus tempore B. Nilia vxilio B. Virginis, vt idem narrat. Ibidem fiunt vasa fictilia nobilissima, oleumque laudatissimum, cum oliuæ ad magnitudinem amygdalarum sint crassæ. Hodie principatus titulo insignitur, cumque possedit Olimpia Aldobrandina Clementis VIII. abneptis, ciusque coniux Camillus Pamphilius Innocentij X. Pontificis Max. nepos Vallis Montonis, & sancti Martini Princeps aliorumque multorum oppidorum Dominus. Sed mortua Aldobrandina, reliquens duos filios, vnum è nobilissima Pamphilia stirpe, alterum ex Burghesia Pauli V. nepotem præclarum, principatus iste traditus est familiæ Burghesiæ, eiusque Primogenito semper datur, & modò ab eo retinetur. Sedes Episcopalis translata est illuc ab vrbe Phuriorum post eius vastitatem, & Valerianus Episcopus Rossanensis interfuit sextæ Synodo sub Agathone Papa. Erat Græca, & ritu, & lingua, & facta est ea ciuitas latina paucis ab hinc annis, ferè autem sunt sex sęcula, quod est Archiepiscopalis. Extat ibi imago dicta Acheropita, è cęlo delata vt pia ibi traditio testatur. Constantinopoli huc veniens Imperator, inter alia priuilegia dedit Archiepiscopo summum impetium in spurios, & Iudæos, ibique fuit D. Nilus Monachus S. Basilij. Cum ergo Lælius maiora promeritus ad eius Ecclesiæ commodum totus incumberet, nimijs defessus laboribus, post septē solùm mensium residentiam, laborū fructum percipiendum est vocatus anno 1583. Edidit ergo Tractatum de Maioribus, rerumque Capitalium Episcoporum causis ad Papam deferendis, & Romanæ Sedis origine, atque authoritate collectum ex primis sapientum capitibus Venetijs apud Dominicum Nicolinum MDLXXII. Extat autem inter tractatus magnos Iuris, non tamen inter eos, qui sunt impræssi in vnico volumine Venetijs. Antequam autem ederet librum hunc, misit Francisco Toledo è Socitate Iesu viro ante purpuram eminentissimo in Theologia, & eruditione sacra. Qui rescripsit sic. Lælio Iordano Iurisconsulto, ac Doctori Excellentissimo Franciscus Toledo Societatis Iesu S. Perlegi librum de Maioribus Episcoporū causis ad Sedem Apostolicam deferendis, & de origine, atque authoritate S. Romanæ Ecclesiæ, quem pro humanitate tua, vt meum cognosceres iudicium ad me misisti. Ego tamen vt pat etat, vt multa ex eo discerem accepi, in eo eximiam doctrinam cum magna eruditione coniunctam inueni. Ingenij tui acumen, & maturitatem agnoui, non Doctorem tantùm vtriusque Iuris egregium, sed & præstantem Theologum perspexi. Dignus certè pulcher hic liber mihi visus est, qui typis mandetur, vt tantus fructus omnibus sit communis. Atque vtinam te multo tempore incolumem Deo annuente habeamus, vt maiora in dies in Dei laudem, publicamque vtilitatem possis ingenij tui monumenta præbere. Vale ex Collegio nostro 12. die Martij 1567. dedicauit autem Pio V. tunc optimo, deinde Beato Pontifici; & simul M. Antonio Amulio Patricio Veneto, & S.R.E. Cardinali amplissimo eo motiuo, quòd librum suum vix inchoatum eius iussu auxerat, & in meliorem formam redegerat. Floruit autem sub prædicto Summo Pontifice, sub quo & Episcopus, & Archiepiscopus est electus. Huius mentionem præclaram faciunt. Ferdinandus Vghellus in Italia Sacra sub Episcopis Acernentibus, & Archiepiscopis Rossanensibus, Carolus Cartharius in Atheneo Romano, Ludoricus Iacobus à S. Carolo in sua Bibliotheca Pontificia, & Prosper Mandosius Romanus Eques S. Stephani in Bibliotheca Romana centuria tertia numero 60. alijque.

PRÆ-

PRÆFATIO.



CVm multæ res in morali,& Christiana philosophia,nequaquàm satis adhuc explicatæ videntur, tum perdifficilis & obscura, minimèque omnibus obuia iudicatur disceptatio. De maioribus (quas vocant) causis, & capitalium rerum Episcoporum ad Romanum Pontificem deferendis, & origine, atque authoritate Sanctæ Romanæ Sedis Apostolicæ. Quæ sanè quæstiones ad Pontificiam dignitatem, ac maiestatem conseruandam, & ad moderandam Religionem sunt admodùm necessariæ. Quia verò de eis tam variæ sunt Doctissimorum hominum, ac præsertim recentioris, etiam Iureconsultorum, atque interpretum, nationis, tamquam inter se discrepantes sententiæ, vt non minori omninò negotio multis rem procul intuentibus, videarur posse veteres iam vsque à Moysis ductas temporibus, easque & Apostolorum, & piorum omnium hominum, atque adeò Ethnicorum quorundam, nedum Summorum Pontificum, & Conciliorum firmatas consensu sententias defendi, quò facilius id, quod institui, ac demonstrandum suscepi à quoque probetur, quod cuique maximè existimetur probabile. Dicam primò propriam naturam criminalium, & capitalium causarum, ne cum relaturus sim ad eas primam nostri huius laboris, ac præcipuam fere partem sermonis eius, quo cæteræ definiendæ quæstiones sunt vis ignoretur, præterquam quod id fieri dicere, & rectam hanc esse differendi viam, sapientissimorum video scriptis constitutum. Deinde veró ostendam vndè id veluti axioma maiores scilicèt, & alias capitales, seu criminales causas Episcoporum ad Rom. Pont. diferri omninò oportere, sit depromptum. Tertiò antiquorum Pontificum, & Martyrum authoritate confirmatum notabo. Quartò loco sacris canonibus, & Concilijs comprobatum demonstrabo. Quintò aliquorum etiam veterum, licèt Religionis à pio Christi cultu, institutisque, & puræ, ac sinceræ fidei splendore abhorrentis, colentium hominum scriptis notatum, atque animaduersum referam. Sextò nostrorum quoque interpretum, ac Doctorum sententijs receptum narrabo. Tum indè rationem quoque addam cur sic dicendum iudicem. Iam verò Rom. Ecclesiæ iure diuino institutam iurisdictionem persequar. Præterea Petrum non modo à Spiritu sancto recepto, sed ante etiam primi potestatem tum pro se, tum etiam pro omnibus futuris quibusque illis, vsque ad sæculi consummationem successoribus sibi à Christo condonatam, & tributam accepisse, posteaque deinceps nonnulla addam Romæ scilicèt fundatam esse Ecclesiam à sanctissimis Petro, & Paulo Apostolis, & Petrum 25. annis Cathedram tenuisse ostendam: Vndecimò quæ in contrariam partem nominatim dicta hactenus dicit ad Sedis Apost. iurisdictionem, ac notionem huiusmodi interuertendam possint, breuiter refellam, & quod intendam ac potissimùm, etiam in hac re cauendum putem, indicabo. Postremo concludam grauiores res etiam Episcopi, aut Archiepiscopi, aut Patriarchæ, cuiusque capitales; qui omnes eorum causas ad Papam deferendas, & vel hic Romæ, vel alibi, idque Pontificis Maximi semper authoritate iudicandas,simulque vbi ciuiles etiam causas Episcoporum agi, & definiri oporteat innuam. Vt hæc planè controuersia, & disceptatio veritatis esse cognitio intelligatur, nec imprudenter tractata, nec temerè definita re ipsa dignoscatur:atque adeò nostræ sententiæ grauissimis communitæ testimonijs,Iureque & canonibus confirmatæ, summa cum dignitate Regnum vbique obtineant, omniumque assensionem consequantur.

DE



DE MAIORIBVS,
RERVMQVÆ CAPITALIVM
Episcoporum causis ad Papam deferendis,

Et Romanæ Sedis origine, atque authoritate, liber; in quo omnia, quæ ad hanc materiam pertinent, tractantur.

CAPVT PRIMVM.

Quænam sit causa criminalis, Quænam vis, & ciuilis, & mixta.



Rimò igitur, ne vagari, atque errare noster cogatur sermo, licèt hæc res longiorem particulatim desideraret orationem, summatim narrabo, quænam in vniuersum criminalis sit causa, propriamque eius vim, & à ciuili, & mixta, quæ dicitur, differentiam significabo indèque etiam nominatim attingam, quæ dicantur capitales, criminales vè Episcoporum causæ. Hanc sanè nostrorum fuisse sapientiorum omnium sententiam notaui, criminalem causam esse, qua fisco pænæ adiudicandæ, seu (vt nostri loquuntur) applicandæ nomins reos damnati potissimùm agitur. La gratia, in fin. princ. ff. de termin. mot. cuius quidem legis authoritate id ostendit Angel. in cons. 257. Inter capitula nu. 2. col. 3. ver. 2. propter naturam eius, quod petitur: & est glo. in §. in summa, in verb. agere, in institut. de iniur. & in l. prætor, in princ. vbi etiam Bar. ff. de sepul. violat. qui Bar: idem notat in ea l. agraria. & Alex. in suis annotation. quas apostillas vocat in Bart. commentaria in l. 1. eodem tit. de sepul. viol. Abb. in rub. extrà de iudi. Quia in criminali causa præcipuè agitur, vt delictum puniatur, quasi id Reipub. intersit, vbi tamen eo causa, de quo ipse consultus respondit, mixtam probat. causam l. ita vulneratus, in fin. ff. ad l. Aquil. & ita receptissimam, & communem esse hanc opinionem testatur Ias. in rub. C. de ind. col. 2. num. 8. vers. vera conclusio. notans post alios, quos refert, criminalem causam esset in qua tractetur pœnam, siue corporalem, siue pecuniariam (vt nostri dicunt) fisco applicari l. licitatio. §. quod illicitè ff. de publican. & not. etiam Barbat. d. rub. extrà. de Ind. vbi etiam dixit Abb. in ver. Tertio quæro de vtili. q. Aret. in princ. insti. de act. & est glo. in verb. centum aureorum in l. prætor. in princi. ff. de sepul. viol. quam dixit singularem Imol. in rub. ff. de publ. iud. & in d. rub. de iud. præclare post. Fel. inter cæteros recentiores persequitur præceptor meus summæ Vir doctrinæ & eruditionis Augusti. Beroius subtiliter, & grauiter disputans & multorum authoritates declarans à nu. 62. vsque ad nu. 73. inter cætera illud animaduertens, sex modis de crimine disceptari, & cognosci posse, siue actionis ciuilis iure, siue accusationis via, siue inquisitionis forma, siue (vt dicitur) per modum notorij à principio, vt ordinaria, & seuerior infligatur pœna, seu denuntiatione, vt reus se corrigat, & recusans correctionem, aliàs puniatur, seu exceptionis auxilio, probans quidem ille ipse author, vel exceptionis, vel inquisitionis (vt tamen leuior, quàm capitalis pœna in iudicium deducatur) vel denuntiationis via, & ratione deductam causam non esse criminalem, sed potiùs ciuilem, notans etiam in nu. 67. causam infamiæ criminalem omninò esse, cùm maior, & grauior existimetur viris probis infamia, quàm mors ipsa l. isti quidem, in fi. de eo quod met. caus. l. si quis furtè, in fin. & l. seq. de pœn. Quæ porrò opinio vera est; in tantùm etiam, vt sit receptum criminalem causã esse, vbi ageretur, etiam ciuiliter ex crimine infamiam inferente. Bar. in l. 1. in princ. col. 4. vers. item est aduertendum ff. de eden. & in l. prætor, in princ. de iniur. & in l. inde Neratius, ad l. Aquil. Bal. in l. edita, in fin. C. eod. tit. de eden. Abb. in c. testimonium, de teste. ac propterea criminalem, non ciuilem esse causam voluere nostri interpretes eam, quæ agitur de tutore suspecto ob pœnam infamiæ l. id planè vbi Bart. ff. de excusat. tut. ita, vt crediderint non admittendum in ea procuratorem, quod tamen est accipiendum, vt declarat Car. in l. 1. §. sciendum ff. de suspect. tut. & in l. non solùm §. vlt. in 2. not. ff. de procur.

vbi explicat, criminalem tunc dici causam suspirionis tutoris, quando ad puniendum tutorem, non quando ad eum solùm remouendum agatur, & etiam tex. est in c. ex parte extra de testib. & aptè, atque accommodatè facil tex. in c. tuæ de procurat. Et quoniam de criminalibus causis recentiores etiam iustos commentarios exposuerunt, quos hodie (hæc sunt tempora ij mores) nefas videtur præterire dicã, præter suprà scriptos tractasse recentiorem illum non mediocris doctæ virũ Rob. Marantam de ord. iudic. in 4. parte, distinct. 1. nu. 1. & sequentibus, atque elegantius multò Doctis. Iodoc. Damhouderium initio suæ pulcherrimæ prax. Crimi. rerum inscript. cuchiridion cap. 2. & eruditis. clariss. Iul. Clarum in docto lib. sentem. inscripto prax. crim. q. 5. satisque (arbitror) fuit hoc loco admonere lectorem, cætera, quæ de illis forsan dicenda essent de industria, in alium commodiorem locum, ac tempus reijciam. Vnum verò est animaduertendum non satis verum videri, aut certè minus tutum Præceptoris mei Aug. Beroi dictum in ea rub. extrà. de iudic. num. 71. vers. si verò per viam inquisitionis ageretur ad leuiorem, ibi, vel ad pænam arbitrariam, dicentis ciuilem esse causam, & non criminalem, vbi pœna arbitrio iudicis imponi posset, cum porrò hanc potius deceat criminalem, quàm ciuilem appellare, vt propriè dixit Bal. in l. eos §. super his. C. de appell Cataldin. in tractat. de syndicat. 144. in q. 221. vers. & vt causa dicatur capitalis sufficit, vt possit arb. Iudicis &c. Quem sanè Cathaldinum septuaginta magistratus exercuisse notat Soci. in cons. 24. col. 3. in fin. volumine 1. summopere eum commendans. Et præter suprascriptos, criminalis causæ vim, & naturam not. etiam Corn. in cons. 19. Videtur, in litera c. vol. 3.

Quorum omnium authoritates & sententias veras quidem nostri probant, si pœna, siue æris, siue corporis fisco applicanda esset ob delictum, non autem simpliciter si ob contractum illicitum glos. & Bal. & Alex. in l. 1. C. dell. ex delicto enim descendentem pœnam, seu reo in corpus inferendam, seu ære fisco applicandam efficere: vt causa dicatur criminalis, no. etiam Bar. in l. vlt. in vers. vlt. quæro quomodo cognoscam ff. de priuat. delict.

Eoque si ex aliquo illicito contractu pœnam quantumlibet fisco applicandam descendere appareat, vtique causam ciuilem, non criminalem dici nostri tradidere, Bal. in l. vlt. in vers. quæro quando pœna. C. de litiglos. Alex. in annotat. in Bart. vers. adde quòd dominus, prope finem in d. l. prætor. ff. de sepul. violat.

Rectè igitur, & subtiliter vt cætera dixit Bal. in ea l. eos d. §. super his vers. extra quæro. C. de appell. eam esse rationem dignoscendi vim criminalis causæ, scilicèt vt consideretur sola (sic loquitur) aptitudo, videlicèt si causa talis sit, in qua pœna irrogari possit etiam arb. Iudicis &c. vt suprà significaui.

Nec prætermittam, crimina in iudicium deferri, vel ex ordine, seu (vt nostri dicunt) ordinariè, scilicèt per accusationem, vel extra ordinem, seu (vt nostri loquuntur) extraordinariè, videlicet per denunciationem, exceptionem, inquisitionem, de quibus breuiter, & eruditè differit ille ipse Iodocus in eo enchiridio, cap. 2. & quatuor sequentibus.

Illud etiam præterea monebo, criminales causas in toto Piceni prouincia, quam Marchiam vocant Anchonitanam, & alijs locis, vbi ipsas seruari constitutiones Marchiæ receptum sit, dici verè, ac simpliciter omnes, in quibus agitur, vel accusationis, vel querelæ, aut annunciationis, aut inquisitionis via, vt pæna fisco, vel cameræ, siue pecuniaria, siue personalis principaliter, seu quia pecuniaria solui non possit, & vt dicitur in defectum præstandæ applicetur, nisi verò principaliter, vel incidenter de restituenda re, vel pecunia, aut alio quopiam, quod verti in pecuniam possit, partis intersit, his enim casibus decretum excitanda constitutione reperitur, causas merè, ac duntaxat ciuiles esse, quoniam commodum parti sit obuenturum, vt planè constat sancitum in lib. 3. const. Marchiæ xciij. cuius est initium Constitutioni, sub rub. Quòd acta, in titulo: Quomodo intelligatur causa criminalis, cuius exemplum ab Amico rogatus inserendum non potuit negare ad verbum hic descriptum, videlicet lib. 6. constit. Quæ intelligatur causa criminalis, cap. 93.

Constitutioni sub. Rubrica, quòd acta exhibeantur, quæ incipit, Quia iure testante, Cùm sæpenumero apud causidicos, & Aduocatos d. curiæ generalis pro tempore, & in ipsa curia residentes exclamatum, & disceptatum fuisse reperimus, quæ dicatur dumtaxat, & intelligatur causa criminalis submouendo hæsitationem ipsam, quæ non parum ad incommodum prouincialium immortalitatem litium sustinere, & experientia docuit videbatur, declarando ipsam constitutionem, & reliquas quo ad causas appellationum, volumus causam criminalem quò ad appellationes suscriptas, intelligi vbicunque procedi in causa principali contigerit per Iudicem, per inquisitionem, denunciationem, vel accusationem, siue querelam intentando, pænam fisco, vel cameræ applicandam, siue fuerit pæna pecuniaria, siue personalis, principaliter, vel in defectum excepto, quòd restitutio rei, vel aliud interesse pecuniarium, vel ad pecuniam reducibile deduceretur principaliter, vel incidenter, nam tunc quantum in dictum euentum commodum venit parti applicandum, causa dicetur ciuilis tantum.

Illudque præterea annotabo Ferdinandi Regis olim Catholici vocati sanctione pragmarica iam anno ab hinc quinquagesimo quarto edita, cuius est initium: Grauiter coram Maiestate nostra &c. & exemplar in montis Oliueti Neapoli conseruatur, decisam in Regno esse quæstionem aliam, tamen ab simili ferè illi quidem aliqui, quam Marchiæ, constitutione traditam modò significaui, videlicet criminales etiam causas, in quibus id potissimùm agitur, vt pæna mortis naturalis, aut ciuilis, membriuè, putà manus amputatio infligatur, è contra verò ciuiles esse, vbi non id principaliter intenditur, vt in pulchra admodùm facti specie, quæ sæpe in foro disceptari illis in locis solet, diligens, & lepidus Doctor Ioan. Arnonus s. Angel. notat in sua centuria soliloquorum in c. 24.

Pono

Pono casum, quòd quotidie ex facta &c. quo in loco pragmaticam hanc non imptæssam refert.

Ciuilem verò causam nostri affirmant communi sententia esse, vbi potissimùm in iudicio priuati commodi gratia agitur, siue ex contractu, siue ex delicto. Bar. in d. §. quod illicitè l. licitatio ff. de publican. & post glo. idem Bar. in d. l. prætor. in princ. de sepul. violat. vbi Alex. in addit. Abbatem aliter sentientem in d. rub. de iud. repræhendit. & in eadem rub. de Iud. Aret. in col. vlt. dixit hanc esse communem opinionem, & ibi etiam Feli. & est glo. in d. l. vlt. de priuat. delict. & ibi not. Bar. & Bal. in d. rub. de iud. col. 1. in 2. commentario, seu (vt vocat) lectura, & tex. expræssus in d. §. in summa, in institut. de iniurijs & declarat Bar. in d. l. 2. C. quando ciuil. act. crimin. præiud. Bal. in cons. 292. col. pen. vol. 3. Abb. & cæteri in c. tua, extra. de procur. & Specu. in tit. de contum §. sequitur videre vers. alia ciuilis, & vers. si verò agitur ciuiliter. Corn. in d. cons. 19. in ea litera c. vol. 3.

Mixtam autem causam esse notant omnes, vbi pœnam partim fisco, partim offenso applicandam in iudicio deductum constat, Specul. in d. §. sequitur videre, circa princ. vers. actio mixta, &c Alex. cons. 60. in princ. & cons. 66. col. 1. vers. verius & cons. 82. col. vlt. lib. 1. Ant. Butr. in d. rub. extra de iud. Aret. in d. c. testimonium in 2. not. de test. vbi asserit, si ciuilis de crimine actio ædatur; mixtam esse causam. Bald. in d. l. C. de leg. Imol. in d. c. tua, de procura. vbi etiam not. Alexandrinus, Abb. in c. series de testibus, affirmantes quidem omnes mixtam esse causam. quæ mota sit, vt indè partim fisco, partim agenti pœna applicanda petatur, idque ex conclusione petitionis dignosci dixere alexandrinus, & Abb. paulò ante citati, & Bar. in l. senatus §. senatus ff. de int. fiscl. Afflic. constit. veritates, col. 3. nu. 7. in 3. const. libro. subrub. 22. de iniur. cur. person. post Bald. in l. etiam C. de furt. in quo sanè mixto iudicio debet agens concludere totam debere fisco pœnam applicari, & à fisco posteà diuidi oportere, non autem partem sibi agenti, partem fisco in sententia adiudicari. Hoc enim modo conceptum libellum petentis sibi partem, & aliam partem fisco decerni, ac præstitui, ineptum omninò, atque inutilem esse, not. Ang. Aret. in §. pœnales col. 4. in fi. vers. vnum tamen, &c. in institutionibus de act.

Vndè vel facilè est intelligere, quæ inter tria hæc iudicia sit differentia, satis certè explicata ab Innocent. in c. qualiter & quoniam §. ad corrigendum & ibi etiam à Fel. col. 1. & 2. de accus. & breuius, atque expressius multò à glo. in istit. de publ. iudic. in prin. & à Bart. in l. absentem ff. de pœn. & ibidem ab Alex. in annota. seu quæ dicitur apostilla, cuius est initium. Est differentia &c. & in l. cùm mulier. col. 2. ff. solut. matri. Quas porrò authoritates significasse saiis sit, vt saltim ex hoc nostro libello, veluti quodam ex indice liceat, quæ huius rei videantur, nedum, re vera sint argumenti depromere. Neque verò prætermittendum est, mixtum non esse causam (simpliciter, ac secundum ius commune loquendo) illam, in qua ex decreto agitur, vt pœnæ fisco adiudicandæ portio detur accusatori, at criminalem, ita, vt in ea non possit cogi reus fiscò ædere. licèt in ciuili, aut non criminali reus ædere arma de domo sua teneatur, Alexand. consilio 132. Visa facti narratione, colum. vltima versic. contrariam vol. 1. Capitales autem, siue criminales Episcoporum causas non modò illas, quæ pœnam capitis ex legibus, siue deportationis ex canonum dispositione irrogant. vt etiam nota. Turre Crem. Cardin. summe doctrinæ in c. si quando inst. 2. quæst. 6. sed etiam eas hic ergo accipio, scilicèt maiores, de quibus nemo potest statuere, nisi Papa, aut eius delegatus, iuxta trad. in cap. maiores de Baptism. & in c. sicut, de excess. Prælat. illas quidem ad summum ipsum Pontificem, etiam citra appellationem deferendas, vt post Cardinal. & Abb. nota. Barbat. in c. 1. num 83. versic. datur quarta solutio &c. ibi dominus Cardinalis, plenius etiam persecutus est Præceptor meus doctrina, & fama insignis Augustinus Berotus in eo ipso c. 1. & alij infrà citandi, &c.

Atqui illud etiam indicabo tria esse capitalium causarum genera, nostris iureconsultis cognita: vt animaduertit Innocen. in d. c. qualiter & quando nu. 6. col. 3. ver. & sunt secundum leges, extra de accusat. Anchar. in cap. præterea num. 33. de dilat. Primum sanè summè supplicij, putà ad furcas, vel etiam ad bestias damnatio, viui concrematio, capitis amputatio l. aut damni. §. vita l. qui vltimo supplicio & apertiùs multò l. capitalium, in princ. & in §. famosu, & in § famosos ff. de pœnis.

Alterum genus capitalis pænæ proximæ morti, videlicet metalli coerctio, vt in dd. ll. aut damnum §. 2. etiam capitalium, in cuius sanè pœnæ locum hodie est damnatio ad triremes, vt post Imol. & Bonifac. quos refert not. Capitius in nou. decis. Neapol. decis. 153. Nutarius, nu. 3. versi. bene verum est.

Quæ porrò pœna damnationis in metallum tres gradus olim habebat, summa enim pœna coerctionis metalli erat ad ipsum metallum damnatio, grauissima quidem: quia in metallum damnati, grauioribus vinculis præmebantur. Alter non multùm sanè distans gradus pœnæ erat damnationis ad opus metalli, eò tantum ab illo coerctionis metalli differens, quòd leuioribus vinculis præmebantur in opus metalli damnati: quia solebant Refugæ ex opere metalli, ad metallum grauius coerceri. Cùm tamen tam ij, quàm illi libertatem amitterent. d. l. aut damnum. §. est pœna. l. inter eos, de pœn. Tertium autem genus capitalium causarum erat ad insulam deportatio. dict. l. capitalium. Deinde erat gradus pœnæ capitalis in opus publicum perpetuæ dationis, quæ ciuitatem non libertatem adimebat. l. quidam sunt, eo. tit. Illud autem notandum est, capitale iudicium esse, in quo irrogatur pœna capitis, siue naturaliter, siue ciuiliter diminutionis, seu ciuitatis amissionis: Bald. in l. reos co. 2. C. de acensar. Io. Ana. in c. qualiter, ac quando §. ad corrigendus col. 6. in princ. extra eo. Non capitale verò iudicium dici omne aliud, licèt criminale, in quo non infligatur pœna capitis

tis diminutionis aliquo modo & si illud iudicium esset criminale, à capitali eo differt, quo species à genere, omne enim iudicium capitale est criminale, non autem è conuerso omne iudicium criminale est capitale, argumentum enim hoc conuersum non concludit, ideòque generalius, quia vt loquuntur Dialectici ex Aristo. ab eo non conuertitur subsistendi consequentia, & generalius esse criminale, quàm capitale, not. etiam Marant. in d. 4. par. dist. 1. num. 4. io fi. & diffusius aliquando ego post alios explicaui io mea interpretatione, in l. Imperium ff. de iurisd. omn. iudicium vbi pleraque huc spectantia aliquando erit perlegere. Sed quod ad nostram hanc materiam pertinet, sciendum est, capitales Episcoporum causas esse nonnullas ex illis, quas iura ciuilia non capitales haberi sanxerunt l. si quis fortè §. vlti. & duabus ll. sequentibus ff. de pœn. videlicet relegationis ad tempus, vel iu perpetuum, quæ non adimit bona, seu infamiæ, seu dignitatis amissio, siue ad dignitatem, vel officium, seu forum interdicta, aspiratio, siue verberum ictus, seu, vt dicitur, experimentum, aut, vt iurisconsulti loquuntur, fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio, damnumuè cum iufamia, vel dignitatis alicuius aliqua depositio, vel alicuius actus prohibitio. Has enim causas Episcoporum capitales, seu saltim criminales maiores esse, & ad Papam deferendas infrà demoustrabo, & vel facilè ex ijs, quæ Inno. & alij no. in c. graue nimis. De præben. & alijs plerisque paulò post allegandis locis apparet, & probat expressim concilium Calcedonen. celebratum anno à Christo nato 442. illis verbis, cui soli competit decernendi Episcoporum infamiam &c. vt infrà cap. 9. num. 51. referam. Quo verò etiam primo ipso in limine, atque aditu, vestibuloque nostri huiusce opusculi dignoscatur, causas Episcoporum capitales meritò ad Rom. Pontificem omninò referendas; illud minimè prætermittam, criminales causas inferiorum etiam, ne dum Episcoporum diligentius, quàm ciuiles agendas & excutiendas, ac veluti Aurificis statera potiùs à quàm populari quadam trutina æstimandas, atque examinandas, vtpotè quas maiores dictas constat, iuxta no. a Car. Zabarella in clem. prima, de off. Vic. q. 18. & Bal. in l. addictos co. 1. io 4. no. C. de Episc. audient. Eoque magis criminum Episcoporum accusationes diligentiori admodùm ponderandas examine, cum eas ne delegari quidem posse (licèt à Concilio cognosci receptum sit) ob Episcopalem ipsam dignitatem c. inquisitores, in verb. Apostolicæ, vbi gloss. & Io. Monachus, & alij infrà citandi Doct. de hæretic. lib. 6. io c. 1. in fin. extra. de iud.

Huiusmodi autem relatio est facienda ex natura causæ, vtpotè de qua inferiores non possint statuere, eoque ad superiorem referre debent c. maiores de baptism. c. vt deditus. c. intimasti, vbi Philippus col. 3. Card. col. 1. Abb. & cæteri doct. extra. de appel. declarentes, quot modis relatio accipiatur, vt Bar. Bal. & alij faciunt in l. 1. & io vlt. C. de relation. Spec. eod. tit. in prin.

CAPVT II.

Authoritates Veteris legis, vndè depromptum sit causas Episcoporum, & alias omnes, quæ dicuntur maiores, ad Papam deferendas.

AD veteris ipsius legis authoritates, hoc pronuntiatum scilicet, maiores & alias capitales Episcoporum causas ad Papam deferendas, & quandoque etiam ab ipso Papa aliquibus nominatim statuendas demandari, minimèque absque eius mandato ab alijs decidi posse, præclarè comprobantes, referendas iam accedam. Nemini certè, vt arbitror, latet capitales Episcoporum quæstiones (quas etiam maiores appellamus) ad sedem Apostolicam deferendas, ductum videri posse ex primo cap. Deuteronom. vbi Moyses in hæc verba locutus refertur. Non valeo solus negotia vestra sustinere &c. Et paulò post. Tulique de tribus vestris viros sapientes, & nobiles, hoc est, peritos (vt sentiunt septuaginta interpretes ita vertentes locum huoc.

Et probant Castellius, atque Eugubinus, (aliter licèt conuerterit Franciscus Georgius de Harmonia mundi, cant. 1. tomo. 4. cap. 7. in passiua, vt dicitur significatione, accipiens verbum illud hebraicum idest cognitos) & constitui eos Principes Tribunos, ac Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos singula. Quòd si difficile vobis aliquid visum fuerit referte ad me, & ego audiam.

Id verò Domini ipsius præcepto fecisse Moyseo, & diuini spiritus afflatu, atque instinctu mandasse, constat ex cap. 18. Exod. vbi in fine sic scriptum.

Prouide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent, leuiusque sit tibi partito in alios onere, si hoc feceris, implebis imperium Dei &c. Et postea in fi. Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò iudicantes. Nec certè iniuria hoc sancitum veteri etiam lege reperitur, cùm illud quoque cautum inueniatur inter cætera præpotentis Dei præcepta, Constitui à Principe Iudices, & magistros oportere, qui rectè iudicent, nec in alteram declinent partem, vt grauiorum dumtaxat rerum Princeps curam gerat, nec respondere omnibus cogatur, vti facilè est elicere ex ipsius Deuteronomi cap. 16. propè finem in ea parte, vbi scriptum est; Iudices, & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.

Ab alijs autem, quàm ab ijs, qui nominatim à Papa ad eas sint causas delegati, non posse, nec debere grauiores Episcoporum quæstiones decidi, facilè ostendunt in Exod. cap.

cap. 24. conscripta verba eius ipsius Moysis, qui à Deo euocatus, ac in Synai, siue Horeb Montem ascensurus, moxque decem illas lapideas veteris legis tabulas, ac præcepta populo iudicanda, & probanda recepturus, Iosue sibi ministro, & comite adscito ad radicem montis Synai Aaron, & Nadab, alijsque septuaginta Israelitici populi, Dei quoque iussu secum ductis senioribus relictis, ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos, habetis Aaron, & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referatis ad eos &c. Quas ob res arbitror sensisse diuum Augustinum in illud Ioan. 15. Ego sum vitis &c. dicentem, vt æquum fuit Dei filium humanam assumere carnem: vt esset ipse vitis, cuius nos palmites esse possemus. Sic etiam decuisse aliò properantem, & ad patrem reuertentem Christum Iesum aliquem sui loco victurum dimittere, & notasse etiam Innocen. in cap. quod super his. de vot. in hæc verba: Non fuisset etiam Christus diligens paterfamilias, si non dimisisset in terra aliquem, qui vice sua posset obuenire necessitatibus Ecclesiæ, &c. qui etiam sibi habet consentientem D. Thom. lib. 4. contra Gentiles cap. 74.

Hæc in lege veterique historia descripta facilè indicant maiores causas, quales sunt Episcoporum ad Papam deferri oportere, & ab alio, quàm à Rom. Pontifice, seu nominatim ab ipso ad eas causas delegato, statui minimè posse.

CAPVT III.

Testimonia Martyrum, ac summorum Pontificum, & Ecclesiæ doctorum probantia maiores quasque, & etiam capitales Episcoporum causas ad Papam deferri oportere.

HInc autem ab antiquioribus Rom. Pontificibus, sanctissimisque hominibus, etiam nascentis ipsius Ecclesiæ initijs floruerunt, huius rei testimonia complura literis consignata, originem duxisse, non est dubitandum. Ad quæ sanè restimonia recensenda pergam.

Anacletus Papa Petri discipulus in Epistola prima inscripta, de oppressione Episcoporum, & de accusatione eorum &c. ad omnes Episcopos missa, quæ etiam reperitur inserta in primo Conciliorum tomo fol. 54. ex diligentissimi Ioannis Quintel. Colonien. impræssione propè fin. ipsius Epistolæ, vers. omnis enim oppræssus liberè sacerdotem appellet, &c. ita scripsit: Si aut difficiles causæ, aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur, & ibidem. Quòd si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, aut maiorum iudicia, maiores causæ fuerint, ad sedem Apostolicam, si appellatum fuerit, referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione saluatoris: vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam constituit Ecclesiam, quæ etiam verba adnotauit Doctissimus, ac maximè laudandus Burcardus Episcopus Wormacien. Christianæ religionis acerrimus Defensor lib. 1. de primat. eccl. decret. cap. 178. cuius est initium, si quæ verò causæ.

Euaristus, Domitiani, & Neruæ Traiani temporibus, Papa, & Martyr in prima Epistola ad omnes Aphricanos Episcopos, quæ epistola est in eodem primo tomo Conciliorum fol. 66. in principio, respondens quidem Aphricanis Episcopis consulentibus ait. Consulentibus vobis fratres carissimi, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persuadeat, aut quid à beatis Apostolis nobis traditum, aut custoditum remaneret optantibus, vt retulistis nostri instituti documentis: Hæc verò rescribimus: si quidem dilectio vestra normam secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubijs custodire potius quàm vsurpatione præsumere.

Et dilucidus idem Euaristus in secunda Epistola omnibus per Egyptum conglutinatis fratribus inscripta, in eod. primo tomo fol. 68. in 2. col. in prin. inquit, in vers. ideò hæc vobis omnibus &c. Quoniam iniuria Episcoporum ad Christum pertinet &c. Si autem aduersùs eos aliquam querelam habueritis, his peractis, inquirendum erit, & authoritate huius Sanctæ sedis terminandum.

Alexander I., Traiani etiam temporibus, vsque ad Helianum, & veterem Consules, Papa, & Martyr in prima Epistola ad omnes ortodoxos de Sacerdotibus non vexandis &c. quæ etiam extat in eod. primo tom. Concil. fol. 71. circa principium secundæ col. ait Relatum insuper est ad huius sanctæ, & Apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput ipso dicente Principi Apostolorum Petro. Tu es Petrus, & super hanc petram Ecclesiam ædificabo, quòd quidam æmuli Christi, eiusque sanctæ Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad Iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat, taliter præuaricantes præuaricati sunt in Deum suum, & non obediunt præceptis eius & reliqua.

Anicetus Papa, & Martyr, Veri, & Marci Imperatorum temporibus, in epistola ad Galliæ Episcopos de ordinatione Archiepiscopo, scripta, quæ etiam extant in eod primo tomo Concil. fol. 88. in 2. col. epistolæ in fin. inquit: Si verò incorrigibilis apparuerit, eisque inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam Sedem, cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt, eius contumacia referatur &c. Declarans tamen, si fortè, vel nimio locorum interuallo, vel temporis, vel itineris difficultate, ac periculo, graue esset ad Sanctam sedem referre, tunc sedis Apostolicæ authoritate Primatem adeundum, & eandem rationem, modumque tenendum, vbi suspectum Metropolitanum aliquis Episcopus habeat, quod tamen quoad Primatum appellandum, vt infrà circa fin. est intelligendum.

Eleuterius Papa, Antonino Comodo Imperante, in epistola ad Galliæ prouincias inserta in eod. primo tomo fol. 92. circa principium

pium ait: De accuſationibus ergo clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad ſedem apoſtolicam referre, finitiua tantùm Epiſcoporum iudicia huc referantur, vt huius ſanctæ ſedis authoritate finiantur, ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus multorum conſenſu Epiſcoporum iam definitum eſt &c.

Victor primus, temporibus Helij Pertinacis, & Seueri Imperatorum à conſulatu Commodi Quinto, & Glabrionis vſque ad Lateranum & Ruffinum, Papa & martyr in epiſtola 1. ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum fol. 93. in eod. 1. tomo Conc. col prima, verſ. ſimiliter vos, &c. inquit: Similiter ea vos iudicare ad Apoſtolicam ſedem delatum, quæ præter noſtram, vobis non licet definire, authoritatem, ideſt Epiſcoporum cauſas. Vndè ità conſtitutum liquet à tempore Epiſcoporum, & deinceps placuit: vt accuſatus, vel iudicatus à Comprouincialibus in aliqua cauſa, Epiſcopus licenter appellet, & adeat Apoſtolicæ ſedis Pontificem, qui aut per ſe, aut per Vicarios eius retractari negotium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex cauſam ſuam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Epiſcopus; quoniam quanquam à Comprouincialibus Epiſcopis accuſati, cauſam Pontificis ſcrutari liceat, non tamen definiri inconſulto Romano Pontifice permiſſum eſt, cum beato Petro Apoſtolo non ab alio, quàm ab ipſo dictum ſit Domino: Quæcumque ligaueris &c. & ibidem, & alibi in inſtitutis legitur Apoſtolicis. Si quis putauerit ſe ac proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel Primatem diœceſanos, aut penès vniuerſalis Eccleſiæ iudicetur ſedem &c. & paulò poſt, culpantur enim vt ſcriptum eſt, fratres, qui aliter circa Epiſcopos iudicare præſumunt, quàm Apoſtolicæ ſedis Papæ fieri placuerit, & quis eſt, qui iudicat eum, quem Dominus ſibi & huic ſanctæ ſedi reſeruari voluit iudicandum? Quam etiã ſententiam, paucis admodùm immutatis verbis, refert, ac probat ille ipſe paulò ante citatus Burcardus in d.lib.1. cap.176. quod incipit. Placuit, vt accuſatus &c.

Zepherinus, temporibus Antonini, & Seueri Imperatorum, Papa in epiſtola ad Epiſcopos omnes Sicilienſes, quæ etiam in eod. primo tomo Concil. inuenitur, pagina 97. circa medium epiſtolæ inquit: Finis verò huius cauſæ ad Sedem Apoſtolicam deferatur, vt ibidem terminetur, nec antea finiatur, ſicut ab Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum olim ſtatutum eſt, quam eius auctoritate fulciatur, ad eam quoque ab omnibus, maximæ tamen oppreſſionis, appellandum eſt, concurrendum, quaſi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, & auctoritate defendantur, & à ſuis oppreſſionibus releuentur: quia non poteſt, nec debet mater obliuiſci filium ſuum. Iudicia enim Epiſcoporum, maioreſque cauſæ Eccleſiæ à Sede Apoſtolica, non ab alio, ſicut Apoſtoli, & ſancti ſucceſſores eorum ſtatuerunt, cum alijs Epiſcopis ſunt terminandæ, quia licèt in alios transferantur Epiſcopos, beato tamen Petro dictum eſt: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis, & quęcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis: & reliqua priuilegia, quæ ſoli huic Sanctæ Sedi conceſſa ſunt, & in conſtitutis Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, alijſque quàmpluribus cum eis concinentibus habentur inſerta.

Fabianus Papa, Maximini, & Aphricani temporibus, diuina prouidentia cęlitùs lapſa, & inſidente in eius capite ea ipſa quidem columba, quæ ſancti Spiritus imagine ſuper Ieſum deſcenderat apud Iordanem, Deique optimi maximi, ac ſancti Spiritus iudicio cæteri omnes, licèt non ita ſenſu perſpiciatur oculorum, Papa electus, & Decio Imperatore: vt refert Euſebius lib.6. Eccleſiæ hiſtoriæ, cap.12. Martyr mortuus, in epiſt.3. ad Hilarium Epiſcopum, cuius etiam extat exemplum in eod. primo tomo Conc. fol.118. circa med. 2. col. verſ. omnis ergo, qui crimen abijcit &c. inquit. Placuit etiam, vt ſi Epiſcopus accuſatus, appellauerit ad Apoſtolicam Sedem, id ſtatuendum, quod eiuſdem ſedis Pontifex ſtatuerit.

Stephanus Papa primus, & Martyr, Valeriani, & Gallicani, & Maximi temporibus vſque ad Valerianum quarto, & Gallicanum tertio Conſules, in epiſt. 2. de accuſationibus ſacerdotum, omnibus per diuerſas prouincias conſtitutis Epiſcopis conſcripta, cuius etiam extat exemplum deſcriptum in eod. 1. tomo Conciliorum fol. 157. circa medium ipſius epiſtolæ in 3. colum. verſ. in ipſis verò vrbibus poſt Chriſti aduentum ait: Apoſtoli, & ſucceſſores eorum Patriarchas, vel Primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum negotia, ſalua in omnibus Apoſtolica auctoritate, & maiores cauſæ poſt Apoſtolicam ſedem, ſunt referendæ, & reliqua, & ibidem. Omnis accuſatio intra prouinciam audiatur, & à comprouincialibus terminetur, niſi ad Apoſtolicam ſedem fuerit tantùm appellatum, & quę ſequuntur.

Sixtus Papa II. patria ille quidem Athenienſis, ex Philoſopho Chriſti diſcipulus factus, & optimus ſacerdos, Laurentij quoque præceptor, & dominus, vel triduo ante quàm ipſe Laurentius martyrij laudem adeptus, Valeriano, & Decio Imperatoribus, in epiſt. 1. ad Gratum Epiſcopum, quæ eſt etiam inſerta in dicto 1. Concil. fol.160. col.3. in prin. verſ. audiuimus etiam quòd quidam erronei, &c. ait. Audiuimus, etiam quòd quidam erronei, & conſentientes eis, te & reliquos infeſtent Epiſcopos aliquos prouinciales ad veſtram infamationem, atque damnationem ſecum trahant. Quapropter in hac ſancta ſede dudum à multis Epiſcopis inſtitutum erat, & modò ad veſtrum, & cæterorum fratrum auxilium eſt denuò laboratum, vt omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam grauioribus pulſantur, vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, liberè Apoſtolicam appellent ſedem, atque ad eam, quaſi ad matrem confugiant, vt ab ea ſicut ſemper fuit, piè fulciantur, ac defendantur, & liberentur, cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque canonum auctoritas conſeruauit, quando culpa Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem ſedis Papæ fieri placuerit. Vndè placuit: vt accuſatus, vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua cauſa Epiſcopus, licenter appellet,

& adeat

& adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos eiusdem retractari negotium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus; quoniam quanquàm à comprouincialibus Episcopis accusati, causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cùm B. Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum Domino: Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlo. Et si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem diœceseos, aut penès vniuersalis Ecclesiæ Papam iudicetur.

Melchiades Papa, Maximo IX. & Maxentio II. Consulibus anno à Christo nato circiter 319. in epistola ad quosdam, omnesque Hispaniæ Episcopos scripsit, quæ etiam legitur in ipso tomo 1. Conciliorum fol. 218. in 1. ipsius epist. col. circa fin. ait. Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absque sedis huius auctoritate: Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia: hoc enim priuilegium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruari, quod illæsum manet vsque in hodiernum diem &c. Et in eadem epistola cap. 2. idem ait de Petro, cæterisque Apostolis in hæc verba. Et licèt cunctorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est: vt alijs præemineret, & eorum, quæ ad quærelam venirent, causas, & interrogationes prudenter disponeret. Quod de ordinatione taliter ordinatum credimus, ne omnes posteri eorum cuncta sibi vindicarent, sed semper causæ maiores, sicut sunt Episcoporum, & potiorum curæ negotiorum, ad vnam beati Petri principis Apostolorum Sedem confluerent: vt indè suscipiant finem iudiciorum, vndè acceperant initium institutionum: ne quando à suo discrepante capite &c. Idque etiam notauit Iuo in 5. parte sui decretalis cap. 46. quo nihil certè dici apertius potuit &c.

Marcellus Papa I. temporibus Constantij, & Galerij vsque ad Maxentium quarto, & Maximum Consulem, initiò ferè in epistolę primæ scriptæ ad Antiochenæ prouincię Episcopos, de qua in eod. 1. tomo Conciliorum fol. 205. in vers. si verò vestra Antiochena, inquit: Si verò vestra Antiochena, quæ olim prima erat, cessit Romanæ Sedi, nulla est, quę eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes, quasi ad caput, iuxta Apostolorum, eorumque successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit suffugere, eamque appellare debent, vt indè accipiant tuitionem, & liberationes. Vndè acceperunt informationem, atque consecrationem, quod omnibus minimè conuenit denegare Episcopis; & ibi paulò post. Nec vllus Episcopus, nisi legitima synodo, suo tempore, Apostolica auctoritate conuocata, super quibuslibet criminibus pulsatus, audiatur, vel iudicetur: quia (vt paulò superius probatum est) Episcoporum iudicia, & summarum causarum negotia, siue cuncta dubia Apostolicæ sedis auctoritate sunt agenda; & finienda, & omnia comprouincialia negotia huius Sanctæ vniuersalis, ac Apostolicæ Ecclesiæ sunt retractanda iudicio, si huius Ecclesiæ Pontifex perceperit. Nec cui liceat sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, cui omnibus causis debent reuerentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem prouincia nutu diuino Dei Ecclesias gubernant, ad alias conuolare prouincias, vel aliarum prouinciarum Episcoporum iudicium experiri, vel pati. Sed omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis congregatis, iudicium auctoritate huius sedis terminetur. Quod tamen, vt præfatum est, per eius Vicarios si libuerit tractandum, & quicquid actum reformandum, &c.

Idem etiam Marcellus in epistola secunda ad Maxentium tyrannum scripta, quæ in eodem 1. tomo est Conciliorum fol. 207. circa medium epistolæ, in vers. vos licèt corpora nostra possitis occidere, ait, synodum ergo, absque huius Sanctæ Sedis auctoritate, Episcoporum (quanquàm quosdam Episcopos possitis congregare) non regulariter potestis facere, neque vllum Episcopum, qui hanc appellauerit Apostolicam sedem damnare, antequàm hinc finitiua sententia procedat &c.

Iulius Papa primus, Constantij hæretici filij Constantini à consulatu Feliciani, & Maximini temporibus, in epistola prima increpatoria ad Orientales Episcopos inscripta in eodem 1. tomo Concil. fol. 303. paulò post medium epistolæ, col. 4. circa principium, vers. Audite inquam, &c. tradit, vnanimiter in prædicta Nicæna statuerunt Synodo, vt nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore, Apostolica authoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatur, audiatur, idest iudicetur, vel damnetur, &c. Et ibidem, ipsi verò primæ sedis Ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum, iuraque, & iudicia Episcoporum singulari priuilegijs Euangelicis, atque Apostolicis, atque canonicis concessa sunt institutis: quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam multis authoritatibus referri præceptæ sunt, &c. & paulò post: Porrò, dum à Sanctis Apostolis, successoribusque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quę hactenus sancta, & vniuersalis tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Rom. Pontificis Concilia celebrare, neque Episcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt &c. & ibi ad eam, quasi ad matrem, & apicem recurrant, eiusque iuxta sententiam, & terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni Pontificem, quatenus non ità proteruè, & pro libito cuiuspiam, suo proprio arbitrio cuiusque Metropolitanis sicut agere solebant, liceat inconsulto Romano Pontifice, aut maiores Ecclesiæ causas deturbare, aut Episcopos damnare, &c.

Idem Iulius Papa primus in decretis contra Orientales pro Athanasio, & cæteris in eodem tomo 1. Concil. fol. 309. Sæpius id ipsum affirmat, & probat tum in primo capite epistolæ ipsius ad dictos Orientales Episcopos colum. 3. vers. quibus ita gestis scripsi vobis inquiens. Canonibus scilicet præcipientibus nihil extra Romanum decerni Ponti-

tifi-

tificem, cum hæc, & maiora Ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quàm ab omnibus vniuersalibus Conciliorum fratribus, speciali, vt iam dictum est, priuilegio contradicta sunt, &c. & colum. 4. vers. quare miror vos tam audaces esse, dicens: Quare miror vos tam audaces esse, & tam imprudenter egisse, & terminos, ac iura Beati Petri Apostolorum principis inuasisse, cui enim, vt paulò superius comprobatum est, iuris erat, vt absque eius Sanctæ sedis authoritate, nullus deberet, aut Concilia celebrare, aut Episcopos ad Synodum conuocare, vel damnare eos, aut proprijs pellere sedibus, aut alios in eorum loco ordinare, quæ omnia vos temerariè non timuistis &c. Tum in cap. 2. translato illo quidem in lib. decretorum 2. quæst. 6. cap. omnes Episcopi, vbi Episcoporum, & Ecclesiarum causas antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum authoritate Romano Pontifici reseruatas, & in cap. 3. incipien. Placuit, vt accusatus affirmans Episcopum à comprouincialibus accusatum, vel iudicatum ad Romanum Pontificem appellare, & si comprouincialibus accusati causam scrutari liceat, non tamen inconsulto Romano Pontifice definire permissum est, & appellationem ad Romanum Pontificem in huiusmodi causis accusato, vel damnato Episcopo reseruatam, ipsiusque Romani Pontificis sententiam sequendam, ibidem in decimo capitulo, quod incipit. Placuit quòd si accusatus.

Felix Papa secundus, & martyrio affectus à Constantino, Constantini Augusti filio, quem ipse Felix hæreticum declarauerat in decretis in eo epistola prima ad Athanasium, & alios Episcopos in Alexandrina Synodo congregatos, quæ extat in eo ipso Conciliorum tomo fol. 358. cap. præsertim 18. inquit, Quanquàm comprouincialibus Episcopis, vnà cum eorum Metropolitano suæ prouinciæ causas Episcoporum liceat charitatiuè, & concorditer agitare, sicut in prędicta te præsente constitutum est Synodo, non licet definire absque Romani Pontificis authoritate.

Et ibidem ait in cap. 19. seq. Quoties Episcopi se à suis Comprouincialibus, vel à Metropolitano putauerit prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad eos absque vlla detentione, aut suarum rerum oblatione liberè ire liceat, & dum prædictam Romanam appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri expoſcerint, nullus eos, aut excommunicare, aut eorum Sedes subripere, aut eorum auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat, antequam eorum causa Rom. Pontificis iudicio finiatur. Quòd si aliter à quoquam præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nam, nec hoc perperam præsumimus, sed & ipsum in Nicęna Synodo constitutum, & antecessores nostros egisse benè Athanasij nostri &c.

Damasus Papa, Iuliani Imperatoris tempore, ad Stephani Archiepiscopi, & trium Aphricæ Conciliorum rescribens Epistolam; vt est videre in eodem primo tomo Concil. fol. 384. col. 2. ipsius epistolæ vers. discutere namque &c. ait: discutere namque Episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitano, vnà cum omnibus comprouincialibus, itaut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordet negotijs liceat, sed definire eorum, atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos absque huius Sanctæ Sedis auctoritate, minimè licet: quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet.

Zosimus Papa post Petrum quadragesimus, Honorio Duodecimo, & Theodosio octies consulibus, seu Imperatoribus anno circiter 437. in communitorio, quod legatis suis ad Aphricanum Concilium direxit, vt testatur Hygmarus Archiepiscopus Remensis, de quo in 11. quæst. 3. cap. excellentissimus. Qui Author in Pontificia bibliotheca manu scriptus inuenitur inter varia capita, quorum est initium, quid liceat Episcopis cap. 9. De Niceno Concilio mentionem faciens id quoque cautum notat.

Sixtus tertius Papa, Valentiano Augusto cum eius matre Placidia Augusta regnante, vel vt alij dicunt Theodosio iuniore, anno circiter 353. aliàs 355. sedebat, In Epist. 3. ad Episcopos Orientales in eodem tomo fol. 199. cap. 3. Peregrina &c. ait: Si quis verò Iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat. Appellantem autem non debet afflictio vlla, & detentionis iniuriæ custodia, & in cap. 5. in prin. inquit. Placuit etiam, vt si Episcopus accusatus appellauerit Apostolicam Sedem, id statuendum, quod eiusdem Sedis Pontifex censuerit.

Leo etiam primus Papa Magnus nuncupatus, anno circiter 460. testatur tum in Epist. 7. Theodosio Augusto, circa finem inquiens. Ea quæ in tanta causa gesta fuerant, etiam nimio silentio reticeret, cum studere deberet primitus cuncta nobis referre, seu reseruare. Tum in epist. 8. Flauiano Episcopo Constantinopolitano, vt in primo Concilio tomo fol. 639. scripta, causam quarit cur Euthicem à communione Ecclesiæ separauerit, & ad suam notitiam cuncta deferri. Et in epistola si ad Anatholium data, quæ reperitur in primo tomo Conciliorum pag. 668. vt in eadem prima parte Concil. fol. 668. reprehendit Alexandrinum Antistitem, & ausum priuandi Flauianum, & Flauiano superstite Sacerdotium, idest Flauiani Episcopatum non debere innadere, & occupantem numero Episcoporum non habendum.

Et Flauianum appellasse, vt etiam inter acta Ephesini Concilij in cap. 12. in eodem primo tomo Concil. fol: 823. col. 2. in fin. & auditum, & restitutum Constantinopoli, vti etiam est videre in primo Concil. tomo fol. 639. nemo dubitat, vt etiam ad Innocentium primum, qui fuit anno circiter 423. Papam appellasse, ab eoque ad eandem Constantinopolitanam Ecclesiam restitutum Ioannem Chrysostomum legimus, & 19. epistola eiusdem Innoc. 21. cuius est initium. Ad gaudere apparet, in eo ipso primo tomo pag. 464.

Gelasius Papa, temporibus Theodorici Regis, & Zenonis Augusti, in epistola ad Faustum magistrum fungentem legationis officio Constantinopoli, quæ reperitur in eodem primo tomo Conc. fol. 974. col. 3. in prin. vers. in hac ipsa causa Timotheus &c. Inquit, in hac ipsa causa Timothæus, Alexandrinus,

Petrus, Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cœteri non solùm vnus, sed plures nomen Sacerdotij, hoc est, Episcopatum præferentes, sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate deiecti, cuius rei testis etiam docetur ipse Achatius, qui præceptionis huius extitit executor, quod vtique: sicut Apostolicam Sedem iuxta formam Synodicam fecisse, manifestum est: & sic neminem resultare potuisse certissimum &c. Et ibi paulò post: Qua in Synodo, vel secundùm cuius Synodi formam, Alexandrinum Ioannem de Ecclesia, qui ordinatus fuerat, expulerunt, qui nullis causis euidentibus, nec ante conuictus, nec ante prouocatus, etiam in iudicio competenti potuit accusari, quòd si dicunt Imperator hoc fecit, hoc ipsum, quibus canonibus, quibus regulis est præceptum? & ibidem. Quibus canonibus, quibus regulis Calendion exclusus est, vel primi Vrbium diuersarum catholici Sacerdotes? in fin. Epistolæ, inquit. Quapropter non veremur ne Apostolica sententia resoluatur, quàm & vox Christi, & maiorum traditio, & canonum fulcita auctoritas, vt totam prius Ecclesiam dijudicet.

Pius etiam Papa in eodem cap. oues 6. quæst. 1. id ipsum confirmat inquiens. Episcopi à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit. Sunt enim Episcopi Apostolorum successores cap. in nouo 21. dist. cap. quorum vices 68. dist. cap. firmiter de summa Trin. & fidei cath. & legitur in Concilio Florentino in materia sacramentorum, & omninò grauiter, & accuratè D. August. in expositione Psal. 44. ibi, Pro patribus tuis nati sunt tibi Filij, ex Christi quidem constitutione, & vt dicitur ordinatione Episcopi ipsi ortum, & originem ducunt: vtì omnes Theologi senten. 4. etiam tradunt, & no. Turrecrem. in lib. primo cap. 97. sum. de Ecclesia, ac Pighius in sua hierarchia lib. 2. cap. 10. atque ego etiam diffusius aliquanto ostendam in libello de vita monast. & regul. eiusque reform. quod tamen sic velim accipi, vt infrà cap. 7. distin. declarabo. Atque inter capitula per Adrianum Papam, & Synodis, & canonibus diuersis collecta in can. Sunt nonnulli, qui indiscussos &c. traditur, congregatis omnibus prouinciæ accusati Episcopi causam eiusdem audiri tantùm, vt non occultò iudicatum esse, vel damnatum Episcopum dici possit: quia ab alijs Episcopis iudicari non potest: nisi ab ijs, à quibus ordinari potuit &c. vt in secundo tomo Concil. fol. 612. col. 1. cum tamen ibidem in fol. præcedenti in Canon. Nullus Episcopus extra suam &c. dictum sit, indicandum Episcopum apud primatem; vel Rom. Sedis Pontificem appellatum.

Hi planè sunt Rom. Pontifices sancti illi quidem viri, qui nostram hanc comprobant sententiam probatæ fidei, ac tamen si propria de re testimonium dicunt, eoque fortasse nonnullis minus pijs hominibus suspecti viderentur temerè abutentibus illa Oldradi sententia de Imperatore, eiusque legibus loquentis in cōsil. 69. Conuenit dubitari &c. const. 2. ttlara à Decio in cap. nouit. extra de iudic. col. 5. qui sanè quodammodo ad Papam etiam visus est voluisse transferre, & præter eos de Papa loquentes sunt glossæ Ioannis in cap. patet 9. quæst. 3. & Io. And. in Clem. vnica in verb. Bonifacio, de iureiurando, affirmantes nimis familiarem esse probationem cum Papa alium Papam adducit in testem. Tamen præterquam quòd non ambitione, aut humano consilio illos ad sic pronunciandum credi debet, sed veritatis ipsius, reique honoris iudicandi causa motos, veritatem ipsam testatos: verè quidem (vt dixit Paulus 1. ad Corin. cap. 2.) Non spiritum huius mundi accipientes, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis &c. ac vel ex eo sunt ij Summi Pontifices digni sint, quibus omninò fides adhibeatur, quoniam, & martyrio coronati, & inter Sanctos relati sint, ac certè constet Sanctorum iudicia non ad gratiam, atque ad amicitiam fieri, sed ab omni esse dubitatione libera, vt dixit D. Chrysost. homil. 80. tom. 5.

Atque adeò (quæ pia, magisque est recepta apud bonos probatos auctores opinio) perfidiæ, atque erroris essent nomine meritò suspecti ij, qui Sanctissimorum Pontificum decretis audeant resistere, aut quoquomodo conentur detrahere, teste locupletissimo illo Innocentio in cap. licèt ex suspecto de for. comp. & Alex. no. in cap. 1. const. 3. distin. 10. dicente post Archidiaconum Pontificum decretis pro bono vniuersali editis, vtpotè à Spiritu sancto dictatis cap. quę ad perpetuam, & cap. violatores 25. quæst. 1. omninò standum esse, quod etiam repetitum ab eo est in cap. cum ad verum colu. 2. 96. dist. quo sanè prudenter in loco dantem Poetam meritò ostenditur damnandum, qui putaret decretis de Imperatore loquentibus non esse credendum, & idem planè tradidere, & ipse Alexandrinus, & Archidiaconus in glos. in dict. cap. patet 9. quæst. 3.

Nec porrò aliter pijs hominibus credere fas est, etiam si pontificum esset aliud decretum iuri communi quoque contrarium: Superior enim eo casu esset consulendus: capitulo pastoralis, vbi glos. de fidei instr. & not. in cap. si aliquando de rescr. & animaduertit Pighius lib. 5. hierarch. cap. 14. Sed ne hac de re nunc contendam, satis est alios esse grauissimos huius rei testes.

Nam præter Pontifices summos, & plerosque suprà citatos auctores de Pontificia hac præcipua auctoritate, Episcoporum tantas statuendi, pluribus etiam Episcopis depositis, ac restitutis, ijsque appellantibus ad Sanctam Sedem receptis, auditis, & iudicatis. Varij scriptores Sanctique viri testantur Basilidem Episcopatu depositum post sua detecta crimina, propriaque confessione nudaram conscientiam professum Romam, petentemque se à Stephano Papa in Episcopatum restitui, non obtinuisse constat, vt Cyprianus in Epist. 3. contra Nouatianos inquit: Post ista adhuc insuper pseudoepiscopi sibi ab hæreticis constituti, nauigare audent ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, Vndè vnitas sacerdotalis exorta est à schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata, ad quos perfidia non possit habere accessum &c.

Atque, vel ex ipso Cypriano in epistola ad Stephanum scripta, quæ est 13. lib. 3. incipiens, Faustinus &c. est dignoscere, depositio-

tionem, & substitutionem Episcoporum ad Romanum Pontificem pertinere, cum sic ibi de Martiano, qui se Nouatiano coniunxerat, loquente, scriptum reperiatur. Proinde si resipiscere, & ad sanæ mentis consilium redire vellet, ageret pœnitentiam, & ad Ecclesiam supplex rediret &c. & ibidem: Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem à te literæ, quibus abstenso Martiano alius in eius locum substituatur &c. Et in fin. Epistolæ, vbi rogatur Stephanus, vt rescribat, quis erit Arelatæ in Martiani locum substituendus, & alibi lib. 4. in epist. 5. Antoniano missa, cuius est initium, accepi &c. Ad Rom. Sedem causas grauiores deferendas est intelligere, dum sic legitur paulò post principium, in vers. De eo tamen, quid statuendum esset circa causam lapsorum, distuli &c. ibi: Quòd etiam Romam ad clerum tunc adhuc sine Episcopo agentem, & ad Maximum presbyterum, & cæteros in custodia constitutos, nunc in Ecclesia cum Cornelio coninnctos plenissimè scripsi &c. & paulò post in vers. ac si minus, vbi ita scribitur: Ac si minus sufficiens in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Corneliium collegam nostrum, qui & ipse cum pluribus Coepiscopis habito Concilio in eadem nobiscum sententia pari grauitate, & salubri moderatione consensit &c.

Legimus etiam quandoque apud Diuum Augustinum in Epistola ad Glorium, & Felicem Melchiadem Romanæ Ecclesiæ Pontificem scripta, ab hæreticis eiectum Sycilianum Chartaginensem Episcopum restitutum.

Sed de his satis iam, vel nimium multa ad Sacrorum Conciliorum, canonumque testimonia inquirenda accedamus, etsi multa sacris canonibus, & Concilijs constituta supra quoque notata inueniri possint.

CAPVT IV.

Conciliorum, canonumque auctoritates, quibus confirmantur, maiores, & alias causas Episcoporum criminales ad Papam deferendas.

QVòd autem Nicæna Synodus constituerit capitales quæstiones Episcoporum ad Rom. Pontificem referri oportere, etiam suprà Felicis Secundi Papæ martyris, & Zosimi testimonijs comprobaui, licèt hæc res controuersa inter Papam, & Africanos Episcopos Diui Augustini temporibus reperiatur, & qui minus pij, aut religiosi sunt, negent auctoritatibus Summorum Pontificum de huiusmodi constitutione standum, & ego quidem de rerum inuentione (modo vt sanctè, ac piè, siue hoc, siue illo tempore à potestatem habentibus spiritu diuino afflante, decreta, & sancita repeciantur) non multùm laborandum putarem; cùm sciam, vt paulò ante ostendi, Summis Pontificibus credendum; etiam in causa vniuersalis Ecclesiæ, præsertim cæterorum accedente testimonio, & negari à perfidis quoque non posse hanc quæstionem in illo grauissimorum hominum, ac Sanctorum Patrum Bonifacio Secundo Pontifice, inito Concilio Carthaginensi 208. Episcopis interuenientibus omninò fidem sortitam Eulalio Carthaginensi Episcopo, & cæteris Africanarum Ecclesiarum Patribus consentientibus, vt in epistola ipsius Bonifacij Secundi de reconciliatione Africanorum patet, & legitur in eodem primo tomo Concil. fol. 1057. vbi illos Episcopos tanquàm iam cum Rom. Pontifice, & Sancta Sede Apostolica conueuisse apparet, & pleniùs docet Stanislaus Osius Varmiensis Episcopus vir amplissimi ipsius Cardinalium ordinis, vnusque etiam ex Tridentini Concilij Legatis in pulcherrimo suo opere de traditionibus, inscripto, in 4. lib.

Carthaginensi quoque secundo Concilio circa tempora Syricij Papæ, anno circiter 456. reperitur inter decreta, vt in eo. primo tomo Concil. fol. 425. cap. 10. Felix Episcopus, &c. significatur consulendum Rom. Pontificem in Episcoporum causis.

Expressiùs multò in Sardicensi Concilio legitur multis in locis, tum in cap. 3. de Episcopo adiudicato, quod est translatum in 6. qu. 4. cap. Osius. Si quis Episcopus adindicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere: vt iterum Concilium renouetur, si vobis placet sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Rom. Episcopo. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & dentur Iudices, si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decretauerit, confirmata erunt: si hoc omnibus placet. Synodus respondit, Placet. Vndè etiam patet capitalem Episcopi causam ad Rom. Episcopum deferendam, eiusque arbitrio, vel sententiam confirmandam, vel reuocandam causam, tum in cap. 7. in hæc verba: Placuit autem, si Episcopus accusatus fuerie, & iudicauerint congregati Episcopi Regionis de gradu suo eum deiicerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Rom. Ecclesię &c. quòd si quis rogat causam suam iterum audiri, moneat Episcopum Roman. &c. faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit. Cætera, quæ referri possent Concilia, non est necessarium persequi ampliùs, tum quoniam infrà in cap. 9. num. 48. & seqnen. nonnulla etiam alia notabo: tum quia hæc narrata satis ostendunt quod dixi, & omnium instar esse debet postrema Tridentina Synodus. Conciliorum enim auhoritatibus hanc confirmatam sententiam constat etiam ex vltimo canone tertiæ sessionis Concilij ipsius Tridentini sub Iulio Tertio celebrati, vt etiam est decretum in 8. sessione eiusdem Tridentini Concilij sub Opt. Maximoque Pontifice Pio Quarto inter decreta de reformatione generali, in can. 5. causæ criminales grauiores, vbi ego etiam nonnulla breuius, licèt (vt dicitur) remissiuè, attigi ad hanc potissimùm quæstionem reijciens lectorem. In eo enim canone statuitur, Summum Pontificem per se ipsum oportere causas ad se delatas criminum Episcoporum cognoscere, & statuere, aut Metropolitanis, aut Episcopis Papæ ipsius manu signato rescripto eligendis, cogniturisi tantùm, & facti instructione sumpturis, processumque confecturis, ac statim ad Rom. Pontificem transmis-

miſſuris delegare, ſeruata eidem definitiua ſententia.

Canonum quoque decreta plura paulò ante ſint allegata hanc ipſam ſententiam confirmantia, cauſas Epiſcoporum à Rom. Pontifice, Sedeque Apoſtolica, & non ab alio finiri oportere: iamque ratio addenda eſſet cum teſtimonijs coniuncta, quæ tamen diffuſius infrà referetur in cap.7.etiam alia, quàm hic modò narratur, ſcilicèt, quia quemadmodum Epiſcopo diœceſis, Regi regnum; ſic propemodùm Summo Pontifici vniuerſus Orbis eſt territorium,vt not.Abb.in conſt.15. volum.2. in prima ſua quæſtione, ſeu diſputatione in primo dub. ex nouiſs. impreſs. Ideòque niſi à Sede Apoſtolica ſtatui Epiſcoporum cauſas poſſe, aut debere, aut ab alijs Apoſticæ Sedis auctoritate conſtitutis Iudicibus, vel ab ipſis primis Eccleſię initijs eſt dignoſcere, vt traditur in cap. inquiſitores, de hæret.in 6. & ità ab omnibus Pontificibus Romanis ſancitum reperitur, cap. nullam 2. qu. 5. cap. omnis, cap. Romanam, cap. ſi quis putauerit, cap.ideò, cap. ſi quis Epiſcopus, 2. qu. 6. cap. dudum 3. qu. 6. cap. primo,& ſeq. 6. qu.4. cap. maiores, de baptiſm. cap. vltra prouinciæ 3. qu. 6. cap. Synodum, 17. diſt. cap. ipſi canones 9.qu. 3. cap.cuncta per Mundum eadem cauſ. & q. & cap.multis, 17. diſt. in quibus dicitur, difficiliores & maiores cauſas ad Apoſtolicam Sedem referre oportere, &c. præceptis, 12. diſt. vbi Gregorius ſtatuit in hæc verba: Nulli dubium eſſe non ſolùm Pontificalem accuſationem, ſed etiam omnem ſanctæ Religionis relationem ad Sedem Apoſtolicam quaſi ad caput Eccleſiarum, debere referri, & iudè normam accipere, vndè ſumpſit exordium.

Licèt in Synodo generali legitimè congregata priuari Epiſcopum poſſe cautum reperiatur, quia ibi eſt Pontificia auctoritas ipſo Summo Pontifice indicente, & comprobante tributa, cap. nullus 5. qu. 5.

In Concilio verò prouinciali minimè, cap. grauè, vbi Innocent. & alij de præben. & plenius ego oſtendam in meo libello de prouinciali Concilio in cap. 14. vbi hac de re diffuſiùs aliquantò agam.

CAPVT V.

Auctoritates Ethnicorum probantes eſſe cauſas Epiſcoporum criminales ad Summum Pontificem deferendas, & aliqua quædam addita piorum hominum teſtimonium.

QVintum verò propoſitum caput iam aggrediar, non ſolùm ſcilicèt Sanctorum Patrum, ſed à noſtra Religione, & pietate alienorum quoque nonnullorum hominum auctoritate, id ipſum veluti axioma comprobatum. Quod anteqnàm perſequar, alia quoque piorum hominum pręter Summorum Pontificum auctoritates, & Conciliorum, canonumque nonnulla teſtimonia referam, deindè Ethnici viri auctoris probati non aſpernendum dictum adiiciam.

Quo verò ad id, quod ſpectat ad auctoritates piorum, non eſt prætermittenda illa Stephani Archiepiſcopi, & trium Conciliorum Africæ ad Damaſum Papam de priuilegijs Rom. Sedis aſſenſio, quæ legitur etiam in illo primo tomo Concil. fol. 384. vbi ſcribitur in hāc fermè ſententiam, ſignificari Papæ, eo inconſulto nonnullos Epiſcopos proprio deijci gradu, cum tamen Sedi Apoſtolicæ Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum vertici Apoſtolico reſeruata honore beatiſſimi Petri, Patrum omnium decretis, antiquiſque regulis, vt quicquid auctoritate Apoſtolica fuerit pronunciatum, illud ratum, firmumque de cauſis Epiſcoporum habeatur.

Legitur etiam conſenſiſſe Ægyptios Epiſcopos in epiſtola ad Felicem Papam ſecundum ſupranominatum ſcripta, quæ extat in eodem primo tomo Concil.355.hanc ſententiam veriſſimam eſſe, & à Nicænæ Synodi Patribus definitam in hæc verba circa principium ipſius epiſtolæ deſcripta.

Nam ſcimus in Nicæna magna Synodo 318. Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari, licèt hæc, & alia quàmplura neceſſaria ab hæreticis, qui nos quotidie infeſtant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere poſſint, ſint Synodica capitula incenſa nobis ſublata, &c. & ibidem in 2. colum. dictæ epiſtolæ circa fin. verſic.ſimiliter,& à ſupradictis &c. ità ſcribitur. Similiter, & à ſupradictis patribus eſt definitum conſonanter, vt ſi quiſpiam Epiſcoporum, aut Metropolitanorum, aut Comprouinciales Iudices habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi, & ſoluendi ſpeciali ex priuilegio ſuper alios conceſſa eſt, & paulò poſt in col. 3. verſ. nam fuit ſemper veſtræ Sanctę &c. poſtquàm conſtitutos quoſdam primates in eadem Nicæna Synodo dinumeratos, vt ipſi ſcribentes loquuntur, ne in poſterum contentio ex eo orietur, inquiunt in verſi. Nec enim fas eſt ſupplicum Apoſtolicæ Sedis ſcripto, aut ſine ſcripto preces oblatas deſpicere, ſed, vt condecet, & priuilegium veſtræ Sedis eſt; & nos & illi canonicaliter conuocemur, & ante vos de noſtris obiectionibus canonicè cum omni probitate conuertemus, ſicut prædeceſſores noſtri penès veſtros fecerunt anteceſſores, & ſicut canonica in prædicta Synodo docent inſtituta, & veluti paliati verbi per ventilabrum canonicæ examinationis plenam purgationem in communi conſiſtentes adiutorio, de maturis, & nutrientibus Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis per participationem conſequamur inſtitutionem. Antiquis enim regulis cenſitum eſt, vt quicquid in remotis, aut longinquis poſitis prouincijs ſuper Epiſcoporum querelis, aut accuſationibus ageretur, non prius tractandum, vel accipiendum eſſet, quàm ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſè deductum; vt huius auctoritate iuxta quæ fuiſſet pronunciatio facta, infirmaretur, aut firmaretur, indèque ſumerent normam, vndè Eccleſiæ ſumpſerunt prædicationis exordim, ne paſſim ab inſidiatoribus columnæ euerterentur Eccleſiæ.

Vndè apparet, vel ex hoc amplissimo testimonio constare Nicænam Synodum sanxisse Episcoporum causas ad Rom. Pontificem sine eius auctoritate cognoscendas.

Accedat Phocij cuiusdam viri Laycí à Michaele Constantinopolitano Imperatore, cognomento Amoriano, seu Ebrioso in beati Ignarij Constantinopolitani Patriarchæ vi, atque iniuria depulsi anno circiter 868. locum, ac Sedem illati, atque intrusi, ac perditi hominis memorabile exemplum Basilij interfecto Michaele in Imperium successoris ad Nicolaum Papam primum scripta epistola comprobatum, quo planè ostenditur criminales Episcoporum causas ad Summum Pontificem deferendas.

Verba autem ab illo ipso Paulo ante citato, graui quidem auctore Fantino Valaresio Cretensi Episcopo relata in eod. lib. de ordine generalium, Oecumenicorum Conciliorum, &c. ad Eugenium Papam Quartum cap. 18. cuius est initium, Tempore Michaelis, &c. Describam vt fanctius, veriusque testimonium possit ab omnibus, etiam qui nondum impresso hoc Valerisij opere carent, dignosci. Quæ sanè verba sunt hæc: Mortuo verò Michaele occiso à collega suo, Basilius successit eidem in Imperio, & iste vir fuit Catholicus & obediens Rom. Ecclesiæ. Vndè secundum sententias, atque mandata Papæ Nicolai expulit dictum Phocium de Sede Patriarchali, & sanctum Ignatium in propria Sede restituit, atque remisit, scribens ad Nicolaum Papam dicens: Quod meum erat, feci, quæ autem restant, ad vos pertinet iudicare, scilicet causam Phocij. Cùm autem Nuntij Imperiales Romam applicuissent, Nicolaum Papam non inuenerunt, cui successit Adrianus Secundus, de quo suprà dictum est. Qui audiens de restitutione sancti Ignatij in Sede Patriarchali, gauisus est, & tres Legatos Constantinopolim transmittit Donatum scilicet, Stephanum, & Martinum Cardinales: vt suprà dictum est. Cumque iuxta Adriani Papæ mandatum Synodum congregasset, examinata prædicti Phocij causa, inuenerunt ipsum in omnibus supradictis culpabilem, & obstinatum pœnitere nolentem. Vndè annullantes, & reprobantes iniqua eius facta, & dicta, sententiam excommunicationis de consensu, & voluntate totius Synodi in ipsum damnatum hominem protulerunt, & à Synodo expulerunt, tanquàm membrum putridum irà vt ne Christiani nomine vteretur. Restitutoque sancto Ignatio in Sede Patriarchali, remansit Ecclesia Orientalis vnita sub obedientia Rom. Pontificis vsque ad Leonem Papam Nonum, & Constantinum dictum Monomachum Imperatorem Constantinopolitanum, currentibus annis Domini 965. Qui Constantinus turbatus propter Regni Siciliæ rebellionem, quam defendebat ipse Romanus Pontifex, quoniam ipsum Regnum ad Rom. Ecclesiam pertinebat, sicut pertinet etiam de præsenti, indignatusque aduersum Rom. Pontificem ab eius obedientia se subtraxit, &c. hæc Fantinus.

Ethnici autem eruditissimi Auctoris potestatem hanc Pontificiam palàm professi, aut literis consignatam relinquentis, Ammiani Marcellini grauissimi testis, & omninò impijs quoque hominibus indubitatæ fidei in historia testimonio ea quoque sententia confirmatur. Ille enim in lib. 15. ostendit Athanasium Episcopum eo tempore apud Alexandriam à Summo Pontifice Liberio in suam Sedem repositum, summamque sanctæ Sedis Apostolicę auctoritatem eiusmodi profitetur in hæc verba. Athanasium Episcopum eo tempore apud Alexandriam vltra professionem altius se efferentem, suscitari conatum externa, vt prodidere rumores cœtus in vnum quæsiti eiusdem loci multorum Synodus (vt appellant) remouit à sacramento, quod obtinebat, dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæ vel augurales portenderent. Alires scientissimè calleus aliquotiens prædixisse futura, super his intendebantur ei alia quoque à proposito legis abhorrentia, cui præsidebat, hanc per subscriptionem abiecęte Sede Sacerdotali, paria sentire cæteris, iubente Pontifice (qui Christianæ legis Antistes & à Constantio ad comitatum mitti præceptus erat tanquàm Imperatoris iussui, & plurimorum sectis per consortium decretis obsistens (vt inquit Ammianus eodem in loco paulò vt ante) Liberius ipse Papa monitus perseueranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare nephas vltimum sępè exclamans, apertè scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio, id enim ille semper Athanasio infestus licèt sciret impletum, tamen auctoritatem, qua potiuntur æternæ vrbis Episcopi firmare desiderio nitebatur ardenti. Hæc Ammianus Marcellinus historiarum scriptor non contemnendus, sed fidedignus memoriæ prodidit, ex quibus facilè etiam est intelligere, Episcopos non iudicandos, aut condemnandos ab alijs, quàm à Rom. Pontificibus, aut eorum delegatis, & summam etiam apud Ethnicos Rom. Sedis auctoritatem iudicatam.

CAPVT VI.

Recentis nostrorum interpretum nationis auctoritates comprobantes necesse esse ad Rom. Pontificem moueres, & alias capitales Episcoporum causas referre.

AD illam autem partem suscepti laboris deueniam, vt Doctores nostros, quos legerim omnes hac de re tractantes, quodam veluti compendio, & quasi typo referam, eo sanè consilio, vt qui velit inspicere ex paupere nostro penore quendam tanquàm iudicem locorum possint omninò elicere, atque adeò illud etiam fortasse hinc amplius consequi, vt scilicet qua in re Doctores ipsi in hac quęstione consentiant, in qua dissideant, facilè dignoscant.

Speculator in tit. de legato, §. nunc ostendendum, vers. decimoseptimò, auctoritate Pontificis, vel à se, vel à suo delegato causas maiores decidi Episcopurum probauit: & à cæteris absque Sedis Apostolicæ auctoritate non posse de illis statui, & idem Doct. in cap. 2. de transl. Episc. vbi Ant. But. in secundo, in quarto not. & Abb. num. 3. & ipse Abb. post Butrium in dict. cap. & in dict. ca.

non

non poteſt. de re iudic. Affirmantes quidem omnes Concilium prouinciale non poſſe Epiſcopum deponere, imò nec depooendum pronuntiare, cuius Abb. & Butr. opinio tutior eſt, ac ſequenda (quicquid nonnulli crediderint) quoniam, licèt differant condeonare, vel condemoaodum dicere, tameo qui condemnandum pronuntiat, huiuſmodi poteſtatem decidendi habeat neceſſe eſt: facultatem autem Concilium proninciale non habet, quia dicti canones inferiori definitionem hanc prohibent, vt etiam oot. Abb. in cap. 2. de accuſat. cuios ſeotentiam amplectendam not. Fel. in eod. cap. non poteſt, de re iudic. col. 2. verſ. tamen non eſſet tutum recedere ab opinione Botrij, & Abbatis, in num. 2. & col. 3. num. 4. inquiens, Iura, in quibus reperitur Epiſcopos fuiſſe quandoque damnatos ab inferioribus Papa, antiquata, & abolita eſſe, aut mandato Papæ iotelligi ità factum. Geminiani etiam actoritate in cap. quorum 23. diſt. & cap. Primates 2. qu. 1. vbi ità declaratur, cap. tua, extra. de cler. non reſid. & ſubdit Feli. in dict. cap. non poteſt, in ead. col. 3. dict. num. 4. Nec Patriarcham, nec Legatum de latere poſſe Epiſcopum deponere abſque ſpeciali Papæ mandato. Geni. in dict. cap. Primates, & in cap. renonantur, 22. diſt. vbi ità declarat cap. quia ſuſpecti, 3. qu. 5. & addit etiam Fel. in eodem num. 4. criminales Epiſcoporum cauſas non poſſe delegari, vel vt ipſe loquitur oon eſſe delegabiles, auctoritate gloſs. magn. in cap. inquiſitores, de hæret. lib. 6. quo tamen ſic eſt accipiendum, vt Papæ Legatus, vel Vicarius, Iudexuè in hiſce caſibus conſtitutos non poſſit alteri delegare, non autem quin poſſit Papa delegare, vt loquunrur Doctores relati à Fel. in eod. num. 4. dict. cap. non poteſt, de re iudic. & etiam in dict. cap. inquiſitores, omnes notant.

Cum autem in hunc inciderim ſermonem, non inutiliter, quoque proferam ſtudioſius cauendum oblatas ab aliquo in Epiſcopos criminationes noo varias penitùs, nec falſas prorsùs, ſed quodammodò ſaltem coniecturis probatas, & oon aliàs referri, ac ſignificari Papæ oportere. Nam porrò conſtare aliqua ex parte delictum, ſuperiori etiã referendum debet, vt per l. §. item ff. ad Syllan. Senatuſcooſult. not. Oldr. in conſt. 124. Quòd remiſſio, &c. Card. in clem. Paſtoralis, §. deuique de re iudic. eruditè Veronen. Cæpolla appellatus in conſt. criminal. 59. Paulus Faber, & Gregorius, col. 6. verſ. iſtam partem alias ego tenui, &c. dicens ità fuiſſe iudicatum, & ante iſtos, & ab illis relatos notauit ipſe Ioannes Mooach. Card. in cap. Romana, §. contrahentes, in fin. de iud. eod. lib. 6. Bald. in addit. ad Specul. de compet. Iud. ad verſ. maleſactor, & Aret. in l. ſi quis poſt, col. 2. ff. de teſtam.

Præterea haſce cauſas Epiſcoporum tanquam maiores ad Rom. Pontificem ſpectare, not. idem Abb. in cap. maiores, de baptiſm. num. 1. & num. 3. & in cap. vt debitus, de appell. num. 9. & num. 37. & in dict. cap. 2. de accuſat. vbi tamen not. ab ipſo Fel. in nume. 2. in vlt. not. Primates poſſe cognoſcere de crimine Epiſcopi, & licèt non poſſe deponere credatur, tamen deponendum Epiſcopum pronnnciare, & ad Papam ſententiam depoſitionis referre, & ibi Mariao. Soc. Senior not.

Nouiſſimus autem D. & Præceptor meus Doctor ſanè clariſſimus, & Pontificijs iuris maximus interpres Auguſtious Beroius in cap. 1. de iud. poſt alios, quos refert in nu. 4. à Prouinciali Concilio non poſſe Epiſcopum priuari, probat, & ibidem oum. 69. poſt Decium, & alios in vtranque partem diffuſius aliquantò tractans quæſtionem cum num. ſeq. demonſtrat ad ſolum Papam ſpectare, & ab alio deponi non poſſe. Ideòque cauſas Epiſcoporum, io quibus deponendi, nec oon eſſent Epiſcopi, quæretur, ad ſolum Papam referendas, & ab illo, aut ſua auctoritate decidendas, poſſe etiam addi ea, quæ notantur ab erudito Ioan. Hieronymo Albano in 2. parte de poteſtate Papæ, & Concilij num. 212. & ſeq. fol. 173. verſ. diſputaodum, & fol. 174. verſ. quid plura, vbi etiam Nicæno ſtatutum conc. defendit.

Omnes ſanè ij Doctores, qui iſtam tractarunt quæſtionem, aut ex multis partibus plures noſtrum id axioma comprobaſſe omninò videntur, ſcilicèt criminales Epiſcoporum, aliaſque cauſas grauiores ſolùm Summos Pontifices ſtatuere, & ad eos neceſſarios referendas. Quibus ſanè Doctoribus addo ſapientiſſimos, & grauiſſimos duos Cardinales noſtris interpretibus oon ſatis cognitos; alterom quidem Vicecancellarium paulò ante nominatum Ioan. Monach. in dict. c. inquiſitores, oum. 2. verſ. Sed remittere negotium de hæret. in 6. affirmantem ſic vidiſſe obſeruatum ibi, ſed remittere negotium Papę inſtructum: vt de facto vidi, &c. Alterum autem Sabinen. Epiſcopum Ioanoem Turrecrematam in cap. vbique 15. qu. 7. num. 5. 6. & 7. dicentem, Epiſcopi cauſam criminalem, io qua aut deponeodi, aut priuandi ab ordine agitur, ſolum Papam cognoſcere, idque decere Summum Pontificem facere adhibito ampliſſimorum Cardinalium conſilio, ſicut in cæteris arduis apud eundem Turrecrem. ibi in fin. d. num. 6. eſt aoimaduertere.

Et alibi apud eum ipſum Turrecrematam in cap. decreto, 2. qu. 6. ſtatuenrem Epiſcopum accuſatum coram ſuo Primare appellare ad Papam, & Primatem non deferentem appellationi puniendum, atque adeò neminem de cauſa Epiſcopi, qui ad Papam appellauerit quicquam ſtatuere ex B. Gregorio, tum etiam in in cap. nullus 5. qu. 4. n. 2. noo licere ſine ſpeciali maodato Epiſcopum iudicare, vel damnare, & in cap. ſeq. §. quod verò, &c. ſolum Papam, vel eius delegatum, abſque Epiſcoporum numero etiam in cæteris requiſito Epiſcopum priuare, &c.

Sed auctoribus, ac iuribus nimis iam pugnauimus: ad rationem ipſam altiùs aliquantò repetendam accedamus, oportet, in qua ſanè narratione explicanda hiſtorico ordine, & quotidiano ſermone dilucidè probabiliter, & apertè exponenda illa quidem ad hanc æternæ vrbis ſanctam Sedem, & fundamentum fidei Chriſtianæ conſeruandæ, tuendæque magnum momentum habeote, quantò potero breuius ſummas quaſdam res, maximèque neceſſarias referam.

CAP-

CAPVT VII.

Ratio, cur Papa, seu eius Delegatus solùm maioris omnes, & etiam Episcoporum has criminales causas statuere debeat.

ALia quidem præter suprascriptam in cap.4. nom. 7. ratione, nostram hanc probatam omninò esse sententiam, vt ostendam altius aliquantò rem ipsam repetam, & grauiora quædam recensebo Ecclesiæ Romanæ auctoritatẽ demonstrantia, ex quibus non iniuria receptum caosas criminales Episcoporum ad Papam diferri oportere, simulqoe cur ego quoque sit dicendum putem, delucidius etiam apparebit.

Satis iam constat quanta sit Episcoporum dignitas, vtpotè quos cæteris Sacerdotibus gradu, iurisdictione, ordine præstare, & (vt suprà attigi) diffusiusqoe multò persequar in libello, de Vita Monasticha, & regulari, eaque reforman. in eo cap. vbi de prærogatiua cuiusque gradus hominum agam, subrogatos Apostolis non dubitetur, & not. etiam ab Alexand. in cap. in nouo 21. dist. & à Ioan. And. in cap. accedentibus, num. 2. de exces. Prælat. & grauiter probatur à diuino Ambrosio in lib. de dignitat. Sacerd. cap. 3. cuius dictum ego quidem omninò reuerens, Episcopis assentandi suspicionem eò libentius hìc describam, quòd vel facili ex hoc solo Ambrosij loco (post illum quasi sermone tritum factum prouerbium, & pueris notum, licèt alioqui graue Pauli Apostoli receptum in 1. ad Timotheum epist. cap. 3. scriptum, ipsos Episcopos quid sequi, quid fugere oporteat, admonitos intelligo, cuius Ambrosij hæc sunt verba. Nihil Episcopis sublimior reperiri, vt cùm dignitatem Episcopatus oculis demonstremus, & digoè noscamus quid sumus, & quid sumus professionis, actione potiùs, quàm nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini, ne sit oomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit Deifica professio, & illicita actio, ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus, ne sit gradus excelsus, & deformis excessus, ne habeatur io Ecclesia cathedra sublimior, & cõscientia sit humilior, ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam, ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam, ne dignè oobis per Prophetam respondeatur à Domino: populus hic labijs me honorat, cor eorum longè est à me. Ergo fratres sicut Senatorem clamis ornat, sicut agricultura rusticum, sicut Barbarum arma, sicut Nautam nauigationis peritia, & singulos quoque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat authores, sic Episcopum non aliud nisi Episcopalia opera designat, vt ex bono opere magis quàm professione noscatur, plus esse Episcopus, quàm nomine vocitetur. Quia, sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de Sancta vita Episcopus periclitetur, &c. Hæc ille constans, egregiusque doctor ac lumen Ecclesiæ Romanæ Ambrosius, quibus addi potest illud Pauli dictum in secunda ad Thimoteum epistola cap. 3. probans, re ipsa potius, quàm fuco, & fallacijs virtutem præstandam in hæc verba. Habentes quidem spiritum pietatis, virtutem autem eius abnegantes, Episcopos verò successiuè Apostolis præter suprascriptos authores traditur in cap. videntes 13. quæst. 1. & ex Ang. in cap. quorum. 68. dist. Dilucidè etiam apud Diuum Hieronymum in epistola ad Marcellum aduersus Montanum, dicentem: Apud nos Apostolorum vicem Episcopi tenent, & in epistola ad Eugenium, & Nicolaum Liceum in annotationibus in Io. cap. 13. & act. Apost. cap. 1

Neque verò Episcopos ita Apostolorum esse successores credendum est, vt (quod plerosque non satis probos audere videmus) etiam Apostolis iure veluti hæreditario in iurisdictionem externam, Ecclesiasticæ scilicèt hierarchiæ modernæ illos successisse Episcopos existimari oporteat; nam porrò talem iurisdictionem Episcoporum à summo Pontifice mei, & (vt dicitur) immediatè respectu (vt loquuntur) suppositi, non respectu virtutis oriri, docet Turrecrema. in lib. 2. de Ecclesia. cap. 16. Alexan. in cap. omnes 22. dist. seu, vt dicit Oldrad. cons. 180. Quæstio, col. pen. immediatè per subalternam emanationem accepisse, ab eo enim Pontifice maximo, vt Petri successore, & Christi Vicario, & veluti à capite sua omnia dona ille ipse Christus seruator noster tanquàm in omnes corporis partes transmitti, ac transfundi voluit, vti Leo quoque Papa ostendit in cap. ita dicimus 19. dist. quem sanè ad id probandum notat etiam Gaetan. de potestate Papæ, cap. 19. Christus enim ipse per se tanquàm optimus paterfamilias ex Apostolis soli quidem Petro, & per Petrum cæteris, vsque ad sæculi consumationem successuris in terrarum orbem contulit exercendam potestatem, atque authoritatem, vt diuus Thomas 4. contra Gentiles, cap. 76. diffusius confirmat, & Innocent. etiam probat in cap. ad Apostolicæ de re iud. Nam certè hoc priuilegium, vt apud Io. cap. vlt. & Matth. 16. Voluit Christus esse Petri tanquàm Ecclesiæ fundamenti, cui regendarum omnium in vniuersum (quod dixit D. Bernardus) ouium curam, cogitationem, laborem delegauit, quàmuis alioqui Episcopos Apostolorum loco successuros, vt etiam 72. discipulis surrogandos Presbyteros dignouerit, quod etiam colligitur ex dicto cap. in nouo. 21. dist. & ex beato Beda lib. 3. in Luc. cap. 15.

Quò igitur ad iurisdictionem externam Ecclesiasticæ hierarchiæ moderandæ Episcopos non successisse Apostolis constat, sed ab ipso summo Pontifice ordinatos, vt dicitur, & institutos, eorumque institutionem positiuo (quod vocatur) iure esse censuerunt nostri adijcere & non Dec. in cap. vlt. in fin. vers. secus videtur in summo Pontifice, à quo ordinati fuerint Episcopi, quorum institutio est de iure positiuo, &c. ex. de confirm. vtil. vel inutil. Addens quidem Decius subrogatos licèt Apostolorum loco Episcopos; non propterea eorum naturam quò ad causam efficientem nactos esse arg. not. à Bart. in l. 1.

§. hæc

5. hæc actio ff. si quis test. lib. esse iuss. fuer.

Quemadmodum enim Artaphaxes (quod 1. Esdr. cap. 7. sciptum reperitur) tecessutus vniuersalem constituit Vicarium, atque cæteros sibi obtemperaturos iudices, ac Præsides eligendi, & (vt dicitur) in partem solicitudinis, quasi socios adsciscendi potestatem omnem tribuit illis verbis: Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Iudices, & præsides: vt iudicent omni populo, qui est transflumen, his videlicèt, qui nouerunt nomen Dei &c. Sic propemodùm Rex, ac saruator noster Christus in cœlum assensurus constituit suum Vicarium vniuersalem Petrum, eique laborum veluti socios adiungendi alios, suis quoque diœcesibus præfuturos Episcopos potestatem dedisse à nostris pijs Doctoribus, ac Sanctis viris creditur, licèt enim ipsi Episcopi, & Dei legati cap. sicut vir, vbi Turrecrem. 7. qu. 1. in fin. ex ij. Pauli epistola ad Corinth. cap. 5. ibi pro Christo legatione fungimur &c. & ex clem. 1. de pœn. vbi glo. verb. Episcopi & alibi, vocentur columnæ Ecclesiæ cap. accusatores 3. quæst. 8. quo in loco Turrecre. num. 1. pulchrè exponens cur columnæ dicantur, tamen ab ipsa Ecclesia eliguntur, atque instituuntur, & propterea filij quoque Ecclesiæ nuncupantur d. cap. quorum vices 68. dist. & ibi Turrecrem. quomodo & patres, & filij Ecclesiæ dicantur Episcopi, declarat. Vndè meritò Episcopi tenentur Papæ, vt pastorum omnium summo pastori, Episcoporum maximo Episcopo parere cap. si qui sunt 81. dist. & ibidem Turrecrem. num. 4. cùm, vel solem meridie non lucere inficietur is, qui audeat negare Rom. Pontificem hæredem verum, atque vniuersalem Apostolorum, & Principem, vnumque pastorum omnium pastorem, & maximum cæterorum esse Episcoporum, quiuè contendat affirmare alios cœli ianitores, & gregum pastores Episcopos vniuersarum crediram habere ouium curam. Nam porrò (vt de industria cæteros prætercam) vel vnum D. Bernardi in 2. lib. de consid. ad Eugenium Papam scribentis instar omnium putaui esse dictum veritatem ipsam dilucidiorem multò reddens. Is enim Sanctus, & diuino afflatus spiritu vir sic testatum reliquit.

Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras, videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, Tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarcatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, Authoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus, Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij Cœli Ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius vtrunque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges singulos, Tibi vniuersi crediti sunt, vni vnus, nec modò ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor, &c. & in eodem loco.

Ergo iuxta canones tuos, alij in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es, aliorum potestas cæteris arctatur limitibus, tua extenditur etiam in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Non ne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu dependere, etiam Sathanæ tradere potes? stat ergo inconcussum priuilegium tuum tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Ac præter suprascriptos, docet etiam Angelicus Doctor D. Thomas, cui sanè nec contradicentium caterua posset obsistere, ille enim eruditione, & Sanctitate insignis vir id ipsum, quod dixi, videlicèt externæ istius iurisdictionis riuulos à summi Pontificis fonte emanare, vt dicitur, immediatè, docet tum in 2. sent. dist. vlti. quæst. item vltima, tum in 4. lib. contra Gentiles, cap. 76. tum in 4. dist. 20. quæst. 4. art. vers. ad tertium. Sanctus Bonauentura in 4. dist. 18. & in ead. dist. 18. art. 11. Albertus Magnus in eiusdem lib. dist. 24. Richardus Mediauilla, & ibidem quæst. 5. Durandus, & Erueus in suo pulchro libello de præstat. Papæ, inter cætera narrans, errare eos, qui credant hanc iurisdictionem externam Episcoporum ab ipso Deo, vt loquuntur, immediatè, non secùs atque illam Papæ tributam profluere, cùm ea non nisi à Papa, vt ipse ait, immediatè suscipiatur, & Domin. Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 2. & 3. & 4. Echius de Sacramento ordinis Homil. 52. & ante eos Turrecrem. de Ecclesia, lib. 2. cap. 54. vsque ad 64. Gaietan. de authoritate Papæ cap. 19. eruditè admodùm Gabriel Biel. in can. miss. lect. 3. Antonin. in summa Theologiæ, tit. 22. in 3. parte cap. 4.

Vndè non sine ratione dixi, Papam solum habere illam iurisdictionem ex diuino iure institutam, eaque de causa posse dici Episcoporum iurisdictionem esse iuris diuini, habito scilicet respectu ad præceptum Domini Petro & successoribus traditum. Pasce oues meas, &c. quasi Christus etiam iusserit Petro & successoribus sibi adsciscere in partem solicitudini: Episcopos laborum socios, ita vt iurisdictio Episcoporum demandata Papæ à Domino possit vocari iuris diuini.

Neque verò credat quis diuinam non esse Episcoporum gradus & dignitatis, de qua noster non est sermo, institutionem, cùm & dignitas & electio quoque eorum (generaliter loquendo, seu vt dicitur in genere) valet. quòd singulis Ecclesijs secundùm Ecclesiasticam diuisionem sui præficiantur Episcopi, sit diuino quidem instituta iure, at particulariter quòd huic Ecclesiæ præponatur Titius, illi Sempronius, non diuinis; sed humanis consilijs sit inuenta. Hancque particularem electionem humani, non diuini esse iuris, eruditè, & diffusè ostendit Domin. Sot. de iust. & iur. lib. 10. quæst. 1. art. 4. fol. 663. Ita, vt liqueat Episcopos alicui particulari Sedi Præfectos, Ecclesiastico potius iure habere iurisdictionem, tanquàm à Papa, veluti ab ipso fonte, quasi riuulos emanantes, auersitos, vt etiam ipse Domin. Sotus 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. vers. aut hæc sensit, &c. & probatur in cap. decreto, de auth. & vsu pallij & in cap. qui si scit. 11. quæst. 6. cap. qualiter, de elect. Iuo. in v. parte cap. 148. & 349. & testatur etiam Leo Papa in epistola 84. can. 11. inquiens. Hæc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum, quibus cum sit dig-

gni-

gnitas, communis tamen non est ordo generalis, quoniam inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tantùm datum est, vt cæteris præmineret, de qua forma Episcoporum orta est distinctio, & magna dispositione prouisum, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, &c. Et rursus cuidam in maioribus Vrbibus constitui sollicitudinem susciperet ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesię iura confluerent, & nihil vsquàm à capite dissideret. Quod docet etiam Leo IX. in Epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, probans, externam iurisdictionem à summo Pontifice in alios profluere Episcopos, sicut in Iudices à Rege, seu Principe, apud quem omnis est iurisdictio. Bal. in tit. de pace Constant. in princ. col. 6. & veluti à capite in singula quæque membra virtus deriuatur.

Idemque Leo epistola 89. ad Episcopos Viennen. & in tertio sermone suæ assumptionis, inquiens. De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, & quamuis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores, omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, vt si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, numquàm nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit.

Idem etiam præter alios qui referuntur auctores in decret. dist. 63. c. quanto 16. q. 1. temporum qualitas &c. quosdam, & de consecrat. dist. 1. c. Ecclesia, & 24. q. 1. c. audiuimus, expressim etiam ostendit Innocentius in epistola ad Guilielmum Archiepiscopum Montis regalis sic scribens. Ex hac vtique potestate, quæ ad beatum Petrum ex Dominica traditione peruenit Sacrosancta Rom. Ecclesia, quæ per Dominum Iesum Christum ab eodem Petro instituta est, & fundata super vniuersas Ecclesias authoritatem obtinuit, vt vbique ratum esset, ac solidum, quod ipsius prouidentia statuisset, quod etiam ab vniuersis Ecclesijs per orbem terrarum vsque diffusis, & receptum est, & retentum, ita vt per eam & distributio facta sit dignitatum, & indictum Christi fidelibus & diligentius ordinatum, quod ad cultum pertinere visum est pietatis. Ex hac si quidē data Beato Petro à Domino potestate, ipse, ac successores ipsius per diuersa mundi loca constituerunt Episcopos, & dignitates per prouincias diuiserunt, &c.

Quid igitur ijs relatis Illustrium scriptorum testimonijs clarius, aut manifestius ad Episcopum iurisdictionem à summo Pontifice veluti fonte duci ostendendum?

Nec sanè iniuria dixi, Papæ debere Episcopus omninò obedire, & licèt alioqui dignitate Episcopos diuino iure institutos ornatos, tamen Apostolicæ Sedis iudicio soli esse subsecutos, nullum enim maius authoritate, nullum potestate est superius, vt præter ea, quæ suprà attigi, & in c. seq. persequar forsan diffusius; patet etiam ex illis apud Lucam cap. v. annotatis verbis Seruatoris nostri dicentis Apostolis, Laxate retia, &c. & ibi soli Petro inquientis: Duc in altum, & eidem soli Petro iubentis Matth. cap. 17. vt hamo piscaretur. Ex quibus suprema ipsa iurisdictio significatur c. est & aliud 24. q. 1. & pluribus demonstrans persequitur Turrecram. in c. pater profectò, vbi etiam est tex. apertus 9. q. 3.

CAPVT VIII.

Negantes licere Episcopis familiam habere armatam conantur reddere Imperiū Ecclesiæ paraliticum, & similiter dicente brachium sæculare necessario inuocandum, contra Panormitanum.

CVm verò eò deuenerimus, vt Episcoporum causas capitales ad summum Pontificem deferendas, & canonum, ac Sanctorum Patrum, & Conciliorum, grauissimorumque etiam plurium authoritatibus confirmasse videamur, & planè veluti præsaga mente sententiamas tentare plerosque, nauiter verecundæ fines transeuntes, clarissimis quibusque rebus tenebras effundere, constansque illud, ac perpetuum Ecclesiæ imperium quadam veluti neruorum resolutione affectum, ac paralyticum (vt dixit Hostiens. in c. j. de offic. ordi. Et Bertran. in consil. 138. rem non nouam. nu. 4. vol. 3. in antiq.) reddere, ac præcisè etiam negare Episcopis licere proprios apparitores, lictoresque, & viatores, quos vocant executores, & ministros, habere armatos iustitiæ exercendæ, atque exequendæ causa, atque adeò affirmare sæcularis brachij auxilium, non solùm esse oportunum, & ipsius Ecclesiæ tantùm authoritate, propriaque dispositionem implorandum, sed etiam necessariò, ac semper inuocandum prætexere. Panor. sæpè, vt de Concilio Basilien. sic de hac sæculari potestate malè sentiente ter otis authore; ac duce sibi proposito; probante illo quidem, laicis nimium indulgente, Episcopis ditione temporali carentibus, non esse liberum magistratus, atque imperij Episcopalis comites, & apparitores, sbirrarios, seu exequutores, armatamuè familiam dicunt, suas veluti ipsorum manus, sibi præsto futuros deligere; quasi Episcoporum potestas quædam in animos tantùm, non autem in corpora etiam imperium existeret, nec fontes accersiri, ligari, virgis cædi, in carceres coniici vlla eis iubendi facultas relicta esset. Nos verò arbitrati quidem, summique authoritatibus planè edocti contra, ac isti dicant, esse statuendum, atque Episcopus, etiam Imperatores sua debere capita submittere, eorumque monita necessariò recipere c. Valentinianus 63. distinct. illosque volentes quidem inuocare, non autem cogi implorare brachium sæculare, propriosque sibi præsto futuros apparitores habere, à quoque prohiberi, minimè posse, nec omninò à proposita hac materia alienum putauimus, hoc etiam inferere quæstionis caput, cum præ cæteris omnibus veritatem soleamus pluris æstimare, non ignorantes eius retinendæ gratia, vt dixit Philosophus primo Ethicho-

corum cap. 6. in princ. sua etiam decreta tollere, nedum, ab alijs temerè inducta, delenda, irrita, & iniusta pronunciare, Christianæ religionis præsertim, puræque, ac veræ fidei Catholicæ, vt decet, studiosos, atque acerrimos defensores, summumque illud bonum, scilicet salutem, ad quam omnes, referendæ sunt actiones, curare æquum esse. Dabimus igitur operam, vt qui hanc thesin inuexerunt, non solùm improbandi, sed detestandi etiam, hanc in re dignoscantur, instituque hæc nonnullorum animis sententia penitus euellatur, illaque antiquior de sanctione, veluti ærario deprompta, eadem quidem verior, & iure; ac rationibus, non argumentis expositionum vitijs (vt Quintiliani lib. 2. cap. x. mutuemur verba) temerè, & nimis inconsideratè ductis comprobata fidentius infigatur, atque inseratur opinio.

Quo verò rem totam ordine persequemur, quod proposuimus, perfectè explicasse intelligamur, ac primò quidem ostendemus rationem, & quæ ab aduersarijs dicitur, illationem à delegato Principis ad ordinarium Ecclesiasticum ductam, minimè concludere, simulque cum Panormitano facientes, referemus, vt facilius dignoscatur eorum opinionem non esse apud Doctores crebriorem, imò potiùs nostram receptionem existimandum.

Indè probandæ sententiæ authores veriùs, ac sinceriùs sentientes, recensebimus, vt multis etiam partibus, plures nedum grauiores veritati fauere demonstremus.

Tertio loco, quæ ab aduersarijs dissentientibus allata sunt, aut excogitata narrabimus.

Iam verò nostrorum rationes significabimus, nonnullasque etiam paupere è nostro penore depromptas adde, vt ratione, & sententia hanc nostram opinionem veriorem, ac meliorem oportere meritò iudicari, perspicuum esse possit.

Postremò omnia in contrariam partem dicta confutabimus, & nostram sententiam sincerè, & ex animo proferemus. Panor. quidem opinio deducta fuit ex argumento Innocen. Hostien. & aliorum existimantium in c. significasti de offic. deleg. Principis delegatum non posse suam per se exequi sententiam, sed debere brachium sæculare inuocare: ideòque etiam ordinarium Ecclesiasticum, tanquàm armis vti prohibitum, excommunicationis mucrone vtendo, non posse armatam habere familiam, sed debere ad brachium sæculare confugere.

Nemo autem ex illis, qui Panor. assentiuntur, est attestatus, hanc esse communem opinionem, nec testari poterat hac in re, licèt communem plerique testentur, delegatum debere inuocare brachium sæculare, qua de re nunc non vertit controuersia, licèt reuera antiquiores, & recentiores fateantur post Abb. in antiq. in eodem c. significasti in fin. Curiam Romanam sequi contrarium, videlicet delegatum non solùm non debere, imò nec posse brachium sæculare inuocare, nisi expræssim contingat eos in facultatibus habere: vti etiam Felin. ipse assentiretur in eo c. significasti nu. 3. & Summ. Tabien. in verb. delegatus num. 2. §. seu versic. Vtrum delegatus possit &c. vbi tamen in quæstione, de qua quæritur, licèt consentiat pro Ecclesia; perperam allegat Felin. contrarium dicentem, & in eodem cap. significasti, notant etiam de hoc stilo curiæ loquentes, Henric. Boic. Cardin. Zabarel. & alij ab ipsis relati, & Prob. in addit. in Io. Monac. in c. vnic. à nu. 24. vsque in fin. de stat. regul. lib. 6.

Ad quæstionem verò accedendo, & primum caput explicando, arbitror malè Panor. inferre à delegato Principis ad ordinarium Ecclesiasticum, quia detur, licèt delegatum Principis teneri inuocare brachium sæculare, & non posse armatos habere homines, propriosque exequutores, tamen non infertur, quod Ecclesiasticus debeat necessariò implorare brachium sæculare, & per se non possit, quia delegatus non potest per se mulctare, cùm tamen ordinarius possit. Hostien. in summ. de senten. & mulct. §. quis possit, refert, & sequitur Bouerius in sing. suis in verb. Contumacia, & mulcta, nu. 8. vers. Delegatus ab Eccle. Iudice, etiam à Papa, vt possit Episcopus suam exequi sententiam, etiam in bonis laicorum, si exequi per se velit, licèt vrbanitate quadam abstinere soleat: delegatus autem minimè potest, etiam si velit, & hæc est communis opinio, & distinctio, videlicet (vt nostri loquuntur) Episcopum de rigore posse suam exequi sententiam, quamuis vrbanitate quadam abstinentem, vti etiam fatentur contrariam sequentes opinionem Fel. in d. c. significasti in fin. & alij notati apud Io. Lupum, vocatum Doct. Palatios Robeos in repet. c. per nostras de donat. inter. vir. & vxor. in 1. notab. vers. sed est pulchra dubitatio nu. 5. vers. sed communis opinio procedit de vrbanitate, hæc verò de rigore, vbi de Episcopo, & nu. 10. vers. vbi dicit ibi, ista est communis sententia, vbi de delegato Papæ, fol. 80. col. 3. & 4. sic vt vel primo ipso in limine appareat Sedem, & fundamentum constituendæ istius opinionis à Panormit. iactum, inferendo à Delegato ad Ordinarium Ecclesiasticum in aqua positum.

Sed licèt concedatur, illationem substineri, animaduertendum est Panormit. opinionem ab antiquis Doctoribus Innoc. Hostien. & alijs in contrariam partem allegatis, non probatam, & potiùs ab ipso Panor. insinuatione quadam deductam, & à nonnullis postea receptam.

Nam Doct. hac de re loquentes, & Panormit. sequuti sunt in eodem c. significasti de offic. deleg.

Felin. num. 4.

Capra paulò ante fin.

Beroins num. 32.

Afflict. in const. 1. nu. 7. in 1. lib. consti. sub Rubr. 9. de illicit. port. armo.

Ante istos etiam Palatios Rube. visus est dixisse in allegatione fol. 80. & seq.

Quàmuis autem addantur Gem. Anch. & alij in c. Dilecto, de senten. excom. in 6. tamen hoc non dicunt, sed tantùm clericis habentibus temporalem iurisdictionem, non licere per se, seu, vt loquuntur in propria persona arma, nisi defensionis gratia hortando sumere, vt ibi expræssim dicit Anchar. nu. 8. in 9. notab. & ideò isti Doct. potius innuunt contrarium, scilicèt defendendæ iurisdictionis causa per se posse etiam non ha- X ben-

res etiam laicos. Neque ex eo quòd aliqua iura dicant, debere laicos excommunicari, inferendum eſt non poſſe capi: imò id permiſſum reperiri. & ibidem ante eum Gemin. in quæſt. 5. verſ. ſed quæro, an Epiſcopus poſſit laicum &c. Et plenius multò Steph. Aufrer. in Clemen. 1. in 5. quæſt. prin. de offi. ordin. verſ. Dominicus in cap. prælleg.

Accedit etiam expreſſim quęſtionem noſtram decidens ille Aufrer. in tract. de poteſt. Eccleſ. ſuper laicis, & rebus eorum colum. 5. in caſu 24. verſ. Epiſcopus poteſt habere familiares, aut ſeruientes armatos, vbi Bald. in dict. l. nam ſalutem, & Oldrad. dict. conſ. 89. allegat, referens Panormit. opinionem libenter ſequi velle magiſtratus, ſeù (vt loquitur) Officiarios Regios, at opinionem, Bald. obſeruari, & caueri in illis concordatis.

Additur etiam, Bald. opinionem ſequens Guindiſalu. 12. vir. ordinis, quod ſacrum Rotæ Auditorium vocatur, in tract. de hæreticis in quæſt. 11. in fin. num. 17. dicens, Bald. hanc opinionem communi vſu receptam.

Adiungitur, eandem Bald. & Barb. probans opinionem Neuiz. in conſil. 83. Materiam ſalutæ guardiæ num. 7. verſ. quod contrarium &c.

Hanc eandem opinionem ſequitur, & probat expręſſim Marſ. in praxi crimi. in §. Pro complemento in prin. num. 5. verſ. item vſus.

Et Diaz in prax. Canon infrà citandus in cap. 114.

Neque verum eſt, Bald. ſibi eſſe contrarium, quaſi aliter dicentem in l. 1. C. de ſeruit. & aqua. num. 68. & 69. quia licèt alij non animaduerterint eo in loco, Bald. nihil hac de re, ſed tantùm quærendo an arma mouere Epiſcopi poſſint, dicit regulariter eos non poſſe, quaſi interdicto vſu armorum à principe, & in ſpiritualibus armari ſine cauſa non licere, ſubdens, armari tamen poſſe, quotiens ſine armis iuſtitia, ſeù (vt ipſe loquitur) ratio tuta eſſe non poſſit, ſic, vt Bald. non modò ſibi ipſi non diſſentiat, ſed inuò optimè conueniat, dicens armari poſſe Epiſcopos, vt tuta ſit iuſtitia, & non ſine cauſa, quæ non eſt quæſtio noſtra, ſed cum cauſa, pro tuenda iuriſdictione, & pro exequenda iuſtitia, ac iure Eccleſiaſtico defendendo, vt etiam probatur in Clem. vnic. de homicid. cum notatis etiam plenè à D. Soto in tract. de iuſt. & iur. num. 5. art. 8. quæſt. 1. præſertim paulò ante fin. verſ. ad tertium, ibi, poſtmodum. Et propriè licere Epiſcopis pro ſui Epiſcopatus iuriſdictione, & iure non ſolùm armis Eccleſiaſticis, ſed enſe, & alijs armis materialibus vti poſt Innoc. in cap. venerabilem, de ſenten. excommun. not. Angel. in l. vnic. C. ne quis in ſua cauſa num. 3. verſ. plus dico, ibi, & etiam armis corporalibus, & infrà etiam nonnulla alia allegabuntur.

Quò verò tertium quæſtionis caput aggrediar, antequam rationibus, & iuribus quoque noſtram ſenteutiam firmiorem eſſe oſtendam, breuiter referam argumenta eorum, qui contrariam fabricati ſunt opinionem.

Quæ porrò tria eſſe videntur, Primum, quia iure Pontificio cauetur, debere Epiſcopos brachium ſæculare implorare cap. adminiſtratores cap. princeps 23. quæſt. 5. præcipuè, quia vt ſæculares confugiunt ad Eccleſias pro ſpiritualibus, ità Prælatis conuenit ad ſeculares debere in temporalibus recurrere cap. cùm ad verum cap. ſi Imperator 96. diſt.

Secundum, quoniam officium Prælatorum, & ſæcularium principum non deberet ſe inuicem perturbare, l. conſulta diualia, C. de teſtamentis.

Tertium, quia vſus armorum prohibitus eſt Eccleſiaſticis cap. Clerici, de vit. & hon. Cler. nam eorum arma ſunt orationes, & lachrimæ cap. conuenior 23. quæſt. 8.

Addi poteſt, & 4. argum. Epiſcopi non poſſunt bellum per ſe mouere, vt tradunt omnes Innoc. & Hoſtien. in dicto cap. ſignificaſti, de offi. deleg. & cap. dilecto, de ſententia excomm. in 6. Belli autem ſpecies eſt captura, Ang. in l. qui reſtituere, ff. de rei vend. igitur Epiſcopi non poſſunt exercere capturam.

Poſſet etiam adijci illud ſpeciale dictum, videlicet inquiſitoribus hæreſis datur priuilegium habendi familiam armatam, Clemen. nolentes in fin. de hæreticis, ergò alijs Eccleſiaſticis ordinatijs denegatur, l. ius ſingulare, ff. de leg.

At certè, vt quartum quæſtionis caput perſequat, pro noſtra ſententia adſunt meliora iura, & rationes, quarum prima ſit illa, Bald. cui ego non video reſponderi rectè poſſe, videlicet ordinarij Prelati Epiſcopi habent imperium in ſua diœceſi, ergò poſſunt ſuos proprios miniſtros, & executores, at maramuè familiam, & vt vocant birruarios habere, & licèt Bald. non probet Epiſcopum habere imperium in ſua diœceſi, præter eumdem, Bald. ita dicentem Epiſcopos habere merum imperium in Authen. ea quæ, C. de Epiſcop. & Cler. num. 6. & Firman. in tract. de Epiſ. in cap. 1. quod incipit, Videamus tertio loco de poteſtate, & auctoritate Epiſcopi circa 1. verſ. ſecundò quæro, vtrum Epiſcopus poſſit, in 3. parte lib. 4. notauit Gemin. in cap. cùm Epiſcopus, de offi. ordin. in 6. Ioann. Anan. in cap. 2. de adulter. & in cap. qualiter, 2. §. Ad corrigendos col. 3. de accuſat. probat tex. in cap. contra Idolorum c. propè vias 26. quęſt. 5. & in cap. attendendum 17. quæſt. 4. & in c. 1. de hære. in 6. ibi, cauere, vel muro recluſi, & in Clement. 1. ibi, ducto caueri, eodem tit. de hæret.

Hanc verò conſequentiam, ſcilicet habet merum imperium, ergo habere poteſt propriam familiam armatam, concludere ſatis probat tex. in l. illicitas, §. Qui vniuerſas, vbi Odofred. & Albet. ff. de offi. Præſid.

Ac propriè quidem dicens, Epiſcopum habere imperium in ſua diœceſi, probat gloſ. in verb. quia alibi, 2. quæſt. 7. ideòque poſſe omnes initia ipſam diœceſim delinquentes punire, not. Hoſtien. in cap. cùm contingat, in princ. verſ. Epiſcopus autem habet forum, ſiue territorium per totam diœceſim, & ideò omnes delinquentes intra ipſam punire poteſt, extra de for. compet.

Et ſatis etiam oſtendit Guid. Papa dict. deciſ. 437. num. 6. ibi; Vel Prælatus, qui habet merum imperium, & non in cap. 1. de offi. ordin. vbi traditur, Epiſcopos in ſuis diœceſibus iuriſdictionem liberam, & quę ſunt

 meri

meri imperij habere, & posse ex officio procedere super criminibus, & in facinorosos homines etiam laicos animaduertere, & vbi res exigit, non semper autem coactum inuocare brachium sæculare, & necessitate exigente sæcularem requisitum posse compelli ad dandum auxilium,vt etiam not. Innoc.& alij in cap.venerabili de censib.Brixiens.in repert. in verb. Episcopus in tota diæcesi, ibi, habet etiam merum imperium, sicut etiam si Episcopus possit aqua, & igni interdicere, seu vt loquimur, excommunicare, non tamen propterea negatur,quin possit etiam auctoritate propria capere: quia in criminibus Ecclesiasticis, putà hæresis, sacrilegij, stupri, & similibus,licèt possit excommunicare, tamen potest etiam capere, & capit laicos, vt etiam erudite probat Stephan. Aufrer.in dict.Clem. 1. col.33.in eadem quæst.5. vers. item habemus textum, & vers. Nec videtur bona responsio, de offi. Ordin.

Addenda est alia ratio: Episcopus habet iurisdictionem fustigandi, & torquendi per proprios Ecclesiæ ministros cap. Nemini 49. distin. cap. in Archiepiscopatu, cap.cùm voluntate extra de senten. excomm. cap. his, & cap. protestatur & cap. illo qui 5. quæst.5. vbi post Hugon. not. Cardin.Turrecrem.n.3. & probat etiam Bernard. Diaz in prax. crim. caus. in verb. verberati, in cap.723. pœnæ verberum * vers. sed debet per ministrum Ecclesiæ, & num.6. vers. sed aduerte, quòd Iudex Ecclesiasticus habet iurisdictionem fustigandi, & verberandi, & sententiam suam super his potest mandare executioni.

Atque, certè carceres habere, & in eos conijcere reos, posse Episcopos, dixit tex.in cap. cùm Episcopus de offi. Ordin. cap. nouimus de verb.sign. Clem.1.de hæret.ibi.capi seu arrestari, quod sanè canonis caput non loquitur solùm de casu speciali, not. Dec. in cap. significasti de offi. Deleg. num. 8. vers. Non obstat Clem.

Quod etiam ostenditur ex illo D.Thomæ secunda secundæ quæst. 40. art. 2. dicentis, omnis potentia,vel ars,veluti virtus,ad quam pertinet finis, habet disponere de ijs, quæ sunt ad finem; at quos vocant birruarios, ac sattellites pro iustitiæ executione;vt ad finem, videlicet ad bonum spirituale diuinum referendos iu populo fidei certum est, & de bellis dicit D.Thom. ergò ad Ecclesiam pertinet dispositio, quæ vocatur auctoritariua gladia materialis aduersus delinquentes, & notat etiam Cardin. Turrecrem. in cap. cùm sit verum 96. distin. col.6.vers.quod autem huiusmodi gladio.

Atque ideircò non iniuria dixere nostri, Episcopos posse familiam habere armatam, quia constat eos capere, & in proprios carceres conijcere delinquentes posse, ex illa ratione, quam innuit tex. in l. 2. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. & cap. præterea, de offi. deleg. videlicet, cui concessum est aliquid, censentur concessa omnia, sine quibus explicari commodè illud non potest, cui sanè rationi non rectè respondet Beto.in cap. significasti num.34. non procedere,si excedat fines iurisdictionis ille, cui est mandata iurisdictio, & ideò spiritualibus debere armis esse contentos Episcopos, cum sint distinctæ potestates dict. cap. cum ad verum. Nam certè non transeunt Episcopi iurisdictionis fines,vtendo armata propria familia, cum hoc faciant Ecclesiæ dispositione, & iure proprio, vt suprà ostendi.

Accedat etiam ratio à minori ad maius, ex vulg. Authent. multò magis, C. de sacro, Eccles. hunc in modum concepta, videlicet, Magistratus sæcularis, qui potestas dicitur, potest familiam habere armatam, vt omnes fatentur, & notorium est, ergo Episcopus potest, consequentiam habere vim, patet, quia maior est Episcopus magistratu, qui dicitur potestas, glos. in verb. sententiam in l. ex causa, ff. de postul. Bald. in Margar. in verb. Episcopus num.1. Bald. dict. cons.276. Nulla dubitatio.

Præterea nostræ sententiæ Innoc. atque adeò etiam Felin. subscriptores adduci possunt, fortissimum huius rei argumentum afferentes, Innoc. enim in cap.cum nostris n.3. col. penul. vers. si autem talia sunt incorporalia, vbi aliquid corporale, attingit, vt in præben. ibi, per officialem expelletur, de conces. præben. ait, Iudicem, qui suam sententiam exequi possit, posse executori per violentiam committere, & Innoc. refert, & sequitur Felin. in cap. de cætero de senten. & re iudic. col.2. in fin. num.8. vers. executor, ibi, & sic limitatur, & ibi, sed benè Ordinarium, dicendo, executorem, vel delegatum Papæ, vel principis non exequi per violentiam, sed benè Ordinarius, & generaliter eum, qui potest suam exequi sententiam, posse etiam cum violentia exequi, & violentiam executori committere.

Imò in eodem cap. de cętero, idem fatetur Panorm. in col. 3. vers. secundo membro principali, vbi quòd quandoque executio committitur alicui in defectum iurisdictionis, & ibi idem videtur, quando inferior tulit sententiam putà Archidiaconus in iurisdictione sua recurrit ad Episcopum, tanquam superiorem, affirmat, non habentem iurisdictionem exequendi sententiam suam, recurrere ad Episcopum pro executione, & pro iurisdictione maiori, & ideò illi etiam Doct. concedant oportet, Episcopum habere familiam posse armatam, ex quo concedunt eum posse exequi, imò ad ipsum pro executione, maiorique iurisdictione ab alijs inferioribus ordinarijs recurri: ità vt Panormitani opinionem secuti, suis ipsorum rationibus conuicti intelligantur.

Pręterea omissis de industria alijs rationibus, instar omnium satis esset sic decretum inueniri in Concil. Trident. sess. 25. cap.3. vers. per suos proprios, vel alienos executores, cuius decreti auctoritas cęteris præcellit præsertim, quoniam ita quoque Sanctorum, ac piorum hominum sacrę Theologię professorum testimonio cautum reperitur,videlicet sancti Bonauenturæ, & aliorum in p. 4. dist.37. dicentium, Ecclesiam vtrumque habere gladium, quod sanè negantes, hæreticos esse liquet cap. violatores 25. quæst. 1. extrauag. Bonif.VIII. Vnam sanctam de maior. obed. inter extrauag. communes, & alibi ego fusius demonstraui.

Ne quis autem nunc possit tergiuersari, gladium illum materialem proprium esse Eccle-

Ecclesiæ, ipsaque Ecclesia disponente, & iubente, quatenus opus sit, illi volenti præstandnm, monebo interim, vt si quis fortasse sit, qui etiam num dubitet, verissimum illud, atque amplissimum testimonium spectet Servatoris nostri Christi apud Ioann. cap. 18. D. Petro Vicario suo, eiusque successoribus dictum: Conuerte gladium tuum in vagina, & affirmantibus Apostolis, ecce hic gladij duo, eiusdem responsum, satis, vt consideratt Beatus ille contemplator Bernard. ad Eugen. Quartum, notars vtrumque esse gladium Ecclesiæ, propriumque alterum, scilicet spirituale ab Ecclesia per se ipsam: alteram pro Ecclesia manu militis exercendum Ecclesiæ nutu, & patientia, vt etiam traditur in extrauag. Bonifacij VIII. Vnam Sanctam, §. In hac, eiusque potestare duos &c.

Qui planè nutus, & patientia non simplicem cohortationem, & permissionem, sed dispositionem, imperiumque, & arbitrium liberum Ecclesiæ significat: ita vt materialis etiam gladij dispositio sit Ecclesiæ, vt not. Turrecremat. in d. cap. cùm ad verum col. 6. num. 4. vers. nutus verò dicitur, non tantùm exhortatio, sed etiam dispositio 96. dist.

Non est autem mittendum illud maximè absurdum, quod, negando Ecclesiæ familiam armatam, omninò consequeretur, videlicet inutile esse spiritualem Episcoporum potestatem: si enim oporteret Episcopum requirere magistratum sæcularem loci, vt ipse magistratus capiendos delinquentes curaret, facilè posset magistratus, vel causam prætexere, vel interim delinquentes aufugiendi occasionem præbere, eoque delicta, delusa Episcoporum iurisdictione, remanerent impunita, contra tex. in l. licitatio §. quòd illicitè ff. de publican. & vectig. & in l. ita vulneratus ff. ad l. Aquil. l. si à reo §. fin. ff. de fideiuss.

Idque multò magis locum haberet in ijs locis, vbi vsu receptum esset, Episcopis, aut Archiepiscopis licere apparitores proprios habere: tunc enim nullus esset controuersiæ locus, cum hac præsertim in re consuetudini stari oporteat, vt post Bal. in d. c. significasti vbi alij de off. deleg. not. Feli. propè fin. n. 5. & summ. Tabien. in d. verb. delegare in eod. num. seu §. 10. in d. ver. vtrum delegatus, ibi, sed Rector scholarium.

Qua tamen consuetudine circumscripta, non esset negandnm Ecclesiasticum Prælatum posse familiam habere armatam, vti paulò ante pluribus ostendi rationibus.

Quibus etiam potest addi illa postrema expressa in clem. nolentes §. porrò propè fin. de hæret. vbi cauetur officium Sanctissimæ inquisitionis contra hæreticos armorū vsum, & apparitores armatos habere: quo quidem tex. nedum non prohibitum armorum exercitium, sed permissum esse, liquidò constat: & licèt is tex. loquatur de inquisitoribus, tamen meritò etiam de Episcopis, & Archiepiscopis loqui censetur: tum quia ad eos inquisitionis contra hæreticos omnes etiam immunes, & vt dicitur exemptos officium iure communi spectat. cap. ad abolendam. in fin. extra de hæret. & cap. vergentis, & cap. inquisitionis §. prohibemus, eodem tit. in 6. & arguunt etiam Doct. præsertim Cardin. Zabarel. in d. clem. nolentes §. porrò propè fin. vers. spectat autem hoc casu ad Ecclesiasticum Iudicem, sicut & crimen hæresis: & ibidem Ancharan. etiam in fin. vers. cùm enim extirpare hæreses.

Tum etiam, quia in omni casu nedum hæresis posse Archiepiscopos, seu Episcopos eorum baiulis, quos vocant, de armis gerendis, & iustitia exequenda in criminosos in locis subditis præcipere, not. Vital. in dicta clem. nolentes num. 124. in fin. vers. & inducunt familiares, & num. seq. arguendo ab Inquisitoribus ad Episcopos generaliter, & propriè de Episcopis, non autem specialiter de Inquisitoribus hæresis. nor. Dec. in d. cap. significasti in fin. vers. non obst. quòd sit speciale de offic. deleg.

Quinta, & vltima pars quæstionis.

Ex his autem, vt postremam quæstionis partem absoluam, facilè patet in contrariam partem adducta, videri omninò confutata; quæ, vt sigillatim diluta etiam appareat, illud singulis respondetur. Primò videlicet, quòd de iure Pontificio dicitur cæteri Episcopos debere brachium sæculare inuocare, præter supradicta tollitur à Dec. in dicto cap. significasti. paulò ante finem. vers. non obstant alia in contrarium allegata, diluente; quia non valet argumentum, potest inuocare brachium sæculare, ergo non potest habere familiam armatam: cùm inquisitores possint inuocare, & habeant, & tamen brachium inuocent. Vel vt respondet post Gemin. Io. Vanquel. in suo breuiario iuris canonici in eo. cap. cùm Episcopus in fine vers. nec obstet, de off. Ordin. lib. 6. Vel quia non est verum debere inuocare ipsum Episcopum, sed posse, vbi aliter per se ipsum facere non posset. Oldrad. in cons. 89. in fin. & ideò cùm constet Episcopos habere vtrumque gladium, prius vtroque gladio debet vti, quàm inuocare brachium sæculare, & ita respondet etiam Barb. in d. cap. cùm non ab homine, num. 39. vers. sed pro certo retorquendo argumentum, non inuocabit Ordinarius Ecclesiasticus brachium sæculare, cùm ipse fecerit quicquid potuit tam in personam, quàm in res, ita, vt nihil amplius facere possit, vt etiam not. Martin. de Fano in tract. de brach. sæcul. num. 22. vers. vnum &c. & D. Ant. Mass. Gallesi. in d. libro in cameral. obligat. loco supra citato, fol. 189. cum non sit alius quærendus, vbi executio à seruientibus illi Iudici, qui protulit sententiam, fieri potest l. 1. C. de sportul. & ibi Doct. Rebuff. in tract. de præcon. licit. in prædicto art. 10. glo. 1. sciendum num. 2. vers. & sic hac præconia. Et certè nemo est, qui dicat, necesse esse etiam Episcopum inuocare, sed posse volentem, cùm per se non possit actum exequi, putà exigente rebellione subditorum, vt etiam dicit Abb. in cap. 1. de off. Ordin. col. 2. in vltim. notab. Felin. in cap. 1. colum. 5. vers. Aduerte. de sponsal. & propriè etiam non teneri Episcopum inuocare, sed volentem posse de rigore, licèt abstinentem de vrbanitate suprà monui notatam apud Doct. Palatios Rubeos d. fol. 180. in cap. per vestras, de donat. int. vir. & vxor.

Vel etiam responderi rectè potest, Delegatum prius requirere Ecclesiastici Ordinarij,

rij,

tij, quàm fæcularis auxilium, & si fortasse solùm non sufficeret Ecclesiasticum, tunc posse ad sæcularis auxilium confugere. Card. in clem. 1. qu. 10. de off. Deleg. & not. etiam Casalensis ille recentior doctus Rolan. à Vall. Senator Monrisferrati in conf. 37. Omisso multiloquio num.6. vol.1.

Illud simpliciter etiam respondendum est ex hoc, quod dicitur Delegatum implorare brachium sæculare, non propterea aliquam iurisdictionem posse, nec debere sæcularem Iudicem prætendere, vt ostendit etiam recentis iureconsultorum nationis Princeps Andr. Alcia. in cap. perniciosam num.17. de iudic. vbi hanc apud Doctores crebriorem esse opinionem notat.

Secundum argumentum, quia scilicet officia Prælatorum, & sæcularium Principum non debent inuicem perturbari, & impediri, d. l. consulta diualia. Tollitur, quoniam hic nulla perturbatio iurisdictionis cadit, Episcopi enim vtentur familia armata, pro exequenda iustitia contra delinquentes notatos criminibus ad cognitionem Ecclesiæ spectantibus, sæculares verò de criminibus ad eorum forum pertinentibus, quæ crimina sunt inuicem iuribus distincta, vt in cap. cùm sit generale, vbi Maria. Soc. maior, & alij de for. compet. & in cap. nouit. de iud. cum simil. plenè Aufrer. in d. tract. de potest. Ecclesiast. super laicis, in prin. & per plures col. & vbi est distinctio, non cadit confusio, quia alter alterius non impedit iurisdictionem, l. solemus in fin. vers. calumnia. ff. de iudic. & in terminis d. l. consulta diualia, non perturbari iurisdictionem in materia peccati, quia sæculares subsunt Ecclesiasticis ratione peccati, ibi Castren.

Imò verò si permitteretur sæcularibus tantum habere familiam armatam, vtique permixtio, confusio, & perturbatio iurisdictionis nasceretur, cùm sæculares duobus officijs suo proprio arbitrio vterentur: altero quidem in delictorum materia non reseruata Ecclesiæ exercentes, in carceres conijciendo, &c. quæ imperij meri sunt sibi suo veluti iure arrogando: altero autem etiam in materia reseruata Ecclesiæ se immiscentes: sic, vt vtriusque Iudicis executionem haberent: quod non est concedendum, l. vltim. ver. nec sit concessum cuique C. de assessor. quam legem allegat glo. in d. l. consulta diualia.

Et magna etiam euitanda illa est confusio, quæ oriretur: si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruaretur: si enim permitteretur non posse per apparitores proprios exercere Episcopos iurisdictionem, & imperij Episcopalis munus, & necessariò semper adire ad sæculares Magistratus oporteret eorum implorando auxilium, quid aliud esset, quàm per sæculares, quibus ordo Ecclesiasticus debet custodiri, Ecclesiasticam confundi iurisdictionem, contra text. in capit. peruenit 7. 1. quæst. 3.

Et propterea habere Prælati omnes, ac eorum Vicarij ad capiendos delinquentes sufficientem ministrum debent, cum familia competenti, cui semper necessaria tribuant, vt nor. etiam nostræ opinionis subscriptor allegatus Io. Bernard. Diaz in sua prax. crim. caus. in d. cap. 114. in verb. capit. quod est cap. vt clericus propter delicta num. 1. & 2. vbi in hæc verba is Author testatum reliquit, videlicet: Habeant insuper Prælati omnes, ac eorum Vicarij ad prædictas capturas faciendas fidelem, ac prudentem ministrum, cum competenti familia.

Et vel ex eo saltim, quòd si opus esset necessario semper laicum magistratum requirere (vt suprà dixi) Magistratus ipse recusaret, fortasse conniuentibus oculis ansam, & occasionem delinquentibus aufugiendi præberet, differendo reos quidem deprehendendos, & in carceres detrudendos curare, facilè induceretur fraus, atque illusione, dum confusio, monere enim reos capiendos interim posset, & ideò prouidendum huic absurdo erat, vt suam quisque Index proprium exerceret, & exequeretur iurisdictionem cautius, ac tutius si capi, priusquam citari procuret reos, ne illi fugiant, vt ait Salic. in l. absentem C. de accusat.

Maximè, quia Magistratus ciuilis; vt sæpè solet infectus clericali, posset requisitus recusando, & differendo dicere se velle causam, cur capi mandetur, cognoscere: vt Doct. de inuocatione brachij sæcularis in d. cap. significasti de off. deleg. not. & recurrendum esset ad excommunicationem, & idcircò per suos quisque executores debet posse exequi, arg. l. generaliter, C. de Decurio. lib. 10. & de debitore suspecto in l. ait Prætor. §. si debitorem ff. quæ in fraud. credit. & facile diceretur sæcularis se habere iustam causam recusandi, ad Bald. in consil. 98. Casus, vol. 3. & Regij præsertim ipsi Imperium, ac iurisdictionem Ecclesiæ vsurparent, & vt dicitur, caperent temporalitatem spectantem ad Iudicem Ecclesiasticum sua manu Regia, donec faceret Ecclesiasticus, quæ mandent sæculares, vt in Regno Franciæ etiam quandoque factum not. Rebuff. in tract. de liter. requisit. seu rogat. in glos. 3. Habes hic practicam n. 8. vbi etiam in n. 3. & 70. de repet. iu. & de pretext. iust. cau. contradicen.

Tertium argumentum, vsum videlicet armorum prohibitum esse clericis, satis superque suprà est sublatum: quia non simpliciter clericis est prohibitus armorum vsus, sed imò pro eorum, & Ecclesiæ iurisdictionis defensione, & exequutione concessus, & permissus est, præsertim per alium exercendum, vt in d. cap. dilecto. de sent. excomm. & de Episcopo per alium, nedum in carcares mancipante, & capiente, & torquente, sed etiam verberante, aut percutiente, tanquàm habente iurisdictionem, & authoritatem; & ideò potiùs correctore, quàm percussore vocando, tanquàm non ad læsionem proximi, nec ad vindictam, sed ad executionem Iustitiæ faciente, not. Alexandri. in gl. fum. 45. distin. vers. in eo autem, quod dixit glos. quòd Episcopus debet clericum verberare per alium, est verum, quando habet alium, & vers. & hoc non est contra, non ergo prohibetur corrigere peccantes, & col. seq. vers. vbi dicitur, quòd Episcopus potest capere, & caueri deputare: & capiendi, & carcerandi potestatem propriam esse Episcoporum: probat tex. in cap. in memoriam 19. dist. vers. penès Episcopum sit potestas, vtrùm eum in carcerem, aut in aliam eum detrudat custodiam.

Et

Et ratione adminiſtrationis permiſſum clericis vſum armorum: vt notat Vital. in clemen. ne in agro §. quia verò nonnulli verſ. aduerte tamen: ibi, ſecus ſi poſſent ratione ſuarum adminiſtrationum, tunc poſſunt arma tenere, de ſtat. monach.

Quartum argumentum eſt ſuprà ſublatum: quia, vt eſt dictum, licèt regulariter loquendo clerici, per ſe non poſſint moueri arma, tamen poſſunt ad ſuam defenſionem, vel hortando: & generaliter in executione iuſtitiæ non reperiuntur prohibiti, imò expreſſim conceſſum eis videtur cap. vlt. 36. diſt. glo. vlt. in cap. vlt. in fin. in d. c. dilecto de ſent. excomm. cui non rectè reſpondit D. Beto. iu d. c. ſignificaſti, in fin. dicendo intelligi de Iudice temporali, non de Iudice Eccleſiaſtico per d. cap. cum ad verum 96. diſt. quia ille text. (vt ſuprà dixi) loquitur de vtroque gladio: & quòd diſpoſitio materialis etiam gladij pertineat ad Eccleſiam, vt per Turrecrem. in eod. cap. cùm ad verum col. 6. cum ſupracitatis.

Nec Angel. in l. qui reſtituere ff. de rei vendic. dicit capturam ſpeciem eſſe belli, ſed imò contrarium, ſcilicèt executionem, quæ fit manu militari poſſe appellari bellum, & non congruere, niſi ordinario habenti imperium, ſecundum Innoc. in cap. tuæ, vt lite non conteſt. & hanc manum militarem non ſolùm in temporalibus exerceri, ſed etiam in ſpiritualibus per cap. 1. de dol. & contum. & Spec. in tit. de libel. §. nunc dicendum verſ. 23. & in d. l. qui reſtituere in prin. ver. in tex. ibi, manu militari eijci. cap. illud, cap. tuæ: quod ſanè conſtitutionis caput ab Innoc. III. ſcriptum eſt Epiſcopo Brixien. & ideò cum dicat in eo tex. non ſolùm per cenſuram Eccleſiaſticam contumacem compellendum, ſed etiam manu militari eijci poſſe, neceſſariò intelligendum eſt, quòd loquatur de Epiſcopo, iuxta tex. illius terminos, vt etiam ante Innocen. not. gloſ. ibi in verb. inducen. paulò ante fin. verſ. quia manu militari eijci poteſt.

Et ita Angel. loquutum, & ſic intelligendum facilè eſt etiam dignoſcere ex Fel. in cap. de cætero col. 2. num. 8. verſ. exequutor, de ſent. & re iudic. dicente executionem manu militari competere ſoli ordinario habenti merum imperium: & ita limitandum dictum Innoc. & Panor. & ideò conſtat, Epiſcopum poſſe manu militari, propriaque vti familia: cùm liqueat (vt ſuprà dixi) ordinarium eſſe, & imperium in ſua diœceſi habere.

Vltimum verò illud argumentum à ſpeciali ductum, iam eſt omninò in poſtrema noſtræ opinionis ratione ſublatum.

Quas ob res putarem concludendum licere Patriarchis, & Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quibus etiam temporale deſit dominium, ſuam propriam poſſe familiam armatam habere: & noſtram hanc ſententiam eſſe eò magis amplectendam, quòd tot ſapientiſſimorum hominum, qui in ſacram œcumenicam, & generalem Tridentinam Synodum conuenere, & Diuini Spiritus afflati inſtinctu, non humano iudicio ſunt moti, decreto confirmatam in eod. cap. 3. de reform. ſeſſ. 25. ſatis liquet, familiamque competentem debere delinquentes capiendi cauſa, nedum poſſe Epiſcopos habere, his præſertim temporibus notat, & monet, vt ſignificauit Diaz in ea praxi crim. canon. d. cap. 114. & Baldum tot grauiſſimos habere ſibi conſentientes auctores, & rationes conſtat, niſi omninò velimus cum paucioribus, illiſque imprudentibus potius errare, quàm cum pluribus, ac ſapientioribus benè ſentire: iam planè agnoſcentes verius eſſe, ac receptius dictum ordinarijs Prælatis Eccleſiaſticis, quibus iuriſdictio competat, etiam proprio vtrique foro conuenienti territorio, & vt dicitur, temporali dominio carentibus, liberam eſſe poteſtatem proprios apparitores, atque viatores, lictoreſque, & , vt dicitur, executores, armatamque familiam paratam, ac promptam ſibi ſemper futuram, habendi (vt dixi) ſic receptum multis partibus plures, & grauiores, atque adeò etiam Gundiſal. Hiſpa. ſapientiſſimi illius 12. vir. (quos Rotæ Auditores vocant) ordinis hominem doctum, & eruditum, in eo tract. de hæreticis quæſt. 11. teſtatum reliquiſſe, ac porrò ſic omninò ſtatuendum, fortiſſimis quoque rei ipſius argumentis, & rationibus demonſtratum iam eſſe, ſic vt negari à bonis amplius non poſſit.

Nam porrò, ſi cætera huius rei fortiſſima argumenta vix poſſe veritatem ipſam demonſtrare valdè obſtinatis, ac litigioſis videntur, vel hoc vnum credo illis facilè à concertationibus in diſputando pertinacibus diſcedendi, & infenſam belli aſſiduo alendi cupiditatem, ac peruicaciam deſerendi viam præbebit, atque adeò iuris, pudoris, atque officij ripagula, quæ perfungere, aut conuellere amplius non liceat, firmabit. Notiſſimum ſanè eſt iuris ciuilis principium, Pontificio quoque iure comprobatum, puerorum ſæpè ore ſolitum decantare ſemper debet: Cui quod plus eſt licet, quod minus eſt etiam licere l. non debet, cui quod plus ff. de regul. iur. cap. cui licet, quod plus eod. tit. lib. 6. vbi Dy. Io. And. & alij: Epiſcopis autem, aut ſimilibus Eccleſiaſticis Iudicibus, licèt quod plus eſt, quàm apparitores, ſeu, vt vocant, birruarios, familiamuè armatam, proptiosque carceres habere: quoniam ijs quidem Eccleſiaſticis Iudicibus, licet cogere ſæculares omnes Iudices, vt comprehenſos, quoſque iniuſtè, & in vinculis deuinctos, publicaque cuſtodia incluſos, emittant: quod non modò è noſtris Pontificij iuris apprimè periti, ac ſtudioſi, plures notarunt, ſcilicèt Innoc. & plenius Hoſtien. ac Io. And. in cap. expoſita extra de arbitris: ſed etiam ciuilis ſcientiæ facultate admodum eruditus, & ſæcularibus, ac præſertim Regibus maximè cupiens, ſæpè ſauens Lucas Penna in l. nemo carcerem, colpen. ſub num. 16. verſ. illud autem nota, quòd ad Iudicem Eccleſiaſticum &c. C. de exact. trib. lib. 10. Igitur debet etiam licere id, quod minus eſt, videlicèt apparitores, quos birruarios vocant, familiamuè armatam, proprioſque carceres habere.

Plus verò eſſe comprehenſos, & in carcerem miſſos, iniuſtèque detentos emittendi, ac liberandi ſæcularibus Iudicibus neceſſitatem afferre, & poſſe reos ſuæ ipſorum ditioni ſubiectos propria manu, ac familia comprehendi, & in proprios carceres conijci iubere, planum quidem eſt: quia non ſolùm plus eſt in alienam (vt dicitur) meſſem, apponere fal-

alcem. Deut. cap. 23. cap. scriptum, 6. q. 3. & not. in cap. venerabilem, de elect. vbi etiam citantur similia, sed indè etiam deducitur, quòd plane ostendit.

Hunc autem cogendi sæculares Iudices ad liberandos iniuria deprehensos, & in carcere deuinctos, longè maiorem esse, quàm proprios habere ministros, scilicèt quia latius patet officium Iudicis in absoluendo, seu absolui iubendo, quàm in condemnando cap. veniens: vbi Io. Aud. & Ant. Butr. de accus. l. quotiens C. vbi Senat. vel Claris. vbi Bald. & not. in l. qui condemnare ff. de re iudic. & in l. nemo, qui condemnare: vbi post alios Decius ff. de regul. iur. sed etiam quia cogendi sæculares Iudices ad liberandum quoscunque iniustè in publica custodia conclusos, est cum maiori imperio, cogere enim sine imperio nemo potest l. imperium ff. de iurisdict. omn. iud. l. vlt. ff. de off. eius in fin.

Ac planè si possunt Ecclesiastici Iudices cogere sæculares Iudices ad emittendum, liberandumque in carcerem coniectos, vtique, vel ministros manu, vel actione ciuilius faciendo per interdictum remittendo ad eorum Ordinarios l. placet 5. necessariò prætor adiecit, vt qui per dolum ff. de ventr. no. mul. in poss. missa, authen. vt differen. Iudic. §. si verò à Sanctissimo Archiepiscopo: ibi, & coactus à Sanctissimo Archiepiscopo non iudicauerit, sed non poterunt propria Iudicum sæcularium potestate, aut ministrorum manu, nec per interdictum ad se ipsos remittendo, quia nemo contra se ipsum ius dicet, nec inuitus patebit, nisi ab alijs maioribus compellatur Iudicibus l. qui iurisdictioni ff. de iurisdictione omnium Iudicum l. vna C. ne quis in sua caus. iudicet.

CAPVT IX.

De Romanæ Ecclesia, vsque ad sæculi consummationem, iure diuino iurisdictione, imperioque conseruando, & tributa Petro, ac successoribus potestate defendenda.

Consequens autem est huic sermoni, in quem iam incidit, & traducta, conuersaque nostra est oratio, demonstrare originem, atque authoritatem, ac dignitatem Pontificiæ Rom. Sedis, quò tantò magis vera esse nostra credatur sententia, Rom. scilicèt Pontificem solum, & non alium, quàm ipsum, seu eius Delegatum posse maiores, & alias Episcoporum causas capitales statuere, eiusque Sanctæ Sedis summa authoritate Patriarchis, & Archiepiscopis, atque Episcopis etiam ditione, & imperio, quod dicitur temporale carentibus liberum, ac solutum, esse familiam, quæ vocatur armata, proprijsque apparitores habere, nonnulla etiam admodum necessaria referre: illa quidem omnia, quæ ad huius ipsius sacræ Sedis maiestatem ostendendam maximè pertinent: ego verò interim prætermittam, quæ reperiuntur notata in varijs locis apud Sanctos, piosque scriptores, qui iustos etiam libros, De Potestate Papæ, seu primatu Petri, siue primatu Rom. Ecclesiæ, siue de authoritate Papæ, & Concilij, siue de Ecclesia, & eius authoritate, siue de primatu Sedis Apostolicæ, & Petri, inscriptos, edidere: præsertim recentiores Cataldinus Boncompagnus, Thomas de Vio Gaietan. Cardinalis tit. Sancti Sixti, Ioannes Echius, Thomas Campegius, Christophorus Marcellus Venetus, Io. Hieronymus Albanus, Franciscus Turrensis, Petrus Paludes, F. Andreas Banria, & alij plerique, ac potrò enitar, quo potero breuius primum ostendere Ecclesiam Rom. Diuino iure cæteris omnibus imperare, deinde Petrum ipsum Apostolorum Principis potestatem à Christo Iesu recepisse, huncque ipsum Dominatum, ac primas partes, non modò pro se, sed etiam pro cæteris vsque ad sæculi consummationem futuris successoribus consecutum, ac Romæ Ecclesiam fundatam à Petro, & Paulo, Petrumque hic cathedram 25. annis tenuisse, eamque decentem, & Christo ipsi maximè acceptam esse, ea certè hic quoque persecuturus, quæ & vsui, & delectationi esse possint, aliàs licèt ab ipso Pio IV. Pontifice maximo iussus, nonnulla huc spectant, ita scripserim, quo sanè tempore ego quidem summa ope sū enixus in schismaticorum obstinatorumque, & pertinacium hominum, mortales alios, plerosque in fraudem sæpe inducentium, veræque, & Catholicæ Religioni contrarias sententias sequentium, animis inueteratam opinionem euellere, piamque, & integram inserere, atque adeò demonstrare ad Ecclesiæ vnitatem conseruandam, maximè necessarium esse vni omnes assentiri, atque obedire Apostolicæ, scilicet Rom. Ecclesiæ, illius quidem acerrimum hac etiam in re defensorem me præbens, quippè qui non queo, nec habeo perferre, quos perfractis veluti repagulis audio adhuc obloqui, & obstrepere; minimèque veritos asseuerare, etiam si concederetur particulares Ecclesias omnes vni debere concordes, ac subditas esse, & schismaticos habendos, qui minimè ex successionis ordine Episcopalem gradum conferente, se ipsos propria (vt dicitur) authoritate constituunt Episcopos: consequentiam tamen non trahi, nec necessariam duci conclusionem, cathedram scilicèt Petri, in qua huc vsque successionis ordine sedent Rom. Pontifices, cathedris illis potestate superiorem, aut præferendam esse. Quin facilius videri illis posse probari, omnes Apostolos fuisse potestate pares, & à Christo remittendi, retinendique peccata, potestatem parem, & æqualem prædicandi salutis Euangelium facultatem redepisse Io. 20. Nam Christus (aiunt) æqualiter omnibus dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c. Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris &c. & quæcunque ligaueritis super terram, &c. Matth. 16. Quapropter pertinaciter affirmantes existimant quemlibet Episcopum Iure Diuino in sua diœcesi supremum esse, vnum alio potestate superiorem, quasi singulis quibusque potestatem Christus dederit in mundum vniuersum, vt satis intelligeretur factum illius prophetiæ. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram, &c.

&c. pſal. 44. Addentes miſeri iſti homines, quem nunc gradatim in Eccleſiam videmus ordinem hierarchicum, tunc ex humana politica profectum eſſe, vſurpantes etiam, ſic Cypriano viſum quoque narrauti, Chriſtum Apoſtolis omnibus parem dediſſe poteſtatem illis verbis. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, &c.

Ex his igitur, ac ſimilibus ſcripturæ locis ij ipſi veritatis hoſtes, quorum ſanè conſilijs nihil eſt diſolutius, nihil perditius, nihil perditiùs, nihil omninò fœdius, maledicendi occaſionem arripuere, dicentes; inter Presbyteros, Paſtores, atque Epiſcopos nullum eſſe alio poteſtate ſuperiorem. Adijcientes etiam, vel (vt verius dicam) detorquentes prætereà alia verba eiuſdem Cypriani, de quibus 24. quæſt. 5. cap. loquitur ſicque legentes, aut potius inuertentes, videlicèt, vt vnus eſt Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, ita Epiſcopatum quoque, ideſt dignitatem, & poteſtatem Epiſcopalem, vnum, ac indiuiſum penès ſingulos Epiſcopos inſolidum eſſe oportere, &c. Indè arguentes, ſub vno ſummo Epiſcopo Chriſto vnico capite, & ſponſo vnicæ Eccleſiæ poteſtatem eſſe inſolidùm penès quenque Epiſcopum.

Quibus ſanè diabolico potius, quàm Diuino ſpiritu interpretatis locis, in vniuerſum eſt in primis reſpondendum; quàmuis omnes Apoſtoli parem cum Petro à ſuſcitato Chriſto poteſtatem docendi Euangelium, æqualemque baptixandi, ac remittendi peccata facultatem acceperint: Ioan. 20. Ipſum tamen Chriſtum poſteà Ioan. 21. Cœlum breui petiturum, vt Eccleſiæ, ad quam omninò animo intendebat, ac perfecit, vnitatem commoſtraret, atque etiam (quod Hieronymus inquit) omnis ſchiſmaticis tolleret occaſionem, Petrum vniuerſali Eccleſia præpoſuit, volens, vt alij poteſtate quidem ſibi tradita vterentur, ſed veluti membra corporis eius in totius Eccleſiaſticæ germanitatis coniunctione, ſeu, vt alij loquuntur, fraternitatis vnione permanerent; nec ſcinderent vnitatem; quia, vt oues, & filij ſub cathedra Petri Chriſto miniſtrarent.

Porrò dum dixit, ſicut miſit me pater, ita ego mitto vos, &c. nondum creauerat totius Eccleſiæ Prælatum Petrum, nec ei præ ceteris amplius quicquam præſtiterat, ſed cum poſt reſurrectionis octauam Dominus ad mare Tiberiadis Petro, & alijs quibuſdam diſcipulis apparuit, illique tertiò ſingulariter dixit, Petre amas me. Paſces oues meas. Tunc certè primum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem conſtituit, & alijs Prælatum Apoſtolis Petrum ipſum voluit, ac præfecit. Ioan. 21. Tuncque claues illi Dominus re ipſa contulit, ac exibuit, quas prius quàm pateretur, Math. 16. dicens, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, fuerat pollicitus, quibus certè animaduerſis facilè eſt dignoſcere, Chriſtum prius quidem ſingulis quibuſque Apoſtolis parem dediſſe poteſtatem d. cap. 20. Ioan. Deinde Petrum alijs prætuliſſe d. cap. 21. eiuſdem Ioann. vt omnis ſchiſmatis, ac diuiſionis occaſio tolleretur, & propterea patres omnes ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis intellexiſse, & etiamnum bonos quoſque rectè affirmare, Petrum ſuper omnes Chriſti imperium quoque, ac prærogatiuam, & (vt dicitur) ſuperintendentiam accepiſse, & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſse, cathedramque Petri vt matrem, & vniuerſalis Eccleſiæ caput præ cæteris venerandam: quod paulò poſt oſtendemus quàmplurimis ſcripturæ locis, ex quibus dilucidius etiam apparebit, Patres ſemper ita ſenſiſse, Petrum ſcilicèt vniuerſali Eccleſiæ præpoſitum Epiſcopum, atque alijs omnibus, ipſiſque etiam Apoſtolis Prælatum.

Neque vèrò moueri quis debet ex eo decurpato ab impijs loco Cypriani, de quo in d. c. loquitur, quia non ità ſanè legendum ibi eſt, vt perditis ijs hominibus viſum eſt, ſed hunc planè in modum, vt emendata habet lectio, & vulgari etiam quicunque Codices: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, quam vnitatem firmiter tenere, & iudicare debemus, maximè nos Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum ipſum vnum, & indiuiſum probemus. Nemo fraternitate mendacio fallat. nemo fidei veritatem perfidia præuaricatione corrumpat, Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis inſolidum pars tenetur. Sic dicit Cyprianus, vel vt Gratianus poſuit, cuius ſingularis inſolidum, &c. Ex hoc igitur rectè, & ſincerè accepto Cypriani dicto, patet non eſſe inſolidum apud omnes Epiſcopos poteſtatem, ſed pro parte tantùm, quod certè vel ex illa communi noſtra regula patet; Duos inſolidum dominos eſſe non poſſe l. ſi vt certo §. duobus vehiculum ff. commod.

Sed agite, excutiamus quoque illud Ioan. c. 1. dictum, ex quo etiam agnoſcimus, Ieſum Simoni dixiſſe: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, Cephas n. vox eſt Hebraica Syriacè pronunciata, cuius radix eſt. Vndè petram ſignificat. & in petris aſcenderunt, Tergum pro Hebraico, quod eſt petra; habet. Eſt autem maſculini generis, vt patet ex ſingulari numero, & terminatione, quadrat, igitur Petrus Latinis Maſculinum eiuſdem ſignificationis, quod Cephas etiam maſculinum, & certè Cephas ſaxum quoddam ingens, ingentem petram, rupem, aut ſcopulum ſignificat, immenſo alicui ferendo ædificio idoneum, vt elicitur: etiam ex Ioſepho in Hieroſolymitano bello, dicente, ſcopuloſum quendam collem, vndè Hieroſolyma liberè conſpicua grauetur, ab obſidentibus Romanis vrgebatur, Cæpham fuiſſe nuncupatum. Addit autem Chriſtus, ſuper hanc petram ſe ædificaturum ſuam Eccleſiam, aduerſus quam Inferorum portæ præualituræ non eſſent. Ex hac itaque nominis mutatione, ſic rationem in eo; Omnis à Deo facta nominis mutatio, ex aliqua ſpeciali gratia eſt, nouo indito conſona nominis, vt Abraham ex Abram, vbi ex ſuo promiſſum eſſe ſemine Benedictionem: patet Gen. 17. & Iſrael ex Iacob vocat, cum datum illi fuiſſe Dominum videndi poteſtatē, narrat Geneſ. 32., exemplo docetur, quoniam fundamentum, quo aliquod nititur ædificium, capiti quodammodo ſimile eſt, eòque caput pro fundamento accipitur, & è contrario Paul. ad Coloſſen. 1. ſed à Chriſto Simon Cephas nomen eſt conſecutus, vt apud Ioannem cap. 1. & Marcum,

cap. 3. Igitur à Christo in Cephas ex Simone facta nominis mutatio ex aliqua speciali gracia, est nouo indito consona nomini, ac porrò Simon à Christo consecutus est illam spiritualem gratiam, quæ est ipsi peculiaris nomini. Cephas autem (vt diximus) idem est, quod Petrus, siue petra, Christus verò vocatur petra, primæ Corinth. 10. & petra sumitur pro fundamento; & fundamentum rationem habet capitis, & primi: ergo Petrus à Christo est institutus primus caput, & fundamentum in Ecclasia, & pro capite à nostris quoque accipitur Cephas in c. olim, vbi Archid. in rub. Cephes 96. dist.

Hinc Matth. xij. Apostolos enumerans, nomina, inquit, duodecim Apostolorum sunt hæc. primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius &c. Qua nomenclatione, seu (vt igitur) nomenclatura non potest colligi Petrum fuisse primum, aut tempore, aut vocationis ordine (Andreas enim prius secutus est Christum, quàm Petrus, qui ab illo fuit ad Christum adductus. Io. 1.

Oportet igitur, Petrum à Matthæo dictum fuisse primum dignitatis, & prælationis aliorum potestate, cui conuenit Ambrosij sententia in cap. 12. epist. 2. ad Cor. Andreas, inquit, prius secutus est Saluatorem, quàm Petrus, & tamen Andreas primatum non accepit, sed Petrus. Quamuis autem Paulus ad Galat. Iacobum, priusquàm Petrum nominauerit, non sequitur tamen Iacobum fuisse Petro potestate superiorem. Non enim dicimus Petrum primatum habuisse ex eo, quòd primo loco nominatum esse inter Apostolos reperiatur: sed quia primi constat fuisse insignitum titulo, quem Iacobo Paulus non tribuit. Nam, si primus illi nomenclatione fuisset, nomen Euangelij quidem scriptor ex ordine secundum Andream, Philippum, indeque alios posteriores narrasset,

Sed quid amplius dubitandum, cùm Christus coram alijs Apostolis præcipuè, Matth. 16. Petro dixerit soli: Beatus es Simon Bariona, &c. Tu es, Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regnis Cœlorum, quodcunque ligaueris super terram, &c. In hoc igitur scripturæ loco, vt diffusius mox ostendam, iam ab initio Patres intellexerunt promissum Petro primatum, per petram semper intelligentes Petrum Apostolum, super quem Dominus authoritate sua fundauit suam Ecclesiam.

Post resurrectionem, vt monui, Dominus à nobis sui ipsius præsentiam, quæ in conspectum cadebat, seu (vt alij loquuntur) visibilem subtrahere volens, Ioanne, Iacobo, Thoma, Nathanaele, & alijs duobus discipulis testibus, Petro soli dixit, Pasce oues meas. Quod certè verbum Pasce, significat etiam, vt infrà cap. 9. nu. 88. monebo, Rege, vt apud Isaiam cap. 43. ibi, Qui dico Cyro Pasce oues meas, & expræssius apud Ezechielem cap. 34. circa fio. ibi., & suscitabo super eos pastorem vnum, qui pascat eos, seruum meum Dauid, ipse pascet eos, & ipse erit eis in pastorem, ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum &c. & etiam apud Homerum, & Platonem, sæpè pastoris Græcè *poimenos* nomen Regum esse notatur. Nec de pascendis ouibus suis quicquam Ioanni, Thomæ, nec alijs, quibus tamen posteà particulares quidem sunt greges crediti, at Petro soli verbo vno generali, ac sine vlla exceptione, siue limitatione, oues Christus commisit, clauesque cœlorum contulit, quo dilucidè apparet Petrum vniuersi gregis esse pastorem; quia illi ipsi Petro quoque soli ex omnibus fratribus suis prælato Christus oues pascendas, & confirmandos etiam fratres mandauit; inquiens: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, &c. Id quod Cyrillus exponens in persona Christi, dicit. Cum te primum Apostolorum deputauerim, hoc enim te decet, qui mecum robur & petra es Ecclesiæ.

At si dicant aduersarij, locos hos aliter (vt sibi videtur) posse intelligi, aut ex eis minimè sequi, vt ipsi loquuntur, Petrum super alios Apostolos prælaturam accepisse, patiantur, velint, nolint, nos id respondere, hæreticorum omnium consuetudinem esse, scripturas easdem, quas nobiscum communes habent. aliter interpretari, quàm veritas, & (vt dicitur) traditio ferat Ecclesiastica, suo quidem sensu, & arbitrio. Ideòque satis esset hanc esse, quam sequimur Ecclesiæ Sanctæ veram interpretationem, & Catholicam traditionem, & illam, quæ expugnari non potest, Christianæ ciuitatis machinam, quæ semel omnes, vt Augustinus ait, hæreses aboleuit. Hunc esse Sanctorum omnium consensum, & professionem Patrum, qui veluti per manus traditum à Seruatore nostro Christo Iesu id veritatis testimonium, nascentis etiam Ecclesiæ consuetudine probatum, & religiosè semper obseruatum confirmarunt,

Quòd si Patres obiiciant quosdam dicentes, Christum Iesum per petram non intellexisse Petrum, sed se ipsum significasse, huic ego primùm respondebo, neminem, qui sic dicat, de se Christum esse locutum, vt affirmauerit eum locum, non aliter accipit, sed per petram, Petrum quoque posse rectè intelligi.

Secundò dicam etiam, si detur Christum per petram, nec alium intelligi, nihilominus hoc ipso Matthæi loco, Petri primatum omninò apertè commostrare. Nam alia verba, quibus Christus Iesus vsus est dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram &c. satis ostendunt Petro totius Ecclesiæ Principatum, & (vt dicitur) præsidentiam fuisse promissam. Vndè Patres in hunc sanè sensum interpretati sunt eum locum, vti etiam testatur Origenes Homil. 6. super Matth. & Cyprianus epistolarum lib. 4. epist. 9. ad Pupianum, & lib. 1. epist. 4. ad Cornel. Hylar super Matth. Hieron. lib. 1. contrà Pelagianos, & super Matth. Cyrill. lib. 2. super Ioannem, Gregorius in moralibus, & in registro ad Mauritium Augustum, & alij omnes confirmantes Petrum fuisse petram, super quam ædificauit Christus Ecclesiam suam. Et quis igitur erit, qui audeat asseuerare, Sanctos istos Patres ignorasse Christum solum, & fundamentum, quod vocatur fundamentale, & caput esse, fundamentum quidem, quod sua vi propria totum sustentat ædificium, & Ecclesiam coagmentatam, conuexamque sua proportione,

ne, ac temperatione diuinitus adiuncta in ipsis, veluti commissuris, & compagibus corporis inclusam conseruat, eamq; per se ipsam firmam, immotam, stabilemque reddit: caput, quod in Ecclesiæ membra virtutem, vitamq; diffundit: Nullus enim ponere potest aliud par, aut simile caput, & fundamentum, quale Christum credimus, & confitemur.

Neque verò huic sententiæ repugnat, Petrum quoque Vicarium à Christo positum fuisse fundamentum, quod auctoritate, potestateque confirmandi à Christo suscepta, stabilem, atque immobilem, altissimisque Christi, scilicet infixam radicibus tenuerit vniuersalem Ecclesiam, & per quod ligandi, soluendique potestates in orbem totum fuerit translata. Nam, ità Cyprianus, Hieronymus, Gregorius, Chrysostomus, Augustinus, & cæteri Patres tradiderunt, Christum verum Ecclesiæ Pastorem, & petram firmissimam, manensque firmamentum, auctoritate sua vnitatis originem disposuisse, volentem quidem ab vno Petro id ortum esse principium.

Illud quoque Petri præcipuam quandam dignitatem significans, notatu dignum est, quod in Euangelio Dominus longè plures ad Petrum sermones dirigit, quàm ad alium quemlibet ex Discipulis: ex quibus sancti, ac prudentissimi viri Petro summam datam esse potestatem dixere.

Vndè Dionysius Areopagita in Diuinis nominibus cap. 3. de transitu Virginis loquens. Aderat (inquit) & Dei frater Iacobus, & Petrus vertex, & honorabilissima Theologorum summitas.

Cùm igitur Ecclesiastici Patres ex petra faciunt Petrum fundamentum, & caput Ecclesiæ dicentes, Christum Ecclesiam suam super ipsum Petrum ædificasse, eundemque Petrum fuisse caput, & Pastorem illius, non adeò rudis, atque hebetis putandi sunt ingenij, qui cogitarent Petrum talem Pastorem, tale caput, & tale fundamentum, quale Christum prædicamus, qui sua virtute totam spiritualis ædificij molem sustinens, infusque alens, ac virtutem inspirans, suamque Ecclesiam nulla vi vnquam labefactari permittens, & vt alij loquuntur, efficiens inter aduersa, prosperaque stabilem, atque immobilem. Quis hoc nescit officium ad Christum pertinere; qui solus sequester, & confirmator est gratiæ, atque, vt vocatur, mediator, qui solus pascit intus, & alit, vt Paulus 1. Corinth. scribit. Dicens, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quamobrem Patres scripturas exquisitè, & accuratè perscrutati, animaduerterunt liquere (vtar Theologorum proprijs verbis) quòd officia per essentiā Christi propria, per participationem Petro, cæterisque Apostolis, velut Dijs quibusdam minoribus, in terra facta sunt communia: sed tanquàm Deorum minorum Principi maiora.

Hinc Chrysostomus in Matth. dicit: Vide quo nam pacto Christus Petrum ad excellentiam euexit, promittens illi dare, quæ ad Deum solum pertinent (nempè remittere peccata) & inter tot, & tantos tentationum, persecutionumque fluctus Ecclesiam facere immobilem. Nam sicut legitur, quòd Christo data est omnis potestas in Cęlo, & in terra, qui solus aperit, & nemo claudit, & qui solus cum patre, & Spiritu sancto Deus vnus remittit peccata, à quo etiam fluunt in singula Ecclesiæ membra omnia chrismatum dona: ità Petro legitur datam fuisse remittendi, retinendique peccata, claudendi, & aperiendi, continendi, atque confirmandi, pascendique potestatem, cum Christus illi dixit. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. quodcunque ligaueris, &c. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Pasce oues meas. & discipulis omnibus, Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ. Hinc etiam Paulus de se testatus, posuisse fundamentum, vt sapiens (inquit) Architectus fundamentum posui, 1. ad Corinth. cap. 3.

Nihil autem putandum est hac in te Diuinæ potestati, nec illi summę dignitati Christi veri fundamenti, & capitis, atque pastoris derogatum iri, si dicatur eum suam Ecclesiam ædificasse super Petrum: cùm sanè conster Christum ipsum potestate à se deriuata, prudentem architectum Ecclesiæ suæ fecisse fundamentum.

Nec quicquam obest, quòd Christus Iesus non dixerit. Tu es Petrus, & super te Petrum ædificabo: nam ponderari è contrario debet, quòd non dixit Christus Iesus super me petram ædificabo, nec petram illam, sed se ædificaturum super eam, nempè quam demonstrabat petram, ego, inquit, super hanc petram ædificabo, quasi discrimen inter se ipsum fundatorem, extruentemque, ac petram fundatam, & extructam, notans. Alius est enim, qui ædificat, & aliud id, super quod ædificatur. Quare verus, & qui dicitur genuinus verborum Christi sensus, vnicuique statim obuius, ac prima se se offerens fronte est, Dominum vocasse Simonem Petrum illis verbis. Tu es Cephas, vt super eundem Petrum ædificaturum se Ecclesiam, simplices quoque, qui adstant homines, intelligerent.

Cùm enim Petrus, interrogante Domino, Vos autem quem me esse diciris? si non Hebraicè, purè saltem Syriacè respondisse, hoc est, Tu es Christus Filius Dei. Dominus illi vicissim, quasi pro tam magnificè, splendidèque prolata de se confessione mercedem proponens dixit.

Quod sanè dictum, si Latinis vocibus reddatur, ad verbum erit, Tu petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, licèt interpres immutans genus, & ex petra Petrum vertens, dubios reddit animos eorum, qui Hebraicas non callent literas: Hebræi enim Cephas masculini generis profetunt, cuius pluralem ex Hieremiæ 4. indicauimus. Seruator igitur noster dixit Simoni: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, promittens super eum, quem iam petræ nomine vocatum volebat, se Ecclesiam ædificaturum. Quorsum enim Christi spectasset oratio, si à Petro, cuius elogium vicissim pro tam magnifica confessione reddere, vt etiam animaduertit Hieronymus in com. Matth. 16. vix inceperat subitò desilire, atque clàm in se ipsum reflectere sermonem, & ambiguum relinquere promissum voluisset? ac planè efficere, vt indè etiam acri-

ter homines disceptarent? In hanc ego sententiam libentius, vel à puero sum adductus ex illis etiam verbis: Tu vocaberis Cephas, quæ si ex Hebraica in Latinam conuertas linguam, dices, Tu vocaberis petra. Sed cum Cephas Hebræis sit masculinum, & ad marem sermo fieret, bene Latinis etiam masculina terminatio reddita fuit. Tu vocaberis Petrus, & clara esset translatio. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, dummodò Petrus pro Cepha, hoc est, petra caperetur, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, per inferi portas intelligens hæreses, schismata, summas tyrannorum distractiones, & carnis, & mundi voluptates, quibus de via, rectaque religione in alium cursum contortos, & deflexos pleros que quotidie, sensimque eò deduci omninò videmus, vt vix ab inferorum Sedibus valeant declinare. Nihil ergo portæ inferi potuerunt aduersùs Ecclesiam, altissimis quidem, illisque Diuinis radicibus defixam, quam porrò stantem, nec nouis quibusque machinis conquassare, nec varijs consilijs prosternere hostes, vniuersæque gentes vincere, neque expugnare, neque à solida fide, quam Petrus pro toto suo collegio primus confessus est, abalienare, & abstrahere vnquàm potuerũt, sic planè voluit Christus eam ædificatam, & super se, & supra Petrum: super se quidem, quia ipse solus est, cuius virtute Ecclesia iustorum inter tot, tantasque perturbationes, & (vt dicitur) persecutiones manet, & perpetuò immutabilis, & sempiterna, stabilisque; Diuina prouidentia, constituta permanebit. Super Petrum verò, quando volens Dominus redire ad patrem illum, vt omnem schismatis occasionem, ortamque paulò ante inter Apostolos contentionem, quis nam eorum videretur esse maior, tolleret, Petrum quò ad sui ipsius aspectabile, itemque tractabile, quod Theologi visibile vocant, ministerium, atque officium explendum, locumque in terris primum, ac Diuinam illam potestatem obtenturum Vicarium in vniuersum, ac generalem constituit, cuius sanè distributione, ac certarum rerum annotatione, atque (vt dicitur) dispensatione profluerent, & in cæteros Ecclesiæ pastores omnia charismatum dona deriuarent. Hinc ecclesiastici patres iam ab Ecclesiæ incunabulis, & (vt dicitur) crepundiis intellexerunt absurdum non esse, si per petram Petrus intelligatur, super quem Christus ipse ædificauit Ecclesiam suam. Quàmuis nec absonum quoque sit per petram Christum ità intelligere, & ità sensus erit: Tu es Petrus à me, qui *petra* sum, hoc est, vt nostri loquuntur, principaliter petra sum, ve dixit electionis vas Paulus ad Corinth. epistola prima, cap. 10. in princ. ibi, Petra autem erat Christus, vbi D. Thomas in prima prælectiori propè finem versic. Petra autem erat Christus, exponit, non per substantiam, sed per significationem, & super hanc petram, hoc est, super me ipsum ædificabo Ecclesiam meam, iuxtà quem sensum Christus ipse fundans est, ac fundamentum. Nec alienum rursùs à verò crediderim intelligere Deum Patrem fundasse Ecclesiam suam super Christum Deum, & hominem, eum quidem hunc, quem oculis cernimus Mundum mittens, & quod videmus fundamentum, & caput, & caput constituens, Christus autem suo spectabili, quod visibile dicunt, expleto ministerio, ad patrem rediturus, seque à conspectu Ecclesiæ, quam omnibus ob oculos positam relinquebat, & oculorum acie abstracturus, & inuisibilem, vt dicitur, facturus, (quæ magna eius erga nos munificentia fuit) constituere dignatus est in ea ipsa Ecclesia Petrum præponens suum nobis Vicarium, qui licèt longè quidem dispar, tamen quod cerni posset fundamentum dimittere, suique loco Principem non effugientibus Sacramentis clauderet, atque aperiret, solueret, & ligaret, vt considerauit Augustinus Retract. lib. 1. cap. 21. inquiens: Quàmuis in quibusdam meis opusculis intellexerim per petram Christum, de qua scriptum est, petra autem erat Christus, in aliquo tamen loco etiam de Apostolo Petro dixi, quod in ipso tanquàm in petra fuit ædificata Ecclesia, & harum duarum sententiam lector eligat magis probabilem. Hic vides August. nec hanc, nec illam quasi scripturis contrariam reijcere, & pro Christo, & Petro accipi petram rectè posse, & Christum Ecclesiæ fundamentum, & Petrum etiam esse Ecclesiæ fundamentum, at Christo inhærens, & quod dicitur, secundarium, licèt relatione facta ad Apostolos, constet, Petrum esse etiam primum, vt notat plenius, & eruditius Turrecrem. in lib. de Eccles. 2. cap. 17. & 18. & sequ. quàm, vt pluribus sit laborandum.

Hinc apparet Lutheranorum temeritas, & pertinacia assentientium suo corypheo, atque idolo Martino illi imprudentissimo, qui dicebat. Si Augustinus, ac Patres omnes in verbo Saluatoris per petram intellexerunt Petrum, ego illis obijciam vnius solius Apostoli auctoritatem in Corinth. 3. scribens: Fundamentum aliud nemo ponere potest; præter id, quod positum est, Christus Iesus, cui certè argumento satis esset respondere, quod dixit Turrecrem. d. lib. 2. de Eccles. cap. 19.

Vel nihil planè id argumentum concludere: nam simili ratione dici potest, Apostolos non habuisse potestatem remittendi peccata, nec aperiendi, nec claudendi: quia scriptum est, quòd solus Deus remittit peccata. & quòd solus Deus aperit, & nemo claudit: quæ tamen omnia legimus etiam Apostolis concessa. At dicent aduersarij, Hom. 13. August. in personam Christi loquenti ad Petrum dicit, Super me ædificabo te, non me super te, ergo Petrus ædificatur super Christum, non Christus super Petrum: ex consequenti non est Petrus petra. Respondendum tamen est, Catholicæ religionis studiosos non dicere Christum fundasse Petrum, sed Ecclesiam: quia Petrus sua confessione, vt loquuntur, fundamentum iactum firmissimum, sciebat in Christo positum: & ideò fundatus erat super principalem, ac quæ vocatur fundamentalem petram, scilicet Christum. Vndè August. in psal. 86. duplex posuit, fundamentum, alterum quod appellatur fundamentum fundamentorum, videlicet Christum: alterum verò fundamentum fundatum, scilicet Petrum, cui consentit Ambros.

bros. in sermone 4. inquiens: Rectè consortium mereretur nominis, qui consortium meretur, & operis: petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur. Et August. contra epistolam Donati, & de tempore, sermone 16. Audiejs, dicens, Petrum frequenter à Domino petram nuncupatum, ac Hieron. in Matth. 16. scribens secundum metaphoram petræ, Rectè dicitur Petro ædificabo Ecclesiam meam super te, & Greg. lib. 6. epistolarum, epist. 37. ad Eulogium narrans in hæc verba: Quis nesciat Sanctam Dei Ecclesiam in Principis Apostolorum esse fundatam soliditate, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocatur. Hæc ille, Eusebius Græcus ecclesiasticæ historiæ 1. cap. 17.

Ad id verò, vndè digressus sum, vt redeam, verum porrò censendum est, Deum solum remittere peccata, & nihilominus Sacerdotes etiam peccata remittere, sed hos tanquam ministros, & illius virtute remittentes, licèt quandoque etiam ex merito vitę, & congrui non ex vi clarius, vt notat D. Thomas in 4. dist. 19. Turrecrem. in cap. remissionem 1. quæst. 1. num. 2. & sequentibus, vbi declarat, an mali Sacerdotes temittendi peccata auctoritatem habeat: sic etiam Christus solus est Ecclesiæ fundamentum, Petrus autem primus in Christi confessione fundatus.

Nam eo quoque modo interpretati sunt magni, probatissimique Doctores, quia nec potuit Petrus esse petra, vel fundamentum (quod dicitur fundamentale) sed fundator, Architectus, inhabitator, lapis angularis, hostium, porta, basis, ac vertex, pastor bonus, atque lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Christus ipse Seruator noster.

Cui rei consequens est, quàm valdè sit ille pertinax, qui se à veteris Ecclesiæ doctrina abalienari, atque abstrahi passus reliquos Ecclesiasticæ scholæ Patres damnat, & tam multis quotidiè impuris, cum factis, derisisque iugulat, eosque ab Ecclesia putat reijciendos, quasi falsos professores, eum porrò patribus ipsis perspectum, exploratumque fuerit, plerumque Deo soli propria Diuini Spiritus instinctu, & participi quadam veluti societate (quam participationem vocant) connexa, & communis Christi Sacerdotibus meritò iudicari. putà habere claues, aperire, claudere, remittere, lucere mundo. Petram esse, ac fundamentum, aliter Petrum, atque Ecclesiæ fundatorem Christum, aliter fundatores Apostolos, qui docendi, atque dispensandi ministeria Dei potestatem acceperunt. Alia ratione Christum esse lucem, alia Apostolos, quibus dictum est: Vos estis lux mundi.

Quòd si aliquando patres viderentur inter se dissentire, tamen cum in idem semper principium, & veritatem conueniant, nec re ipsa pugnent, nec ab Ecclesia abstrahi aliquo modo patiantur, non sunt omninò damnandi, qui fortasse aliqua ex parte decertent, sed probandi, quasi in vniuersum ad fidem spectantia piè conscripserint, quæ ad hæreticorum disterminandas opiniones, & Religionem catholicam defendendam, maximum semper momentum habuerunt. Nam, etsi quandoque inter se disceptasse notentur, tamen satis est de fide Catholica illis quoque in locis non dissentire, sed omnes idem ipsum pium, & Catholicum institutum, ac præceptum securos tueri, alios quidem alijs rationibus, vt in cap. ego solus 9. dist. not. Turrecremata, & idem diffusius de locis inter se Doctorum contrarijs in cap. Sancta Romana Ecclesia distin. 15. num. 11. vers. respondeo, & num. 12. vers. discordat, & num. 20. vers. cum catholicorum opusc. ibi; In libris autem Sanctorum vera principaliter intenduntur, & pauca inueniuntur contraria veritati &c. & ibi, & ideò propter pauca inutilia, non sunt tam vtilia, & quæ ex proposito sunt asserta, repudianda &c.

CAPVT X.

Petrum non solùm à Spiritu sancto recepto, sed ante primi potestatem recepisse pro se, & alijs successoribus: & omnino ad Romanum Pontificem grauiora esse referenda negotia, idque Conciliorum, ac legum quoque decretis confirmari.

PEtrum ante Spiritum sanctum receptum pro se, & cœteris quibusque omnibus successoribus primi potestatem accepisse, & principi ipsi Petro summos quosque Pontifices successores, & auctoritate, & iurisdictione planè eadem esse censendos, ipsa quoque res docet: quoniam (quod in cap. 10. dicam) Petri morte, & Christi mandato, hæc Romanę Ecclesiæ est confirmata auctoritas, vt præter alios, quos infrà referam, not. D. Ambrosius lib. 5. epist. 32. Et ante eum dixit Egesippus de excid. Hierosolym. lib. 3. cap. 2.

Hic ille ipse est Petrus, qui ante Penthecosten cęteris præsentibus Apostolis, & Maria matre Iesu in medio fratrum surgens, ac veluti prærogatiuæ, & principatus, atque vt dicitur, præsidentiæ suæ munus exercens, nonum Apostolum, qui in Iudæ proditoris locum, & Apostolatum, eligendum alium adsciuit, quo numerum duodecim Apostolorum compleret, vt legitur act. Apost. cap. 1.

Indè die quoque Penthecostes cum vndecim primus ad Iudæos omnes, qui Hierosolymis habitabant de fide Christi orationem tantò quidem Diuini Spiritus instinctu, atque afflatu habuit, vt tria circiter millia vnico sermone in suam sententiam, Christique fidem adduxerit: Ab ipso autem Spiritu recepto, miraculum, illud quidem differentibus, vix persuasum hactenus Philosophis, dum primus fecit claudum ad speciosam, quæ vocabatur portam, nullo læsum indè incedentem pede, restituit, & vel Apostolorum Rex, ac princeps Iudęis solus respondit, act. Apost. 3. Rursusque vti paulò ante tria millia, sic tunc quinque ferè millia conuertit. Hiccine est ille Petrus, qui cum alijs discipulis, & Sacerdotibus in iudicium vocatis coram Euangelista Ioanne solus Spiritu sancto afflatus dixit: Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus, & qui sua præterea vmbra sanabat omnes, & contra Ananiam, Zaphiramque sententiam mortis pronunciauit.

Item

Item Hierosolymis quoque de cęremonijs obseruandis Petrus in Concilio surgens, sicque sibi enunclatum, prolatumque, & patefactum significans: in Ioppe soluit quæstionem ex euentu in familia Cornelij decernens, omnes salutem ex fide Christi Iesu consecuturos, act. Apost. cap. 10. & 15.

Iacobus decretum secutus Petri, eique obtemperatus ipsum decretum pronunciauit, quòd si, vt debemus, Hieronymo credimus, factum fuit, quia Petrus Iacobo in Ecclesia propria residenti deferre voluit, vt in Concilijs fieri solet, vbi Interesse Papam contingat. Delegatus enim Cardinalis aliquis ex Ambone, qui dicitur, Papæ decretum promulgat; quod sanè receptum sancta Synodus illo verbo placet, approbat. Iacobus hic fuit à Petro cooptatus, seù (vt loquuutur) coassumptus primus Hierosolymis institutus, atque, vt dicitur, ordinatus Episcopus, cuius rei testes sunt Anacletus Papa, ac Martyr, & Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 1. Hieronymus de viris illustribus, & Chrysost. in Ioann. Homil. 87.

Id verò ita planè se habere, vt facilius omnes intelligant, tum ex sacræ Scripturæ, plerisque grauissimis auctoritatus, tum Petri gestis, factisque vniuersalem credidisse Ecclesiam, Petrum non pro se tantùm, verùm etiam pro suis successoribus à Christo primatum accepisse, & verba, quibus Christus claues promisit. Item quibus Ecclesiæ Pastorem constituit, dicens: Pasce oues meas &c. non solùm dicta singulari personæ Petri, sed omnibus, qui legitima (vt loquimur) ordinatione Petro succedunt, omninò constabit ijs sanè, qui considerent omnes omninò Patres Episcopos; Martyres, Sanctos, & generalia Concilia Episcopo Ecclesiæ Romanæ, tanquam summo vniuersali Ecclesiæ præfecto, & vigilum maximo, & vt dicitur. Speculatori obseruantiam, & obedientiam præstitisse, ad quem in rebus dubijs, quoties aliqua fidei causa controuertitur, confugi, & concurri, seù, vt aliorum vsurpem verba, recursus haberi debeat, quod supra monui in 2. & 3. præsertim cap. vbi plura ex his, quæ hic repetenda sunt, non modò ad ostendendum Episcoporum capitales, & maiores quasque causas esse ad Sedem Apostolicam referendas, sed in vniuersum ipsam Romanam Sedem meritò prę cæteris pręferri oportere, & Petri auctoritatem in omnes, quot quot legitimi fuerunt, eruntque vsque ad sęculi consumationem successores, Summos Pontifices transisse, & perpetuò transituram, à Christo ipso Seruatore nostro futuris etiam post Petrum, æquè, ac Petro attributam: ideòque bis forsan repetita quædam loca non censenda superuacanea.

Hoc autem, vel facilè dignoscitur, quòd ad initio postquam Petrus diœceses aliquot suis Episcopis distribuisset, & disposuisset iussuque Dei cathedram suam Romæ constituisset, omnes, vbiuis gentium degerent, Episcopi, viuentibus adhuc quibusdam Apostolis Ecclesiæ Romanæ cathedram venerati sunt, quasi primam, & ideò Paulus ad Romanos cap. 1. Petri iam prædicatione conuersos scribens; Gratias agitque eorum fides nunciata vniuerso sit Orbi, significans se huius rei studio, ac fidei sinceritate ductum habere Romanam videre Ecclesiam, inquiens. Desidero videre vos, & ità Paulus ex prouidentia Diuina ad Petri Sedem venit, quam suo etiam sanguine confirmauit. Item, Irenæus, de quo infrà in cap. seq. in princ. Mart. Et Episcopus Lugdunen. & Policarpi discipulus in huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem inferens lib. 3. cap. 13. operis aduersus Valentinum, & alios sui temporis hæreticos, inquit. Ad hanc Ecclesiam Romanam, videlicèt, de qua erat sermo, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est omnes, qui sunt vndique fideles &c.

Clemens Papa, quem nominat Platina quartum Pontificem, à Christo post Linum, & Cletum, & Euseb. in lib. 3. de Ecclesiast. hist. cap. 14. tertium numerat, & obijsse Martyrem anno Traiani Imperatoris 3. not. Ioan. Papa tertius in epistola decretali ad Episcopos pronunciarum Germaniæ, & Galliæ, & etiam Alexander primus in epistola prima decret. ad Orthodoxos. Is igitur Clemens, siuè 3. siuè 4. planè testificatur, Petrum multos per Orbem Episcopos instituisse, & auctoritate Ecclesiæ Paulum ad Episcopale ministerium fuisse aggregatum, vt act. scripturæ satis clarè demonstrat.

Anacletus, Domitiani temporibus, Papa Tertius, de quo Euseb. lib, 3. dict. cap. 14. Ecclesiast. hist. in epistola, quam cunctis scripsit Ecclesijs, docet, in maioribus causis ad Apostolicam Sedem appellari posse. Hoc enim mandato Saluatoris, inquit, quòd scilicèt maiores, atque difficiliores causæ semper omnes ad Apostolicam Sedem referantur, super quam Christus vniuersam Ecclesiam construxit, quando Beato Principi Apostolorum Petro dixit: Tu es Petrus, & ibidem, Sacrosancta igitur, & Apostolica Romana Ecclesia primatum non habet ab Apostolis, sed ab ipso Domino nostro, & Saluatore Iesu Christo, vt est videre 1. tomo Concil. fol. 7. vers. Anacletus Seruus seruorum &c. Idem epist. 1. in nouo, inquit, testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis Ordo cępit, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus &c. Hic ergo ligandi, atque soluendi potestatem primus accepit à Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit; cœteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque principem suum esse voluerunt.

Idem epist. 3. multa de Patriarchis, Primatibus, Episcopis, minoribusque Presbyteris disserit, & Ecclesiam Romanam Cardinem, caputquę esse in omnes Ecclesias comprobat.

Euaristus à Petro quintus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, & in Pontificatu, & martyrio Anacleti successor, cuius anno secundo, Ioannes Euangelista decessit, Africanis præcipiebat, vt cum Episcopo septem Diacones essent tanquam illius oculi, & ideò imperium ac supremam in cęteros Episcopos Romanum Pontificem habere iurisdictionem, & potestatem. Hinc etiam apparet, quia statuere, quid perpetuò obseruandum iurisdictio-

ctionis esse, nemo dubitat, per tex. in l. nulli, C. de sent. & interlo. om. Iudic. quem sing. dicit ibi Bal. num. 3. in fin. & not. Bart. in l. omnes populi 1. q. 1. princip. ff. de iust. & iur. & Angel. in l. Imperium, ff. de iurisdictionem omnium In d. dicens etiam meri esse Imperij legem condere.

Alexander quoque Martyr, qui Euaristo successit sub Traiano Orthodoxis etiam per diuersas prouincias Christo Domino famulantibus, hoc ipsum probat, inquiens: Relatum est ad huius Sanctae, & Apostolicae Sedis, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt quasi ad caput, ipso dicente Principi Apostolorum; Tu es Petrus, &c.

Item Marcellus, qui millesimo ducentesimo septuagesimo secundo ab hinc circiter anno fuit, Diocletiano Imperatore, scribens ad Episcopos Antiochenae prouinciae, Beatus Petrus, ait, Caput est totius Ecclesiae; cui Dominus ait, Tu es Petrus: eius enim Sedes primitus apud vos fuit, quae postea, iubente Domino, Romam translata est, cui gratia fauente Diuina hodierna praesidemus die. Et paulò post; Si vestra Antiochena, quae olim prima erat, Romanae cessit Sedi, nulla est, quae eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes quasi ad caput iuxta Apostolorum, eorumque successorum sanctiones Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit inuocare, eamque appellare debent, vt indè accipiant tuitionem, ac liberationem, vnde acceperunt informationem, atque consecrationem. Deindè paucis interiectis inquit. Simul, inspirante Domino, constituerunt, vt nulla Synodus fieret praeter einsdem Sedis auctoritatem. Deindè paulò mox: Iudicia, & summa negotia, si uel cuncta dubia Apostolicae Sedis auctoritate sunt agenda, & finienda: & omnia cum prouincialia negotia huius Sanctae vniuersalis, & Apostolicae Ecclesiae sunt tractanda iudicia.

Cyprianus ~~in Africa fuit~~ Valeriano, & Augustinus sub Honorio, Ecclesiae Romanae Pontificem, quasi summ, & aliorum omnium Praelatum venerati sunt, nam ab hinc anno circiter millesimo tricentesimo vigesimoquinto Cyprianus, & alij Episcopi acta suorum Conciliorum ad Apostolicam Sedem retulere, vt in 2. epistola lib. 1. & alibi saepè &c.

Ipsi quoque haeretici, atque schismatici ab Ecclesia Africana reiecti, Cypriano teste, per appellationem ad Episcopum Romanum, veluti Petri successorem transfretabant, nam Basilides postquam sua crimina detestatus fuisset, & propter confessionem suam detexisset conscientiam, & Cyprianus ait: Romam appulsus ambiuit apud Stephanum Ecclesiae Romanae Episcopum, vt iniustè restitueretur in Episcopatu, à quo iustè fuerat expulsus.

Idem Cyprianus ante mille, & ducentos annos loquens de hac materia multis in locis, vniuersalis Ecclesiae sui temporis statum declarat. At quoniam Cypriani dicta videntur eò tendere, vt vnionem membrorum Ecclesiae in vnitate fidei, & charitatis sacramentorum, & Euangeliorum, sub vno Pastore Christo demonstrent; hostes cathedrae Petri dicent, quòd ex hoc non sequitur omnes Episcopos, & Pastores à cathedra Petri instituendos, aut illi subiectos esse, quibus, & doctrina eiusdem Cypriani in paulò ante tractatu respondemus, verum esse vnionem fidei, atque charitatis sufficere, at vnionem talem non seruare haereticos, quamuis se congregari putantes in nomine Christi, & habere vnam, eamdemque symboli legem, eadem Euangelia, & eadem sacramenta; & quia caeci volunt se haereticos illi confiteri, ideò Cyprianus ipse declarat, qui sunt haereticorum mores inquiens.

Tales sunt, qui sanè dispositione Diuinae se ipsos auctoritate propria congregatis quibusdam temerarijs proponunt, qui sibi Sedes alias constituunt, & originem veritatis, qui sine aliqua ordinationis lege sibi prelatos eligunt, qui nullo illis Episcopatum donante, Episcopi sibi nomen tribuunt: nec sunt in vnitate pacis Episcopis Ecclesiae Apostolicae coniuncti.

Haec est Cypriani doctrina, ex qua planius etiam constat, quam probatione alia egeret, vnitatem Ecclesiae quaerendam esse ex scripturis Sanctis, in quibus auctoritate sua Christus constituit originem, atque initium vnitatis Ecclesiae suae, & ab ipso Petro (cui coelorum regni claues dedit) initium faciendum iudicauit. Et quamuis omnibus Apostolis parem dederit potestatem, priusquam Petrum praeferret, postea tamen statuit originem vnitatis, ab vno inchoans Petro, simul, atque eum primum ex duodecim potestate paribus, vnum elegit, ac praeposuit; Vndè licèt Christus Iesus parem singulis dederit Apostolis potestatem, tamen sancitum relinquit auctoritate, vt vnitas ab vno, videlicèt Petro, inciperet 24. quaest. 1. capitulo loquitur.

Haec est manifesta venerabilis Hieronymi sententia contra Iouinianum, quae eadem Cypriani extitit, vti etiam colligitur ex multis eius epistolis, in quibus dilucidè docetur, Episcopalem potestatem sublimem quidem, ac Diuinam esse, at omninò agnoscendam, & retinendam Ecclesiam Romanam, velut Catholicam matrem, principemque Ecclesiam, ex qua Sacerdotalis vnitas duxit originem, quarum sanè epistolarum satis erit aliquas hic significare, scilicèt ad Cornelium primam, vbi probatur Ecclesiae Romanae fidem ore Apostolico commendatam, & ad illam nullam perfidiam, aut (quae dicitur) infidelitatem habere aditum posse, suoque tempore Ecclesię Catholicae apud Cornelium Episcopum Ecclesiae Romanae, qui per legitimam ordinationem Fabiano successerat, fuisse tum ipsam alteri debitam Ecclesiam apud Nouatianū, qui contempta ordinatione Apostolica, nulli succedens, seipsum ordinauerat esse minimè potuisse. Tum Episcopum Ecclesiae Romanae, Episcopum Ecclesiae Catholicae, hoc est, vniuersalis esse, qui Canones tradit vniuersales, quos omnes seruare debent Episcopi, & in Ecclesia Catholica vnum esse debuisse Episcopum.

Atque idcircò omnes, qui tunc ad Ecclesiam reuertebantur, quondam schismatici confiteri Cornelium esse sanctissimae, ac Catholicae Ecclesiae Episcopum.

Et

vt ardeam, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Et idem Augustitus in epistola 102. lib. 2. aduersùs Donatistas. In Rom. semper Ecclesia principatum Cathedræ viguisse Apostolicæ ostendens, ait. Quòd si nullo modo rectè dici potest, Ecclesia, in qua schisma est, restat, vt quoniam Ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in Sedis Apostolicæ per successores Episcoporum radice constituta, &c. vt etiam refertur in cap. pudenda, iu si. 24. qu. 1.

Ioannes Constantinopolitanus, cui ab eloquentia Chrysostomo nomen est, ad Innocentium Papam appellauit, à quo fuit, causa cognita, restitutus.

Idem super illo, Pasce oues meas, idest, inquit, loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum.

Sed Ioannis quoque Gersonis sancti certè viri Parisien. Cancellarij id ipsum testimonio confirmatur, dicentis, affirmatiuum esse præceptum recipi oportere Sanctæ Rom. Ecclesiæ obedientiam, acceptam autem non relinquere, negatiuum esse præceptum, & propterea paret arctius quodam modo omnes astrictos ad conseruandam susceptam sanctę Rom. ecclesiæ debitam obseruantiam, quam illam initio suscepere ex natura ipsa præceptorum.

Negatiuum enim præceptum magis, quàm affirmatiuum, vt loquuntur, ligat semper, & ad semper, vt etiam ostendit Diuus Thom. in 2.2. art. 1. qu. 140. & art. 2. & not. nostri in cap. si peccauerit, vbi Turrecrem. num. 13. vers. & ideò præcepta negatiua obligant semper, & ad semper, 2. quæst. 1. cum similib.

Neque verò Conciliorum quoque vniuersalium desunt auctoritates, quorum nonnullas retuli suprà in cap. 4. in eodem loco, vbi ostendi, Episcoporum criminales causas ad Papam deferendas, etiam Conciliorum testimonijs probari in cap. 4. & hic describam aliquas ad hanc rem pertinentes. Nicænum quidem Concilium 318. Episcoporum in hęc verba ad ipsum, de quo quærimus statuit, inquiens: Ipsa verò prima Sedes, hoc est, Romana, conuocandorum generalium Synodum iura detinet, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio illi Sedi Euangelicis, & Apostolicis, atque canonicis concessa sunt ministris, ita, vt semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam referuntur; nec vllo modo potest maior à minori iudicari: ipsa nanque omnibus maior, & prælata est ecclesijs, quod decretum Conc. esse Nicæni suprà ostendi.

Constantinopolitanum quoque Concilium id ipsum probat, dicens, Veneramur secundùm scripturas canonicas definitiones Sanctissimum Romanum Episcopum, primum esse, & maximum Episcoporum.

Item Florentinæ vniuersalis Synodi ex Latinis, Gręcis, atque Armenis congregatæ testimonio idem confirmatur in hæc verba: Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Rom. Pontificem in vniuersum orbem tenere principatum, & ipsum Rom. Pontificem successorem esse Beati Petri Apostoli Principis Apostolorum, & verum Vicarium Iesu Christi, totiusque Ecclesiæ caput.

In Chalcedonensi Concilio anno Christi 442. celebrato, Romanus Episcopus declaratur petra regugij, ad quam cæteri Episcopi liberam habent potestatem appellandi, cui soli iure competit decernendi episcoporum infamiam, secundùm canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.

In eo ipso Chalcedonensi Concilio damnantes Dioscorum Alexandrinum cæteri congregati Episcopi, Paschasius, Lilibetanus, Lucentius, Essulanus, ac Bonifacius Presbyter Ecclesiæ maximæ Ciuitatis Romæ ilius Papæ Leonis, hoc ipsum confirmarunt in hæc verba pronunciantes: Dioscorus Episcopus Ciuitaris Alexandriæ contrà disciplinam Canonum &c. & ibi: Quapropter Sanctissimus, ac Beatissimus Papa Leo caput Ecclesiæ vniuersalis per nos tanquàm per suos Legatos, Sancta Synodo consentiente, præ cæteris omnibus dignitate Petri Apostoli, qui dicitur fundamentum Ecclesiæ, & petræ fidei, & ianitor Regni Cœlorum doratus, ipsum Dioscorum omni Episcopali dignitate spoliauit, & omni Sacerdotali priuauit officio: quare venerabilis Synodus super hoc congregata iustitia suadente, contrà dictum Dioscorum canonicam sententiam pronunciet.

Anno Domini 419. Synodalia decreta à Rom. Pontifice apud Carthaginense Concilium ducentorum decem, & septem Episcoporum, inter quos Augustinus erat, prolata sunt, in quo Pelagius, & Cestus damnati sunt.

Item vna trium Augustorum, Gratiani, Valentiniani, & Theodosij idem probat constitutio inserta sub tit. C. de sum. Trinit. in l. 1. inquiens: Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in ea volumus religione versari, quam Diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio, vsque adhuc ab ipso insinuata delarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. Et infrà, Hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò deuiantes, vesanosque iudicantes hæretici dogmaris infamiam sustinere, Diuiua primùm vindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus vltione plestendos. Hi autem tres Augusti Valentianus ann. Domini 367. Gratianus 389. & Theodosius maior 388. impetarunt.

Iustinianus autem anno 525. idem planè testatus, sanxit in titulo scribens C. de sum. Trinit. l. nos reddentes honorem Apostolicę Sedi, & vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est (vt decet patrem) honorantes vestram beatitudinem, omnia, quę ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiā deferre vestrę sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotus permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire Sedi vestræ sanctitatis properauimus, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Hæc Iustinianus. Et idem Iustinianus in autheu. de priuilegijs Ecclesiarum, 5. ideòque, colla. 9. inquiens: Ideòque san-

sancimus Sanctissimum feniotis Romæ Papam omnium esse Sacerdotum &c. Et Constantinus Imperator, vt colligitur ex c. Constantinus 96. dist. idem confirmat, quod Iustinianus fuit testatus, qui planè Iustinianus Imperator fuit ante Phocam annis 77. Ex quo patet mendacium quotundam, qui schismatico spiritu scripserunt, Phocam Bonifacij precibus seductum, Ecclesiæ Rom. caput esse omnium Ecclesiarum, constituisse.

Cui etiam anno 602. Phocas Imperator, cuius anno tertio Gregorius Magnus migrauit ad Dominum, Calcedonensis Concilij decretum de primatu Ecclesiæ Rom. declarauerit, & per Orbem contra schismaticos obseruari mandauerit.

Thomas 3.p.q.40. art.6. refert, quòd in Concilio Constantinopolitano legitur, Veneramur secundùm scripturas, & secundùm canonum statuta, & definitiones Sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maximum Episcopum, & post ipsum Constantinopolitanum Episcopum, ibidem scribit Thomas, beatum Cyrillum Episcopum Alexandrinum hortatum in hæc verba, Maneamus in capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quęrere quid credere, & quid tenere debemus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corripere, statuere, disponere, soluere, & ligare loco illius, qui ipsum ædificauit, & nulli alij, quòd suum est plenum, sed ipse dedit, cui omues iure Diuino inclinant capue, & primates mundi, tanquàm ipsi Domino Iesu Christo obediunt: quæ Cyrillus ipse scripsit in libro suo Thesaurorum. Vnde facilè colligitur, quòd Imperatores, Reges, ac Principes de rebus Ecclesię, tam spiritualibus, quàm temporalibus disponere non possint.

Chrysostomus in lib.2. de Sacerdotio inquit, Quanam item de causa ille sanguinem effudit suum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum cura tum Petro, tum Petri successoribus committebat.

Theophilactus declarans illud Luc. 12. Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes, Petrus ait, cui committenda erat Ecclesia, quasi omnem curam gerens interrogat.

Hac in re Gregorius nihil dubitauit, qui in multis scriptorum suorum locis, semper id voluit positum in primis verissimum axioma: Petrum scilicèt, fuisse, & cæteros successores vniuersalis Ecclesiæ summos Episcopos, & Petrum ipsum cæteris omnibus Apostolis, vel auctoritate Dei Prælatum, & ideo 16. moralium dicit, Petrum authoritate Dei tenuisse principatum Ecclesiæ, cui potentiæ firmiter adhæsit. Bernardus Venerab. Abb. vt mox liquidò constabit, & quot quot etiam post illum Catholici Doctores fuere, & Socrates quoque Episcopus in historia, Cassiod. lib.4. cap.9. & lib.9. cap.13.

Ex quibus sanè patet iuxtà doctrinam Sanctorum Pauli, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi Augustini, Gregorij, & cæterorum omnium, Petrum Apostolum, tum fuisse à Christo electum, Apostolorum caput, tum Episcopum Ecclesiæ Romanæ, iam ipsa potestate primatus vsum fuisse, & in Asia, in Ægypto, & in Græcia Episcopos sub Romano Papa fuisse, tum etiam Antiochenos, Athenienses, Alexandrinos, Constantinopolitanos, Dardanos, Carthaginenses, Corinthios, & Africanos Episcopum Romanum tanquàm primum, ac Episcoporum maximum veneratos esse, & diligentèr, ac religiosè semper obseruasse.

Item Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, & omnes tam Asiæ, quàm Aphricæ, & Europæ Synodos Ecclesię Romanæ iudicio suas sententias submisisse.

Quibus porrò animaduersis in lib. 2. de consideratione ad Eugenium clarè docet Bernardus ijs ferè verbis: Episcopum Ecclesiæ Romanæ supremum esse Pontificem, ac Episcoporum primum potestate Petrum, Vnctione Episcopum vnum, solumque Pastorem omnium Pastorum, cui traditæ sunt claues, cuique commissæ sunt oues, pastores alij greges habent sibi deputatos, vnusquisque suum peculiare, sed Episcopo Ecclesiæ Rom. greges commissi sunt omnes, nec oues tantum, sed etiam Pastores: & ideo Pastor est omnium Petri locumtenens, qui potest (inquit) peremptoriam ferre sententiam. Manifestum est enim, quòd Episcopos deponere ad Romani solius Episcopi pertineat authoritatem, quòd si vocati sunt alij in partem solicitudinis Episcopi multi, ille tamen solus plenitudinem potestatis habet.

In illa rursùs ad Mediolanen. epist. n. 131. Plenitudo (inquit) potestatis super vniuersas Orbis Ecclesias singulari prærogatiua Sedi Apostolicæ donata est. Itaque qui huic potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Potest ille, si videtur vtile, nouos Episcopos ordinare, vbi nunquàm fuerunt hactenùs: potest ex illis, qui sunt, hos deprimere; & illos eleuare, prout illi suadebit ratio: potest ab extremis terræ finibus quascumque sublimes personas Ecclesiasticas euocare, & eas ad assistendum sibi compellere, non semel, neque bis modò, sed toties, quoties illi videbitur expedire. Potest etiam omnium vindicare inobedientiam, si fortè, quis conetur rebellare. Hanc Bernardus sententiam annis ab hinc circiter quadringentis vigintiquinque de Romani Episcopi potestate tenuit, docuit, & prædicauit. Quam certè Bernardus ipse suo tempore docebat, non sui ipsius tantùm secutus opinionem, sed Ecclesiasticam traditionem à teneris annis edoctus, vti Ecclesiam prius inuenerat, docuisse, ac prædicasse sexcentis ante se circiter annis, Augustini scilicèt, Hieronymique temporibus, & multò etiam antè notatum à Sanctis viris animaduerterat.

Rursùsque didicerat Ecclesiam, Augustini sæculo, hac in causa docuisse, prædicasseque, vt ante se inuenerat prædicatum per manus, ætatesque, & ab Apostolorum vsque temporibus, vt suprà etiam demonstrauimus.

Erat igitur, qui ponit plures esse summos Pontifices, & singulos quosque Episcopos in sua diœcesi supremos Pastores, atque Episcopo Romano pares, vel qui de vnitate Ecclesię dubitet, committens ille quidem in fidei articulum, quo credimus vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam esse cæterarum matrem, & principem.

Atque

Atque hic sanè error notatus à Bonifacio VIII. reperitur publico decreto in extrauaganti, Vnam Sanctam, inter extrauagant. commun. in hæc planè verba: Nos declaramus, diffinimus, & pronunciamus omninò de necessitate salutis esse omni humanæ creaturæ Episcopo Romano subijci: Petro enim dictum est, Pasce oues meas: quando generalitèr, aut indefinitè Christus dicit, non singulatiter, has autem intelligitur omnes vniuersaliter illi commissas. Quare, si Græci, aut alij dicunt se non esse oues à Christo Petro commissas, & successoribus eius, oportet, vt confiteantur illi se Christi oues non esse, cùm dixtrit non esse, nisi vnum ouile, & ideò B. Gregorius in registro formulam abiurandi schismata recitans, tradit, vt abiurans Papæ promittens in vnitate Ecclesiæ Catholicæ, & communione Episcopi Romani se mansurum perpetuò.

Quòd si quis dicat, vtile non esse, Episcopum Romanum Catholicæ, atque vniuersali Ecclesiæ, præsidere, vel quia Ecclesiam in omnes gentes per vniuersum terrarum Orbem longè, lateque diffusam, vix solus potest pascere, seque omnibus exhibere, vel quoniam, quæ vocantur dona gratiarum, veluti Episcopatus, & dispensatione ministeriorum Dei, congruentius, celerius, ac facilius Christianis hominibus per omnes Episcopos potestate pares, quàm per vnum Ecclesiæ Romanæ Episcopum distributæ diffluerent, si Prouinciæ singulæ, singulos summos haberent Episcopos, nec tòt mensium, atque adeò annorum itinere procul distantibus locis ad Vrbem Romam esset confugiendum, vel quòd eius decreta generalia de ordinandis, instituendis, & conseruandis presbyteris, de contractibus, de censuris, cæterisque pœnis, & alijs rebus Ecclesiasticis, non facilè nota erunt omnibus populis, eoque saltim (aiunt isti Sophistæ) plures authoritate pares esse oportere: alioqui fatendum esse, Populum in aliquo totius Orbis angulo Romanorum Pontificum constitutiones ignorantem, eoque inter consanguineos, aut affines contrahere nuptias solitum, facilè animarum periculum, ac iacturam posse pati. Hæc, & similia euomere quotidie improbi solent.

Qui verò illis velit, vt omninò debet, resistere, omnique non modò contentione, sed etiam dimicatione pugnare, nec pati aliquo pacto doctrinis varijs, & peregrinis (vt dixit Paulus ad Hebr. cap. 13. abduci) is positum in primis defendat Ecclesiæ Romanæ Episcopi vnius in vniuersum esse mundum, pascere, non præsentia quidem, vt dicitur corporali, sed prouidentia, studioque curare, vt omnes Christiani homines congrua animorum percipiant alimenta, & cæteri ad veram fidem suscipiendam incitentur. Quòd potissimùm Paulo curæ fuit, non solùm sibi ipsi, ac musis (vt est in prouerbio) canere, ac tantùm quid sequendum, quid fugiendum monere, sed etiam ipsos lupos arcere, peccantes corrigere, in viam salutis dirigere, & ab aduersariorum insidijs, manibusque eripere, ac prouidere, vt religio in dies magis diffunderetur Christi Iesu, qui Iudeæ licèt limine pedem non extulerit, tamen suam fidem prædicaturos Apostolos in vniuersum Orbem delegauit.

Denique illud quoque tenere oportet, Ecclesiæ membra non coniunctione vicinitatis locorum, sed consentiente fidei, atque Christianæ charitatis cohærere concordia, Christianamque charitatem suum cuique seruare, ac reddere, & ordinem non interuertere, & quos Patres posuerunt fines, non pertransire, nec ambitione, nec cupiditate, aut amore, neque odio, à recto, Sanctoque proposito diuertere; neque imperium, ac potestatem recusare. Scitum est enim eiusdem Pauli Apostoli dictum: Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, in epistola ad Romanos cap. 13. Et apud nostros in cap. omnis anima, de censib. quod sanè ego canonis caput sorte interpretandum datum, non iudicio electum explicaui eo die, quo fui publicè omnium consensu I. V. D. renuntiatus anno ab hinc 15.

Prætereà non obliuiscatur, qui veritatem est defensurus, constitutiones Pontificias, quò ad pœnam non ligare eos, qui ignorent, at actum omninò reddere nullum cap. si eo tempore, de elect. lib. 6. Fely. in cap. cæterùm, extra de rescript. num. 19. vers. prima restrictio, cum alijs à Philippo Probo in annotation. ad Io. Monach. in cap. tibi eodem tit. de rescript. in 6. num. 18. & in cap. quodam, de præben. & dig. eod. lib. 6. & plenius multò de ignorantia excusante, vel non excusante, aut à toto, aut à tanto, vt loquuntur, declarat Turrecremat. in capit. turbatur num. 10. & seq. 1. quæst. 5. dicens, etiam ignorantiam esse, vel rei, quam scire oportet, & non excusare; vel rei, quam scire non omninò opus sit, nosse, & tunc excusare.

Nouerit postremò vti secundum carnem, qui dicuntur, filij longiori licèt locorum interuallo distent à parentibus, tamen eis, quam debent obedientiam præstant, quæ viderint ab ipsis parentibus esse profecta amplectentes; sic quo vis loco Christiani degant, etiam si qui essent, qui ne fama quidem Romanam Ecclesiam nouerint, intelligentes præceptum aliquod Ecclesiæ Romanæ, vt filij, qui meritò in Christo vocantur, obtemperantes esse debent; cum tamen re vera non sit credendum tales esse Christianos, vllo in Orbis angulo populos, cum ab incunabulis, nascentisque Christianæ Romanorum Religionis vbique iuuulgatam, ac nuntiatam fuisse fidem testatur etiam Paulus Apostol. ad Rom. 10. ex Propheta in illo versu in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum: & expressiùs, ac significatiùs multo ex Seruatoris nostri Christi Iesu testimonio apud Marc. c. 16. ibi, & dixit eis, euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ &c. quod est etiam inuenire apud Matth. cap. 28. cum tamen (vt illud etiam interim moneam) Christiani primi in Antiochia dicti sint, vti facilè est inuenire apud acta Apostolorum, in cap. 11.

At si quis etiam, atque etiam instet, vrgeat, insectetur asseuerans eiusmodi reperiri populos posse, is saltim acquiescat, non ignorans posse etiam veram cordis conuersionem, ac peccatorum remissionem esse, sine suscepto baptismare, non tamen baptismo contempto, vt facile est dignoscere ex ijs, quæ not.

D. Thomas in 3. parte, & D. Ambrosius de Valentiniano illis verbis, Quem regeneraturus eram, amisi, verùntamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit, &c. Et pleniùs multò persequitur Turrecrem. in c. quisquis nu. 1. & 2. & 3. de consecrat. dist. 4. Nam quo pacto posset esse vera cordis in Deum conuersio, vbi præceptum eius, aut Sacramentum contemneretur, contrà illud Ioel. cap. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, &c. & aliud Ezechiel. cap. 18. In quacunque die peccator conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet. Item conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, &c. quod etiam est expræssim relatum in c. porrò 5. hoc idem. de pænitenti. dist. 1. & ibi Turrecrem. nu. 1. & 2. & nu. 6. vbi etiam notat, contritionem cordis absque satisfactione prodesse sæpè posse, ac sine contritione satisfactionem nunquàm, & ideò Christum Iesum id postulasse, ac mandasse legitur apud Matth. cap. 22. in fin. quod etiam traditum reperiebatur Deuter. cap. 6. Leuit. 19. quasi maximum ac præcipuum legis præceptum, scilicèt Dominum Deum ex toto corde, toto animo, totaque mente. & vt scripsit Marc. cap. 22. ex tota virtute, atque intellectu diligendum. Deum enim diligens ex toto animo eius, diligenter mandata curat, atque agit. Deuteronomij cap. x. & qui contemnit, & non persequitur, is omninò perit, nedum non diligere videtur vt eod. in lib. dicitur cap. 8. & satis iam constat, Dei nomen confitentium labiorum esse, laudem ipsi, quasi hostiam offerre in præstanda Præfectis, ac Præpositis obedientia, illisque se obsequentes, & subiectos præbendo, & communicando, vt dixit Paulus ad Hebræos cap. 13. ibi, Beneficientiæ autem, & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur; bonis obedite præpositis vestris. Nemini igitur mirum, aut absurdum videri debet dictum, non posse Christianos reperiri populos, qui Petri Cathedram, Romanamque Ecclesiam, cuius præcepta contemnant, cum omnes præceptis eius Sanctæ Sedis Apostolicæ teneantur parere, & non obedientes grauius peccent. c. si qui sunt 81. dist. vbi Turrecrem. in princ. & nu. 4. eoque merito Cyprianus in ea epistola 3. lib. 1. dixit in hæc verba: Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Ecclesiæ ad tempus Sacerdos vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquàm moueret, nemo post Diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, Iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret, & pauló post, Sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis est, qui putet sine Dei iudicio fieri Sacerdotem, cùm Dominus in Euangelio suo dicat, Matthe. x. Nonne duo passares asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris vestris voluntate; cum ille, nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa, & magna, aut non sciente aut non permittente Deo, in Ecclesia Dei fieri, & Sacerdotes, id est dispensatores eius, non de eius sententia ordinari, hoc est fidem habere, qua viuimus, hoc est, Deo honorem non dare: cuius nutu, & arbitrio regi, & gubernari omnia scimus. Hæc Cyprianus.

Primatum verò Petri nullius Ecclesiæ membris obesse, indè etiam apparet, quòd Sacerdotalis vnitas à Christo deriuata per Petrum procerius toto terrarum orbe proiectis brachiis productior excurrat, sic, vt si Christianus aliquis populus in finibus Orbe sine Sacerdotio, & Episcopatu constituatur, qui nec per literas, nec per nuncium, aliamuè rationem ad Rom. Episcopum, aut alium forsan ab ipso Præfectum possit accedere populus ille, quò ad non baptizatos, Babtismatis habebit remedium, quod etiam laicis conceditur in necessitate ministrare, vt constat d. 4. dist. de consecrat vb num. 1. & sequen. idem Turrecrema. Quò verò ad baptizatos, & relapsos, sacrificium contriti cordis ex fide Christi Iesu eum desiderio coniuncta poterit, quæ per Euangelium nouerit ad salutem esse necessaria, explere. Præterea Deus, qui tali populo rectam fidem, qua purgare se possit, & (vt dicitur) iustificare, inspirabit sua misericordia, ac lumine Diuini Spiritus illuminabit, vt sciat quid agere debeat, & eum ex inperfecta etiam recepta quidem fide cum Cornelio Centurione ad se precibus, atque eleemosynis confugientem recipiet, ac fouebit. quemadmodum etiam in Ecclesiastica hist. lib. 10. cap. 1. narratum est de Iudæis, in Tyriis, & eiusdem lib. 10. cap. 2. de Hiberis eodem tempore sub axe pontico per captiuam mulierem conuersis.

Ac porrò, vel vnum esse oportere Principem, & non plures, probatur etiam Philosophi testimonio in 12. *meta ta physica* ex quo vulgare iam factum sermonem prouerbium recensetur, pluralitas Principium mala est, vnus ergo Princeps, &c. eoque tantò magis vnitatem Ecclesiæ tenendum, etiam veluti sacramentum; quod sic velim acceptum, vt ex sententia diui Thomæ, Turrecrem in c. denique nu. 1. vers. respondeo 7. q. 1. declarat: vt interim taceam, duplicem esse vnitatem Ecclesiæ, Alteram interiorem, ac secretam ex fidei potissimùm, speique, & charitas integritate constantem: Alteram exteriorem, latèque patentem, videlicet societatem, & communionem sacramentorum, vt idem Turrecrem. notans in d. 4. dist. de consecrat. c. est vnitas nu. 2. explicat.

Vndè necessaria omninò deducitur conclusio, Pontificem Ecclesiæ Romanæ vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, Christi Iesu Vicarium, & Apostoli Petri successorem, non autèm Petri ipsius Vicarium. Idque sanè tenendum esse, & minimè dubitandum, non solùm quia Bernardus, Cyprianus, Hieronimus, Augustinus, & cæteri patres ita docuerint, sed etiam, quia iam initio crescentis ipsius Ecclesiæ in omni cuiusque temporis statu, veluti per manus à Christo ipso traditum, & sacris confirmatum literis creditum, sancitumque; & prædicatum liquet.

Atqui nullum licèt de rebus his extaret testimonium, Ecclesiæ tamen authoritas, quæ semper apud bonos maximum pondus habuit, satis esse deberet. Annis enim ab hinc mille ducentis in Nicæna Synodo Patrum omnium consensu approbatum est, atque confirmatum, Concilia celebrari non posse absque.

que. Rom. Episcopi consensu, & qui suspectos habebunt, aut Metropolitanum, aut Iudices suos comprouinciales, posse ad Rom. Sedem prouocare, vt suprà retuli: Cuius rei consequens est, falsò, impièque asseuerare quosdam Primatum Ecclesiæ Romæ quadringentis annis: aut à Siluestro Papa initium, ducere, aut probari non posse, nisi quibusdam fri-gidis Papatum (vt ipsi loquuntur) decretis, nam ab incunabulis, & rudimentis Sanctæ veteris, nascentisque Ecclesiæ constat, omnes consensisse Rom. huic Ecclesiæ concedi omninò nebere primatum, ex verbis Christi Pasce &c. in Euangelio Petro dictis Matth. 16. Ioan. 21. verbum enim illud Pasce, significat rege. Ezech. 34. Esdr. 44. & 56. Hierem. 1. & 22. psal. 22. & sapientia attigi cap. 8. n. 20.

Sed quid magis expræssè conscriptum poni exemplum potest, quàm illud apud Luc. 22. Simon ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret, sicut triticum, ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, &c. vt omittam quod considerauit beatus Bernardus in libello de consideratione ad Eugenium ex illo Ioan. 21. loco, in quo narratur solum Petrum super aquas maris deambulasse, & ad Seruatorem nostrum peruenisse.

Ex his igitur omnibus diligenter animaduersis dilucidius, planiusque apparet, quàm vt ampliùs sit laborandum, quod omnes omnium Ecclesiarum Christiani debent illud omninò affirmare, & in hanc etiam conuenire sententiam, vt sub Cathedra scilicèt Petri cunctis Ecclesijs præferenda, vnitatem ipsam Ecclesiæ omninò profiteantur.

CAPVT XI.

Romæ fundatam Ecclesiam Dei à Petro, & Paulo Apostolis, & Cathedram Episcopalem à Petro & constitutam, & vigintiquinque annis rectam.

QVò verò facilius quisque intelligat; iamque accipiat, & Romæ ab Apostolis Petro, & Paulo Ecclesiæ fundamentum constitutum, & Romæ Petrum plures annos Cathedram, ac primatum tenuisse, quibus nostra comprobatur sententia, ad hanc scilicèt Principem, & Reginam Sedem confugientem in grauioribus quibusque negotijs, pauca hæc perlegat.

Romæ quidem fundatam esse Ecclesiam à Sanctissimis Apostolis Petro, & Paulo, testis est Irenæus vir Apostolicus Auditor Policarpi, qui Ioannis Apostoli, & Euangelistæ fuit Discipulus, ait enim in lib. 3. contra hæreses, cap. 1. Petrus, & Paulus Romæ Euangelium prædicarunt, & fundauerunt Ecclesiam. Idem in eiusdem lib. cap. 3. Maximæ, inquit, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habent ab Apostolis traditionem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos iudicantes, confundimus omnes illos, qui per cæcitatem, & prauam sententiam, præterquàm oportet, colligunt &c. Idem paulò post: Fundantes, & instituentes beati Apostoli Ecclesiam Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Idem testatur Tertullianus Presbyter, & author vetustate, & eruditione insignis in lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, his verbis: Habes Romanam Ecclesiam, vndè nobis authoritas præstò est statuta, fælix Ecclesiæ, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo fuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur. Vbi Paulus, Ioannis exitu, coronatur: Vbi Ioannes, postea quàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, & in insulam relegatur &c. Et idem in lib. 3. aduersus Marsionem dicens, Romanis Euangelium Petrus, & Paulus sanguine suo signato reliquerunt, &c. De Ioanne etiam Apostolo, & Euangelista in oleum igneum demerso scripsit ex Græcis Gregorius Nissenus, & Beatus Hieronymus, qui citat testem huius rei Tertullianum.

Atque ipsum Beatum Petrum Apostolum in Vrbe Roma Cathedram Episcopalem constituisse, testatur etiam Optatus Apher Episcopus Meleuitan. quem Beatus Hieronymus enumerat inter Ecclesiasticos Illustres scriptores. Ille enim Optatus in 2. aduersus schisma Donatistarũ ponens seriem Romanorum Pontificum ignorantiæ, inquit, tibi ascribi non potest scienti in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur. Nec cæteri Apostoli singula sibi quisque defenderent: schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocauit. Ergo Cathedra vnica est, in qua sedit prior Petrus, cui successit Linus, & cæteri suo quisque tempore, &c. Hæc scripsit Optatus Meleuitan. de Cathedra Petri in Vrbe Roma.

Sed multis annis ante illum huius Cathedræ mentionem multis in locis fecit insignis Martyr Cyprianus, qui etiam enumerauit seriem Rom. Pontificum à Beato Petro Apostolo vsque ad Anicetum. Epiphanius etiam Cypri Salaminæ Episcopus eruditione, Sanctitate, & totius Orbis testimonio Illustris, vt de illo testatur Beatus Hieronymus in his, quæ conscripsit aduersus hæreses Ioannis Hierosolymitani, scripsit de Episcopatu Petri Apostoli in Vrbe Roma, præter alios, Seuerus Sulpitius in 2. lib. sacræ Theologiæ, his verbis: Eo tempore, quo Nero Christianum nomen tollere agressus est, Diuina apud Vrbem religio inualuerat, Petro ibi Episcopatum gerente; & postea quàm ab iniusto Præsulis iudicio, Cæsarem Appellauerat, Romam deducto, ad quem tum audiendum plures conueniebant, qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebrò ediderant, permoti ad cultum Dei se conferebant.

Et eundem Petrum Apostolum Romæ 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuisse, testis est B. Hieronymus in lib., seu Cathalogo virorum Illustrium, vbi de Petto Apostolo scripsit his verbis: Simon Petrus filius Ioannis, Prouinciæ Galileæ, Vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochenæ Eccle-

siæ,

siæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circuncisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithinia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis, idest 14. à quo etiam affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatus; asserens se indignum, vt sic crucifigeretur, vt Dominus suus, sepultus Romæ in Vaticano iuxta viam triumphalem, totius Orbis veneratione celebratur. Hæc Beatus Hieronymus scripsit de beato Petro Apostolo, quæ verè ab eo scripta fuisse, multis rationibus probate possumus, si qui sunt, qui dubitent. ¶ Conuenit cum beato Hieronymo Aurelius Cassiodorus Senator, & postea Monachus probatæ fidei scriptor, qui præter. quàm quòd in chronicis memoriæ prodidit, Syluano, & Othone Coss. 5. Apostolos Petrum, & Paulum Romæ trucidatos fuisse à Nerone, scripsit de Beato Petro Apostolorum Principe in lib. de institutione Diuinarum literarum, & de viris Illustribus. Sic enim etiam inscriptus est liber ille his verbis. Hic, postquam Antiochenam fundauit Ecclesiam, sub Claudio Cæsare, contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Euangelium, 25. eiusdem Vrbis tenuit Pontificatum, sexto autem, & trigesimo anno post passionem Domini à Nerone Cæsare in Vrbe Roma capite deorsum verso, vt ipse voluit, crucifixus est: sicque post Apostolorum meritum, etiam martyrio coronatus: sepultus est in Vaticano secus viam triumphalem tertio lapide ab Vrbe ad Orientalem plagam. Hæc Cassiodorus ex Senatore Monachus scripsit de Principe Apostolorum, quæ totidem verbis scripsit etiam Idorus Hipolen. in lib. de vita, & morte quorundam Sanctorum: ¶ Petrum autem Apostolum in Vaticano fuisse cruci affixum, non solùm testis est Beatus Hieronymus, Cassiodorus, & alij Latini Scriptores, sed etiam Eusebius Cæsariensis rerum antiquarum peritissimus, qui in lib. 2. Ecclesiasticæ hist. citat Caij scriptoris vetustissimi, qui fuit sub Zephiro Romanæ Vrbis Episcopo, & Dionisij Corinthiorum Episcopi, testimonium de Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli martyrio, quòd scilicèt vtriusque Apostoli, illius quidem in Vaticano, alterius verò in via Hostiensi constituta fuere Trophea. Quòdque eodem tempore in eadem Vrbe Roma martyrium perpessi fuerint. Hæc scribit Eusebius Cæsariensis in histor. Ecclesiastica, quam Græcè scripsit multiplici rerum cognitione refertam, ob idque legendam censet Gelasius Papa, ¶ & idem Eusebius in lib. de temp. dicens: Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat, & nullam decentiorem, aut Christo ipsi magis acceptam Sedem fuisse censemus, quàm, quæ Sanctissimorum Apostolorum Petri, & Pauli sanguine consecrata, æternisque tropheis illustrata, Romam ipsam ad eam gloriam prouexit, vt esset gens Sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis, & Regia, vt caput Orbis effecta, latius præsideret religione Diuina, quàm dominatione terrena, vt præclare dictum est à Leone illo magno Rom. Pontifice in sermone de die natali Apostolorum. ¶ scribit Athanasius Alexandrinus Patriarcha vir egregiæ Sanctitatis, & doctrinæ in Apologia illa nobili de fuga sua: Petrum Apostolum audisse à Domino, quòd oporteret se Romam conferre. Itaque perfectionem illam non recusasse, sed promptο, atque alacri animo ad eam Vrbem profectum libenter, ac fortiter pro Christi confessione martyrum pertulisset. ¶ Conuenit cum Athanasio Ambrosius Mediolani Episcopus Doctor illustris, & Sanctus, in oratione, quam Sanctissimus ille vir babuit in Auxentium his verbis scriptam. Petrus, victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceretque castimoniam, excitauit animos Gentilium, quibus cum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet: ille, quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum, & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? nocte egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbemque, ingredi, ait; Domine quò venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem Diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passionis susceptæ mortis exuerat, quod enim mortuum est, mortuum est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo, itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis, responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.

Hæc scripsit B. Ambrosius, quæ porrò multis annis antea memoriç prodiderat Egesippus vicinus; ac proximus Apostolorum temporibus, vt est legere in lib. 3. eorum, quæ scripsit de Hierosolymitano excidio. Hæc eadem notata inueniuntur in lib. de martyrio Apostolorum grecè scripto mihi commodato, ac legendo dato ab illis diui Basilij Magni ordinis Patribus, ac religiosis viris, Sanctitate quidem, ac bonitate præstantibus ad Tusculanum, eo sanè in loco, qui vulgò à nostris, Grottaferrata vocatur, degentibus; ex quo planè libro vix paucioribus cogoito hæc Græcè scripta decerpsi; idest, ante paucos dies rogatus à fratribus secedebam, & ecce vidi Dominum meum Iesum Christum, quem adoraui, & his verbis affatus sum: Domine quò vadis? Venio, inquit ille, Romam iterum crucifigi, sequens igitur illum, reuersus sum Romam &c. & paulò post in eadem martyrij historia scriptum est, ostendens, quod dixi, Apostolorum, scilicet principis Petri corpus hic Romæ conditum in hæc verba, hoc est, sustulerunt corpus Sancti Petri clàm, & posuerunt illud sub Tiberiutho propè Naumachiam in loco, qui dicitur Vaticanus. Hęc ex historia illa martyrij Beatissimorum Apostolorum Græcis literis, iisque vetustissimis scripta huc transtuli: vt multis probatis testimonijs ostenderem Diuina quadam dispositione factum fuisse, vt Petrus Apostolus ad hanc

hanc vrbem Romam reuerſus, martyrium hic pateretur, quemadmodum etiam Innocentius Tertius Rom. Pontifex rectè his verbis annotauit: Locus, quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur, ſi quòd eam Dominus in ſe ipſo lapide angulari fundauerit, attendatur, cùm inquit ad Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vndè, cùm ipſe Petrus Vrbem fugiens, exiuiſſet, volens Dominus eum ad locum, quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo: Domine quo vadis? Venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Idem Innocentius in alio ſermone traditur (inquit) Dominus Ieſus occurriſſe B.Petro, & tam ipſi, quàm pro ipſo dixiſſe: Venio Romam iterum crucifigi. Hæc Innocentis III. Romanus Pontifex ſcripſit. Quibus aſſerit Romanam Vrbem locum eſſe, quem elegit Dominus, ad eumque reuocatum Sacerdotem Petrum Apoſtolum, vt illic Apoſtolicæ Sedis figeret principatum.

Non autem factum temerè, aut caſu aliquo putandum eſt, vt in eo potiſſimùm Vrbis loco cruci affigeretur, ſed Diuina diſpenſatione illud quoque factum fuiſſe exiſtimandum; vt qui Vrbem ab Idolorum ſuperſtitione ad Chriſti fidem conuerteret, is etiam locum illum ſcelerum ſordibus conquinatum, ſanguine ſuo purgaret, Sanctumque faceret, Diuinæ diſpoſitionis opus magis dignoſceretur. Quemadmodum autem Apoſtolum ipſum Roma ſecedentem, ad eandem Vrbem Domini voce reuocatum fuiſſe, ex probatorum auctorum teſtimonijs cognouimus, ità etiam conſideremus Beatiſſimorum Apoſtolorum beatiſſima corpora, conatos quidem fuiſſe nonnullos ex his locis auferre, in quibus primùm poſita ſunt, & in alienas regiones transferre. Sed Diuina virtute perterritos id minimè facere potuiſſe, cuius rei teſtem locupletiſſimum habemus B.Gregorium Romanum Pontificem, qui in ea epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam ſcripta, ait: De corporibus beatorum Apoſtolorum, quid ego dicturus ſum? dum conſtet, quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicut ciuium ſuorum repeterent, quæ ducta ad ſecundum Vrbis milliarium, in loco, qui dicitur cathecumbas, collocata ſunt; ſed dum ea exindè leuare omnis multitudo eorum conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulgoris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denuò nullatenus attentare præſumerent. Tùnc autem exeuntes Romani, eorum corpora (qui hoc ex Domini pietate meruerunt) leuauerunt, & in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.

Qui ergo nunc Sereniſſima Domina tam temerarius poſſet exiſtere, vt hæc ſciens, eorum corpora, non dico tangere, ſed aliquatenus præſumat inſpicere? Idem S. Gregorius in eadem epiſtola, corpora, inquit, Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, tauris in eccleſijs ſuis coruſcant miraculis, atque terroribus, vt neque adorandum ſine magno illuc timore poſſit accedi. Hæc Gregorius Magnus.

Aliud quoque oſtendens Apoſtolorum Petri, & Pauli corpora Romæ eſſe legitur in Pontificali libro Damaſi his verbis ſcriptum: Cornelius Epiſcopus rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli à Cathecumbis leuauit noctu, primùm quidem corpus B.Pauli, Beata Lucina poſuit in prædio ſuo, via Hoſtienſi, iuxta locum, vbi decollatus eſt: Beati verò Petri corpus accepit B.Cornelius Epiſcopus, & poſuit iuxta locum, vbi crucifixus eſt, inter corpora Sanctorum Epiſcoporum in Templo Apollinis, in Vaticano palatij, Neroniani. Hæc ex pontificali lib. Damaſi deſcripſi, quæ ſunt iiſdem planè verbis in epiſtola prima Cornelij Romani Pontificis, de tranſlatione corporum Apoſtolorum Petri, & Pauli inſerta: ſic enim ille ſcribit de B.Petri corpore: Beati Apoſtolorum Principis Petri accepimus corpus, & decenter poſuimus illud iuxta locum, vbi crucifixus eſt inter corpora Sanctorum Epiſcoporum in Templo Apollinis in Vaticano palatij Neroniani.

Ex eo verò, quòd ſcribunt Cornelius, & Damaſus, B.Petri corpus decenter poſitum fuiſſe inter corpora Sanctorum Epiſcoporum in Vaticano, apertè intelligimus fuiſſe multorum Sanctorum Romanorum Pontificum, qui Petro Apoſtolo ſucceſſerant, corpora, in Vaticano ſepulta, conſtructum enim locum, vbi Epiſcopi Romani ſepulturæ tradi poſſent, legere eſt libro Pontificis Damaſi, vbi ſic ſcriptum reperitur. Anacletus memoriam Petri conſtruxit, & compoſuit, dum Presbyter factus fuiſſet à beato Petro, vbi Epiſcopi reconderentur ſepulturæ. Conſtat igitur teſtimonijs vetuſtiſſimorum auctorum, non modò quod hoc ipſo ſum capite perſecutus, Romæ ſcilicet fundaſſe, & conſtituiſſe Eccleſiam Beatiſſimos Apoſtolos Petrum, & Paulum, & 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuiſſe Romæ Petrum, ibique adminiſtrandæ Eccleſiæ Epiſcopatum Lino tradidiſſe, atque in ea Cathedra, in qua ſedit princeps Apoſtolorum, ſediſſe reliquos, qui ſuo quiſque tempore legitimè ſucceſſerunt, & in poſterum, vſque ad ſæculi conſummationem ſuccedent, ſed quod ſupra notaui, Epiſcopos Apoſtolis quidem ſucceſſiſſe, atque externam iuriſdictionem Hierarchiæ moderandæ ab ipſo Papa habere, ratione (vt dicitur) ſuppoſiti, & Romanam Eccleſiam Petri ipſius fundamento cæteris præeſſe, & Petro pro ſe, omnibuſque futuris ſummis Pontificibus tributam poteſtatem, vt ſuprà cap.6. & 7. & 8. & 9. demonſtraui.

Quibus addo Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum anno Domini 50. Romæ degentem ſic teſtatum, Vos habentes commonitionem à Petro, & Paulo, plantationem Romanæ Eccleſiæ coniunxiſtis, ambo etiam aduentantes, atque in hac Vrbe ſimul docentes, etiam martyrio pariter vno, eodemque tempore coronata ſunt &c. vt etiam patet Caium illum paulò ante citatum ſub Senerino Papa dixiſſe.

Egeſippum prætereà, qui, Aniceto Papa Cathedram regente, Romam venit, anno circiter 160. ſcribentem in ſuprà etiam citato quandoque libro tertio de excidio Hieruſalem, quæſiſſe Neronem cauſas Apoſtolos occidendi, & comprehendendos mandaſſe, &

Pe-

Petrum rogatum à multis, vt secederet, facilè est notare.

Nec prætermittendum censeo, Io. Euangelistæ Discipulum illum beatum Ignatium ad Tharsenses, scribentem in hæc verba. Quid, quòd Petrus crucifixus est? Paulus, & Iacobus gladio obtruncati sunt? Ioannes in Pathmum relegatus?

Itemque Ambrosium in sermone 67. inquientem: Non sine causa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam, vna die passi sunt. vt ad Christum pariter peruenirent, vno in loco ne alteri Roma deesset &c. & ibi paulò infrà probantem passos Petrum, & Paulum in hac Vrbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet nationum. Quo sanè testimonio Henrici illius, quem solitarium speculator mox citandus vocat, opinio conuincitur, existimantis, Paulum anno à Petri morte passum, vt ex Pelagio, Nicolao, & Ambrosio, docet etiam Speculator in suo pulcherrimo tractatu in scripto rationale Diuinorum officiorum, lib. 7. cap. 15. cuius est initium, De Petro, & Paulo quæstio est, in principio.

Sed quo pacto præterire potero Paulum Orosium lib. 6. hist. cap. 6. dicentem in hæc verba. Anno ab Vrbe condita octingentesimo quinto, Tiberius Claudius ab Augusto Quartus Regnum adeptus est, mansitque in eo annis 14. exordio Regni eius Petrus Apostolus Domini Nostri Iesu Christi, Romam venit, & salutarem cunctos credentes fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit, atque exinde Christiani Romæ esse cæperunt &c. eumdemque subdentem in cap. seq.

Nero primus Romæ Christianos supplicijs, & mortibus afficit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit, ipsumque nomen extirpare conatus, Beatissimos Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

Et illud omninò patet ex Cathedra Petri Apostoli, & Ecclesia principali vnitatem Sacerdotalem exortam esse, vt asserit Beatus ille martyr Cyprianus in epist. 4. quam scripsit ad Cornelium Romanum Pontificem, & Optatus Meleuitan. Hieronymus Presbyter, & Augustinus viri doctrina, & Sanctitate insignes affirmant.

Cui planè rei consequens est, non iniuria à pijs omnibus semper esse obseruatum, quasi Diuina lege sancitum, ad hanc ipsam Petri Cathedram primas perpetuò apud omnes gentes obtinentem, maiores Episcoporum capitales causas deferri oportere. Si enim hæc sancta Sedes primatum (qui vocatur) inter cæteras habere dignoscitur, vt certè fateri omnes debent. Si Petri est hæc Cathedra, vt porrò est, si Petro auctoritas, & iurisdictio pro se, alijsque omnibus, qui post eum fuerint, eorunque legitimis successoribus, Summis Pontificibus à Christo Iesu est tributa, vt tributam esse constat, si Episcopalis quidem summa dignitas Catholicæ Sedis, & Papæ auctoritate est inferior, vt sanè est, si super petram constituit Christus Ecclesiam, vti fundatam quidem eam, & matrem, & Principem Ecclesiarum omnium esse voluit, mirum certè nemini videri debet, quod sæpiùs dictum est, ratione quoque comprobatum omninò apparere, scilicet Episcoporum in partem (vt loquuntur) sollicitudinis Papæ adscitorum, & laboris sociorum, causas criminales, quas maiores vocant, ad Papam, Sedemque Apostolicam, veluti caput, & fundamentum necessariò esse referendas, ipsosque Episcopos omnes minores maiori Episcopo Romano oportere obedientes esse, vt etiam Bonifacius II. qui fuit quinquagesimus quintus in illa ad Eulalium epistola de reconciliatione Carthaginen. Ecclesiæ, vndè depromptum fuit decretum illud inscriptum in canone. Ad hoc dispensationis 89. distin. & confirmat epistola precum ipsius Eulalij, & Iustini pro ipsa reconciliatione inscripta.

CAPVT XII.

Quæ in contrariam partem à negantibus capitales Episcoporum causas ad Papam deferri oportere, dicta reperiuntur, partim specialiter, partim generaliter confutantur. & Auctoris sententia concluditur, & quid prouidendum sit, monetur.

Quoniam verò nostram hactenus sententiam, quam hic potissimùm intendaremus, non solum argumentis, rationibus, sed iure, & legibus, & varijs Canonum, Conciliorumque decretis, atque exemplis confirmauimus: iam contraria, quæ à negantibus capitales Episcoporum causas ad Papam deferendas, dici possent, refutemus, ac refellamus, oportet, ne quid prætermisisse videamur, quod nostri sit huius argumenti, dicemus igitur neminem nos inuenisse hactenus ex nostris Doctorem, qui attigerit difficilè admodum huius rei argumentum continens caput legis, quicumque residentibus, C. de Episc. & cle. vbi apertè videtur statui, Episcopos ab alijs Coepiscopis Episcopali posse loco, & nomine detrudi, & detrusum, expulsumque minimè posse rursus petere se restitui, & sic non videtur esse verum, quod suprà est confirmatum, non posse ab alio, quàm à Papa Episcopum priuari, eum in dict. l. quicumque ab Episcopis priuatum Episcopum, & ab Imperatore ipso prohibitum posse principis rescriptum ad redeundum impetrare, nisi ex certa (vt dicitur) scientia Imperator rescripserit, planè constet secundum communionem opiuionem, quam ibi testatur Salyce.

Verùm enimuerò sublatum esse videtur illius tex. argumentum, tum ex ijs, quæ dixi notari præcipuè à Felyno affirmante, Iura quæcumque dicentia Episcopum ab alio, quàm à Summo Pontifice quandoque damnatum, esse antiquata; tum, vt ego arbitror. quia tex. in l. quicumque ab Archadio, & Honorio Augustis fuit promulgatus, quo tempore Imperium Cæsarum nimium, sibi tribuebat, & arrogabat. Vel certè (quod magis probo) detrusum, & expulsum Episcopum à Sacerdotibus, id est Episcopis fuisse, & ab alio, quàm Imperatore non posse rescriptum reuertendi impetrare, cùm contra quietem publicam conturbauerit Episcopus

pus ipse Vrbem; & ideò rectè Vrbe expulsum ab Episcopis fuisse, quia res ipsa seditionis, & tumultus dilationem, ac moram, & cunctationem prorsùs omnem obijciendam, statimque eijciendum seditiosum, ac turbulentum Episcopum suadebat, ne tanta perturbatione maior timor oriretur. Vndè, vt in Anton. dixit Cicero, nomen ductum est tumultus, eiusque restringendi, ac sedandi gratia multa fieri permittuntur, iuxta trad. per Specul. in tit. de seq. poss. & fruct. vers. sed ounquid de seditiosis, & à Doct. in l. 1. & 2. C. de desidios. & à D. Thoma 2. 2. quæst. 43. & in summa Cancil. lib. 3. tit. 34. de pœnit. & remiss. quæst. 128.

Et propterea seditioni illicò occurrendum fuit, & expellendus Vrbe Episcopus seditiosus, qui centum millibus passuum distare ab Vrbe deberet, in qua seditionem concitauit, non autem ab Episcopatu, ordineque Episcopali depositus fuit Episcopus, licèt quasi in exilium missus: quia priuari, & deponi à nemine, nisi à Papa potest, vt suprà ostendi, & tradit Innoc. in cap. grauè extra de præben. Atque hic sanè verus est sensus illius, l. quicumque C. de Episc. & cler. vt scilicèt non sit depositus, nec priuatus ordine Episcopus ab alijs Episcopis, sed tantùm expulsus ab Vrbe, quam conturbauerat, & ità se ipsum tex. declarat, ibi, à quo videtur expulsus procul ab ea Vrbe, quam conturbauit, centum millibus vitam agat &c.

Imò verò dicam, quòd licèt Imperator hanc sibi expellendi Episcopum vsurpauerit iurisdictionem, & ita fieri lege cauerit absque Papæ auctoritate, non propterea, vel ipse, vel qui ea vterentur lege sæculari libertatem Ecclesiasticam oppugnante possent effugere excommunicationem, vt not. Fel. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, col. vlt. vers. 11. extra de constit. cum princeps sæcularis non possit bannire Episcopum à suo Episcoptatu, vt notat expressim etiam post alios, eruditus, summæque in criminalibus tractandis causis versatus Ægid. Bossius in suis varijs tractatibus criminal. in tit. de principe, & priuilegijs eius num. 219. & certè expressius multò constat ex ijs, quæ Gelasius Papa protulit illis verbis: Quòd si dicunt, Imperator hoc dicit, hoc ipsum quibus canonibus &c. vt suprà notaui in cap. 3. num. 62. Idque alibi etiam legitur cautum in Nutisconensi 2. Conc. prouinciali his verbis: Statuimus etiam, vt Episcopus per sæcularem potestatem non iudicetur &c. & paulò post: Hoc enim decretum à nobis præfixum, qui fuerit audacter transgressus, tam ipse, quàm qui ei consenserint &c.

Cętera autem decretorum in libris contenta iura, quæ fortasse videbantur aduersari, intelligenda, accedente Papæ mandato, vel omninò antiquata censenda demonstraui suprà ex Fel. in cap. non potest de re iud. col. 3. num. 4. & alijs paulò ante relatis in cap. vers. circa fin. & probat etiam Alexandri. in cap. multorum 17. distin. in fin. vers. nota ex ista glos. &c. ibi, ex concessione Papæ &c.

Nec quicquam eodem conscripti initio, si quis Episcopus ex Antiochena deprompti Synodo canones relati 6. quæst. 4. nostræ huic sententiæ refragantur, licèt dicant; Si quis Episcopus accusetur, & contingat comprouinciales diffidere, aliquos quidem innocentem Episcopum, aliquos verò nocentem, putantes, Metropolitanum debere ex vicina prouincia alios conuocare, & Episcopum iudicaturos: quòd si comprouinciales conuenire in eadem sententia constet, tunc Episcopus ab illis consentientibus iudicatus haberi pro iudicato: & firmam prouincialium Episcoporum sententiam permansuram. Nam certè ij canones, vel intelligendi sunt, vt ibi post Hug. & Archid. declarat Turrecremat. in fin. in verb. condemnare, idest, condemnandum pronunciare; quia nec prouincialis, nec vicini conuocati possunt condemnare absque Papæ voluntate &c. licèt re vera vix facilè videatur is sensus conuenire priori posse, saltim canoni eiusdem initij, si quis Episcopus, vbi dicitur, Episcopum per Iudices Coepiscopos prouincię consentientibus iudicatum, apud alium nullo modo iudicari, sed firmam concordantium Episcoporum prouinciæ manere sententiam. Vndè difficilè est assentiri exponentibus condemnare, idest, condemnandum pronunciare, præsertim, quia vti eo cap. 6. num. 2. notaui ex Abbate, & Fel. in cap. non potest de re iudi. Coepiscopi non possunt pronunciare Episcopos deponendos, aut priuandos, eoque sanè sunt ij canones declarandi, vt loquuntur, videlicèt in certis criminibus citra priuationem ordinis, aut depositionem vt suprà monui in cap. 6. num. præsertim 12. & 13. & seq. Non enim absque ratione adiecerunt illi canones. Si quis Episcopus, verbum, aliquibus, nec simpliciter de omnibus criminibus sunt loquuti, cum aliquæ sint criminum accusationes, quæ etiam à comprouincialibus definiti possunt, vt in eo cap. 6. dixi; ità vt non obsint ij canones: quia possunt Episcopi citra depositionem, & priuationem iudicari à Coepiscopis, & tunc firma erit Coepiscoporum sententia, quando non sit ad maiorem appellatum, vt dicit expręssim text. in eo c. si quis Episcopus 3. in vers. subintelligendum verò, ead. 6. qu. 4. vbi etiam Archid. & Turrecrem.

Ac porrò licèt hæreticæ prauitatis Inquisitores vbique constituti Iudices, viri alioquin eruditione, prudentia, probitate, auctoritate præstantes à multis putarentur, non omninò temerè forsan recusare, & postulanti Apostolicæ Sedi præcisè negare accusatum Episcopum, Archiepiscopum, seu Patriarcham ad Vrbem transportandum, imò ibi iudicandum, & quasi hæresis nomine suspectum à detinente magistratu condemnandum, aut liberandum, nec aliò remittendum, vtpotè quem in Christianam Rempublicam, magno etiam nostro malo pestiferam, & perniciosam Lutheranam sectam multis ab hinc annis introductam, atque insertam, & plures iam stultos in dies magis infatuantem, & venenatis configentem telis secutum, ac propterea non esse sic accusato locum certum, ac proprium, in quo solo conueniri oporteat, sed vbique conueniri, & condemnari posse cantum dicant, vti etiam per l. Artiani. C. de hæret. notat ibi Butrigar. in princ. cuius sanè auctoritate, addita quoque illa Bart. in l. si domum, ff. de furt. not. Guid. Pap. 2. decis. qu. 202. In remissione, num. 1. vers. 4.

quòd ipse delatus non sit accusatus, & deprehensos non remittendos, ait, tradens crimen id inter cætera impedire, seu excusare remissionem, quæ dicitur, reorum, de quibus impedimentis, seu excusationibus eorum, qui non remittunt. Doct. post Bar. in l. 1. C. vbi de crim. agi oportet. Aret. Fel. & cæteri in cap. vlt. de foro compet. cum alijs relatis ab erudito, magnoque vsu, atque exercitatione criminales causas agendi prædito Ægydio Bossio Mediolanensi in pulchro illo paulò ante citato libro variorum tractatuum crim. tit. de foro comp. num. 48. cum pluribus seq. & plures alios referendo notat Carerius in praxi criminali, in §. circa itaque num. 61. & seq. in pagina 247. ex Guglielmi Rouilij Lugdunensis impressione, & ex illis plerosque refert Fel. in dict. cap. vlt. de for. comp. in 4. col. Capel. Tolosan. decis. qu. 319. Item fuit quæsitum, quidam de Narbona, vbi add. Afrerij, & Boerius decis. qu. 29. Habita fuit alia quæstio in curia, an remissione, &c. & præter Guid. Pap. atque alios paulò ante relatos affirmantes hæreticum quocunque in loco repertum puniri posse, & non remittendum, notauit post alios, quos refert Cassaneus in consuetud. Burgund. Rubr. 12. num. 17. vndè etiam sumpsit eruditissimus, & sapientissimus Didacus Couarruuias Arch. Sancti Dominici in suo pulchro libro Pract. qu. cap. 11. num. 12. declarans eam communem op. intelligendam eo casu, quo nulla petatur remissio; secùs verò vbi remissio peteretur, inquiens, se non videre rationem efficacem, qui huic obstet remissioni, si ea petita sit, atque etiam addens remissionis Iustitiam sic comprobari. Sed certè dicam tanti viri pace, hanc declarationem esse potius acutam interpretationem, quàm planam, veramque, aut reprehensionem indignam notationem, cum porrò liqueat hæreticum vbique delinquere, quoniam non momento tantum aliquo, sed omni etiam tempore id genus delicti idem esse censetur delictum, cuius ratione vbicunque repertum, puniri posse; nec remitti est rectè receptum, nisi verò publicè magis in vno, quàm in alio loco deliquisse constaret, tunc enim ad locum, vbi magis publicum esset delictum, remitti deceret, & ità propriè notant Doct. in cap. vt commissi, vbi post Domin. Franc. col. 2. in glos. in verb. proceden. vers. & hoc vltimum procedit. de hæret. lib. 6. Atque ideò simpliciter loquendo circumscripto, eo, quòd scilicet constet peccasse publicè, putà conciones, aut sermones palàm ad populum habuisse, hæreticum non remittendum, etiam petitum, esset dicendum, quia crimen hæresis in Deum solum præcipuè committitur, & indè in omnium fertur iniuriam: vt dixit Io: Monach. eoque vbique inuentum, meritò puniendum, nec remittendum, cum vbicunque sit Tribunal causæ Dei, iuxtà illud psalm. Domini est terra, & plenitudo eius, nec dari potest locus, vbi magis hæreticum deliquisse dici possit, quoniam æque vbique peccasse constar, d. l. Arriani. C. de heret. & notat Philip. Prob. in addit. in Io: Monach. in cap. Inquisitores, num. 4. eod. tit. de hæret. in 6. & superuacua esset quæstio, an remissio fiat non petita, cum nisi petita non fiat.

Tamen ijdem ipsi quicunque essent Inquisitores à prudentibus, doctis, pijsque, & Christianæ religionis, ac veritatis ipsius studiosis hominibus, minimè excusandi, nec laudandi essent, sed potius in hisce causis (eas si fortè sibi vindicarent suo veluti iure) quin vituperarentur, atque improbi notarentur, non possent effugere, & quòquò se verterent in suspitiosissimo hoc negocio offensionem temeritatis, ac probri, & maledicti, atque adeò Diuinę maiestatis iram, læsique imperij Sanctæ Sedis perturbationem vix certè vitarent, cum non ignorent in Pontificali gradu dignitatis locatos, scilicèt Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas etiam crimine hæresis notatos, non posse, nec debere alibi, nec ab alio, quàm apud Summum Pontificem, aut eum, cui ipsum Christi Vicarium nominatim demandasse constet, damnari, sed omninò ad Papam eorum causas, licèt de hęresis crimine, deferendas, vt in dict. cap. Inquisitores, de hæret. lib. 6. not. Io: Monach. & prudenter etiam animaduertit Probus in suis addit. ibi. num. 4. versi. istud babes modificare, per thema Io: Monachi hìc, quod procedit ratione Pontificalis dignitatis, &c.

Præter quàm quòd non dubitatur superiorem, putà Papam supplici sibi exhibito libello rogatum, seu appellatum posse, & debere, & præsertim re cognita, iustaque aliqua ratione, cæteris Iudicibus inhibere, & hæresis causas, etiam Ordinarij cuiusque hominis, nedum Episcoporum ad se auocare, iuxtà tradita à Panormit. in cap. Pastoralis. in fi. principij, extrà, de appellat. & de Felin. post alios in cap. ad abolendam, extrà, eod. tit. de hæret.

Neque verò ferendi essent ijdem Inquisitores forsan minimè transmittendum accusatum, capitisque reum Episcopum, seu Archiepiscopum aliquem credentes ad Romanam Sedem, nec per alium Papæ Legatum, aut Iudicem constituendum, quàm per ipsosmet Inquisitores iudicandum, quasi iurisdictio omnis causarum Sancti Inquisitionis officij, apud Inquisitores translata sit, & à Rom. Sede prorsùs ferè abdicata, iuxta ea, quæ not. Rom. in consil. 393. Præsens consultatio, & in singulari 21. Viget pactum. Angel. in l. testamenta. C. de testamentis. Feli. in cap. Pastoralis, col. 22. de offic. Ord. vbi etenim concessit superior iurisdictionem, retinet eo tantum casu, quo iurisdictionem ex priuilegio habens, esset negligens. Curt. Senior inter consilia feudalia consil. 2. Vasallus habens, col. 1. allegans text. in cap. Romana, de off. Ord. in 6. & Albertus Brunus in eisdem feudalibus cos. 47. Visis dubijs, col. 1. Iacobin. sancto Gregorio in tract. feud. circa fin. Feli. in dict. cap. Pastoralis, in colum. tertia, limitatione 6. & in capitulo irrefragabili colum. prima, & ibidem Card. Zabatella eod. tit. de offi. Ordin.

Nam porrò si, quod vix cogitandum esset, aliqui Inquisitores, suis ipsius obliti, id assererere, aut tentare auderent, notam temeritatis, turpisque erroris minimè quidem effugerent, & parere recusantes putarentur, vel superbi, vel certè minimè assueti imperata facere, & veluti Seianus ille designatus Consul, vocatusque socius, & particeps consilio-

filiorum Tiberij, ac planè non minori honore, quàm Tiberius à Populo Romano aliquandiù affectus, & obseruatus (de quo Dion Niceus in Epitome rerum Romanarum à Pompeio Magno ad Alexandrum Mameę filium in Tiberio paulò ante finem meminit) contemni, manifestèque deseri, ac ludibrio lædi inciperent, & sanè addiscerent non decere vnquàm se homines vllo pacto extollere, principisque auctoritatem, ac supremum ipsum gradum deludere, atque omninò in illud meritò incident vulgare factū sermone prouerbium, de ijs, qui sibi inutilia quęrunt, vt idem Dion. in Othone in princ. notat, inquiens: *ti gar aytoys edei macrois aylois aylein*, hoc est, cur oportuit eos longis tibijs canere? ità vt vel subitò eorum se auctoritatis, vel potius ineptiarum, atque impetus, ac furoris pœniteret. Membra enim capiti, vt est in prouerbio, debent obedire, neque verò expectabunt ij quasi in concordia ecclesiæ manere incerti, missum illum ad plebem à patribus Romanis olim Oratorem Meneuium Agrippam fabellam illam recantaturum, videlicèt conspirasse quandoque membra in ventrem, ne minùs scilicèt ad os cibum ferrent, ne os datum acciperet, ne dentes conspicerent, & hac ira ventrem fame dum domare vellet, membra, ipsa quidem vnà, totumque corpus ad extremam tabem venisse; Indèque apparuisse ventris præcipuum ministerium esse, & alere magis, quàm ali, reddentem illum in omnes corporis partes hunc, quo homines viuunt, vigentque diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem (verefere Liuius lib. s. detrud. 1.) quàm enim intestina illa esset seditio membrorum, isti similis Inquisitorum, aut Principum iræ, atque inconsideratissimæ temeritatis in Summum Pontificem facilè possunt cognoscere, ac sibi persuadere nullam esse excusationem idoneam; Cùm, vt significantius multò, ille altisonus Christi satelles, summusque preco Paulus Apostolus in 1. ad Corinth. epistola cap. 12. expressit, aptiusque ad rem nostram protulit, capue quidem cæteris licèt præstantius, membrorum tamen vsu indigere; at propterea non debere schisma esse membrorum, quæ simul quidem iuncta, vnum esse corpus constat, itemque ipsum Christum in Ecclesia primum Apostolos constituisse, sed tamen nō omnes posse Apostolos esse, omnes verò certatim oportere in fidei, & Dei admirabilis filij cognitionis, contemplationisque, atque Ecclesiæ ipsius vnitatem conuenire, tanquàm membra, suo quæq; destinata officio ab ipso Christo, qui extat caput ipsum primū, ac sustentaculum potissimū Eccles. vt etiā Paulus notat in ep. ad Ephes. c. 4.

Satis igitur constat, vt membra, quæ capiti natura ipsa finxit obedientia, parere omninò oportet, sic propemodùm veluti membra debere alios Papæ, vt capiti obtemperare, cùm minimè liceat ex æquo cum Summo Pontifice imperare, & (quod multò deterius est) ipso velle superiores esse: nec iniuria Luciferianos (vt hoc vsurpem verbum Isidori lib. 8. ethymolog. cap. 5. redactum in canone. Quidam, §. Luciferiani 24. quęst. 3.) posse appellari aliud tentantes, quàm Cęlum conscendere, & super astra Dei suum ipsorum efferre solium, & ad infinitam veluti nubium altitudinem considere, similesque, ac pares Altissimo fieri, vti facilè est notare ex dict. §. Luciferiani, & ex cap. 14. Isaiæ: nam Papam quidem patrem patrum cum omnibus prælatis in iurisdictione concurrere dicunt nostri Io: monach. in cap. si eo tempore, de elect. in 6. Bal. in cap. 1. in princ. col. 1. qui feud. dar. poss. in vs. feud. eiusque Papę, & Dei idem esse concistorium proferunt Host. in cap. quanto de translat. Prælat. Abb. in cap. venerabilem, de elect. & propterea Iudicem esse supremum omnium etiam superiorem, vt loquuntur, non recognoscentium; & Regum, atque Imperatoris gloss. in cap. ex transmissa, de for. comp. Innoc. in cap. licèt, eod. tit. Doct. in cap. nouit, de iudic. Franc. in cap. si duobus, §. denique de appel. Abb. in cap. cùm Ioannes, de fid. instr. cumque omnium Iustitiæ fontem tenebras fugantem, tribus illis, quæ in actione hominis sunt spectanda, bonæ scilicèt voluntatis, potestatis, & agendi facilitatis ornamentis, atque habilitatibus, & oportunitatibus prędītum censeri Papam, not. Bart. Soc. in cons. 144. Vita bulla, paulò post principium, vers. 3. loco, vel. 2. Ac sanè diui illius Pauli ad Rom. c. 14. & 24. & expressius multò auctoritate Diui Cypriani in epistola 13. ad Steph. lib. 3. Deterrendi essent omnes, qui andere vellent iubenti Rom. Pontifici obsistere, cum vt supra dixit, & ait Paulus, omnis potestas sit à Deo, vt qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, &c. Scriptum est, Principi non maledices, &c. Et vt Cyprianus dicit, Quàm vanum est pati illudi, & de maiestate, ac dignitate Ecclesiastica iudicari, & propterea à Papa scribendas literas ad Arelatenses, quibus significet abstento (vt ipse loquitur) Marciano, quis sit in eius locum alius substituendus?

Atque adeò vel ab exordio nascentis Ecclesię reperitur obseruatum Rom. Pontifici debitam obseruantiam, atque obedientiam præstari solitam ab omnibus Episcopis, vti suprà Ægyptios etiam testatos, & fecisse Episcopos notaui ex illorum ad Felicem scripta epistola, & facilè colligitur ex epistola Leonis ad Anastasium Tessalonicensem scripta 28. ibi, vices mei moderaminis delegaui & histor. Tripartitæ lib. 4. cap. 7. & cap. xv. & Eusebio Cæsarien. lib. 7. Ecclesiasticæ hist. cap. 27. & ex Hier. in 4. tomo paulò post princ. pag. 34. vbi de Tarsis dicente Retium Augustanē. Episcopum à Constantinopolitano Imperatore sub Syluestro Romam missum ob causam Montanentium, alijsque pluribus suprà relatis auctoritatibus, & infrà etiā dicetur. Neque verò excusandi essent negantes parere, & suo quasi iure vsurpantes iurisdictionem, quam sibi ab Apostolica sede datam sciunt, eòque ab eodem suo ipsius arbitrio eripi, atque auferri posse palàm esse, tanquàm ab ipsa Sede Apostolica minimè abdicatam; cum hoc casu non dobitetur concessam iurisdictionem alteri non impedire aliquo pacto ius, ac potestatem Principis concedentis, sed eius semper authoritatem integram cooseruatam intelligi, vt propriè notat de Papa locutus Bal. in cons. 326. Rex Rom. in fin. vol. 1. licèt quando non esset Princeps concedens, sed aliqui inferior Magistratus,

 qui

qui haberet etiam potestatem, tunc iurisdictionem inferioris magistratus impeditam admittatur, vt dicunt aliqui suprà citatas in contrariam partem intelligendas autoritates. Vel verius vbi concessum esset à Principe castrum cum iurisdictione primarum causarum, vt propriè declarans locos allegatos notat post alios Gramaticus in decis. 30. In causa extis Comitis nu. 3.& nu.7.vers. nec officiunt, &c. dicens, non esse dubium penès concedentem Principem remanere illæsam iurisdictionem & nu. x. vers.nam eadem est responsio,de qua suprà, quòd Imperator concurrit in iurisdictionem cum præfato Comite, sed magna Curia dumtaxat, & nibilominus specialiter in inuestitura, & num. xj. & seq.

Atque idcircò cùm non sit hæc quæstio, seu causa ad inferiores spectans, sed ad Papam,vt suprà ostendi, facultate data à Sede Apostolica, non debent Inquisitores quicunque abuti; quia certè hac de re, scilicèt Papam aliquibus iurisdictionem etiam specialiter concedentem, non propterea censeri à se metipso præferri in abdicasse, at maiorem iurisdictionem sibi semper reseruatam intelligi, est videre in c. dudum de præben. in 6. & notatu digno. c. per hoc, de hæret. eod. lib. & l. 1. C. de off. Præfect. Vrb. Anchat. in consi. 28. Rationes,& cons. 164. col. 4. Bal. in l. qui se patris. C. vnde lib.

Præcipuè, quia Papa concedens Inquisitoribus,non expressit à se velle abdicare talem potestatem, eoque tantò minus censetur sibi præiudicasse. Ant. But. in c. cùm dilectus de appel. Alex. cons. 86. in fin. vol.1. atque adeò etiam si concessisset alius quispiam, qui ante fuerit Pontifex, vel etiam ipse fotsan Papa, potest suo arbitratu reuocare c. proposuit de conceff. præben. Io. Silua in tract. de benef. in 4.parte q.8. nu.18.Io. Landin. in tract. de casibus, in quibus summus Pontifex non potest, aut non debet dispensare,cùm Papa sit caput omnium, quasi ipsius sit Orbis, & plenitudo eius c. tua nobis, de decimis c. solitæ, de maior & obed. c. significasti, de elect. in fin. D. Thom. art. 2.q.19. dist. 4. c. cuncta per Mundum, 2. q. 3.cui sanè Pontifici max. non esse contradicendum, nec aliquo pacto resistendum, saltim Christi Iesu exemplo doceri omnes debent, ille enim Seruator noster cum repræhensus à perdito eo homine esset, cur sic respondisset Pontifici? honorem Pontifici præstandum docens, suamque ipsius innocentiam defendens, dixit apud Ioan. 18. Si malè locutus sum, &c. Quæ verba honoris Pontificij conseruandi gratia esse ab ipso Christo Iesu prolata, not. Cyprianus in illa epist.9.lib.4.ad Florentium aliàs Ptoppianum scripta, & alibi in 1. lib. epistola 3. ad Cornel. Addens etiam illud Pauli dictum, Act. Apost. 23. Nesciebam fratres, quia Pontifex est, &c:

Minimè autem possent illi ijdem Inquisitores notam arrogantiæ, ac superbiæ nitantur, si (quod licet non esset credendum,tamen valde suspicor; & quasi nescio quid præsagiens in animo habeam præcauendum, & maximè etiam prouidendum, omnique prospiciendum consilio,& pontificia declinandum authoritate moneo, prædico, & antenuntio) amplissimo Legato ipsi,ac Iudicibus hinc secum recessuris, aut constituendis fortasse partes, ac socios se haberi contenderint: cùm certè liqueat solum Papam, seu ab eo nominatim præstituros, ac delegatos Iudices tantùm, & non alios posse, & debere has Episcoporum criminales, etiam hæresis causas statuere, & decidere, vt in d. c. Inquisitores de hæret. in 6. notauit Io. Monach.& Probus, & cæteri,atque ex ijs, quæ attuli probatum, & confirmatum omninò videtur, & satis esset ita caueri,etiam Tridentino Conc. in sess. 13. de reform. cap. 6.& ante etiam in c.quo iure 8. dist. & c. ait abolendam §. damnat. verò extra dè hæret.

CAPVT XIII. & Vltimo.

Concludendum causas Episcoporum capitales, vel Romæ, vel alibi Papæ esse Legato definiendas. Ciuiles autem Metropolitano, & Coepiscopis iudicandas.

EX his igitur facile est intelligere, quænam sit mea sententia, illa quidem apud probatissimos quosque authores receptior, causas scilicèt maiores, & alias capitales Episcoporum ad Sanctæ Rom. Ecclesiæ Episcopum, maximumque Christi Seruatoris nostri Vicarium deferendas, ab eoque, aut per se, aut certè per alium delegata Pontificia iurisdictione iudicandas, & statuendas ob Sanctæ Rom. Sedis Apostolicæ authoritatem, nec condemnari à cæteris inferioribus Episcopis posse, nec debere, vt tot vetustissimorum; ac omnium etiam recentiorum Authorum testimonio comprobauimus, & not. etiam in d. c. 1. de iudic. relat. etiam à Bero nu. 4. & 5. de præben. alijsque in locis recensendis in meo illo opusculo de prouinciali Concilio conscribendo, vbi agetur inter cætera de Synodi ipsius prouincialis iurisdictione cap. forsan. 14. quod porrò opus, & rogatus, & iussus, atque ad promittendum, lucubrandumque omninò ductus,quo maiori potui studio absoluam, vt Amplissimo, optimoque Cardinali Borromeo morem gererem, atque etiam re gratificari voluisse intelligar.

Putarem autem ego quidem sapientiæ. S. tuæ, & Sacrosancti Cardinalium Senatus esse acerrimum se iurisdictionis suæ defensorem ostendere, & accusatos quosque Episcopos, aut Archiepiscopos, capitalisque pœnæ nomine suspectos ad Verbum (quod volenti Beatitudini tuæ haud difficile erit iudicandos, vel condemnandos, vel absoluendos transportari, aut certè eius ipsius Amplissimi Cardinalium Colegij probum, constantem,prudentem Pontificia authoritate,etiam Cardinalem de latere, vt dicitur, Legatum mitti omninò curare. Qui sanè Legatus liberandos, aut condemnandos fore iudicaturus ipsius Papæ locum, & personam hanc in te sustinebit, vt not. in l. Ideò, & in l. 4. ff. de off. præsid. & in c. 2. de off. Leg. in 6. à Fel. in c. mandata circa medium, vers.in tex. ibi, dices, extra de rescript. à Boerio de authoritate mag. cons. nu. 6. à Specul. In tit. de legat, §. 3. quot sunt genera Legatorum,vers. item

item quòd Legatus de latere, &c &. §. 4. versi. Legatus quoque &c. & in §. nunc ostendendum, vers. præmissa, & vers. Legatus &c.

Quod porrò vltimum, tanquàm facilius (quæ præsertim horum est temporum conditio) amplectendum multi putabunt, & ego, & scilicet libentius quidem vellem Romam ad Sanctam ipsam Sedem capitis reos Episcopos iudicandos transmittendos iuberi, tamen (modò, vt aliqua saltim ex parte authoritas, ac maiestas Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ hac quoque in re conseruata intelligatur, atque omninò ipsius summi Pontificis iudicio, & iurisdictione de causis Episcoporum capitalibus penitus decisum ab omnibus cognoscatur, non improbarem, cùm apud nostros quasi adagium sit receptum: Non esse modi, aut viæ rationem habendam, dummodò rei ipsius finem, &, quod studes, ac saluum cutas, consequaris l. 3. vbi Bal. & alij. C. de instit. & substit. sub mod. fact.

Neque verò alienum id omnino erit, nisi aliter commodo, scilicet Sedis fieri posset à dignitate, & maiestate summi Pontificis, vnum scilicèt sui loco, veluti Vicarium ad Episcoporum criminales causas grauiores iudicandas destinare, cùm & anteà sæpè ab alijs Rom. Vniversalis Ecclesiæ moderatoribus (nec sanè iniuria) factum legatur, & sic nunc faciendum ratio ipsa, locusque, ac tempus postulare forsan videantur, quod sanè maximorum Pontificum, Martyrumque, ac Sacrorum plurium Conciliorum authoritates minimè improbent, affirmantes illæ quidem Apostolicæ Sedis Pontificem, aut per se, aut per suos ipsius Vicarios, si libuerit, debere ac posse eiusmodi causas tractare, & statuere, vt plenius iã ostendi: breuitèrque vel duorum Pontificum Rom. Sixti scilicèt etiam Papæ, & martyris, & Marcelli primi testimonijs suprà in 2. cap. & in cap. 3. in fin. & alijs plerisque authoritatibus iam diffusiùs relatis, quàm vt reperere eas oporteat, præsertim, vel vnum satis esse possit exemplum Adriani Papæ secundi, qui Focij in Sedem Sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani à Michaele Ebrioso Imperatore expulsi causam iudicaturos, Constantinopolim misit tres Cardinales Legatos, vt suprà recensui in cap. 5. Licet (vt verum, fugemuè fateat, ac more Romano loquar) magis probarem literas, seu nuntium mitti ad potentissimum Hispaniarum Regem Christianæ Religionis, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ honoris studiosissimum, & de Ecclesia optimè meritum, eumque hortari, vt F. Bartholomæum Caranzam Mirànden. Toletanum Archiepiscopum nunc ibi comprehensum, & in custodiam traditum in hanc Vrbem Romam iudicandum transferri sedulo curet. Nam porrò ijs literis, aut nuncio, ni ego fallor, ve planè vix hac in re falleter, tum ille ipse Catholicus Rex acquiescet, tum nullus in legatum sumptus fuit, vel certè omni disceptandi, & controuertendi occasioni occurretur, ac maiori saltim cum dignitate Sedis Apostlicæ authoritas conseruabitur.

Ciuiles verò, quas diximus Sanctissiorum causas Episcoporum, siue de iurisdictione, siue de iure Ecclesiæ, siue de alijs rebus ortas, Metropolitanum adhibitis suæ Synodi Episcopis, cognoscere ac iudicare, & à Metropolitano ad Beatissimum Patriarcham diæcesis appellari, illiusque sententæ stari oportere, docuit Iustinianus Imperator (nisi omnino nos quoque *analphauithou*, vt putauit Suidas, atque abecedarium eum fuisse credamus) in auth. de Sanctissimis Episcopis col. 9. §. si quis verò, & not. etiam glos. in verb. causas in cap. saluo 9. quæst. 3. affirmans inter Episcopum, & suum subditum causas ciuiles posse Metropolitanum per se cognoscere, adhibitis suis clericis. Quod tamen est intelligendum; primò quidem non simpliciter, sed vt possint Episcopi etiam omisso, quod dicitur, medio Pap. Sanctamque Rom. Ecclesiam etiam in merè ciuilibus appellare, cap. omnes Episcopi 6. quæst. 2. vbi Turrecrem. num. 1. Item ac secundo est illud dictum accipiendum si causæ sint ciuiles Episcopi solius, non autem ciuiles communes, idest ad omnes suffraganeos, vel ad statum generalem spectantes, vt in eo cap. saluo, animaduertit post Hug. Turrecrem. tum in vers. ciuiles communes, &c. tum in fin. vers. nota quòd sicut, &c.

Sed, & illud fortasse aliquis etiam quæret, an descendens ex eodem facto scilicèt ciuilis, & criminalis causa mixtà quandam naturam habens (quæ certè si vt suprà ostendi, etiam quoquo modo posset infamiam irrogare) à Papa esset statuenda vno, eodemque libello concepta, in iudicium posset deduci, cui sic quærenti ego id responderem; Aut simul in iudicium deducitur ciuilis, & criminalis, ex eodem facto vtraque orta, aut altera ita prius oblata, & vt dicitur, intentata, adijcitur altera. Primo quidem casu posse vno, eodem libello cumulari; secundo autem minimè putarem, & constitutum fuisse refert Ægid. decis. 400. Ciuilis, &c.

Nam porrò vbi simul eodem concipiuntur libello tanquàm ad diuersa tendentes, se non impediunt l. 3. C. de ord. cognit. ideòque si ciuilis, & criminalis esset causa inter diuersas personas, criminalis non præiudicaret ciuili l. rerum amotarum actio, secundùm primum intellectum, vbi Bal. & Salycet. in l. 1. col. 2. C. quomodo ciuilis actio, & statuit etiam quoque Clarissimus, & Sapientissimus 12. Virorum, qui Rotæ Auditores vocantur, ordo in illa causa Toletan. matrimonij Calendis Aprilis 1547. Fabio Acorambono Iudice referente, vtì extat etiam, licèt non impræssa, tamen quæ circunfertur vnà cùm cæteris Peregr. Fabij Vestani Episcopi decisio 25. alia. 740. cuius est initium, Proponente R. D. Fabio, &c.

Qua de re nihil est, quod ego nunc laborem, cùm de maioribus, & capitalibus, vt declaraui, Episcoporum causis, atque origine, & authoritate Sanctæ Rom. Sedis Apostolicæ propositas quæstiones esse, intelligam de quibus (ni fallor) verè, ac sincerè respondi, & certè cumulatè satisfactum esse debet voluntati omnium, cum nec prætermissum quid videatur, quod ad maiorum causarum; capitalium rerum quæstiones ad Papam deferendas, earumque argumenta, ac rationes in omni prorsùs disciplina reperiendas pertineret, nisi plura forsan, quàm desiderata erant, sim complexus, ac planè fecerim, vt

ad

ad id quod quasi mancipio dare debebam, quædam veluti ornamenta, etiam non debita, ac crederent. [Neque verò omnia putaui melius quidem scire me, quàm alios, sed collegi vnum in locum, diligentiusque perscripsi eo planè consilio, cum velim meum hoc commentariolum, quò ad fieri poterit, omni ratione perfectum: si quid mancum, ineptum, mutandum esse cuique videbitur, aut omninò tollendum, aut si quid erit præteritum, hoc mihi significari cupiam. Id enim quicquid attigi, feci quidem obtemperandi, meæque obseruantiæ testificandæ causa. Ac plenè, vel ex hoc meus iste labor omnibus gratior, iucundiorque erit, quod emittitur desideratus, & assiduè postulatus, atque efflagitatus à multis, iudicantibus illis quidem (quod ego nec agnosco, nec probo) ita me hanc materiam à nemine hactenus dispositam, aut illustratam, pertractasse, vt non mediocrem ex ea omnes possint fructum, ac delectationem consequi, & (quod certè me magis impulit, & inuitauit) summo ipsi, optimoque Pontifici nostro, ac sapientissimorum Cardinalium Sacrosancto Senatui non displicere, & charum omnino esse: eoque qui maior reuera, quàm à me antea existimaretur ille ipse labor, opusque surrexit, non affectato quidem ambitionis studio, sed potius amoris, & obedientiæ stimulis nunc foras datur, magna certè ex pare econstans ex his rebus, quas adhuc alij non attigerunt, aut neglexerunt, aut penitùs deturparunt, in lucem eas ferè è tenebris reuocatas, nec diutius intra priuatos parietes à me comprimendas, sed hominum iudicij periculum facturas; vt, si quas vel fortasse etiam omnes publicè probatas comperiam, tunc demùm non perperàm scriptas mihi possim tutò persuadere, quippè, qui diuerso sanè consilio hoc opus initio sum aggressus, quàm, vt illud vllo vnquàm tempore inuulgandum putarem, Nempè, vt potius amplissimi, & excellenti ingenij, ac solertiæ magnitudine Cardinalis Amulij studio, & cupiditate morem gererem, atque omnia in hoc ipso annotata opere ad memoriam meam mecum haberem, quæ veluti quodam in penore custodita, meo, atque amicorum quoque vsui præsto esse possent. Quòd si quis fortasse eruditus, ac literatus nostras hasce sententias certis duxerit rationibus confutandas, vel solidioribus quibusdam argumentis, nouisque alijs altius forsan repetendis testimonijs probandas, maximam ei gratiam habebo, quòd intelligam non indigna leuia hæc nostratia dicta eum putasse, in quibus, vel improbandis, vel fortè confirmandis operam ipse suam poneret, vt tandem veritas, quam ego præ cæteris maximi facio, deprehendi, & amplecti facilius possit.

Nisi verò (quod vix credo, aut opinior) illum ipsum, qui nostrum id Syntagma contrarijs aliquando scriptis redarguendum fortasse susceperit, carpendi potius, & obtrectandi studio motum sentiam, eius enim (si quis erit) ambitiosi hominis inanes voces, vt nihil ego quidem morabor, quas sciam tum à nullo penitus eleganti, proboque viro aliqua prorsus dignari posse æstimatione, tum suis se ipsas latratibus conficere, sic propemodùm illum ipsum monitum velim, vt si meliora his nactus fuerit, suoué valeat magno ex penore depromere, ea in publicum proferat, quo cum nostris collata, momentoque suo ponderata, atque acerrima quæque iudicia Doctissimorum hominum experta, debitum, meritumque locum assequantur, non ignorans ille quidem sibi nimium (vt dixit Quintilianus) cum persuadere, qui se nemini comparat. Atqui, certè, vt cumque res cedat, nullam me subiturum vituperationem confido, quàmuis aliqua etiam ex his, quæ elucubraui, non admodùm placerent, quòd victum negandi verecundia potius quàm præstandi, quod exigebatur fiducia, id totum inuulgari me passum esse boni, ferè omnes agnoscant.



D. Leo-



D. LEONARDI MARII

SS. Theologiæ Doct. eiusdemque in vniuersitate Coloniensi Professoris Ordinarij.

CATHOLICA HIERARCHIAE Ecclesiastica Assertio, in qua B. Petri, & Romanæ Sedis Primatus contra hæresim, & schisma M. Antonij Spalatensis quondam Archiep. ex Scriptura, SS. Patribus, & Concilijs defenditur, ac simul illius mendacia, imposturæ, & fraudes deteguntur.

Cyprianus Libro 1. Epistola 3.

Non aliunde exorti errores, aut enata schismata, quàm quod vnus in Ecclesia Iudex Vice Christi contemnitur.

Leonardus Marius Zelandus Goesanus natus est in Vbijs, vbi floruerunt, & alij Doctores, qui suo loco nostram bibliothecam eximiè nobilitarunt. A teneris annis habuit mentem ita literarum capacem, vt vllo pænè sine littore scientiarum mare percurreret, & vnicam sibi metam præfigeret Enclyclopediam. Non vna contentus Grammatica Latina Græcam tanquam vernaculam habuit, nec Græca ipsa contentus Hebræam non mediocri excellentia didicit. Grammaticæ prætergressus varios, & difficillimos limites eloquentiæ totum se deuouit, in qua sicut in Grammatica vberrimos fructus tulit. Theologiæ deinde in portu requieuit, quem ad finem Hebraicam, & Græcam linguam Theologo ne dum vtilem, sed necessariam historicis Græcis, Concilijs Oecumenicis, ipsoque textu Sacræ Scripturæ apprimè intelligendo. Præter Theologiam agitandis disputationibus scholasticam dictam studuit eruditioni Sacræ, & in Theologia dogmata firma iecit fundamenta. Cum his omnibus præclarissimis dotibus effloreret mox ab Academiæ Coloniensis eximijs professoribus est agnitus, Sacræ Theologiæ Doctoris Laurea donatus, & in eadem vniuersitate Coloniensi destinatus Professor ordinarius. Tam copiosa autem, & solida eruditio magnam apud omnes famam ei peperit, & quod difficilimum est apud Sapientissimos, vnde Seuerinus Binius S. Theologiæ Doctor, & Sacræ Facultatis Theologicæ pro tempore Decanus, & nemini non notus eum solidæ doctrinæ, & vtilissimæ commendat. Ne autem doctrina eius sepulta iuxta phrasim Horatij parum à segni distaret inertia, vel lateret sub modio tanta lux, eam vbique effudit edito

Com-

Commentario in Pentateuchum vtilissimo, vbi Græca, & Hebræa lingua omnes nodos exsoluit, & profunditatem ostendit Coloniæ 1621. Plura alia scripsit ad controuersias fidei spectantia idiomate vernaculo, & euulgauit, sed alieno nomine, ne forsan immortalitas ipsa nominis tolleret immortalitatem meriti, & ipsi accideret, quod Philosophis etiam præstantissimis, qui scribentes contra iactantiam, nomen suum, & eruditionem iactant, & quod fugiendum alijs prædicant, ipsi primi sequuntur. Accidit autem eo tempore celebris Apostasia à fide Marci Antonij de Dominis Archiepiscopi Spalatensis, de qua diximus in Synopsi Balthassaris Nardij Aretini, qui contra ipsum scripsit, vnde omnes arma sumpserunt ex omni parte contra ipsum, & videntes eapnt fidei oppugnari quisque manum obiectauit; Sic Nardius, sic Zacharias Bouerius duplici libro, sic Nicolaus Coeffetau duplici libro, sic Fedelius Annosius, alijque plures. Mouit autem duplex alia ratio Marium ad hoc opus assumendum, & ad retundendas iniurias, quibus plus abundant eius libri, quàm rationibus, & initium ipsum ex abrupto cædem spirat, & sanguinem sic enim inchoat. Ecclesia sub Romano Pontifice non est amplius Ecclesia, sed Respublica quædam humana, sub Papæ Monarchia tota temporali Vinea est ad solum Noe inebriandum; Grex est, quem Pastor emungat ad sanguinem, tondeat, imò radat, imò excoriet, & mactet, & similia; vnde coactus est Auctor iste exclamare, quis est iste spurius, vt maledicat, cui benedixit Dominus, & detestetur eum, quem Dominus sibi elegit? vnde ipse demonstrat apertam eorum faciem, nempè fraudulenta omnia, vel esse virulenta, odio excæcante veritatem. Altera causa est, quod M. Antonius celeberrimas totius orbis Academias in suam sententiam pertrahebat, & sub vmbra tot laurorum ab anathematum fulmine se volebat tutum, sed ea ipsa refugia ruinas præpararunt, quippe istæ Academiæ propositiones illas acerrimis censuris notarunt, & ipsum non audierunt, nisi vt acerbiùs damnarent. Cum ergo Marius esset præcipuus Coloniensis Academiæ Doctor suum esse credidit, illius hæreses non solum censuris, sed & solidissimis rationibus persequi. Edidit ergo librum cui titulus Hierarchiæ Ecclesiasticæ Catholica Assertio, in qua B. Petri, & Romanæ Sedis Primatus aduersùs M. Antonij de Dominis hæresim defenditur. Coloniæ Agrippinæ Sumptibus Antonij Hierati anno 1618. Continet autem capita XII. I. De Capite Ecclesiæ, II. De Apostolorum potestate. III. De Apostolorum inæqualitate. IV. De Christi Vicario. V. De Primatu B. Petri. VI. De Petra, seu fundamento Ecclesiæ. VII. De Clauibus Ecclesiæ. VIII. De Pastore Ecclesiæ. IX. De Priuilegijs B. Petri. X. De Nugacibus M. Antonij responsionibus. XI. De sex M. Antonij Argumentis. XII. De quibusdam propositionibus hæreticis M. Antonij. Dedicauit autem librum Reuerendissimis totius Ecclesiæ Romanæ, ideſt Catholicæ Antistitibus Archiepiscopis, & Episcopis, ea de causa, vt honoraret eos, quos spreuerat M. Antonius, qui dixerat Canem me Christus in suo grege posuit, mutus esse amplius non debeo, sicut muti sunt omnes Episcopi, sub Romano, qui hinc spe allecti, inde metu territi silent, potiùsque assentantes simul cum Duce ad præcipitium properant; & quia scripserat toto ordini Episcoporum Epistolam, in qua Lupus sub specie ouis ab ouili Christi retraheret, vt nempè lupum M. Antonium esse ostenderet. Tempus quo scripsit clarum est ex ipsomet fatente se scripsisse post vnicum annum à defectione illius Apostatæ. Huius Auctoris meminere Aubertus Miræus, Bibliotheca Belgica Valerij Andreæ, M. Draudius, & alij. Inscripsit autem Hierarchiam, vt è diametro opponeret Reipublicæ M. Antonij,

Catho-

Catholica Hierarchia Ecclesiastica Assertio, in qua B. Petri, & Romanæ Sedis Primatus contra hæresim, & schisma M. Antonij Spalatensis quondam Archiepiscopi; ex Scriptura, SS. Patribus, & Concilijs defenditur, ac simul illius mendacia, impostura, & fraudes deteguntur.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo Christus Dominus sit caput Ecclesiæ suæ? & an dignitas capitis fuerit B. Petro, eiusque successoribus communicata?

Fraus hæreticorum, & affectata pietas in scriptis, vsurpata etiam M. Antonio, num. 1. 2. 3. 4.
Vox Caput quid significet; & duplex modus regendi Ecclesiam, num. 5. 6. 7.
Deus aliter nos regit per se, aliter per homines, num. 8. & 9.
Christus caput Ecclesiæ; etiam apud Catholicos: imò & solus, ita vt nullus eadem ratione caput sit, num. 10. 11. & seqq.
Deus multa cum hominibus communicat, nu. 17. 18. 19.
Etiam officium regendi, seu dignitatem Capitis, num. 20. 21. 22. 23. 24.
B. Petrus caput Ecclesiæ, num. 25. & seq. vsque ad 30.
Solutio duarum obiectionum M. Antonij, nu. 30. vsque ad finem.

1. DOminus noster Iesus Christus cum præuideret, quanta futura esset quorundam hominum ad alios decipiendos vafrities, & hypocrisis: ac pro suo erga electos, innocentesque (quorum saluti vulpes istæ erant insidiaturæ) affectu, eisdem compateretur: voluit fidelium cautelæ, & instructioni salutare aduersùs nequitias istas antidorum præparare. Et quia non omnium ea est sapientia, vt vt possint cum Apostolo dicere: [Non ignoramus cogitationes Satanæ;] aut vt possint per se in illius altitudines, vt alius Apostolus loquitur, inquirere; omnes ad prudentem, maturamque cautelam hortatus est; ne facilè se paterentur prima rerum inspectione decipi, etiamsi eæ sub maxima sæpè pietatis, aut sanctitatis specie proponantur. [Attendite, inquit, à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Quare? Quia intrinsecus sunt lupi rapaces.]

2 Eisdem ego verbis eos alloquor, qui Marci Antonij Libros, quos iam refutare aggredior, legere præsumunt, ne se blando primi capitis, aut reliquorum titulo, aut plenis ficta pietate epilogis facilè abduci patiantur. Etsi enim hæc omnia ad summam pietatis affectationem composita sint, ita vt nihil præter zelum Diuini honoris spirare videantur; re vera tamen fraudulenta sunt, & ad tegendam animi malitiam, quæ hìc, istic toto volumine sparsim erumpit, studiosè concinnata.

Debebat quidem hæc fraus ab ea functione, quam in Ecclesia ille gessit, ab ea sinceritate, & studio inquirendæ veritatis, quam profitetur, ab ea denique ætate, quam ei Deus indulsit, longiùs abesse; sed plus valuit apud animum malè semel affectum concepta, decretaque oppugnatio Romanæ sedis, quàm professio veritatis. Itaque in asserenda Christi dignitate, ac Ecclesiastico illius primatu, non aliter se occupat, quàm si Catholici omnes eum negent, aut ex illius assertione quicquam contra Catholicorum dogmata consequatur; cum tamen ex nobis nemo aliter sentiat, aut quamdiu noster est, aliter sentire possit. Sumus enim membra illius corporis, de quo scribit Apostolus; [Omnia subiecit Pater sub pedibus eius, (nempè Christi) & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.] Sed quia non poterat hæreticum dogma, quo B. Petri primatum negat, aliter quàm hæreticis technis ab eo stabiliri, obliquis fraudibus Lectoris animum circumuenire studet, præsertim incautum: eique persuadere optimum esse argumentum;

Christus est caput Ecclesiæ,
Ergo: *Neque B. Petrus, neque Romanus Pontifex est illius Caput.*

Et capite primo totus in hoc incumbit, vt Enthymematis præsentis antecedens, aliquot scripturæ testimonijs confirmet, quæ nos omnino libentes admittimus, cum etiam ipsum antecedens admittamus, & fide credamus. Simul verò obiter duo præcipuè inspargit argumenta, quibus speciatim Beati Petri primatum impugnet: at quàm infeliciter mox videbimus.

5 Nunc vt res tota plenius constet, primum exponam, quid in materia hac per Caput significetur; vt deinde ea, quæ certa sunt distinguamus ab incertis; & ab his, quæ vtrique concedimus, ad ea transeamus, quæ controuertimus.

6 Vox Caput duplicem acceptionem habet: vnam, quę propria, & consequenter etiam prima est; alteram, quæ ex priori hac desumitur, propriè Caput significat, [Naturale membrum animalis, in quo cerebri locus est; adeòque sensuum, & motuum principium:] per translationem verò significat res alias, quæ in genere suo præstant alijs officium simile cum eo, quod caput naturale præstat in genere naturæ: id est, quæ influxu, motu, & directione sua, eis principium sunt actionis; præcipuè tamen si cum authoritate id faciant, & potestate. [Sic, Caput fœminæ vir, apud Apostolum; Caput viri Christus; & Caput Christi Deus.] Similiter apud Isaiam eleganti antithese dictum est. [Disperdet Dominus ab Israel (*ros ve-zanab*) caput, & caudam; ac pro explicatione statim subditur (*zaken v-nsu phanim*,) id est, senex, & eleuatus, vel vt noster vertit honorabilis, faciebus, ipse est caput. Ita vt hoc sensu quærere, an aliquis sit totius Ecclesiæ Caput? idem sit, quod; An sit Ecclesiæ totius Pastor, & Rector?

7 Regitur autem Ecclesia duobus modis. Primò; per inspirationes, illuminationes, motiones, & influxus internos, quibus docetur intellectus, & trahitur voluntas immediato influxu in ipsas potentias interiores: verbi gratia; cum infunditur intellectui habitus fidei, vt illuminatio actualis, qua videt, aut cognoscit quod ante non cognoscebat; vel cum infunditur voluntati habitus, aut actuale auxilium, quo iuuatur, & velit, quod ante non volebat. In quibus etsi ipsæ potentiæ operationes suas, cognitionem scilicet, & volitionem eliciant; faciunt tamen hoc mediantibus habitibus, & Deo (qui habitus, vel auxilium actuale infundit) mouente, & simul concurrente.

Secundò, regitur Ecclesia per propositiones, declarationes, suasiones, præceptiones exteriores, quibus docetur intellectus. & trahitur voluntas mediatè; mediantibus scilicet actionibus externis, & sensitiuis; suadendo, docendo, præcipiendo, vetando.

8 Prior modus Deo proprius est; qui sicuti [corda, & renes scrutatur; sic etiam in eis operatur ipsum velle pro beneplacito consilij sui.] Vndè orabat eum Dauid; [Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum, innoua in visceribus meis.] Et Christus Dominus tam frequenter Apostolis, cæterisque fidelibus promisit daturum se spiritum bonum, qui doceat, & suggerat omnia. Neque enim metuere debemus ne ex huius influxus interni assertione quicquam contrà arbitrij nostri libertatem sequatur, cum tantò fiat homo in bonis liberior, quantò benignius à Deo mouetur. Diffunditur enim tunc præcipuè charitas Dei in cordibus nostris, quando Spiritus sanctus in eisdem habitat, eaque, vt templa Dei sanctificat, & vt organa, ac membra sua gubernat. Vndè & de se ipso Apostolus scribit; 1. Cor. 15. 10. [Gratia Dei in me vacua non fuit; sed gratia eius semper in me manet.]

9 Posterior modus inter homines quotidiè ab hominibus exercetur; non tantùm in Ecclesia, in ordine ad bonum Diuinum; sed etiam in scholis, & Rebuspublicis politicis, in ordine ad verum, vel bonum rationis naturali lumine cognitum. Nam quòd in Rebuspublicis conduntur leges, decreta, prohibitiones, sine dubio eò spectat, vt subditi benè regantur, neque propterea negamus principibus potestatem, & dignitatem capitis, quia non possunt in subditos suos influere motu spirituali, & purè interno: sed satis est, si eo modo influant, quo homines se mutuò possunt mouere.

His præmissis sit.

Propositio Prima.

10 Christus est totius Ecclesiæ Caput, etiam nunc post suam in cœlos ascensionem.] Probatur, quia, vt dixit Apostolus; Hebr. 13. 8. Iesus Christus heri, idest, ante nos, & hodiè, idest, nostro tempore; ipse, & in sæcula, id est, post nos in æternum. Imò post ascensionem primò cæpit in Christo titulus hic capitis elucere; vndè & Apostolus in eis, quæ de hac dignitate Christi scripsit, præcipuè ad tempus post illius ascensionem respexit. Hinc Ephesios exhortans; [Veritatem, ait, Ephes. 4. 15. facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus,] vbi Christum eo tempore Ecclesiæ caput appellat, quo Epistolam illam scribebat, & eadem epistola cap. 1. hanc capitis dignitatem paulò plenius explicans; Deus, ait, Ephe. 1. 18. [suscitauit Christum à mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus; supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.] In qua sententia, priores illæ euectiones, & dignitates, sine vllo dubio præcipuè ad tempus pertinent post Christi ascensionem: cum de tempore, quod ascensionem antecessit, dictum sit, quòd tunc Pater Christum paulò minus ab Angelis minorauerit, Psal. 8. 6. eis reuera minor (erat enim etiam tunc Filius Dei) sed quia hominibus, in habitu, & schemate minori exhibitus, tanquam exinanitus.

11 Eodem spectat, quod in Apocalypsi sua B. Ioannes describit; Apoc. 5. 12. quomodo scilicet Angeli in cælis, Agno, qui est Christus Dominus, acclamauerint omnia honoris, & dignitatis nomina, post factam occisionis, seu passionis eius commemorationem.

[Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Ibid. v. 13. Item. Sedenti in throno, & Agno; Benedictio, & honor, & gloria, & potestas.] pertinent enim hæc ad recognitionem honoris, & potestatis, non tantùm illius, quam Christus habuit in cælis; sed illius, quam ipse priusquam ascenderet in

in cælos, plenissimè explicuit Matth. 28. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra] quæ sine dubio ad dignitatem capitis in Christo pertinet. Acclamautuque hæc ei post passionis commemorationem iam in cęlis triumphanti, vt intelligamus eum ascendendo, dignitatem capitis, & potestatem regendi non amisisse, sed potius plenioti modo ex tunc officia, functionesque eis nominibus significatas inchoasse. Vltimò probatur propositio, quia dignitas capitis, vt dixi, est dignitas rectoris: sed Christus regit nos, etiam nunc post suam in cælos ascensionem; ergò etiam est caput. Minor, præsertim de regimine interno, patet ex illo Apostoli, Eph. 4. 10. [Ipse ascendit, vt adimpleret omnia, Psal. 67. 19. donis scilicet, & gratijs. [Ascendens enim in altum, dedit dona hominibus.]

Propositio Secunda.

12 Christus etiam solus est Caput Ecclesiæ; ità vt nemo alius habeat cum ipso eandem rationem capitis communem; seù eodem modo cum ipso in Ecclesiam influat.] Explicatio huius conclusionis facilè desumitur ex eis, quæ suprà de duplici influxu dixi.

Nam quod ad influxum, & directionem mere internam attinet, in ea homo, vel nihil habet aliud, quàm ministerium; vt fit in administratione Sacramentorum: vel omninò non concurrit. Nemo enim potest alteri fidem, & iustitiam, sanctitatem, virtutes infundere; in intellectu illius bonas cogitationes efficienter producere; voluntatem eo modo, quo Deus trahit, trahere, vel inclinare. Nemo etiam potest alteri hæc omnia eo modo, quo Christus ea nobis promeruit promereri. At verò Christus, quatenus Deus est, hæc omnia in nobis cum Patre, & Spiritu sancto efficaciter operatur: Et quatenus homo, eadem nobis plenissimè fuit promeritus, ac simul cum Diuinitate sua id, quod promeruit, exequitur, & infundit. Itaque meritò ipse solus Ecclesiæ sponsus, solus maritus; nullique præter eum sponsi alij, vel mariti: sed castus amor, & indiuulsa vnio; vnius corporis sub vnico capite; & vnius ouilis sub vnico Pastore.

13 Huius capitis membra sunt, quotquot Christi fideles sunt; plebs, clerus inferior, superior; Sacerdotes, Episcopi, Apostoli. Ipse vitis, omnes hi palmites: [& sicut non potest palmes ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: Ioan. 15. 5. ità nec hi, nisi in Christo manserint,] à quo vtinam te non præsecuisses M. Antoni, dum abijsti à palmitibus.]

14 In his vna nobis, concorsque sententia est pro dignitate Christi; siue eam sub allegoria capitis, & corporis, siue sub alijs quibuslibet, quæ eandem sensum habent, proponamus. Sic Christus solus, vt dixi, vitis, cæteri palmites; Matth. 23. 8. solus, & vnus Magister, cæteri discipuli: Ioan. 10. 11. solus Pastor bonus, cæteri oues; 1. Corin. 3. solus fundamentum, & lapis angularis, cæteri id, quod superædificatur; Ioan. 11. solus Episcopus nostrarum animarum, & curator; Isai. 28. 16. cęteri grex curandus; 1. Petr. 2. 25. solus Ecclesiæ sponsus, cæteri non nisi amici sponsi; solus omnis gratiæ auctor, & dator, cæteri de plenitudine eius accipiunt. Ioan. 1. 15. Itaque hoc sensu accipi debet, quicquid, vel in sactis literis, vel in sanctorum Patrum scriptis legimus, de incommunicata Christi dignitate, qua solus Ecclesiæ caput à Patre constitutus est: cæterique omnes, etiam beatus Petrus, ipsius membra, & oues.

15 Nemo enim id cum ipso habet commune, quod de se ipse testatus est: Psal. 2. 6. [Ego constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius,] vel quod ante ascensionem suam dixit: Matth. 28. 18. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Vndè nec in Ecclesia Catholica, ab alio vllo fideles vnquam nomen suum desumpserunt, vt Petrini dicerentur, vel Paulini; sed à solo Christo, Christiani, & reprehensi hanc in re ab Apostolo Corinthij, quod non sine iniuria in Christum, quasi secessione facta, gloriarentur inter se quidam: [Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, cum neque Paulus, neque Apollo, neque Cęphas pro nobis mortui fuerint: adeòque nec ad supremam dignitatem euecti sint, sed solus Christus. [Qui quia humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propterea exaltatus est à Deo, & accepit nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.]

16 Hoc sensu: Petrus Caput Ecclesiæ non est: quia Petrus Christus non est: sed homo dumtaxat Christianus: ouis Christi, & membrum, qui de se ipso etiam profitetur, quòd non nisi per Christi merita salutem speret. Act. 15. 11. [Per gratiam, ait, Domini Iesu Christi credimus saluari, sicut & illi.] Et quisquis hanc capitis dignitatem affectat præter Dominum nostrum Iesum, aut Domino nostro eam negat, Antichristus est.

Propositio Tertia.

17 Ea, quę Christo per excellentiam sunt propria, potest ille sibi cum hominibus per paticipationem facere communia, & de facto etiam in multis facit.] Explicat hanc propositionem in particulari exemplo B. Hieronymus, Matth. 10. [Benignus, & clemens Dominus, ac magister non inuidet seruis, atque Discipulis virtutes suas: & sicut ipse curauerat omnem languorem, & omnem infirmitatem in plebe.] Ne tamen hinc quisquam aliquam æqualitatem inferret, eleganter subdit. [Sed multa distantia est, inter habere, & tribuere: donare, & accipere. Iste quodcunque agit, potestate Domini agit: illi si quid faciunt, suam imbecillitatem, & virtutem Domini confitentur.]

18 Generatim verò probatur conclusio. Primò, quia omnis perfectio, quam vel homines, vel aliæ quælibet creaturæ habent, nihil est aliud, quàm participatio quædam limitata, & imperfecta earum perfectionum, quæ sunt in Deo, si ergo possunt nobis communicari perfectiones Dei, etiam potuerunt communicari perfectiones, quæ sunt in Christo, sic sapientia, iustitia, amor, & reliquæ virtutes, quæ in hominibus, vel Angelis pe-

periuntur, sunt participationes sapientiæ, & iustitiæ Diuinæ, easque homo à Deo accipit, vt per eas fiat, quod Christus Matth. 5. suis præscripsit; [Estote perfecti, sicut, & Pater vester cœlestis perfectus est:] non quasi homo attingat ad plenam æqualitatem, sed quia participat imperfectam similitudinem: similiter accipit homo à Deo virtutem regendi alios, instruendi, docendi, monendi, itaut propter hæc cum hominibus communicata dicat sapientia diuina de se; Prou.8.15. [Per me Reges regnant, & legum conditores decernunt iustitiam. Ibid. v. 12. Ego sapientia eruditis intersum cogitationibus Eccl.24.24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & sanctæ spei.] Quia scilicet homines per diuinæ sapientiæ, & bonitatis participationem possunt regere, erudita cogitare, diligere, timere, sperare, &c.

Neque potest hac in re vlla esse difficultas, quia etsi de se Dominus dixerit, Isa.24.8. [Gloriam meam alteri non dabo;] tamen non debemus ex his verbis inferre, quòd nihil ab illo hominibus detur, sed tantùm, quòd non fiat, vt quisquam ea perfectione quicquam habeat, qua id habet Deus: sicuti nemo etiam Christi attributa participat eo gradu, quo ipse ea habet, Io:1.16. [omnes tamen de donis, & plenitudine eius accipiunt.]

19 Secundò, probatur propositio hæc ex attributis Christi superiori conclusione propositis; nam proprium illi est, vt illic ex Scriptura dixi, esse Pastorem, Magistrum, Episcopum animarum, fundamentum, ostiū, &c. itaut præter ipsum omnes sunt sub ipso oues, Discipuli, animæ curandæ, lapides superædificandi, homines per ostium ingredientes: & tamen simul ex Scriptura constat attributum Pastoris communicari cum hominibus, itá vt etiam ipsi dicantur Pastores, & pascant. Inter cætera enim Ecclesiæ officia, quæ Apostolus recenset, etiam ponuntur. Pastores, & Doctores: & Ephesiorum Presbyteris ad se Miletum euocatis dixit idem Apostolus, eos à Spiritu sancto ad hoc esse positos, vt regant Act.20.28. Ecclesiam Dei, cum tamen Christo data sit à Patre potestas rectiua. Similiter B. Petrus seniores, seu Presbyteros Ecclesiæ exhortans, [Pascite, ait, qui in vobis est, gregem Dei.]

Idem est in officio, & nomine magistri: etsi enim Matth.13.[vnus sit magister noster, itaut omnes simus docibiles, seu Discipuli Dei:] Dedit tamen Deus etiam inter homines quosdam magistros, qui alios doceant; non quòd ipsi dignitatem eam affectent;(hoc enim est, quod vetuit Christus, non vocemini Magistri, & B. Iacobus, nolite plures Magistri fieri,) sed vt dona à Christo benignè concessa, fideliter pro honore Domini sui expendant, quo sensu de seipso dixit Apostolus; 2. ad Tim. cap.1. [In quo positus sum prædicator, & Apostolus, ac Magister gentium,] & de Hebræis necdum in doctrina Christiana satis fœliciter progressis. [Cum deberitis Magistri esse propter tempus, rursum egetis, vt doceamini, quę sint elementa.]

Subiungo nunc Propositionem Quartam.

20 Inter officia, & nomina, quæ Christo Domino per excellentiam conueniunt, alijsque ab eo per participationem data sunt, etiam est officium Capitis, & Rectoris totius Ecclesiæ.] Propositio hæc etsi eam M. Antonius totis viribus negare videatur, tamen itá certa est, vt ab omnibus concedi debeat; & itá necessaria, vt sæpiùs ab eo concedatur: si hoc tantum aduertamus, necdum in ea determinari, quis is sit, cui hoc officium à Christo communicatum sit: an vnus, an plures.

21 Probatur itaque propositio. Ecclesia ita est corpus, & sponsa Christi, vt non debeant tot ipsius corpora mystica poni, quot sunt particulares Ecclesiæ: & aliud corpus constituat Ecclesia Alexandrina, aliud Antiochena: sed vt omnes constituant vnum corpus, vndè docet Apostolus frequenter, omnes nos esse vnum corpus, vel, in vnum corpus baptizatos. Atqui Christus non reliquit hanc sponsam sine curatore, & exteriori directore: sicuti nec singulas Ecclesias, quę tantùm sunt huius corporis membra: ergo, neque reliquit eam sine capite, nomen enim capitis, vt suprà num. 6. dixi, talem directorem intelligimus.

22 In prima huius argumenti propositione nulla est difficultas: neque eam M. Antonius vsquam negat, aut volet negare: cum Ecclesia, si vna non sit, Ecclesia quoque non sit. Ad secundam verò propositionem tantùm respondet, sponsam hanc, eiusque vnitatem, & directionem à Christo commissam esse, primùm Apostolis omnibus, ac deindè eorum successoribus omnibus Episcopis. Verùm hac responsione non euertit propositionem nostram, sed potius confirmat. & siue ponat in Ecclesia regimen B. Petri, eiusque successorum Monarchicum, vt nos: siue omnium Apostolorum Aristocraticum, quod ipse vbique commemorat; debet tamen id, quod in hac Propositione diximus, concedere. In regimine enim Aristocratico non est Respubl. Acephala, aut sine capite, (alioquin nullus esset in ea ordo, & omnes forent inter se pares:) sed sicue in Monarchia caput est princeps vnus, itá in Aristocratia necesse est capitis dignitatem ipsis *Aristis*, seu optimatibus conuenire, vt sint quemadmodum Amos dixit: [Optimates capita populorum,] nam si quisquam est, qui regit, parum refert, vtrum is vnus sit, vnitate etiam naturæ, & physica, vt text. an multi quidem physicè, vnus tamen auctoritate, & regimine: vt senatus, vel concilium optimatum. Et si regit, omninò etiam caput est: quia eius consilio, nutu, directione, inferiores tanquam membra mouentur. Vel si dicat M. Antonius, eum caput non esse, etiam consequenter dicere debet, eum neque regere, neque mouere.

23 Quod autem Aristoteles 3. Politic. cap. 7. ait: [Regimen, quod paucorum est, plurium tamen, quàm vnius, Aristocratiam vocare solemus, vel quia Aristi, (id est, optimates) regunt, vel quia Ariston, id est bonum) vrbis, & communicantium cum ea

spe-

spectant.] Non significat duas esse Aristocratiæ species: in quarum altera potestatem regendi habeant ij, qui præsunt: in altera verò non: sed tantùm duplex Aristocratiæ etymon exponit: nam alioquin quòd in omni Aristocratia potestas adsit, tum ex ipsa voce *cratia*, tum ex eius genere patet: est enim Aristocratia, species regiminis.

24 Secundò, posset propositio superius posita ex eo probari, quòd Aristocratia dupliciter intelligi possit. Primò sic, vt singuli ex optimatibus curent partes, & prouincias proprias sine vlla coordinatione ad partes alias, vel totum: secundò sic, vt singuli curent quidem prouincias proprias, simul tamen, imò præcipuè, respiciant coordinationem ad pronincias alias, & bonum totius. Ex his prior modus, neque ad Aristocratiam petinet, neque in Ecclesia institutus est, à Christo: posterior autem euidenter ostendit id, quod erat probandum: nempè, optimatibus illis Ecclesiæ totiùs directionem, & regimen commissum fore, ergo similiter ostendit eos fore, aut saltem ex officio esse debere Rectores totius, & capita. Quòd autem prior ille modus Aristocratiæ non conueniat, facilè ex ipsa Aristocratiæ ratione patet, est enim Aristocratia, [regimen alicuius communicatis vnius, ac totius per optimates,] ità vt si ponantur prouinciæ diuisæ, quæ non coeant inter se in aliquod vnum, & totum, illæ, & si regantur à pluribus, tamen non dicentur regi Aristocraticè, ver. gr. Hispania, Francia, Anglia, sunt singulæ prouinciæ, & singulæ reguntur à diuersis, nemo tamen dicet has tres prouincias simul regi Aristocraticè; sed singulas monarchicè: idque, quia etsi sint partes mundi, tamen non sunt partes eiusdem Reip. neque earum rectores eas administrant, vt partes, similiter ergo erit in Ecclesia, si Episcopatus singuli tantùm regantur ab Episcopis suis, sine coordinatione ad cæteros Episcopatus, vel totius Ecclesiæ quietem. Singuli enim tantum dicentur monarchicè regi; non Aristocraticè; neque constituere ex omnibus coniunctis vna Ecclesia, sed totidem Ecclesiæ, quot Episcopatus: sicuti ex Hispania, Francia, Anglia, non constituitur vnum regnum, sed tria. Quòd si verò Ecclesia vna est, sicuti verè est, consequenter, si ponamus regimen Aristocraticum in Ecclesia, necessum est, vt singuli *Aristi*, seu optimates, ità regant Ecclesias singulas, vt omnes regant Ecclesiam totam: adeòque optimatum, seu Episcoporum Senatus sit caput Ecclesiæ.

25 Ex his patet quàm indoctè M. Antonius dum de B. Petri primatu disputat, ea nobis Sanctorum Patrum loca obiecerit, quibus illi Christo dignitatem capitis adscribunt; testimonia enim illa nihilo-magis nostram impugnant Monarchiam, aut dignitatem Beati Petri, quàm illius Aristocratiam, & dignitatem Collegij Apostolorum, vel Episcoporum: neque per dignitatem hanc nos Petrum in Christi officium ingerimus, sed Christo subiectum, cæteris tantùm fidelibus, tanquam Christi ouibus, Pastorem præponimus: sicuti ipse de Episcopis omnibus, aut eorum congregatione scribit.

Neque illud argumento suo potest prætendere, quòd Patres ab illo citati dicant; Christum esse caput Ecclesiæ, Petrum verò, cæterosque homines Christi membra; nam & nos hoc cum Patribus fatemur de Beato Petro, & ipse de Episcopis omnibus, idem fateri debet. Vt verò ad nostræ sententiæ subuersionem, hæc testimonia quicquam valeant, omninò necessarium esset has duas propositiones:

Christus est Caput Ecclesiæ,
Petrus est Caput Ecclesiæ,

ità inter se pugnare, vt earum vna, aliam in quacunque verborum acceptione destruat, & excludat: quod si non sit, omninò nec debet, nec potest ex vnius assertione alterius inferri negatio. Atque vt exemplis hoc, quod dixi, clarius pateat, quis ex eo quod,

Solus Deus est bonus;
inferat; ergo *angeli in cœlis non sunt boni.*
aut:

[Solus Christus est fundamentum Ecclesiæ; ità vt fundamentum alind nemo possit ponere; & solus est ostium: 1. Cor. 3. 11. ergo; Apostoli non sunt fundamenta, neque verum est, quòd murus Ecclesiæ habet fundamenta duodecim, & portas duodecim, & in ipsis duodecim nomina apostolorum agni.

26 Quin verò, si & solus Christus fundamentum est, & nihilominùs duodecim quoque Apostoli, duodecim fundamenta sunt; etiam solus Christus caput esse potest; & simul alius à Christo in participationem huius dignitatis admitti. Non quasi ipse desinat esse caput, aut successionem habeat; (cum neque Deus communicando cum creaturis sua desinat ea habere,) sed quia alijs functiones, actionesque quasdam in alios communicat: ità vt per ipsos instruat, moneat, regat, puniat alios, cæteraque faciat, quæ ad officium capitis spectare possunt. Si non eo perfectionis, dignitatisque gradu, quo ipse; (hoc enim neque necessarium est, neque fieri debet, ne plures Christi inducantur) saltem eo modo, qui ad rationem capitis sufficiat. Sic in Politicis, homo hominis caput est, & tota Respublica vnum corpus, sub principis sui directione, gubernationeq; constituta: non quia princeps eodem modo subditos regit, & mouet, quo Deus; qui est primus Rex, seu Rex Regum, & Dominus dominantium: Neque ità vt propterea Deus desinat esse Rerumpublicarum, aut hominum caput, translato in alios officio: sed ità dumtaxat, vt quod Deus facit modo planè incomminciabili, & excellenti; homo faciat pro modulo suo, & sicut gubernatio administratur per Principis sapientiam, authoritatem, & bonam erga subditos voluntatem: sic homo aliquid de sapientia, authoritate, & bona Dei voluntate participet, vt pro subditorum suorum incolumitate, & bono sciat, quæ facienda sunt, eaque velit intuitu publici boni proponere, & possit ad eorum obseruationem obligare. Hoc sensu dictum Sauli 1. Reg. 15. à Samuele, [cum paruulus esses in oculis tuis, Caput in tribus Israel factus es,] statimque, vt hanc Capitis metaphoram

tam intelligeremus, subditur, vnxitque te Dominus in regem super Israel. Quasi idem sit Caput populi & Rex.

Propositio Quinta.

27 IS, cui Christus regimen Ecclesię totius, & gubernationem post suũ in cœlos aditum commisit, est B. Petrus;] adeòque potest, & debet B. Petrus dici Ecclesiæ caput, eo sensu, quo hic disputamus. Istud demum est totius controuersiæ præcipuum punctum, ideòque ex scriptura, & Patribus accuratissimè deduci debet.

Non est tamen necessarium, vt in singulis sententijs, ex quibus probationes desumendæ sunt, speciatim ipsa vox caput semper reperiatur expressa; quia potest eadem res, quæ per hoc nomen significatur, alijs quoque nominibus, & cum non minori elegantia significari; siue sub oona allegoria, vt fit in vocibus Pastor, Petra, Fundamentum, Clauiger; siue citra omnem figuram, aut metaphoram; vt fit in vocibus, Rector, Præpositus, Princeps, Primus.

Quòd si autem M. Antonius se arbitretur ad hæc omnia sufficienter respoodisse, cum negat Petrum, noo obstantibus his nominibus, vllam habuisse iurisdictionem, id per me præsenti cap. licet, dummodo hic ad nomina ista aduertat; de iurisdictione enim agemus cap. seq.

28 Itaque probatur nostra assertio ex scripturis. Primò. [Illi commisit Deus Ecclesiam totam regendam, cui commisit pascendam;

Sed B. Petro commisit pascendam. Ergo; & regendam.

I. Propositio non eget alia probatione, si negetur, quàm explicatione voeum, nam pascere est regere, neque plus requiritur ad officium rectoris, quàm ad officium Pastoris. Vndè & Dominus noster nunc *poimin* seu Pastor, io scriptura vocari voluit, nunc *vasileus* seu rex; apud antiquos celebre est, vt Regem vocentur *poimenes laon*, pastores populorum. Ita vt quicquid in verbo regere comprehensum est sine metaphora, etiam io verbo pascere comprehendatur, sub metaphora, nempè ordinare aliquos ad bonum cum authoritate & potestate: hæc enim est definitio regiminis. Hinc in celebri illo vaticinio, quo futuram Domini nostri Incarnationem Michæas prædixit, eùm prius dictum esset de Christo; Micheæ 5. 2: [Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es, io millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel. statim subditur; & stabit, & pascet in fortitudine Domini.] Quasi idem fit dominari, & pascere. Similiter 2. Regum 5. cum ad Dauidem confluerent Israelitæ, cumque sollicitarent, vt mortuo Saule, regnum susciperet; [2. Reg. 5. 1. Ecce, inquiunt, os tuum, & caro tua sumus. Heri quoque & nudius tertius, cum regnaret adhuc Saul, tu eras, qui educebas, & introducebas Israel. Tibi enim dixit Deus tuus; Tu pasces populum meum Israel, & tu eris Dux. vel vt 1. Paralip. 11. dicitur. Tu pasces populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum.]

29 In Secunda Propositione non est, quod diu hæream, cum Ioan. 21. apertè Christus B. Petro dixerit, Ioan. 21. 15. Pasce oues meas, & vt tanto operi promptiorem redderet, ac fideliorem, trinam prius amoris, ac dilectionis professionem ab eo requisierit. Idem verò est, pascere oues Christi; quod pascere Ecclesiam, vt plenius patebit cap. septimo.

30 Secunda probatio desumitur ex secunda allegoria, sub qua Christus B. Petro idem officium promisit: Matth. 16. hoc modo;

Illi commisit Deus Ecclesiam totam regendam, super quem promisit ædificandam, & ædificauit:

Sed supra B. Petrum promisit ædificandam, & ædificauit;

Ergo; *& commisit ei regendam.*

Minor huius argumenti quo ad priorem sui partem, satisclare expressa est Matth. 16., quo ad posteriorem verò ooo habet vllum dubium; nisi velit quis dubitare de fidelitate Christi, an scilicet re vera præstiterit, quod verbo promisit: promisit enim se Ecclesiam ædificaturum supra Petrum, vt cap. 6. latius patebit.

31 Tota ergo difficultas est in explicatione & probatione maioris, quam quia cap. 6. plenius ex professo prosequemur, hic breuiter proponam. Ædificatio Ecclesiæ sine dubio metaphoricè ponitur; & nomine quidem Ecclesiæ omnes fideles intelliguntur, qui tanquam lapides accessorij B. Petro incumbunt & superstruuntur. Vt autem constet, quid nomine superædificationis comprehensum sit, constare debet, quæ, vel qualis domus ex his lapidibus ædificanda sit; & quis ædificationis modus, ad cuius rei explicationem, eleganter dictum est à B. Augustino; [Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.] Nam cum duo sint in homine rerum supernaturalium genera, in quibus per Christum à Deo perficitur; quorum vnum ea complectitur, quæ pertinent ad rerum supernaturalium cognitionem; alterum ea, quæ ad actionem, ita vt mores eis, quæ cognita sunt, conformentur: horum prius S. Augustinus complexus est verbo credendi; fidei enim beneficio fit, vt quæ per nos ipsos cognoscere non possumus, Dei dono & lumine cognoscamus. Posterius verò idem complexus est duobus verbis, sperandi & diligendi, dilectione enim fit, vt ea, quæ fide cognouimus, etiam agere velimus, & agamus. Itaque quod Christus dixit B. Petro; ego super hanc petram, seu super te, ædificabo Ecclesiam meam: idem est, quod; ego per te faciam, vt homines accipiant fidem, & incipiant credere, vt in fide vera conseruentur, ne vlla perplexitas & incertitudo religionum eis contingat. Faciam quoque, vt per te ad accipiendam mei dilectionem dirigantur, in eadem foueantur, conseruentur, deducantur; atque ita sint domus non manufacta in habitaculum sanctum Dei. Hoc supposito, facilis est probatio maioris supra positæ: nempè, quod [Is super quem ædificatur Ecclesia, sit Ecclesiæ caput. Nam Caput in moralibus dicitur is, qui instruit, regit, monet, suadet, præcipit & vetat.

Is autem, super quem Ecclesia ædifica-

tur,

tur, hæc omnia agit;] docet enim per propoſitiouem, & explicationem fidei; regit, & ſuader, conſilio; præcipit, & prohibet, præcepto; & quidem cum poteſtate, & authoritate vt cap. ſeq. patebit. Ergo etiam eſt Caput.

32 Tertia probatio deſumi poteſt ex Actis, quæ B. Petrus vigore huius dignitatis fecit; nempè quòd Apoſtolico choro duodecimum addiderit, & tanquam Concilij totius Præſes primus de hoc ſupplemento ſermonem inſtituerit, quòd primus Diaconorum ordinandorum mentionem fecerit; quòd primus in Concilio Ieroſolymitano ſententiam dixerit, quæſtionemque ibi propoſitam determinarit. Ne tamen in his prolixior ſit mora;

33 Tranſeo ad Authoritates SS. Patrum: etſi enim illi quæſtionem hanc non ita ex profeſſo diſputarint, vt nos: (habent enim ſingulæ ætates ſingulas ferè hæreſes:) tamen quid & tunc, & olim, Catholica Eccleſia ſenſerit, ſatis apertis teſtimonijs indicant. Neque verò operæ-pretium fuerit citare omnia, cum numerus ſit infinitus; (ſiue libros Patrum dogmaticos, ſiue epiſtolas, quæ eccleſiæ ſtatum, & negotia hiſtoricè deſcribunt, ſpectemus:) ſed pauca tantùm è multis; ſingulis deinde capitibus ſpecialia quædam addituri. Nam ſicuti totus M. Antonij liber vbique idem impugnat, ita & nos toto libro vbique idem ferè defendere cogimur, aduerſarij methodum ſecuturi.

34 S. Hippolytus martyr oratione de conſummatione mundi: [Princeps Petrus, fidei petra, ille doctor Eccleſiæ, ille primus diſcipulorum, qui regni claues habuit, docuit me: dicens.

Origines Homilia 17. in Lucam: [Ergo ſcandalizati ſunt vniuerſi in tantùm, vt Petrus quoque Princeps Apoſtolorum tertiò denegarit.

Et capite 6. ad Romanos: [Et Petro cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper petram, (ita enim lego) fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitas exigitur.

Euſebius Homilia de reſurrectione, explanans illud; [Dicite diſcipulis eius & Petro: Veni, inquit, ne timeas, nihil tibi de gloria Apoſtolici chori minui, non te à dignitate remoui, non feci te ſecundum iuſtà alterum, non dedi alteri claues; ne timeas, quod promiſi, impleo, ſuper tuam fidem, quæ ſit petra, ædificans Eccleſiam meam:] Petrus Alexandrinus ſermone de pœnitentia: Petrus quoque Apoſtolorum princeps in mentem reuocetur, qui iam in cuſtodiam erat reiectus.

Euſebius in Chronicis, [Petrus Chriſtianorum pontifex primus. Itaque legunt codices ferè omnes, qui in communi editione ſunt: etſi non deſint quoque, qui vel omittant hæc verba; vel pro Chriſtianorum legant Romanorum.

35 Baſilius Magnus libro ſecundo contra Eunomium: [ſtatim ex hac voce, petra, intelligimus Petrum Ioannæ filium, qui fuit ex Bethzaida; Andreæ fratrem, qui ex piſcatore ad Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt: qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit.]

Et in procemio præceptionum latius diſputatarum: [Ad hæc ſcitum fuerit, ſi illud principis apoſtolorum recordemur, meminerimusque, quia poſt tot præclarè ſibi acta, & beatitudinis à Chriſto delatam gratiam. vnius duntaxat errati gratia audiuit:] niſi lauero te, non habebis partem mecum. Cyrillus Hieroſol. catecheſi 2. Petrus princeps Apoſtolorum excellentiſſimus. Catecheſi 11. Petrus princeps apoſtolorum, ſupremus Eccleſiæ præco. Ephræm Syrus Homilia de varijs tormentis inferni; Petrus vertex, ac Caput. Et in Panoplia: Petrus princeps apoſtolici ordinis. Diſertiſſimè verò in Homilia de tranſfiguratione Domini: [Sicut Moyſes ſocietatis illius, & coniunctionis Hebræorum, iuſſis Dei princeps fuit: ita Petrus, Eccleſiæ Chriſtianorum: atque vt ille veteris, ſic hic noui teſtamenti Princeps.]

Gregorius Nazianzenus oratione 26. quæ eſt, de moderatione in diſputationibus ſeruanda; [vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic ſcilicet Petrus petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam recipiat: Ioannes ille impenſius ametur, & ſupra pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli eum ſibi proferri æquo animo ferant.]

36 Epiphanius in Anchorato: [Ipſe Dominus conſtituit Petrũ primum Apoſtol. petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, quæ accepit clauem cœlorum, & ſoluit in terra & ligat in cœlo. [Chryſoſtomus oratione de SS. Petro & Paulo, Petrus ortodoxæ fidei principium, magnus, atque illuſtris Dei ſacerdos, neceſſarius Chriſtianorum conſiliarius, ſupernarum poteſtatum theſaurus, honoratus à Domino Apoſtolus, &c. Dulce ſpectaculum eſt Eccleſiæ, ſplendor totius mundi, columba caſtiſſima, Apoſtolorum Doctor: Apoſtolus ardens, ſpiritu feruens, Angelus, & homo, gratia plenus, firma fidei petra, ſenilis Eccleſiæ ſapientia, qui ob puritatem beatus, & filius columbæ ex Dominico ore audiuit, qui claues regni cælorum ab ipſo Domino accepit.]

Et Homilia 80. ad populum Antiochenum: [poſt illum grauem caſum rurſùs Petrum ad priorem reduxit honorem pœnitentia. & ei per totum terrarum orbem Eccleſiæ præſidentiam tradidit: Et quod omnibus maius eſt, illum nobis maiorem omnibus apoſtolis in dominum habere charitatem oſtendit.] Vbi apertè Chryſoſtomus præſidentiam Eccleſiæ à dilectione diſtinguit, adeòque reſponſionem, qua M. Antonius cap. 5. conatur hæc Patrum teſtimonia eludere, reijcit. Idem Chryſoſt. in Pſalmo 50. Columna illa Eccleſiæ, illa fidei baſis, illud apoſtolici chori Caput Petrus.]

Cyrillus lib. 12. in Ioannem: [cum ſaluator à diſcipulis quæreret, Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus, vt Princeps Caputque cæterorum, primus exclamauit.]

37 Ambroſius in Lucam: [Vndè & contriſta-

tristatur Petrus, quia tertò interrogabat, amas me? is enim interrogatur, de quo dubitatur, sed Dominus non dubitat, qui interrogabat non vt disceret, sed vt doceret; quem, cleuandus in cælum, sui amoris nobis velut vicarium relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? Vtique tu scis Domine, qui amo te. Dicit ei Iesus: pasce agnos meos. Benè conscius sui, non ad tempus assumptū, sed iam dudum Deo cognitum, Petrus testificatur effectū, quis est alius quide se hoc profiteri possit? & ideò, quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.

Hieronymus psalmo 13. Nullus de discipulis, neque Petrus, qui Caput est Ecclesiæ.

Et lib. 5. contra Iouinianum capite 14. cum Iouinianus exemplum B. Petri obiecisset, pro commendatione coniugij; ac Hieronimus respondisset, Petrum quidem fuisse coniugatum, Ioannem verò non item; neque de cæteris apostolis id sciptum esse; rursùs ex persona Iouiniani instat; at dices, super Petrum fundatur Ecclesia: quasi dicat; quid refert, quid alij fecerint, dummodo Petrus, qui Ecclesiæ fundamentum est, pro nobis sit? ac tum quidem respondet; [idipsum alio in loco super Apostolos fit, & cuncti claues cœlorum accipiunt, & ex æquò super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur.] Quæ verba M. Antonius frequentissimè citat: & nos libentissimè recipimus, addit verò; [tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tolleretur occasio.]

Augustinus tractatu 56. in Ioannem, [quis nescit primum omnium apostolorum esse Beatiss. Petrum? & tractatu 124: Ecclesiæ B. Petrus Apostolus, propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam; vnus, idemque primus apostolus.]

38 Ex his omnibus formari potest tale argumentum. [Ille est caput Ecclesiæ, & Rector, quem Patres concorditer hoc nomine appellant, At qui Patres hoc nomine appellant B. Petrum.]

Ergo.

Maior huius propositionis nusquàm negatur à M. Antonio; cum ille totum suum librum, demptis glossularum, quas dè suo interspergit, ineptijs, ex Sanctorum Patrum scriptis compilarit.

Minorem quidem negauit aliquando Caluinus, & in nomen caput, tanquam superbum, & Antiquitati ignotum inuehitur; sed veritas illius ex citatis testimonijs sufficientissimè probatur: ex quibus etiam patet, quàm fuerit Clauinus Antiquitatis ignarus. Voce enim caput vtitur Ephræm æqualis Basilio, Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus. Vocibus æquiualentibus vtuntur cæteri omnes. Ambrosius Petrum cæteris dicit anteferri; Chrisostomus præsidentiam Ecclesiæ per totum terrarum orbem, in eo agnoscit: alijs primum Apostolorum vocant: hæc autem inter se synonyma sunt.

39 Addam his coronidis, lodo disputationem, qua ex B. Petri dignitate pontificia, eiusque cathedra, Optatus Mileuitanus contra Parmenianum indagat, vbi sit vera Ecclesia? Nam lib. 2. contra Parmen. [Quia, ait, probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa, eius iam commemoranda sunt ornamenta: & videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis: inter quas cathedra est prima: vbi nisi sederit episcopus, coniungi altera dos non poterit: qui est annulus, videndum est, qui, & vbi prior cathedra sederit: si ignoras, disce; si nosti, erubesce. Ignorantia tibi adscribi non potest, restat ergo vt noneris: scientem errare peccatum est. Nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes scire te in vrbe Roma Petro primò cathedrā episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua Vna cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus: cui successit Linus &c.

Videat M. Antonius quo loco à nobis haberi velit, quem iam totis mille ducentis annis, in suo antecessore S. Optatus inter hæreticos & schismaticos collocauit: quemque eodem planè nunc argumento oppugnare possumus, quo Donatistam Parmenianum Optatus, qui pergit: [Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus: Lino Clemens, &c. Liberio Damasus; Damaso Siricius, hodie qui noster est; cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordar. Ac paulò post; contra inferi portas Petrum principem nostrum claues salutares accepisse legimus.] Quæ enim Optatus scribit de Siricio, vel Damaso, & totius orbis communione, eadem nos verissima contra M. Antonium regerere, possumus de eo, qui serie nunquam interrupta B. Petri cathedram tenet: de Sanctissimo, inquam, Domino nostro Paulo, cui verè totus orbis communicat, dum non Europææ solùm regiones, sed vtraque India & ignotæ hactenus gentes eius cathedræ obedientiā præstant: sed hæc aliàs.

40 Venio nunc ad duo illa argumenta, quibus tam receptam toto orbe, & communi consensu sententiam, nouus orbis reformator conatus est impugnare; vt cæteris aliquantò amplius sapere videatur. Primum est: Caput, vt Caput, nullum aliud habet officium, nisi interno influxu regere & gubernare totum corpus; (eo modo ait, qui superius numero septimo Chrysostomus explicabat) sed homines non possunt in se mutuo influxu interno influere. Ergo; Vide; quo homines cogat malesana defendendi erroris cupiditas, dum vt hæresim M. Antonius contra B. Petri primatum defendat, eam ponit descriptionem Capitis, quæ neque cum scriptura, neque cū veritate ipsa vllo modo conuenit. In scriptura Damascus caput Syriæ, Isaiæ 7. Saul. caput in tribus Israel, primo regum, decimo quinto. Dauid caput gentium, psalmo decimoseptimo. Gog princeps capitis Mosoch, Ezech. 38. & 39. optimates capita populorum, Amos sexto. At verò quis quæso internus influxus Damasci in Syriam, Saulis in tribus Israel: & optimatum in populos suos? nugatur quisquis talem influxum quærit. Vox Caput ad homines translata;

lata: non significat caput naturale, sed morale: adeòque nec requiritur influxum naturalem, sed moralem: moralis autem influxus quis sit, facilè scire poterat M. Antonius, si ad res humanas paulò melius voluisset attendere. Moralis enim causa, aut motor, dicitur, qui suadet, vetat, docet, manet, iubet, spe præmij, vel pœnarum terrore. Absit enim, vt regem dicamus, quia reipublicæ caput est, aliquo interno influxu subditos regere: cum neque subditi eum sentiant, neque reges, etiam si velint, eum possint imprimere: nihilominus tamen Capita sunt, & in omni lingua per metaphoram eis vocibus nuncupantur, quæ in propria sua acceptione, caput naturale significant. Hæbræis enim princeps metaphoricè *rosc* dicitur; vt ex citato supra Isaiæ testimonio patet, & ex verbis illis eiusdem Isaiæ; *col- rosc lacball*, omne caput in languore, seu languidum.

Græcis quoque *corisi* metaphoricè principem significat; quia Princeps in Republ. instar verticis est, & tanquam suprema capitis pars omnibus supereminet; hanc autem Capitis naturalis partem summam, seu verticem *corisu* propriè Græci appellant. Idem est in lingua nostra Belgica, quo ad vocem hooft, in gallica quo ad vocem chef, similiter in Hispanica, Italica, & alijs.

41 Alterum argumento omninò simile est. B. Petrus, aut Romanus Pontifex est caput Ecclesiæ externum; & ad directionem visibilis quietis Ecclesiasticæ.

Sed, Caput externum non potest res fidei determinare, illæ enim pertinent ad actus internos.

Ergo; nec B. Petrus, aut Romanus pontifex hoc potest; vel, si possit, vt Monarchici docent, erit B. Petrus aliud quàm Caput externum; & interno influxu influet, sicuti Christus.]

Miseret me M. Antoni, istius tuæ, vel ignorantiæ, qua rem toti mundo notam nescis? vel malitiæ, qua non vis scire, quod in omni ætatis gradu didicisti.

Princeps caput reipublicæ est, & proponit, ac determinat volenda: Magister caput scholæ est, & proponit ac dijudicat cognoscenda: neutet tamen plus habet, quàm regimen exterius, quo proponit, ac præcipit. nam etsi cognitio, vel assensus; & volitio, vel electio actus interni sunt; iuuatur eamen in his homo per externa aliorum adminicula, & potest doceri, ac suaderi; non quia is, qui suadet, ipsum assensus, vel electionis actum, in altero producere, vel facere debeat, præcipit.

Porrò ne solutio hæc M. Antonio ingrata videatur, retorquebo argumentum; vt intelligat, etiam se hac responsione vti debere. Concilium episcoporum, ex sententia M. Antonij, determinat controuersias fidei, & dubia circa eam emergentia: Ergo; potest influere in fideles interno influxu. vel si non potest ita influere, etiam consequenter non posset dubia circa fidem determinare. Ab hoc enim argumento nunquam se M. Antonius expediet, nisi admittat; satis esse ad hoc, vt quis dicatur controuersias fidei determinare, quòd exteriori declaratione possit hominibus proponere, quid credendum sit, quid non. Neque Ecclesia vnquam aliud aliquid ad hanc determinationem requisiuit.

CAPVT II.

Quòd Apostoli, eorumque successores, non habeant in Ecclesia purum ministerium erga subditos; sed etiam potestatem gubernatiuam, & iurisdictionem.

Noua fraus M. Antonij, qua in titulo cap. 2. plus affirmat, quàm deindè probet nu. 12. 47.

Dominium herile non est in Ecclesia; est tamen potestas gubernatiua num. 3. & 4.

Repetitus error M. Antonij, ineptus eius thrasonismus; eiusque retortio: M. Antonius se Molosso comparauit, & qualis sit nu. 56.

Potestas & ministerium quid? Apostoli eum quibus comparentur, & quomodo? Tres gradus eorum, qui sunt in Ecclesia num. 8. 9. 10. 11.

Apostoli Christo collati sunt ministri, explicantur omnia, quæ pro se adduxit M. Antonius. Vox ministerium, *quid in locutionibus script. aut SS PP. sæpe significet num. 12. 13. 14.*

Apostoli quando Doctores tantùm? num. 16. 17.

Duplex forma Apostolicæ legationis ib. quando Doctores & Pastores nu. 18. 19. 20.

M. Antonij hæresis damnata in concilio Constantiensi, copiosè refutatur num. 21. & deinceps vsque ad finem.

1 Etiam hic more hæreticorum agit Marcus Antonius, & cum in titulo capitis simpliciter positam propositionem affirmauit, in progressu tamen, quia à veritate destituitur, sensu ambiguo ludit, agitque inconstanter. Primò enim, vt habet titulus, negat Apostolis omnem potestatem gubernatiuam, nihilque eis relinquit, præter nudum ministerium; indè verò cum sententiam hanc probare nititur ex illis Apostolorum verbis; Nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus: pro eo, vt simpliciter concludat; Ergo, Apostolorum munus fuit purè ministeriale, sine omni potestate, quod omninò debebat concludere, nec tamen poterat; mutat totam quæstionem, additque de suo; Non dicunt nos legibus coactiuis condendis, ac tribunali vacabimus: Nos pro arbitrio præcipendo, puniendo, dominando occupabimur, quasi idem sit, habere potestatem gubernatiuam, & pro arbitrio punire, præcipere, dominari: aut Catholici Apostolis, vel Episcopis vsquam tribuerint potestatem agendi pro arbitrio.

2 Similia repetit numero decimo, vbi tractat locum illum scripturæ de œconomo, seruos alios percutiente. Luc. 12.42. At verò hæc duo, [nullam habere potestatem, & non habere potestatem agendi pro arbitrio] nimis multum differunt, tantum scilicet, quantum ministerium, & regimen. Neque hæc duo, purum ministerium, & potestas pro arbitrio exercita, sic opponuntur, vt ex vnius negatione alterum asseratur. Nimis lubricus es Marce Antonij! & inconstantis, ac præci-

pitis calami, pariter & animi. Constanter dic vtrum velis; [an Apostolis, eorumque successoribus negare omnem potestatem absolutè,] vt titulus capitis indicat; an verò dumtaxat arbitrarium potestatis vsum, & tyrannidem, vel herile dominium?] vt in toto capitis decursu indicas.

3 In posteriori libens tecum conuenit tota Ecclesia; hoc enim est, quod dixit Christus apud B. Lucam capite vigesimo secundo, vbi facta inter Apostolos contentione, [quis eorum videretur esse maior? Luc. 22. 24.] monet eos, ne faciant, vt Reges gentium, qui dominantur in subditos suos. Quibus verbis etsi tu post Caluinum 4. instit. cap. 17. putes Christum Apostolis omnem omninò potestatem gubernatiuam eripuisse; tantum tamen id abest à vero, vt tandem simul, & plenè asseruit, & ab abusibus vindicarit. Instruens enim Apostolos exemplo proprio; eadem phrasi, qua illos monuerat ad ministerium, de seipso quoque subdit; [Ego non veni ministrari, sed ministrare; & ego in medio vestri sum, sicut] qui ministrat. Nunquid tamen propterea Christus purus Minister sine omni potestate? absit blasphemia: data est enim ei omnis potestas in cœlo, & in terra, Matth. 28. 18. Consequenter verò, ad Apostolorum potestatem quod attinet, ne de ea, eiusque vsu quisquam ambigeret, subinnxit: [Qui inter vos maior est, fiat sicut minor, & præcessor, fiat sicut ministrator,] quid opus erat ista præcessoris instructione, si inter Apostolos nemo tunc præcessor, aut vnquam deinceps futurus?

4 Quòd si verò nihil aliud voluisti; quàm ab Apostolis, & Ecclesia remouere libidinem agendi (vt tu loqueris) pro arbitrio, vel dominium herile; malè omninò, & cum magno ignorantiæ tuæ, simul, ac malitiæ testimonio, inscripsisti argumentum capitis [Apostolorum munus fuisse tantùm ministeriale.] Quotquot enim iustè præsunt, non habent purum ministerium, nec tamen pro arbitrio faciunt, quod volunt. In familia herus est, & seruus; vterque boni œconomici, ac familię minister; sed seruus habet ministerium purum, herus cum potestate, & in filios quidem, habet potestatem paternam (qualis etiam potestas Ecclesiastica est) non verò herilem; in seruos verò herilem, qualis Ecclesiastica non est. In rebuspublicis quoque; subditi habent purum ministerium. Princeps iustus potestatem instar ministerij; quia primus eius finis est, vt bono Reipublicæ laboret, ac seruiat.

Tyrannus potestatem, cum omnis ministerij excussione; quia non laborat bono reipublicæ, sed propriæ vtilitati seruit, etiam cum Reipublicæ damno. Vt præclarè annotauit S. Basilius in cõmentarijs suis ad prouerbia. [Hoc est, si enim regnum est legitima potestas, liquet constitutiones à rege, hoc nomine digno, profectas, & editas, multum quidem obtinere legitimæ auctoritatis apud eos, qui obseruant boni communis vtilitatem. Neque enim coordinatæ sunt hæ præceptiones ad priuata regum commoda. Hoc enim differt tyrannus à rege, quia ille quidem sua vnius commoda omni ex parte spectat, & attendit: contra, rex vtilitati subditorum nihil non suppeditat, & consulit.]

5 Poteras hæc ex ipso naturæ lumine, & ex Politicis præscriptionibus, & ex sacris literis didicisse, nisi affectus, & animus benigni regiminis impatiens modestiæ frænos excussissent. Neque debuisti numero decimo per antithesin opponere tyrannidem, & merum ministerium,] aut ex negatione tyrannidis, assertionem puri ministerij inferre. [Certè, ais, talem œconomum, quales sunt Apostoli, Christus nihilominus seruum vocat.] Fatemur, nam & Pastor gregi suo seruit. [Et ægerrimè ferr, subdis, si erga conseruos suos velit ipse dominari.] Nihil ergo tu amplius negas in dominio, aut potestate Apostolorum, quàm Christus, & vide, quàm doctè statim addas voculam, nudum, eum pergis; [ægerrimè fert Christus, si erga conseruos velit ipse dominari, quibus nudum debet ministerium.]

6 Ac rursùs cum numero vigesimo (quia cæcutiebas in argumentorum tuorum virijs) [gloriosę concludis; [habemus itaque Apostolis nihil aliud datum, nihil commissum, nisi purum ministerium fidei Christi, per Euangelium prædicationem ministerialiter, & non potestatiuè propagandæ, & per baptismi vsum salutarem.]

Ita pueri in scholis argumentantur, & qui amant somnia, sibi fingunt. Habemus, inquiunt, nec tamen habent. Sanè quisquis hæc similiaque tua inspicit M. Antoni, melius concludet; [habemus itaque Marcum Antonium, qui videri voluit solus in Ecclesia sapere, & illustrissimum Baronium toties quasi & ridet, neque in Politicis quicquam, neque in Theologicis sapere,] quia neque dominij, neque ministerij rationes habet perspectas.

Spoponderat quidem, & satis arroganter; futurum se in Ecclesia molossum, qui ceteros Episcopos, tanquam dormientes canes, latratu excitaret; videat tamen, ne ipsos ira excitet, vt tanquam molossum furtiuum, & qui non venit, nisi vt oues mactet, pacificis Ecclesiæ pascuis, exigant: quemadmodum in apologo asinus, cum iu catelli officia se ingessisset, Dominoque assultu pedum blandiri vellet, fustibus miserè delumbatus. Vel ne molossus sit perduellibus Ecclesiæ filijs, qui eos quasi dato classico ad inobedientiæ castra conuocet, quid enim promptius, quàm vt obedientiam non præstent, quam tali duce intelligunt se non debere, & re ipsa vident ab eo non præstari?

7 At verò; Apostoli (inquit) ministri suur, & ne quis neget, probat plena ferè concordantiarum exscriptione. Verùm non erat, cur istud operæ subires, Marce, nostri causa, cum libentes fateamur Apostolos ministros fuisse; sed voluisti apud indoctos Theologus videri, tot scripturarum congerie frustranea. Ac pergis; Apostoli puri ministri sunt; Hoc erat, in cuius probatione pretium operæ posuisses; sed non potuisti, desertus à veritate. Negat Ecclesia Apostolos fuisse purè ministros, tu affirmas; si probationem volumus, nihil aliud sonas, quàm ministri erant. Ità ne totam Ecclesiæ Hierarchiam vnus audes subuertere, & omnes Ecclesiæ Pastores, Rectoresque tanquam puros ministros in ordinem redigere? Vide veram

ha-

lapsus tui originem: propterea ex numero cœtuque fidelium excidisti, quia cum nullum haberes, quem vt Pastorem agnosceres: ob sollicitudinem paternam amares: ob potestatem revereretis; ipsi tibi factus dux, docuisti exemplo alios, quàm vtiliter parere discant.

8 Sed pergamus ad examen, rursumque vt omnes intelligant certa ab incertis, & ambiguis distinguamus. Primum itaque potestas, & ministerium ex eis vocibus sunt, quæ dicuntur ad aliquid; omnis enim potestas respicit subditum, in quem sit potestas, & omne ministerium respicit eum, cui præstatur ministerium: sicuti ad aliquid dicuntur Dominus, & seruus. Vndè vt in Apostolos disquiramus, vtrùm ministri fuerint, an etiam rectores? oportet eos cum alio aliquo conferre, ratione cuius eis, vel potestatem, vel ministerium tribuamus. Possunt autem Apostoli conferri, primò: cum Christo, à quo instituti sunt, & missi; secundò: cum eis, ad quos mittuntur: atque hi rursum in duas classes distingui debent; quidam, enim recipiunt Apostolorum doctrinam, eorumque se institutioni submittunt, quos vocamus generali nomine fideles; quidam permanent in priori viuendi, opinandique genere, neque eorum prædicationi acquiescunt; vndè & infideles dicuntur.

9 Secundò. Oportet nos in præsenti materia, non duo, vt tu facis; sed tria membra distinguere, nempè.

1. *Ministerium nudum.*
2. *Potestatem legitimam eiusque vsum licitum.*
3. *Potestatem illegitimam, vel vsum potestatis illicitum.*

Quotidiania enim exemplis hæc tria in quauis communitate facilè distinguimus, & in Ecclesia distincta reperiuntur. Multi enim in functionibus Ecclesiasticis nullam iurisdictionem, aut potestatem habent; vt clerici inferiores, dum catechizant, aut præcepta Ecclesiæ promulgant: & hi respectu eorum, quos catechizant, Doctores quidem sunt; respectu tamen eorum, pro quibus id faciunt, & quo ad præceptorum promulgationem, ministri puri sunt. Pastores verò, & Episcopi, vel quicumque ab Episcopis pastoralem, vel Episcopalem potestatem habent, etiam ministri sunt: simul tamen quando legitimè vocati, & ordinati sunt, legitimam potestatem habent: eaque legitimè vtuntur quam diù id faciunt à in ędificationem Ecclesiæ, non in destructionem,

Denique qui seipsos malis artibus in Ecclesiæ officia ingerunt: vel qui ea legitimè quidem adepti sunt, subditos tamen negligenter habent: permittunt eorum peccata, vel mulctent: dispensant cum scandalo, & damno: delitijs, pompæ, ac superbijs vacant; spe lucri hæreticos, aliosque nocentes non excludunt: hi omnes potestatem suam partim illegitimè habent: partim ea illegitimè vtuntur: vt egregiè declarauit B. Bernard. tum in libris de consideratione, tum serm. 76. & 77. in Cant. [Pauci sunt admodùm, ait, qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis eius: diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum: quia manus dederunt Mammonæ. Intuere quomodo incedunt intidi, & ornati, circumamicti varietatibus tamquam sponsa procedens de thalamo suo: nonne si quempiam talium eminus aspexeris, procedentem sponsam potius putabis, quàm sponsæ custodem? Vndè verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum, & aureorum? nisi de bonis sponsæ? Indè est, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis. Propter hos non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare: dicente de illis Domino: Psal. 13. 4. qui deuorant plebem, Psal. 78. 7.] meam, vt cibum panis, & quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt. Osea. 4. 8. [Et in alio propheta, peccata populi mei comedent; quasi dicat peccatorum precia exigunt, & peccantibus debitam solicitudinem non impendunt.] Ac post pauca: [Relinquamus istos non inuentores sponsæ, sed venditores: & inquiramus potius illos, à quibus sponsa se inuentam loquitur, & quidem illorum isti sortiti sunt minesterij locum, sed non zelum. Successores omnes cupiunt esse, imitatores pauci. O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram. Vigilarent vtique sollicitè seruantes ab illis inuentam, sibi creditam. Imò verò euigilarent pro semetipsis, nec fineret de se dici:] Psal. 37. 12.] amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. [Iusta omninò querimonia: nec ad vllam iustius, quàm ad nostram referenda ætatem. Parum est nostris vigilibus, quòd non seruant nos, nisi & perdant. Alto quippè demersi obliuionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitrum expergiscuntur, vt vel suum ipsorum periculum expauescant. Indè est, vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter, & pereuntes.]

11 Quibus verbis plenissimè eos Bernardus descripsit, quos nos in tertio gradu collocamus: quibus melius erat Ecclesiam non intrasse, quàm se ipsos, & subditos perdere: non debet tamen propter horum vitia, eis quicquam decedere, qui in secundo gradu sunt, & cum à Deo tanquam Aaron vocati fuerint, cum eodem officia sua sanctè, innocenterque ad vtilitatem subditorum administrant. Quia nec in Politicis, quorumdam Iudicum, vel Principum vitia, & abysus, tantum valent ad omnis regiminis subuersionem; vt propter ea absolutè ab omnibus omninò principibus, & Iudicibus potestatem gubernatiuam, & iurisdictionem remoueamus. Vita enim personarum sunt, officia verò ipsius Reip. imò Dei quædam participatio, qui obediri mandat Dominis, licet discolis.

Propositio Prima.

12 Apostoli, si cum Christo conferantur, nudi sunt illius, & puri ministri: neque vllam in eum, sed omnem, quam habent, ab eo habent potestatem.] Nemo qui

eationem Apoſtolatus, & ipſius etymon noult, hac in re nobis contradicet: Apoſtolus enim nihil aliud eſt, quàm Legatus: Legari autem poteſtas, vt vox ipſa ſonat, delegata eſt: & à quo, niſi à legante? delegans autem reſpectu Apoſtolorum fuit Chtiſtus. Vndè de ſe ipſe teſtatus eſt.Io: 20. 21. [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Similiter:Io:15. 16. Ego vos elegi, & poſui vt eatis, & fructus veſter maneat.] Apoſtoli quoque de ſeipſis confitentur, quòd ſint miniſtri, & ſerui Ieſu Chriſti. Hinc ſolemue iſtud apud eos in epiſtolarum initijs exordium. [Paulns ſeruus Ieſu Chriſti.] Roman. 1. & ad Corinth. epiſt. 1. cap. 1. [Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Cbriſti, item, Simon Petrus ſeruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti, 2. Petri 1. Iacobus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, Iacob. 1. Iudas Ieſu Chriſti ſeruus,]Iude verſ. 1. [Etſi enim præſcriptum Chriſtianis ab Apoſtolo ne fiant ſerui hominum: glorioſum tamen eſt ſeruire Deo: eique omnes, qui poſt Apoſtolos in curam animarum vocantur, hoc ſeruituris obſequium libentes exhibere debent, quicquid enim agunt, vel poſſunt, non niſi per Chriſtum poſſunt. Verè enim Corinthios ſuos, vt ſchiſmatis periculo laborantes, ſapienter interrogabat Paulus; [Quid eſt Apollo, quid Paulus? niſi Miniſtri eius cui credidiſtis,] id eſt, miniſtri Chriſti. [Et neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat Deus.] Ille enim ſolus vineæ Dominus eſt: reliqui vero operarij, & ſerui in vineam miſſi.

Itaque nihil mirum, Marce Antoni, ſi in Scriptura, & Patrum libris, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, inueniamus operarijs, & miniſtris comparari: verè enim tales ſunt, illud tamen mirum: quod ex his nominibus coneris tollere ab Apoſtolis omnem poteſtatem: eodem enim argumento potuiſſes eam tollere à Chriſto: qui ſimiliter in Scriptura, tum à ſeipſo, tum ab alijs miniſter, & ſeruus, vocatur. Vndè apud Matth. 20. Apoſtolos humilitatem docturus: [Quicunque, ait, voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Et apud B. Lucam cap. 22. Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.] Et B. Paulus ad Romanos cap. 15. Chriſtum Dominum vocat, *Diaconum peritomis*, ſeu miniſtrum circumciſionis: quia ſcilicet, vt ipſe dum viueret, teſtatus eſt, venerant tanquam[Apoſtolus Iudęorum: miſſus ad eos, qui perierunt domus Iſrael, & ad Hebræos c. 8. Talem, ait, habemus Pontificē, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, ſanctorum *liturgos*, id eſt, miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus.] Deniq; Dominus noſter, apud B. Lucam explicans præmium, quòd ſeruis fidelibus perſoluitur. [Beati, ait, ſerui illi, quos cum cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.] Ex quibus verbis, non eſt vt ſerui ſperent ſe in gradum, dignitatemque Dominorum euehendos: Dominos verò ad nuda miniſteria deiectum iri: ſed vocibus miniſterij, tantùm ſignificatur benignitas dominorum, & familiaritas, quæ non tantùm illicitos faſtus excludat: ſed & licitum imperium ſui facilitate temperet: atque hoc ſolum eſt, quod ab Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus Dominus noſter in officij adminiſtratione exegit: vndè & Patribus eos, ac matribus tenerè, ac benignè filios tractantibus comparat: & Apoſtolus eandem in ſe benignitatem exprimens: 2. Cor. 11. 29. [Quis infirmatur, ait, & ego non infirmor? Et ad Galatas ſcribens; [Filioli mei, ait, quos iterum parturio.]

19 Ex hac concluſione plenius explicari poſſunt, ea quæ cap. 1. de Chriſto dicta ſunt: nempè, quomodo ille ſolus appellari poſſit caput Eccleſiæ; nam qui in alicuius communitatis directione purus alicuius miniſter eſt, is, ſi cum Domino ſuo conferatur, non debet dici communitatis illius Dominus, aut caput, eadem phraſi, qua ipſe Dominus: ſed alia ſolùm longè inferiori.

Similiter ex eadem concluſione patet: quomodo Apoſtoli, & Epiſcopi, ac Paſtores Eccleſiæ, eos, quos paſcunt, non faciant oues ſuas, aut gregem proprium: ſed tantùm paſcant, vt gregem Chriſti, nemo enim, qui oues à Domino paſcendas accipit, eas Domino ſubtrahit: ſed ſeruat, & ad illius vſum cuſtodit. Vndè nunquam dictum B. Petro à Chriſto: [Paſce oues tuas: ſed paſce oues meas:] neque gregi nomen ab miniſtri, ſed ab ipſius Domini nomine datur: vt Chriſtiani vocentur omnes, non Petrini.

15 Explicat hoc prolixè B. Auguſt. in pſalm. 44. [Omnes animæ, quæ Apoſtolis prędicantibus, & euangelizantibus natæ ſunt filiæ Regum ſunt: & Eccleſię filię Apoſtolorum, filiæ Regū ſunt. Ille enim eſt Rex regum. Illi autem reges, de quibus dictum eſt,] ſedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael; [prædicauerunt verbum veritatis, & genuerunt Eccleſias, non ſibi, ſed illi, ad hoc ſacramentum pertinet, quod ſcriptum eſt in lege;] ſi mortuus fuerit frater. Accipiat vxorem frater eius, & ſuſcitet ſemen non ſibi, ſed fratri ſuo. Dixit Chriſtus, dic fratribus meis: Dixit, & in alio Pſalmo, narrabo nomen tuum fratribus meis. [Mortuus eſt Chriſtus, reſurrexit, aſcendit, abſentauit ſe corpore: ſuſceperunt fratres eius vxorem eius, prædicatione Euangelij generaturi filios, non per ſemetipſos, ſed per Euangelium, propter nomen fratris, 1. Cor. 4. 15. In Chriſto enim Ieſu, inquit, per Euangelium, propter nomen fratris ſemen fratri ſuo, quotquot genuerant non Paulianos, aut Petrianos, ſed Chriſtianos nominauerunt. [Videte ſi non iſte ſenſus vigilat, & in his verſibus. Cum enim diceret, à domibus eburneis, dixit de regalibus, amplis, pulchris, lenibus, qualia ſunt corda ſanctorum: ſubiecit,] ex quibus te delectauerunt filiæ regum in honore tuo. [filiæ quidem regum, filiæ Apoſtolorum tuorum: ſed in honore tuo, quia ſemen illud ſuſcitauerunt fratri ſuo. Ideò ipſos, quos ſuſcitauerat fratri ſuo Paulus, cum videret currere ad nomen ſuum:] exclamauit, nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? quid etiam ait lex? & habeat natus nomen defuncti. Defuncto naſcatur, defuncti nomine appelletur. Ser-

uat

uat hoc legitimum Paulus: volens appellari ex nomine suo, reuocat.] nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? ad defunctum aspicite, nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? [Et quid ergo? Quando illos generasti, quid si nomen tuum illis imposuisti? Non. Ait enim,] aut in nomine Pauli baptizati estis? [delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Tene te, serua te in honore tuo.] Hoc est habere vestem nuptialem, illius honorem, illius gloriam quærere.

Atque ita ipse Sanctus Petrus alios iam à se, aut alijs in officij huius communicationem, assumptos instruens; seniores; [seniores, ait, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis passionum Christi, pascite, qui in vobis est gregem Dei.]

Propositio Secunda.

16 Apostoli si conferantur cum infidelibus, Doctores sunt, & magistri; proponentes quid singuli credere debeant, & agere; non tamen habent potestatem eos compellendi, vt ea, quæ proponuntur, recipiant: sed, solummodo denunciandi mala imminentia, & tandem eis euentura, si non receperint.] Ità docet Christus Dominus Matthæi decimo; [Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.] Atque ita fecit Beatus Paulus Actuum decimo tertio, vbi Iudæis doctrinę ipsius contrauenientibus; [vobis, ait, oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.]

Clarius vero idipsum indicauit idem, epistola prima ad Corinthios capite quinto; vbi elegantissima antithesi id explicat, quod nos modò tractamus; docetque quidnam intersit inter peccatores publicos, qui extra Ecclesiam, & qui in Ecclesia. De his enim, ait, [Scripsi vobis non commisceri, si is, qui frater nominatur (seu qui fidelis, & Christianus est) est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, cum eiusmodi nec sumere cibum;] quod est, fideles peccatores à cæterorum communione segregare, cæterisque, vt & ipsi ab eis abstineant, præcipere. De infidelibus autem subdit; [quid mihi de ijs qui foris iudicare? nam eos qui foris sunt, Dominus iudicabit.]

17 Eodem spectat, quòd alia forma Dominus Apostolos miserit ad conuersionem infidelium, alia verò ad regimen, & gubernationem eorum, qui iam conuersi sunt. Infideles enim lupis comparat, qui quidem etsi nullum habeant ius in oues, tamen de facto in eas inuolant, & lacerant; Apostolos verò, vt ad infideles mittuntur, ouibus, quæ lanienæ non resistunt; vel serpentibus quidem, vt prudenter sibi caueant, simul tamen columbis, vt etiam innocenter patiantur: nullum autem est ius ouium in lupos. At verò postquam infideles iam conuersi sunt, & ad fidem, ecclesiæque vnionem aggregari, sicuti Ecclesia ouile est, ità ipsi ex lupis oues fiunt. Apostoli verò, & Episcopi, Pastores ouium sunt: neque patiuntur innocenter se ab ouibus suis morderi, sicut patiebantur à lupis: sed ipsi oues regunt; & si quæ sit lasciuior, compescunt.

Probatio Tertia.

18 Apostoli si conferantur cum eis, qui doctrinam eorum receperunt, eorumq; se institutioni submiserunt, vt in vnam cum eis communitatem, & Rempublicam coalescant, non habent in eos potestatem agendi pro arbitrio, aut condendi, & statuta pro nudo suo beneplacito.] Largior hic vltroneus Marco Antonio, quod ex tantis probationibus, sibi tandem videtur concludere. Nam etsi ea, quæ ipse adduxit, istuc parum faciant; vera tamen istorum ratio est, quòd Christus non tradiderit Ecclesiam suam lupis, aut Tyrannis; sed Pastoribus, & Patribus: eos verò, qui Pastores cum sint, sua tamen, non quæ ouium, & gregis, vel Domini gregis sui, quærunt; tanquam officij præuaricatores grauissimè reprehendat, atque punitorum seuerissimè comminetur. Hinc apud Lucam capite duodecimo legimus, cum Dominus Apostolos ad vigilantiam, & fidelium officij sui administrationem, ac diligentiam cohortaretur, rogasse Beatum Petrum, tanquam officij sibi promissi memorem; [Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?] atque deindè Dominum respondisse, [quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ità facientem, verè dico vobis, quoniam suprà omnia bona, quæ possidet, constituet eum,] ac deindè de eo agens, qui cum boni publici neglectu suis voluptatibus indulget, subiungit, [Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere seruos, & ancillas; & edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus serui illius, in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemque eius ponet cum infidelibus.] Agit contrà eosdem Deus apud Hieremiam capite vigesimo tertio, & prolixius apud Ezechielem capite trigesimo quarto; vbi postquam præmisisset commemorationem culpæ, [Cum austeritate imperabatis ei, & cum potentia:] statim subdit comminationem pœnæ; [propterea Pastores audite verbum Dei, ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum.]

19 Apostolus quoque Actuum vigesimo, cum ex Asia reditum pararet in Syriam, & ne qua mora ei fieret in Asia, cogitaret transnauigare Ephesum, Miletum appulsus, conuocauit maiores natu Ephesinæ Ecclesiæ, eosque ad sedulam dominici gregis custodiam exhortaturus, commemorat primò diligentiam, & fidem suam, vnà cum solemni hac contestatione, [Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: causamque subiungens: non enim, ait, subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei,] quasi dicat, si quisquam ex vobis in his socordior fuerit, Deus sanguinem subditorum de manu eius requiret, eritque reus sanguinis proximi sui. Quod apud Eze-

chie-

chielem Deus prollxè exemplo speculatoris quoque præmonuit : [Fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos : Terram cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terrę virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem : & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo : audiens autem quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit : si autem se obseruauit, animam suam saluabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina : & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam : ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, audiens ergo ex ore sermonem annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua ; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium, vt à vijs suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua ; ipse in iniquitate sua morietur : Porrò tu animam tuam liberasti.

Pergens verò Apostolus supra, ostendensque negligentes hos Pastores, & infidos, qui neque ea, quæ ouium, neque ea, quæ Domini ouium, id est, Christi sunt, quærunt, non tantùm in oues, sed & in Christum grauissimè peccare. [Attendite vobis, ait, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo : q. d. sanguinis Christi rei sunt, quicunque inter Pastores pro salute ouium suarum soliciti non sunt. Itaque si totus hic Apostoli locus expendatur, ij, qui in Ecclesia pro suo solùm arbitrio præsunt, duplicis apud Deum criminis rei sunt ; primò quidem animarum ipsarum, quæ pereunt, vt indicauit Apostolus verbis istis. Mundus ego sum à sanguine omnium. Secundò, sanguinis Christi, cuius pretium ipsorum vitio animabus illis non proficit, vt indicauit idem Apostolus, cum Ecclesiæ, quam Pastores regendam suscipiunt, epitheton addidit, quod acquisiuerit eam Deus sanguine suo.

Propositio Quarta.

21 ETsi Apostoli non habeant in fideles potestatem agendi, pro arbitrio, tamen non sunt etiam nudi eorum ministri, sed Pastores, & cum potestate rectores.] Istud est, in quo præcipuè ab Ecclesia dissentit Marcus Antonius, & si mentem eius rectè assequor, sepultas iam diu hæreses Waldensium nouo partu conatur effundere ; videat tamen ne sicuti quædam puerperarum naturæ ; ita & ipse doctrinæ monstra pariat : in hoc puerperis deterior, quod illæ fœtus sui monstrositatem deplorent, & omnibus votis eam optent tegere, & corrigere ; facturæ, si possent ; ipse verò monstrum suum amet, foueat, omnibus ostentet, neque velit corrigere, etiam cum possit : quo bono ? vt omnes intelligant etiam parentem tanti fœtus monstro similem esse ; neque amplexandam eius institutionem, vt ducem sapientiæ ; sed inspiciendam quidem, vt indicem, testemque malitiæ ; simul verò fugiendam, ne cum placere cœperit, plures corrumpat.

22 Docuerunt eandem hanc cum ipso hæresim olim Waldenses ; teste S. Antonino par. 4. tit. 11. cap. 7. summæ Theologicæ, & ex his Marsilius de Padua, ac Ioannes Wicleff. sed damnauit eam disertis verbis Concilium Constantiense, sessione 8. est enim inter recensitos ibi 45. articulos Wicleffi iste 11.

[Nullus Prælatus debet aliquem, excommunicare, nisi prius sciat eum esse excommunicatum à Deo : & qui sic excommunicat, est hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.]

Nam etsi hic articulus speciatim videatur tollere potestatem excommunicandi, fundatur tamen in eadem generali propositione, quam hìc docet M. Antonius, quæ negat Ecclesiæ omnem potestatem gubernatiuam. Pugnant verò contra eam tot manifesta scripturarum testimonia, vt non possit quis facilè in eam opinionem incidere, nisi præuijs primum superbiæ, inobedientiæque plurimis exemplis discat ita sentire, quia libet ita agere ; ac denique, quia iudicat quisque, sicuti est affectus, ex multiplicatis erroribus voluntatis sibi stabilire errorem intellectus.

23 Primò enim nemo, opinor, facilè negabit, saltem ipsi Christo, potestatem gubernatiuam, & auctoritatem ; aut asseret etiam ipsum purum ministrum fuisse, quia de seipso testatus est ; [data est mihi omnis potestas :] & per Dauidem iam ante fecerat homines præmoneri, ita constitutum se Regem à Patre super Sion, vt non solùm prædicaret præceptum Patris, quasi purus internuncius, sed & tanquam verus heres, possessor, ac Dominus regeret, ea auctoritate, & virga, seu sceptro, vt si quis non adorauerit eum tanquam Dei Filium, eiusque disciplinam, & præcepta non apprehenderit, ipse in ira, & iudicio suo perditurus sit eum de via iusta.

Quòd autem potestatem hanc cum Apostolis suis Christus communicauerit ; non tantùm verba illa generalia indicant, [sicut misit me Pater, & ego mitto vos :] quæ non debent à nobis sine euidentissima ratione restringi : sed & specialia ista ; [quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cęlo.] Quòd enim sub verbo ligandi, etiam præceprio, seu legislatio comprehendatur, tum ex alijs scripturæ locis patet, tum ex ipsis aduersariorum nostrorum argumentis: qui propterea nolunt Apostolis, eorumque successoribus hanc potestatem concedere, quia non debet libertas nostra, in quam à Christo asserti sumus, alligari ab hominibus, vel constringi ; tum denique ex ipsa pręceptorum natura, quæ in hoc à monitis, vel consilijs differunt, quòd consilia non obligent.

24 Ad eandem sententiam spectat, quod Lucæ 18. legimus, Christum cum Apostolos suos in opus Euangelicum destinaret, generatim eis dixisse ; [Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit :] quibus verbis significat, se non minus constituere eos suo nomine doctores, & rectores populi, ad bonum diuinum, quàm Reges constituerit, vel

Prin-

Principes suo nomine populi rectores ad bonum Politicum, at verò quòd Reges non sunt puri ministri suarum Rerumpublicarum, sed cum auctoritate, & iurisdictione, ita manifestum est, vt quisquis id neget, in Principes omnes grauissimè iniurius sit, eosque ex republicę patribus in seruos familię, & mancipia deijciat.

25 Tractat idem hoc argumentum plenius B. Paulus Romanorum decimo tertio, vbi supposito illo fundamento, [non est potestas nisi à Deo; infert: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; nam ni faciat, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.] Quo loco, nobis indifferens est, vtrum ex professo Beatus Paulus loquatur de ciuili tantùm magistratu, an etiam de Ecclesiastico: de quo nobis hic quæstio est: nam etiamsi concedamus eum de solo ciuili ex professo agere: probatio tamen nostra nonminus procedit de magistratu Ecclesiastico, modò verum sit de eo illud Apostoli fundamentum generale: [Non est potestas nisi à Deo:] si enim potestas Ecclesiastica à Deo quoque est, necessario de ea verum quoque est: [qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit:] quòd autem potestas hæc à Deo sit, patet ex officio pascendi, quod in Ecclesia Deus instituit, [qui posuit quosdam in Ecclesia Pastores:] tum ex verbis illis Apostoli Petri: [Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consenior,& testis passionum Christi: Pascite qui in vobis est gregem.]

Secundò: vt post Christi institutionem, ad ipsam Apostolorum administrationem, executionemque veniamus: constat ex eorum actis, eos hanc potestatem præcipiendi, puniendique ita vsurpasse, vt eam sibi à Domino datam arbitrati fuerint, atque ita docuerint. In primo Concilio Apostoli legem statuerunt circa quasdam cæremonias abstinentiæ, quæ sine ipsorum præcepto, liberæ omninò fuissent,& indeterminatæ. Paulus quoque, & Silas ex eodem concilio in prouincias profecti; cum pertransirent ciuitates, [tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis,& confirmabant Ecclesias, præcipientes custodire præcepta Apostolorum.] Et Chrysostomus homilia trigesima tertia in acta,loquens de epistola,quam Apostoli ex Concilio ad fideles Ciliciæ, & Syriæ scripserunt: vide, ait, breuem epistolam, neque epicheremata, neque syllogismos habentem, sed Imperium: erat enim legislatio Spiritus.]

Tertiò: B. Paulus Corinthijs iam fidelibus, & conuersis scribit, posse se cum eis, & in spiritu mansuetudinis agere; nempè si boni sint; & in virga, si mali: ideòque ne cogatur virga vti, hortatur eos ad quietem, quòd autem nomine virgæ intelligi voluerit potestatem regendi, & corripiendi, explicuit epistola secunda ad eosdem; [prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens, ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus; quoniam si iterum venero, non parcam; & ideò hæc absens scribo, vt non præsens durius agam, secundum potestatem, quam dedit Dominus mihi, in ædificationem, & non in destructionem.] Atque ad hanc virgam, seu potestatem pertinet, quod idem epistolæ primæ ad eosdem capite quinto; publicum illum incæstuarium Sathanæ tradiderit, est enim hæc inter Ecclesiasticæ potestatis punitiones omnium grauissima; & iniquissimè fecisset Paulus, si tale quid in Ecclesia attentasset, sine debita potestate.

28 Denique vt breuis sim; idem Apostolus Timotheo præscribit formam tribunalis exterioris, cumque monet quomodo aduersùs presbyterum, (id est, seniorem quemcunque, ait Chrysostomus, vel sacerdotem, vt habet Ambrosius) debeat procedere; nempè sub duobus, aut tribus testibus; vt auditis, probatisque, vel refutatis accusationibus, possit secundum allegata, & probata, definire. Quòd si autem, quis purus minister; in quo nulla est potestas, vel citaret quemquam, vel testes audire, quasi ex officio, vel sententiam dicere præsumeret, nonne diceret; [amice quis te constituit iudicem inter nos?]

29 Maneat ergo veritas Ecclesiæ Catholicæ, in Apostolis non fuisse nudum ministerium, sed potestatem regendi fideles, non laicos tantùm, sed & Ecclesiasticos: neque Presbyteros solùm, quos Episcopi regunt, vt Timotheum docuit Beatus Paulus; sed & Episcopos, qui Archiepiscopis subsunt, vt Archiepiscopi Primatibus, Primates Patriarchis, Patriarchæ omnes vni Romano Patriarchæ; & si quis hac in re impatiens regiminis, & ingratus in parentes suos, cum Marco Antonio in eos exclamet, quòd puri ministri sint; is primùm exemplo (lapsu, inquam, Archiepiscopi, & quidem tam adulti) discat disciplinam; sibique istud Apostoli inculcet; [qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit:] si ouis Christi est, pascatur ab eo, cui dixit Christus, [pasce oues meas:] si pasci non vult, Christi non sit. Audi, Marce Antoni, quid conterraneus tuus Beatus Hieronymus ad Damasum Romæ Episcopum scripserit, ac tu eisdem verbis ad Damasi successorem Paulum scribe. [Paruum magnus aspicias, & diues Pastor morbidam non contemnas ouem. Hinc præsidijs mundi fulta Ariana rabies fremit: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri iugitur: meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt: possem credere, si hoc vnus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò Obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, &c. vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.

CA-

CAPVT III.

An Apostoli omnes fuerint inter se pares in potestate Ecclesiastica, & quomodo Beatus Petrus potuerit habere primatum Ecclesiasticum?

Inconstantia M. Antonij, & mutatio quæstionis, quam inducit, num. 1. & 2.
Duo hæc cap. præcipuè spectanda, num. 3.
Argumenta M. Antonij ex PP. & eorundem mala applicatio, num. 4. 5. 6 7. 8.
In quo consistat potestas Apostolorum, num. 9. 10. 11. 12. 13.
Apostoli quomodo pares. num. 14. 15. 16.
M. Antonij quæsitum effugium num. 17.
Apostoli qua in re à B. Petro dissimiles quo ad potestatem Ecclesiasticam. num. 18. 19. 20.
Absurda M. Antonij propositio num. 21. & 22.
Conciliatio æqualitatis, & inæqualitatis inter Apostolos ex B. Cypriano, num. 23. & 24.
Explicantur loca PP. à M. Antonio obiecta, num. 25.
Impudentia M. Antonij contra B. Leonem, & omnes Rom. Pont. num. 26.
Auctoritas B. Leonis, & Romanorum Pontificum asserta ex Concilio Chalcedonensi, num. 27. 28. & 29.
Eadem asserta ex Iustiniano Imp. contra hæreticum I. C. num. 30. & 31.
Conclusio capitis, num. 32.

1 Mirari meritò possem, quid nunc cum Apostolorum potestate M. Antonij negotij, qui præcedenti capite omnem eis potestatem ademit? nisi scirem tam falsum esse dogma, quod ibi docuit, vt non potuerit veritas ei non excidere. Accedit itaque hic ad nos, & rescribit, quod istic negauerat: [Apostoli in Ecclesia ita sunt Dei Ministri: vt simul potestatem, & iurisdictionem habeant;] rursùs tamen non quidem pro iure, sed pro solita, quam sibi vendicat, auctoritate, in potestatis huius limites, ac conditiones disquirit: vndè & nos præcedentis vestigia assequemur, vt possumus: & sicut ille in Apostolos, ita nos in illius dogmata, probationesque disquiremus.

2 [Certum est, inquit, Ecclesiæ curam Apostolis à Christo fuisse commissam, omninò: addit; & facilè est ostendere omnibus, ac singulis æque datam fuisse à Christo potestatem.] Atqui hoc non est, quod præsenti capite docere debebat: differunt enim (etsi ipse id minus aduertat) hæ duæ propositiones: [Potestas data est Apostolis æque à Christo: Et: data est illis potestas æqua, seù æqualis à Christo: nam & potestas ciuilis, seù politica gubernatiua, est in Imperatore, Rege, Duce, Magistratibus, ità est à Deo: vt non minus ordinationi Dei resistat, qui resistit principi, potestatiuè minori, quàm qui maiori, cur? quia, in omnibus est potestas à Deo Æque, & per ipsum non minus legum conditores decernunt iustitiam, quàm Reges regnent: nec tamen propterea rectè, quis dicat: Magistratum quemlibet, Comites, Duces, Reges habere à Deo potestatem æqualem, aut, vt tu loqueris in titulo, esse inter se in omni potestate pares. Dissimilemus tamen hoc: & phrasin non bonam, ad sensum accommodemus bonum.

3. Res, quam tractare debemus, duplex est: vna potestatem ipsam, eiusque obiectum, & eius exercitia concernit: altera modum. Fit enim, vt in duobus, aut pluribus reperiatur quidem eadem potestas ad eosdem actus, non tamen idem modus: ad quod, quia M. Antonius, vel per ignorantiam, non potuit, vel per nequitiam, non voluit aduertere, in ea incidit *paradoxa*, quæ nunc omnes in tanto olim Antistite stupent, eaque probationibus fulcit tam infirmis, vt ex horum vanitate facilè totius Conceptus, & nouæ, quam sibi imaginatus est, Ecclesiasticæ hieroaristocratiæ vanitas detegatur. [Qua in re, vt non videar illi immeritò quicquam præter veritatem imposuisse, expendat lector, velim ea, quæ num. 3. ab ipso adducuntur Ignatij, Irenæi, & Tertulliani testimonia. [Quemadmodum, ait Ignatius; Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli vnum, & eumdem spiritum malum fallacem, & populi seductorem acceperunt; sic & Prophetæ, & Apostoli vnum, & eumdem Spiritum sanctum, bonum, eximium, verum, & doctorem rectum acceperunt à Deo per Iesum Christum. Et Tertullianus, Apostolos, inquit, Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. [Irenæus denique, ait Marcus Antonius, [Apostolorum temporibus proximus, non ad Petrum solum, sed ad omnes Apostolos doctrinam christianæ fidei, per traditionem ab ipsis in Ecclesia habitam, totam reducit. Etenim, inquit, si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsum maximè, & latenter à reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant,] hinc verò infert Marcus, Ergo; [omnes fuerunt Æque à Deo instructi,] cum tamen neque PP. illi id vsquam indicarint, neque id ex propositis eorum sententijs vllo modo sequatur, nam quod sub eodem magistro discipulorum gradus sunt, Christus Dominus exemplo 72. discipulorum ostendit; quos quidem omnes cum Apostolis erudiuit, infrà Apostolos tamen esse voluit. Et si generalia ista B. Ignatij verba, M. Antonius putauit sufficere; vt ex eis æqualitatem Apostolorum concluderet: potuisset ex eisdem simili arte concludere; non Apostolos tantùm, sed absolutè, fideles omnes, in omni Ecclesiastica potestate æquales esse; quia omnes eumdem Spiritum sanctum bonum, eximium, verum, & Doctorem rectum, à Deo acceperunt, quod enim de Spiritu sancto Christus promisit, non Apostolis tantum, sed omnibus suis fidelibus promisit, & exhibuit, nam verba illa Christi: Io. 14. 23. [Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;] generalia sunt, & ad nos quoque nostraque tempora spectant, vt & illa Apostoli; Rom. 5. 5. [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, & ista eiusdem: [Non enim accepistis spiritum serui-

uitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.] At verò si ex his locis æqualitas ista neque potest, neque debet concludi; ne omnem Ecclesiæ ordinem conuellamus, & contrà Apostoli doctrinam, totum corpus oculus fiat, omninò etiam non debebat M.Antonius ita ex B. Ignatio argumentari, neque ad demonstrandum; quòd in Apostolis, & Prophetis, vnus, idemque Dei Spiritus fuerit, opus erat ista Ignatij citatione, cum ex B.Pauli testimonijs idipsum clarissimè constet, & nos libentissimè id fateamur.

5 Ad Tertullianum,& Irenæum quod attinet, absit, vt quisquam catholicorum, vt M.Antonius eis impingit, dicat, Apostolos quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegisse, nisi eo sensu, quo dixit B. Paulus Corinthijs; [Ego dico, non Dominus] nunquid tamen Apostoli ex hoc in omni potestate, & modo habendi potestatem pares? Marcus Antonius quidem ita concludit; sed videamus quàm solidè, Marcus, & Lucas; imò Timotheus, Titus, Silas, & alij 72. discipuli, nihil ex suo arbitrio elegerunt, quod inducerent; sed acceptam à Christo Domino disciplinam fideliter nationibus assignauerunt; nunquid propterea ipsi cum Apostolis pares? omninò non: [sed alios posuit Deus in Ecclesia Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores.]

Magnæ temeritatis est, firmatam tot sęculis Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, argumentis tam infirmis conuellere; sed quia hæreticis firma non suppetunt, coguntur infirmis vti: & vt eleganti allegoria explicat beatus Gregorius, [quasi egestate, & fame steriles rodunt in solitudine arborum cortices, & inter huiusmodi lętantur.]

6 Illud paulò pręssius videri potest,atque ad probationem assertionis illius efficacius, quod ex Cypriano citat tract. 3. de vnit. Ecclesiæ: [Loquitur Dominus ad Petrum] ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus &c. & tibi dabo claues regni cœlorum &c. [& idem post resurrectionem suam dicit, pasce oues meas, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat:] Sicut misit me pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccara, remittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur: [tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus] pari consortio prædìti, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur, quibus deindè, hæc sua M.Antonius, subiungit [Miror quomodo nostri monarchici locum hunc Cypriani, ad Petri Monarchiam detorqueant, cum nihil clarius possit in contrarium dici, quàm] Hoc erant vtique, & cœteri Apostoli, quod fuit Petrus; pari consortio prædìti, & honoris, & potestatis. Et pastores omnes sunt, sed grex vnus ostenditur, qui àb Apostolis omnibus vnanimi consensioue pascatur [ferunt mihi hanc propositionem in sensu literali, vt veram, prout stat, & iacet, & Cypriani verum mentem explicantem, & deindè quoscumque volunt sensus, ex illis additis de vnitate verbis, colligant, & proponant, dummodo apertissimæ illi propositioni non contrarios. Et si afferendæ erunt glossæ, & interpretationes, ad ea Cypriani verba afferantur, & excogitentur, quæ clara per se non sunt, neque aperta, sed obscura: Clara verò quæ sunt, ea in suo proprio, & aperto sensu retineantur: Si enim volumus vtrumque dici à Cypriano] & Apostolos omnes omnino pares fuisse Petro, in honore, & potestate: Et, Petrum vnum fuisse, qui potestate in Ecclesia, vti supremus, reliquis Apostolis præcelleret, certè contrariæ erunt hæ duæ propositiones, imò & contradictoriæ; nam si omnes potestate æquales, Ergò Petrus non est potestate supremus [& ità Cyprianus, & affirmabit Petrum esse supremum in potestate, & negabit esse supremum in eadem, dum omnes asserit pares.] [Eos porrò esse omnes pares apertissimè, & conceptissimis verbis affirmat; Petrum autem habere superioritatem, neque dicit, neque innuit; neque docere poterat, si sibi constare volebat. Igitur aliquid aliud intelligebat, verbis illis de vnitate, quod tamen veram, & propriam æqualitatem, quam astruebat, non destrueret.]

8 Prosequitur deindè similium sententiarum citationem ex Anacleto, ac similiter subdit: [Hæc dicta Anacleto tributa, si à contrarietate, imò & contradictione tueri, quis velit, paritatem, & æqualitatem admittat, necesse est; primatum verò Petri, & superioritatem, interpretatione aliqua lenire debebit: quę tamen paritatem potestatis non excludat] sed benè habet pro ipsius causa, quòd tandem hunc sibi locum elabi patiatur, vt & alium Clementis, concludens; [In his tamen non est, cur immoremur, sunt enim apocrypha, & spuria] nobis enim Anacleti verba plurimùm prosunt, atque consentiunt, vt ex sequentibus patebit, ipsius verò sententiæ omninò obsunt, ea, quę de dignitate capitis B.Petro collata, Anacletus subiungit, ideòque transit ad B.Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, & Chrysostomum, & Victorem Vticensem. Sed & hi omnes ita nobiscum sentiunt, vt hac in re etiam nos libenter admittamus Apostolos, quo ad obiecta potestatis æquales fuisse.

Prout ex his, quæ num.16.ab ipso adducta sunt, & ex doctissimis Caietani, Baronij, Bellarmini commentarijs patet, quæ etsi ille contemnat, nihil tamen in hoc eos lędit, cum & S.Leonem eadem ex causa, num.24. & B.Gregorium aspernetur, cum magna auctorum illorum gloria, qui cum B.Leone,& Gregorio verè sentire, quàm cum M. Antonio errare, & vituperari ab ipso malunt (quàm diù talis est) quàm laudari, memores illius. Eccl.15.9.[non est speciosa laus in ore peccatoris.] Non potuit M.Antonius, saluo errore suo, quem commentus est; ea quæ in Apostolis paria sunt, distinguere ab his, in quibus sibi mutuo, quoad potestatem sunt impares, potuerunt tamen hoc citati ab eo Ecclesiæ Patres, & Doctores, ideòque nullæ ei in his sententiæ placent, nisi quæ potestatis æqualitatem inter Apostolos statuunt: nobis & hæ placent (etsi ipse id minus opinetur)

& quæ inæqualitatem docent, neque propterea in Patrum illorum scriptis (vt ipse numero 10. futurum putat) doctrinæ inconstantia est, aut varietas, sed collatæ singulis à Christo dignitatis, plena explicatio continetur, & veritas.

9 Quam vt hic summatim ex eorundem doctrina perstringam; prius hic repetam plenè, quod supra paucis indicaui: in Apostolica, & Ecclesiastica, imò generatim in omni potestate duo spectantur: nempè id, ad quod potestas hæc datur, vel habetur; & modus, quo habetur, ad prius, quod spectat, non possumus functiones, & officia potestatis Apostolicæ, ex vlla re certius, quàm ex ipsa Christi Domini nostri institutione & Apostolorum actis colligere; in his autem inuenimus Apostolos à Christo collectos & missos, vt cum ipse non esset per se docturus, & externa sua præsentia recturus omnes gentes; id faceret per Apostolos: hinc eis initio missionis dictum. Mat. 28. 19. [Euntes docete omnes:] & de B. Paulo, cum ad idem officium vocaretur, legimus; Act. 9. 15. [Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus:] atque ita; Prima eorum functio est, Euangelij per omnes gentes annunciatio, & fidei propositio; in qua (quia fidelibus ad salutem non satis est credere, sed necessum est & facere) etiam continetur id, quod Christus ibidem subiungit; [docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis. 2. peccatorum,] quæ contra quælibet mandata fiunt, remissio: de qua similiter eis dictum Ioan. 20. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

10. Secundò, quia plurima futura erant in totius functionis decursu, & regionibus diuersis; de quibus Apostoli dicere poterant, quod de virginibus dixit Paulus, 1. Cor. 7. 25. [Præceptum Domini non habeo:] & tamen ad pacatam Reipub. constitutionem, necessum erat, in plurimis horum certi aliquid decerni: vt omnes idipsum dicerent, & saperent, neque essent in nobis schismata; data est potestas decernendi, constituendi, præcipiendi ea, quæ Ecclesiæ necessitas exigeret, vel grauis vtilitas, vt Actuum 15. factum legimus: vndè & capite 16. subditur, Paulum & Barnabam, deinceps in Apostolicis suis laboribus docuisse, vt custodirent omnes dogmata, & decreta Apostolorum: mansitque tam sedula decreti huius obseruatio; vt postmodum persecutores Christianæ religionis putarint, ad veræ fidei abnegationem sufficere; si à Martyribus, aut confessoribus, extorquere possent huius præcepti præuaricationem: vt patet ex Tertulliano, capite nono Apologetici.

11 Tertiò; quia parum erat habere potestatem leges constituendi, nisi adiuncta simul esset authoritas mandandi, & inobedientes puniendi: data est eis potestas, qua non tantùm præcepto ligare, sed & pœnis corripere possent. Descripsit hanc potestatem in sua ad Corinthios epistola, B. Paulus, vbi & fornicarium publicum, anathemate à fidelium numero segregauit; & data scribit Ecclesiæ prælatis arma: quibus in promptu habent omnem vlcisci inobedientiam.

12 Quartò; quia non erant ipsi in Ecclesia soli semper laboraturi, neque perpetuo victuri; & tamen doctorum, pastorumque opera homines egebant; cum, vt ei, qui jam ad fidem accesserant, in eadem confirmarentur; tum, vt noui quotidie ad eam accederent, (fides enim est ex auditu,) data est eis potestas designandi loca sedium Episcopalium, Episcopos, & Pastores consecrandi; eosdem in loca fidei, iam ipsorum labore aperta; vel adhuc inuia destinandi, populos, & gentes quaslibet, ad Ecclesiam aggregandi; cæteraque omnia faciendi, quæ ad plenam Ecclesiæ constitutionem requirebantur. Ita scribit ad Titum Paulus; [huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.] Ita Timotheum à seipso consecratum, hortatur: Epistola 2. cap. 1. 2. Timot. 1. 6. [Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.] Ita denique assumpti ab eodem adiutores: Archippus, quem in epistola ad ad Philemonem commilitonem vocat, pro Colossensibus: Epaphroditus, pro Philippensibus, Tychicus, Epaphras, Siluanus, Trophimus; & alij pro Ecclesijs diuersis: prout in psalmo 44. Dauid futurum prædixerat, vbi Ecclesiam alloquens: [pro Patribus tuis, ait, nati sunt tibi filij: constitues eos Principes, super omnem terram.]

13 Quem locum explanans B. Augustinus, & Ecclesiam similiter alloquens, Aug. psal. 44. [Genuerunt te, ait, Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi patres. Sed nunquid corporaliter nobiscum semper esse potuerunt? etsi vnus ipsorum dixit,] cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magis optimum est; manere in carne necessarium propter vos: [Dixit hoc quidem, sed quamdiu hic manere potuit? nunquid vsque ad hoc tempus? nunquid vsque in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? absit. Pro patribus tuis, nati sunt tibi filij. Quid est, pro Patribus nati sunt tibi filij? [Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi: hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vndè nati sunt? ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua ibi creuit paternitas.] Pro Patribus tuis, nati sunt tibi filij; constitues eos Principes super omnem terram: [vide Templum Regis, quàm latè diffusum est: vt nouerint virgines, quæ non adducuntur in templum Regis, non se ad istas nuptias pertinere. Pro patribus tuis, nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. [Hæc est Catholica Ecclesia, filij eius principes constituti sunt super omnem terram, filij eius constituti sunt pro patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis.

Pri-

Prima Propositio.

14 IN his omnibus, quæ huc vsque recensuimus, singuli Apostolorum plenam à Domino nostro potestatem acceperunt, nec reseruatum aliquid Petro, quod non Concessum Philippo, vel Bartholomæo.] Fatemur hoc Catholici libenter, nec Pontificiæ authoritati, quam in Beato Petro ponimus, vllum ex hac parte detrimentum facimus. Exigebat enim hoc prima Ecclesiæ fundatio, vt cum Apostoli simul & numero essent paucissimi, & locis admodum seiuncti; singulis daretur hæc potestatis plenitudo, ne Euangelij annunciatio impedimentum, aut remoram pateretur.

15 Ita videmus hodiernis quoque temporibus: quando ad nouas, amplissimasque gentes, Euangelij prædicatio cœpit diffundi; eis, qui in labores Apostolicos istuc destinati sunt: datas amplissimas facultates statuendi, præcipiendi, Episcopatus erigendi; Episcopos consecrandi, nouos in remotiora loca fidei annunciatores mittendi: omniaque, quæ ad erectionem, constitutionemque Ecclesiarum pertinent peragendi. Et cum in Germaniam: ante annos plus minus 800. magnus patriæ nostræ Apostolus, Bonifacius: atque apud Bauaros, vbi vnicus solum erat Episcopus, tres alios Episcopatus instituisset, rescripsit ei Gregorius III. tunc Papa: [Benè, & satis prudenter, egisti: quoniam Apostolicam præceptionem ex nostra vice implesti: & sicut tibi præcepimus, ita egisti. Nec tamen hac de re antea Bonifacius specialim Gregorium consuluerat: sed generali potestate, quam acceperat à Gregorio, vtebatur.

Hanc potestatis plenitudinem, in Apostolis agnouerunt concorditer Patres: & ex eis Ecclesiæ nostræ Catholicæ scriptores: nec aliud vnquam probabit M. Antonius; ac dum pro hac re, contra nos Patres operosè citat, oleum & operam perdit; ipseque sibi aduersarios fingit, quos oppugnet: ea spe, vt lectori dolosè persuadeat, rem hanc contra Patrum doctrinam à nobis negari: aut sua dogmata omnia, quæ huic vero articulo coniungit, etiam Patribus probari.

16 Verè tamen, sicuti ex tam amplis multorum priuilegijs, nihil contra Romani Pontificis, aut cathedræ illius primatum hodie inferimus; ita neque ex his, quæ in Apostolis fuisse iam dixi, quicquam contra B. Petri dignitatem inferri potest: vt statim dicam. Nam vt inter duos, vel plures, in vno maior sit officij, aut potestatis dignitas; non tam requiritur: vt non possint eadem; quàm vt non sit idem potestatis modus. Ita videmus latum discrimen in Principe, eiusque Vicario: non eo præcisè, quia Vicario multa sunt circumscripta, aut potestate eius exempta; sed quia, quidquid potest, per principem potest.

At vero Apostoli, inquies, non fuerunt Vicarij B. Petri, fateor: neque enim Petri, sed Christi legatione, fungebantur: & ne hodie quidem Episcopi, Vicarij sunt Romani Pontificis. In vno tamen, à B. Petro multùm differebant; nempè in modo, quo potestatem suam habuerunt: quod etsi M. Antonius non libens agnoscat; tamen siue Christi actiones in Euangelio descriptas, siue Patrum testimonia, de præsenti quæstione expendat, concedere debet: neque enim otiosum est, quòd tam peculiariter Petro Christus curam Ecclesiæ commendarit: Petro superædificationem illius promiserit, pro fide Petri nunquam defectura rogarit, eique fratrum confirmationem iniunxerit.

17 Vidit hoc argumentum M. Antonius, ideoque cap. 5. 7. & 8. mysticas quasdam allegorias, nobis recenset, propter quas hæc omnia Christus Petro soli fecerit: & priuilegia quædam personalia, cur Petro potiùs quàm vllis alijs. Nempè vt vnitas Ecclesiæ manifestaretur: & omnes deinceps Apostoli, eorumque Successores scirent, in typo Petri accepisse se vnitatem, & concordiam animorum, à Christo Ecclesiæ Pastoribus commendatam: ne singuli schismata facerent, aut Ecclesias sub suo quilibet nomine diuiderent.

Verum tantùm abest, vt ex hoc cap. sententiam suam, de omnimoda Apostolorum cum Petro æqualitate, stabiliat: vt potius eandem subuertat: nam si in Petro ita commendata Ecclesia, Pastorumque vnitas, vt ex cæteris Apostolis, nemo sibi in plenitudine suæ potestatis successorem designaret; aut episcopum totius orbis curatorem: Petrus verò solus, ad retinendam Ecclesiæ vnitatem, talem sibi Successorem designarit, atque deinceps, ad nostra vsque tempora, transmiserit; nonne certissimum est, Petrum ab Apostolis cæteris, in modo habendi potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem, multùm distingui debere? atqui hoc erat, quod Apostoli discere debebant ex actionibus Christi cum Petro: nam si singuli successores, cum non limitata, vel circumscripta locorum, terminorumque definitione accepissent: sed cum plenitudine vniuersi orbis curandi: nemo potuisset eorum Ecclesias, in vnitatem redigere; aut in inchoata, per ipsos, vnitate conseruare. Itaque, vt hoc ipsum plenius explicetur: sit

Propositio Secunda.

18 APostoli omnes, ita acceperunt à Christo, pro se, plenitudinem Ecclesiæ potestatis, in totum orbem terrarum, vt eandem ad alios successores non transmiserint: Petrus verò eandem non pro se duntaxat, sed pro omnibus (quorquot futuri erant) cathedræ suæ successoribus, accepit. Ita vt vniuersalis illa potestas, in alijs Apostolis fuerit priuilegium Personæ, in Beato Petro, officium Ecclesiæ; & illud cum Personis cessarit; hoc autem cum Ecclesia permaneat. Ratio huius propositionis admodum facilis est, pro vtroque eius membro; nam quod ad Apostolos attinet; omninò decebat, eis vniuersalem hanc potestatem conferri: vt posset Ecclesia in omnibus gentibus per eos propagari, ne distantia locorum, aut difficultate impetrandæ legationis, impediretur prædicatio veritatis, quod autem ad eorum successores spectat: facto semel Euangelij initio, designatisque, per Apostolos, specialibus singulatum gen-

 tium

tium instructoribus: vniuersalis haec potestas, neque necessaria fuit in singulis, neque expediens: ne facto, per diuersos, schismate, ex occasione aequalis potestatis: non esset in Ecclesia Cathedrae vnitas, sed tot vniuersales eius praepositi, quot Apostolorum successores, & Episcopi. Atque hoc est, quod diligenter à Patribus, Cypriano praesertim. Optato, Hieronymo, & Augustino notatum est: quomodo, non obstante Apostolorum aequalitate, qua singuli, per totum terrarum orbem, plena Christi legatione fungebantur, & qua, quo ad hominum conuersionem, Episcopatuum creationem, absolutionem peccatorum, legationem nouorum fidei praedicatorum, eadem poterat Philippus in Schytia: Thomas in India. Simon in Persia: quae Andreas in Achaia: Matthaeus in Armenia: imò Petrus in Italia: tamen vnus ex his omnibus fuerit electus: qui ita esset caeterorum primus, Princeps, & Caput: vt non ab alijs, neque à singulis, neque ab eorum quoquâ, sed à solo Petro Cathedrae Ecclesiasticae vnitas inchoaretur: neque enim esset vnitas, si tanta foret cathedratum multitudo, & paritas.

19 Id ipsum spectauit Christus Dominus, cum in Scriptura; B. Petro tam peculiariter Ecclesiae regimen, prae caeteris, frequentius promisit: & commendauit, nam, cum postmodum caeteri quoque Apostoli, ab ipso in suas prouincias delegati fuerint cum Petro: nisi in ipsa potestatis ratione Petro, prae caeteris, speciale aliquod priuilegium voluisset commendare: non ita specialiter ei promisisset: quorsum enim specialis promissio, si non accedat specialis collatio: vel si aliquid speciale Petro datum in his, quae ad ipsam potestatem spectant; omnino necessum est; cum haec excellentia non consistat in diuersitate, aut amplitudine ipsius potestatis; vt consistat in diuerso participationis modo. Ita nunquam Apostolis alijs, promissae specialiter claues: nunquam datum eis nomen petrae: nunquam specialiter commissa ouium Christi pastura; sed quicquid illis promissum à Christo legimus, vel dictum; dictum est coniunctim omnibus, neque vni prae altero; at verò B. Petro, caeteris quoque praesentibus, omnia haec singulariter promissa, & consequenter exhibita.

20 Vndè nemo vnquam in Ecclesia, sub titulo Successoris Pauli, Bartholomaei, Andreae, Ioannis, Concilia indixit, decreta condidit, Episcopos per totum terrarum orbem gubernauit, appellationes aliorum, ex Episcopatibus, aut Prouincijs diuersis, admisit: solus B. Petri Successor; vbique, & per omnes aetates, agnitus: sola ei haec dignitas non tantùm vsurpata per propriam vendicationem, sed etiam per Episcoporum & Conciliorum canones, ac epistolas, delata.

21 Adeòque inter monstrosas potius, quàm Ecclesiasticas propositiones, referri debent ista M. Antonij verba: lib. 2. cap. 1. [Nihil minus vniuersalem regit Ecclesiam in fide, & Christiana institutione successio Episcoporum, Philippensium, Ephesiorum, Sardicensium à Paulo, à Ioanne & reliquis: quàm successio Romanorum Pontificum à Petro.] Quaeso te, M. Antoni, quid est in rebus Ecclesiasticis proteruire, si hoc non est? Cuius vnquam Oecumenici Concilij Praeses, vel Philippensis, vel Corinthius fuit Episcopus? cuius Concilij vel actorum Ecclesiasticorum, extra eorum dioeceses ab eis petita confirmatio? In vrbibus Ephesi, & Sardica, duo legimus Concilia generalia habita fuisse, in Sardica quidem anno 347. sub Iulio Pontifice, eratque tum Sardicensis Episcopus Protogenes Orthodoxus; is tamen nec in propria quidem vrbe Concilio praesedit; sed legati Iulij Papae, Archidamus & Philoxenus, vt constat ex Athanasio Apolog. 2. fuitque synodus tota, ex 36. prouincijs, iussu Iulij Papae congregata; vt ex eo patet, quod Socrates lib. 2. cap. scribit, Episcopos quosdam absentes, se excusasse ob angustias temporis à Iulio praefixi. [Ephesi verò celebratum est Concilium circa annum Domini 430. sub Coelestino Pontifice; eratque tunc Ephesi Episcopus, Memnon Orthodoxus, & magnus fidei athleta contra Nestorium, attamen neque Memnon hic, neque ex Orientalibus Patriarchis alius quisquam, suo nomine, Concilio praesedit; sed Romanus Pontifex Caelestinus, partim per Legatos Roma missos, Proiectum Episcopum, Arcadium, similiter Episcopum & Philippum praesbyterum, partim per Cyrillum Alexandrinum; vt ipse Cyrillus in Epist. ad Constantinop. scripta fatetur, ex qua etiam illud constat, quaenam tunc fuerit ab illis PP. agnita, & sine vlla dubitatione acceptata, Romani Pontificis, in Episcopos Constantinop: authoritas: Quia verò, ait Cyrillus de Nestorio, [partim ex his, quae publicè apud vos pro concione proponere non cessat: partim rursùs ex editis ab illo exegesibus, grauiter eum seductum; neque vulgari quoque perfidia, & impietate, irretitum comperimus; ad eam necessitatem adigimur, vt Synodicis litteris restatum illi facere cogamur: quòd nisi ocyssimè, hoc est, intra praefinitû à Caelestino sanctissimo Romanae Ecclesiae episcopo, dierum spatium; doctrinae suae nouitatibus nuntium remittat; caeque, quae apud vos docuit, anathematizet: nullû inter Sacerdotes Dei, locum habiturum.[

Et in decursu Concilij; Episcopi in sententia dicenda, se ad Caelestini Pontificis praescriptum direxerunt: vide tomo 2. cap. 15. Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus, dixit; [Sacra, & Apostolica, Caelestini sanctissimi, Sacratissimique, Sedes, literas, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Ierosolymitanum, & Rufum Thessalonicensem (ordinarium sedis Romanae Legatum, vt ex epistola B. Leonis Papae patet) sanctissimos, sacratissimosque Episcopos; nec non ad sanctas Constantinopolis & Antiochiae Ecclesias misit; certam de praesenti negotio sententiam, regulamque praescripsit; quam nos proinde secuti, &c. forma canonum diligenter vbique obseruata; canonicum, Apostolicumque iudicium, in illum exercuimus.]

Cura Ecclesiae duobus modis intelligi, & exerceri potest. Primò, vt fit ex amore, & charitate erga eum, qui Ecclesiae Dominus est, & erga Ecclesiae membra. Secundò, vt fit etiam ex officio, & cum potestate. Prior modus non Episcopis tantùm; sed omnibus omninò fidelibus competit; omnes enim eiusdem corporis, & capitis membra sunt.

In Episcopis tamen tantò excellentius esse debet, & vehementius; quantò illi sunt digniora Ecclesiæ membra, & Capiti coniunctiora. Posterior verò vnicuique, pro eo tantùm loco, eaque ouilis parte conuenit, in quam ipse potestatem habet; pro ea verò, in quam non habet potestatem; non conuenit. Vndè de infidelibus, qui adhuc in Ecclesia non sunt, B. Paulus apertè dixit: Quid mihi de eis, qui foris sunt, iudicare? quæ verba, ita indicant Apostolum eos, qui foris sunt, posteriori hoc modo, & ex officio, non habuisse commendatos, neque eorum curam sustinere; vt tamen simul certum sit, eum toto animi ardore pro eisdem solicitum fuisse: vndè illa eiusdem ecstatica optatio, qua pro Iudæis, necdum ad Christum conuersis, optat esse anathema; si vel sic eos possit conuertere.

Itaque hoc modo libenter fatemur, Corinthi, vel Ephesi Episcopos, habere solicitudinem vniuersalem, at verò, vt posteriori modo, id est, cum potestate, & authoritate regiminis eam habeant; (vt M. Antonius indicat,) neque ex vllis Conciliorum Actis, neque ex vllo exercitæ ab eis iurisdictionis exemplo vnquam docebit; quemadmodum de B. Petri successore, Romano pontificè, per omnes ætates docerè possumus.

Ex his duabus propositionibus facilè patet, quomodo Catholici, simul Apostolos omnes agnoscant, consortio honoris, & potestatis inter se pares cum B. Petro fuisse; ac nihilominus, Beati Petri in tota Ecclesia primatum defendant, vt nihil sit, cur hac de causa in his duobus, M. Antonius aliquam objiciat, vel SS. Patribus, vel nobis, inexplicabilem contradictionem: sed potiùs nos ex Patribus ei objiciamus, doctrinæ nostræ antiquitatem; quia non minus expræsse illi docent Petrum cæteris, in cura Ecclesiæ Prælatum, cæterorumque caput, Ecclesiæ, per totum orbem diffusæ Præsidem; quàm id à nobis doceri possit. Neque pro toto suæ hierarchiæ commento, ille quicquam habet, quod solidè contrà nos objicere possit; nisi vnicum illud, quod Cyprianus, Hieronymus, & alij docent, Apostolos inter se pares fuisse; ex quo ipse quidem opinatur, aliquid contra nos, aut Beati Petri dignitatem consequi; Tantũ tamen id abest à vero, vt & nos id ipsum fateamur spontè, (prout propositione prima plenè explicui: Et ijdẽ illi Patres, quos citat, vel in ijsdem testimonijs, vel in alijs sententijs satis indicant, nihil obstaute ea honoris paritate, in Petro tamen Primatum fuisse.

22 Ita Cyprianus cum dixisset; [hoc erant, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis; quod cum primi nostra propositione consentit; statim, ne hieroaristocratiam ex eo M. Antonius statueret, subiunxit; sed exordium ab vnitate proficiscitur; & (quod tu omisisti) Primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.

Neque mirari satis possum, quomodo antecedentia B. Cypriani verba, M. Antonius nobis ausus fuerit objicere; cum in eisdem tam claram videat schismatis, apostasiæque suæ damnationem? Nam, vt taceam, omissa ab eo, in cuius testimonij citatione, tua ista hæc verba, Primatus Petro datus; totum libelli istius argumentum in eo Beatissimus Africæ doctor posuerat, vt similem Marco Antonio ab Ecclesia apostatam, Nouatum nomine, qui Cathedram ambibat, confutaret. At qua ratione? Probatio, inquit, ad fidem facilis est compendio veritatis. Audiat quisquis de fide dubitat, quodnam sit huius probationis compendium. [Quod Nouatus (& nostro tempore M. Antonius) alijque dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur; indè fit fratres dilectissimi, qui ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cælestris doctrina seruatur, quæ si quis consideret, examinetque, longo tractatu atque argumentis non est opus.] Fœlix igitur? cui inter tot offusas fidei nebulas origo veritatis & caput innotescit, vt sine tractatu longo se expediat. [Sumamus M. Antoni Beatissimum Cyprianum huius viæ demonstratorem, ad cuius authoritatem tu præsentem inter nos quæstionem prior deuoluisti. Probatio, ait, ad fidem facilis est. At quænam? Loquitur Dominus ad petrum; Ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solueris super terram, erut soluta & in cælis. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit; pasce oues meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Vides probationem ad fidem Christi esse vnitatem & Cathedram Petri? [Pergit Cyprianus. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si cui retinueritis, tenebuntur: [tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi: & honoris & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Eccesia, & cathedra vna monstretur. Et pastores omnes sunt, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. [Vides à Beato Cypriano ita Apostolos omnes agnosci pares potestate, vt tamen non sint pares origine cathedræ, Cur, nisi quia neque à Ioanne, neque ab Andrea, neque à Matthæo, inchoanda erat Ecclesiæ vnitas. Neque illi cathedris suis dederunt, quod personali priuilegio singuli habuerunt: Petrus verò quod habuit, cathedræ suæ transmisit, vt Ecclesiæ vnitatem inchoaret, atque hoc est ipsum, quod in secunda propositione iam dictum est.

26 Pergit Cyprianus: [Quam vnam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit,] vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Mirarer quid M. Antonio in mentem

tem venerit, quoties hæc legens contra Cathedram tamen Petri insurgere, & ab ea ausus fuit discedere; nisi scirem Deum huius sæculi excæcasse mentes eorum, quos ambitione, vel libidine, occupauit. Refrica tamen quæso M. frequenter hunc Beati Cypriani locum; & vide, quò abjeris, dum à nobis abljsti; nam si Ecclesia vna vni Cathedræ Petri superfundata est, non quæras in aristocratia, vt plures sedeant; quod audis apud vnum Petrum à Christo fundatum esse. [Scio circa hunc B. Cypriani locum, quædam cauillatoria abs te notari, cap.7. num.18.quasi is à Catholicis, in verbis illis: Primatus Petro datur; vitiatus sit: sed neque id tu contra veteres Morellij, & Manutij, (quibus accuratissimam Beati Cypriani editionem debemus) codices prudenter facis, infelix criticus, vt capite octauo videbimus; neque tibi quicquam prodest; cum non ex vna hac sententiola, sed ex toto illius libri decursu plenissimè hæresis tua refutetur, & maneat illud beatissimi Doctoris aduersùs te contortum *erotima*, [qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?]Illud præterea in hac Beati Cypriani sententia obseruandum, voculam, vnum, ab eo semper pro vnico vel solo sumi: ità vt idem sit, Ecclesiam fundatam esse super vnum Petrum, quod super solum: sicuti Ecclesia ità est vna, vt etiam sit sola vera. Nec tamen propterea quis inferat, Apostolos singulos non fuisse fundamenta Ecclesiæ; hoc enim neque verum est, neque ex Beato Cypriano inferri potest; sed tantùm, Apostolos singulos non accepisse à Christo, vt Cathedram singuli instituerent, in qua Ecclesiæ vnitas fundaretur, & conseruaretur; sed inter omnes vni duntaxat hoc datum, & quidem Beato Petro, quòd & verum est, & simul tam clarè à Beato Cypriano contrà M. Antonium assertum; vt non possit, vel hoc tempore, quo ea controuersia maximè agitatur, clarius dici. Ideòque nihil opus, vt ad obiectionem, quam initio cap. M. Antonius ex hoc B. Cypriani testimonio proposuit, respondeamus; cum neque B. Cyprianus Apostolorum paritatem, neque vnam B. Petri, & quidem solius Cathedram, in qua Ecclesiæ totius vnitas fundetur, neget; sed nobiscum vtrumque asserat; contrà M. Antonium.

Testimonia quoque, quæ ex B. Augustino, & Hieronymo à Marco proposita sunt, nihil omninò nouæ habent difficultatis: cum libentissimè fateamur, æquè super omnes Apostolos fundatam Ecclesiam, si potestatem singulorum spectemus, & personalem potestatem: in eo tamen nobiscum Ipse Hieronymus inæqualitatem agnoscit, quòd Petrus solus totius fundationis caput fuerit, &, vt suprà monui, ad Damasum hæc ex causa scribens, se, licèt in Palæstinæ secessibus viueret, Damasi tamen ouem vocat: quòd nomen etiam M. Antonius, licèt in Britanniam profugus, amittere non potuit: ouis Petri, & hodie sanctiss. D.N. Pauli V. Sed vtinam non à grege proprio crimine alienus, & vagus! Idem sensus apud alios quoque PP. expressus est. Ideòque ad ea venio SS. loca, quibus illi apertissimè sententiam nostram profitentur; ad quę cum non supperetet tibi M. Antoni, quod responderes, proeaciæ, superbiæque plenas voces effudisti: [omnium Romanorum Pontificum, in hoc genere dicta, meritò suspecta possunt haberi, & vt impietatem videamus gradatim crescere; nemo enim repentè fit pessimus, l.4.cap.3. breuem hanc sententiam elegantissimo Epiphonemate multum superasti; [Exaltent, inquis, nunc buccis concrepantibus quantum volunt Romani Pontifices, præsertim moderniores, suam sedem, & in propria causa verbis tantùm illam extollant; nisi ipsius primatum firmis documentis rem conuincentibus stabiliant, & quæ nos in contrarium protulimus euertant, ipsorum dicta ad inanem iactantiam potius, quàm ad veritatem demonstrationem pertinere asseuerabimus; vt infrà cap. 10. fusius pertractabo. Ac rursùm, valeant ergo hi omnes, cum sua malè fundata ostentatione, ac falsos, totique Ecclesiæ onerosos honores captare desinant; suis fruatur, ac contenta sit Romana Ecclesia veteis, genuinisque priuilegijs: videlicèt quòd Apostolorum principes sortita sit fundatores, ac excultores; quòd secunda mater eum fuerit, eo nomine filias multas viderit obsequio pio, ac deuotissima reuerentia sibi obstrictas, honoremque deferentes: quòd Ecclesia vrbis illius cum sit, fuit totius penè terrarum orbis victrix, ac domina ea occasione facta sit Metropolitana, Patriarchalis, adeòque inter patriarchales prima: quòd imperialibus fuerit corroborata legibus, ac ditata, vel potiùs exaltata priuilegijs. Quod etiam (de quo cap.9. huius) Episcopum habeat nobilissimis prærogatiuis exornatum. His etiam libentissimè subiungo, quòd doctrinam Apostolicam sinceram, ac puram per aliquot sæcula conseruarit: quòd verbo fidei, & exemplo plurimùm Ecclesiæ vniuersali profuerit; quòd olim diù tutissimus fuerit portus, & confugium Catholicę communionis, (vt loquitur Hieronymus) ijs, qui hæreticorum persequutiones declinarent: Quòd hospitalitate quondam insignis, & ad protegendos afflictos obuia; Episcopos præsertim] ob fidei Catholicę professionem extorres. [Sed vide cum quanta modestia priora isthæc à te dicta sint: sicuti, & id, quod ex B. Athanasio, (qui alia omninò in causa istud dixit) hic subdis; [nunquam reo partes sibi iudicandi arrogante criminis absolutio contigit.] Itane istis verborum blasphemijs vnus tu impudenter omnes ab initio, etiam sanctimos Rom. Ecclesiæ Pontifices, ausus fuas peragere? Reus, Iudices? & cur? [quia inquis, pro se testimonium dicunt, & pluris facienda sunt dicta Cypriani; Heronymi, & Augustini, quàm Leonis,] adde quod paulò antè dicebas, [& quàm omnium Romanorum Pontificum.] Nimium ineptis in hac definitione iudicum Marce Antoni; & quod in Romanis Pontificibus reprehendere videris, ipse agis, nam si inter Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, ex vna; & Romanos Pontifices ex altera parte, sententiarum dissidium est, vt tu iactas: atque in dissidio hoc, præteritis his, illi sine dubio audiendi: quæso te, quæ istæc dissidij materia, aut quę ratio cur alteris alteri præferantur?

Ma-

Materia est.

[An Beato Petro, ac consequenter eius successoribus Romanis Pontificibus ampliùs aliquid à Christo, quo ad Ecclesiæ regimen, datum sit, quàm Apostolis cæteris, eorumque successoribus Episcopis?] Cur in hac lite neges audiendos Romanos Pontifices, ratio est; [quia nihil mirum, si Pontificatui suo ampliùs aliquid tribuant, cum ipsi essent Pontifices.] Parce quæso, sanctissimis, Deoque dilectissimis tuis, & Ecclesiæ Pastoribus, & vide, ne simili quisquam argumento aduersùs te concludat.

In hac lite non audiendos esse Episcopos, (multò minùs te ex Episcopo *Aposcopon*,) quia nihil mirum, si Episcopatui ampliùs aliquid tribuant, cum ipsi essent Episcopi. An non vnica hac responsione omnes ferè, quanti quanti sunt, decem libros tuos confutauerime?

Et verò, vt in suum proprium penitius aliquantò inspicias, & alij tecum, serio te etiam, atque etiam obtestor, si puras potuisse amorem prærogatiuæ imponere magno illi Leoni, non putas quod imposuerit tibi? vt nihil aliud te ab Ecclesia transuersum abripuerit, quàm arrogantia, & subiectionis impatientia. Scio mihi non credes, crede tamen ei, quem in sculptura imaginis tuæ, quasi primarium tibi magistrum ante oculos posuisti; crede, inquam, B. Cypriano, cuius aurea est lib. 1. epist. 3. ad rem præsentem sententia. [Non aliundè hæreses obortæ, aut nata sunt schismata; quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex Vice-Christi cogitatur.]

Sed ad rem. Esto, Tu in præsenti quæstione omnium licèt Sanctorum Romanorum Pontificum, auctoritatem, dictaque, quibus illi suam præ cæteris Episcopis potestatem adstruunt, tanquam suspecta declines; antagonista verò tuus dicta Episcoporum omnium, quibus illi potestatem suam Pontificiæ, seu Papali videntur omninò exæquasse, eadem ratione habeat suspecta; quæ poterit commodior conciliationis methodus inueniri, quàm vt Episcopis credas, cum illi Romanorū Pōtificum potestatem adstruunt: & Pontificibus, cum illi de Episcoporum dignitate, quam possunt, plenissimè loquuntur. In his enim testimonijs fateri debes, nullum suspicionis sinistræ, aut adulationis esse locum.

17 At verò, quantis encomijs Romanorum Pontificum, in vniuersam Ecclesiam, solicitudinem, curam, & primatum Episcopi, non tantùm singuli, sed in Spiritu sancto omnes legitimè congregati, frequentissimè testati sunt! In eundem ipsum Leonem, in quem nunc tam irreuerenter incurris, Tu olim Dalmatiæ primas; audacissima impietate insurrexerat, tempore Concilij Chalcedonensis, Dioscorus olim Alexandriæ Primas, seu, vt Conciliū loquitur, *pasa genomenos proedros*: verùm audi quid in persona huius, de te Concilium istud statuat: post enumerata enim aliquot illius in Episcopos plures facinora, & descriptam Ecclesiasticæ vineæ deuastationem, vltimo loco tanquam inter omnia grauissimum crimen subiungit: [Et post hæc omnia (idest si de te loquimur, post actam simulata pietate vitam Catholici hominis, & Ecclesiæ membri; post susceptum cum periurio religiosæ vitæ institutum; post peieratam Romanæ Cathedræ obedientiam, & Tridentini Concilij obseruationem; post præcipitatos insidijs tuis Segnienses; post cruentatas, innocentum subditorum sanguine, Episcopi manus; post desertam fœdissima apostasia, Catholicæ Ecclesiæ vnitatem; post excitatum editis scriptis quasi classico religioni Orthodoxæ bellum) insuper, & contra ipsum, cui Vineæ cura à Saluatore commissa est, insaniam extendit, id est, contra tuam sanctitatem.]

Audis M. Antoni, totius Oecumenicæ Synodi decreto, tuam, in Sanctissimum Leonem, audaciam, maniæ, seu insaniæ condemnari? audis opinor, sed non credis; nec mirum; est enim hoc insaniæ vitium, vt qui maximè insaniunt; maximè sibi sapere videantur. Quisquis tamen sapit, Oecumenicæ Synodi sententiam, facilè vniùs, & quidem...sententiæ anteponet. Audi quid in eodem Concilio, ex repetita Episcoporum omnium sententia iudices concluserint: [Ex his quæ gesta sunt, & ex singulorū depositione conspicimus; quid? idest, ante omnia (vel ante omnes Sedes) primatum, & singularem honorem iuxta canones, seniores Romæ Deo dilectissimo Archiepiscopo custodiendum, seu deferendum.] Vides quantum à canonibus, & primitiuæ Ecclesiæ instituto abeas, qui nihil nobis, nisi Ecclesiæ ad primos canones reformationem spondes. Neque verò est, vt pro te respondeas; aliam nunc, quam olim, esse Ecclesiæ administrationem; multaque à Romanis Pontificibus vindicata, quæ neque ex Christi instituto, neque ex Canonum Ecclesiasticorum decreto, eis competant. Nam & hoc suo tempore citra dubium iactabat Dioscorus, neque tamen propterea, fidem inuenit: & tu non in præsentem duntaxat Ecclesiæ Antistitem Sanctissimi Domini Nostri Paulum Beatissimi Leonis dignissimum successorem; sed & in ipsum S. Leonem, imò, vt loqueris, omnes Romanos Pontifices insaniam tuam extendisti, quibus primatum, & singularem honorem debebas. [Deindè quòd multa dicis à Romanis Pontificibus circa Ecclesiæ regimen, constitutionemque Episcopatuum vendicata, quæ à primitiuo Ecclesiæ regimine omninò aliena sint; conferat quæso Lector, cum his, quæ in Ecclesia primis temporibus acta sunt, & quantùm à priscis illis Patribus Tu dissideas, facilè inueniet. Nam vt duo solùm generatim hic attingam.

Præcipua aduersùs Apostolicam Sedem difficultas, quam illa ab impugnatoribus suis iam pati didicit, vel in eo posita est, quòd deferamus ei articulorum in fidei materijs controuersorum certam determinationem; vel in hoc, quòd iurisdictionis Ecclesiasticæ initium, modumque ab ea arcessamus.

At verò, quàm aliter in vtraque hac materia, de Beatissimo Leone sensit œcumenicum Chalcedonense Concilium, quàm Tu de eo, qui in eadem Cathedra modò sedet! Nam

quod

quod ad fidei articulos attinet; cum post omnia aduersùs Entycben, & Dioscorum iam decisa, Synodus Marciano Imper. per literas dogmata, decretaque sua referret, tandem addit. [Sed ò vos Christi amantes, & Imperio superno nutu vobis concesso dignissimi, compensate ei fidem, qui beneficia tanta concessit; studioque circa purissimam confessionem, pro concessis honoribus præstantiam vestræ deuotionis ostendite, malignorum quidem molimina refrænantes, omnibus verò piæ confessionis concordiam declarantes (vel dispensantes, & proponentes) tanquam signaculum piorum dogmatum, huic à vobis congregatæ synodo, Petri Cathedræ approbationem procurate.] Ita enim ex Græcis, quæ propterea citaui, verti debet. Quę verba tam plenum continent Romanæ Cathedræ testimonium, quo ad auctoritatem in determinandis fidei controuersijs, vt à nobis nihil plenius dici possit: quid enim epitheto illo nobilius, quo approbatio, vel promulgatio Cathedræ Petri vocatur *sfbragis ton eusenon dogmaton*, Rectorum dogmatum signaculum.

Quod autem ad Episcopalis iurisdictionis terminos spectat, quid non de singulorum Episcoporum dumtaxat, sed totius Oecumenici Concilij, & Romani Pontificis potestate, ad se mutuò comparata, idem Concilium sentiat, nunc consequenter videamus. Cum, vt Græcis in more fuit, ob dignitatem Constantinop. vrbis, & Anatolij Archiepis. sollicitationem statuisset Synodus, vt Constantinop. Archiepisc. inter Patriarchas deinceps proximum haberet locum post Pontificem Romanum, Legati tamen Apostolicæ Sedis, qui actioni isti non interfuerant, postridie per Lucentium Episcopum reclamarunt his verbis: [Sedes Apostolica, nobis præsentibus mandauit cuncta peragi, & ideò quæcunque in præiudicium canonum, vel regularum hesterna die gesta sunt, nobis absentibus, sublimitatibus vestram petimus, vt circumduci iubeatis: sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, vt nouerimus quid Apostolico viro, vniuersalis Ecclesiæ Papæ, referre debeamus: vt ipse, aut de suæ sedis iniuria, aut de canonum euersione possit ferre sententiam.]

Synodus ipsa deinde totam rem ad Beati Leonis notitiam retulit, illiusque decreti confirmationem suppliciter deprecata est. [Confirmauimus autem, & centum quinquaginta Sanctorum Patrum regulam, qui in Constantinopoli congregati sunt sub piæ memoriæ maiore Theodosio, quæ præcepit post vestram sanctissimam, & Apostolicam Sedem honorem habere Constantinopolitanam (quæ secunda est ordinata,) confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam, consuetę gubernando, illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eò quòd absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. Quæ igitur ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem verò Ecclesiasticę ordinationis definiuimus, hæc sicut propria, & amica, & ad decorem conuenientissima, dignare complecti, sanctissime, & beatissime Pater. Qui enim locum vestræ sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum eis est, reuerendissimus presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentauerunt, proculdubio à vestra prouidentia inchoari, & hoc bonum volentes, vt sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam pijssimos, & Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quàm clarissimum Senatum, & totam (sicut dicere conuenit) Imperij ciuitatem, opportunum credidimus esse, honoris eius confirmationem ab vniuersali Concilio celebrari, & velut hæc à tua sanctitate fuerint incboata; eò quòd fouere semper studeas, roborauimus præsentes, dum nouerimus, quia quidquid rectitudinis à filijs fit, ad patres recurrit, facientes hoc sibi proprium.

At tunc demùm subiungit, [Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium; & sicut nos Capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs, quod decet, adimpleat.] Ex quibus verbis admodum facilè esset, totam Pontificiæ potestatis, auctoritatisque latitudinem explicare: cum videamus B. Leonem ab Episcopis omnibus apertè pro capite agnosci, ipsos se illius filios appellare, pro decreti sui approbatione rogare, & quidem in materia primaria, quo ad iurisdictionem, id est, in confirmatione Patriarchalis dignitatis; in qua vna omnium quoque cęterorum Patriarcharum causa simul agebatur: nam si poterat Pontifex Romanus Constantinop. supra Alexandrinum, & Antiochenum euehere, imò si poterat euectionem illius, iam ab œcumenico Concilio statutam probare, vel improbare; necessum est, vt tria hęc ei concedamus: 1. quòd fuerit maior Alexandrino, & Antiocheno, quibus preferendus erat Constantinopolitanus. 2. quòd fuerit maior Constantinopol. cuius promotio petebatur. 3. quòd fuerit maior toto Concilio, cuius sententiam probare poterat, vel reprobare.

Quid verò ad hęc S. Leo rescripserit, ex eiusdem epistola ad Anatolium ipsum data, satis constat, vbi post ea, quæ Concilium statuerat, de rebus fidei Catholicæ confirmata; ea, quæ de primatu erant, sciens illa per Anatolium eius sedis Episcopum esse curata, reijcit, eumque acriter obiurgat, quòd inconcessa tentasset, & cuncta, quæ præter canones ab eo vsurpata essent, his verbis exprobrat: [Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia (quòd scilicèt à Dioscoro, deposito Flauiano ordinatus esset) post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vendicasti: doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam,] vt sanctissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, [tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit,] quo secundi honoris priuilegium Sedes Alexandrina perdiderit; & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit: [vt his locis iuri tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam antè tentatis ita præuentis excessibus, vt Sanctam Synodum ad extinguendam solum hæresim, & confirmationem fidei Catholicæ studio Christianissimi principis congregatam, in

occasionem ambitus trahas, & vt conniuentiam suam tibi dedat impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo,] & illa Nicænorum canonum per sanctum verè spiritum ordinata conditio, [in aliqua vnquam sit parte solubilis.]

[Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur: neque trecentis illis decem, atque octo, quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre cum tanto diuinitùs priuilegio Nicæna sit synodus consecrata, vt sint per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iuditia celebrentur; omni penè authoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua, quæ sanctissimis canonibus inueniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodo negotium conuocatos, & definitione eius causæ, quæ erat curanda perfunctos, ad consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Indè enim fratres nostri ab Apostolica sede directi, qui vice nostra synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, apertè reclamantes, ne contra statuta Nicęnæ synodi præsumptio reprobæ nouitatis assurgeret, nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare. In quo eos quidem multùm mihi scribendo commendas; sed teipsum, quod eis parere noIueris, dum illicita moliris, accusas, superfluè non concedenda appetens; & insalubriter contraria concupiscens; quæ nullum vnquam potuerunt nostrum obtinere consensum.]

[Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur; ac non potiùs, & meo, & omnium, qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæa sacrilego Ario, sua cum impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt; & si quid vsquam aliter, quàm illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur: vt quæ ad perpetuam vnitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quę ad bonum sunt commune præfixa, & manentibus terminis, quos constituerunt patres; nemo in ius tendat alienum; sed intra fines proprios, atque legitimos; prout quis valuerit, in latitudine se charitatis exerceat, cuius satis vberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quàm si spiritu ambitionis infletur.]

[Nec conuellantur prouincialium iura primatuum, nec priuilegijs antiquitùs institutis Metropolitani antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ Sedi, eius; quā per S. Marcū Euangelistam Beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis, Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante B. Petro Apostolo Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseueret; & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior: aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes. Et magnus vnicuique honor est integritas sua: quæ cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Constantinopolitanæ vrbis magnificentia potest esse gloriosa, si per obseruantiam tuam, & defensionem paterni canones, exemplum probitatis multi habeant sacerdotes. Hæc tibi scribens frater, in Domino hortor, ac moneo, vt deposito ambitionis desiderio, spiritu potius ferueas charitatis, &c.]

Ad Marcianum quoque Imperatorem idem Sanctus Leo, eadem ex causa scripsit epistolam; vbi post congratulationem de propulsata vna cum hæreticis hæresi, & fide Catholica stabilita; hæc de ambitiosa Anatolij præsumptione: [his autem: propter quæ tanta facta est congregatio sacerdotum, bono & optabili fine compositis: miror & doleo, quòd pacem vniuersæ sanctæ Ecclesię diuinitùs reformatam, ambitionis rursus spiritus inquieret. Quamuis enim necessariè sibi Frater meus Anatolius consuluisse videatur, vt ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum Catholicę fidei, salubri correctione transiret: custodire tamen debuit, vt quod vestro beneficio noscitur consecutus, nullius cupiditatis prauitate turbaret. Nos enim vestrę fidei, & interuentionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis authores eius initia titubarent, benigniores, quàm iustiores circa ipsum esse voluimus: quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remedijs leniremus, quæ illum modestum magis, quàm immoderatum facere debuere: & post pauca subdit: qui, etiamsi præcipuis meritis, optimoque iudicio legitimè fuisset, ac solemnitèr ordinatus: contra reuerentiam tamen canonum paternorum, contra sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragijs adiuuari: apud Christianum, verèque religiosum, & verè orthodoxum principem loquor. Multùm Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat (sicut optamus) Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio: alia tamen ratio est rerum sęcularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, [stabilis erit vlla constructio.] Propria perdit, qui indebita concupiscit. [Satis sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ vrbis obtinuit: non dedignetur regiam ciuitatem, quam apostolicam non potest facere sedem, nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituto, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum ten-

dit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit) conniuente, violentur; & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuersæ domus Domini communis vtilitas. Et ideò sciens gloriosam clementiam vestram Ecclesiasticæ studere concordiæ, & his, quæ pacificæ congruunt veritati pijssimum præstare consensum, precor & sedula suggestione vos obsecro. Agite quod & Christianæ est pietatis, & regiæ, vt prædictus Episcopus pareat patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochena Ecclesia, sine vllo exemplo contra statutum canonum Episcopum ordinare præsumpsit, quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio,] retractare cessauimus. Hæc & alia ingerens ad postremum legatos ab imperatore missos excusat, quòd per eos non steterit, quo minus eam causam sedulò pertractarint, sed quòd esset iniusta, nihil potuisse opera sua consequi. Ex quibus multa sunt, tum ad rem præsentem, tum ad totam Ecclesiæ hierarchiam cognoscendam vtilissima, illud tamen præcipuè patet, quæsitum illud M. Antonij effugium, quo Leonem sibi ait, suæque sedi nimiùm vendicasse; non arrogantiæ solùm, & superbiæ, sed & mendacij plenū esse. [Quæro enim; An verum sit, quòd Imperatori illic Leo scribit, indulsisse se Anatolio ob interuentionem ipsis, vt electio Anatolij, & consecratio ad Episcopatum Constantinopolitanum esset rata; an verò falsum? Posterius hoc nemo facilè aut dicet, aut credet, quia nullo modo potuisset, vel apud imperatorem, vel apud Concilium, tanta esse Leonis authoritas, & reuerentia, quem viderent manifestis mendacijs, superbè se eleuantem supra antecessores suos, & appetentem ea, quæ illi non debebantur. Quòd si ergo verum est, quod Leo scribit, omninò falsum erit, quod dicit M. Antonius, Leonem sibi authoritatem nimiam vendicasse, cum videamus Imperatorem ipsum, in Leone potestatem istam agnovisse per hoc, quòd eum pro Anatolio rogarit. Imò & totum Concilium per deprecationem supra recitatam, vbi & Patris & Capitis nomine eum salutat, eaque petit ab ipso haberi rata, quæ ab ipso Concilio fuerant decreta.

Secundò patet, Legatos Rom. Pontificis Oecumenico Concilio, nemine reclamante, in ipso vrbis Constantinopol. conspectu Præsedisse, imò omnes præsidentiam eis libenter detulisse, habuisseque magnam rationem reclamationis per eos factæ in Concilio, & tamen audet hodie vnus Episcopus Constantinopol. sedem Romanæ æquare, idque vt asserit, ex antiquis Ecclesiarum priuilegijs. Mirùm, privilegia hæc Patribus Nicænis ita ignota, vt ne quidem Constantinopolis inter Metropoles ab eis posita, sed Heracleæ subiecta. Mirùm magis Anatolio ita desudanti pro sui confirmatione, omnia hæc antiquitatis iura, quæ M. Antonio nunc demùm de amplitudine habitualis potestatis nota sunt, incognita fuisse. Imò verò, nihil mirum, quia somnia sunt, quæ præfert M. Antonius, & incentiua ambitionis, quibus doleo prouincias Turcicis ditionibus viciniores diuexari, metuoque ne si placere eis hæc cœperint, ita vt aduersus Romanam Ecclesiam insurgant, eis dentur in direptionem, quibus data Constantinopolis, & tota Romanæ directionis impatiens Græcia. Meritò enim seruit inuitus Tirannis, qui noluit spontaneus subesse parentibus.

Quàm fælix primis imperij initijs Iustinianus! at quàm plenus simul Romanæ sedis, primatusque illius venerator!

Rescribens enim ad Ioannem Romanum Pontificem.

30 [Reddentes, ait, honorem apostolicæ sedi, & vestræ sanctitati, (quod semper nobis in voto fuit, & est) & vt decet, patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notiam deferre vestræ sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes sacerdotes, vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus. In præsenti ergo, quæ commota sunt (quamuis manifesta & indubitata sint, & secundum Apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdoribus firmè custodita, & prædicata) necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est, omnium sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim, vt dictum est, properamus honorem & authoritatem crescere vestræ sedis, &c.] Cui epistolæ Ioannes Papa respondens, eiusdemque huius Imperatorij testimonij mentionem faciens, illud plenè collaudat, & Romanæ sedis dignitatem sui quoque scriptis confirmat: quæ omnia non tantùm Iustinianum Imperatorem nihil offenderunt, quasi Constant. sedis dignitati præiudicarent: sed ita placuerunt, vt eadem, cum epistola sua, in corpus iuris translata voluerit, extat enim vtraque epistola, lib. 1. Cod. titulo 1. de summa Trinitat. & fide Catholica. Verba Ioannis Papæ sunt: [Inter claras sapientiæ, ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime principum! puriore luce, tanquam aliquod sydus, irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis Romanæ sedis reuerentiam conseruatis: & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem: ad cuius authorem; hoc est, Apostolorum Primum, Domino loquente, præceptum est. Pasce oues meas: quàm esse omnium verè Ecclesiarum caput, & patrum regulæ, & principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi testantur affatus. [Non potuit hæreticus I. C. in tam claram tantæ assertionis lucem intueri, ideòque ipse sibi tenebras excitauit, quibus vtramque hanc epistolam conatus est obnubilare, nam l. 1. responsionum amicabilium cap. 1. scribit totam hanc constitutionem: Inter claras suppostitiam esse, & post Iustiniani tempora mala fide Codici insertam, solita hæc deprehensis

hensis fuga est, vt cum evidenti authoritate stringuntur, neque verba ipsa deprauare possunt, exclament libros suppositios vel verba spuria, neque mihi mirum est tentasse hoc Iureconsultum in Codice Iustiniani, quod iam antecedentibus exemplis viderat factum ab institutorib. suis hæresiarchis in codice Dei, quos cùm graui illa sententia ex 2. Machab. cap. 12. præmimus, vt fateantur, quod ibi author docet; 2. Mach. 12. Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccato soluantur: nec illi inuenire aliquid possint, quo verba ista detorqueant: malunt ptimæ hæresi secundam addere, & cum purgatorio, Scripturam reijcere; quàm ex Scriptura errorem corrigere. Eadem est conditio Iure-Consulti; nam si semel in odium Romanæ sedis mentem obdurarit, libentiùs ob hoc odium canonem suæ scientiæ, id est, decreta iuris reijcit, quàm vt ex decretis his odium suum corrigat.

Sed quid aget? effugium hoc neque verum est: neque, etiamsi verum esset, quicquam prodesset; sunt enim ab eodem imperatore aliæ tot in eadem re sanctiones, de quibus nulla potest esse falsitatis suspicio, aut calumnia, vt nihil opus sit, aduersarios hac re quicquam tergiuersari. Nam ad Mennam Constantinopol. Patriarcham scribens, Nouel. 42. de Agapeto Romano Pontifice; Antimi Constantin. Patriarchæ exauthorationem, per Agapetum factam, ratam habet, collaudat: eiusque sententiam, ait, Concilij Constantinopol. hac de causa celebrati sententiam, præcessisse, & in epistola alia ad Ioannem Papam: Nouella 9. Vt legum originem, ait, anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est, qui ambigat. Vbi tunc M. Antonius? ac paulò post; in eadem epistola eam vocat; fontem Sacerdotij. Denique in epistola ad Petrum Prætorij Præfectum; Sancimus secundùm quatuor Conciliorum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum. Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos secundum habere locum post sanctam Apostolicam sedem senioris Romæ &c.

Sed hæc aliàs, ex alijs quoque Imperatoribus, Valentiniano, Theodosio, Honorio pleniùs: redeo nunc ad præsentis cap. epilogum: atque ex asserta B. Petri cathedra, (quæ sola, seu vna sit Ecclesiasticæ Vnitatis origo,) iam satis patere opinor, in quo Apostoli fuerint iure Diuino pares, & quid B. Petro, speciatim præ cæteris collatum: pares enim fuerunt personali potestate, impares successione, ideòque data Petro clauis, potestas, & pastura ouium vniuersalis, tanquam officium perpetuum Ecclesiæ; cæteris tanquam priuilegium singulare Personæ: datum illis ob Ecclesiæ necessitatem, intermoriturum cum illis ob Ecclesiæ Vnitatem.

CAPVT IV.

An omnes Apostoli sint vicarij christi in terris, æque, vt S. Petrus.

M. Antonius iterum fraudulentus & dicax, num. 1. 2. 3. 4. 5.
Ineptæ eius argumentationes, num. 6. 7. 8.
Vicarius *quid significet? num.* 9. 10. 11.
Differentia inter particulas anti & yper & pau; ca de Antichristo, num. 9.
Actiones Christi erga homines, & duplex illius agendi modus, num. 12. 13. 14.
Christus an Vicarium sui reliquerit an non? & *in quo, in quo non? num.* 15. 16. 17.
Omnes Sacerdotes & Episcopi Vicarij *Christi? num.* 18. & 19.
Non omnes Vicarij *Christi sunt eiusdem potestatis num.* 20. 21. 22.
Amplitudo Vicariatus *Christi, in quibus consistat, nu.* 23. 24.
Discrimen Apostolorum & Episcoporum, nu. 26. 26. 27. 28. & *seqq.*
Discrimen Apostolorum cæterorum & B. Petri, num. 37.

1 ANtiqua hîc cursùs apud M. Antonium fraus; ijdem, qui ante, paralogismi, in titulo capitis conclusionem suam proponit, cum particula Æquè; in qua sanè maxima emphasis est; (quæque addi debet, si contra assertum, ab Ecclesia, B. Petri primatum, quicquam velit efficere) hoc modo; Apostolis omnibus; & non soli Petro, Christi vicarij in terris nomen, & officium æquè competijsse. In tota tamen disputatione, quoties sententiam hanc probare nititur; particulam eandem omittit, ac rursùs ex antecedentibus absolutis, conclusiones infert limitatas: quod sanè neque ingenui hominis est; (præsertim in rebus tanti momenti,) neque veritatem indagantis: multò minus eius, qui alios toties de examine, & argumentis minus accuratis procacissimè ridet, & quidem in hoc ipso cap. vbi cum, num. 7. & 8. primùm Cardinali Caietano adfinxisset sententiam, quam facilè poterat impugnare, mirè in eum paratragœdiatur, & exclamat; Qui potest capere capiat! ego sanè non capio.

2 Cum tamen nullum crimen sit, ea scribere, quæ M. Antonius non capiat; hoc enim & Euangelistæ omnes fecerunt, & ij generatim omnes, qui aliter scribunt, quàm M. Antonius vellet: cui dispositio affectus est; mensura intellectus: & non posse capere, idem est, quod non velle. At verò, in ipso libri sui vestibulo, post tot speciosa sinceritatis promissa, tam grauiter impingere, ac lectori fucum facere, hoc demùm graue crimen est: & quidem si, fiat in rebus maximi momenti, quales eæ sunt, quas M. Antonius tractandas suscepit: quem neque primi, neque secundi cap. standes satiarunt; sed simul cum progressu libri delectant nouæ fallaciæ.

Augustinus, inquit numero 3. docet quid? Apostolos omnes esse Christi vicarios, libentes fatemur: sed quomodo; æquè? posuit quidem hoc in titulo, sed nihil simile

in prolixo illo, quod descripsit, Augustini testimonio: immò verò, nihil aliud, quàm quod ex dictis citare potuisset: quòd Christus in cœlum ascensurus, dicat apostolis omnibus: [accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & vsque ad vltimum terræ.

3 Ponam hic ipsa M. Antonij verba, vt lector impudentiam hominis, & argumentationem eius vanitatem dispiciat: [Nostri Monarchici, ait, volunt hunc Pastorem, & Regem, seu Proregem fuisse Petrum; non ita Patres. An verò prætereà aliquo modo singulari, aliquem ex discipulis Vicarium, instituerit Christus, pertractemus. Consulamus indè Augustinum, vt dicat nobis, cui & quomodo relicta fuerit à Christo post ascensionem, regendæ Ecclesiæ vicaria cura. Omittamus alia, inquit, & nouissima verba eius in terris audiamus, vbi vldramus, quam fidem de Ecclesia, reliquit Apostolis, quale testamentum quodammodo fecerit, non vitam finituris, sed fine fine victurus, non mittendus in sepulchrum, sed ascensurus in cælum. Surgens enim à mortuis, posteaquam apparuit discipulis suis intuendus oculis, manibusque tractandus: oportebat, Lu. 24. 44. inquit, impleri, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & resurgere tertio die, & prædicari in nomine eius pænitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. [Itemque in monte Olineti, postquam nihil vlterius in terris positus, dixit; sed quod maximè fuerat necessarium, hoc commendauit extremum, (uempè prædicationem in omnes gentes) multi quippè erant futuri, per vniuersas partes terræ, vendicaturi sibi nomen Ecclesiæ, & contra vniuersam domum, quæ per vniuersam terram cantat canticum nouum, de quo scriptum est: Psal. 96. 1. Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra, de suarum quisque ruinarum angulis latraturi, aliud namque Apostoli audire cupiebant, & quod illis maximè fuerat necessarium non quærebant: Dic nobis, inquiunt, si in tempore hoc præsentaberis, & quando restitues regnum Israell At ille;] non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in hierusalem, & in totam Iudæam, & Samariam; & vsque ad terminos terræ. His dictis nubes suscepit eum; [nihil vlterius verbis addidit. Hoc tantò tenacius, quantò posterius audientium mentibus fixit. Hanc sponsam, suis amicis, sponsus abiens, commendauit; Hanc ergo de Santa Ecclesia discipulis dereliquit. Huic fidei Donatistæ resistitis; & pro fide, quam Dominus Christus reliquit Apostolis, vos persecutionem inferre contenditis. Huic hominis filio, qui Ecclesiam suam incipientem ab Hierusalem; & per omnes gentes fructificantem, atque crescentem, tanta diligentia commendauit, mira impudentia excitatis, contra dicitis, &c.

4 Subdit dein similia Sancti Ambrosij, loca: & quòd B. Paulus etiam se dicat, pro Christo legatione fungi; quis autem ignorat, legatum vices sui principalis, vbi ille abest, subire? denique testimonium Beati Chrysostomi, ex homil. 11. in epistol. 2. ad Corinth. vbi ille citata iam Apostoli verba, exponens; Vidisti, ait, quomodo officium suum efferet Paulus, induens Christum, qui legationem hanc iniunxit &; Igitur pro Christo legatione fungimur, hoc est, illius loco: nam nos, quæ illius officij, sunt, suscepimus.

5 Et tamen ex his testimonijs, audet ita gloriosè, statuere à se conclusionem conficere; perindè ac si euidentissimis pro se Scripturæ, & SS. Patrum testimonijs pugnaret. Audi ipsum pugilem:

[Ita nunc Monarchicæ, & solum Petrum Vicarium Christi Generalem esse comminiscere.] Nempè; commenta sunt, quæ Catholici docent: ea verò, quæ M. Antonius, commenta non sunt: sed ipsissima veritas; si ipsius censuræ credimus, sed: Amabo tamen te, lector, vidistine, vllo testimoniorum, Apostolos Christi Vicarios Generales dici: aut voces has, Vicarius Generalis: aut particulam comparatiuam, æquè, ab eisdem vsquam, exprimi? Omninò non. Quod ergo M. Antonius, easdem postea tam gloriosè in sua verba iotrusit: non ex Patrum authoritate factum, sed ex illius præsumptione. Neque debet quisquam permittere, vt hoc ratione sententiam suam M. Antonius ei persuadeat: sed potius, vt eandem, tanquam nuperam, & scripturæ, ac Patribus ignotam, suspectam reddat, nam si in verba sacra, licet ingerere quod libet: licebit quoque ex eisdem probare, quod libet.

6 Non arbitror, M. Antoni, in eorum te hæresim prolapsum: qui iustitiæ, sanctitatisque æqualitatem, in omnibus hominibus docent: quos iam olim in Iouiniano, & nuper in Caluino, Luthero, cæterisque damnauit Ecclesia. Quòd si ergo illorum quisquam, tibi ex Scriptura obijceret locum illum Io. 14: [Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,] qui citato à te testimonio, planè similis est: & aduentum Patris, ac Filij promittit: sicut locus tuus, aduentum Spiritus S. nunquid responderes? omnes quidem iustos à Deo diligi, non tamen diligi æqualiter: sicut nec Ipsi æqualiter diligunt. Atqui & nos, eandem tibi responsionem hoc loco possemus reponere: omnes quidem Apostolos accepturos Spiritum S. & gratias illius; siue sanctificantes, siue gratias datas: nihil tamen de æqualitate addi: quam si eu ex verbis probare voles, tam sudabis frustra, quàm qui ex verbis à me allegatis: vellet probare æqualitatem iustitiæ, & gratiæ sanctificantis. Non debes phrasibus Scripturæ absolutis, clausulas addere limitantes. Omnes homines illuminantur à Deo, Ioan. 1. caue, addas æqualiter: cum constet summam esse donorum inæqualitatem, ac Spiritum S. diuidere singulis prout vult. Omnes Prophetæ docentur à Deo: non tamen æqualiter. cum nu. 12. de Mose legamus: [Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione appareho ei: vel per somnium loquor ad illum, at non talis

ser-

seruus meus Moses: ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt] enim verò, ex hoc ipso prophetarum exemplo, discere potes, quàm malè ex eo, quòd Patres quidam Apostolos omnes honore & potestate faciunt inter se æquales: tu plurimis locis, præcipuè verò cap. 2. frequenter conatus sis: ita plenam inferre æqualitatem, vt nihil Petro prærogatiuæ tribuas, nisi in his, quæ potestati extrinseca sunt: eamque secundùm se nec augent, nec minuunt: Aduertere enim debueras: frequenter aliquos inter se dici æquales, quia officium idem participant, etiamsi in ipso participationis modo, & gradu, æquales non sint. Ita dicere possumus prophetas omnes (loquor de veris) in hoc esse inter se æquales, quòd illuminentur à Deo, neque visiones capitis sui, sed Dei verbum, proponant; in hoc enim æqualis Ionas, Nahum, Abdias: cum Daniele, Ezechiele, Moyse. Absit tamen vt æqualitas hæc: excludat omnem inæqualitatem: quia etsi conueniant in eo, quòd prophetæ sint, pari consortio honoris, & dignitatis; in ipsa tamen gradus prophetici participatione, magna potest esse disparitas: quemadmodum de Moyse Numero duodecimo, testatus est Deus, eum cæteris prophetis, intra gradum propheticum præcelluisse: non quia verbum, quod ipse prophetabat, magis esset Dei verbum; (in hoc enim omnium plena est æqualitas, neque in verbo Dei, vlli dantur maioris vel minoris veritatis gradus) sed quia cum Deo, eleuatiori modo colloquebatur.

7 Eodem modo Apostoli omnes in gradu apostolico pares sunt; in modo tamen participandi hunc gradum, & in dignitate administrandi, magna potest simul consistere imparitas. Quod autem & reipsa quoque ita sit, & Patres nobiscum ita perperuò doceant: ex eis, quæ cap. 3. dicta sunt, patet: & celebris est B. Gregorij Nazianzeni locus: oratione, quæ est de moderatione in disputationibus seruanda: vt probaret in omnibus ordinem esse debere; exemplo Apost. vtitur, in quib. vnus omnibus præfuit. [Vides, ait, quemadmodùm ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis: hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat; ac reliqui discipuli Post haberi se æquo animo ferant? (vbi satis apertè; Petro aliquid præ cæteris, vt supra eos, tribuit, quod licèt præ humilitate Petrus sibi rarò vsurparit; cæteri tamen non grauatè deferebant; ita vt nihil opus foret, allegatione potestatis; vbi erat subiectio etiam spontanea amoris. Neque hæc in verba conuenire potest id, quod. cap. seq. M. Antonius ad excusandas SS. Patrum, pro adstruendo B. Petri primatu, phrases, commentus est; Petrum scilicèt eatenus à Patribus vocari aliquando caput, vel primum Apostolorum, quia cæteris senior fuit ætate, & prior vocatione, ac virtute, nam quòd hic Nazianz. cæteros el, ait, postpositos, non intelligitur eos iuniores fuisse, aut minùs dilexisse, sed de officio agitur, ad quod præ alijs B. Petrus fuit assumptus.

8 Quodque multis ita præclarè explicuit B. Chrysostom. homilia 3: in Acta, vt cum M. Antonio nihil suppeteret pro solida responsione, dixerit; Chrysostomum Rhetoricè nimirùm indulsisse tractans enim Chrysost. designationem B. Matthiæ ad apostolatum, & B. Petri in hac re solicitudinem, atque officium. Quàm, inquit, est feruidus, quàm agnoscit creditum à Christo gregem! quàm in hoc choro Princeps est! & vbique omnium primus incipit loqui.

Sed de hoc satis capitibus præcedentibus tractatum est; nunc ad ea, quæ Vicariatum Christi explicant, transeamus,

9 Vicarius vox est sacris literis inusitata, si nomen ipsum spectemus; frequens tamen, in communi vsu, & apud omnes vbique recepta, ad significandum eum, [qui habet alterius vices, seu personam, & officia, functionesque illius subdit, ac præstat, præsertim ex ipsius Principalis commissione. Græci vel per periphrasin dicunt *ὁ ἀντ ἄλλου τεταγμένος*; (aut cum de Vicarijs determinatis agitur, per compositionem particulæ *anti* cum voce officium, vel personam, significante) vel per particulam *yper*. Est tamen inter has particulas, illa diuersitas, quòd *anti*, in hac materia eum significet, qui ita alterius vices subit, vt sit, vel velit esse ei, cui substituitur, æqualis; & officium eius, cum eadem plenitudine administret *yper* verò non item. Vndè nusquam dixit Apostolus Paulus, *presbeuomen*, seu, legatione fungimur *tu Christu*; sed *yper tu Christu* vt patet 2. Corinth. 5. v. 20. nam *presbeuei anti tu Christu* est ita pro Christo vices agere, vt ipse velis censeri, & esse verus Christus, at verò *yper tu Christu presbeuin*, dicitur; qui fatetur alium esse Christum verum, non se; sed se illius duntaxat ministrum, & legatum vnde *anti Christos* vel *antitheos* nemo dicitur; nisi qui ita se pro Christo, aut Deo vendicat, vt ipse Christus, aut Deus haberi velit: nunquam verò is, qui agnoscens Deum verum, aut Christum, se illius Legatum fatetur, aut ministrum; & quæcunque agit, non suo, sed principalis sui, & delegantis nomine agit. Quod contra nostri temporis Hellenistas quosdam, meritò notandum; qui, vt Græci viderentur, notauerunt Romanum Pontificem, ideo *antiChriston* dici posse, quia scribit se Christi Vicarium; atque ita hoc ipso, nihil nisi maledicentiam suam, & ignorantiam Græcismi, prodiderunt, sed ad rem.

10 Nomen Vicarij, aliquando ita amplè sumitur, vt generatim omnibus tribuatur, qui nomine alterius agunt, quodcunque demùm, & quantumcunque id sit; siue simul substituti sunt illi in plenitudine officij, siue non, imò apud Latinos antiquiores, nomen hoc ferè solet sumi, in vilissimam partem pro eo, qui subest alteri seruo, Diuidebant enim seruos in duo genera; sic vt alij essent serui ordinarij, qui suberant dominis liberis immediatè, alij Vicarij, qui suberant immediatè ipsis seruis, eorumque vices administrabant: vt patet, ex illis Horatij, libro 2. satyra septima:

Siue Vicarius est, (qui seruo paret, vti mos
Vester) ait, seu conseruus: tibi quod sum ego.

Cui simile est, quod Martialis habet:

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.

Et

Et nunc quidem hæc acceptio exoleuit, manet tamen etymon nominis idem,& prior illa generalis amplitudo, ità dixit Cicero, epistolarum lib.9. [te do Vicarium, tu illum obseruabis, &, vicaria fides amicorum,] in oratione pro Roscio, ab eodem ponitur pro ministerio, quod amici, nostro nomine alteri præstant. Atque hoc sensu, in rebus politicis, dicuntur omnes magistratus, & iudices esse Vicarij Dei, eoque sensu eos monuit Rex Iosaphat 2. Paralip. cap. 19. [Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.] simili modo Vicarius Dei dici posset omnis homo quicunque alium docet, iuuat, diriget, promouet, qua phrasi ferè dicimus, [Homo homini Deus: quia scilicet ei nomine creatoris benè facit, & contra, apud Sapientem legimus: Prou. 17. 5. [qui despicit pauperem, exprobrat creatori eius.] Eodem referri potest, quod Christus dixit: Matth. 25. Amen dico vobis, quodcunque vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Habent enim in his homines tanquam à Deo creati vices Dei, quia aliquid Dei sunt. Sed acceptio hæc amplior est, quàm vt ad præsentis loci explicationem adhibeatur, neque enim hic ità generatim agimus, de quolibet, qui Christi locum habere possit qualibet tandem ratione: sed de eo solùm, [qui officium aliquod, actumque publicum ex nomine sui principalis exercet.] Ità vt Vicarius Christi sit, qui in Ecclesia functionem aliquam Ecclesiasticam nomine Christi administrat.

Quod autem ad officium Christi Domini, eiusque erga nos functiones attinet, ex toto scripturarũ decursu, constat, venisse eum, vt homines pasceret, seu vt sine metaphora loquamur, vt eos veritatem doceret, circa cognitionem Dei, ac morum, atque ad innocentiam, & integritatem vitæ dirigeret docendo, suadendo, mouendo, terrendo, (quæ omnia præstitit dum in terris nobiscum conuersatus est) imò & corripiendo, ac puniendo, vt in eiectione nummulariorum duplici exemplo ostendit. 12 Complexus est hæc omnia ipse Chistus Ioannis 10. vnica voce Pastoris cum diceret, [ego sum Pastor bonus.] ostenditque ea voce contineri hæc tria.

Vt Pastor nouerit oues, & ab eisdem cognoscatur.

Vt omnia sua ad omium vtilitatem impendat, etiam vsque ad mortem.

Vt ouibus loquatur, atque illæ vocem eius audiant.

Non, quòd non possent plura recenseri, si particulatim singula explicentur, sed quod ea speciatim facerent, ad scopum tunc Christo propositum: idest officij sui pastoralis commendationem, de quo ibidem dixit, Io: 10. [Ego veni vt vitam habeant (oues,) & vt abundantius habeant.] Idem Christi officium, descripsit B. Dauid Psal. 2. sub alia tamen allegoria: Hieremias verò, & Ezechiel, allegoriam Pastoris eodem sensu elegantissimè prosecuti sunt: alter cap. 23. alter verò cap. 34. & Isaias cap. 40. vers. 11. [sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.] Vndè, & B. Paulus ad Hebræos cap. 13. Christum vocat, *ton poimena, ton prouaton, ton megan*, Pastorem magnum ouium, & B. Petrus epist. 1. cap. 2. *poimena cai Episcopon on psichon*, Pastorem, ac Episcopum animarum, ac rursùs cap. 5. *archipoimena*, seu principem Pastorum.

13 Quærere ergo, [An aliquis Christi Vicarius sit in terris? est quærere, an aliquis ei, (& quidem ab ipso) substitutus sit, vt homines tanquam oues pascat,] oues inquam, non vt suas, hoc enim est *poimainein anti tu Christu*, id est, pascere instar Antichristi, sed vt oues Christi, à Christo sibi commendatas.

14 Quia verò cap. 2. dictum est copiosius, homines dupliciter pasci, seu regi, nempè, vel per motiones, & influxus internos, vel per motiones, suasiones, propositiones externas: illud hic consequenter obseruandum est; priorem modum non egerere præsentia corporali, cum sit omninò spiritualis: adèoque fieri posse à Christo; siue is nobis præsens sit corporaliter, siue absens, præsentia enim Christi corporalis, babet se ad eum per accidens, & vt non causa, at verò posterior modus, necessariò requirit præsentiam externam, & sensitiuam, ità vt is, qui sic dirigit, audiri possit, & intelligi, in dubijs, vel controuersis adiri, rogari sententiam, ac consuli, quæ omnia inter homines corporaliter peraguntur, & ad pacis, vnitatisque conseruationem ità peragi debent, ne in his, quæ neque videri possunt, neque audiri, quilibet pro animi suî arbitrio comminiscatur, quicquid ei (licèt malè sano) collibuerit.

15 Cum ergo Christus à nobis abiturus esset, priorem directiouis modum sibi reseruauit, eoque pascit Ecclesiam, etiam nunc iuxta fidem promissi sui; [Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,] & consequenter, nec vllum sibi Vicarium, in hoc modo substituit, quod autem M. Antonius de Vicariatu Sancti Spiritus scribit, vel ad Macedonianam hæresim spectar, si velit, Spiritum sanctum propriè Christi Vicarium fuisse, vel non satis ab ipso explicarum est; cum eo loquendi modo tantùm significet Tertullianus, Christum pro eo, quod antè docebat Apostolos externo magisterio, dum præsens esset; deinceps post ascensionem, id compensaturum, magisterio interno, non tamen per ministerium, aut vicariam operam Spiritus sancti, nisi impropriè admodùm accepto Vicarij nomine. Vnum tamen est, quod in hoc modo Christus hominibus quibusdam communicauit; dum per institutionem actionum sacramentalium, eis, qui sacramenta administrant, hoc dedit: vt licèt ipsi non possint gratiam producere, vel infundere; possint tamen efficere actionem aliquam externam, cui Christus gratiæ collationem adiungat: vt patet in baptismo, vbi homo abluit exterius, Christus verò interius; & licèt ablutionem materialiter homo non faciat semper nomine Christi, ablutionem tamen baptismalem, ità semper nomine Christi facere debet, vt in omni baptismate Christus propriè sit is, qui baptizat, vt prolixè explicuit Beatus Augustinus contrà Donatistas. Ad posteriorem modum, quod attinet, quando Christus à nobis abijt, non potuit eum sibi reseruare, nisi simul voluisset, in dubijs, & controuersis Ecclesiæ negotijs, cor-

corporali, sensibilique præsentia, ex cœlis ad nos redire, vt sic Ecclesiam instrueret, & tanquam supremus magister doceret. Verùm quia constat eum hoc neque voluisse, neque præstitisse: duo tantùm sunt, quæ de hoc externo pascendi modo dici possent.

Primò, quòd Christus eum planè ex Ecclesia sustulerit; hominesque singulos, & omnes, solo interiori suo magisterio deinceps reseruauit, quod præcipuè sensit Suencfeldius, & non parum indicant omnes ij, qui in Ecclesia ponunt vnumquemque controuersiarum, quarumcunque decisorem.

17 Secundò, quòd Christus eundem in Ecclesia sua reseruarit, eamque tanquam corpus optimè dispositum, diuersis fidelium gradibus, quasi membris distinxerit, ità vt alij doceri debeant, & regi; alij doceant & regant, alij tanquam oues pascantur, alij tanquam pastores pascant.

Vter ex his modis verior sit, indicauit frequentissimè sacra scriptura; Apostolus enim Ephesiorum 4. cum hortaretur suos, vt essent [solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis;] multaque huius vnitatis argumenta adduceret, nempè vnitatem spei, seu gloriæ, vnitatem Dei, cui seruimus, vnitatem fidei, baptismatis, per quæ seruimus, randem quoque vnitatem corporis proponit, ostenditque Ecclesiam varietare officiorum, & graduum ita connexam esse, vt ex functionum diuersitate vna Respub. constituatur, & quidam in ea alijs superiores sint. Ephes. 4. [Vnicuique, ait, data est gratia, secundum mensuram donationis Christi;] seu prout Christo placuit donare. [Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores,] q. d. officijs quidem Ecclesia distinguitur, non tamen propter ea in plures Respub. diuidi debet. Omnia enim hæc ad vnum finem data sunt; nempè, ad consummationem sanctorum, seu fidelium; in opus ministerij, in ædificationem corporis, (non Petri, vel Pauli; sed) Christi. Quod autem consequenter vers. 15. deindè subditur; [Veritatem autem facientes, in charitate crescamus: in illo, per omnia, qui est Caput Christus:] neque contra ea, quę nunc diximus, de vicaria opera pastorum; neque contra ea, quæ capit. 1. dicta sunt, quicquam pugnat: cum etiam nos fateamur; Christum ratione interni influxus, solum Caput esse Ecclesiæ, & Apostolos membra. Sed quia de eo hìc modò non agitur; transeo ad alium eiusdem Apostoli locum; vbi similem Ecclesiæ coordinationem, non minùs plenè explicuit; est is in cap. 12. Epistolæ prioris ad Corinthios, vbi, post recensitam donorum in diuersis diuersitatem: similiter monet, ne hæc diuersitas, eis sit occasio schismatis, sed potius vnitatis; [quia in vno Spiritu, omnes, in vnum corpus baptizati sumus, Corpus, autem, non est vnum membrum, sed multa.] Inter cætera verò membra, etiam Caput enumerat, quod cæteris membris eget, vt statim dicam: ac tandem concludit; [Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro, & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?

18 His præmissis, sit Prima Propositio. [Non tantùm omnes Apostoli, sed etiam omnes Episcopi, & Sacerdotes rectè dicuntur Vicarij Christi.] Probatur, quia Sacerdos baptizans, sacrificans, peccata remittens, operatur in his nomine, & auctoritate Christi; perindè, ac si Christus ipse baptizaret, aut peccata remitteret, hoc enim est, quod promisit Christus, ligatum, solutumque fore in cœlis, quicquid Ecclesiæ ministri ligauerint, vel soluerint in terris: similiter Episcopus manus imponens, pœnitentes reconcilians, ministros Ecclesiæ ad sacros ordines consecrans, id facit iuxtà potestatem sibi à Christo traditam, ità vt non sit minùs ratum, quàm si Christus id fecisset. Hinc Apostolus non de se solo, sed de Apollo quoque, & cæteris Corinthiorum Doctoribus agens; cum prius capit. 3. Corinthios monuisset, ne schismata facerent in Ecclesia, ac si profiterentur doctrinas suorum Doctorum, vt essent immemores Christi, statim initio cap. 4. describit, quid debeant de his omnibus Corinthij sentire, vt sentiant verè; [Sic, ait, nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,] quòd paulò pleniùs exposuit B. Petrus epist. 1. c. 4. [Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus,] quibus verbis non tantùm officium hoc Vicarium, sed & duo eius præcipua munia, ac functiones, explicuit, docere scilicet, & res Ecclesiasticas administrare, seu, vt B. Paulus loquebatur, dispensare mysteria Dei. Ne verò dispensatores quis arbitretur, sine delegatione, explicauit eam ipse Dominus Lucæ 12. [Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?]

19 Eodem facit, quòd inter cæteras conditiones, quas Apostolus in eo requiritur, qui ad Episcopatum promouendus sit, vel eum dignè administret; ad Tit. 1. 7. [Oportet, ait, Episcopum sine crimine esse, causamque subdit; sicut Dei dispensatorem] seu quia Dei dispensator est, quòd autem ibi de Episcopis loquatur, qui Apostoli non sunt, sed Apostolis substituuntur, ac simul nomine Episcopi, Sacerdotes complectatur, ex contextu patet, scribit enim Apostolus instructionem istam ad Titum, eumque monet, de qualitate, & moribus eorum, quos Titus consecraturus erat in Episcopos, aut Sacerdotes. [Huius rei gratia, ait, reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.]

Hinc de Episcopis scribens B. Ignatius ad Heronem Diaconum suum, ei mandat, vt Episcopo tanquam Dei ministro in omnibus pa-

pareat, & B. Chrysostomus Diaconos suos admonens, vt diligenter attendant, ne Eucharistia indignis distribuatur, mandat vt etiam Imperatores, si indigni sint, abarceant. eo quòd Imperatoribus hac in re maiores sint, & Dei nomine ad hanc curam constituti. Hæc, ait, ad communicantes dico, & ad vos ministrantes, nam & ad vos sermonem conuertere necessarium est, vt multo cum studio, hæc dona distribuaris. Non parua vobis imminet vltio, si quemquam illius culpæ conscij huius mensæ participem esse concedatis, sanguis eius de manibus vestris exquiretur, siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insigniuit honore, vt talia discernatis. Hoc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc omnis corona, non vt albam, & splendentem tunicam circumeatis induti, verùm & tu laice, cum sacerdotem videris offerentem, ne vt sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.

Propositio Secunda.

20 Vicarij Christi non habent omnes eandem plenitudinem potestatis, ita vt inter se æquales sint, aut æque multa possint] sed quisque tantum, quantum ei Dominus, seù principalis commisit, siuè per seipsum immediatè, siuè per intermedios. Docet hanc conclusionem Apostolus, locis supra citatis, vbi proponit in Ecclesia diuersas functiones, & apertè Pastores, ac Apostolos, distinguit, non quia non omnes Apostoli Pastores, sed quia non vicissim omnes Pastores Apostoli, similiter, voluit eandem Christus docere, per distinctionem Apostolorum, à cęteris discipulis. Nam apud Marcum cap. 3. legimus: [Ascendens in montem, vocauit ad se, quos voluit ipse] (vtique ex cætera turba) & venerunt ad eum, & fecit, vt essent duodecim cum illo, & Lucas cap. 6. eandem historiam apertius describens [factum est, ait, in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei, & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos] & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Erant ergo Apostoli ex cæteris selecti, & præ illis, imò, & maiori auctoritate, à Domino, & potestate ornati. Vndè, & permansit semper in Ecclesia, hæc de Apostolorum, & 70. duorum Discipulorum distinctione, sententia, eaque à Patribus ferè explicari solet, per analogiam, ad distinctionem, quæ deinceps semper fuit, inter Episcopos, & cęteros Sacerdotes, ità vt Episcopi Apostolis, & Sacerdotes 72. discipulis censeantur succedere, vndè Conc. Triden. sess. 23. cap. declarat [præter cęteros Ecclesiasticos gradus: Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum Ecclesiæ ordinem, præcipuè pertinere, eosque Presbyteris superiores esse.] Atque ita docuit, ante annos 1304. Concilium Neocæsareense can. 13. Damasus epist. 3. vbi agit, de Chorepiscopis, Augustin. in Psalm. 44. Leo epist. 88. imò & ipse B. Hieronym. in epist. ad Marcellam, de erroribus Montani, qui tamen visus est, aliquando presbyteros Episcopis, iure Diuino æquare. Idem docet, beatus Ignatius in epist. ad Philadelphios [Boni sunt Sacerdotes, & sermonis Ministri; melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta Sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei] & contra Aerium, qui inter Episcopos, ac Sacerdotes, nullum ponebat discrimen, ex professo tanquam contra hæreticum scribunt B. Epiphan. hæresi 75. & Augustin. l. 1. de hęresibus, capite quinquagesimo tertio. Denique sine dubio iudex maior est iudicando: atqui Episcopus est iudex Sacerdotum, vt patet ex epist. 1. ad Timoth. cap. 5. [Aduersùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.]

21 Neque obest, quòd beatus Hieronymus duobus præcipnè, aut tribus locis Episcopos videatur cum Sacerdotibus eosdem facere, & in primis Ecclesiæ temporibus æqualem omninò in vtrisque potestatem agnoscere, etsi enim hæc B. Hieronymi loca imprudenter à Michaele Medina, ad æqualitatem, quæ in ipso Episcopali, & Sacerdotali ordine consistat, referantur, & imprudentius ab eodem dicatur B. Hieronym. sententiam Ætianorum secutus, reuera tamen neque Hieronymus ita sensit, neque contra ea, quæ in secunda propositione dicta sunt, pugnat, sed hoc solum significat, quod in primitiua Ecclesia Sacerdotes, cum Episcopis ad Ecclesiæ regimen admittebantur, & Concilijs intereraut, sententiæ tamen nostræ nihil officit.

Propositio Tertia.

23 Amplitudo, vel restrictio potestatis, in Vicarijs Christi, præcipuè attenditur ex duobus, nempè, ex obiecto] idest, quid & quantum possunt, & ex loco, id est, vbi possiut, vel in quos. Patet hæc propositio, ex generali natura potestatis, & ministerij, nam si quisquam attentet id, quod non potest, vel in eum, in quem non potest, actio ipsius est nulla, & sicut correlata sunt, potestas, & obiectum; ita correlata quoque sunt, habens potestatem, seu superior, & is, in quem habetur potestas, seu inferior, adeòque per se mutuò explicari debent. Præstitit hoc in Apostolis suis Christus Dominus: nam quod ad obiectum attinet, ne cuiquam foret tergiuersandi locus in eorum ligationibus, aut malè, ac scrupulosè metuendi, de actus nullitate in eorum solutionibus generatim dixit non tantùm B. Petro [Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cęlis] Matth. 16. sed etiam Apostolis omnibus [Amen dico vobis, Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cęlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cælo.] Et hæc quidem eis promissa, collataque in ordine ad Apostolatum post Christi ascensionem administrandum, quando autem aliàs, viuo adhuc Christo, missi sunt, etiam tunc speciatim expressa eorum potestas, vt patet Matth. 10. [Conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, præcipiens eis

Eun-

Euntes, prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curare, mortuos suscitate; leprosos mundate, dæmones eijcite.] Similia habet Lucas cap. 9. [Conuocatis duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem, super omnia dæmonia, & vt languores curarent: Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos] quæ potestas eisdem rursus collata, Domino in cęlos ascendente, vt patet Marci vltimo.

24 Quod autem ad locum attinet: etiam is, in vtraque commissione speciatim expressus, nam de priori hac profectione aperte in ipsa commissionis formula additur, Matt. 10. [In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel.] De posteriori verò legatione absolutè eis dictum [Euntes docete omnes gentes, Matt. 28. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, Marci 16. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.] Ex quibus facilè patet, priori formula, eos constitui Apostolos, certorum locorum dumtaxat, posteriori verò, generales totius mundi, adeòque multum hac in re interesse, qua quis formula constituatur, neque enim disputando has res mutare possumus, & ad cuiusquam Vicarij potestatem verbis nostris quicquam adijcere, vel de ea detrahere, sed ex ipsis Domini delegantis verbis, tota res constituitur, ac dependet.

Vndè si velit M. Antonius, in totum terrarum Orbem Christi Vicariatu fungi; per nos id licebit, neque vrgebimus eum, vt tam operosis decem voluminibus, potestatem suam probet, dummodo breuem suæ consecrationis formulam, in qua ei hæc potestas, siuè immediate à Christo Domino, siuè mediatè, ab eo per Ecclesiam delegetur, proferre possit. Nos enim, qui sumus? quod si verò nusquam delegationem hanc Marcus habet, memor sit illius, quod Apostolus scribit: 2. Cor. 10. 13. [Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus: non enim, qui seipsum commendat: ille probatus est, sed quem Deus commendat.] Vel si respondeat, ex eo hanc sibi potestatem competere, quia Episcopus est, & Apostolorum, qui potestatem hanc habuerunt, successor, ostendat vel Diuinam, vel Apostolicam aliquam, vel Ecclesiasticam legem, in qua statutum sit: quod Episcopus sicuti succedit Apostolo in multis; ità debeat succedere in omnibus, aut si hoc ostendere non potest (sicut reuera nunquam poterit) redeat ad sanam mentem, neque præsumat esse, quod est Aaron, ne patiatur, quod ob simile crimen, pariter Abiron. [Num parum tibi est, quod separauit te Deus ab omni populo, & inferiori clero, & iunxit sibi, vt seruias ei? Idcireò, ad se fecit accedere te, vt & sacerdotium summum vendices tibi] & omnis conatus tuus pugnet contra Dominum?

Propositio Quarta.

25 Apostoli omnes fuerunt Vicarij Christi generales: Episcopi verò non sunt absolutè Vicarij generales, sed habent Vicariatus limitatos: tam quò ad obiecta, quàm quò ad loca. Prior huius propositionis pars de Apostolis, præterquam quod pateat ex conclusione præcedenti, ibique sufficienter probata est; eleganter explicatur à B. Chrysostomo, ad verba illa Matthæi quinto: Vos estis sal terræ, vbi homilia decimaquinta, docet, Christum ita locutum [quia non ad duas vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam gentem eos misit, sicut Prophetas, sed ad omnem terram prorsùs, & mare, totumque mundum, & hunc varijs criminibus oppressum.]

Posterior propositionis pars duo membra habet: quorum prius docet Episcopos ratione Episcopatus sui non esse Vicarios Christi generales, aut Apostolorum plenos successores, quò ad obiecta potestatis, itaut omnia possint, quæ Apostoli potuerunt, alterum verò docet, eosdem non esse Christi generales Vicarios generalitate loci, ita vt omnibus locis præpositi sint, vel missi, sicut Apostoli missi fuerunt.

Et quidem, posterius hoc non est difficilè probatu, cum iam indè à primo Ecclesiæ initio, videamus Episcopis datas diœceses limitatas: neque eos, eis egressos, nisi vel publica Ecclesiæ necessitate, vel Apostolica auctoritate euocarentur. Sic data Tito Creta, Timotheo Ephesus, Archippo Colossus (ità tamen, vt sicubi eorum opera B. Paulus egeret, eadem quoque vteretur, prout etiam hodiè in Ecclesia fieri videmus) & fatetur M. Antonius lib. seq. c. 1. n. 14. Apostolos [etsi ipsi non erant Episcopi singulares vllius determinati loci, tamen censuisse, necessitate etiam cogente, expedire, vt quæque singularis Ecclesia, proprio, & vno Episcopo, frueretur.] Neque, hac de re, in Ecclesia vllum est dubium: hinc enim Episcoporum nomenclaturę, etiam in Scriptura; vt alius dicatur Ephesi, alius Smyrnæ, alius Thiatyræ Angelus: & Asia minor in septem legitur Episcopatus distributa: quibus quia præcipuè B. Ioannes generali, & Apostolica solicitudine inuigilabat, etiam scriptæ ab eo literæ, & exhibita de eorum regimine, ac subditorum eorum virtutibus, vel vitijs, apocalypsis: in qua singuli non de Ecclesiarum totius orbis dispositione, sed de suis moniti sunt Episcopatibus.

26 Hinc etiam datæ statim in Ecclesia constitutiones, ne quis in alieno Episcopatu ordines conferat, Ecclesias consecret, visitationes instituat, aut quælibet Episcopalia munia exerceat: non quia id sine talibus constitutionibus licuisset; sed quia Episcopis, ab initio consecrationis eorum, dati limites suarum diœcesium. Imò primis Ecclesiæ temporibus vetitum: ne Episcopis liceret mutare diœceses, & ex paruis ad maiores transire, vt patet ex Concilio Niceno primo, Canone 15. [Propter multum tumultum, & seditiones, quæ fiunt, omnino visum est, vt consuetudo, quæ præter canonem in nonnullis partibus inuenitur, tollatur: vt à ciuitate in ciuitatem,

nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, transeat. Si quis autem post sanctæ, & magnæ synodi definitionem, tale quippiam aggressus fuerit, vel se rei eiusmodi dederit, quod factum erit, omninò infirmabitur; & Ecclesiæ restituetur, cui Episcopus, vel Presbyter ordinatus fuerit.]

Quæ constitutio, plurimis postea particulatium synodorum canonibus, comprobata est, vt patet ex Concilio Africano, Can. 15. Carthaginensi 4. can. 27. Chalcedonensi generali can. 5. Et Damasus epist. ad Paulinum Antiochen. apud Theodor. lib. 5. cap. 11. [Eos, ait, qui ab Ecclesijs ad Ecclesias migrauerint, tamdiu à nostra communione alienos habemus, donec ad eas redierint ciuitates: in quibus primitus sunt ordinati. Quòd si quis alius, alio transmigrante, in locum viuentis ordinatus est: tam diu vacet sacerdotij dignitate, donec successor eius quiescat in Domino.]

Quod autem ad limitum diœcesanorum circumscriptiones pertinet; extat de eis decretum Concilij Constantinopolitani, quod fuit secundum Generale, cap. 2. [Episcopi, ad Ecclesias, extra diœceses, non veniant, neque eas confundant; sed iuxta canones: Alexandriæ Episcopus Ægyptum, Orientis Episcopi, Orientem tantum gubernent, seruatis priuilegijs canonum Nicænorum, Antiochenæ Ecclesiæ. Asianæ diœceseos Episcopi Asianam, Pontices Episcopi Ponticen, Thraciæ Episcopi Thraciam, tantum gubernent. Inuocati, autem, non eant extra diœcesim ad ordinandum: aut ad alias administrationes Ecclesiasticas, &c. Quæ verò in barbaris nationibus Ecclesiæ sunt: Iuxta Patrum consuetudinem, gubernentur.]

28 Et aliud Concilij Ephesini, quod fuit tertium Generale, in causa Episcoporum Cypri, & Patriarchæ Antiocheni. [Episcopus Reginus, & Episcopi prouinciæ Cypriorum, Zenon, & Euagrius, detulerunt ad nos rem: quæ contra consuetudines Ecclesiasticas, & canones Sanctorum Apostolorum designetur, & omnium libertatem attentet. Quoniam igitur communia vitia, maiorem, & exquisitiorem curationem requirunt: vt quæ maius adferant incommodum, si ne mos quidem antiquus subsecutus est, vt Episcopus Antiochenus, ordinationes in Cypro administret, &c. Obtinebunt illæsum, & inuiolatum ius suum: qui in Cypro sanctis Ecclesijs præsunt, vt secundùm canones sanctorum Patrum, ac veterem consuetudinem, ipsi, per sese, ordinationes religiosissimorum Episcoporum administrent. Idem etiam in alijs quoque diœcesibus, prouincijsque omnibus, obseruabitur: vt nemo Episcoporum, prouinciam occupet alienam: quæ non antiquitus, & iam indè ab initio fuerit sub potestate: vel ipsius, vel eorum, qui ante eum præfuerunt. Sed etiam si quis occupasset, ac vi in suam potestatem redegisset: vt is eam pristino suo iuri restituat, ne maiorum canones violentur, &c. neue libertatem amittamus, &c. Placuit ergo, sancto, generalique, Concilio: vt vnicuique prouinciæ, iura sua: quæ antiquitus, & ab initio ad eam pertineant, integra, & inuiolata [illegible] secundùm iam inueteratum, & antiquum morem: potestate facta cuique Metropolitano, vt ad suam cautionem, actorum excipiat exempla. Si quis, autem, diuersam, contrariamue ijs, quæ nunc statuta sunt, formam produxerit; placuit vniuersali, & generali Concilio, hanc esse irritam, & infirmam, eique fidem omninò derogari.]

Sequitur nunc, vt de obiecto potestatis Episcopalis agamus, ostendamusque Episcopos singulos, non posse in Ecclesia, omne id, quod Apostoli, potuerunt: imò, nec quod Patriarchæ, vel Primates, possunt: ac generalis quidem huius rei demonstratio est: quia [nemo plus potest, quàm illi confertur: sed Episcopis singulis non confertur, vt tantumdem possint, quantum Apostoli. Ergo; nec possunt.]

Maior huius propositionis nullam habet dubitationem: nam si potestas sit in eis rebus, quæ ad naturæ vires pertinent: debet homini facultas aliqua naturalis, siue acquisita, siue congenita accedere, qua possit, sin autem sit in rebus supra naturam: similiter cum in his, nihil possit ex se solo, debet ei facultas aliqua supra naturam conferri; qua eleuetur, vt possit: ac tantumdem possit, quantum eleuatur; vt fit per dona, & gratias, quas Deus homini confert, vel aliquando per solas eleuationes morales, ad quas Deus operationes suas annectit.

Minor patet: tum ex forma consecrationis Episcopalis, qua is, qui consecrat, recenset; quænam sint futuræ functiones, & munia consecrati: ac simul eum Dei nomine, ad ista facienda assumit, & eleuat: tum quia Marcus Antonius neque Diuinum, neque humanum vllum ius, producere potest: ex quo probet institutum à Christo, vt Episcopi, Apostolis in tota potestatis plenitudine succedant: quin verò, si Christus ità mandasset, nunquam Apostoli Episcopis à se consecratis diœceses, terminosque officij, contra Christi præceptum, ausi fuissent circumscribere.

30 Hoc quidem verum est, quòd Christus ipse non limitarit diœceses; aut Episcopatibus singulis definitos terminos præscripserit per se; sed aliud omninò est: non facere per se ipsum; aliud vetare, vt non fiat, ne quidem per alios: neque ex eo, quòd Christus id non fecerit, inferri potest, quòd vetuerit fieri; aut quòd Episcopis competat ius, solicitudo, administratio vniuersalis sine vlla limitatione, pro vt M. Antonius contra nos infert. Simile enim est, ac si quis dicat: Diuisio bonorum non est instituta ab iure naturali; ergo singulis competit vniuersale, & plenum dominium in omnia: nam ad falsitatem harum, & similium consequentiarum, satis est: quòd supremus Legislator; non vetuerit aliquid circa diuisiones, aut diœceses constitui; & quòd deindè per aliud ius legitimum, id constituatur: sicut in diuisionibus bonorum factum est, iure gentium: & M. Antonius fatetur, in diuisionibus Episcopatuum, contigisse; institutione, & authoritate Apostolica, pro vt ex lib. [illegible] cap. 1. num. paulò ante demonstraui.

31 Vndè non possum satis mirari, illam phrasim eiusdem; qua vult, etiam nunc, post institutas ab Apostolis diuisiones has, vnumquemque tamen Episcopum habere solicitudinem, & administrationem totius Ecclesiæ in habitu. Quis enim iste habitus? & quis

ferret

ferret in simili exemplo hodie aliquem dicentem se habere dominium totius orbis terræ in habitu? quia scilicet, iure naturæ nulla diuisio facta est: apage eum otiosis, & inutilibus istis habitibus! Voluit miser, aliquid inuenire, quo posset loca SS. Patrum, quæ Episcopis negant illimitatas diœceses, & Romano Pontifici concedunt; pro hæresi sua explicare, & imaginatus est etiam, se habere illimitatam diœcesim; sed in habitu; ac similiter Romanos Pontifices, tantùm in habitu habere curam totius orbis terræ: placuitque lepidum hoc commentum inuentori, tanquam magnum, & notabile dogma.

Verùm aduertere debuerat M. Antonius, quòd commentitij illius habitus, non congregent actu Concilia, decidant controuersias, admittant appellationes, approbent, & confirment Episcopos, mittant apocrisarios, vel nuntios, & legatos; non damnent hæreses, exauthorent hæresiarchas, excommunicent Ecclesiæ perduelles, reconcilient pœnitentes; hæc enim omnia per actus fiunt, & potestatis vsum; constat autem in exercitijs his, adeòque non in habitu tantùm, sed in actu; Romanos Pontifices à cæteris Episcopis multùm differre: cum ex cæteris nemo, vt statim dicam, hæc omnia vnquam in diœcesibus aliorum Episcoporum fecerit.

32 Duo sunt in Ecclesiastica potestate, actionum genera: Vnum, quod dicimus ordinis, & hoc consecrationi per se annexum est; v.g. quòd Sacerdos sacrificet, Episcopus sacros ordines, & confirmationis Sacramentum conferat; alterum verò vocamus Iurisdictionis, & hoc neque per se est annexum ordini, neque per solum ordinem validè exerceri potest: sed requirit propterea; vt is, in quem exercetur, subiectus sit, & subditus ei, qui ordinem habet. Hoc autem rursus est duplex quædam enim sunt actiones puræ iurisdictionis, quæ nullum ordinem requirunt; quædam verò ordinis, & iurisdictionis simul: quæ non tantùm sine iurisdictione, & ordine non fiunt licitè, sed neque validè; vt exemplis statim subiungendis patebit.

33 Itaque; [in his, quæ sunt puri ordinis, omnes Episcopi inter se pares sunt; neque vnus, dempta iurisdictione; aliquid potest, quod non possit alter.] Sic Romanus Pontifex, quatenus sacerdos est, nihil, aut plus, aut maius sacrificat, quàm cæteri Sacerdotes, etiam non Episcopi; similiter quatenùs Episcopus est in collatione confirmationis, aut Sacrorum ordinum, nihilo plus gratiæ confert, quàm Episcopi quilibet: neque ex hac re nascitur differentia, & distinctio graduum Ecclesiasticorum, inter Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas; sed solùm inter sacerdotes, & Episcopos; hi enim ex vi ordinis, plus possunt, quàm illi. Totam hanc assertionem, declarat prolixè B. Augustinus in Sacramento Baptismi; ex illis verbis B. Ioannis Bapt. [Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum:] Hic est, qui baptizat: nam sicuti ex eo, sacramentum baptismi, apud omnes ministros, eiusdem est efficaciæ, & dignitatis, etiam si collator malus sit, & hæreticus; quia Christus est, qui baptizat, homo autem solùm in actione baptismali agit, vt instrumentum Dei: ità apud omnes Sacerdotes, Sacrificium secundùm se eiusdem virtutis est; & apud omnes Episcopos chrismatio, vel ordinum collatio, eiusdem dignitatis: quia in Sacrificijs, & sacramentalibus actionibus, homo est instrumentum Christi; & ipse quidem agit actiones externas, Deus autem est, qui dat gratiam per illas, neque potest malitia sua, minister Deo circumscribere, vt gratia non detur; etiam si ipse conferendo, exercendoque actum exteriorem peccet: absit enim, vt oculus Dei malus sit; quia minister nequam est.

34 In his verò, quæ ad Iurisdictionem pertinent, magna est inter gradus, & officia Ecclesiastica disparitas; imò cæteri gradus, qui inter Episcopos sunt, ex hoc capite solùm distinguuntur: Archiepiscopus enim Episcopo maior est; non ordine Episcopali, vt statim dixi, sed sola iurisdictione: similiter Primas Archiepiscopo; & Patriarcha primate. Atque hinc oritur, quòd quanto cuiusque diœcesis est limitatior, tantò etiam habeat limitatiorem potestatem. Præcipua verò, in quibus differunt, ad certa quædam capita reuocari possunt: primæ enim, & præcipuæ difficultates in Ecclesia, sunt in quæstionibus fidei, & administratione Sacramentorum. Sequuntur deinde quæstiones de concilijs, eorumque conuocatione, directione, approbatione, vel irritatione. Tertio loco sunt quæstiones de Episcoporum priuilegijs, limitibus, controuersijs, accusationibus. Vltimò ea, quæ ad plebem, & communem Ecclesiæ constitutionem, ac mores faciunt. Quod ergo ad primi generis difficultates spectat, non est omnibus Episcopis plena authoritas decidendi articulos fidei, sicuti Apostolis; quia non omnes habent Apostolorum infallibilitatem, & Spiritus sancti directionem: similiter, non est omnibus Episcopis licitum, hæresiarchas quoslibet ad dicendam causam citare, eorum causa Concilium indicere, hæreses examinare: sed vnusquisque in hæreses, in suæ diœcesi emergentes, inquirit; Romanus verò Pontifex solus in omnes omnium prouinciarum hæreticos. Hinc Marcion ab Episcopo suo excommunicatus in Asia minore, venit Romam, ad Pium I. Origenes excommunicatus à Demetrio, & Dionysio, Patriarchis Alexandrinis, misit literas ad Fabianum; Nestorius accusatus fuit apud Cœlestinum; Macedonius apud Damasum, Eutyches apud Leonem, Pelagius apud Innocentium, & Bonifacium, ac similiter reliqui omnes hæresiarchæ, suis quique temporibus, apud coætaneos sibi Romanos Pontifices; atque ab eisdem vel damnati, vel absoluti sunt.

In difficultatibus secundi generis, similitèr non est omnium Episcoporum Concilia indicere, dirigere, approbare, aut eis præsidere: nam cum in Concilijs Episcopi soli sententiam dicant, quomodo Episcopos conuocabit, aut conuentum imperabit, qui non habet alios sub se Episcopos? tantò autem quisque potest indicere Concilium pleniùs, quantò pleniorem habet iurisdictionem; & quia Romanus Pontifex solus habet Iurisdictionem Vniuersalem; ideò etiam solus potest indicere Concilium Vniuersale; cæteri verò Archiepiscopi, & Primates Prouinciale, vel

nationale. Quanquam, & hoc antiquis Ecclesiæ temporibus in more fuit, vt sine Romani Pontificis consensu, ne quidem particularia Concilia celebrarentur, vt testatur Socrates lib. 2. cap. 13. & Sozomenus lib. 3. cap. 9. ac Nicephorus lib. 9. cap. 5. Imò in Concilio Chalcedonensi act. 1. Dioscorus Patriatcha Alexandrinus vetatur sedere inter Episcopos, quia ausus fuerat facere Synodum sine Apostolicæ Sedis auctoritate, [quod nunquam licuit, & nunquam factum est:] & in Concilio Constantinopolitano 7. quod fuit Generale, act. 6. iudicatum est Concilium aliquod Constantinopolitanum esse nullum, quia similiter sine Romani Pontificis authoritate celebratum fuerat. Deindè etiam si Concilia Prouincialia, sine speciali Pontificis authoritate, à suo Archiepiscopo conuocentur, licet tamen Pontifici eò Legatum mittere, ac Concilio præsidere, quod nulli alteri Archiepiscopo extra suam diœcesim licet.

Similiter Romani Pontificis est, Concilia omnia, etiam Generalia, approbare, postquam celebrata fuerint: vt patet ex ipsis Concilijs, quæ à Romano Pontifice datis literis id petierunt. Nicæuum à Syluestro, Sardicense à Iulio, Constantinopolitanum primum à Damaso, Ephesinum à Cœlestino, Chalcedonense à Leone: & quidem scriptis summa reuerentia literis, in quibus Romanum Ponticem, vt Caput agnoscunt, & summam Marci Antonij superbiam, ac inobedientiam plenissima confessione Pontificiæ dignitatis retundunt.

In quæstionibus circa Episcopos possunt Archiepiscopi causas Episcoporum sibi suffraganeorum iudicare; nemo tamen præter Romanum Pontificem iudicat Episcopos omnes, sed manet intra suam diœcesim; nemo admittit appellationes Episcoporum extraneorum, restituit exauthoratos, rescindit iudicia Concilij: idque quia nullius iurisdictio est Vniuersalis. Solus Romanus Pontifex, tanquam B. Petri plenus successor id potest; vt in Athanasij Alexandrini restitutione, & Dioscori similiter Alexandrini exauthoratione, alijsque exemplis, per omnes Patriarchales sedes, patebit cap. seq. Nemo etiam vicarios, aut delegatos mittit per omnes prouincias: nemo Archiepiscopus alteri mandat, vt sua potestate, tanquam illius Vicarius, aliquid agat: sicut Cœlestinus mandauit Beato Cyrillo, Syluester Osio, Leo Vincentio in Concilijs generalibus: & missi semper in Orientem Apostolicæ Sedis Legati, qui hæreticos reconciliarent, schismaticos vnirent, tempestates Ecclesiæ componerent.

Denique quod ad mores attinet, quæstionem vniuersalem de die Paschatis nemo determinauit præter Romanos Pontifices Pium, & Victorem: & licet Asiatici tentarint celebrato Concilio in sua consuetudine permanere, vt 14. luna celebrarent cum Iudæis; præualuit tamen sententia Victoris, & Quartadecimani habiti sunt deinceps pro hæreticis.

Ostendam hæc omnia pleniùs, vbi ad sequentes Marci Antonij libros peruenerimus; hìc tamen ea breuiter indicare volui, ve intelligerent omnes Marcum Antonium à tota antiquitate, & Ecclesiæ prima administratione peregrinum esse, longèque recedere.

Propositio Quinta.

35 Etsi Apostoli fuerint Vicarij Christi generales; nullo modò tamen fuerunt Vicarij Christi, æque, vt Petrus.] Hæc conclusio, est directè contra titulum, quem Marcus Antonius, capiti quarto primi libri præscripsit. Et ex his, quæ cap. præcedenti dicta sunt, facilè probatur. Etsi enim Apostoli acceperint à Christo legationem ad omnia loca, & ad omnes Episcopales actus; adeòque habuerint totam amplitudinem potestatis Episcopalis; in hoc tamen à Beato Petro differebant, quòd hanc potestatem ad alios non transmiserint. Atque ita indicant hanc conclusionem inter PP. ij omnes, quos superiori capite citaui, qui docent Ecclesiam à solo Petro Cathedræ vnitatem accepisse. Similiter, qui Petrum cæteris omnibus fatentur Prælatum, vel alios Apostolos ei in administratione posthabitos: neque enim potest esse æqualitas per omnes modos; vbi Prælatura est: & si aliqui Patres inter Apostolos agnoscant æqualitatem; intelligi debet, vt superiori capite dixi, non de æqualitate successionis, sed de sola amplitudine potestatis, & de æqualitate locorum, ac obiectorum.

CAPVT V.

Quod Primatus B. Petri, quem Patres ei tribuunt, non fuerit pure personalis ob ætatem, vocationem, vel dilectionem; sed ad omnes eius successores Romanos Pontifices transierit.

M. Antonius non vult videri totus PP. auctoritatem reijcere, audet tamen eludere, num. 1. & 2.
Priuilegia B. Petri non fuisse solùm personalia, num. 3. & 4.
Responsio M. Antonij refutata, num. 5.
Demonstratio Primatus successorum B. Petri ex historia B. Athanasij, num. 5. & seq. vsque ad 19.
Item ex historia Concilij Ephesini, num. 19. 20. 21. 22.
Ex officio Apostolicæ Legationi, quod solet committi Archiepiscopo Thessalonicensis, num. 23. 24. 25. 26.
Ex potestate Rom. Pontificis in Patriarchas Antiochenos. num. 27. 28. 29.
Ex potestate eiusdem in Patriarchas Hierosolymitanos, vbi de Hierosolymitani Patriarchatus initio, & progressu, num. 30. 31. 32. 33.
Ex potestate eiusdem in Patriarchas Constantinopolit. num. 34. 35. 36. 37.
Ex potestate eiusdem in prouincias Africanas, num. 38. 39. 40.
De prouincijs Europa, num. 41. 42. 43.
Epilogus Capitis.

1 Fecisset libenter Marcus Antonius plenam Pontificiæ in B. Petro potestatis, primatusque subuersionem; sed quia necdum videri vult eò peruenisse, quò is, qui omnia contemnit; vt impietas gra-

gradum habeat, videri vult pro Sanctorum Patrum reuerentia aliquem saltem Beato Petro primatum concessisse; tam enim frequentia simul, & euidentia sunt de hoc primatu testimonia, vt facilè videat, ea à se sine grauissima inuerecundiæ, & *philautias* nota reiici non posse.

Ne tamen ex hoc sententijs superioribus præiudicet quicquam, suspenso gradu incedit, easque dumtaxat allegar huius primatus rationes, ex quibus nihil aduersùs ipsum concludi possit: quasi ideò solùm B. Petrus Apostolorum princeps, quia

Primus (ætate,
(vocatione,
(charitate;

ac tandem numer. 19. concludit. [Totum porrò hunc primatum Petri, hactenus expositum, & à nobis confirmatum fuisse personalem in Petro, non videtur ambigendum esse; sicuti, & causæ ipsius primatus non erant nisi personales; adeò Petri propriæ, vt non possint vllo modo à Petro communicari. vel ad alterum transire; vt quòd erat ætate omnibus senior, quòd fuerat primus vocatus, & factus Apostolus, quòd virtute præsertim charitatis, maximè excellere, atque adeò quòd vti primogenitus, & procurator reliquorum Apostolorum, ac totius Ecclesiæ repræsentator esset institutus. Atque hunc solum primatum conuincunt, & non alium maiorem, plurima diuinæ scripturæ, & Sanctorum Patrum loca, quæ postea recensebimus. Quoniam verò primatus huiusmodi Monarchiam non constituit, vt per se est notissimum, & optimè stat, cum omnia Apostolorum plena, & æqua regendæ Ecclesiæ auctoritate Monarchici ex eo nil habent.

2 In huius capitis disquisitione nihil opus est de veritate eorum, quæ ad Beati Petri ætatem spectant, scrupulosius disputare, etsi enim B. Epiphanius Petrum Andrea Iuniorem fuisse scribar; largiamur tamen hoc tanquam proposito nostro, minùs siue vtile, siue inutile, & sit B. Petrus inter Apostolos omnes primus ætate, vocatione, charitate, nihil tamen ex eo catholicæ doctrinæ veritas læditur, dummodò non solis his titulis illius primatus, & dignitas æstimetur: veraque primatus dignitas ad illius personam non ponatur restricta, sed cathedræ, id est, omnibus illius in episcopatu successoribus sit communicata. Hoc enim est, quòd præcipuè Catholici asserunt, & M. Antonius negat, Et quantumuis id sequentibus capitibus plenissimè disquisituri simus (vbi scripturas, quibus hæc ei potestas confertur, examinabimus) ponam tamen hic breue, & maximum huius rei iudicium, ex quo pareat priuilegia Beati Petri non fuisse solùm personalia. [Si B. Petrus solùm inter Apostolos dicitur primus, ob personalia priuilegia, (id est, ob ætatem, charitatem, & primam vocationem,) nihil hoc facit cathedram illius, & dignitatem successorum:] qui alijs postea Episcopis sæpius fuerunt ætate iuniores, aut charitate minùs feruentes.

[Atqui constat primatum in B. Petri cathedra ita permansisse, vt etiam ad successores transmissa sit] illique in eandem potestatis, & primatus plenitudinem, in Ecclesiastica administratione, cum B. Petro participarint.

Ergo; [Alius est primatus præter dignitates illas personales,

4 In hoc discursu, si quis primam propositionem neget, nescie quid sit personale priuilegium, aut quid his vocibus significetur: id enim vocamus personale, quòd ita alicui personæ conuenit, vt conueniat ei soli, quale fuit priuilegium Adami, & Salomonis, quòd habuerunt infusam diuinitùs rerum omnium scientiam: aut donum fortitudinis in Samsone, propter nasareatum.

1 Distinguimus enim tria priuilegiorum genera; vnum, totius naturæ; quale fuisset donum institiæ originalis, quòd transfundendum ad omnes, qui eandem naturam participassent, nisi Adamus peccato id amisisset.

2 Alterum totius familiæ, vel officij, quod ad eos solùm transit, qui eiusdem familiæ, aut officij sunt, vt in humanis principum priuilegijs, & indultis contingit, & in re ecclesiastica videmus officijs Archidiaconalibus, Præposituris, alijsque priuilegia sua annecti solere, quæ ad omnes transeunt, qui in idem officium succedunt, tale est dignitas secundi Patriarchatus in Sede Alexandrina, & tertij in Sede Antiochena, vt ex Concilio Nicæno, & epistola Beati Leonis, capit. supr. citata constat. ac talem nos quoque dicimus dignitatem Romani Pontificis, qua curam, & auctoritatem habet, super omnes Ecclesias, ex eo, quia in Beati Petri officium succedit.

3 Tertium denique est priuilegium personæ, quòd soli illi personæ conuenit, cuius priuilegium esse dicitur, adeòque ad successores non transit, quale fuit in Beato Cyrillo Alexandrino Patriarcha, quòd tanquam Apostolicæ Sedis Legatus Concilio generali præsederit; etsi enim ad cæteros Patriarchas eius successores transeat dignitas secundi Patriarchatus, quia hoc est priuilegium Sedis; tamen non transit dignitas Legati Apostolici, quia fuit priuilegium personæ.

4 Ad alteram verò propositionem, quòd attinet, qua asserebamus primatum Beati Petri in successoribus eius permansisse, vix est, vt eam probemus, si modò Patrum sententijs, & Ecclesiarum omnium actis vllus est locus; tot enim sunt huius rei per omnes ætates, omnesque Ecclesias documenta, & quidem à sanctissimis pariter, & doctissimis Episcopis, Athanasio, Chrysostomo, Mena, Ignario, & alijs exhibita, vt non potuerit Ecclesiæ Romanæ nobilius testimonium perhiberi.

Incipiam ab Alexandrina Sede, tanquam inter cæteras primaria, & Romanæ quò ad dignitatem Ecclesiasticam proxima. Ex Ægypto Athanasius Alexandriæ Patriarcha, cum omnibus Ægypti Episcopis propter crebras Arianorum contrà Athanasium insidias, subsidium à Liberio Pontifice, sicuti antea ab eius antecessore Iulio fuerat idem expertus, petens. Vniuersalis, air vobis à Christo commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferrè non negligatis.] Respon-

ſpondee ad hoc eeſtimoninm M. Autonius vniuerſalem Ecclefiam eo ſenſu dici Liberio, vel Romano Pontifici commiſſam, quo eriam de ſingulis Epiſcopis dicere poſſumus, quòd ad eos ſpectet, non tantùm creditarum ſibi particularium, ſed etiam omnium vtilitati inuigilare, etiamſi ex bac ſolicitudine illi non præſint immediatè omnibus.

Et quia vnica hac ſolutione athitratur. ſe omnibus ſimilibus teſtimonijs pleniſſimè poſſe ſatisſacere; abſtinui pro nunc à plurium citatione, vſque dum reſponſionis huius ſoliditas plenè fuerit examinata, & infirmitatis, imò falſitatis conuicta.

5 Itaque quantùm in hac reſponſione, eum à veritare, tum ab antiquioris Eccleſiæ ſententia exerrer, facilè ex actis Conciliorum, Patrumque ſcriptis colligere poſſumus. Nullius enim Sedis ſiue Epiſcopalis, ſine Patriarchalis, ca ſunt apud Patres Elogia, quæ Sedis Romanæ; nullius Pontificis tot, non dico honorarij ſolum tituli, ſed acta per omnes Eccleſias, imò & generales Synodos, vt in ſequentibus patebit, cum poreſtate adminiſtrara; ex quibus facilè videant omnes, quòd Patres illi alind aliquid Romano Ponsifici in vniuerſalem Eccleſiam, quàm cæteeis Epiſcopis tribuerint.

Atque vt in ipſa hac Athanaſij hiſtoria idipſum clariſſimè videamus, totam eius ſeriem, rerumque geſtarum ordinem examinare operæpræzium erit, idque non niſi ex ipſis Athanaſij ſcriptis, qui ſicuti optimus, ità ſine dubio fide digniſſimus teſtis, vtpotè qui nec mentiri velit, nec falli potuit. Vigebat id temporis toto paſſim Oriente Arianiſmus, cui quia inuicto animo ſe opponebat Athanaſius, plurimas ſemper Arianorum inſidias patiebatnr, quibus illi eum, falſis criminib. circumuentum, nitebantur Synodali iudicio ab Epiſcopatu exauctorare. Ità factum ſub Iulio Romano Poutifice in Synodo Antiochena, circa annum Domini 341. & aliquot annis anre in Synodo Tyria, viuente adhuc B. Siueſtro Papa, circa annum Domini 335. in qua cum Athanaſius, agente Euſebio Pampbili Cæſareæ Epiſcopo, & Concilij Præſide, damnatus eſſet, Epiſcopis tamen Catholicis reclamantibus, vt propterea Iulius Papa poſtmodum meritò ſcripſerit, eum Tyri damnatum non eſſe, ille ad Conſtantinum Imperatorem confugit, innocentiæ ſuę præſidium petiturus, ciratique ſunt ſequent. anno 336. Epiſcopi omnes, qui Tyriæ Synodo iuterfuerant, Conſtantinopolim; venerunt tamen ſolummodo hi ſex; Euſebij duo, id eſt, Nicomedienſis, & Cæſarienſis, Patrophilus, Theognis, Veſacius, & Valens, qui cum mendaciter impoſuiſſent Athanaſio, quòd minatus fuiſſet impedirurum, ne, Alexandria ſrumentum deueheretur Conſtantinopolim, ita grauiter Imperatoris in eum iram exacerbarunt, vt inauditum in Gallias per milites deporrari iuſſerie.

6 Indè mortuo poſt bienninm Conſtantino Patre, munitus literis Conſtantini filij, poſt quam, vt Theodoretus ſcribie, biennio integro, & quatnor menſibus Treuiris commoratus fuiſſet, Alexandriam reuertitur anno Domini 338. quòd cum Euſebiani indignè ferrent, ad Iulium Romanæ Sedia Epiſcopnm rem omnem perſcribunt, ſed calumnloſè omninò, & mendaciter, ve Epiſcopi Ægyptij paulò poſt in epiſtola ſua Synodali, ex Concilio Alexandrino ad eundem Iulium, vt Athanaſius in 2. ſua apologia teſtatur ſcripta, conqueſti ſunt, petuntque, vt eata habeatur illius damnatio Tyri facta, cum verò etiam Athanaſius eò ſuos Legatos miſiſſet, quid vtrique pro cauſa ſua egerint, ità Iulius Papa hiſtoricè narrat.

Legati veſtri Macarius presbyter, & Heſychius Diaconns, nullo modo cum huc veniſſent, plures presbyteris ab Athanaſio miſſis fuere, ac ſemper ab illis conuicti refutatique, Concilium indici poſtularunt, literaſque ad Euſebianos, & Athanaſinm Alexandriam, quibus conuocarentue, mitti; vt coram omnibus iuſto iudicio de cauſa cognoſci poſſet: tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod iam nequirent: publicè enim coram nobis Martyrius, & Heſychius refellebantur, Athanaſij presbyteris bona cum fiducia alacriter eeſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis, ſi vera dicenda ſunt, vbique profligabatur, ac proindè concilium generale poſtolauit.]

7 Cùm verò eandem Arianorum, ſeù Euſebianorum legati Roma noctu, & quidem graui valitudine (vt idem Iulius narrat in eadem epiſtola) aufugiſſent, ne videretur Iulius Euſebianos opprimere, indixie ſynodum, omneſque Romam citanit, miſſis in orientem Elpidio, & Philoxeno legatis, vt teſtatur Athanaſius In epiſt. ad Solitarios, & paruit quidem Athanaſius, expectauitque adnerſarios ibi anno, & ſex menſibus; illi verò non auſi comparere, excuſarunt ſe partim metu belli Perſici, partim quòd deſtinerentur ab Imperatore Conſtantino ad dedicationem templi Antiocheni (quod ob ſui excellentiam Dominicum aureum vocabatur) itaque impetrata facultate à Iulio conuocandi Concilium, vbicumque ipſis opportunnm foret, Antiochię conueninue ad Synodum Epiſcopi 90. vt habet S. Athanaſius, vel 97. vt S. Hilatius numerat, ex quibus maior longè pars Orthodoxa, ac 36. ſolùm Ariani, vt ex epiſtola Iulij Papæ apud Athanaſ. apol. 2. poſtmodum ſcripta patet. Cœterùm, qui Arianorum dolos præſenſerant, licèt vocati, tamen intereſſe noluerunt, ſed & inter alios; inquie Socrates, [qui haud longè diſtabar, Maximus Epiſcopus Hieroſolymorum, qui Macario ſucceſſerat, neutiquam acceſſit, ratus, ſi acceſſiſſet, ſe compulſum iri Athanaſij abdicationi ſubſcribere. Quin etiam Iulius Romanus Epiſcopns neutiquam aderat, neque quemquam, qui eius locum ſuppleret, eò miſie; cum canon Eccleſiaſticus iubeat] non oportere abſque ſententia Romani Pontificis decreta Eccleſijs ſancire [cogitur itaque Concilium Antiochiæ, præſente Imperatore Conſtantino, Marcello, & Probino conſulibus, quintus iam agebatur à morte Conſtantini, iſtorum Cæſarum Auguſtorum, Patris annus.]

8 Ac tum quidem ab illis 36. damnatus iterum eſt Athanaſius; retentique ſunt in oriente fraudulenter Legati Poutificij, vſque ad finem Synodi, & ſubſtieutus eſt in locum eius, Georgius quidam ſiue Cappadox,

ſiue

siuè Cilix antea excommunicatus &c.

At verò Iulius Papa ad Concilium rescribens, de his omnibus grauiter conquestus [Prorsus, ait, ignoro, quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primum enim (si verum est dicendum) non decebat, cum nos ad celebrandamSynodum literas mitteremus aliquos præoccupare iudicium Synodi: deindè non decuit nouos istos modos contra Ecclesiam induci, vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus canon? aut istiusmodi traditio Apostolica, vt in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio existente, immittere Gregorium, peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris: eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque indè deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconibus ciuitatis, non cum Ægypti Episcopis, sed cum militibus? hæc enim dixere, & conquesti sunt, qui huc venerunt. Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem noui Episcopi, ita illegaliter, & præter canonem Ecclesiasticum fieri: sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, atque ex ipso clero prouinciæ eius Episcopos constitui: & nequaquam ex illis, qui nunc Apostolorum canones violant.]

Simul verò congregata Romæ Synodo alia, Athanasium absoluit, & in communionem recepit, ad eosdem de hac re ita scribens. [Qui sunt igitur, qui contra canones agunt? Nosne, qui cum tantis rerum documentis virum recipimus, an qui solùm ad 36. suffragia eorum, qui Antiochiæ fuerunt, externum hominem] (id est, qui ante non fuerat ex gremio Ecclesiæ Alexandriæ) Episcopum salutarunt.

9 In eadem Synodo acta est causa Marcelli Ancyrani, qui cum ab Arianis similiter damnatus esset, Constantinopoli perindè, ac si Sabellianus esset. Romam appellarat, damnatoresque suos eodem citari, in Concilio petije, & impetrauit, factumque id per eosdem Elpidium, & Philoxenum, & cum illi non comparerent, simul cum Athanasio absolutus est, vt ex eis constat, quæ habet Epip. hæresi 73.

10 Sed hæc nunc seponamus, maneamusque in actis Athanasij, quem cum Episcopi Antiochiæ congregati, intelligerent Romæ absolutum, tunc demum Legatos Romanos remiserunt, literisque ad Iulium Papam datis, quas Legati hi detulerunt, questi sunt.

1. Quòd Romam citati essent.
2. Quòd tempus præfixum fuisset angustum.
3. Quòd non opus esset in alia Synodo retractari, quę in vna essent decreta
4. Quòd non debuisset Iulius examinare, & labefactare, quæ ipsi in Synodo Tyria decreuerant; cum nec ipsi ea labefactassent olim, quæ Romæ contra Nouatum erant decreta.

Imò ne hac in re, vel Imperatoris Occidentalis rescriptum, vel Liberij decretum Athanasio multùm prodesset, in Concilio suo iam statuerant canonem duodecimum [Si quis à proprio Episcopo depositus, vel Presbyter, aut Diaconus, aut etiam n à Synodo quilibet Episcopus fuerit exauctoratus, molestiam imperialibus auribus inferre non presumat, sed ad maiorem Episcopum Synodum sese conuertat, & quæ se putat habere iusta, in eorum Concilio alleget, atque ab his deinde exspectet, quæ fuerit deprompta sententia. Quòd si deficiens pusillanimitate, hoc noluerit facere, sed Imperatori fuerit importunus: huiusmodi nullam veniam, neque locum illius restitutionis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.]

In quo, etsi non fiat aperta mentio, aut prohibitio appellationis Romanæ (neque enim eam apertè vetare audebant) occultè tamen hoc spectatum est, vt Athanasio, & Marcello, alijsque ex Oriente Episcopis, qui plures Romam ex Thracia, Syria, Palæstina &c. confluxerant (eò quòd ab Eusebianis iniurias passi, vel etiam sedibus eiecti essent, vt testatur Athanasius apolog. 2.) appellatio nihil prodesset.

11 Vidimus rem totam eo deductam Marce Antonij, quo tu deducere conaris; statutamque Ecclesiam à proteruis quibusdam in eum statum teipsa, qualem tu calamo depingis, & proponis, sed; Vide, qui tui antecessores, Ariani; si non aperti, saltem clanculatij. Eusebius Nicomediensis, & alij totius Ecclesiæ perturbatores: in quorum numero, si tu reponi velis, noli tamen indignari, quòd nos sortem Beatissimi Athanasij preeligamus. Nam præterquam quod nos eo inuitet notissima toto orbe Viri sanctitas, & inconcussum Orthodoxę religionis asserendę studium, hoc ipsum apud te recogites velim, quid mirum si Eusebius cum suis contra mores Ecclesiæ, Iuraque innocentium patrocinio diuinitus instituta, peccent; qui contra fidem, Orthodoxamque religionem prius grauissimè peccauerunt, & quo essent in Ecclesiam animo, satis testati sunt, in eisdem illis ad Iulium literis, de quibus ille ita modestissimè rescribit.

[Legi epistolam vestram, quam mihi Presbyteri mei Elpidius, & Philoxenus attulerunt, miratusque sum, cum à nobis ex vera dilectione, & bona conscientia scriptum esset, contentiosè à vobis, & non vt decuit rescriptum esse. Fastus enim, & arrogantia scribentium in epistola apparebat. Atqui aliena sunt ista à fide in Christum: decet enim eum, qui cum dilectione ad vos scripserat eandem vicissim dilectionem, non autem contentionem referre, & paulò post: ego certè, inquit, cum literas vestras euoluerem, post varias vltrò, citròque cogitationes, eas supprimendas putaui, ea spe, quòd crederem saltem aliquos ex vestris aduenturos, nec opus fore istiusmodi epistolis; ne, si illæ in publicum promerentur, multos hic dolore afficerent. Cęterùm vbi nullus vestrum superuenerat, necessum fuit, vt eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni, vix induci poterant, vt crederent istiusmodi literas à vobis profectas esse, in quibus rixandi potius, quàm charitatis affectus eminebat. Quòd si ambitione ostentandæ eloquentiæ ita exceptæ sunt à dictatore; id certè studium ad alios spectat. In rebus enim Ecclesiasticis non speci-

men

men eloquentiæ, sed Apostolici canones requiruntur: operaque dari solet, ne quis ex paruis in Ecclesia scandalizaretur.]

Poterat sanè, ac debebat Marce Antoni, ad sententiæ tuæ conuulsionem, sufficere eorum impietas, quos in hac opinione antecessores habuisti; ne tamen putes nos ex solis hominum vitijs doctrinę tuæ voluisse detrahere, audi quid de huius Concilij Canone, in quo aliquod Aristocratiæ tuę præsidium sperare, ac reponere posses, non Iulius solus; sed Sardicense Oecumenicum Concilium statuerit. Episcopi, inquam, pro Papa, & quidem Episcopi plus quàm trecenti, vt Athanasius scribit Apolog.2. cique, vt idem ait in epistola ad Solitarios, ex pluribus quàm 35. prouincijs congregati; nempè, vt idem habet Apolog.2. ex prouincijs Ægypti, Libyæ, Pentapolis, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysię, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Thessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Scythiæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceniæ, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ. Bruriorum, Siciliæ, Africæ, vniuersę Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum. Vel, vt ipsa Synodus in epistola sua encyclica eos recenset; [Sanctum Concilium ab Episcopis Romæ, Hispaniæ, Galliæ, Italię, Campanię, Calabrię, Africę, Sardinię; Pannonię, Mysiæ, Dacię, Dardanię, & Dacię inferioris, Macedonię, Thessalię, Achaię, Epiri, Thraciæ, Thodopę, Asiæ, Carię, Bithynię, Hellesponti, Phrygię, Pisidię, Cappadocię, Ponti, Phrygię minoris, Cilicię, Pamphilię, Lydię, insularum Cycladum, Ægypti, Thebaidis, Libyę, Galatię, Palęstinę, Arabię.]

Ex his inquam, vide, quid ante 1200. annos, & antecessores tui Dalmatę, qui inter cæteros hic quoque recensentur, & vniuersus Christianus Orbis senserit: nam Can. 4. ità ibi statutum.

13 [Quòd si aliquis Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum iudicium renouetur, si vobis placet sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur, vel ab his, qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices, si autem probauerit talem causam, vt ea non rescitentur, quę acta sunt: quę decreuerit Romanus Episcopus, confirmata erunt, si ergò omnibus placet, statuatur. Synodus respondit; placet.]

Cui statim canone 5. Gratus Carthaginensis post Cœcilianum Archiepiscopus, & Africę primas subiunxit. [Addendum est, si placet, huic sententię, quam plenam sanctitate protulistis, vt cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in Vrbe Roma, alter Episcopus in eadem cathedra (post appellationem eius, qui videtur esse depositus) omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata.]

Rursus verò can. 7. addit Osius [Placuit, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanę Ecclesię, & voluerit se audiri, si iustum putauerit, vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episc. Rom. quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui pręsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.]

14. Faciat nunc apud se lector accuratam totius huius historiæ æstimationem, & facilè videbit, quàm calumniosè, & proteruè M. Antonius eam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, qua in rebus Ecclesiasticis, & Episcoporum controuersijs vtitur, scribat tyrannicam esse, & vi, ac dolo malo quæsitam, & Ecclesiæ primitiuæ ignotam, numquid in Ecclesia primitiua censendi Athanasius, & Osius maxima Concilij Nicæni lumina, qui ipsi Concilio, vel præfuerunt, vel ad fœlicem illius consummationem fortissimè laborarunt. An tantos Patres arbitramur acta, statutaque Concilij Nicæni, vel ignorasse, vel violasse? non potuisset Eusebianis melior, aut gratior dari occasio damnandi Athanasium, quàm si illum demonstrassent Nicænæ Synodi, aut statutorum eius, præuaricatorem. Cùm ergo Athanasius Romam appellarit, immò & Eusebiani priùs sua sponte ad Iulium rem omnem perscripserint, coram illo per Legatus egerint, vt datam à se contra Athanasium sententiam illi probarent, & quæ à toto Concilio statuta erant, ab vno Romano Pontifice approbarentur, qua fronte potuit M. Antonius rem hanc Pontificibus exprobrare, tamquam nimiæ auctoritatis vendicatoribus, & in sedem suam, propriumque fastum nimis indulgentibus. Meliùs sanè, firmiusque nobis Catholicis licet ex his concludere auctoritatem hanc, ex beati Petri auctoritate natam, & cum Ecclesia per omnia sęcula conseruatam, nec sine speciali Dei prouidentia permissum, vt primarij Ecclesiæ Orientalis Doctores ad præsidium Romanæ Sedis confugerent, quo haberent posteri certissima documenta, vt non minùs ab his Patribus discerent vnionem, & reuerentiam Cathedræ Petri, quàm ab eisdem didicerunt vnitatem, & veritatem Orthodoxæ fidei.

15. Neque verò quicquam nobis officit canon, quem in Antiocheno Concilio statutum fuisse paulò ante dixi. Nam cum postmodum in causa beatiss. Chrysost. idem canon, iustitiæ, innocentiæque illius defensoribus, ab aduersarijs eius objiceretur; illi contra apertè responderunt, canonem ab Arianis esse sancitum, & in Concilio Sardicensi abrogatum. Innocentius quoque Papa ad Clericos Constantinopolitanos scribens, in

eadem

eadem Chrysostomi causa, de hoc ipso Canone, aut alijs ei similibus. Si qui, ait, & alij canones, scilicet à canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur; hi verò ab Episcopis Catholicis rescinduntur; hæreticorum enim commenta Catholicis canonibus assuere non licet: semper enim vel per contraria, vel per illicita labefactare voluntatem student Concilij Nicæni. Non solùm igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potiùs cum hæreticis, & schismaticis condemnanda; quemodò, & anteà in Sardicensi Synodo ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est; nam sanè longè præstiterit, vel ea condemnari (fratres charissimi) quæ rectè facta non sunt, quàm ea robur vllum sortiri, quæ aduersus ipsos canones acta sunt.

Neque potest quisquam, si rectè rem expenderit, non ità apud se statuere: pro causa, & iure Romani Pontificis stant Athanasius, Osius, totum Concilium Sardicense, qui directè asserunt posse Romanos Pontifices, imò debere Episcoporum causas xiiudicare: Concilium Antiochenum id non negat, nec facit vllam mentionem Papæ, & licèt negaret, tamen fuit Concilium Eusebianorum, neque Catholici, qui erant potior pars, in eius acta consenserant. Signum ergo est, quòd bonis omnibus ab initio probata fuit Rom. Pontificis Vniuersalis auctoritas.

16 Vt verò ad Concilium Sardicense reuertamur; hoc insuper in eo obseruandum, quod post absoluta, quæ illic tractari debuerant, negotia, Patres concorditer ad Iulium Romanum Pontificem ita rescripserint: Hoc enim optimum, & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibuscumque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.

Quòd si ad omnia hæc animus tibi obduruerit M. Antoni, & cauteriata conscientia, in statuta semel impietate perseuerat; vnum adhuc ad extremum præcipitium superest, vt secessione facta, hoc facias, quod Arianos Sardicensis Concilij profugos fecisse, Sozom. lib. 3. cap. 10. scribit, qui primùm confirmatis eis, quæ de Athanasio, Paulo, Marcello, & Asclepa statuerant; Iulium Episcopum Romanum, deindè Osium, deinceps Maximinum Treuiris Episcopum, prætereà Protogenem Sardicensem, & Gaudentium abdicarunt, omnibusque Episcopis per literas significarunt, vt neque in communionem illos reciperent, neque scriberent ad eos, neque literas ab eis reciperent. Præcipitat enim se impietas, & gradatim crescit.

17 Illud interim mihi solatio futurum, quòd, licèt te hîc totius Orbis consensus minùs moueat, alios tamen prudentiores facilè mouebit, dum vident nihil aliud tribui Romanis Pontificibus hodie, quod non eis ab inimicis pariter, & amicis delarum antiquitus. Non sunt ista, quæ scripsi, domestica ipsorum Pontificum testimonia, sed Episcoporum omnium, quibus, cur Episcopus vnus (Tu inquam) præferri debeat, nulla ratio, præsertim cum nullos habeas sententiæ tuæ patronos, nisi eiusdem Concilij, idest, totius Ecclesiæ profugos; qui tamen ipsi priùs ad Sedem Romanam rescripserant; cur? nisi quia non ignorabant, quanta esset illius ab initio auctoritas, & quæ soleret esse ab antiquo consuetudo, vt proindè eis posteà Iulius in simili causa exprobrarit, quòd ea, quæ egerant, contra omnem Ecclesiasticam antiquitatem, & canones acta sint.

Neque mirum est, eosdem Episcopos postmodum Iulij citationes grauiter accepisse: nam qui malitiæ indolem nouit, & ad exempla attendit, facilè videt, ità semper accidere, vt bona, quæ initio peruersionis retinuerunt, adhuc sibi ex animo ea seruantes, sic sub eis mala sua fęlicius protrusuri, paulatim reijciant; prout nostris quoque seculis in Luthero vidimus, qui cum primo omnia sua Papæ, & Ecclesiæ iudicio submitteret, tandem effractis verecundiæ repagulis, cœpit vtriusque auctoritatem conuellere, & simili audacia cum Eusebianis illis Papam excommunicare, vir apostata, homo inutilis. Atque vt Papam tantisper seponamus, in quem videris iam tunc cum libros tuos scriberes, omne virus collegisse, (multæ enim hîc istic vomicæ, testes latentis apostemitis;) cedo; de Parisiensi Sorbona quid facies, ad cuius censuram appellasti? aut de Patauina schola? ipsi videbimus eodem supercilio contra has audebis assurgere, licèt collaudatas à te; si aduersum te sententiam dixerint: quo contra beati Petri Sedem, cuius iurata tibi obedientia; (non ex mente tua, sed ex Ecclesiæ vsu, & Concilij Tridentini præscripto:) qui peierare non erubescis, non erubescet laudes Sorbonæ retractare.

Est in eadem Alexandrina Sede aliud non minùs apertum Pontificij primatus testimonium; nam cum Nestorius Constantinopolitanus Patriarcha hæresin contra Domini nostri Diuinitatem iam publicè spargeret, neque priuatis beati Cyrilli epistolis ab errore posset reuocari; monuit Cyrillus de eadem re Romanum Pontificem Cœlestinum; qui non tantùm Nestorio terminum resipiscentiæ ex auctoritate præscripsit, sed & Cyrillo vices suas; tamquam Apostolico ex tunc Legato, demandauit; vt contra Nestorium excommunicationis, exautorationisque sententiam ferret, nisi infra præscriptos dies hæresin retractaret; vt ex eiusdem Cœlestini epistola, quam ad Cyrillum perscripsit, constat. Verba eius sunt: Quam ob rem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus eiusmodi, non absque exquisita seueritate sententiam exequeris; nempè vt nisi decem dierum interuallo, ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio Christiana prædicat, illicò sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat, vt qui omnium medentium curam aspernatus, necnon instar pestiferi morbi, per vniuersum Ecclesiæ corpus insano modo grassatus, tam seipsum, quàm cæteros omnes sibi commissos in extremum exitium præcipitare studuerit. Eadem hæc, & ad sanctos quoque fratres, & Coepiscopos nostros,

Ioannem Rufum, Iuuenalem, & Flauianum, perscripsimus, quo nostra, immò verò diuina Christi Domini nostri sententia pluribus de eo sit manifesta.

20 Quæ in re, duo simul habemus documenta ad rem præsentem.

I. Potestatem Cœlestini in Patriarchas Constantinopolitanos.

II. Plus fuisse in Cyrillo; agere Legatum Cœlestini, seu Pontificis Romani, quàm officium Patriarchæ Alexandrini, datumque ei ratione huius legationis, quod alioqui non conueniebat ei plenè ratione Patriarchatus. Etsi enim etiam tunc Alexandrinus Constantinop. prior esset dignitate Patriarchali; quia tamen Romanus erat Alexandrino superior, debebatur Iudicium Nestorij, arbitrio, & examini Cœlestini.

21 At verò illud nunc apud se dispiciat lector, quo modo M. Antonius totam hanc commissionem, legationemque putat feliciter diluisse. Cœlestinus, ait, mandauit quidem Cyrillo, vices suas; non quòd nullam potestatem, aut iurisdictionem in Nestorium reuera haberet, quòd totam hanc auctoritatem sibi ipsi vendicaret. Os hominis! Quæstio nostra est? an Orthodoxi id temporis talem in Cœlestino, tamquam Romano Pontifice, potestatem agnouerint re ipsa, & reueriti fuerint; tu negas: atqui non es homo illius temporis. Dicat Cyrillus, (qui tunc vixit, & ab orthodoxia celeberrimum vbique nomen habuit) & quidem in epistolæ, quam Synodi Alexandrini nomine, ad totum Clerum Constantinopolitanum, cuius sine dubio intererat, perscripsit: [Quia, ait, partim ex his, quæ publicè apud vos pro concione proponere non cessat, partim rursùs ex editis ab illo exegesibus, grauiter eum seductum, neque vulgari quoque perfidia, & impietate irretitum comperimus; ad eam necessitatem adigimur, vt Synodicis literis testatum illi facere cogamur, quod nisi ocyssimè, hoc est, intrà præfinitum à Cœlestino, Romanæ Ecclesiæ Episcopo, dierum spatium doctrinæ suæ nouitatibus nuncium remittat, eaque, quæ apud vos docuit, suisque libris inseruit, vel inseri sanè curauit, suo chyrographo anathematizet, nullum nobiscum consortium, neque vllum in posterum inter Sacerdotes Dei locum exhibiturum esse; sed ab omnium societate prorsùs alienum fore.]

22 Quod autem addit Pontifex in Epistola num. 19. citata se eadem hæc ad Coepiscopos, & fratres suos Ioannem, Rufum, Iuuenalem, & Flauianum perscripsisse, ideò factum est, quia si 4. erant Primarij totius Orientis Prælati. Nempè; Ioannes, Patriarcha erat Antiochenus, Rufus, Archiepiscopus Thessalonicensis, cui Sedi solet esse annexa ordinaria Legatio Sedis Apostolicæ, vt ex Epistola beati Leonis patebit in seqq. Iuuenalis erat Patriarcha Hierosolymitanus. Flauianus denique Archiepiscopus Philippensium, qui Rufi (fortè infirmi, & ab ordinaria suæ legati functione impediti) personam sustinebat, vt ex actis eiusdem Concilij patet.

23 Atque hinc sumi potest nouum argumentum, quo Primatus Romanæ Ecclesiæ, & successorum S. Petri in Oriente potestas confirmetur. Nam quid opus erat Thessalonicæ habere Legatum, seu Apocrisarium, qui illic ad consulta responderet, si neque essent, qui consulerent, neque is, qui consuleretur auctoritatem respondendi, & causas, controuersiasque emergentes decidendi haberet? Miror quomodo M. Antonius hodie ausus fuerit responsiones tales ad Catholicorum argumenta comminisci, cum facilè apud se perspicere potuerit ex eis necessariò alterutrum consequi, nempè quòd vel potestas Legatorum istorum tunc temporis ridicula fuerit, neque ab alijs agnita; vel quòd ipse ridiculè responderit de vendicationibus potestatis Romanæ, antè aliquot primùm secula inchoatis, & primitiuæ Ecclesiæ ignotis.

24 At verò, quòd potestas illa tunc tēporis non minùs nota fuerit, atque accepta, quàm hodie est potestas Pontificiorum Legatorum, qui in diuersas Prouincias mittuntur, tum ex Epistola beati Leonis, tum ex Concilij Sardicensis constitutione, satis patet. Scribens enim ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum Leo, non tantùm dicit se illis suas vices delegare, vt M. Antonius rursùs respondeat Leonem sibi arrogare multa, quæ ei non debebantur; sed etiam narrat, quid antecessores sui Romani Pontifices antecessoribus illius delegarint; & cum potestate sua contra Atticum, Epiri Episcopum nimis inordinatè vsus esset, Anastasius eum hac de re corripit, & instruit.

25 Quanta, ait, fraternitati tuæ à Beatissimo Petro Apostolo commissa sunt, & qualia etiam nostro fauore tibi sint credita, si vera ratione perspiceres, & iusto examine ponderares, multùm possemus de iniunctæ tibi solicitudinis deuotione gaudere. Quoniam sicut prædecessores mei prædecessoribus tuis, ità etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices moderaminis delegaui: vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principalitèr ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis, adiuuares, & longinquis ab Apostolica sede prouincijs præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes, quia de continenti, oportunoque profectu promptum tibi esset; quid, vel in quibus rebus, aut tuo iudicio componeres, vel nostro iudicio reseruares.

26 Nam cùm maiora negotia, & difficiliores causarum exitus, liberum tibi esset sub nostræ sententię expectatione suspendere, nec ratio, nec necessitas fuit, in id, quod mensuram tuam excederet, deuiandi, abundant enim apud te, monumentorum scripta nostrorum, quibus te de omni actionum temperantia frequenter instruximus: vt commendatas tibi Ecclesias per exhortationem charitatis ad salubritatem prouocares. Ac post pauca; ad Attici causam transiens plenissimè, deindè totii Apostolici Legati munus, quò ad Episcopos, & Concilia describit. Et quia hac de causa magnus erat Thessalonicæ concursus Episcoporum ex Oriente: hinc in Concilio Sardicensi canone 20. præscribitur, quid Episcopi in hac re agere debeant, & quàm diù illic subsistere, aut ab Ecclesijs suis possint abesse.

27 Post Alexandrinum Patriarcham, secundo dignitatis loco esse solet Antiochenus; quantum verò in hunc Romana sedes possit,

in Concilio Ephesino testatus est Iuuenalis Patriarcha Ierosolymitanus tomo 4. cap. 4. Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus dixit: oportebat quidem Ioannem religiosissimum Ecclesiæ Antiochenæ Episcopum hac sancta, & magna,& œcumenica Synodo considerata, rectè mox citra vllam dilationem ad eorum, quæ illi objiciuntur purgationem accurrere, Apostolicæque sedis magnæ Ciuitatis Romæ auctoritati nobis assistenti, & Apostolico sanctæ Dei Ecclesiæ Hierosolymam antistiti honorem, & obedientiam deferre: præsertim cum Apostolica ordinatione, antiquaque traditione, in consuetudinem abierit, vt sedes Antiochena perpetuò,per Romanã dirigatur, ac iudicetur. Neget tamen hoc M. Antonius, & Apostolicas ordinationes, antiquasque traditiones, melius habeat perspectas post 1600. annos, quàm habuerit Iuuenalis in plena Synodo Ephesina antè annos penè 1200. quibus istæ ordinationes adhuc, vt Iuuenalis testatur, erant in consuetudine. Quàm triumpharet de nobis M. Antonius, si vel vllum tale, pro se testimonium haberet.

Ad exempla,quòd attinet Exemplum huius potestatis,& quidem antiquissimum habemus, sub annum Domini 263. quo tempore Antiochiæ Patriarcha erat notissimus ab impietate dogmatis, Paulus Samosatenus, qui cum doceret:

Primò. Christum purum hominem esse.

Secundò. Christum non extitisse antè Mariam Virginem.

Tertiò. Christum accepisse nomen Filij Dei ex iustis, & bonis suis operibus.

Quartò. In Eucharistiæ sacramento sanguinem Christi esse corruptibilem.

Per Dionysium Pontificem, tunc Romanum conuocata Antiochiæ Synodo damnatus est, vt docet B. Athanasius in libello suo de Synodis.

Alterum huius rei exemplum habemus, sub annum Domini 373. quando Vitalis Antiochiæ hæresis Apollinistarum patronus, atque de ea accusatus, Romam se ad Damasum Pontificem contulit: qui ità eum suscepit, vt totam illius causam Paulino Antiocheno Patriarchæ delegaret per literas; in quibus formulam fidei præscribit, sub qua Vitalis, cæterique omnes in communionem Catholicam admitti possent, ac tandem concludit: Quicumque huic Epistolæ subscribere voluerit, ità tamen, vt in Ecclesiasticos Canones, quos optimè nostri,& in Nicænam fidem antè subscripserit, hunc habebis, absque aliqua ambiguitate suscipere. Non quòd hæc ipsa, quæ nos scribimus, non potueris conuertentium susceptioni proponere, sed quo tibi Consensus noster liberum, in suscipiendo tribuat exemplum. Extat apud Theodoretum lib. 5. cap. 10. eiusdem Damasi encyclica ad Episcopos Orientales hoc exordio:

Quòd vestra charitas debitam sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit, filij honoratissimi, vobis ipsis quoque maximò sanè honori est. Nam tametsi à sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur: tamen confitemur nos illo dignitatis gradu, longè inferiores esse, &c.

Ex quibus facilè colligitur, quantò insolentiùs ingenium hodie M. Antonius habeat, quàm vel Theodoretus olim. qui sine vila in Damasum nota literas, has in historiam suam transtulit, vel Episcopi omnes, ad quos hæ literæ directæ. Offenderet enim M. Antonium titulus iste, *tij timiotati* filij honoratissimi; & in Damasum insurgeret, tamquam in clero dominantem; à quo spiritu tantùm Theodoretus abest,vt in ipso huius historiæ initio Damasum nominet *paneyphimon*, seù per omnia laudatum. Taurumque valuit apud B. Gregorium Nazianz. Damasi authoritas, vt cùm Apollinaristæ mentirentur se à Damaso in communionem receptos, ille ad Cledonium scripserit: Quòd si vel nunc, vel antè suscepti sunt, hoc ostendant; & nos acquiescemus. Perspicuum enim erit eos rectæ doctrinæ assentiri,nec enim aliter se res habere potest, si hoc consecuti sunt. Id autem omninò liquebit, si vel synodalem codicem, vel Epistolas, quibus ad communionem admitti iubeantur,protulerint.

29 Tertium exemplum habemus tempore eiusdem Damasi; quando cathedræ Antiochenæ præsidebat Flauianus, omnium penè Orientalium Episcoporum electione, & consensu; Nam cùm finita Synodo Constantinopoli, quæ est generalis, Meletius Antiochiæ Patriarcha, vita functus esset, viuo adhuc Paulino, qui diu cùm Meletio sederat: quia Paulinum Lucifer Calaritanus creauerat, Episcopi Syriæ, & vicinarum Prouinciarum Cappadociæ inquam Galatiæ, Ponti, & Armeniæ, vt minùs in Paulinum propensi, Flauianum communibus ferè votis eligunt; quòd cùm Damasus intellexisset, noluit communicare cum Flauiano, aut eum, vt Episcopum recipere, immò petijt, vt Episcopi Orientales, hac de causa Romam vocarentur, per Imperatores Gratianum,& Theodosium: quòd cùm factum esset, venerunt quidem ex Oriente Paulinus, & Epiphanius, vt Hieronymus ad Principiam Epist. 61. auctor, cæteri tamen se apud Theodosium excusarunt, petieruntque vt sufficeret, si inter se Constantinopoli conuenirent. Quo impetrato, literas quidem pro Flauiano scribunt ad Synodum Romæ congregatam, sed vicit ibi causa Paulini, adhæseruntque deinceps Occidentales Paulino, & qui ei post mortem successit, Euagrio: atque apud Imperatorem conquesti sunt, quòd Flauianum foueret contrà ipsos quasi tyrannum, vsque dùm Imperatore allaborantè, placuit Romano Pontifici in Flauianum consentire, atque ille missa honestissima legatione per Acacium Beroeæ Episcopum, toto tunc Oriente celeberrimum, tandem communicationem Innocentij impetrauit.

At verò, quòd ius Damaso reijciendi electionem totius ferè Concilij, & concordem consensum in Flauianum? quorsum pro Flauiano apud Pontificem intercessit Theophilus Patriarcha Alexandrinus per Legatos, vt narrat Socrates lib. 5. historiæ cap. 15. quorsum similitèr pro eodem intercessit Ioãnes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, vt scribit Sozom. lib. 8. cap. 3. Nisi quia agnoscebant omnes, quod M. Antonius negat, Damasum pro sua auctoritate, nisi instrueretur melius, & induceretur in consen-

sum, posse Flauiano resistere, & quàm diù is, eiusue successores resisterent, non habiturum eum Ecclesiæ communionem, aut administrationem. Atque ità in vna hac causa habemus tres Patriarchas, ius Romani Pontificis agnoscentes. Antiochenum, qui petit Romani Pontificis communionem; Alexandrinum, & Constantinopolitanum, qui pro Antiocheno intercedunt.

30 Tertius inter Patrarchas est Ierosolymitanus, qui & si duobus iam recensitis posterior, multò sit (cum Ecclesia illius ne quidem Metropolitana esse soleat, sed Cæsarensi subiecta, vt constat ex Epistola 61. B. Hieron. 575. est tamen Constantinopolitano prior. Constat autem Romanos Pontifices, vel missis Roma Legatis, vel alijs ibi in Prouincia substitutis, etiam Patriarchas hos iudicasse, confirmasse. exanthorasse pro causæ meritò, vel demerito.

Primus, qui sedem hanc cœpit, vltrà dignitatem antiquam euehere, fuit Iuuenalis Patriarcha, qui cum in Synodo Ephesina strenuam pro orthodoxa religione operam nauasset, captata opportunitate sperauit impetraturum se suæ sedis euectionem, vt ex Epist. 62. B. Leonis patet, eumque omnes ferè Episcopos in sententiam suam adduxisset, restitit ei B. Cyrillus, remque omnem ad sedem Apostolicam, cuius legatione fungebatur, referens, sollicita prece ait B. Leo multum poposcit, vt nullus illicitis conatibus præbeatur assensus: subdit verò S. Leo; Hoc tamen proprium definitionis meæ est, vt quantumlibet numerus sacerdotum amplior aliquid, per quorumdam subreptionem decernat, quod illis 318. Patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur, quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia seruetur. Recruduit in Iuuenale morbus, postmodum sub annum Christi 454. quando congregata ex Episcopis Palestinæ Synodo, Iuuenalis se Irenæo Cæsarensi Episcopo præposuit; sed rursùs statim relata est hæc res ad Romanum Pontificem S. Leonem per Maximum Antiochiæ Patriarcham, atque ab eodem Leone rescriptum contra Iuuenalem.

31 Quid verò his temporibus Romanus Pontifex iurisdictionis habuerit in Ierosolymitanum, facilè patet ex Epistolæ Innocentij Papæ ad B. Hieronymum. Nam cùm (fortè à Pelagianis) Hieronymus vnà cum Paula, & Eustochio grauem vim passus esset Ierosolymis, Ioanne Episcopo ad facinus conniuente, Hieronymus Romæ, apud Innocentium querelas deposuit, eique Innocentius respondet. [Excitati tanta malorum scena: sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum.

Quid ergò possumus condolemus. Si deposueris autem apertam, manifestamque in homines aliquos accusationem: aut indices competentes tribuam, aut si quid vrgentiùs, sollicitiusque à nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime. Tamen Episcopo fratri meo Ioanni scripsi, vt circumspectiùs agat: ne quid circa Ecclesiam sibi creditam, adhuc tale aliquid fiat, quale præuidere, & propellere ne accideret, vel ne accidat, etiam ipsi sit, & posteà molestissimum.]

Et verò quid mirum, si eo tempore Romano Pontifici integra illic auctoritas Pontificia, ita vt Innocentius potuerit eò Iudices destinare, qui in crimen, & reos illic inquirerent, cùm nullus esset Ecclesiæ illi titulus, nullaque adhuc prærogatiua dignitas præ alijs totius Orientis Ecclesijs; sed ea vt dixi, Metropolitanæ Cæsarensi subiecta.

32 Quando autem, & quomodo sedes hæc ad Patriarcharum erecta sit, describit Wilhelmus Tyrus l. 14. de Bello sacro cap. 12. nempè in quinta synodo generali, quæ celebrata est tempore Iustiniani Imperatoris. Verba eius sunt: [Tempore prædicti principis, Iustiniani videlicèt, congregata est Synodus generalis apud Constantinopolim tempore Domini Vigilij Papæ, Eutichij Cōstantinopolitani, Apollinaris Alexandrini, Pauli Antiocheni, & Eustochij Hierosolymitani Patriarcharum, super tribus capitulis, &c. in qua Synodus post alias populo Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgandas decreuerat sanctorum Patrum, qui ad eam conuenerant, auctoritas, prædictam Deo amabilem Hierosolymitanam Ecclesiam, & eius Episcopo locum inter Patriarchas dare, communi sanxit voluntate, reuerentiam exhibens sanctæ resurrectioni. Et quoniam prædicta Dei cultrix ciuitas, quasi in limite Alexandrini, & Antiocheni Patriarcharum erat, nec haberet vndè illi vrbi ordinaret suffraganeos, nisi vtrique Patriarchæ aliquid detraheret, visum est expedire ab vtroque aliquid detrahere, vt eidem iuxtà formam aliorum Patriarchatuum ordinaret subiectos. Subtraxerunt ergò Antiocheno Cęsariensem, & Scytopolitanum Metropolitanos: Alexandrino verò Rubensem, & Berytensem, item metropolitanos. Et quoniam iterum eumdem Parriarcham oportebat habere, præter supradictos metropolitanos, familiares suffraganeos, quos græci Syncellos vocant, subtraxerunt prædictis Metropolitanis quosdam Episcopos, & quosdam de nouo erexerunt, vsque ad vigesimum quintum, quorum nomina subiunximus, comparatis priùs Metropolitanis, & sufftaganeis eorum. Est autem ordo talis: Dorensis Antipatrita, &c. Eadem reperimus in Vaticana Bibliotheca in codice notissimo, cuius est titulus Liber censuum.

33 Illud quidē huic narrationi obijci posset, quòd Hierosolymitanus Episcopus, etiam antè hæc tempora reperiatur dictus Patriarcha; sed potuit hoc fieri ex eo, quòd non obstante Romanorum Pontificum reclamatione, Græci quidam priuatis affectibus indulserint. Illud certum est antè tempus assignatum, nempè antè quintam Synodum, quę anno Domini 553. celebrata est, nullum extare synodale decretum, aus decreti vestigium, quo hæc dignitas illi sedi, priùs indulta sit.

34 Vltima inter Patriarchales sedes est Constantinopolitana, quæ & si posterioribus seculis, ad numerum accesserit, cùm priùs subiecta esset Metropoli Heracleæ, vt fatetur Theodorus Balsamon, postmodum tamen sui ipsius impos Patriarchas ambitiosissimos nacta, alijs Orientalibus se coegit anteponere,

ac

ac tandem cum Romano æquare: prout & M. Antonius eam secutus potiùs vestigia recentioris superbiæ, quàm iudicia antiquioris Ecclesiæ, & Synodi Nicænæ, eam conatur Romanæ, tanquam sorori ad latus adiungere. Verum quid in hac re à Romanis Pontificibus factum, ex historijs disquiramus.

Primum ambitionis Constantinopolitanæ initium communitèr ponitur in secunda synodo generali, quæ in ipsa vrbe Constantinopolitana celebrata est, anno Domini 381. sub Damaso Papa, vbi canone 3. vel vt alij, 4. sancitur: [Constantinopolitanus Episcopus habeat præcipuum honorem, & dignitatem post Episcopum Romanum, ideò, quia Constantinopolis est noua Roma.

35 Etsi verò hic canon meritò videri possit suspectus, quia Patres Concilij in epist. sua ad Damasum illius non meminerunt: neque eum pro se citauit Anatolius, à S. Leone ob eamdem ambitionem grauissimè postmodum reprehensus; tamen nihil vetat, quò minus concedamus ità ibi statutum; dummodo addatur statutum istud, neq; ratum fuisse, neque validum. Nam S. Gregorius aliam eiusdem Concilij causam tractans, scribat, Romana Ecclesia canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit; in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Atque hæc potuit esse causa cur Anatolius eumdem canonem in causa sua non citarit: neque Ecclesia Constantinopol. hanc prærogatiuam statim vsurparit; sed Alexandrinus Patriarcha etiam deinceps mansit in possessione suæ prerogatiuæ. Vnde cum postmodum inter Ioannem Ierosolymitanum Episcopum, siquidem ea sedes tunc necdum Patriarchalis erat, & B. Epiphanium grauis esset de Origenistis dissensio, ac B. Hieronymus epist. 61. Ioannem reprehenderit de non consulto iudice competente, recenset ibi quinam in Oriente à Ioanne consuli debuerint, & quis ab eo consultus fuerit, scribit, nempè Ioannes, ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, Apologiam: cuius istud exordium est: Tu quidem vt homo Dei, & Apostolica ornatus gratia curam omnium Ecclesiarum, maximè eius, quæ in Hierosolymis est, sustines, cum ipse plurimis solicitudinibus Ecclesiæ Dei, quæ sub te est, distringaris. Laudat faciem, ad personam principium trahit. Tu, qui Regulas quæris, Ecclesiasticis, & Niceni Concilij Canonibus vteris, & alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes, tibi niteris vsurpare: responde mihi ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? ni fallor, hoc tibi decernitur, vt Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsareensem Episcopum referre debueras; cui; spreta communione tua, communicare non noueras: aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ. Sed noui, cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere; sciebas quid fugeres, quid vitares maluisti, occupatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano honorem reddere.

36 Itaque post 70. annorum constans silentium, rursùs Constantinopolitani ad hanc dignitatem aspirarunt, agente id Anatolio sub annum Domini 451. & quidem cum maxima fraude: postquam enim in Concilio Chalcedonensi ea iam decreta essent, quæ ad orthodoxam religionem spectabant contra Eutychetem, tamdem Anatolius Legatis Apostolicæ sedis absentibus, à cæteris Episcopis canonem impetrauit, quo sedi Constantinopolit. primus post Romanam locus decernebatur; his verbis: Definitiones sanctorum Patrum sequentes vbique, & regulam, & quæ nunc relecta sunt centum quinquaginta Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore maiore Theodosio in regia ciuitate Constantinopoli noua Roma cognoscentes, & nos eadem definiuimus de priuilegijs eiusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ nouæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ propter imperium ciuitatis illius Patres consequenter priuilegia reddiderunt; & eadem intentione permoti centum quinquaginta amantissimi Deo Episcopi, æquè sanctissimæ sedi nouæ Romæ priuilegia tribuerunt; rationabiliter iudicantes imperio & senatu vrbem ornatam æquè Romæ senioris priuilegijs frui; & in Ecclesiasticis sicut illa maiestatem habere negotijs, & secundam post illam existere: & in his, quæ in Ponto sunt, & in Asia, & in Thracia diœcesibus Metropolitanos solos, rursùs autem, & qui inter barbaros sunt Episcopos præfatarum diœcesium ordinari à prædictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima Ecclesia: Quippè vt vnusquisque Metropolita præfatarum diœcesium cum Episcopis suæ prouinciæ ordinet suæ regionis Episcopos, sicut diuinis canonibus est præceptum. Ordinari autem Metropolitas, sicut dictum est, præfatarum diœcesium à Constantinopolitano Archiepiscopo decretis consonis secundùm morem factis, & ad eum relatis. Sed quia vt in præcedentibus dixi. Legati Apostolicæ Sedis postridiè huic constitutioni reclamauerunt, neque eam S. Leo ratam habere voluit, mansit in suo ordine Constantinopolis vsque ad imperium Iustiniani.

37 Cæterum, quemadmodum inter omnes sedes Patriarchales Constantinopolitana insolentissime, fastuosissimèque conata est assurgere, & tamdem ausa Romanæ Sedi recalcitrare, ità contrà non sine peculiari Dei prouidentia, accidit, vt in nulla alia sede tot extent Romani Primatus exempla, quot in hac. Nam cum ea primùm post translatum illuc à Constantino Imperium, assurgere visa sit, statim sub ipsis sui initijs, viuo adhuc Constantino, Paulus Episcopus Constantinopolitanus ab Arianis sede sua eiectus, Romam confugit, causa eius ibi examinata, per Iulium Romanum Pontificem in sedem suam restitutus est; simul cum S. Athanasio.

Ad eamdem sedem confugit tempore Arcadij Imperatoris B. Ioannes Chrysostomus, pro quo Romanus Pontifex Innocentius, Imperatorem licèt Constantinopoli agentem, excommunicauit. Post Chrysostomum sedit Constantinopoli Nestorius hæresiarcha, quem Cælestinus damnauit.

Anthimum similiter hæreticum Agapetus in ipsa vrbe Constantinop. deposuit, inuito Imperatore, & Imperatrice, ac suis ipse manibus Menam ibidem Anthimo substituit,

ve

vt habet Zonaras in vita Iustiniani, & Liberatus in Breuiatio. Ignatius quoque tempore Adriani Papæ ab eodem in sedem contra Photium, toto Concilio Oecumenico approbante, repositus. Idem in alijs pluribus factum ostendit Nicolaus I. in epistola ad Michaelem, vbi, & enumerat Constantinopolitanos Patriarchas, quos Romani Pontifices deposuerunt.

Ex quibus patet, quàm certa, constans, & recepta fuerit apud Orientales Episcopos pariter, & Patriarchas Pontificia auctoritas in iudicandis criminibus, euocandis Episcopis, recipiendis appellationibus, mittendis visitatoribus, deponendis reis, damnandis hæreticis, indicendis & confirmandi Concilijs, & tamen hæc sunt, quæ M. Antonius hodiè in sede Romana tamquam nouitia, aut violenter obtenta conqueritur, cum inter Orientales nullæ de his querelæ; vel si fortè hic ibi quædam, nihil id mirum, cum videamus etiam hodiè integra Romanæ sedis auctoritate non omnia, & singula acta singulis probari: etenim ferè solent etiam filij contra parentes esse queruli, si ab eis quædam fiant minus grata. Itàque transeo ad duas alias mundi regiones, Africam dico & Europam: sed paucis, pleniùs de eisdem acturus cum de appellationibus disputabimus.

38 Ex Africa scripsit de hæresibus sui temporis B. Cyprianus; Non aliundè eas exortas, aut nata schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur: In qua sententia duo sunt M. Antoni aduersùs nouitatem tuam notatu dignissima: vides enim, opinor, quid de Aristocratico tuo regimine B. Cyprianus sentiat, nempè originem forè, & initium omnis hæresis, ac schismatis; dum indè dicit hæreses nasci, vnde tu eas putas sopiri: vides etiam quid de Romani Pontificis auctoritate sentiat, & potestate: nam etsi tu illum cum sarcasmo, magnaque animi amaritudine Vice-Deum cognomines ad ignominiam; Cyprianus tamen, vt vnicum agnoscit in terris Iudicem, cuius auctoritate schismata compescantur, & in officio hoc cum vice Christi ait indicat, ad summam sedis Romanæ gloriam. Vnde & frequentes illi Ecclesiæ Romanæ apud eumdem Cyprianum tituli: vt eam originem vocet sacerdotalis vnitatis, Ecclesiam matricem, radicem, corpus, super vnum, qui claues accepit, voce Domini fundatam. Hinc libro primo, epistola tertia apud Cornelium, quæ apud Pamelium est quinquagesima quinta, de Fortunato & Felicissimo agens: Post ista, ait, adhuc insuper pseudo-Episcopo, si ab hæreticis constituto nauigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, (vnde vnitas vniuersalis exorta est) à schismaticis, & prophanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos, (quorum fides Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum. Et epistol. 45. quæ finis lib. 4. epistol. 8. cum Pontificatus Cornelij ob intercedens schisma initio difficultatem pateretur, literæque Cypriani, & aliorum Africæ Episcoporum Adrumeto, vbi Episcopi conuenerant, non ad Cornelium vt ante factum, Polycarpus Adrumeti Episcopus, sed ad Romanum clerum mitterentur; quod visus est Cornelius ægrius accepisse, quasi Africani in schisma propenderent, Cyprianus, & se, & Collegas excusans, nulla id leuitate factum ait, aut contumelia; sed hortatum se singulos, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem, & Matricem agnoscerent, ac tenerent. Est apud eumdem Cyprianum eadem de re non minus nobile testimonium, quod vicini Africæ Itali Romanę Cathedrę perhibuerunt, cum enim exorto schismate, etiam Confessores quidam à Cornelio Papa secessissent, postmodum pœnitentes criminis vnioni se Catholicæ hac confessione reddiderunt: Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicę Ecclesiæ electum à Deo omnipotente, & Christo Domino nostro scimus: nec ignoramus vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere.

De Europæ prouincijs plena sunt omnium ferè Pontificum literæ; neque in his M. Antonius multùm repugnat, cum fateatur Romanum Pontificem totius occidentis Patriarcham esse. Ponam tamen hic duo Salonitanæ, seu Spalatensis Archiepiscopatus, à quo ipse nunc abijt, exempla, in quibus pateat quomodo M. Antonius Romanæ Sedi licèt Archiepiscopus, & Dalmatiæ Primas sit, subijciatur.

39 Duæ fuerunt tempore beati Gregorij difficultates in Episcopatu Spalatensi; vna inter Natalem Episcopum, & Honoratum Archidiaconum; altera, quo ad Maximum, qui mortuo Natali Sedem occupauerat: vtrùque Gregorius ad dicendam causam coram se citrauit, & ni parerent, sententiam excommunicationis adiunxit. Ac de posteriori casu specialim scribens ad Constantinam Imperatricem, ait; Salonitanæ ciuitatis Episcopus, me, ac Responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta est res, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit; Quod ego audiens ad eumdem præuaricatorem protinus misi, vt Missarum solennia nullo modo celebrare præsumeret, nisi prius à Serenissimis Dominis meis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui.

40 Fuit hoc sine dubio triste beato Gregorio; vt ex pluribus eiusdem Sanctissimi Pontificis literis constat: at verò quantò putas fuisse tristiùs M. Antoni Sanctiss. D. N. Paulo de te audire, id, quod numquam sperarat? Salonitanæ ciuitatis Episcopum in hæresim prolapsum, Ecclesiæ suæ desertorem, & Catholicæ Ecclesiæ hostem factum esse: ac prætera ex eis, quos iam edidisti, libris perspicere, quomodo totus in reprobum sensum datus sis, & in Pastorem, Patremque animę proternus incurras. Faciat idem ille zelus in Sanctiss. D. N. Paulo, quod olim fecit in Beatiss. illius antecessore Gregorio, vt pro credita sibi auctoritate, & cura tradat te Sathanæ, vt discas non blasphemare, nec putes vanam, aut irritam forè sententiam in terris, quam Deus se approbaturum promisit in cælis.

41 Redeamus nunc ad primum præsentis ca-

capiris argumentum; cuius minorem hucvſque probandam ſuſcepimus, videamuſque an non verè in ea dictum, quòd Vniuerſalis B. Petri auctoritas ad omnes illius ſucceſſores tranſierit. ſiquidem per prima Eccleſiæ ſecula, per primas Eccleſiæ Cathedras, immò per omnes vrbis partes oſtendimus non tantum primarios Patriarchas, & ſanctiſſimos, & doctiſſimos, ſine vllo dubio ità ſenſiſſe, ſed & Concilia Generalia ſtatutis canonibus determinaſſe, & exemplis pariter, ac verbis docuiſſe. Vnus eſt inter hæc omnia Canon, qui ad ſpeciem pro M. Antonio facere videtur; ſed non niſi Euſebianus, & Arianus, vt ſupra patuit, pro quo etſi M. Antonius contentioſè contra Illuſtriſſ. Cardinalem Baronium, & Doctiſſimum Conciliorum Illuſtratorem Binium diſputet, l. 3. cap. 8. & quidem cum magnis audaciæ, & temeritatis, ac nuperæ confictionis calumnijs, tamen nihil facit aliud, quàm vt adprehenſæ iam aliquoties audaciæ ſuæ noua nobis documenta præbeat; & iam poſt 1200. annos noua nobis Antiochena Concilia cudat, nuſquam habita extra M. Antonij cerebrum, nuſquam in tomis Conciliorum ſcripta, vel edita extra illius prælum. Vellem attenderet Lector ad tantas fraudes, ſic enim ſtatim ex vngue Leonem cognoſcet: neque videbitur deinceps cuiquam mirum, quòd audeat M. Antonius comminiſci noua dogmata, & inchoare ſchiſmata, qui audet noua Concilia ſomniare; Concilijs veris, falſas, immò in eiſdem Concilijs damnatas hæreſes affingere, Auctorum verba interuertere.

CAP. VI.

Examinatur ſententia illa Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. atque ex ea beati Petri Primatus explicatur.

Falſi ſanctæ Scripturæ Interpretes, num. 1.
Quatuor explicationes verborum citatorum, & quæ earum vera, ac M. Antonij fraudes, & conuitia, num. 2. 3. vſque ad 19.
Expoſitio Origenis, & M. Antonij circa eam error, ac inconſtantia num. 5. 6. & 7.
Chriſtus quomodo Petra, & an apud Matth. nomine Petræ ſignificatus? num. 8. 9. 10. vſque ad 14.
Fides Petri quomodo Petra, & quo ſenſu ſuper eam ædificata Eccleſia num. 14. 15. vſque ad 19.
Vera expoſitio verborum Chriſti, num. 19. vſque ad 28.
Petrus ſignificatus à Chriſto nomine Petræ, num. 19. 20. 21. 22.
Aedificare domum in Script. tribus modis accipitur; & quid in his Chriſti verbis ſignificet? num. 23. 24. 25. 26. 27.
Expoſitio ſupra poſita probatur, num. 28. vſque ad fin.
Irreuerentia M. Antonij in ſanctum Petrum, num. 39.
Probatio expoſitionis Catholicæ, quoad ſententiam Chriſti de petra, cum refutatione reſponſionis hæreticæ, num. 30. 31.
Probatio Pontificiæ auctoritatis ex 8. Synodo, num. 32. 33. vſque ad 37.
Ex alijs Concilijs generalibus, num. 37.
Ex libello Hormiſdæ, eiuſque ſubſignatione numero 38.
Obiectio M. Antonij ſoluitur, num. 39.

1 QVod de beati Pauli epiſtolis, iam tunc ſuo tempore cum viueret, adhuc earum ſcriptor queſtus beatus Petrus, epiſtola ſecunda capit. 3. [multa in eis eſſe, quæ indocti, & inſtabiles deprauant,] hoc ipſum, in cæteris quoque ſcripturis fieri; idem conſequenter ſubdit, & ſecula priora audiuerunt, & liber M. Antonij pleniſſimè loquitur. Poſt aſſertas enim præcedentibus capitibus hæreſes ſuas, quibus Eccleſiæ regimen ſubuertere fruſtra molitur, hìc iam ad ea ſcripturæ loca accedit, quibus ſententiam ſuam videbat à Catholicis impugnari poſſe; eaque tam ſubdolè tractat, vt non ſolùm ſibi nihil obeſſe, verùm etiam plurimùm prodeſſe videri velit; irrito tamen conatu, ſi fictam veritatis laruam commentis eius detraxerimus.

2 Quatuor ſunt notiores præſentis loci explicationes; quas ex Bellarmino recitat, & auctoribus ſacris ſenſu non vero attribuit.

1 Nomine Petræ, Petrum.
2 Omnem hominem fidelem.
3 Chriſtum.
4 Fidem Petri intelligit.

Ex his prima Catholica eſt, ſecundam queritur ſubdolè Eraſmo attribui, cum ſit Origenis; taxatque Bellarm. neſcio cuius fraudulentiæ.

3 De tertia ſimiliter ſcribit, non deberi eam Caluino 4. inſtitutionis, capite 6. ſed Auguſtino ſermone 3. de verbis Domini, & tractatu 124. in Ioannem. Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum lib. 1. in Matthæum, & in caput 54. Iſaiæ, Cyrillo Alexandrino, libro 3. in Iſaiam, cap. 33. Bedæ in capit. 16. Matthæi, Tharaſio Epiſcopo Conſtantinopolitano in 7. Synodo 8. vide Act. 1. Ac tandem num. 11. ità glorioſè concludit. [Faciat nunc Bellarminus huius Interpretationis Auctorem Caluinum: certè Caluinianam doctrinam habuerunt Auguſtinus, Cyrillus, Hieronymus, & alij, ſingularia Eccleſiæ Catholicæ lumina.] At quàm vera hæc gloriatio, infrà videbimus.

4 Quartam denique ait non eſſe auctoris ſolius, lib. de poteſtate Papæ, aut Centuriat. lib. 1. cent. 1. cap. 4. ſed inter Patres, ita ſenſiſſe Hilar. lib. 2. & 6. de Trinit. Cyril. libro 4. in Iſaiam, Chryſoſt. hom. 55. in Matthæi, Victorem Antioch. in capit. 8. Marci. Theophil. in cap. 16. Matth. Ambroſium libro 6. in Lucam, Gregor. lib. 7. epiſt. 53. & 35. Moral. cap. 7. Auguſt. Tract. in Ioannem & ſermone 13. de verbis Domini: ità vt ante 800. plus minus annos, ſcripſerit Ionas Aurelian. [Multi, & penè omnes, petram, ſupra quam ædificatur Eccleſia, fidem intelligunt beati Petri, quæ communis eſt totius Eccleſiæ.]

5 Verùm facit prolixa hac ſententiarum, auctorumque enumeratione, M. Antonius, vt qui

qui præsenti capite, tam amare Illustriss. Cardin. Baronium, quasi sola Gramatica instructum, ridet, parum ipse Theologus, aut Gramatico maior videatur. Nàm vt à primo incipiam, grauiter peccat; dum Origenis sententiam cum sententia Erasmi confundit, aut Bellarmin. insultat: quòd primam expositionem, vafrè Erasmo potius, quàm Origeni tribuerit; neque enim ad hoc aduertisse videtur, quòd Theologi omnes in primo sacrorum studiorum limine discunt, scripturam præter sensum literalem, alios quoque sensus admittere, & accomodationem nonnumquam extendi ad ea, quæ sensum principalem non tangunt. Ità quòd speciatim Apostolis dictum à Christo. Vos estis sal terræ per accommodationem ad omnes eos extendi potest; qui doctrinæ, correctionisque acrimonia, alios à peccati putredine præseruant, similiter quòd de Abrahamo dixit Ecclesiasticus; Non est inuenitus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi, aut de Noe; In tempore iracundiæ, factus est reconciliatio, de Phinees cap. 45. statuit illi testamentum pacis. Ecclesia ad Episcopos, sanctitate vitæ, & mentis apud Deum celebres, beatum Martinum, Nicolaum, Ambrosium, & similes accommodat. Ex quo si quis inferat; ergo ibi agit Ecclesiasticus ad literam de Episcopis Noui Tastamenti; non faciet ineptam quidem, libro tamen illo dignam, & præsenti argumento, quòd ex Origene desumit M. Antonius, planè similem.

6 Constare enim illi poterat id, quod de fidelibus singulis Origenes dicit; non nisi per accommodationem ab eo dictum: quia sensum literalem alium, non tantùm verba sacri contextus, vt M. Antonius num. 3. linea 51 admittit (quod maximi argumenti vim habet) sed vt ipse Origenes, alibi expressit Nam homilia 5. in Exodum, Vide, ait, magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, supra quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino; modicæ fidei quare dubitasti? Neque enim hæc posteriora Christi verba negabit ad personam beati Petri pertinere, aut ab eo, similes detorquebit, ad literam, ad omnes fideles. Quòd si Erasmus per accommodationem duntaxat, cum Origene, hæc verba ad fideles omnes applicuisset, non fuisset simul miratus; locum hunc à quibusdam ad Romanam Ecclesiam, vt ille loquitur, detorqueri: neque niteretur in Cypriano, & Hieronym. excusare; quod doceant, supra Petrum fundatam esse Ecclesiam, cum & Origenes (quem M. Antonius scribit Erasmo consentire) id ipsum doceat; neque verbo solùm, sed & exemplo, Romanę Sedis vniuersalem curam agnouerit. Nam, cum à Demetrio Alexandriæ Episcopo primùm, indè verò etiam à sancto Dionysio successore, hæreseos accusaretur; ad Fabianum Papam literas cum fidei suæ confessione scripsit; vt testatur Eusebius lib. 6. historię cap. 29. immò tandem ipse paulò post Romam venit, vt ex vita Plotini à Prohyrio scripta constat.

7 Non potuit propter has rationes, M. Antonius in suscepto Erasmi Patrocinio, ac Bellarmini taxatione, sibi ipsi constans persistere; ideòque cum priùs Bellarminum acri interrogatione taxasset; Quid nobis Erasmum obijcit, vbi auctorem habemus Origenem? statim num. 5.

Ego, inquit, Puto Origenem etiam literaliter exponere; non tamen eo sensu, quo & ipsum Bellarminus intelligit, & Erasmum asserit sentire; nimirùm ad literam, sermonem Christi esse de quacunque petra intellecta; idest, de quocunque fideli, cùm Christo per gratiam, & fidem communicante; sed Origenes (quidquid sit de Erasmi sensu) præmisso quasi preambulo quodam fermè allegorico, supra à nobis allato, petram debere intelligi quemcunque Christi Discipulum, qui biberit de consequenti petra, Christo, suam prosequitur orationem subiungens; quòd si super vnum illum Petrum, tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum vnoquoque? Applicat igitur Origenes id, quod in communi videbatur allegoricè dixisse reliquis Apostolis; non quòd cùm Petro solo directè non loqueretur Christus; sed quòd id, quod directè Petro dictum est, etiam in alijs Apostolis fuerit æquè, atque in Petro verificatum, vt intendit Origenes. In quibus verbis non tantùm illa parenthesis (quicquid sit de Erasmi sensu) ad Bellarmi excusationem sufficie. Sed & tota deindè expositio adiuncta, alium planè Origenis, quàm Erasmi sensum facit, in quo etsi M. Antonius Origeni, id, quod vult, affingat (neque enim ille de solis Apostolis loquitur, sed de omnibus fidelibus) Belarminum tamen satis indicat à se immeritò accusatum.

8 In tertia quoque sententia, M. Antonius multa ignorantiæ, superbiæ, & mordacitatis vestigia nobis expressit. Primò enim, vt ostendat Patres, in propositi Christi verbis, nomine Petræ; non Petrum, sed Christum ipsum intelligere: omni diligentia auctores illos, qui Christum petram appellant, etiam sine vlla præsentis scripturæ mentione, ità congerit, perindè, ac si consequenter eidem omnes, in citato quoque Matthæi testimonio, nomine Petræ Christum intelligeret; quod idem est, ac si dixisset; Dauidem quoque, & Isaiam, & Apostolum Paulum, in eadem sententia Christi, apud Matthæum nomine Petræ Christum accepisse: eò quòd si omnes, Christum lapidem fundamenti angularem, caput, Anguli fundamentum appellent, an non dignum M. Antonio argumentum? Vt verò gratior sit, & plausibilior huius rei tractatio, elegantem illam prætexit *parecbasin*. Audiamus antè omnia alios, à quibus didicit Caluinus Catholicam sententiam; didicit Bellarminus multa, discimus, & omnes. Verùm neque hic, neque infrà num. 11. vbi procacissimè Auctor, vt mox dicam Baronio insultat, animaduertit satis id, quod animaduertere debuerat, alio planè sensu à Patribus Christum vocari petram, & fundamentum Ecclesiæ, quàm ipse faciat, illi enim, ità Christo hoc nomen tribuunt, vt tamen etiam Petro dicant communicatum, vnà cum officio per hoc nomen significato, quòd M. Antonius, vel omninò non concedit, vel non in eo sensu, quo Patres, vt ex cap. præcedenti satis constat; ac proindè nihil mirum si à nobis quoque M. dissentiat, qui libentissimè

admit-

admittimus Christum esse Ecclesiæ petram, sed simul cùm PP. contra M. Antonium agno. scimus, Simonem Ioannis, cum participatione nominis admissum quoque ad participationem dignitatis. Sed est hoc M. Antonio solemne, vt cùm Patrum testimonia citauit, eadem interfertis suis glossematijs ad sensum suum detorqueat, nisi lector vigiles, atque ità subrepat.

9 Secundò, vt num. 11. Illustrissimum Baronium tursùs petulanti splenè rideat; congerit omnes auctores, qui docent, Petrum Petræ, seu firmitatis nomen, à Christo, eiusque participata firmitate, accepisse, ac tandem concludit. Hi sanè omnes, dum Petrum à petra, idest, à Christo, nomen babuisse contendunt, proculdubio, per illa verba, super petram, vix consentire possunt significari super Petrum, si Petrus Petrus non est; nisi à petra, qui est Christus: At verò hac in re nimiùm sanè ipse ridiculus est, & quod in Prouerbio dicimus; [rogatus de allijs, de cœpis respondet,] Nam cum in hac re tria tractari possint:

1 An vox Petra, deriuatiua sit à voce Petrus, tanquam à suo primitiuo: an verò vtraque sit primitiua?

2 An Simon Ioannis, acceperit nomen Petrus à Christo, qui etiam est Petrus, vel petra?

3 An Simon Ioannis, acceperit à Christo firmitatem, & constantiam; propter quam ei nomen Petrus, vel petra possit conuenire?

Baronius de secunda, & tertia quæstione nibil dubitat; sciebat enim Christum, ità esse vitem, & Apostolos palmites, vt nec Petrus, nisi per Christum ferre possit, nec sine eo, quicquam facere. Sed tota illins disputatio istic est, de prima quæstione, & vocum deriuatione, quam aliqui ex Patribus agnosce. re videntur. Marcus tamen Antonius, vel crasse ignorato, vel callidè dissimulato Baronij Scopo; plaustra testimoniorum congerit, in quibus Patres docent, Petrum à Christo nomen Petri, & id, quod eo nomine significatur, idest, virtutem, & constantiam, à virtute, & constantia illius accepisse: deriuationis autem gramaticæ non meminerunt, ac tum quasi triumphans de hoste, veritati, simul & Illustrissimi Cardin. manibus, insultans, ità concludit.

10 [Baronius verò, & ipse suo censorio stilo, sola gramatica instructus dicat: [Ex his quidem, solida, firmaque veritate constantibus, redarguuntur, qui minus cautè, scitèque dixere, non dictum esse Petro; [Tu es petra, sed tu es Petrus,] quòd scilicet petra esset Christus; quem confessus Simon, dictus sit Petrus: eosque insigniter decipi ignorantia vocis Syriacæ, qui Petrum non esse petram, sed à petra deductum esse existimarunt. [Minùs ergo cautè, & minùs scitè scripserunt, & insigniter non sine amentia decepti sunt, Baronij supremi arbitri iudicio, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus, Beda, tum verò etiam Tertullianus, Ambrosius, Gregorius, Prosper, Leo, cum tot alijs, quibus cum mallem ipse desipere; quàm cum Baronio; totaque reliqua Monarchicorum schola contra illos sapere.] Sed quorsum ista M. Antoni? pugnam fingis, vt triumphare videaris: verùm non ijs sumus, qui palpum nobis patiamur obtrudi; non docent Patres, illi hoc, quòd de Gramatica cum Baronio disputas, & in quo ipso neque audes dissentire à Baronio, neque potes, sed id, quod nusquam Baronius negauit; quin verò ex eisdem Patribus plenissimè docuit, Petrum à Christo, qui est petra, virtutem Petræ, seu firmitatem, & nomen ipsum (sed tacita deriuatione Gramatica, de qua Baronius agit) accepisse.

11 Soli inter Patres illos, Ambrosius, & Augustinus, deriuationem gramaticam, de qua Marcus, cum Baronio disputat, inter hæc duo nomina agnoscunt. Magni sanè auctores: & quibus reuerentiam meritò debemus, quosque Baronius antè ipsum citauerat: sed quemadmodum in similibus vocis, Hosanna, Racha, Maran-atha, contigit, vt à vera explicatione quidam aberrarint, ità nibil mirùm si in præsenti voce, *Petros, & Petra* Patres illi, ità senserint: non tam ignorantia Græcarum vocum (cum vterque fuerit Græcè doctissimus) quàm quòd arbitrati fuerint, fortassis in Syriaco textu, duas reperiri voces à se distinctas, quarum emphasin Græcus eus interpres voluerit simili allusione exprimere. Nunc aunc autem, quia constat *Petron, & Petran* omninò idem esse, apud Græcos, & in Syriaco textu nullam vocum reperiri diuersitatem, sed vtroque loco esse eandem vocem Cephas; malè omninò obnititur Cardinali, ex proprietate vocum argumenti, ostendenrique vocem vnam ab altera non deriuari.

12 Tertiò, cùm ex Patribus ostendisset, Petrum ideò boc nomen à Christo participasse, quia participauit virtutem, num. 10. sub finem, ità concludit.

[Hi sanè omnes, dum Petrum à petra, idest, à Christo, nomen habuisse contendunt; proculdubiò, per verba illa, super petram, vt consentire possunt, significari super Petrum, si Petrus, Petrus non est, nisi à petra, qui est Christus.]

Quæ verba, vel tam subtile habent argumentum, vt ego non capiam, vel tam insulsum, vt exprimere non audeam. Etenim quemadmodum ineptissima esset istæc argumentatio; Ioannes, & Iacobus dicti sunt à Christo, Boanerges, idest, filij tronitrui; quia in vocibus suis habebant virtutem, ab ipso, cuius vox instar tonitrui, concutit deserta, ergo, ipsi non significeantur voce Boanerges, neque habuerunt vim concutiendi; eum contra omninò inferri debebat, ergo habuerunt istam vim, sed participatam: simili planè modo, ineptissimè infers; Simon Ioannis dictus est à Christo Petrus, quia participabat ab eo (qui verbo virtutis suæ portat omnia) virtutem portandi: ergo, ipse non portar, sed per Christum portat, & petra est, sed virtutem Petræ à Christo accipit.

13 Quartò, post verba iam examinata, subdit: [hi omnes in Petri, seu Petræ, idest, Cephæ nomine, deuotionis Petri, atque constantiam, & Christi in eum amorem,] spectabant; quæ verba, ità ab ipso dicta sunt, vt id, quod Catbolici hic spectatum fuisse sentiunt, velit exclusum. Primatum inquam, Petri, in quo quantum ille, & decipiatur, & alios decipiat ex totius cap. huius decursu

Hh pate-

patebit, & ex citatis supra Chrysostomi verbis apertè constat, cum ibi Chrysost. apertè dilectionem à Præsidentia Ecclesiarum totius Orbis distinguat, & vtrumque scribat beato Petro datum.

14 Ad quartam sententiam quod attinet; etiam nos Ecclesiam fatemur super fidem Petri fundatam, citatisque Patribus libentes subscribimus, non eo tamen modo id Patres docent, & nos cum eis, quo M. Antonius: neque inferimus: [Ecclesia est super Petri fidem fundata, ergo, non super Petrum, cum potius contra retorqueamus; Ecclesia est super fidem Petri fundata, ergo, & super Petrum.] Dedit enim hoc Christus tantæ fidei tanquam honorarium, vt pro confessione fidei, reciperet Petrus dignitatem fundamenti: & qui diuino magisterio mysteria Christi fœliciter didicerat, eadem alios sine vllo erroris periculo, per omnes Ecclesiæ ætates, doceret. Maluerunt autem patres, quos citat, eis locis fidei potiùs Petri meminisse, quàm Personæ, ne sicuti ipse totam beati Petri dignitatem, ità alij proterue oppugnarent successionem. Nunc enim etsi persona Petri à nobis abierit, officiũ tamen mansit, quia mansit fides, & promissa super eam Ecclesiæ ædificatio, quotidianis adhuc incrementis proficit.

15 Itaque circa hanc sententiam, nihilo est, quàm circa duas præcedentes integrior: atque immeritò ausus est taxare Illustrissimum Bellarmin. quòd expositionem hanc, quæ falsa est, & Petri personam, à Christi promissione excludit, soli Luthero tribuat, sine vlla horum Patrum pro eadem sententia commemoratione, cum re vera Patres, ità non senserint, vt Lutherus, & nunc M. Antonius eis impingit, qui tantos Patres non sine crimine falsi, magnaque in eos contumelia, pro Lutheri expositione, ausus fuit commemorare. Cùm apud eosdem, non minùs plena extent testimonia, de futura Ecclesiæ fundatione super Petrum, eiusque successores, quàm super fidem Petri: quod quia Lutherus posterioribus annis, quando ei hæreses iam obstinatè placebant, nunquam scripsit, etiam non debuit eius expositio PP. expositionibus accenseri, aut auctoritatibus muniri. Neque enim, vt aliqui dicantur in eadem esse sententia, satis est, vt eidem verbis vtantur, sed hoc præterea requiritur, vt eadem, eodem sensu dicant: alioquin nemo est, qui nesciat sub eisdem verbis, sæpè & veram, orthodoxamque doctrinam proponi, & pessimas hæreses vafrè contegi: vt cum eisdem planè verbis, Catholici dicunt in Eucharistia esse verè, verum Christi Corpus, & similiter id dicunt sacramentarij.

16 An verò Authores aliqui, sensu eodem, an diuerso, aliqua communi phrase vtantur, id ex collectione locorum aliorum satis euidenter constare potest, & quòd Patres illi hac in re nobiscum sentiant, non cum Luthero, ex eo colligimus, quia alijs locis, vt dixi, videmus, eos, circa beati Petri dignitatem, multùm à Luthero, & ab ipso M. Antonio dissentire: quæ cum nos illi obijcimus, iam non salueat Patres illos, vt Catholicæ Ecclesiæ lumina, quo elogio eos hic ornat, cum opinatur se eorum auctoritate contra nos abuti posse, sed partim, vt Romanæ Ecclesiæ adulatores, partim vt nimis feruentes, & contentiosos disputatores, partim vt parùm diligentes quæstionis tanti momenti disputatores, ac deceptos taxat; partim denique, vt Rhetores, orationi, eloquentiæque suæ nimis indulgentes; & parum ex sententia S.Scripturæ, aut veræ Theologiæ locutos examinat, vt ex sequentibus plenius patebit.

17 Vidit M. Antonius, hanc sibi solutionem meritò opponi posse, ideòque eam præsenti cap. totis viribus conatur refellere, duplici ferè argumento: quorum priùs, habet num. 14. posteriùs verò num. 16. ac priori quidem loco, ne responsio hæc Catholicorum in Patrum testimonijs explicandis locum habeter; [propterea, ait, illa tantùm] loca protulit, in quibus vix fit coniunctio fidei, seu confessionis, cùm Petro, sed vbi videtur fides, & confessio sumi veluti separata, absque ordine, & relatione ad Petrum. Quanquam etiam, vbi ipsa confessio Petri, esse dicitur petra fundamentum Ecclesiæ, vix possit intelligi, cum coniunctione, & aggregato fidei & Petri; Nam fides in Petro, vel est ratio finalis, cur Petrus sit fundamentum, & sic vbique, vbi erit illa fides, & illa confessio erit, fundamentum per accidens verò est, quod sit in Petro: perindè igitur erit fides, & confessio, petra, in Petro, ac si non sit in Petro; & si quis dicat, fidem Petri esse petram; idem est, ac si dicat, fidem illam, quam Petrus tunc confessus est, fuisse petram Ecclesiæ, vbicumque illa tandem sit, vel Petrus ipse est petra, & fundamentum; fides verò, & ipsius confessio, fuit conditio tantùm, sine qua Petrus non fuisset petra. Sed tunc locutio esset valdè impropria, vt si dicas, fides, & confessio Petri est petra: hoc est, Petrus est petra, sed simùl cum fide: sicut si quis diceret, Philosophia Aristotelis est fundamentum totius scholæ Peripateticæ; si quis non videt ex vi locutionis hic separari doctrinam ab Aristotele: cuius doctrina, leclusa iam omninò persona, est fundamentum scholæ, seu sectæ Peripateticæ, neque huic dicto quadraret sensus, si quis ipsum glossaret hoc pacto; Aristoteles propter suam doctrinam est fundamentum scholæ: Hoc enim falsum est, si quis personam includat Aristotelis, & non separet ab eo eius doctrinam; sublata enim Aristotelis persona, schola eius tota rueret, si persona etiam cum adiuncta sibi doctrina esset fundamentum scholæ, & tamen non ruit; rueret autem sublata eius doctrina, etiam si ipse Aristoteles incolumis permaneret.

18 Verùm prolixo isto verborum ambitu nihil aliud agit, nisi vt sententiam suam magis eneruet, & quòd Catholici de fide beati Petri respondent, magis stabiliat. Quod autem de Aristotelis Philosophia adducit, in eo sanè parùm ipse Philosophus est, nam qui Philosophiam Aristotelis diceret scholæ Peripateticæ fundamentum, sine dubio Aristotelem quoque illo elogio laudaret, eumque censeret schola peripateticæ fundatorem ob doctrinam tam feliciter, & solidè propositam.

Alterum effugium nihilo solidius est; nititurque malè applicato beati Ambrosij testimonio, quod Marcus ità proponit, [vt meliùs adhuc distinctionem illam esse merum subterfugium ostendamus, affero nouum Ambrosij lo-

locum, subterfugium hoc nullo modo admittentem,] ait enim: fides ergo est Ecclesiæ fundamentum; non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non prævalebunt, sed confessio vincit infernum, & hæc confessio non vnam hæresim excludit, nam cum Ecclesia multis tamquam bona nauis fluctibus sæpè tundatur, aduersum omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum. Et statim subdit M. Antonius de suo, [vides ne lector ab Ambrosio expressè negari, petram ibi ad personam Petri referri? non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, &c. Nemo puto, dubitabit per carnem suppositum Ipsum, seu personam, atque indiuiduum intelligi.] Si ad Euangelium respexisset M. Antonius, vnde præsens nostra disputatio cæpit, & scriptura, quam modò examinamus, desumpta est, facilè intellexisset, quid Ambrosius per carnem Petri intelligat, aut fidei Petri opponat, nempè hoc ipsum, quod intellexit Christus, cum dixit Petro: [Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.] Hæc enim caro Ecclesiæ fundamentum non est, quia non potest ad ea assurgere, quæ fide credimus, & quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, absit verò, vt per carnem absolutè personam beati Petri intelligamus, vt M. Antonius putat, quin potiùs sicuti illa significata est per pronomen Tu, cum dixit Christus: [Ego dico tibi, quia tu es Petrus;] ità etiam super illam Ecclesia à Christo ædificata est, & quod M. Antonius ait, [nemo dubitabit puto per carnem suppositum, seu personam, atque indiuiduum ipsum intelligi.] Omninò falsum est, & fraudolenter ab eo dictum, [nemo dubitabit,] vt faciliùs persuaderet, quod probare non poterat, indubitatum esse, aut esse verum; & vt terrear simpliciores ne audeant negare, quod ille affirmat, ne quidem controuersum esse, aut dubium.

19. Venio nunc ad Catholicam expositionem, quæ tam clara est, & ad totum contextum, singulaque eius verba accommodata, vt facilè sit de eius veritate sententiam dicere. Postquam enim Petrus testimonium diuinitatis Christo Domino præ omnibus perhibuisset, Christus non tantùm sententiam illius tamquam omninò veram, & magisterio cœlesti acceptam approbauit, sed quasi vicem Petro redditurus, pro eo, quod ille, Domino rogante, Matt. 16. 16. [Vos quem me esse dicitis?] responderat; [Tu es Christus,] vicissim, nemine rogante, respondit: [Ego dico tibi, quia, tu es Petrus,] vbi singula ferè vtriusque sententiæ verba, *parallila* sunt. Vos, ergo: Me, tibi: Dicitis, dico: To, Tu: Christus, Petrus, & quia tota orationis vis, semper in attributo, vt loquimur, comprehensa est, sicuti in priore Petri sententia, vox Christus, non accipitur, vt purum nomen proprium, hoc enim erat Iesus, omnibus ità notum, vt nihil opus fuerit de eo quærere; [Quem vos me esse dicitis?] vel, [quem dicunt homines esse filium hominis?] neque, pro voce solùm technica, sine omni significatione, aut emphasi, scilicet prout dignitatem, officium, functionem, à Deo destinati, & Saluatoris complectitur: quem, sub Messiæ nomine, quo Petros in sua lingua vsus est, sanctiores Iudæi tantis desiderijs expectarunt, ità in posteriore Christi sententia vox Petrus, non accipitur, vt purum nomen proprium, (Hoc enim erat Simon Ioannis, omnibus etiam sine Christi pronunciatione notum,) neque pro voce solùm technica, & materiali, sed prout officium quoque, & dignitatem Petro, siue collatam, siue conferendam significat, qua ille factus petra, seu rupes inconcussa, quæ neque proprio vitio labascit, neque alicuis motibus subuertitur.

20 At quia notior erat dignitas, seu functio significata nomine Christi, quàm quæ significatur nomine Petri, (habent enim petræ plures vsus) satis erat Petro dixisse: [tu es Christus,] deinde enim tota huius nominis energia, totumque Christi officium, ex Prophetarum prænunciationibus, satis plenè constabat; hoc solùm expressè adiunctò, circa quod istos temporis Iudæi grauiter impingebant, quòd simul esset [Filius Dei viui;] Christo autem non suffecit, dixisse; [Tu es Petrus,] sed vt totam huius nominis vim, dignitatemque plenè proponeret, voluit simul adiungere, cui vsui hæc petra deseruiret; ideòque promissionem tam augustam prosequens, subdit: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] nam quod hic, Apostolus is, de quo agimus, Petræ nomine intelligatur; tum ex rebus ipsis, tum ex verbis constat: Etenim quis vmquam vidit principem, aut alium quemquam, in rebus serijs inchoata promissione dignitatis alicuius, & excitatis ad illius descriptionem auditorum animis, sermonem ad personam aliam deflectere; eumque, cui dignitatem illam spondebat, mutata persona ridiculè frustrari, & præsertim, si sponsionem inchoauerit in præmium, & honorarium officij, tunc simul ab illo priore præstiti. Christus autem præsenti loco primùm auditores, lectoresque omnes epiphonemate illo: [Beatus es Simon Bariona;] ad certam, designatamque personam conuertit, & sollicitam, attentamque expectationem excitat, subdit dein, commendationem Simonis à dignitate magistri, quem fortitus est; ac tandem, officium à se in illius personam conferendum, cum summa singulorum verborum emphasi, pronunciat, vna cum officij illius explicatione: Quis ergo credat hac in re, eum, & Simonem, & nos omnes, ità frustratum; & cum nos inchoatum de Simonis officio sermonem, ab eo puremus continuati, ille propria priuilegia interspargat?

21 Nemo sanè negare potest, In tota hac sententia: [Beatus es Simon Bariona; quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in Cœlis est; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni Cœlorum, &c.] initio statim ità plenè descriptum à Christo Apostolum illum, de quo nos agimus; vt nihil ad pleniorem descriptionem desiderari, aut requiri possit: ideò enim dictum, non, Simon absolutè; sed Simon (filius seu) Bar-Ionæ, vt à Simone alio distingui posset, ac mentio facta reuelationis, vt sciremus ad eum institui sermonem, qui mysterium, quod non nisi ex reuelatione

haberi poterat, iam tunc proposuisset. Qui idem, rursùs, siue dubio designatus est, cum subditur: [non reuelauit tibi,] vbi & tertiò, in verbis istis: [ego dico tibi,] ac quartò, [Tu es:] stant enim pronomina, pro nominibus. Ar quorsum à Domino ei dictum, [Tu es Petrus?] si verba sequentia à suo contextu non diuellimos, habemus rem totam clarissimè in eis explicatam; nempè: [super hanc petram ædificabo Ecclesiam.]

22 Ecce contextum, & historiæ seriem, videamus nunc, num, & verba idipsum non indicent. Lingua, qua Dominus noster vsus est, cum hæc diceret, fuit Syriaca; in qua vtì in orientalibus cæteris, Hebræa, Chaldæa, Arabica, solemne est; vt loco pronominum relatiuorum, sicut grammatici loquuntur, repetant pronomen antecedens: quem idiotismum si lingua quoque latina sibi familiarem haberet, nemo in præsenti sententia plus faceret difficultatis ex eo, quod dictum sit; [super hanc petram,] quàm si dictum esset: [Tu es petra, super quam:] sic mitantur Latini, quòd nos Psalmo 90. legimus: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur; dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum: ipsi enim dicerent, susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus, in quem sperabo. Et si verò hodie legamus in eum, nemo tamen illud, eum, audet ad alium aliquem referre, quā ad ipsum Deum, etiam spectata solùm vi contextus, similiter pro eo, quod nos habemus Psalm. 77. Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula: Hebraicè solito idiotismo dixir Dauid; *vaijben kemo-ramim mikdasco be eret jesadale-olam*, quod ad verbum est, & ædificauit sicut vnicornium sanctif. suum in terra, fundauit eam in sæculum, aliaque id generis infinita. Itaque quod Syrus habet [Tu es Cepha, & super illo cepha ædificabo Ecclesiam meā.] Interpres Græcus, vt rem totam clarè exprimeret; non voluit simplici articulo dicere, *caì epì ti Petra*; sed addidit pronomen demonstratiuum: *epì tayti ti Petra*, cuius is apud Græcos vsus est, qui apud nos, pronominis, idem quasi dixerit Christus, [Tu es Petrus, & super eandem hanc, (vel super istā ipsam) ædificabo Ecclesiam meam,] nempè super illam, quam dixi te esse: nam quòd ea sit emphasis pronominis *tayti*, vel *oytos* ex multis exemplis patet: sic *oytos* ò apud Græcos idem est, nempè de quo iam speciatim ago; vnde apud Homerum *oytoi toi ippoi*, hi sunt illi equi; quos &c. & apud Platonem *oytos o sophron*, hic est iste temperaos.

23 Sequitur nunc verbū ædificabo, in quo ità vsurpat Dominus vsitatam sibi allegoriam, vt Ecclesiam domui, fideles lapidibus; se ipsum, architecto; B. Petrum, fundamento compareт. Nam quia cum B. Petro, & Apostolis, eorumque successoribus, diuersimodè communicat ea, quæ fundamenti nomine significantur; etiam nomen ipsum transfert, sicuti eadem de causa alibi seipsum vocat fundamentum; & Apostolos Architectos, ve cum à Domino missus dicitur Ieremias, vt ædificet: Aut cum promissum Ecclesiæ, apud Amos, quod B. Iacobus Act. 15. citat. [Post hæc reuertar, & reædificabo Tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo]. Denique cum de seipso dixit B. Paulus; vt sapiens Architectus fundamentum posui, & generatim de omnibus simile officium administrantibus; Dei cooperatores sumus: Ac proindè; immeritò pariter, & indoctè nobis obijciunt heretici, quasi in Christum peccemus; dum B. Petro, vel Apostolorum cuicumque, nomen, vel rem fundamenti tribuimus. Neque enim minor est dignitas Architecti, quàm fundamenti; & nihilominus architectura in scripturis sic Christo, & Deo dicitur propria, vt Apostolis, hominibusque pariter legatur communicata, neque nos sine apertis scripturæ testimonijs, nomen hoc ad Apostolos transferimus; cum in Apocalypsi apertè legamus, duodecim fundamenta ciuitatis Dei, & muri eius.

24 Sed hæc aliàs; prosequamur nunc allegoriæ præsentis expositionem. Ecclesia domus est ædificanda, Christus ædificabit, Petrus erit fundamentum, lapides superstruendi sunt omnes, qui coædificantur in domum Christi; & quia in hanc coimus, non vt lapides mortui, per vnionem corporum, aut calcis; sed vt lapides viui, per vnitatem animorum, & doctrinæ fidei, in eadem participatione sacramentorum; ideò ponere Petrum huius Domus fundamentum, eique superædificare, idem est, quòd per ipsum homines circa fidem, doctrinam, & mores instruere, difficultates exorientes, à quibus domui esset periculum scissionis, vel ruinæ, componere, dubia decidere, controuersia determinare, inobedientes compescere, ac omnia peragere; quæ ad ædificationem, conseruationemque Ecclesiæ requiruntur. Ità colligo tum ex ipsa ædificationis metaphora, tum ex alijs scripturæ locis; vbi incidit huius rei mentio, tum denique ex clauium, & pastoris metaphoris, de quibus speciatim. Nam ædificatio domus in sacris tripliciter vsurpatur: primùm; de domo materiali, in sensu proprio; quomodo [Salomon ædificauit domū Domini, & domum saltus Libani.] Secundò; de ædificatione, seu augmento familiæ, in rebus corporalibus. Idque rursum dupliciter: dicitur enim ædificare domum, tum is, qui liberos gignit, ac generatione familiam auget, & conseruat: quo sensu Lia, & Ra-
25 chel ædificauerunt domum Israel; tum is, qui familiam in bonis, facultatibus, & fauoribus plurimùm iuuant: id est, in institutione morum, conciliatione amicorum, regulis œconomiæ, punitione inobedientium; auersione damnorum, hoc sensu Prouerb. 14. v. 1. legimus. Sapiens mulier ędificat domum suam, & Genes. 30. v. 30. pro eo, quod noster Interpres dixit. [Iustum est, vt aliquando prouideam domui meæ. 70. habent. *Nyn oyn pote poiso cagò emayto oicon*, sicut contra; dicuntur familiam perdere, aut domum destruere, qui vel posteros eius familiæ occidunt, vel facultates eius perdunt, œconomiam subuertunt, amicorum fauores alienant, bona dilapidant, indigna maioribus committunt, sic per antithesin Prouerb. 14. v. 1. legimus, [Sapiens mulier ædificat domum suam, insipiens verò extructam quoque manibus destruet,

ſtruet;] & 4. Regum 9. 8. comminatur Deus ſe [domum Achab pereitum.] quod idem eſt ac ſi dixiſſet exciſurum ſe totam eius poſteritatem, vnde ſtatim ſubdit, & interficiam de Achab, &c.

26 Tertiò; dicitur ædificatio domus, de ædificatione domus myſticæ, quę non ex ſanguinibus, neque liberis carnalibus, aut opibus externis; ſed ex filijs Dei, & liberia, ac opibus ſpiritualibus conſtat: atque hæc acceptio, præſenti loco propria eſt, totaque deſumitur ab analogia ad ſecundam acceptionem; vt ſicuti in ea, fundamentum domus, dicitur pater, quia liberos generat, aut facultates adauget, leges æconomicas ſtatuit, omniaque curat pro poſterorum, & filiorum bono; ità in hac, qui pater eſt, petra dicitur & ædificationis fundamentum, quia liberos ſpirituales gignit; id eſt homines per fidem, Eccleſiæ adgenerat, & in filiosfamilias ſuſcipit, qui facultates eius, non temporales præcipuè, ſed ſpirituales curat, leges ſtatuit, officia domeſtica diſpertit, inobedientes corripit, filios in bonis moribus dirigit, damna auertit: adeòque hæc omnia B. Petro, præſentibus verbis, quæ modo tractamus, ità promiſſa ſunt; vt ſi ea quis ei cum M. Antonio ſubtrahat, conſequenter etiam totam fundamenti dignitatem ſubtracturus ſit, affectu dico, non effectu? Verè enim nihil Petro, ſed ſibi nocet, qui dum ab eo non vult regi, aut corripi, vt filius: neque illi vt fundamento ſuperædificari, extrà benignam Dei manum, & Eccleſiæ domum, ſe ipſum præcipitauit: manet enim etiam hodie verum, quod B. Hieronym. dixit, qui extrà hanc domum agnum comedit, alienus eſt, & profanus.

27 M. Antonius ne admiſſa ſemel hac expoſitione ad B. Petri Primatum admittendum nimis vrgeretur, rationem ædificationis myſticæ paulò aliter explicauit: nam num. 21. ſimilitudo ait, ſeu metaphora ædificij in eo conſiſtit, vt ſicut fundamento hærunt lapides, & ab eo ſuſtentantur in illa vnione, & cohærentia, ità Eccleſia, hoc eſt, fideles in fide vna, & eadem innixi inter ſe retinent cohęrentiam & vnionem, qua fide ſublata concidunt, ex ædificio illi, qui cum cæteris fidelibus ſola fide (nulla ſub Eccleſiæ Prælatis obedientia) & ei adnexis adhęrent, atque ità in eam rurſùs delabitur expoſitionem, quæ petræ nomine fidem intelligit. Atque vt plenè ſciamus, eum ità fidei huc tribuere, vt perſonam, & officium Petri omninò excludat, ſubdit: Hoc autem (nempè quòd ſublata vnione lapides Eccleſiæ ex ſua vnione excidant, & deſinant eſſe in Eccleſia) neque de Petro, neque vllo homine poteſt verificari. Quod quàm verum ſit, didicimus in fine cap. 2. ex B. Hieronymo, qui cum in ſchiſmate Antiocheno à tribus ſollicitaretur Epiſcopis, exclamare ſe dicit. [Qui Cathedræ Petri iungitur (ſeu vnitur) meus eſt. Ex quibus facilè intelligere poterat M. Antonius ſolam vnionem lapidum in fide, vtpotè nobis ignotam, & non viſam, à B. Hieronymo non poni pro fundamento, in quo lapides Eccleſiæ vniuntur; ſed id, quod dicimus, ideſt Cathedram Petri. Atque ad ædificationem noſtram requiri viſibilem, & externam lapidum vnionem ſub obedientia, & directione vnius patrisfamilias, qua quiſquis abit, à domo ſe ſeiungit.

27 Confirmarem poſitam à me expoſitionem, pluribus SS. Patrum teſtimonijs; ne ſolus ſibi antiquitatis amator videretur Marcus Antonius, & cultor, ſed quia prolixum, 28 eſt, adducere ſingulos, commodiſſimè res omnis ex tota Eccleſiæ œconomia, atque ex celebratione Conciliorum per ſingulas ætates; & ex modo, quo Eccleſiæ tunc regi conſueuit, perſpici poteſt. Itaque duo hæc ante oculos nobis ponenda; Primum, Nemini præter Romanum Pontificem hanc dignitatem primis Eccleſiæ ſæculis delatam, neque ab aliarum ſedium Epiſcopis vendicatam; vt ipſi tanquam vniuerſales Eccleſiæ Rectores, & Patres conſulerentur: in quo ſcio facilè mihi conſentiet M. Antonius, vel alium, eiuſque actus vniuerſales aſſignare. Secundum; eandem vendicatam omnibus ſæculis à Romanis Pontificibus, tamquam debitam Romanæ cathedræ, & ſucceſſoribus Petri; eiſdemque à Patribus, & Concilijs, delatam. Quod ſi ità eſt, quid contendimus? neq; enim ab ea Eccleſia abire debemus, quā ſemper ſcimus fuiſſe, & Chriſti manibus fundatam, & Sp. Sancto rectam: aut ſi quis velit abire, prout multi abierunt, quiſquis ſapit, non agnoſcat Architectum, niſi Chriſtum; neque ingrediatur Eccleſiam, niſi ab ipſo ædificatam, neque enim debet à M. Antonio nunc primùm excogitari domus Dei, aut ædificari; ſed ædificata preueniti: cum ità ſit à Chriſto firmata, vt ſæculis omnibus ſteterit inexpugnabilis.

29 Et verò, quis fructus, ſi repudiato Eccleſiæ legitimo capite, egreſſus quis cum ipſo de Eccleſia antiqua; ad cœtum accedat toto orbe diuiſum, vbi fęminæ, & infantes Eccleſiæ capita ſunt? ſanè mirari mecum non ſatis poſſum; quoties acerbitatem illam animi, quam contrà Romanam Sedem ſcripta M. Antonij vbique proloquuntur, mecum expendo; & coniunctam illi, doctrinæ inconſtantiam. Nam, primo cap. primi libri, ità gnauiter laborauit; vt doceret neminem hìc in terris Eccleſiæ Caput dici poſſe, præter Chriſtum: quia ſcilicet, Caput non eſt, niſi qui in membro interno influxu influit: at verò hoc eodem lib. cap. 12. Reges admittit, Eccleſiæ, quæ ſub ipſorum regimine eſt, Capita dici poſſe; immemor interni illius influxus, quem ipſe cap. 1. ad rationem Capita dici poſſe; immemor interni illius influxus, quem ipſe cap. 1. ad rationem Capitis requiſiuerat. Rursùs hoc cap. ne B. Petro aliquam firmitatis, vel conſtantiæ laudem tribueret, quæ in petra, & fundamento requiritur n. 35. prolixè B. Petri etiam perſonales prærogatiuas impugnat; Petrus, ait, neque tempore, neque amplitudine, neque firmitate confeſſionis antecelluit, non tempore, quia, & Ioannes Baptiſta, & Nathanael priusquàm Petrus, Diuinitatem Chriſti ſunt confeſſi. Et ſi in externa confeſſione antecelluit Petrus cæteris vndecim, neque antecelluit in interna veræ fidei cognitione, neque in diuina, vt oſtenſum eſt, reuelatione; non amplitudine, ſeu myſteriorum pluralitate, ac perfectione cognitionis; quia in hoc Petrum Ioannes, vt vidimus (num. 32.) ſuperauit; & poſteà etiam

Pau-

Paulus non in firmitate; quia Petrus fermè statim ab illa eadem fide decidit, neque semel, sed sæpius titubauit, etiam post Christi ascensionem, & Spiritus Sancti illapsum. Quod de alijs præsertim de Ionne non est adeò clarum: Nam propterea Sathanas statim vocatus est Petrus, qui paulò ante petra vocatus fuerat.

30 Verùm de his in B. Petrum dicterijs, agam plenius cap. 8. Nunc nobis satis sit, demonstrasse, quòd verè ad B. Petrum Christi verba pertineant. Quòd autem Ecclesia quoque ità semper intellexerit, & de B. Petri successoribus etiam intelligi debere senserit, ex omnium, vt dixi, ætatum Concilijs, & toto Ecclesiæ decursu paret, immò, & ex præsentis temporis, in quo nos sumus, statu. Nam Ecclesia modò sic sentit; & Pontifici tantùm defert: ergo vel semper tantum detulit; vel aliquando primum cœpit ità deferre; & si in hac delatione honoris errat, ex tunc cœpit errare, ac simul ostendi debet: quando id factum, & per quem, neque enim res est tam exigua, vt nemine aduertente fieri potuerit.

31 Quia necdum vidi, quid ad hæc respondeat M. Antonius: præueniam, quòd fortè respondere posset, quodque solent nobis ferè hæretici, cum de prima Orthodoxorum dogmatum, quæ illi impugnant, origine quærimus, regerere, ideò, scilicet, non facilè inueniri auctorem, quia paulatim irrepserunt, minus ad hoc aduertentibus eis, qui aduertere debuissent: quibusque simul tota obtrudi non potuissent. Nam quantum responsio hæc à vero absit, ex ipsis Pontificum literis, & Conciliorum actis, quæ publicè semper celebrata sunt, constare potest, & licèt ipse Pontificum dictis minus tribuat, vt capite 3. vidimus, ego tamen malim cum eis Ecclesiæ inhærere in vnione capitis; quàm cum illo ab eis, & Ecclesia secedere, cum crimine schismatis, præsertim, cum præter hoc, quòd Episcopi, & Pontifices sint, sciam viros fuisse doctrina pariter, & sanctitate venerabiles, & ab eis, qui omnibus sanctitatis, & doctrinæ ornamentis, siuè cum eis, siuè post eos vixerunt, honoratos, ac in potestate, auctoritateque Pontificia agnitos, eorumque epistolas, quas ille reprobat, in plenis Concilijs lectas, & approbatas, Ita vt hac in re audite ipsa Pontificis verba sit Concilij ea approbantis, sententiam audite. Mirum est M. Antoni posse te testimonium perhibere de officio, & gradu tuo, Pontifices verò non posse de suo, quid enim hoc aliud est, quàm blandiri testimonijs proprijs, & derogare alienis? Imò verò quid aliud est, quàm si quis in tribunali, spreto decreto iudicis, sententias iudicandorum sequatur, cum in his quæstionibus Romani Pontifices, non vt suæ solùm dignitatis testes, sed vt Ecclesiæ Pontifices, & iudices audiri debeant: perindè atque Reges, qui contra subditos auctoritatem regiam negantes, pro sua potestate sententiam ferant. Nihilominùs, vt quod prudentis medici est, morbo tuo me aliquantum accommodem, ea præcipuè hìc tibi testimonia propono, quæ vel Episcopi Romanæ Ecclesiæ perhibuerunt, vel à Romanis Pontificibus ad ipsos scripta approbarunt,

Sæculo nono, celebrata est sub Imperatore Basilio Constantinopoli octaua Synodus; in causa præcipuè Ignatij veri Constantinopolitani Patriarchæ, & Photij, tecum Romanæ Ecclesiæ perduellis, inuasorisque Constantinopolitani Patriarchatus.

At vide quo titulo Constantinopolitanus Patriarcha vetus (cuius sanctitatem, causæque iustitiam, plurimis vt fusè describit Nicetas, miraculis Deus approbauit) Romanum Pontificem salutet: [Ignatius tyrannidè oppressus, multisque ærumnis conflictatus, & qui mecum infelicia tempora experti sunt, Metropolitani decem, & quindecim Episcopi, Cœnobiarcharum, ac Presbyterorum, Monachorumque infinita multitudo: Sanctissimo Domino nostro, & beatissimo Præsidi, cunctarum sedium Patriarchæ, S. Petri Principis Apostolorum Successori Oecumenico, Papæ Nicolao, Episcopisque illius sanctissimis, & sapientissimæ Ecclesiæ Romanæ vniuersæ in Domino salutem.]

Et, nedum Patriarcham omnium sedium, ac Oecumenicum, seu vniuersalem Papam respondeas appellari; sed sine iurisdictione; audi, quid in decursu epistolæ subdat: nam, post narratam Bardæ, ob admissa scelera, excommunicationem: [Has ergo ob causas à throno deturbatus sum, & pulsatus, atque eliminatus, & in custodia, vinculisque cum ijs, qui mecum fuere, senseruntque, eadem passis detentus ante iudicum vestrorum aduentum. Cum autem ad vos, literas, quibus Episcopos statum rerum omnium docebamus per Laurentium Presbyterum, & duos Stephanos dedissemus (quorum alter Subdiaconus, alter laicus esset) illos etiam Sacramento adegimus, vti eas ipsi manu sua tuæ Sanctitati porrigerent, nihil egere. Quid enim, hoc attinebat commemorasse, ad augumentum sceleris; id non ad Romanos Pontifices spectaret, Patriarcharum causas cognoscere, ac delegatos eum in finem cum auctoritate destinare. Pergit Ignatius. [Postquam verò iussi sumus, ad Caiphanum istud tribunal sisti, proclamauimus, à vestra Sanctitate nos iudicandos.] Et rursùs, in eadem epistola, cum à Legatis Romanis, ob accepta à Photio munera, appellare. [Ego verò inquam, non compareo: neque video vos indices quidquam ex præscripto Ecclesiæ agentes, Photio tyranno non eiecto, ad cuius esset mensam accumbitis, & cuius munera procul etiam stantes, accepistis, ad Rhædestum enim vrbem, vobis missæ vestes, planetæ, ornamenta ad sinum pendentia, gremialia. Huiuscemodi ego iudices non agnosco: ad Papam prouoco; lubens iudicium illius subibo. Hoc idem qui mecum erant, magna voce clamitarunt. Deindè, vt dictæ epistolæ legerentur, postulauimus, quæ canonicas Innocentij Papæ pro Sancto Chrysostomo sanctiones continebant, Ioanni Concilium iudicum non prius esse subeundum, quàm is loco suo, thronoque esset restitutus. Et in Sardicensi Concilio canon quartus: si quis Episcopus fuerit depositus, dicatque se habere defensionem; non prius sufficiatur in eius locum alius, quàm de eo Romanæ Ecclesiæ Pontifex decernat. Hæc, & alia id genus multa, illis epistolis contineban-

nebantur, quæ vti quæras, legaſque te Patrum, & Antiſtitum Reuerendiſſime, fratrumque amantiſſime rogamus.

34 Dic iam, M. Antoni, Romanos Pontifices ſibi ipſis mendaciter iſta blandiri, & Epiſcopis reclamantibus importunè ſibi, ac impudenter vindicaſſe, ſi Epiſcopos intelligis ſimiles Photij, fateor libens, reclamauit ille; at ſi nos in ſancta parte Ignatij: ego tibi libens permitto ſchiſma Photij; ſis in communione illius, cui vniuerſum Concilium cum anathemaris ſententia hoc elogium ſcripſit: [Anathematizamus, & Photium, qui aduerſùs ſacros Canones repentè de curiali adminiſtratione, & ſeculari militia ſuperſtite ſanctiſſimo Patriarcha Ignatio Conſtantinopolitanam Eccleſiam more latronum per quoſdam ſchiſmaticos intruſus occupauit.] Quòd ſi & tu Marce Epiſcoparum Vſchoccorum ſanguine emiſti; quid mirum, vt qui cum Photio *liſtricos*, ſeu latrocinijs præuijs ingreſſus es, cum eodem turpiter labaris, graduque excidas? Concludit tandem Ignatius. *Si de agiorate*, &c. Tu verò ſanctiſſime Domine oſtende in me viſcera miſerationum, & cum magno Apoſtolo, & ipſe dicas: quis infirmatur, & ego non infirmor? Intuere maiores tuos Patriarchas, Fabianum inquam, Iulium, Innocentium, Leonem, & omnes deuique, qui prò fide, & veritate fideliter decertarunt; illoſque æmulare, & vindex, pro nobis tam indigna paſſis exurge.

35 Extat eiuſdem Ignatij, altera quoque Epiſtola, quam Epiſcopi omnes, in ea Synodo, actione tertia, legi audierunt: cuius quoad præſentem materiam, exordium eſt. [Ad artus humani corporis, plagis, & vulneribus fauciòs, curandos; medendi ars magnam medicorum copiam ſuppeditauit; in membris autem Chriſti, Dei, ac Saluatoris, omnium capitis, ac ſponſi Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ; vnum tantum; ac ſolum ſelectum, ac vniuerſaliſſimum medicum, tuam nempè fraternam, paternamque ſanctitatem, ſupremum, & fortiſſimum Dei verbum conſtituit, cum Petro ſupremo, ſanctiſſimoque Apoſtolorum vertici dixit:] Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et rurſum: tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quod ligaueris ſuper terram, ligatum erit in Cœlis, & quod ſolueris, erit ſolutum: Huiuſcemodi enim beatas voces, non ſoli Apoſtolorum Principi, priuata quadam ſorte tranſcripſit, & aſſignauit, ſed per ipſum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices, illi ſucceſſuros tranſmiſit. Hinc retrò, olimque ſemper, cum hæreſes, & ſcelera pullularent: noxias illas herbas, & zizania Apoſtolicæ Sedis veſtræ ſucceſſores, extirparunt: & nunc tua Beatitudo, dignè tractans, acceptam à Chriſto poteſtatem, veritatis hoſtem fuḋr, & latronum more in Chriſti ouils per feneſtram aſcendentem, contraque Deum adeò ſe per arrogantiam ſurrigentem, vt etiam aduersùs ſacroſanctam, & inculparam tuam poreſtatem, Synodum ſefingeret, & clanculum Regem per Legaros ſolicitaret, medica manu ſacroſanctæ, & Apoſtolicæ auctoritatis, à communi Eccleſiæ corpore præcidiſti; & nos ab illo per ſcelus oppreſſos, vt amantiſſimus frater, rectè inuocentes pronunciaſti, noſtræque nos Eccleſiæ per literas reſtituiſti. Nam diuinitùs euectus Imperator noſter, vt fideliſſimus filius veſtet tuæ ſanctiratis ſententiam, & decretum executus, virumque (me inquam, & Photium) pro æquitate cauſæ, tractauit, De quibus omnibus Deo votis ritè perſolutis, virum religioſiſſimum Ioannem Sylæi, Metropolitam, miſimus, qui & noſtram cauſam tueatur, & ſimul rerum Eccleſiaſticarum deinceps adminiſtrandarum rationem, quæ Deo, veſtræque ſapientiæ probabitur, accipiat. Etenim cum duplex ſit ſacrorum hominum conſecratio, aliorum quidem, qui à nobis initiati ſunt, quique pro nobis ſponte chirographa conſcripſerunt; aliorum verò qui ab ſceleſtiſſimo, & cruento cædibus Photio, vel lubentes, vel coacti ſunt conſecrati; rogamus, vt de his omnibus aliquid decernatur. Demùm petimus, vt veſtræ ſanctitatis legati, ad nos mittantur idonei, quibus cum Eccleſiæ noſtræ ſtatum benè, & conuenienter diſponamus.

36 Ex quibus verbis facilè vides M. Antoni, qua fronte, cum reſtitutionem nobis promittis antiquioris Eccleſiaſticæ hierarchiæ; eam conaris formam obtrudere, quam Patres illi non nouerunt; eam eijcere, quam illi à Domino inſtitutam docuerunt; dicat Ignatius quid verba illa, [Tu es Petrus:] aut ea, quæ ſequenti capite examinas: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum] ſignificent; & quid *expalai, tai auetaten*, in Eccleſia à Romanis Pontificibus factum: quid ab Epiſcopis alijs Cathedræ illi delatum ſit.

In eodem Concilio Act. 7. Patres Concilij agentes de quibuſdam Epiſcopis, qui in Conciliabulo Conſtantinop. auſi fuerant contra Romanam Sedem ſententiam dicere, ità Adrianum Papam alloquitur: [Qui hanc temeritatem non vltima damnatione dignam cenſet, neque Euangelium, neque Apoſtolum nouir. Etenim Dominus dicit:] non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum. Et Apoſtolus: omnia ſecundùm ordinem fiant. Quàm proiectæ ſunt ergo audaciæ, qui contra Apoſtolicam Eccleſiam, Magiſtram, & Præſidem reliquarum, rictus pandunt, omniſque generis conuitia ructaut? an ex ſententia Pauli hæc ordine fiunt, quando ſecundi in primos exurgunt? vnuſquiſque noſtrum, quem ordinem ſecutus ſit, intelligat, Hac ſanctione, tertia Synodus Ioannem Patriarcham Antiochenum damnauit, quòd contra digniorem Sedem Alexandrinæ Eccleſiæ prima Cathedra non approbante ſententiam ferre ſit auſus, Quarta autem Synodus Oecumenica ea de cauſa Dioſcorum eiecit, cenſuitque, vt ne vnquam throno ſuo reſtitueretur; Quòd & ipſe primæ Sedis, priuilegia canoni ſupra memorato contraria auſus oppugnarit; quippè qui cum eſſet vltimus, primo tamen reluctaretur, atque in Papam Leonem Magnum, præfractam ac temerariam damnationis ſententiam pronunciaret, cum nulla eſſet illi poteſtas Synodi cogendæ, vt in eodem Concilio Apoſtolici vica-

Vicarij testantur. Ad horum igitur exempla quicumque in illo impio conciliabulo contra Sedem Apostolicam, vel os aperire, vel manum protendere ausi sint, iustam vltionem non effugiene.

37 Quod si ab hac Synodo retrograde ascendere velimus ad VII. Generalem, quæ est Nicæna secunda, celebrata circa annum Domini 780. indè ad VI. quæ est Constantinopolit. III. circa annum Domini 680. atque hinc ad V. quæ est Constantinopolit. II. circa annum Domini 550. omnia inueniemus reuerentiæ, & obedientiæ erga Romanam Sedem esse plena, eamque veram, vt veram Petri Cathedram, & Ecclesiæ fideique petram à plenis Concilijs honorari. De IV. Synodo, quæ est Chalcedonensis, ac de III. quæ est Ephesina in superioribus satis multa indicaui. Vnum hic addam dignum antiquitatis monumentum, vt intelligant nostri temporis hæretici, quæ fuerint olim formula conciliandi hæreticos cum Ecclesia. Nempè libellum, quem Hormisda Pontifex Constantinopolim misit, vt eum omnes, qui cum Ecclesia reconciliari vellent, chirographo suo subsignarent.

[Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare, quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dictæ sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses, præcipuè verò Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopus damnatus in Concilio Ephesino à beato Cœlestino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Episcopo Alexandrinæ ciuitatis, & vnà cum illo anathematizamus Eutychetem, & Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, damnatos in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur, & amplectimur, quæ sequens sanctam Synodum Nicænam Apostolicam fidem prædicauit. His coniungentes Timotheum patricidam Ælurum cognominatum anathematizamus, & huius discipulum, & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter coniungentes.]

[Anathematizamus similiter Acacium, quondam Constantinopolitanæ Vrbis Episcopum, complicem eorum, & sequacem factum, necnon & perseuerantes eorum communioni, & participationi. Quorum enim quis communionem complectitur, eorum & similem adiudicationem in condemnatione consequitur; hac enim clausula includitur Macedonius, & Euphemius, vt ex his, quæ dicentur manifestiùs declaratur. Atque subdit: simili modo, & Petrum Antiochenum condemnantes anathematizamus cum sequacibus suis, & in omnibus suis.]

[Vndè probamus, & amplectimur epistolas omnes beati Leonis Papę Vrbis Romę, quas conscripsit de recta fide, qua propter sicut prædiximus sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero in vna communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum, in qua est integra Christianę religionis, & perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, idest in omnibus non consentientes, sed Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quòd si in aliquo à professione mea dubitare tentauero; his, quos condemnaui, per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic professioni verò subscripsi mea manu, & direxi, per scripta tibi Hormisdæ sancto, & beatissimo Fratri, & Papæ magnæ Romæ, per supra scriptos Germanum, & Ioanem venerabiles Episcopos, & Felicem, & Dioscorum Diaconos, & Blandum Presbyterum. Et alia manu Ioannes misericordia Dei Episcopus Constantinopolitanæ nouellæ Romæ, hac mea professione consentiens omnibus supradictis subscripsi sanus in Domino.]

Eadem forma cæteri tunc Episcopi, & viri illustres subscripserunt, libenterque, vniuersalem Romanæ Ecclesiæ curam, & indefectibilem auctoritatem confessi sunt, idque vigore promissionis Christi, quam ille sub verbis, de quibus hactenus disputanimus, beato Petro proposuit.

39 Superest nunc, vt ad obiectionem M. Antonij; quæ vnica solùm est, quaque insolenter admodùm gloriatur, respondeam: etsi enim ea à multis sæpè reiecta, apud eum tamen plus virium habere videtur; quia eum malè sanus sit, non placet ei sana doctrina.

[Esto, inquit, si Petrus Ecclesiæ fundamentum, ædificetur super eum Domus Dei, tamen non sequitur, quod ex hoc titulo sit Caput Ecclesiæ Monarchicum: [Nam & alij Apostoli omnes Ecclesiæ fundamenta sunt,] vt patet Apocal. 21. nec tamen omnes sunt, immò nec possunt esse Monarchæ.

Respondeo: ità est: Apostoli omnes, & dicuntur, & sunt fundamenta Ecclesiæ; nec tamen licet inferre, ergo sunt capita Monarchica; ratio est, quia vt superiori cap. dixi, alio modo eis conuenit ratio fundamenti, quàm Petro, si quæras vndè sciam? facilè dicam, quia nusquam mihi quis ostendent, siue in Concilijs, siue in Patribus ità æstimatam dignitatem fundamenti in alijs Apostolis, vt in Petro: nusquam ità translatam ad dignitatem Cathedræ eorum, aut ad successores, vt in Petro, nusquam eis commissionem, aut titulum fundamenti datum sigillatim, vt Petro, sed quid hoc, inquies, ad Monarchiam? dicam: Dignitas fundamenti, quam habuerunt singuli, fuit illis cum cæteris collegis communis; ideòque fundamenta sunt, sed quia soli id non sunt, etiam non sunt capita Monarchica. Dignitas fundamenti, quam habuit Petrus fuit ei propria, neque communis cum cæteris collegijs; ideò & fundamentum est, & caput Monarchicum. Regimen enim, quod alicui sic conuenit, vt non conueniat alijs, eodem modo Monarchicum est.

CAP.

CAP. VII.

Explicantur Christi verba apud Matthæi cap. 16. de clauibus beato Petro traditis, & quid sit potestas clauium: ac quibus.

Diuisio capitis, & tractandorum num.1.
Claues, quid, & quis earum vsus ? num.2. & 3.
Potestas aperiendi, & claudendi; item soluendi, & ligandi num.5. 6. 7.
Beatus Petrus Cœli Ianitor num. 8. 9. 10. 11. & 12.
An Apostoli pares inter se quòad potestatem clauium ? num.13.
Censura M. Antonij de doctrina Ecclesiæ 15.
Impudens M. Antonij mendacium contra Concilium Coloniense, num.17.
Explicatio auctoritatum, quas M. Antonius Catholicis obijcit, num.19.
Exponuntur duæ Catholicorum sententiæ de clauibus, & earum conciliatio num. 20. 21. 22:
Quid per claues propriè beatus Petrus possit numero 23. vsque ad 28.
Claues quomodo datæ Apostolis omnibus numero 28. 29. 30.31.
Turpissima M. Antonij fraus, num.32. 33.
Epilogus M. Antonij, num.35.
Refutatio, & censura illius, num.36.

1 DVas Marcus Antonios fecit huius capitis partes, in quarum priori, agit de potestate clauium beato Petro, Apostolis per Christum concessis; posteriori verò, rationem examinat, cur speciatim vt priùs, datæ claues beati Petro soli, & qoidem cæteris Apostolis præsentibus; cæteris verò non singulis solis,sed collectiin omnibus, & quid in hac re lateat mysterij ?

Io priori ferè quatuor suut nobis expendenda.

Primum, [quid verba illa Christi, & tibi dabo claues, significent.]

Secundum, [An ea dicta fuerint beati Petro ?]

Tertium, [An etiam cæteris Apostolis datæ claues ?]

Quartum. [An datæ illis eodem modo, qoo Petro ?]

2 Prima quæstio, quandoquidem allegoricæ locutionis explicationem quærit; expendet ex analogia domus, & clauium spiritualium; ad domum, & claues materiales; adeòque, quemadmodum superiori capite explicoimus allegoriam ædificationis Ecclesiæ, per similitudinem ad ædificationem materialis domus; Ità & hìc,allegoriam clauium explicare debemus, ex analogia ad claues exteroas, & materiales.

Experieotia autem patet, vsum clauium hunc esse, vt ea, quæ clausa sunt, cum vel occessitas, vel vtilitas exigit, aperiant, vel quę aperta sunt, claudant. Ità tamen, vt non per singulas claues, claudamus, aperiamusue omnia; sed singulas per proprias: adeòque ad plenè intelligeudam eiusque clauis vim, & vsum, scire oporter, oon tantùm quòd per eam aperiri possint aliqua, sed etiam quænam ea sint, & quomodò aperiantur. Itàque tria vniuersum in clauibus spectari possint.

Primò; facultas aperiendi, & eam vocamus in spiritualibus absolutè clauem.

Secundò, res aperienda.

Tertiò, modus.

Quòd autem ad rem aperiendam in prę-seoti spectat, ea à Christo Domino sufficienter determinata est, cum addidit: [dabo tibi claues Regoi Cœlorum:] Nam quia per [Regoum Cœlorum,] Ecclesia in scripturis significatur, siue militaos in terris,siue triumphans in cœlis, idem est, dare [claues Regni Cœlorum,] quòd dare claues Ecclesiæ aperieudæ, & claudendæ. Loquimor autem hic de Ecclesia, noo prout sigoificat Rempublicam, seu congregatiooem fidelium, & populi Dei, ità vt facultas aperiendæ, vel claudendę Ecclesiæ sit facultas admitteudi aliquē ad hanc congregatiooē populi Dei, vel ab ea excludeodi: est eoim tota locutio allegorica, & sicuti per clauem potestas, ità per Ecclesiam significatur ipsa hominum congregatio: non lapidum, aut materiale ædificium. Simili phrasi Christus Dominus, Apocal.3. habere clauem Dauid, seu clauem domus Dauid, sub typo Eliacim, de Christo Domino loquitur Isaias, cap.22. domus enim Dauid, pro regno; regnum, pro hominibus ponitur, vt idem sit clauis domus Dauid, quòd potestas super omnem fideles, seu omnia membra regni. Illud obiter in posteriore hoc loco obseruandom, quòd cùm aliàs clauis dari soleat io manus, maous enim vtuntur clauibus; Isaias tamen scribat clauem Eliacim dandam *al scimo* al scicmo, idest, super humerum eius & paulò vnte, sioe metaphora, secutus commuoem idiotismum dixerat Sobnæ, dabo potestatem tuam *be saddo* be saddo, id est, in manu eius, indicauit enim per humeros, clauem imperij, & potestatis signum esse, & pro scepeto poni, quod super humeros requiescit, vndè Isaiæ 9. eadem phrasi legimus, factus est principatus super humerum eius.

Ec quia cælum, hominibus generatim per omne peccatum clauditur; potestas aperieodi cæli, iocludit omnem potestatem remittendi peccata: vndè & Apostolis, quando administrationē huius potestatis propediem erāt executuri,data est à Christo generalis potestas,vt quęcumque,& quorumcumq;peccata possent remittere. Ecclesia verò, quæ hìc militat, non clauditur quolibet peccato; manent enim in ea etiam peccatores (vt contra Donatistas præcipuè disputauit frequenter beatus Augustinus) sed in quatuor ferè casibus, infidelitare, hæresi, scismate, & excommuuicatione, adeòque dare claues Ecclesiæ militaotis, est dare potestatem insedeles, hæreticos, & schismaticos pœoitentes, admittendi in Ecclesiam; aut excommunicandi, vel excommunicarionem tollendi. Atque ità omnia hęc beato Petro per claues promissa, & collata.

5 Quia tamen potestas aperiendi, & claudendi diuersis modis habetur, & aliter est in patre-familias, aliter in fratre ei cohabitante, qui tamen non est fam[...] supremus pater-

pater-familias, aliter in filio, aliter denique in delegato patris-familias, & in famulo; ideò consequenter quoque debemus aduertere, in Ecclesia non omnes habere clauem eodem modo, aut cum eadem potestatis plenitudine, quod ità verum est, vt neque Marcus Antonius id diffiteri possit; certum enim est non Episcopos tantùm, sed & Sacerdotes, has claues habere; & quoties illi, vel pœnitentem in Ecclesia Cælo reconciliant; vel eum, qui extrà Ecclesiam fuit, in Ecclesiam admittunt: id faciunt virtute harum clauium ità necessariò, vt si claues non habeant, irritum sit quicquid attentant. Et tamen fatetur etiam Marcus Antonius, ex institutione Christi; magnam esse inter Sacerdotale, & Episcopale officium, inæqualitatem.

6 Vndè non debebat ei ad præsentis materiæ tractationem, contra nos susceptam, sufficere; quòd ostenderit claues non esse soli Petro datas, sed etiam Ecclesiæ. Nàm neque nos hoc diffiteri possumus, neque volumus, neque ex eo quicquam aduersùs dignitatem beati Petri consequitur, vt posteà pleniùs patebit: nunc materiam præsentem prosequamur.

7 Quia is, qui claues habet tamquàm pater-familias, etiam habet potestatem regendi familiam suam, eosque, quos in eam admisit, in bona œconomia gubernandi, non quidem per ipsas claues formaliter; sed per titulum, seu auctoritatem, qua habet claues, nempè, quia eas habet, non vt purus familiæ seruus, aut famulus, sed vt pater, pastor, & rector: ideò consequenter etiam habet potestatem regendi familiam suam, eosque, quos in eam admisit, in bona verò nomina gubernandi, non quidem formaliter, per ipsas claues, quibus aperit, vt dixi, verùm, ex modo, quo habet claues; nempè non vt famulus familiæ, sed vt pater, & rector: ideò consequenter etiam in clauibus nostris allegoricis, formaliter quidem significatur sola potestas aperiendi, & claudendi; seu in familia admittendi, & ab ea excludendi: consequenter tamen includitur etiam potestas admissos regendi, ac gubernandi, statuendi leges, distribuendi officia, aduertendi in mores, corripiendi inobedientes, adiuuandi eos, qui aliorum iniuria opprimuntur, oppressores puniendi, &c. atque hoc est, quod Dominus noster, noua allegoria significare voluit, verbis sequentibus, [ligandi,] atque [soluendi;] claues enim formaliter nec ligant, nec ligatos soluunt; sed aperiunt tantùm, & claudunt, admittunt in familiam, vel excludunt: is tamen, qui habet claues, vt pater-familiæ ligare potest, & soluere, immò verberare, & punire, ac tandem indignos de familia eijcere, Atque ità in his Christi verbis, [Tibi dabo claues, &c.] duæ partes sunt, quæ ità inter se distingui debent, vt earum priori, promittatur Petro, auctoritas constituendi, augendique familiam, cuius ipse futurus sit pater. Posteriori verò, eidem promittatur potestas, eandem, postquàm iàm acquisita fuerit, & constituta, disponendi, ac regendi, quasi dicit Christus, dabo tibi claues familiæ meæ aperiendi, & augendi; ingressus autem familiam non sines vnumquemque agere pro arbitrio, sed reges quoque eos tùm auctoritate, & bonis legibus compones, vt sit parata, quieta, & benè composita respublica.

8 In secunda quæstione, non est magna difficultas, cùm ex toto contextu, quem superiori cap. latiùs prosecutus sum, pareat, per pronomen [Tibi,] in tota ea sententia, Simonem Ioannis, seu Petrum intelligi debere; idque ità constanter, & concorditer Patres doceant, vt fateatur Marcus Antonius, nu. 3, hìc, monstri simile fore; si quis neget Dominum hæc verba ad personam beati Petri dixisse, aut de ea intelligere. Sunt enim hæc verba, nihil aliud, quàm verborum iàm superiori cap. expositorum prosecutio, & promissionis illic inchoatæ plenior continuatio, itaut idem sit, cui dicitur, [Tu es Petrus,] & [Tibi dabo claues.] Vndè & inter Patres, speciatim beato Petro, præ alijs Apostolis, tributum Epitheton, vt, Ianitor Cæli, dicatur, hinc apud Hilarium Psal. 131.

Tantæ ei (nempè Christo Domino) religio fuit, pro humano genere patiendi; vt Petrum, primum filij Dei confessorem, Ecclesiam fundamentum Cælestis Regni Ianitorem, & in terreno iudicio Iudicem Cæli, &c. Et Cyrillus catechesi 17. vbi Spiritus sancti virtutes, & operationes enumerat: In eadem, inquit, Spiritus sancti virtute, & Principes Apostolorum, & Regni Cælorum Clauiger Petrus, Lyddæ, quæ nunc Dioscolis vocatur, in Christi nomine paraliticum Æneam sanauit.

9 Ioannes Damascenus, oratione de transfiguratione Domini: Hoc inquam, Petre à Christo supplex contende, ab eo inquam, qui Ecclesiæ immaculatus sponsus est, qui te Cælestis Regni Clauicularium instituit, qui tibi vinciendorum, ac soluendorum peccatorum potestatem concessit, quem tu Diuino ore Dei viuentis filium prædicasti, &c. Assumpsit Dominus Petrum, vt Antistitem, qui totius Ecclesiæ gubernacula suscepisset.

Theodorus Studites, epistola ad Paschalem Papam: Audi Apostolicum caput, à Deo electe Clauiger Regni Cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catbolica.

Hilarius in Matthæum, canone 16. O in nuncupatione noui nominis, fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus Cæli Ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in Cælo, vt quæ in terris aut ligata sint, aut soluta; statuti eiusdem conditionem obtineant & in Cælo.

10 Idem epitheton Ecclesia ei in hymno tribuit, Ianitor Cæli, Doctor Orbis pariter; & in eo, quod ad perpetuam Hollandici olim Catholicismi memoriam adhùc superest epigrammate, quod excisum antè fores Templi Egmondani, licèt nunc diruti, adhùc stat illæsum:

Ianitor ò Cæli, pronum tibi mente Fideli
Intromitte gregem, superùm placans sibi Regem.

Neque

Neque ex Patribus ferè quiſquam eſt, cuius hodiè lucubrationes extant; qui beato Petro epitheton hoc, vel aliud ei ſimile non tribuat, ac de illius clauibus pleniſſimè loquatur.

11 In Concilio Epheſino, Philippus Preſbyter dixit: Nulli dubium eſt, immò ſeculis omnibus notum; ſanctum, beatiſſimumque Petrum, Apoſtolorum Principem, & Caput, fidei columnam, Eccleſiæque Catholicæ fundamentum, à Domino Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, humanique generis Redemptore, Regni Cæleſtis claues accepiſſe: ſoluendique, atque ligandi poteſtate, quàm acceperat vſum fuiſſe: necnon per Succeſſores ſuos, huc vſque ſemper viuere.

12 Et Caſſiodorus libro de amicitia: Sanè, ait, Dominus Ioanni prætulit Petrum; nec affectum ſubtraxit Diſcipulo, quem diligebat, Petro conferens Principatum. Claues Regni Cælorum Petro contulit, vt Cælum aperiret, & clauderet: Ioanni verò, nobis aperiendi ſua arcana pectoris, facilitatem reſeruauit, Petro commiſit curam, & regimen ſuę Eccleſiæ: Ioanni verò curam, & cuſtodiam Matris ſuæ. Petrus ergo ſublimior: ſed Ioannes certior. Non audet Petrus inquirere à Domino, quis eum traderet: Ioannes autem innuente Petro (quod Princeps Apoſtolorum inquirere verebatur) confidenter interrogat.

13 In tertia quæſtione videri poſſet maior difficultas; eò quòd videantur Patres, in clauibus tantumdem tribuere cęteris Apoſtolis, quantum beato Petro, hinc apud beatum Cyprianum loco ſuperioribus capitibus, citato legimus: Loquitur Dominus ad Petrum, ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quæcumque ligaueris ſuper terram, &c. Et idem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Et quamvis Apoſtolis omnibus, poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut Me miſit Pater, & Ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur, &c.

Similiter Origenes: An verò ſoli Petro dantur à Chriſto claues Regni Cælorum, nec alias beatorum eas accepturus eſt? quòd ſi dictum hoc: Tibi dabo claues Regni, cæteris quoque commune eſt, cur non ſimul omnia, & quæ priùs dicta ſunt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnia communia?

Hilarius orationem ſuam ad Apoſtolos omnes conuectens, ait: Tanta, & tam propriè, vos, ò ſancti, & beati viri, ob fidei meritum claues Regni Cælorum ſortiti, & ligandi, atque ſoluendi in Cælo, & in terra ius adepti, geſta eſſe per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium videatis, &c.

Item: Illi Apoſtoli manu, atque opere ſe alentes, intrà cœnacula, ſecretaque coeuntes, vicos, & caſtella, genteſque ferè omnes, terra, & mari, contra Senatus conſulta, & Regum edicta, peragrantes. Claues credo Regni Cælorum non habebant?

Hieronymus, at dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues Regni Cælorum accipiunt, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, &c.

Gaudentius Brixienſis: Omnes, inquit, Apoſtoli, Chriſto ſurgente, in Petro claues accipiunt; quinimmò cùm Petro Cæleſtis Regni claues ab ipſo Domino accipiunt, quando ait illis: Accipite Spiritum ſanctum, &c. Et iterùm: Euntes docete, &c.

14 Auguſtinus: Petrus multis locis ſcripturarum apparet, quòd perſonam geſtet Eccleſiæ, maximè illo loco, vbi dictum eſt: Tibi dabo claues Regni Cælorum; numquid iſtas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Ioannes, & Iacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli?

Ambroſius: Quòd Petro dicitur, cæteris Apoſtolis dicitur: Tibi dabo claues, &c. non poteſtatem vſurpamus, ſed ſeruimus imperio.

Item, impoſſibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis, ad Sacerdotum officia, tranſmiſſum eſt.

Leo tractans illa verba Chriſti: Tibi dabo claues, &c. Tranſiuit, inquit, in alijs Apoſtolis, vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes, decreti huius conſtitutio commeauit.

Theophilactus: Licèt ad Petrum, inquit, tantùm dictum ſit illud: Tibi dabo, &c. tamen omnibus Apoſtolis olim datum eſt, quandò dixit: Quorum remiſeritis, &c.

Euthymius: Tibi dabo claues, &c. Atqui donum hoc fuit cæterorum Apoſtolorum.

Beda: Quodcumque ligaueris, &c. Hæc poteſtas, inquit, ſine dubio, cunctis datur Apoſtolis; quibus ab eo poſt reſurrectionem, dicitur generaliter. Accipite Spiritum ſanctum, &c.

15 Ex his Patrum ſententijs, putauit M. Antonius ità ſe habere ſtatutam aduerſùs nos, plenam Apoſtolorum cum beato Petro paritatem; ſublatumque omne diſcrimen, vt priuſquàm ad horum locorum citationem accederet, num. 3. glorioſè hæc verba præmiſerit: Monſtri igitur ſimile ſit, negare hoc loco Dominum cum ipſamet perſona Petri loqui, eique promittere claues, quas poſteà etiam ipſi infallibiliter conceſſerit. Sed monſtri adhùc forſaſſe maioris ſimile fuerit, ad Petrum ſolùm, hanc promiſſionem, ipſiuſque executionem adeò arctare; vt claues Apoſtolis alijs, neque fuerint promiſſæ à Chriſto, neque datæ. Et in fine ſubdit: Immò iàm oſtendo, nihil promitti, aut dari Petro, illis verbis: Tibi dabo claues, &c. & Quodcumque ligaueris, &c. quòd alijs promiſſum non fuerit, & ab ipſomet Chriſto conceſſum, hoc enim Patres, & animaduerterunt, & conceſſerunt; perindè ac ſi monſtruoſa doceamus apud Catholicos, & omnes ità caligauerimus, vt nemo ad monſtruoſitatem aduerterit.

16 Verùm, vt intelligat Lector, quomodò iſta omnia nobis nihil aduerſentur, neque contra beati Petri Primatum, vt ſperabat Marcus Antonius, quicquam pugnent: neque ille monſtruoſè à nobis, ſed Orthodoxè aſſeratur, illud notatu dignum, quòd poſt citatos iàm Auctores, alias prætereà, Quatuor adhùc citationes, ſed poſterioris temporis Marcus

cus Antonius subiungat, ex quibus similiter sententiam Catholicam conatur euertere, vnam Rabani ex catena, in Matth. Hæc autem ligandi, atque soluendi potestas, quamuis soli Petro data videatur à Domino; tamen & cæteris Apostolis datur, nec non etiam nunc in Episcopis, & Presbyteris, omni Ecclesiæ. Alteram Lyrani, ex comment. eius ad cap. 16. Matth. Non solùm, pro te dabo claues, sed etiam intelligatur dari alijs. Sicut enim confessio Petri, erat confessio aliorum, ità potestas hæc data Petro, intelligatur dari alijs, licèt Petro principaliùs, in quantùm erat aliorum capitaneus.

Tertia Synodi Lemouicensis, antè sexingentos fermè annos; sicut Dominus beato Petro, & huic beato Martiali, ad cuius sacratissimum Corpus assistimus, cæterisque Apostolis, virtutem, atque potestatem ligandi, atque soluendi tribuere dignatus est, ità, &c.

Quarta Concilij Coloniensis sub anno 1549. Christus, inquit, Ecclesiæ in Petro pro Ecclesia confitenti ipsum esse filium Dei, promisit, quando dixit: Tibi dabo claues Regni Cælorum, &c. & Quodcumque ligaueris, &c. Quam promissionem non ad vnum Petrum pertinere, sed in omnes Apostolos transmissam, alio loco insinuat, vbi dicit: Amen, dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Ecclesiæ igitur sunt claues istæ ligandi, atque soluendi datæ; quas non ab hominibus, sed à Christo accepit, &c.

Quibus deindè hæc sua Marcus Antonius subiungit: Scripta sunt hæc in Concilio Germaniæ, satis celebri, eodem tempore, quo Concilium Tridentinum celebrabatur, & nihilominùs illius Consilij Patres, Primatum Petri supra alios Apostolos non agnoscebant, & consequenter illi Monarchiam Petri, certè hoc loco non admittebant.

At verò, quàm impudenter has consequentias ex illis, siue Concilij, siue aliorum Auctorum verbis colligat; ipsi eidem Auctores, & Concilia alijs locis apertissimè docebit. Et verò, mirati satis non possum, qua fronte ausus fuerit, Marcus Antonius Concilio istam sententiam affingere, à qua & debuit, & potuit scire; si modò, quemadmodùm ipse præsefert. Concilij acta legerit, quàm longè Concilium istud laudatissimæ, & à Catholica religione celeberrimæ Diœcesos, abfuerit; nàm in eiusdem Concilij actis, inter ea, de quibus examinari debent ei, qui de hæresi suspecti, aut insimulati sunt, tertia interrogatio es.

An credat hanc solam veram esse Ecclesiam Catholicam, in qua est vnanimis, & communis professio doctrinæ Euangelicæ, & Apostolicæ, secundùm intellectum, & expositionem sanctorum Patrum, & dijudicationem, & determinationem generalium Conciliorum, ab Ecclesia receptorum: & in qua est administratio Sacramentorum, secundùm Catholicam traditionem in Ecclesia Occidentali hactenùs piè, & laudabiliter obseruata, Quæ non in angulo aliquo Orbi terrarum conclusa, sed in vnitate doctrinæ, & Sacramentorum communione, in vinculo pacis diffusa est, & propagata per totum terrarum Orbem.

Quarta, an recedat, In hac Ecclesia Catholica nos, omnesque alios esse, qui in hac concordia, communione, & pace, sub obedientia vnius Summi Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ viuimus.

Quibus post multa interserta 36. loco subditur: An credat, sanctum Petrum fuisse Principem Apostolorum, & Christi Vicarium, & Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ Summum Pontificem, & tales quoque censendos esse: qui in ei canonicè in Cathedra sua successerunt, & succedunt, quamvis sint longè inferiores merito? & 37.

An credat, à tali Pontificis obedientia, excepta causa hæresis, siue schismate non posse discedi?

18 Itane, huic Concilio, tam disertè Pontificiam auctoritatem profitenti, Marcus Antonius audet talem notâ inuertere, vt dicat Concilij huius Patres, Primatum Petri super alios Apostolos non agnouisse, neque Monarchiam Petri admisisse: Quis crederet, eius dignitatis; & ætatis senem, ità veteratoriè Patres, Conciliaque tractare? & tamen affectatæ opinionem sinceritatis, ac Orthodoxæ?

19 Ex his ergo, facilis est ad cætera quoque testimonia responsio; aut potiùs nulla est responsio necessaria: quemadmodùm enim Coloniense Concilium, in quo tàm disertis verbis beati Petri Primatus adstruitur, à Marco Antonio ità fraudulenter detortum est; ad inducendam aliquam hæresi auctoritatem, cùm alioquin ipsa Concilij verba Catholica sint, & nihil, nisi propositionem Catholicam contineant: contrariam directè ei, quàm illi Marcus Antonius affinxit: ità omninò idem de cæteris quoque testimonijs sentire debemus, nihil in eis dici, quòd non nos ipsi in Ecclesia Catholica dicimus, & docemus; prout ex his, quæ circa tertiam quæstionem nunc dicam patebit.

20 In qua vt res tota sit clarior, illud priùs obseruandum; videri posse quòd inter scriptores Catholicos, præsertim posteriores, nonnulla hac in re pugna sit, & contrarietas præsertim, inter Caietanum, & Bellarminum; quia Caietanus differentiam ponit inter clauem, & potestatem ligandi, atque soluendi; quasi latius pateat clauis, quàm illa potestas, & ligare, ac soluere tantùm sit effectus clauium inadæquati, cum alioquin proprius illarum effectus sit aperire, & claudere: Bellarminus verò hanc distinctionem reijcere videtur, eò quòd in Ecclesia non sint aliæ claues, quàm Ordinis, & Iurisdictionis, eique se adiungens. M. Antonius; [Patres ait, paulò antè me prolati, subtilitatem illam Caietani, cogunt nos totam respuere, non modò enim dabant Apostolis omnibus potestatem soluendi, & ligandi, sed expressè claues etiam Apostolis datas esse fatebantur, quod ineptè negat Caietanus.

21 Verum quòd ad hoc duorum illustriss. Cardinalium dissidium amicum attinet, facilè illi inter se conciliari possunt, vt nihil dissideant: quod verò ad censuram attinet M. Antonij, dolenter dico, solita sibi arte, & impudentia vtitur, ac mentitur;

tur; neque enim Caietanus, vsquam negat Apostolis, à Christo claues datas; sed tantùm dicit, nusquam inueniri eis promissas: quod si verum non est, ostendat M. Antonius vbi promissæ sint, neque enim in toto nouo Testamento, vlla clauium promissio vsquam, præter vnicam eam, de qua modò disputamus: quæque beato Petro facta est. Mendacium verò hoc tantò censeri debet impudentius, quòd M. Antonius ipsa Caietani verba, in quibus nobis persuadere vult, Caietanum Apostolis claues Ecclesiasticas negare, paulò ante citauerat: quæ vt Lector absurdas hominis illationes videat, sic subiungam: Duo inuenimus ex Euangelico textu singulariter promissa Petro. Primum est; [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Hoc enim soli Petro promissum legimus. Secundum est; [Tibi dabo claues Regni Cœlorum;] quod nulli alij inuenitur promissum, hucusque Caiet. At verò, vbi hic vllum vestigium, quo neget Caietanus Apostolos claues habuisse? Apage cum imposturis istis, & ineptijs: non est iste Episcoporum mos, sed sycophantarum. Cedo, quæ in his verbis Caietani ineptiæ, vt modò loquebaris, aut quid est, quòd Patres te cogunt respuere?

22 Sed mitto hæc, Redeo ad id, quod modò dixi dissidium, quod inter Caietanum est, ac Bellarminum; non de rebus, aut beati Petri potestate: sed de modo loquendi, & voce clauis. Fatetur libenter Caietanus non esse in Ecclesia alias potestates, nisi Ordinis, & Iurisdictionis, vt benè notauit Illustriss. Bellarminus: hoc tamen indicare voluit, quòd inter actus Iurisdictionis Ecclesiasticæ (de qua hic agimus) vnus sit, qui non præsupponat iurisdictionem in Personam, circa quam fit, quasi antecedentem actui; sed potiùs ipse faciat, vt Persona illa in Ecclesiasticam communitatem tunc primò admittatur, ac deinceps incipiat esse sub iurisdictione, sub qua per illum actum primò constituitur: & hunc vocat Caietanus aperire, aitque propriè respondere clauibus. Nam Ecclesia habet duplices actus iurisdictionis; quosdam in eos, qui iam de Ecclesia sunt: quosdam verò erga eos, qui necdum sunt de Ecclesia; sed per illum ipsum actum admittuntur ad Ecclesiam. Et licèt vtrique actus comprehendi possint sub verbo soluere; omnis enim, qui ad Ecclesiam admittitur, ab aliquo impedimento, quo ante tenebatur extra Ecclesiam, soluitur: tamen certum est, etiam hos actus diuersis nominibus explicari posse; ita vt priores quidem illi, qui exercentur ergà eos, qui iam fideles sunt, & Ecclesiasticæ iurisdictioni subduntur, comprehendantur verbis ligare, & soluere, posteriores verò, verbo aperire, & claudere, non pro vt aperire significat quamlibet apertionem Regni Cœlestis, anteà per quodlibet peccatum mortale, aut veniale clausi; sed prout significat primam hominis ab infidelitate conuersionem, & receptionem in membrum Ecclesiæ. Itaque pro pleniori declaratione; sit.

Propositio prima.

23 Potestas ligandi, & soluendi eos, qui in domo sunt; secundum se diuersa est, à potestate clauium, seu à potestate admittendi aliquem in numerum domesticorum, vel reijciendi: estque ea minor, & posterior. Probatur hæc propositio, ex familiarum, & Rerumpublicarum regimine. Nam ligare possunt in Rebuspubl. Magistratus omnes, admittere verò extraneos ad Rempubl. vel eos, qui illius membra sunt excludere, non omnes possunt; sed pertinet hoc ad supremum Principem, vel plenum Senatum. Similiter, in familia ligare, vel soluere generatim, possunt omnes, qui iurisdictionem, vel publicam functionem habent; recipere verò aliquem in membrum familiæ, aut eum, qui membrum est, eijcere, non potest nisi supremus Paterfamilias, aut is, qui hac in re eius vices administrat.

24 Denique in Ecclesia ligare, aut soluere, prout significat generatim, remissionem peccati, & absolutionem à culpa; possunt omnes, qui iurisdictionem habent; at verò Ecclesiam aperire, vel aliquos in eam primùm admittere, quia hoc paulò maius est, non æquè omnes possunt, etsi enim, quod ad admissiones infantium per baptismum attinet, omnes Pastores possint baptizare, quia hæc admissio fit per modum natiuitatis, & generationis, tamen in alijs admissionibus, siue particularium Personarum, siue Prouinciæ totius, non est omnium par auctoritas: sed ea apud Primum, ac supremum Ecclesiæ Episcopum, ac Caput Reipubl. residet, atque ex illius concessione, vel delegatione alijs communicatur. Hinc propriè per claues beato Petro datum, eiusque successoribus, vt Ecclesiam dilatet, eosque, qui illius membra necdum sunt, illi adiungat; siue ex gentilismo, & Iudaismo primùm conuersos, siue de hæresi redeuntes. Atque ita etiam postmodum ipse primus concionator, & conuersor Iudæorum. Primus intromissor Samaritanorum, primus denique Apostolus Gentium, speciali reuelatione ad Cornelium destinatus.

25 Similiter labentibus annis ab eius successoribus data alijs potestas euangelizandi gentibus, nouos Episcopatus illic erigendi, Ecclesias consecrandi; non tantùm in regionibus Occidentalibus, vt Marcus Antonius limitat, & factum à diuersis Pontificibus in conuersione Hispaniæ, & Galliæ, ac postmodum Angliæ, Belgij, Saxoniæ, Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, &c. sed etiam in Orientalibus vt felicissimo successu, hodierna quoque tempora testantur.

26 Ex hac quoque clauium functione, propria est beato Petro, eiusque successoribus pugna aduersùs hæreses, & hæresiarchas; ac eorumdem cum Ecclesia post resipiscentiam reconciliatio: vt ex actis Ecclesiasticis frequentissima exempla testantur. Inchoauit hanc eorum functionem beatus Petrus, contra Simonem Magum; omnium hæreticorum primum, ac cæteri deindè Pontifices, suis quique temporibus prosecuti sunt, ac etiam hodie

hodie prosequuntur, successu felici, quia manet promissio Christi, de non præualituris contra eos inferorum portis. Hinc Arius per beatum Siluestrum, Macedonius, & Apollinaris per Damasum, Nestorius per Cœlestinum, Eutyches, & Dioscorus per Leonem, ab Ecclesia exclusi. Et si quisquam de hæresi infamis, is se apud Romanum Pontificem purgare solet; Marcion apud Pium I. Origenes, apud Fabianum, Dionysius Alexandrinus, apud cognominem sibi Dionysium, Pelagius, apud Anastasium, & Innocentium, Vitalis, apud Damasum, alijque infiniti.

27 Prætereà, si Ecclesiæ ab hæresi redeuntes, reconciliandæ cum tota Ecclesia; factum hoc per Romanos Pontifices, eiusque Legatos, vt ex actis Ecclesiæ Constantinopolitanę præcipuè patet. Neque contra hæc Marcus Antonius mihi obijciat; etiam alios Episcopos, misisse nouos Prędicatores ad gentes; aut hæreticos absoluisse, & cum Ecclesia reconciliasse. Nam quod ad missiones illas attinet, factæ sunt ea tum ex amore salutis proximorum; quomodo etiam laico licet docere infideles, aut curare, & iuuare, vt quis eos doceat; tum ex amore erga promotionem Ecclesiæ, quomodo etiam filiusfamilias licet laborare extraordinarijs operis pro bono, & augumento familiæ; at verò missio auctoritatiua, & ex pleno officio, Romanis est, & si modò illis concedimus titulum supremi patrisfamilias, aut vt Concilium Chalcedonense loquitur, beati Leoni curatoris vineæ, nemo de hoc eorum officio dubitare potest. Quod autem ad hæreticos attinet; habent in eos Episcopi plus potestatis, quàm in gentiles, ideóque etiam ex officio plus possunt in horum punitione, áut reconciliatione, quam in admissione gentium, quia qui semel illis subditi fuerunt ante hæresin, non possunt se per malitiam eorum iurisdictioni subtrahere, interim tamen, nullo modo singuli possunt tantum in subditos suos in hæresin lapsos, quantum potest beati Petri successor in omnes. Neque est noua hodierni temporis institutio: vt hæresiarchæ Romam ablegentur, aut eorum reconciliatio Romani Pontificis iudicio reseruetur, sed vsitata praxis, iam indè à primis seculis, vt de Marcione, & alijs paulò ante dixi.

Secunda propositio.

28 [Potestas Ecclesiastica nusquam data est cæteris Apostolis sub allegoria clauium, sed tantùm sub allegoria ligandi, & soluendi.] Patet ex toto noui testamenti discursu; præcipuus enim locus, vbi eis potestas hæc promittitur est Matth. 18. vbi verò tantùm legimus: [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo.] Alter autem locus vbi potestas hæc eis confertur, & clariùs explicatur est Ioann. 20. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.] Similiter beatus Paulus, quotiescumque potestatem sibi à Domino concessam explicauit, nusquam hac allegoria vsus est, sed eam, vel sine metaphora explicat, nomine potestatis 2. Corinth. 13. & dispensationis, vel sub metaphora virgæ, 3. Cor. 13. aut [armorum Deo potentium.]

Tertia propositio.

29 [Etsi Apostoli non habuerint potestatem suam sub allegoria clauium; habuerunt tamen potestatam clauium, idest, aperiendi Ecclasiam, & claudendi.] Patet ex officio, & functione Apostolatus, misit enim eos Dominus ad omnes gentes, ieruntque singuli postmodum ad gentes singulas; ergo potuerunt eos in Ecclesiam admittere, in ciues sanctorum, & domesticos recipere, neque de hac re vllum est dubium, quia etsi apertio Ecclesiæ non sit per se adiuncta Episcopatui, est tamen adiuncta Apostolatui, & hoc ipso, quòd aliquis ad gentium primam conuersionem mittitur, habet claues, vt easdem in Ecclesiam admittat. Atque hinc patet explicatio tertiæ quæstionis, neque Patres omnes initio citati aliquid quicquam docuerunt, quibus non erant tam scrupulosè omnia distinguenda, quia non inciderant in hæreses Marci Antonij, quas ille nunc Mundo conatur obtrudere.

30 Venio nunc ad quartam quæstionem, in qua Marcus Antonius num. 12. concludit. [Quænam sunt obsecro, verba generaliora, quodcumque ligaueris, & solueris; an; quæcumque alligaueritis, & solueritis? priora dicuntur Petro, posteriora omnibus Apostolis. Sanè si quodcunque ligaueris, significat generaliter præcipere, excommunicare; retinere peccata; & quodcunque solueris, significat generaliter remittere peccata, absoluere à pœna, dispensare in lege, in votis, iuramentis, &c. etiam illa verba, quæcumque alligaueritis, & solueritis, idem significabunt, det mihi disparitatem, alioquin non conquestam. Patres verò suprà adducti, cum in tota latitudine agnoscant potestatem ligandi, & soluendi, atque in omnibus Apostolis, atque in Petro; cur nouis istis Theologis, plus credam, inaniter distinguentibus, quam Patribus sapienter non distinguentibus? seu effectus ipsi sunt nobis regula certa, & firmum documentum. Quis plura præcepta dat toti Ecclesiæ, Petrus ne, an Paulus? an Inannes? an Iacobus? siquidem etiam sacramenti alicuius præceptionem recognoscunt nostri Doctores, an Iacobo, extremam vnctionem, & confessionem: cur dicant soli Petro datam potestatem preceptiuam? Paulus tradit Sathanæ, & & minatur se in virga venturum: Petrusne igitur solus habuit potestatem excommunicandi, & poenas infligendi? & illa verba, quæcumque alligaueritis, omnibus dicta Apostolis, rectè de excommunicatione potissimùm intelligenda esse docent verba præcedentia: sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus; & tradunt Patres valdè insignes passim, neque negant nostri.]

31 In quibus verbis, solita modestia, nos ità Patribus opponit, vt simul tamquam nouos, & leuibus distinctionibus vtentes obliquè taxet. Vellem tamen ipse nouus non esset, neque à communi doctrina recederet, prophanas vocum nouitates Ecclesiæ obtrudens. Fatemus cum Patribus libentes, Apostolos non minùs ligare quæcumque, quàm

Petrum quodeumque : ne hac in re diſcrimen ponimus, ſed in co, quòd Apoſtolis in illa poteſtate ligandi quæcumque nemo Epiſcopus ſucceſſerit, ſed ſolus Romanus Pontifex brato Petro. Miror rem toties ineulcatam, ità præteriri in animaduerſam. Aut potiùs credo diſſimulari ab co, tamquam non animaduerſam: quia videbar eſſe veram, & impugnatu difficilem. Sapiunt cum Patribus Catholici, neque volunt inaniter diſtinguere, quod illi grauiter non diſtinxerunt, ſed vtinam ſaperet etiam cum eis M. Antonius, neque irreuerenter impugnaret poteſtatem, quam illi reuerenter honorarunt. Norunt Patres beati Petri ſucceſſoribus, id deberi, quod brato Petro: ideòque vt caput, & primum debito honore, & vt decer, alloquuntur; eos autem, qui honorant, inſaniæ condemnant.

32 Quod autem num. 13. ſubdit, Bellarminum inopia laborare, cum pro brari Petri Primatu, ex his Chriſti verbis demonſtrando promittit citariones Patrum, tam verum eſt, quàm illa, quæ contra Maldonarum in fine eiuſdem numeri ponitur, inuectiua *criſis*, his verbis. [Quia igitur, ait, Patres communiter tantundem dari, ſeu promitti omnibus Apoſtolis cenſuerunt illis verbis, quæcumq; alligaurritis, & cætera quantum promiſſum, ſeu datum ſit Petro illis, quodcumque ligaueris, &c. ne hìc rueret totum Papatus fundamentum, Patres omninò deſtrere coactus fuit noſtris diebus Maldonarus, quos fatetur ille, ſenſiſſe æque claues à. Chriſto reliquos Apoſtolos accepiſſe, atque accepit Petrus. Vnum excipie Origenem: ſed fallitur, eadem enim fuit etiam Origenis ſententia: vt ſupra num. 4. vidimus. Non ergo, inquit Maldonatus, vt citat M. Antonius, eodem ſenſu, quo Patres, etiam alijs Apoſtolis hoc dictum interpretor. Nimirùm de clauium poteſtate ligandi, & ſoluendi. Ego inquit interpretor, audi triumphum, aliterque Patres. A Maldonato ergo incipit, noſtris diebus, Petri Primatus in traditione clauium fundari. O præclarum Primatum quem numquam Eccleſia Catholica in Petri clauibus agnouerit; Maldonatus autem, etiam contra communem Patrum conſenſum, Orbi Chriſtiano hinc illum obtrudit.]

33 Audiuimus omnes glorioſum victoris triumphum, & fateor cum initio inciperem hæc illius verba de Maldonato, electiſque ab eo Patribus legere, etiam mihi mota aduerſùs eum bilis, & cui non? eſt enim ipſius ſententia talis aduersùs SS. Patres, vt neque concedi debeat à Doctore Catholico, neque ſcribi: quia tamen tam fœda eſt, & ſimul hiulca, ſtatim vt legi Maldonati verba, quæ Marcus citat, orta mihi ſuſpicio de ſolita Marci fraude, inſpexique Maldonatum, & verè me ſuſpicatum inueni.

Hocciue eſt Marce Antoni ætate, gradu, & ſtudio tuo dignum facinus? ſi ea tibi fides cum Deo, quæ in libris tractandis non erras ab ignorantia.

Concilia Antiochena comminiſceris, vt libet.

Concilio Colonienſi impingis hæreſim tuam in eodem Concilio damnatam.

Maldonato impudentiſſimè affingis lectionem, quam non habet, atque ea hac non tantùm de ipſo, ſed & de tota Catholica Eccleſia triumphas, qua conſcientia?

Non haber Maldonatus, vt tu citas, non ego eodem ſenſu, quo Patres etiam alijs Apoſtolis, hoc dictum interpretor. Sed planè orthodoxæ, & Catholicæ. Non ego eodem ſenſu, quo Petro, alijs Apoſtolis. &c. Ità legunt exemplaria, quæ in Vrbe hac Colonienſi habere potui, omnia concordiret Muſipontanum, quod eſt omnium editionum primum; Lugdunenſe, Antwerpienſe, Colonienſe. Neque in ſola voce hac Patres fraus tua ſterit, vt poſſimus vitio feſtinatæ lectionis, vel Typographiæ *ſpalma* hìc adſcribere, ſed cum ſi legamus Petro, verba Maldonati omninò nihil cohæreant, tu vt fraudem tegeres, pro æquè ſubſtituiſti etiam, atque ità cum verba illa. [Non ego eodem ſenſu, quo Patres æque alijs Apoſtolis, hoc dictum interpretor,] non commodè cohærerent, feciſti: non ego eodem ſenſu, quo Patres etiam alijs Apoſtolis, &c. In vtroque miſer, & infidus criticus, vt miſeræ, & non veræ doctrinæ patrocinium inuenires.

34 Tranſeo nunc ad alteram huius cap. partem: In qua à num. 14. vſque ad finem, deinceps oſtendit Marcus Antonius; quodnam myſterium in eo latuerit, quòd Chriſtus ſoli Petro claues cæteris præſentibus promiſerit, & ne Petri Monarchiam admittere cogatur, putet ſe ſeptem alias huius rei cauſas ex SS. Patribus eruiſſe.

Prima eſt, vt diſcerent omnes Petrum fore præcipuum operariorum, ſine iuriſdictione tamen in cæteris, ſicut ſi quis miſſurus plures operarios in vineam ſuam, priùs eamdem vni, quem noſſet ſibi amiciſſimum, commendaret:

Secunda eſt; vt non cogitarent Apoſtoli de Eccleſiarum diuiſione, nec quiſque ſibi Cathedram erigeret, ſed ſinguli in commune laborarent.

Tertia; ne mutaretur Collegium Apoſtolorum, cui Petrus ſemper præfuerat, & peccato negationis demeruat non ampliùs præeſſe, ſed diſceret Eccleſia peccatores non eſſe reijciendos.

Quarta; ne Apoſtoli inter ſe ſchiſma facerent.

Quinta; vt Petrus eſſet typus Eccleſiæ; & in Petro omnes acciperent parem poteſtatem.

Sexta; vt Petrus eſſet cæteris virtutum exemplar.

Septima; vt diſceremus, quòd qui ab vnitate fidei ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec Cœlum ingredi poſſit.

Ex his ſingula ſuis aſſignantur Auctoribus præter primam; ſecunda enim tribuitur Cypriano, Auguſtino, Paciano. Tertia Optato, quarta Hieronym., quinta Auguſtino, ſexta Leoni, ſeptima Gloſſæ. Ac tandem num. 32. ſubditur glorioſa concluſio.

[Sit nunc tibi lector Catholice optio eam, quæ tibi videatur melior, & ſolidior ſequendi interpretationem. Certè ex vna parte habes ſuprema Eccleſiæ lumina, & Primos religionis, & fidei noſtræ magiſtros, qui ex eo, quòd Dominus cum ſolo Petro, cæteris Apoſtolis, & regimine Eccleſiæ tractet, nihil aliud

aliud, nisi, vel mysterium vnitatis; vel typus, vel figuram Ecclesiæ, vel exmplar ad imitandum: vel in fide consensum cognouerunt. Habes ex alia parte, modernos Monarchicos penè inumerabiles, qui relictis tantæ auctoritatis sanctis Patribus, nouam post multa sæcula condere voluerunt sententiam: & ex hoc solo capite, tamquam ex primo, & præcipuo Euangelico fundamento, quòd Christus cum vno Petro de regimine Ecclesiæ cæteris præsentibus colloquatur, Principatum quemdam Petri maximum, & absolutum, cùm magna cæterorum Apostolorum expressione contendunt stabiliri. Atque si hoc eis sublatum est iam fundamentum, data ipsis vera illius ex nobilissimis Patribus intelligentia, cùm tamen indè non nisi leuissimam, ex Primatu, quem tractant, haberent coniecturam, veritati Catholicæ, ex perfecta inter Apostolos æqualitate, in Ecclesiastica potestate, dent locum, & exclusa Monarchia tempore Apostolorum, solam agnoscant tamen Aristocratiam. Omnes enim solutiones, distinctiones, & interpretationes nostrorum Monarchicorum sunt ipsorum propriæ, & singulares, nouæ atque inauditæ antè illos, ac nullis ex Patribus cognitæ, immò ipsis Patribus, vt videmus repugnantes. Quod est signum manifestum nouitatis, & consequentèr falsitatis nuper inuentæ.]

36 Ità pergas M. Antoni, & vbi solus pugnas, sine hoste triumpha, vt libet; nunc tamen ad tempus quiescas, velim, ac nobiscum ea, ex quibus tàm fœliciter, vincis, libenter relegens, simul hæc duo legas.

Primùm, nùm si demus istud tibi, vt omnia, quæ nobis adduxisti mysteria, verè in facto Christi continentur, rectè ex eo infertur, non contineri id, quod nos docemus de Primatu. Sanè more tuo infirmo argumento id facies: idem enim est, ac si dicat alius quis; secunda, vel tertia ratio à M. Antonio adducta non est vera, quia Patres agnoscunt, & ponunt primam rationem. Quòd si verò argumentum hoc infirmum est, eo quòd sub vna re possint latere plures rationes, eodem planè modo infirma erit hæc tàm gloriosa tua conclusio, quia & eæ rationes omnes, sub hoc Christi facto latere possunt, ac simul ea, quam nos de B. Petri Primatu ponimus, atque hæc quidem tamquam omnium præcipua, & à Patribus sæpissimè agnita. Itàque quicquid à te tàm operosè ad hæc mysteria congestum, nobis nihil est aduersum.

Secundò: illud Te moneo, vt desinas appellare nouum, & inauditum, quòd in omnibus Conciliis generalibus, iam toties demonstraui expressum. Neque eos, qui nobiscum sentiunt putes à sanctissimis Patribus recedere, sed sicuti debent morem antiquum seruate; agnoscereque id, quod in Concilio Calcedonensi legunt, Romana Ecclesia Primatus semper habuit, quomodo enim, vt tu loqueris, Nuper inuentum, quod semper creditum?

CAP. VIII.

Explicatur locus Ioannis 21. Pasce oues meas, & S. Petri Primatus ex eo probatur.

Potestas Beati Petri vniuersalis, & S. Bernardi testimonium, & discursus. num. 1.

Inepta responsio M. Antonij, & arrogantia eius, num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & octauo.

Verba Christi allegata ad S. Petrum pertinere, num. 9. 10. 11. 12. 13.

Argumenta M. Antonij non sunt magni roboris, num. 14 15. 16. 17. 18. 19. 20. & 21.

Marcus Antonius restaurat argumentum M. Luterinum. 22. 23. & 24.

Quomodo omnibus Apostolis cura totius mundi sit delegata. num. 25. 26. 27. & 28.

Argumenta M. Antonij soluuntur, & S. Augustini sententia pro Catholicis. num. 29. 30.

1 Svperest nunc tertius Scripturæ locus, quem pro B. Petri Primatu, & vniuersali totius orbis gubernatione, Catholici scriptores aduersùs hæreticos solent obijcere: in quo, Christus Dominus, verbis desertis, & quidem cùm trina repetitione, B. Petro non certam, aut limitatam Ecclesiam, sed omnes omninò oues suas, ità generatim commendauit, vt non latiùs pateat ouile Christi, quàm solicitudo, & potestas Petri, vt præclarè aduertit B. Bernardus, lib. 2. de confider. cap. 8. vbi, Eugenium Papam alloquens, [Pastorum, ait, omnium Tu vnus Pastor. Vndè id probem quæris? Ex verbo Domini, cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè, totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre; Pasce oues meas. Quis? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planùm non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi nihil distinguitur.

2 Quia tamen, Primatus Petri, M. Antonio, alijsque, vt vidimus non placet; quæsitæ sunt huius loci detortiones, deprauationesque non minùs, quàm duorum præcedentium, & aurea illa, orthodoxaque B. Bernardi expositio, eleuata tanquam oratoria quædam amplificatio, immò superbè reiecta, tanquam eis temporibus scripta, quibus iam Monarchia Romana, aliquid inualuerat; quamque tum bona fide, multi, licèt decepti, agnoscerent: præsertim cùm negotium, hoc exactè non discuterent.

Magne sanè istorum censorum arrogantia, & petulans fastus; quibus non satis est præsentem Ecclesiæ statum conuellere, nisi in superiorum quoque ætatum; sanctitate pariter, & doctrina celeberrimos viros, mordacitatem styli, animique exerceant: neque enim in solo Bernardo stat tàm impudens censura, sed in Damascenum quoque, & superiorum seculorum Patres insurgit: nam cap. 10. num. 10. [Verba Damasceni, ait Marcus Antonius, encomiasticè dicta sunt, ex solis verbis Euangelicis, non ex sententia, quà verba

verba Euangelica contineant, eruta, & amplificata. Et Petrum, vt præcipuum; non vt ſolum, Eccleſiæ præſidem extollunt; ſanè oratoriè, non Theologicè. Sed neque ſanè Damaſcenus eſt tantæ authoritatis; vt inter recentiores, aut dormitantes, aut adulantes, non poſſit interdum reponi. cap. 9. num. 25. quod Theodoretus dicit, à Petro Paulum voluiſſe inſtrui; videat, quàm ſit conforme Diuinæ Scripturæ.

Ibidem num. 26. [Hieronymus in Epiſtolis ſuis, ſolet ſequi ſenſus allegoricos, non ſine literæ læſione: &, Feruor diſputationis, & diſſenſionis ſcripturalis, cùm Auguſtino, ſuper reprehenſione Petri à Paulo facta, facilè Hieronymum traxit, vt plurimùm Petro eribueret, & ei Paulum ſubmitteret, ne Auguſtini, ſed ipſius ſententiæ præualeret.

5 Ibidem num. 19. [Chryſoſtomus interdum, vbi orationem ſuam auream exuberate permiſit, plurimùm inclinare videri poteſt, in ſupremum Petri principatum, oratoriè potiùs, quàm Theologicè: quod ſingulariter fecit, conſiderans hanc primam petri actionem, poſt Chriſti aſcenſionem: ſed, ne hic quidem adeò abſolutè, Chryſoſtomus Petrum pronunciat principem, quin ſimul ferè multa alia interſerat; vt facilè liqueat, Pompam tantùm, & apparatum orationis adhiberi. Et poſt pauca; quæ Doctor hic, de feruore, & Primatu dicit, planè ea de Primatu ordinis, ætatibus; & feruoris facilè intelliguntur; quòd verò ait: Quàm agnoſcie creditum à Chriſto gregem? Ad verba Euangelij, non ad ſenſum oratoriè referuntur. Apertiſſimè enim iam à nobis cap. præcedenti, oſtenſum eſt; etiam Monarchicis conſentientibus, paſturam ouiũ à Chriſto æquè Apoſtolis fuiſſe commiſſam. Item: Iam alia quoque Chryſoſtomi verba, ibidem poſita conſideremus. Meritò, inquit, primus omnium auctoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dixit Chriſtus: Confirma fratres tuos. Ecce, iam rursùs videtur ſibi contrarius; ità fert ſecum eloquentia. Dum verò verba illa: Confirma fratres tuos, ad præſens negotium applicat Chryſoſtomus, Rhetoricè non repugno, Theologicè tamen obſtat; tum quòd de Apoſtolis, non videatur Chriſtus locutus, vt ſupra diſſerui, num. 3. tum quòd in negotio præſenti, circà electionem vnius Apoſtoli, locum confirmatio non habeat; neque indigebant Apoſtoli, vt ad hoc à Petro confirmarentur. Quæ omnia præterquam quòd ſine dubio ſuperbiam magnam cenſoris, & arrogantiam indicant, etiam ineptas contineat diſtinctiunculas, quæ riſum potiùs excutiant, quàm vt nobis Chryſoſtomi ſubtrahant auctoritatem. Numquid enim Chryſoſtomus adeò bonus Rector, vt fuerit malus Theologus? aut illi Scripturæ verba, vt ignotus eorum ſenſus; Marcoque Antonio notior? Antiqua nobis, & quidem ex PP. promiſit M. Antonius; non debet ergò nunc illos Antiquitatis celeberrimos teſtes reſpuere.

6 At neque hic terminus maledicendi; ſed quia, [qui ſemel tantis viris cœpit maledicere, eum oportet naniter eſſe impudentem;] ad ipſos quoque Apoſtolos, & eum, de quo nunc omnis noſtra diſputatio ſuſcepta eſt, B. Petrum libido iſta perſuaſit; vndè cap. 9. num. 8. Blaſphemiæ iſtæ: [Oratio Chriſti pro Petro, non pertinet ad illius exaltationem, ſed potiùs depreſſionem. cap. 6. num. 39. Petrus lapſu vero, & completo, cùm fidei detrimento cecidit, non in ſola externa fidei confeſſione, & num. 41. Nos in Petro, neque fidem indefectibilem reperimus, qui toties lapſus eſt; & Chriſti oratio illud obtinuit, vt non amitteret Petrus fidem irrecuperabiliter. Pleniſſimè verò num. 35. Petrus fermè ſtatim, (poſt illam confeſſionem Matth. 16. Tu es Chriſtus) ab illa eadem fide decidit, neque ſemel; ſed ſæpiùs titubauit, etiam poſt Chriſti aſcenſionem, & Spiritus S. illapſum.

7 Quæ ſi quis conferat cùm his, quæ de eodem Apoſtolo Patres ſcripſerunt, videbit facilè, quàm multum M. Antonij ſpiritus, ab eorum ſpiritu abſit. Beatus enim Hieronymus, priuilegia, ſimul & lapſum Petri conſiderans, cùm ſibi ipſi obiecisset; quomodo Petrus, petra eſſe potuerit, qui tàm facilè lapſus ſit, cauſam aſſignat: quòd Chriſtus, cùm Petro nomen Petræ, Matth. 16. daret, nec dum dederit firmitatem illam, ſed tantùm promiſerit; quodque nullo modo lapſus fuiſſet, ſi gratiam, & donum illud, tunc ſtatim accepiſſet. [Sicuti, ait, ipſe (Chriſtus) lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur; cæteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula: ità Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen; at ſecundùm metaphoram, Petræ, rectè dicitur ei; ædificabo Eccleſiam meam ſuper te, &c. Prudens lector inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem; Beatus es Simon Barlona, &c. nunc audiat, vade retro me Sathana; ſcandalum mihi es: aut quæ ſit tàm repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia, Sathanas appelletur? Sed ſi conſideret, qui hoc quærit; Petro illam benedictionem, ac beatitudinem, ac poteſtatem, & ædificationem, ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget, ædificabo, inquit, ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & dabo tibi claues Regni Cœlorum, omnia de futuro, quæ ſi ſtatim dediſſet ei, numquam in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum.]

8 Sed mittamus hominem, qui hac in re cap. 6. num. 35. vbi ineptiſſimas iſtas propoſitiones ſcripſerat, fatetur ſibi, os impium; tranſeamuſque, ad præſentium verborum explicationem, in qua tria præcipuè examinanda.

Primò. An verba ea dicta B. Petro.

Secundò. Quid ſignificetur verbo paſce.

Tertiò. Quæ ſint oues Chriſti, Petro hic commendatæ.

Ex his enim facilè deindè conſtabit, quid Petro his verbis commiſſum ſit: & num alij quoque Apoſtoli, in eamdem omninò dignitatem, & commiſſionem, à Chriſto euecti.

9 Et quidem ad primam difficultatem, quod attinet; duo ſunt efficaciſſima argumenta, quibus demonſtrari poteſt, hæc verba B. Petro, & quidem ſoli dicta eſſe, ordo ſcilicèt contextus apud Euangeliſtam, & vnanimis conſenſus SS. Patrum. Nam cùm ab initio cap. Ioannes illic narret piſcationem, à ſeptem diſcipulis inſtitutam, quibus diceret

rat Simon Petrus; Vado piſcari, nemini dubium eſſe poteſt, quin ibi agatur de Apoſtolo Petro; qui & Simon, & Petrus, inter Apoſtolos dictus eſt. Deindè ſubiungitur, quomodo poſtridie, matutino tempore, Dominus eis apparuit; & Simon Petrus, ſe in mare miſerit, vt veniret ad Dominum, attraxeritque retè plenum 150. magnis piſcibus, vbi ſine dubio, Simonis Petri nomine, etiam noſter hìc Petrus intelligitur. Ac tum tandem ſubditur, præſentium verborum, & totius hiſtoriæ, quomodo ea à Chriſto dicta ſint, commemoratio. Cùm enim prandiſſent, ex pane, & piſce, quem Dominus illuc miraculo produxerat; dicit Ieſus, Simoni Petro? vtique illi cui dictum: [Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quòd interpretatur Petrus.] Etſi enim inter Apoſtolos, alius adhuc Simon, nullus tamen alius Simon Petrus, & quòd non minùs apertum eſt; &ſi inter Apoſtolos alius Simon, nullus tamen alius Simon Ioannis. vel Simon Bar-Iona, vndè Matth. 16. ad deſignandam determinatam illam Perſonam, quæ Chriſto dixerat, [Tu es filius Dei viui;] Chriſtus hac deſcriptione vtitur: [Beatus es Simon Bar-Iona:] atqui hìc apud B. Ioannem, eadem phraſi Chriſtus vſus eſt, vt oſtenderet, eidem ſe hìc traditurum ouium paſturam, cui antè claues Regni promiſerat, & poteſtatem, vndè cùm Euangeliſta ſuis verbis dixiſſet; Dixit Ieſus Simoni Petro, ſubdit deindè hæc Chriſti verba: [Simon Ioannis diligis me? vel, amas me?] & ne putaremus, aliquid actum iri, quòd cæteros quoque præſentes concerneret, addit Chriſtus: diligis me plùs his? aderant enim duo filij Zebedæi, Iacobus, & Ioannes; Thomas, & Nathanael; & alij duo diſcipuli. Nemò verò clariùs perſonam B. Petri poſſet deſcribere, quam his nominibus: Simon Petrus, quo Petrus initio Epiſtolæ ſuæ ſecundæ, ſeipſum deſcripſit, vel Simon Ioannis.

10 Addi his poſſent argumenta, ea trina Chriſti repetione, qua ter Petrum rogauit, amas me? vt trina amoris confeſſione, trinam negationem anteà commiſſam, glorioſè deleret, item ea Petri contriſtatione; quæ ad trinam illam interrogationem, ea illo orta fuiſſe videtur, quòd timet Petrus, lapſurum ſe fortè iterùm in ſimilem infirmitatem, aut amorem ſuum Domino minùs probari, ob præteritam negationem. Denique ex eò, quòd de futura Petri morte, & crucifixione ſubiungitur. Sed ea, quæ de tota contextus ſerie, initio propoſui, faciunt rem tàm euidentem, vt ſubſidiarijs iſtis argumentis, nihil ſit opus.

11 Inter Patres quoque, tanta eſt in hanc de B. Petro expoſitionem, concordia; vt ne vnus quidem, de alia expoſitione cogitarit, aut mentionem fecerit, & ponit in eo, Arnobius Pſal. 138. emphaſin, & dignitatem aliquam B. Petri, quòd ille nomen Paſtoris, præ alijs à Chriſto acceperit: [Ecce, inquit, Apoſtolo (Petro) pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & maior gradus redditur ploranti, quàm ſublatus deneganti. Quòd vt doceam, illud oſtendo, quòd nullus Apoſtolorum, nomen paſtoris accepit; ſolus enim Dominus Ieſus Chriſtus, dicebat: Ego ſum Paſtor bonus, me inquit, ſequuntur oues meæ, hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt reſurrectionem ſuam, Petro pœnitenti conceſſit, & te negatus, negatori ſuo, hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem; vel non ſolùm recuperaſſe, quòd amiſerat, probaretur; verùm etiam, vt multò amplius pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquiſiſſe.]

12 Et Leo Sextus Imperator, ſermone de S. Petro; [Poſt reſurrectionem ſuam, ter Petrum Dominus percontatus, an ab eo diligeretur; Principem paſtorem conſtituit, deditque ei, paſcendi poteſtatem; Petrus ab eò, paſcendi curam, tamquam vicem redamandi, idcircò enim aiebat: amas me, paſce agnos meos. Petrus verò, cùm intelligeret principatum eum magnum eſſe, & magnis indigentem viribus; videretque Ioannem ſequentem, illum dico, quem Ieſus vehementer amabat: hic, inquit, quid? quòd periudè erat, quaſi diceret, me ne præfici vis caput diſcipulis, hunc verò à te dilectum, qui voluit ſedere ad dexteram, hunc inquam, quid facere iubes? ne igitur occaſionem erroris aliqui conciperent, quòd omnibus diſcipulis communiter dixiſſet, quæcumque ſolueritis in terra, &c. Reſpondit Dominus, quaſi increpans Petrum: Si eum volo manere, donec veniam; quid ad te? tu me ſequere: ideſt, ſequere me, hoc baculo paſtorali, & ſicut ego, cùm eram vobiſcum, ſeruabam vos, vt Pater, & Caput, ac magiſter, vigilans pro vobis; ſic tu, eſto meo loco, & ſequere me, Principatu, ac poteſtate tua, fratres tuos confirmans; te enim volo eſſe meo loco, vndè manet in hodiernum vſque diem, Petrus ſequens Chriſtum in ſucceſſore ſuo.]

13 Itàque fatetur, M. Antonius, verba hæc: [Paſce oues meas,] B. Petro ſoli ſpeciatim dicta eſſe, ſtatim tamen num. 3. ſubdit: [Quamuis veriſſimum ſit, verba illa, ſeorſim ſoli Petro dicta, etiam alijs Apoſtolis præſentibus; nihilominùs in ſolo Petro effectum ſuum habuiſſe, dici nullo modo poteſt.] Et ne hoc ipſum fruſtrà dixiſſe videatur, tres ferè ſubdit huius ſui dicti probationes.

Primò, quia etiam alij Apoſtoli fuerunt Paſtores, & ſunt etiam hodie Paſtores in Eccleſia multi. De quibus ſcribit, S. Baſilius, quòd eamdem cùm Petro poteſtatem, à Domino accipiant.

Secundò; quia Auguſtinus, numquam verba illa, ad primatum Petri confirmandum adduci patietur; ſiquidem nihil illuſtrè vult circa perſonam ſingularem Petri, in Euangelio fieri, aut dici; niſi illud, ad totam Eccleſiam referatur.

Tertiò, quia non minus cæteris Apoſtolis dictum; [ſicut miſit me Pater & ego mitto vos: & ; Euntes docete omnes gentes,] quàm beato Petro, [Paſce oues meas;] neque verba priora minus ampla ſunt, quàm poſteriora; immò vt eorum amplitudinem intelligeremus, ideò ſpeciatim videtur Chriſtus præmiſiſſe ſententiam illam; [Data eſt mihi, omnis poteſtas in cœlo, & in terra,] quaſi dicat, eamdem ego nunc, in vos transfundo: Item cum ea; docete omnes; ſi ergo Petrus omnium Paſtor, cæteri quoque ſunt omnium Doctores; in Eccleſiaſticis autem officijs,

Apo-

Apostolus Ephes. 4. Doctores, & Pastores, accipit pro eisdem.

Atque hæc argumenta, M. Antonium, ità à communi sententia abduxerunt; vt num. 4. lit. C. tandem concludat. [Quod ergo vni Petro, & seorsim dicitur; pasce oues meas, mysterium tantùm est; vt discant omnes Apostoli, & ministri Christi, etiamsi sint innumerabiles, vnicam tamen omnes & eamdem exercere pasturam, & omnes simul, ac in solidum vnicum, eos debere esse pastorem. Quæ est Aristocratia manifesta.]

14 Sed quantum argumenta hæc, contra veram, orthodoxamque sententiam, valeant; in fine cap. videbimus, nunc singula, ex propositis Christi verbis, consequenter examinemus.

Primum est Pasce; seu *poimaine*, quod sine dubio allegoricum est, facili tamen & communi allegoria, ab ouium pastu desumpta; vt ipse Dominus indicauit, cum subdit, oues meas. Quid autem, hoc verbo in præsenti compræhensum sit, ità obiter indicauit M. Antonius num. 4. lit. E. [Hìc posset aliquis, nec fortasè immeritò, ad solam pasturam, hoc est, prædicationem se restringere.] Nempè relabitur rursus in prius volutabrum, & hæresin illam, qua cap. 5. dixit, officium Apostolorum esse purè ministeriale, & quidem in solo ministerio verbi, solaque concione; verùm vt ibi sententiam illam demonstraui esse hæreticam, ità & sic glossema istud, nihil ab hæresi differt. Sed quid est, quod is, qui semper ex limpidis, & lepidis, ità loquitur, sanctorum Patrum fontibus bibit, hanc suam expositionem non potuerit illorum vndis irrigare? nisi quia Patribus pascere, idem est, quod regere, & licèt omnis Pastor sit Doctor; non tamen omnis Doctor est Pastor, nam, qui docet solùm, sine obligatione, aut potestate mandandi; Doctor est: & Apostoli, alijque etiam infidelium Doctores sunt: at verò, qui cum potestate loquitur; Doctor, & Pastor est: atque ità Apostoli, eorumque successores propriè fidelium dumtaxat Pastores sunt.

15 Itàque verbum pasce, omnia complectitur, quæ ad ouium vtilitatem, à Pastore fiunt; arguendo, obsecrando, increpando; puniendo, mandando, vetando, pertinent enim hæc omnia ad fidelem crediti gregis custodiam; & à summo Pastore ità præstita sunt, vt Pastoribus sibi vicarijs, non tantùm ea voluerit mandare verbo, sed & præscribere exemplo. Vnde apud B. Chrysost. homil. 87. ad præsentem locum, idem est; [pascere, quòd fratrum curam habere, & in omnibus dilectionem ostendere,] cura autem, & dilectio non consistit in sola prædicatione; vt ibidem Chrysost, egregiè explicuit: sed omnia complectitur, vsque ad ipsam animæ pro ouibus positionem, & mortem.

16 Quod & Christus Dominus indicauit, cum officium Pastorale in se ipso explicaturus, dixit, [Ego sum Pastor bonus;] ac statim subiunxit: [Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis.] Eademque de causa, postquam beato Petro oues suas commendasset his verbis, quæ modò tractamus, consequenter addit commemorationem mortis ipsius; [cum senueris, alius cinget te, & ducet, quò tu non vis; hoc autem dixit, significans, qua morte esset clarificaturus Deum.] Hinc apud sanctos Patres idem est Pastor, & Rector; & in scriptura, pascere, & regere, & verbum *mascal*, quod Hæbreis propriè significat, cum potestate regere, ac Dominum esse. B. Matthæus, capit. 2. sui Euangelij transtulit, verbo *pimeno*, quod est, pascere, Michææ prophetia, cap. 5. contra verò, verbum *raa*, quod Hæbræis propriè est, pascere, Isaias ad eum transtulit, qui eum auctoritate, & potestate regit: nam cap. 44. Deum inducit Cyro loquentem: [Qui dico Cyro *robi*, id est, Pastor meus es tu,] hoc enim idem est, ac si dicat, qui dico Cyro, Rex à me constitutus es, Tu: vel; qui Cyrum constitui Regem.

17 Secunda vox est. Oue, quam M. Antonius, duplici glossemate conatur vitiare. Primo; [omnes, inquit, Petro adsignantur oues, ad quas accesserit;] perindè ac si oues non sint, ad quas non corporaliter accedit. Secundo; [Posset aliquis asserere, vt mox dicam, oues, quæ essent tunc ouilis Christi, fuisse propriè oues Christi, quas Petro commendabat. Oues nimirùm illas, de quibus dicebat Christus; non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.

18 Verùm vtraque hæc responsio, præterquam quòd sit hæretica, indocta quoque est & viro sapiente indigna, nam quia pastura, de qua sic agitur, non fit corporali ductu, neque ad corporalem pastum; sed spiritualis est, & animo, ac solicitudine peragitur, quid facit corporalis præsentiæ necessitas ad officium pastoris, quàm ineptè diceret Marcus; Regem tantùm eis præesse, eosue pascere, quos corporaliter accedit, dignius est Pastoris Ecclesiastici, immò & magistratus Politici officium; quàm vt præsentiam corporalem præcisè requirat. Hoc fateor; Pastorem, cum potest, ouibus suis præsentem esse debere, easque etiam corporali præsentia visitare: at, vt nullus Pastor sit, nisi dum visitet, aut corporaliter singulos accedat; id ridiculum est.

19 Posterior quoque solutio ex ipso contextu facilè refutatur, cum enim verbis his, quę modo tractamus, Christus Petro officium Pastoris commisisset, statim subiunxit: quid tandem ipse tamquam boni Pastoris imitator, & Vicarius, ac tamquam bonus discipulus, magistro suo similis futurus, ab ouibus recepturus esset, pro officio, ideòque ne ex hoc ab officio deterreretur, præmiserat trinum examen de dilectione: eaque satis stabilita, & officio commendato, subijcit commemorationem futuræ passionis, quam Pastori suo oues essent illaturæ; noluitque vt propter huius metum, officio cederet: mors autem Petro, à Iudæis intentata quidem, non tamen illata; à Gentibus verò & intentata, & illata, vt qui vtriusque populi esset communis Pastor; vtrisque amoris, & patientiæ suæ signa commendaret.

20 Deindè; si Petrus his verbis tantùm est constitutus Pastor Iudæorum; ergo non fuit plenus Pastor ouilis Christi; nam etsi Christus dixerit, se non esse missum, nisi ad oues domus Israel, tamen, ex hoc non dixit, se non habere alias oues, sed expressè contrarium

rium dixit; [Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili,] neque dixit, se illas neglecturum, vt neque per se, neque per alios, eas reduceret ad verum ouile, sed contra, [& (seu etiam) illas oportet, inquit, me huc adducere,] at ibidem per quos, nisi per Apostolos? & quo fructu; [Erit vnum ouile, & vnus Pastor.] Erant itàque isti Pastori oues multæ; & quidem præcipuè duorum gregum, vtrosque autem greges voluit adducere in vnum; non tamen per se, ideò de se dixit, [non sum missus, nisi ad alterum gregem, nempè oues domus Israel,] sed per alios: cum ergo Petro ouium curam commisit, vtrique vtrumque gregem illi credidit; qui dixeeat se vtrumque vniturum.

21 Quia ergo vtraque hæc M. Antonij responsio minus solida erat, tandem conatur retorquere argumentum;& more solito, Apostolos omnes Petro in omnibus demonstrare æquales. [Sic, ait, committebantur ei oues etiam generaliter (non enim repugno) certè etiam omnibus Apostolis, dixit Christus;] euntes docete omnes gentes. [Vtar & ipse argumento Bernardi,& interrogo, quas gentes? illas vel illas?] Omnes gentes, [inquit, & tamen non dixerat Petro: Pasce omnes oues meas, cui igitur non planum, non designasse aliquas gentes singulis Apostolis; sed assignasse expresè omnes: vt suprà etiam tradidi, vel igitur Bernardus amplificat, vt dicebam oratoriè, vel potiùs illius temporibus Monarchia Romana aliquid inualuerat, quam bona fide, licèt decepti, tenerent multi; vbi præsertim negotium hoc exactè non discuterent.]

22 Vsus fuit hoc argumento, ante M. Antonium, contra Catholicos Martinus Lutherus; sed quàm solidè, ipsi viderint: nam etsi Christus non expresè dixerit, omnes; tamen neque limitauit aliquas, nisi fortè, M. Antonius limitare audeat; & testamentis, commissionibusque alienis, clausulas adulterinas adiungere, quòd si quis abiturus alteri bona sua legaret, numquid legaret solùm aliqua? aut si profecturus filios suos commendaret, numquid commendaret quosdam, & alios excluderet? Omninò non: sed idem valent verba illa; oues meas, quòd omnes oues: vndè Theophyl. in comment. ad hunc B. Ioannis locum [Finito prandio, ait, præfecturam ouium totius mundi Petro commendabat: non autem alij; sed huic tradidit, & in cap. 22. Lucæ. Tu, inquit, Petre conuersus, bonum exemplum pœnitentiæ omnibus eris, qui cum Apostolus fueris, & negaueris, iterum receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.

23 Chrysostomus Homilia 81. In Ioannem, ad illa verba: Simon Ioannis, diligis me plus his? [Quid tandem, ait, alijs omissis de his Petrum affatur? os erat Apostolorum, & Princeps, & vertex ipsius cœtus; propterea, cum Paulus præter alios visurus, ascendit Hierosolymam: simul vt ei ostenderet, iam sibi fiduciam habendam, &c. cum magna Christus Petro communicasset,] orbis terrarum curam demandasset, [martyrium prædixisset, & maiorem erga eum amorem testatus esset, &c.] Et Homilia 80. ad populum Antiochenum, [post illum grauem casum, rursus Petrum ad priorem reduxit honorem pœnitentia: & ei, per totum terrarum orbem, Ecclesiæ præsidentiam tradidit: & quod omnibus maius est; illum nobis maiorem omnibus Apostolis in Dominum habere charitatem ostendit.]

24 Ad eumdem sensum respexit Concilium Mileuitanum, in epistola sua ad Innocentium Papam, cum sollicitè ab eodem petunt, vt contra hæresim Pelagianam, Pastoralem sollicitudinē adhibere dignetur [quia, ait, te Dominus, gratiæ suæ præcipuo munere, in sede Apostolica collocauit: talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus; quàm ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis Infirmorum membrorum Christi, Pastoralem diligentiam adhibere, quæsumus, digneris, &c. multò plures, qui Pelagij sensus diligentiùs indagare potuerunt; aduersùs eum, pro Christi gratia, & Catholicæ fidei veritate, confligunt: præcipuè sanctus filius tuus, frater, & compresbyter Hieronymus: sed arbitramur (adiuuante misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui te regere consulentem, & orantem exaudire dignatur) auctoritati sanctitatis tuæ, de sanctarum scripturarum auctoritate, deprompte faciliùs eos (qui tam peruersa, & perniciosa sentiunt) esse censuros.]

25 Quòd autem cæteris quoque Apostolis, cura totius mundi delegata sit; nemo Catholicus negat; nec tamen, sancto Petro ex hoc, quicquam decedit; quia non est alijs data hæc cura, vt permansurum in successoribus officium, sed vt Apostolorum priuilegium, quod in ipsorum successoribus, Ecclesia numquam agnouit, quia illi id numquam habuerunt; agnouit tamen, in successoribus Petri.

26 Immò quod maius est; ità intelligunt, commendatas beato Petro Christi oues, vt cum Christus tres posuerit, aut ad minus, duas earum classes, nempè *arnia*, *probatia*, & *probato*, id est, agnos, ouiculas, & oues: sub ouium nomine, quæ agnorum matres sunt, non tantùm Episcopos, sed & Apostolos, velint comprehendi: eorumque curam beato Petro commendatam. Vt & ante passionem suam indicauerit Christus verbis illis Luc. 22. [Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos,] vbi sine dubio, nomine fratrum, intelligi possunt omnes fideles; nam & si Petro commendati, id tamen ad illius loci contextum minimè sufficit; neque enim tunc Christus speciatim agebat de insidijs, quas fidelibus omnibus Satanas parabat, sed de eis, quas parabat Apostolis; sicuti ergo de his dixerat Christus, [Satanas expetiuit, vt cribraret vos;] ità de eisdem subiungit, quasi tentationis diabolicæ antidotum; inter hos omnes, ego pro te rogaui, interim tamen alios non deserui, sed tu, oratione mea conuersus, cæteros fratres tuos confirma. Vnde Theophyl. hæc verba exponens, ità paraphrasticè transtulit: [Planus intellectus est; quia, te habeo vt Princi-

pem

pem Diſcipulorum, poſtquam negato me, fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.]

27 Pleniſſimè verò ſanctus Leo ſerm. 2. Natali ſanctorum Petri, & Pauli [Commune erat, ait, omnibus Apoſtolis periculum, de tentatione formidinis; & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino cura Petri ſuſcipitur, & pro Petri fide propriè ſupplicatur, tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit: in Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ità ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Nam, & poſt reſurrectionem ſuam, Dominus beato Petro Apoſtolo, poſt regni claues, ad trinam æterni amoris profeſſionem, myſtica inſinuatione ter dixit: paſce oues meas, quod, & nunc procuIdubio facit, & mandatum Domini pius Paſtor exequitur; confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non ceſſans: vt nulla tentatione ſuperemur,] quæ verba repetit idem Pontifex in ſermone 3. de aſſumptione ſua, & adiungit: [iuſtè iudicis noſtri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno regi, redemptori noſtro, Domino Ieſu Chriſto, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit: vt ſi quid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur; illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt,] & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.

28 Quibus ſimilia cum M. Antonius in Hieronymo quoque, & Chryſoſt. legeret nihil habuit, quo eorum auctoritatem declinaret, niſi contemptum, & riſum: nam cum prius dixiſſet neſcire ſe quorſum, aut quomodo id à Patribus iſtis dictum ſit, tandem vt cauſam diſceret, quærit num ideò Petrus cæteris datus ad inſtructionem, vt eorum confeſſiones audiret? quod quid eſt aliud, quàm in magnis rebus ludicram, & deſultoriam animi vanitatem oſtendere, ſi ſeriò Marcus cauſas quæſiuiſſet, facilè veras, & quidem plures reperiſſet. Ideò enim Petrus Caput, & inſtructor, vt dubiorum emergentium eſſet deciſor, ſicut factum in Concilio Apoſtolorum, deindè vt Gentium ad Eccleſiam admiſſionem primus inchoaret, vt de Chori Apoſtolici ſupplemento cogitaret, vt miſſioni Apoſtolicæ, & Prouinciarum diſtributioni præeſſet, an non cauſæ hæ omnes Idoneæ, vt inter multos Caput vnum requirant, & cum Patres ei S. Scriptura hanc dignitatem vni alicui tribuant, vt & nos id non proternè poſt tot ſæcula negemus. [Securior fides eſt, quæ teſtimonijs maiorum nititur, quàm quæ recentiorum commentis.]

Ad argumenta tria, quæ num. 23. ex M. Antonio contra hanc Vniuerſalem beati Petri gubernationem propoſita ſunt, breuiter hic reſpondeo.

29 Primum frequenter eſſe ſolutum; nam quod ſanctus Baſilius, ait, etiam nunc Paſtores eamdem cum Apoſtolis habere poteſtatem libenter concedimus: at non dixit omnes eamdem poteſtatem habere æquè plenè; conſiſtunt autem hæc duo facilè ſimul, vt poteſtas eadem ſit in duobus, & tamen in vno plenior ſit, quàm in altero, ſicut in iuſtis omnibus eſt quidem idem ſpiritus, non tamen eadem plenitudo. In Apoſtolis verò fuit, & eadem poteſtas, & ſimul par poteſtatis plenitudo, vt cap. 3. explicui; attamen non fuit in ſingulis per modum officij perpetui, pro ipſis & ſucceſſoribus; ſed tantùm, per modum perſonalis priuilegij, pro prima Eccleſiæ fundatione inchoanda. Sancto Petro autem Chriſtus his verbis dedit per modum officij perpetui, dedit enim id, quod Matth. 16. promiſerat, ibi autem ſpeciatim non tantùm initium Eccleſiæ, ſed Eccleſiam promiſit ſuper eum ædificandam, ità vt portæ inferi non tantùm ipſo viuo, ſed abſolutè numquam eſſent contra eam præualituræ, quod nuſquam cæteris Apoſtolis promiſſum, nam etſi etiam illi in Eccleſia ſic ſtabilita laborarint, tamen perpetua illa Eccleſiæ ſtabilitas, non eſt ipſis perſonaliter à Chriſto permiſſa, neque Eccleſiæ intuitu ipſorum conceſſa, neque in Eccleſiam per ipſorum cathedras deriuata, immò à cæteris Epiſcopatibus, & cathedris hæreſes ſæpè ſunt exortæ.

30 Sententia beati Auguſtini, quam M. toties pro ſe citat, accuratiùs paulò expendenda eſt, detegenduſque fœdus abuſus, quo eam M. detorquet, poſſunt enim verba Auguſt. dupliciter intelligi, primo ſic; Chriſtus Petro, aut ſucceſſoribus eius nihil ſpeciale dedit, ſed tantum quantum cæteris; ſimul tamen in ipſo expreſſit id, quod cæteris erat daturus. Secundo, ſic; Chriſtus ſi id, quod Petro dedit, ſoli ipſius perſonæ dediſſet, nihil hoc eſſet illuſtre, aut magnum: (nempe, quia cum Petrus eſſet mortalis, Eccleſia id citò perdidiſſet:) at nunc, quia Petrus quod habuit, etiam pro Eccleſia habuit, verè illuſtre eſt; quia ad ſucceſſores tranſiuit, & permanebit cum Eccleſia. Ex his 2. ſenſibus Marcus Antonius ſemper priorem obtrudit, & ſine probatione. Auguſtinus enim poſteriorem ſpectauit, quem & nos contra M. Antonium defendimus. Patet autem hæc beati Auguſtini mens clariſſimè ex eo, quòd in Cantico ſuo contra Donatiſtas ipſe non perſonam Petri, ſed illius cathedram, totamque Romanorum Pontificum ſeriem dicat eſſe petram, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, non quia vult perſonam Petri excludere, cum ille in hac cathedra primus ſederit, ſed quia voluit id, quod dixi, explicare, nempè Petri firmitatem ſucceſſoribus eius, adeòque toti Eccleſiæ datam, nomine autem Eccleſiæ totius non intelligi ab eo ſingulos Epiſcopos, vt Marcus volebat, ex hoc patet, quòd non fuiſſet opus Catholicos, & Donatiſtas ſpeciatim ad cathedram Romanam relegare, aut de ea dicere. Ipſa enim eſt petra, &c. ſed intelligit Eccleſiam per omnes ætates duraturam, ſeu perpetuum priuilegium. Verba S. Auguſtini ſunt, Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede. Et in ordine illo patrum quis cui ſucceſſit videte: Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

Ad 3. eadem eſt reſponſio, quæ ad primum, Apoſtoli enim miſſi ſunt ad omnes; vt Petrus: non tamen officio Eccleſiæ perpetuo ſicut ſolus ex ipſis Petrus.

CAP.

CAP. IX.

Breuis enumeratio Priuilegiorum, quæ in Scriptur. beato Petro præ cæteris Apostolis tribauntur, aut in Ecclesiasticis scriptoribus recensentur; ad pleniorem Primatus eius declarationem.

Maledicentia M. Antonij num. 1.
Phaleræ eius num. 2.
Triginta quinque beati Petri priuilegia num. 3. & 4.
Ineptiæ M. Antonij num. 6. & 7.

1 EXaminat hoc eapit. M. Antonins reliquas beati Petri prærogatiuas, & priuilegia, quæ ad hoc à Catholicis seriproribus adduei solent, vt lieèt beati Petri Primatum non demonstrent, confirment tamen illum, & exoenent; at quia non potuit in his M. Antonius animi sui virus supprimere, etiam in titulo pueriliter, penè dixeram seurriliter, insnltar, duabusque vocibus duplex maliriæ crimen ostendir; hætesin seilicet, & maledieenriam, titulus quem eapit. 9. præfixir, est; [Pensitatio phalerarum, quibus prætensus Petri Primatus soler exornari,] ac deindè statim in ipso eapit. noni exordio ità incipit; [Enauigauimus Deo duce ex rribus syrtibus, & quod fuit summum Dei erga Eeelesiam suam beneficium, nusquam iu seopulum petrosum visibilis Monarchiæ Ecclesiastieæ adeò perieulosum impegimus. Nauigatio tamen nondum absoluta est, & restant multi seopuli, qui nobis sunt absque vllo perieulo prætérnauigandi; & ij quidem non amplius larentes, sed satis prominentes, vt non nisi cœeus ad eos naufragium faciat; ei verò sunt multæ Petri prærogatiuæ.]

At quid istis B. Petri priuilegijs M. Antoni cum phaleris? vide potiùs ne tibi phaléras adularorij isti versus appenderint; quibus in libri tui vestibulo sanè multùm præter antiquioris Eeclesiæ (euius tu nobis ideam vis exprimere) mores plenis, fictisque encomijs te ipsum commendas. Neque enim [qui se ipsum commendat, ille probatus est. Scriptura, ais, Patres, Concilia, nolunt tegi: Et ipsa gestit euolare veritas. Sum Christianus, Catholicus, præsul, pugil. Episeopatum, Ecclesiam, Christum, fidem, mea penna, lingua, vita, morsque ipsa asseret, nec plus obire valeo, nec fas est minns.]

2 Nam cum hæc tibi ad laudem forè sperares, noluisti sine phaleris prodire. Nobis tamen in his alius longè sensus, quàm speraras; qui te neque Christianum nouimus, neque Catholieum: sed eum Ecclesiam non audieris, sieut Christus mandauit; sicut ethnieum, & publieanum, & quomodo Catholieus esses, qui nusquam Eeclesiam demonstrare potes in toto terrarum orbe tibi consentientem? Satyrus beati Ambrosij frater cum Episcopo peregrino agens, eiusque fidem exploraturus, rogabat; an eum Episcopis Catholieis, idest eum Romana Ecclesia conuenirer? vt narrat Ambrosius in orar. funebri: at verò tu Romanæ Ecclesiæ, adeòque Catholieis bellum indixisti. Præsul non es, quia deseruisti gregem. Pugil non es, nisi fortè Demosthenicus; vt dieas. Vir fugiens pugnabit aliquando, quia stadio ante pugnam existi, & quomodo Episcopatum tua penna, aut fidem assererer, qui neque fidem, neque Episcopatum habes: Itaque hæ phaleræ sunt, queis magnus ribi assentaror palpum tibi ipsi facis, & prætensam Eeelesiastiei regiminis reformationem studes commendare.

3 Illa verò beati Petri priuilegia numero ferè 35. integra ipsius ornamenta sunt, & honorariæ prærogatiuæ. Primum est, mutatio nominis facta Petro præ cæteris Apostolis, Matth. 16.

2. Quòd in omnibus Apostolorum catalogis semper primo loco ponatur, Math. 10.

3. Quòd Petrus super mare ambulauerit, Matth. 14.

4. Quòd ei speeiatim Deus Christi Diuinitatem reuelarit. Matth. 16.

5. Quòd data ei tamquam Petræ firmitas, & solida constantia ibidem.

6. Quòd solutum sit pro ipso triburum, Matth. 17.

7. Quòd in eius nauem Christus ascenderit, Luc. 5.

8. Quòd mandata ei fratrum confirmatio, Luc. 22.

9. Quòd apparuerit ei Christus prius, quàm cæteris Apostolis, 1. Corinth. 15.

10. Quòd fuerit primus, cui à Christo lauarentur pedes, Ioan. 13.

11. Quòd prædicta ei mors à Christo, Ioann. 21.

12. Quòd à Christo indicatus fuerit esse cæteris maior occasione contentionis inter diseipulos exortæ, quis eorum esset maior, Luc. 22.

13. Quòd per ipsum alij instructi, Matthæi 18.

14. Quòd ipse præ cæteris cum Christo semper locutus, & omnium nomine solitus rogare, vel respondere, Matth. 19. Ioann. 6. Luc. 12. Matth. 16.

15. Quòd nomine totius Eeelesiæ quæsiuerit à Christo regulam fraternæ correptionis, Matth. 18.

16. Quòd præ cæteris gladium habuerit, Luc. 22.

17. Quòd solus de somnolentia increpatus à Christo, etiam si cæteri quoque dormirent, Marci 14.

18. Quòd ei speciatim annnneiata ex Christi iussione resurrectio, Marc. 16.

19. Quòd primus Matthiæ electionem proposuerit, Act. 2.

20. Quòd primus publieè post Spiritus sancti aduentum coucionatus, Act. 2.

21. Quòd Ananiam, & Sapphiram de hypocrisi corripuerit, & ad illius correptionem Dominus eos percusserit, Act. 9.

22. Quòd omnes Ecclesias visitarit, Act. 9.

23. Quòd primus gentes ad Eeelesiam admiserit, Act. 10.

24. Quòd pro eo capta sine intermissione

ſione ab Eeeleſia oratum, Act. 12.

25. Quòd ptimus in Concilio ſententiam dixerit, Act. 15.

26. Quòd Paulus eum tamquam maiorem viſitauerit, ad Gal. 1.

27. Quòd in ſchiſmate Corinthio quidam ipſi, non tamquam eorum inſtructori, aut Apoſtolo, ſed tamquam potius Eccleſiæ Capiti inhæſerint, 1. Corinth. 1.

4 Quæ omnia ea Scripturis deſumpta ſunt, eiſque addi poſſunt;

28. Quòd à Chriſto baptizatus ſit, cæteri verò ab ipſo, vel eis, quos ipſe baptizatat, Euthim. in cap. 3. Ioan.

29. Quòd à Chriſto Epiſcopus ſit conſecratus: cæteri ſimiliter ab ipſo.

30. Quòd Simonem Magum primus oppugnatit, & tamdem extinxetit.

31. Quòd Romæ diuino iuſſu ſedem collocarit.

32. Quòd Chriſtus ei ſub finem vitæ ad pottas Romanas oceurrerit, direaitque Venio Romam iterum crucifigi.

33. Quòd ſolæ illæ Eccleſiæ Patriarchales, quas ipſe fundauit.

34. Quòd feſtum cathedræ ipſius celebretur in Eccleſia.

35 Quòd in literis formatis, quas ſolent in Eccleſia vſurpare, nomen beati Petri ponatur quarto loco: hoc modo; P. Y. A. P. quas literas Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus io Concilio Chalcedonenſi ità expoſuit; *Patir*, *Yos*, *Agion*, (ſupple *Pneuma*) *Petros*.

5 Et quia aduerſus hæc omnia M. Antonius, vel nihil habet ſolidum, vel tantùm dicit, ea non demonſtrare Primatum beati Petri, quod & nos fatemur; qui nec eo fine ea adduximus, quaſi ex eis quicquam demonſtrare velimus, operæ pretium non eſt cauillatiooes illius, quas aliquando adfert prolixius referre, quæ autem ad 8. 19. 26. priuilegium contra beatum Petrum, eiuſque laudatorem ſanctus Chryſoſtomum, & Hieronymum, impudentiſſimè effutit, cap. 9. ſatis propoſita ſunt, neque ad eorum refutationem aliud quicquam requiritur; in his enim maximè verum eſt, quod beatus Irenæus dixit; [*Hæreſes detexiſſe, eſt refutaſſe.*]

6 Num. 27. Ineptè Catbolicos vocat [Petrianos:] nemo enim Petrum nouit, niſi ſub Chriſto, quòd ſi autem propteteà [Petrianos] appellat, quia fatemur in Petro deriuatam petræ firmitatem; per me licèt appellet, ve velit, abſtineat tamen ab Auguſtini auctoritate, quaſi is buius nomenclatura auctor ſit.

7 Non minus ineptum, quod num. 33. ex illa Attici interpretatione, inferat, beatum Petrum fore 4. Trinitatis Perſonam, idtòque vltimum P poni pro *Pneyma*: & duas literas pertinere ad Spiritum ſanctum, qui Græcis dicitur *Agion Pneyma*. Nam cum P ſignificare poſſit omnes voces à *p* incipientes, & ex determinatione eius, qui illo vtitur, accipiat ſignificationem certam: profectò ridiculè Marcus nunc ſe ingerit, vt mentem antiquioris Eccleſiæ explicet fœliciùs, quàm ipſi antiquiores Epiſcopi, & Generalia Concilia explicuerint.

C A P. X.

Nugaces M. Antonij reſponſiones, quibus conatur ad Sanctorum Patrum auctoritates, & teſtimonia reſpondere.

Duæ generales ſolutiones, quibus M. Antonius vtitur, num. 1.
Tres ſubſidiariæ, num. 2.
Inepta aſſertio, num. 3.

1 CONatur M. Antonius hoc capite ea in ſanctis Patribus loca, quibus beati Petri Primatus contra ipſius iniurias, & calumnias aſſetitur, gloſſemate benigniote emollire, vt nihil ei contradicere videantur, atque hunc in finem duo hic ponit ſibi admodum ſolemnia præſidia, ex quibus ſe ſperat omnia teſtimonia, quæ ex ſanctis Patribus ab Illuſtriſſimo Bellarmino adducta ſunt, poſſe emolliri; primum eſt, ſanctum Petrum quidem fuiſſe Caput, primum Prælatum inter Apoſtolus; ſed perſonali tantùm priuilegio, & ſine tranſmiſſione ad ſucceſſores. Secundum; dignitatem, & nomen Capitis Petro tribui, ſed ob ætatem, virtutes, & ordinem vocationis, eò quod à Chriſto ante omnes vocatus ſit, non ob vllam poteſtatem, vel iuriſdictionem.

2 Addit aliquando ſubſidiarias ſolutiones ſicubi res viſa difficilior, nempè loca Patrum ab aliquo Hieromonatchico eſſe omninò conficta, vel corrupta, ità enim num. 16. Reſpondet ad auctoritatem beati Cyrilli à ſancto Thoma citatam, item Patres illos oratorijs amplificationibus, vti ità num. 22. de Leone indicat, & num. 23. de Maximo apertè ſcribit, tandem verò cum pugna vires ſuperant, vide, quàm modeſtè captiuet intellectum in obſequium veritatis fidei, & obedientiæ, nomero enim 10. ità de Damaſceno loquitur. [Hæc omnia encomiaſticè dicta ſunt, ex ſolis verbis Euangelicis, non ea ſententia, quam verba Euangelica contineant, eruta, & amplificata. Et Petrum, vt præcipuum, non vt ſolum Eccleſiæ Præſidem extollunt, ſanè oratoriè, non Theologicè. Sed neque Damaſcenus eſt tantæ auctoritatis, vt inter recentiores, aut dormitantes, aut adulantes, non poſſit interdum reponi.]

3 Iſtud verò quanti iudicij eſt, quod num. 28. ſcribit; [de Primatu Petri aſſertiones in Eccleſia Catholica nullas obſeruaui, niſi poſtquam Romani Pontifices cœperunt Primatum ſuum prætendere, promouere, & dilatare.] Cedo enim M. Antoni, qua forma, vel phraſi Patres Primatum hunc exprimant, vt tibi ſatisfaciant. Nàm ſi Primum vocant, aut Principem, Caput, Præſidem Orbis Terræ, necdum palato tuo ſatisfaciunt, ſi ergo alia tibi phraſe ſatisfacere poſſunt, dic quænam ea ſit: nec dubito, quin ipſam, vel totum, quod ea ſignificabitur, pleniſſimè exhibere poſſimus. Nque eſt, vt ex ſexdecim Eccleſiæ ſeculis (propter quaſdam ſancti Bernardi phraſes, qui antè ſex ſecula vixit) noſtræ ſententiæ ſex ſolùm ſecula largiaris; quaſi

vt

vt in concludis, reliqua 10. tua sintiqnia non aliter illis 10. seculis antè Bernardum de Romano Pontifice sensit Ecclesia, quàm sex illis seculis post Bernardum. Neque Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, & omnes Chalcedonensis, vel Ephesini, aut Constantinopolitani Concilij Patres, ad sex posteriores ætates referri possunt, quibus Romanæ Sedis approbatio, veræ fidei, & dogmatum orthodoxorum *sphragis* est, ac signaculum.

CAP. XI.

Sex M. Antonij argumenta, quibus beati Petri Primatum impugnat, dissoluuntur.

Petrus Caput inter Apostolos, etiamsi sit cæterorum minister, num.1.
Apostolorum contentio de Primatu, num.2.
Electio Diaconorum, num.3.
Missio Petri in Samariam, num.3.
Concilium Hierosolymitanum, num.5.
Repræhensio Petri à Paulo, num.6.

REpetitam ex cap.3. doctrinam iterato hìc inculcat M. Antonius, siue quia numquam sibi ipsi in ea satis probanda satisfacit, siue quia pueriliter in singulis libris, duodenarium capitulorum numerum venatur: interim argumentis vtitur omninò ijsdem, quibus iam ad tædium sæpissimè abusus.

Primum est; [Apostolis de Primatu contendentibus Christus nihil, quod ad Primatus confirmationem faciat, respondit; quin potiùs contra eosdem ad humilitatem, & ministerium hortatur: ergo nulla erat inter eos iurisdictio.] Resp. Si argumentum hoc quicquam concludit contra Primatum Petri, omninò necesse est, vt etiam concludat ex eodem contextu, contra Primatum Christi: ille enim exemplo suo hortatus est Apostolos, ad mutuum ministerium; aut si illius ministerium, quia humilitatis est, non tollit iurisdictionem; cedo, cur ministerium Apostolorum eam tollet?

Secundum; [Apostoli sæpè inter se contenderunt, quis eorum esset maior.] Ergo [Dominus non designauit apertè Petrum Monarcham.] Resp.

Argumentum hoc nihil minùs pugnare conta M.Antonium, quàm contra nos, vndè sicut ipse se expediet, ità & nos possumus: & ex quotidiano rerum vsu solutio est facilis. M. Antonius fatetur Petrum personali priuilegio fuisse inter Apostolos primum: cur ergo cæteri contendebant? Dicam planiùs, Ecclesiæ Catholicæ solutio fatetur Romanum Pontificem esse primum inter Episcopos: cur ergo M.Antonius affectat primatum, vel saltem paritatem? Vis dicam? . . .
Nec mirùm si Apostolos dicamus tunc necdum fuisse plenè humiles, quia videmus, quòd Dominus semper occasione huius contentionis eos ad humilitatem instruxerit.

Tertium, num. 10. [Petrus solus non elegit Diaconos, sed omnes duodecim Apostoli. Ergo non fuit Caput inter duodecim.] Resp.

Argumentum hoc indicare magnam M.Antonij superbiam; nam quia omnia solus ageret, si Caput esset; arbitratur stultè, neminem esse Caput, nisi solus agat, quàm vero hoc falsum sit, ex omnibus regnis patet, vbi Reges Ordinum consilio vtuntur, & securius fit, quod totius Reipublicę consilio peragitur, etsi Vnus sit Princeps, qui agat. . . .

Quartum num. 11. [Apostoli miserunt Petrum in Samariam. Ergo fuerunt ipso maiores,] quia mittere est actus iurisdictionis. Resp.

Etiam hoc argumentum superbi animi indicium esse; ex quo satis colligi possit, quòd M.Antonius nullam pro grege suo missionem obire voluerit; ne grege minor videretur, nisi fors cum propriam sibi vtilitatem sperauit, qualis fuit illa ad Cæsarem fraudulenta legatio, qua miseros Vschoccos in cædem præcipitauit. Prætereà; falsum est illud totius argumenti fundamentum, quòd omnis missio importet iurisdictionem, nam prætetquam quòd in Diuinis detur missio, (vt cum Pater misit Filium, vel Spiritum sanctum) vbi tamen nulla est iurisdictio; etiam vsitatè dicitur inferior mittere superiorem (v. g. Ciuis Consulem, vel Pastorem) qui pro ipso agat, aut intercedat, & deprecetur; vel qui consulat, iuuet, præueniat malum imminens, aut aliud quid agat. Ità dixit Ioseph fratribus suis, Genes. 42. 16. Mittite ex vobis vnum, & adducat fratrem vestrum minimum, neque enim erat fratrum, in fratres proprie iurisdictio, sed tantùm personæ deputatio.

Quintum, num.12. [In graui illa difficultate de Legalium vsu res relata est ad Apostolus, & Presbyteros in Ierusalem,] vt loquitur Lucas Act.15. [non ad Petrum. Ergo; Petrus non fuit Caput.] Addit M.Antonius, ne Comici sales desint: [Breue illud Concilij, cuius nomine fuit expeditum; an sub annulo Piscatoris. Omninò non, &c.] Resp.

Iterum ex hoc argumento magnum viri fastum, & incredibilem in eo Ecclesiasticarum rerum ignorantiam colligi. Nam quis Papa vnquam in Concilijs suo solùm nomine Breuia expediuit? aliud est si Papa scribat extra Concilium; tunc enim quod omnibus alijs Principibus licet, nemo Pontifici negabit, vt nomen, & annulum suum adiungat. Quoties tamen ex Concilijs scribitur, epistolis generalis titulus præfigitur, etiam à Pontificibus: vt ex infinitis Pontificum epistolis, quæ communi totius Concilij nomine scriptæ sunt, patet. [Quid Marcus faceret, si posset is annulum habere Piscatoris? hamum faceret.

Vltimum argumentum est; [Paulus repræhendit Petrum; ergo restitit in faciem. Ergo Petrus non fuit eo maior.] Resp.

Totam huius argumenti vim eo spectare, vt nemo Marcum repræhendat, si minor sit, alioquin non feret inultum. Neque enim ferunt Pseudoprophetæ correptionem, quia non habent sapientiam Prouer. 11. 2. [quæ à Deo est, pacificam, & docibilem,] sed vt eleganter dicunt, ex Sapiente Hebræi; *va Zadon, va jabo kalon*. Apud nos verò si minor maiorem repræhendat, illud verum est, quod

Sa-

Sapiens ibidem subdit, *eth Zennim ohocma*, mansueris, seu humilibus est sapientia, reprehensio non est semper auctoritatiæ, aut iurisdictionis, sed amoris quoque, & zeli.

CAP. XII.

Indicatio breuis quarundam propositionum Hæreticorum, quibus M. Antonius librum suum hoc cap. concludit.

M. Antonius inconstans, num. 1.
Laicos Episcopis etiam sexcentis præfert, num. 2.
Doctrina eius est ianua omnium hæresium, num. 3.
Epilogus ad M. Antonium.

1 SCopus M. Antonij hoc cap. in eo consistit, vt Ecclesiastici regiminis formam, & modum à se excogitatum nobis explicet, eumque, qui iam iodè à primis Ecclesiæ temporibus in ea viguit, obnubilet, & extinguat. Verùm tor ab eo hac in re committuntur errores, & absurda, vt neminem arbitrer adhuc in præsenti materia eum superasse; & si quis totum caput accuratè expenderit, nesciat an Aristocratiam asserat M. Antonius, an Democratiam; irà omnia ei promiscua sunt, & *adiaphora*; dummodo Monarchiam excludat, & cum hactenùs semper Aristocratiam nobis inculcarit, irà vt Episcopi singuli habeant potestatem in totam Ecclesiam, nunc tamen Episcopis hanc potestatem disertè negat, num. 15. [In Aristocratia nostra singuli nostri Optimates, hoc est Episcopi nihil possunt tori Reipublicę imperare,] & quod ad articulos fidei attinet, controuersiarumque decisionem, num. 46.

2 Vnum Laicum sexcentis Episcopis præfert. [Contingere enim potest, ait, vt sexcenti Episcopi essent in Concilio congregati, & vnicus in aliquo angulo mundi, siue Episcopus, siue Presbyter, siue etiam Doctor Laicus errorem aperiat, & dissentiat, ac reclamet, quem posteà tota sequatur Ecclesia.] At verò M. Antoni, si hoc irà est, dic mihi quæso, qua fronte in præfatione huius tui operis ausus fuisti, neminem in pugilatum, & palestram velle admittere, nisi parem, idest Episcopus Episcopum? saoè si in proprijs verbis tibi constans, aut tu vnus sexcentis Episcopis (quos ais à Presbyteris, & Laicis doceri posse) maior es; adeòque cum in præfatione, Episcopus deposcebas Episcopum, tu Vnus sexcentos simul, immò plures antagonistas prouocasti, aut non Episcopos solùm, sed & alios Ecclesiæ ministros, immò Laicos, qui infrà omnem Ecclesiasticam functionem sunt, in certamen admittere debes. Nam, cur non? sexcenti, inquis, & quidem in Concilio congregati ab vno Laico doceri possunt, & tu vnus non vis? peccas contra statutam à te pugilatus legem. Quæro enim, an & tu ab vno tali doceri possis, à quo doceri possunt sexcenti? si potes, quo fastu negas? si non potes, ne magnus es, qui sexcentis præstas.

3 Sed mitto te, venio ad ipsam doctrinam: si verum est, quod de Laicis, & Presbyteris scribis, cedo, quis erit finis hæresium? numquid omne, quod Concilia definiunt, Laici retractabunt? semperque manebit libertas excipiendi contra Concilia, futurum, vt vnus aliquis, & quidem is ipse, qui à Concilio hæreseos damnatur, errorem apetiat, eumque postea tota sequatur Ecclesia. Quæso M. Antoni noli Ecclesiam nobis pro columna, arundineam reddere. Nam in tuo sensu, quid aliud de Ecclesia dici poterit, quàm quòd arundo sit vento plebeiæ inconstantiæ agitata? cum tamen eam Christus Petram fecerit, & veritatis columnam.

Est in eodem hoc cap. alia propositio non minus absurda, & ad omnem fidei certitudinem subuertendam deploratissimæ hic temporibus maximè idonea. [In iudicijs Ecclesiasticis proprijs potest interdum contingere appellatio ad plebem, vt si quis tamquam hæreticus ab aliquo, vel aliquibus Episcopis condemnaretur, & excommunicaretur, posset ie suam doctrinam reputaram hæreticam iudicio totius Ecclesiæ supponere, iterum eorum iudicio pensitandam, & ab illa veritatis approbationem, confirmationemque expectare.] Quæ sententia debuisset quidem à M. Antonio, tum ex scripturis, tum ex Ecclesiasticis formulis ab eo probari, sed quia id fieri non potuit, ad aliud tempus ab auctore, alisque locum relegata est, sine vlla tamen, vel libri, vel capitis annotatione. Estque ad conseruandam Ecclesiæ vnionem, ac fidei vnitatem, tàm inepta, vt nihil aliud sit, quàm omnis contentionis, & schismatis incentiuū. Vndè nec Apostolorum temporibus quæstio de legalium vsurpatione ad plebem, sed ad Apostolos, & Episcopos deuoluta est, neque vllie vmquam temporibus appellatio ista ad plebem fuit in vsu, sed vel ad Concilia, vel ad Pontificem. Nam quis ordo, vt oues pascant, ant Discipuli doceant? si Hierarchiam in Ecclesia agnoscimus, non debemus *anarchian*, & *ataxian* inducere, à Pastore ouis subsidium flagito, dicebat Damaso Pontifici Hieronymus, neque ouibus dictum, Pastores suos instruant, sed Pastoribus, vt doceant, & regant oues.

Plurima sunt hoc capite apud M. Antonium eis, quæ modò commemoraui simillima, sed quia ipse pleniores alibi tractatus de his quæstionibus promittit, ego quoque eisdem hic supersedeo. Illud tantùm ex num. 43. adiungens, quòd qui vbique tam strenuè negauit beatum Petrum, vel Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ, modò quia in Anglia viuit ex professo fatetur, Regem vnumquemque in suo Regno Caput Ecclesiæ illius dici posse. Videat tamen Serenis. Angliæ Rex, ne paulò post M. Antonius, sicuti conatus est acquirere sibi æqualitatem cum Pontifice, etiam se conetur æqualem facere cum ipso Rege, nec minus turbet quietem, & pacem Regiam, quam modò conetur turbare Ecclesiasticam,

EPILOGVS

Ad M. Antonium.

OFfero tibi M. Antoni, hanc primi libri tui refutationem, eo animo, eaque mente, qua Christianum decet; cum voto pro reſipiſcentia tua, & errorum retractatione, neque enim tàm turpè eſt errare, quàm in errore perſiſtere. & lapſus veniam facilè impetrat, ſi reſipiſcat. Voluiſti aduersùs Eccleſiam Dei quadrigam librorum inſtituere, & in rotis ſingulis 12.capita, radios; ſed qui currum Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, etiam rotas currus tui ſubuertit, radioſque contriuit, ſcis enim, quòd etſi quidam in equis, & alij in curribus, Eccleſia tamen innocet in nomine Domini, & illi quidem obligantur, proptijs, quæ ſibi infligunt vulneribus, ac cadunt: iſta verò glorioſior ſurgit, & erigitur. Crede mihi non eſt facilè pugnare contra Dominum, aut eos, pro quibus Dominus pugnat, habuit Eccleſia hoſtes te vehementiores, nocentioreſque; manet tamen, manebitque aduersùs omnes inferi portas, omnemque eis egreſſum.militiam.

Quòd ſi aliquando duriori cenſura te notatum dicas; cogita, nihil mirùm, vt qui, quæ vult dicit, audiat, quæ non vult. Condolui initio cum lapſum audirem, reputans mecum inconſtantiæ humanæ miſeriss;& illa, quæ de ſe magnus ille dicebat Eleazatus, mutata perſona in te transferebam.

Cogita quæſo, & tu ætatis, & ſenectutis tuæ dignam eminentiam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque (vt ſpero de te) à pueto optimæ conuerſationis actus, & ſecundum ſanctæ, & à Deo conditæ legis conſtituta currebas tum beoè, quis te faſcinauit? Error, quem erras, non eſt ex animo, & conſcientiæ ſenſu, ſed ex peruerſa affectione, perturbationeque; noli ità te amare, vt perdas. Læſit te Roma? aut doles ob non obtentam dignitatem Cardinalitiam? Non eſt tamen ætati tuæ dignum fingere, & ſcientem prudentemque teſtimonijs Conciliorum, ac Patrum contra eam quaſi pro vindicta abuti, nam etſi tu, qui ipſa teſtimonia inſpexiſti, expendiſtique, ſcias, quàm ſis eis ineptè abuſus; multi tamen adoleſcentium arbitrantes M. Antonium ſexaginta penè annorum ſenem tranſiſſe ad ſynagogas alienigenarum, & ipſi propter tuam ſimulationem facilè decipi poſſent. Hæc mihi cauſa poſtmodum fuit, vehementiùs aliquando te compellandi; poſtquam aduerti errorem tuum malitiæ eſſe, non ignorantiæ, eiſque te calumnijs, & maledictis aliquando debacchatum in omnes Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos: & in ſupremum illius Caput; vt nullum omninò tibi ſit conquerendi ius, ſi fraudes, impoſturæque tuæ detegantur. Illud verò etiam nunc ex te libens audirem, qua conſcientia, tot iteratis vicibus, auſus fueris in verba Concilij Tridentini iurare, etiam tunc cum iam animo concepiſſes, immò inchoaſſes facinus apoſtaſiæ tuæ, & libros aduersùs ipſum Concilium, eiuſque dogmata parares? feciſti ſanè hac re, vt nemo nunc te miretur hæreticum, qui cogitat toties antea fuiſſe periurum. Nam quid mirùm vt infidus ſit Eccleſiæ, qui nec Deo iuramentorum ſuorum teſti fidem conſeruat? Neque ego mihi vnquam perſuaſero Deum ad Eccleſiæ ſuæ reformationem hominibus eis vti, qui dum pro reformatione, vt ipſi quidem nominant, ſcribunt, & re ipſa laborant; ſimul de facto peierant, & in librorum decurſu faciunt alios etiam inuitos teſtimonium contra Eccleſiam falſum dicere. Hæc primum nobis, expedi, & ſtylum, animumque reforma: ac tum reformationes Eccleſiæ molire. Vale, & ſi te amas, reſipiſce; ne labaris in profundum. Colonia 1618.

Cypr. lib.1. epiſt.3.

Chriſti aduerſarius, & Eccleſiæ eius inimicus, ad hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, vt Gubernatore ſublato, atrociùs, atque violentiùs circa Eccleſiæ naufragia graſſetur.

FR.LEO-



FR. LEONARDI
COQVÆI

Ordinis Eremitarum Sancti Augustini
Theologi Parisiensis.

ANTIMORNÆVS, SEV CONFVTATIO Mysterij Iniquitatis seu historia Papatus Philippi Mornæi Caluinistarum in Gallia Archisynagogi. Vbi & errores, ac imposturæ, ex quibus contextum, & consarcinatum totum opus facilè deteguntur, ac refelluntur.

Quare maledicit canis hic moriturus Domine mei, vadam, & amputabo caput eius. 1. *Reg.* 16.

Vidi vnum de capitibus bestiæ, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. *Apoc.* 13.

Fr. Leonardus Coquæus Aurelianensis à teneris annis fęlicis indolis, atque ingenij argumenta dedit. In Grammatica Latina, deindè Hebraica, ità solidas, & profundas radices iecit, vt sciret plusquam naturales ipsi Græci, & Hebręi, quod fidem superaret, nisi traditio continuata Patrum eius Ordinis, eius scripta, & Encomiastica Augustinianorum ab encomijs dicta, testarentur. In Philosophia non mediocrem operam insumpsit, in Theologia verò tum dogmatica, tum speculatiua ità se exercuit, vt in speculando subtilissimus, in dogmate acerrimus, in eruditione Ecclesiastica omnigenas partes ostenderet. Docuit primùm publicè in Gallia raro acumine, ac soliditate mirabili, deinde anno 1583. Sacræ Theologiæ Baccalaureus electus est Florentini Collegij, ex quo ortum habuit quod anno 1595. Serenissimæ Dominæ Christinæ de Lotharingia Magnæ Ducissæ Ethruriæ confessarius eligeretur. Interim tamen sapientia vbique radios effundente cognitus, Romam tamquam ad caput Ecclesiæ euocatus ibidem publicum Professoris munus non sine ingenti laude, nomine, & fama exercuit. In Augustiniana Religione quamuis Ecclesiasticis Scriptoribus fęcundissima, & nobilissima videbatur solus, quippe in Capitulis Generalibus circulo pręfuit doctissimis viris accurrentibus, quibus semper plenè satisfecit mirantibus artem, ita potuisse in homine, quem natura nonnihil deformauerat, vt vitia ipsa verteret in admirationem. Vixit autem fama celeberrimus apud Italos quippe Romæ Professor eximius, Florentiæ etiam Magnæ Ducissæ Ethruriæ Theologus, apud Gallos celeberrimus Parisiensis cognitus apud Reges Galliæ, quibus nempè Ludouico XIII. Nauarræorum, & Francorum Regi librum hunc, quem impri-

mimus dedicauit Lutetiæ Parisiorum cum priuilegio eiusdem Regis Christianissimi. Edidit Auctor iste Commentaria doctissima in Diuum Augustinum de Ciuitate Dei Parisijs edita. Apologiam pro summis Ecclesię Pontificibus Tom. 2. Mediolani anno 1619. Examen præfationis Monitoriæ Iacobi I. Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Regis præmissæ Apologiæ suæ pro iuramento fidelitatis. In quo examine, & Apologia ipsa Regis, & Summi Pontifices breuia ad Catholicos Anglos defenduntur. Impressum Friburgi Brisgoiæ, apud Ioannem Strasefrum. Ediderat interea Philippus Mornæus librum excusum in Gallia, cui titulus Mysterium iniquitatis, seu historiam Papatus, & dedicauerat Ludouico XIII. in quo ferebat hæresim Caluini, quam florentissimo Galliarum Regno intulerat. Erat Mornæus Caluinistarum facilè Princeps, & aliud opus contra Catholicam Ecclesiam conflauerat, nempè vsage, & doctrine du Sainct Sacrament de l'Eucharistie, & hunc, Le Mistere d'iniquité, c'est à dire l'historie de la Papautè, in quo farraginem Mendaciorum, imposturarum, ac blasphemiarum, quin & hæresum omnium colluuiem adunauit, vnde in Præfatione Auctoris vocat Mornæum caussam æquiuocam, & vniuersalem hæresum omnium, quod & experientia ipsa demonstrat, etenim hæretici omnes de hoc turbido fonte potarunt, & aliqui Catholici, qui ingrati veluti filij contrà Matrem pugnauerunt sub eius vexillis numerantur, & eadem prorsus argumenta congerunt. Vix edidit Librum hunc, vt coram Henrico Magno Rege, & Cardinali Perronio de Ecclesia Dei optimè meritò inuentus sit falsarius, & impostor tanto rubore, vt penè pallidus, & exanguis animam efflarit; Quin & facultas Theologiæ Parisiensis Catholicæ fidei vindex acerrima, & hæreticæ prauitatis hostis perpetuò iurata eam damnauit, Rex Christianissimus cum Regina Matre habenas regni moderante, & Gallia vniuersa prohibuit, ne in conspectum alienius veniret. Sed cum homines nitantur in vetitum, & hæretici in eo libro inuenerint immensam mentiendi materiam eum summo in pretio habuere. Vt igitur Leonardus Coquæus Mornæi ruborem æternum redderet, edidit Antimornæum, idest confutationem mysterij iniquitatis, siue historiæ Papatus Philippi Mornæi Caluinistarum in Gallia Coriphæi, in quo elucidata historiæ veritate Romani Pontifices vindicantur ab Aduersarij calumnijs, ab erroribus sacra eorum Auctoritas, ac Fides Orthodoxa asseritur, Imperatorum, Regum, ac Principum iura defenduntur Bellarminus, ac Cardinalis Baronius ab imposturis innocentes ostenduntur, opus in 2. Tomos distributum. Parisijs apud Ioannem Laquai anno 1614. Venetijs anno 1616. Coloniæ apud Anton. Hierat. anno 1617. in fol. Parisijs in 4. Hoc opus Cardinalis Federicus Borromęus doctrina, & pietate celeberrimus, Bibliothecæ publicæ Ambrosianæ institutor inter omnium celeberrima collocauit, dixitque è diametro pugnare infidelitatem Mornæi, & fidelitatem Coquęi, alterum innumeros alterasse Doctores, & Patres, alterum ad vnguem recitasse; quare de Coquæi libris dicendum est quod de illis Hilarij retulit Hieronymus Coquæi libros inoffenso decurras pede. Mortuus est hic Auctor anno 1615 die 27. Nouembris, vt Registra Generalium recensent. Eius meminere Thomas de Herrera in Patribus Augustinianis, Encomiasticon Augustinianum, in quo Personæ Ordinis Eremitatum præstantissimæ commendantur à Philippo Elsio Belga. Statueramus autem collocare in nostro Opere Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ volumen intergum in duas partes diuisum, sed cum superet iustæ magnitudinis librum, & alios in hac litera L haberemus Auctores istum statuimus collocandum, alio, si occasio dabitur, in additamentum translato. Est autem impressus Lutetiæ anno Domini 1613. ex Typographia Ioannis Laquehay in vico Iudæ.

Contra inscriptionem Libri.

PRIMVM quidem ipsam operis inscriptionem, quam benè quadret, cum hominis perfidi, & sacrilegorum Ecclesiæ, & Christi hostium ingenio, paulò diligentiùs examinandum. [Misterium Iniquitatis, seu Historia Papatus.] Mysterium Iniquitatis eligitur apud D. Paulum 2. Thes. 2. cuius nomine Patres ferè omnes intellexisse videntur, vel Neronis persecutionem, ità Ambrosius, si illius sunt Commentarij Chrysost. Theophil. in illum locum: atque illius interpretationis memiuit D. Hieronymus Epist. ad Algasiam quæst. 2. & D. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 19. Quidam putant (inquit) hoc quod dixit, iam enim Mysterium iniquitatis operatur Neronem voluisse intelligi, cuius iam facta velut Antichristi videbantur, vel etiam hæreticos, qui clam decipiunt, vt Simon Magus, & alij qui iam tempore Apostolorum persequebantur fidem Ecclesiæ: Ità

Theo-

Theodoretus, & Sedulius in eundem locum, & D. Augustinus loco citato: sicut enim Christus caput omnium iustorum verè cœpit ab origine mundi in Patriarchis, & Prophetis, qui eum præcurrebant, ac præsignificabant ità vt dici posset, à principio mundi cœpisse operari mysterium pietatis, non tamen venit in propria persona, nisi cum in plenitudine temporis carnem de Beatissima Virgine assumpsit: sic Antichristus omnium malorum caput, mox post Christum in cœlum assumptum, cœpit venire in suis præcursoribus, & Mysterium operari Iniquitatis, scilicet in Hæreticis, & Tyrannis Ecclesiam persequentibus: Iam igitur tum dicebat Paulus Antichristum Mysterium operari Iniquitatis ob persecutionem spiritualem Simonis Magi, & aliorum Hæreticorum, ac temporalem Neronis, quæ velitationes erant, ac veluti præludia sæuissimæ persecutionis in fine mundi mouendæ per Antichristum, illamque præsignificabant: At super omnes senes intellexit Philippus Mornæus, qui contra omnium Patrum sensum Mysterium Iniquitatis, Historiam Papatus est interpretatus. Numquam certè plùs quàm per os istius hominis Diabolus deprehenditur blasphemasse. [O præcidendam linguam] scribebat D. Hieronymus in blasphemias. Vigilantij grauiter aliquando inuectus [ac per partes, & frustra lacerandam.] Iam inter se congruunt Mysterium Iniquitatis: de quo Apostolus, & Historia Papatus, quam Deus, & Diabolus, Christus, & Belial, lux, & tenebræ, Paradisus, & Infernus, quam denique Ecclesia sancta Christi proprio illius sanguine acquisita, & redempta cum Ipsa synagoga Satanæ. Atq; cum in fidei controuersijs, & scripturæ sacræ interpretatione sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum auctoritate uti debeamus, proferat, vel ex omnibus Græcis, aut Latinis vnum, qui Mysterium Iniquitatis, Historiam Papatus sit interpretatus. Sacra Concilia, & omnes Patres Pontifici Romano semper plurimùm detulerunt, in controuersijs fidei supremum illum iudicem agnouerunt: ex successione Romanorum Pontificum cōtra fidei perduelles argumentati sunt, eamque demonstrarunt esse veram Ecclesiam, cui Petri successores semper præfuissent, Reges, ac principes cum orbe Christiano cum, vt supremum Sacræ religionis Antistitem, & Christi vices in terris gerentem venerati sunt, vt inde magis constet, quanta sit ipsius auctoris impudentia Mysterium Iniquitatis Historiam Papatus interpretantis: sed prosequitur.

Quibus gradibus ad id fastigij enisus sit, quàmque acriter omni tempore vbique à pijs contrà intercessum.

NOn alijs certè gradibus, quàm quibus Christi Ecclesia, quæ initio parua, & contemptibilis videbatur, ac needum sibi Reges, & Principes, Philosophos, & Oratores subiecerat. Videte vocationem vestrā fratres, ità scribebat Apostolus, quia nō multi sapientes secundum carnem, nō multi potentes non multi nobiles, &c.] Nondum eam Maiestatem, quā sacri Vates longè antea præuidebant, consecuta erat: nec per orbem terrarum imperij fines longè, lateque protenderat. Nam cum toti Ecclesiæ in terris militanti: præsit summus Pontifex, eadem illius est Maiestas, quæ & Ecclesiæ, quocumque porrigitur istius spirituale imperium, & sacra auctoritas, & illius tam latè protenditur: sicuti Regis Christianissimi, & Regni Galliarum, Idem prorsus; non verò aliud fastigium asserimus, vt quot prouincijs continetur opulentissimum, & amplissimum illud Regnum, in totidem sese porrigat regis auctoritas. Nec verò gradibus quibusdam creuit ea Pontificum auctoritas, si de spirituali suprema eis à Christo pro regimine Ecclesiæ concessa agatur: nam eadem est, & non maior nunc Pontificis Romani, quàm quæ in ipsa Ecclesiæ primordijs Petri fuit, & eorum, qui ab initio illi successerunt. Quòd si de obsequio, & de obedientia non à populis dumtaxat, sed & à Regibus, & Principibus Pontifici exhibita loquamur, certum est ab initio Romanos Imperatores, ac ferè Principes idololatriæ addictos fuisse, Christi doctrinam superstitionis loco habuisse. Ideòque nec Ecclesiam ab eo in terris ædificatam, aut Pontificatus supremi pro illius regimine institutionem agnouisse: Nam primus Romanorum Principum Constantinus circa annum Christi 300. repudiatis erroribus, Maiestatem Dei Vnius, ac veri agnouit, & veneratus est, quem, & Romanum Pontificem supremum Christianorum Antistitem agnouisse constat: Qui & in Orientem transtulerit imperium, vbi enim Principatus sacerdotum, & sacræ Religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum erat, iudicabat iustum non esse, vt illic Imperator terrenus haberet potestatem: Et patet ex historijs singularum gentium quoties Principes ipsi sacræ nostræ Religioni nomen dederunt, Pontificis Romani dignitatem, & ius in omnes Christianos illos agnouisse: sicque non statim initio, sed temporis progressu sacrosancta dignitas Romani Pontificis à Principibus, & populis tandem cognita, in summa veneratione habita fuit. Quòd si de temporali Pontificis dominio agamus: hoc illud à Christo in Pontifices collatum: nec Pontificatui essentialitèr, aut necessariò ex ipsa sui institutione annexum, non diffitemur, nec tamen vlla ex parte illius accessionem Pontificatui repugnare, nec sine Dei voluntate, ac singulari prouidentia factam esse contendimus, quòd ità certis prouincijs definitum est, ac limitatum, vt nullam inde in reliquos populos sibi abroget auctoritatem, quam nec minorem haberet in his, quæ sunt ad Deum per totum orbem in ouile Christi, si numquam tale dominium liberalitate Principum Christianorum, vt Constantini Magni, Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, & aliorum fuisset adeptus. Quòd si reliqua Imperia à paruis initijs accessione nouorum regnorum, aut Prouinciarum in maiorem molem, ac maius fastigium creuerunt, non mirum erit si Pontificis temporale dominium non latè patuerit initio. Verùm tanta dignitas omnibus admirationi est, &

vene-

venerationi non propter accessorium, hoc est temporale dominium, quo multis Principibus cedit, sed ob principale, hoc est supremam spiritualem auctoritatem, quæ non ab hominibus, neque per homines, sed cœlitus illi concessa, quæ nullis constringitur limitibus, sed quocumque terrarum sese Christi Ecclesia, extrà quam nemini patet salus, porrigit, & eò sese distendit, quam agnoscant, & cui subijciantur necesse est *eai thelosi cân mi thelosi*, qui salui esse velint, vt inde constet quantum à veritate aberret Spiritus iste mendax, cum dicit à pijs omnibus acriter contrà intercessum; quos enim vocat pios, non alij quàm heretici sacræ Religionis Christianæ perduelles intelligi possunt, qui errores suos ab Apostolica Sede condemnatos, ac se perduellionis, & criminis hæreseos reos peractos, semper ægrè tulerunt. Non dissimilis hoc loco Mornæus impudentissimo hæretico Marcioni, qui verè diaboli os accipiens (ait Iræneus) Cainum eique, qui similes moribus fuissent, Sodomitas, Ægyptios, & omnes omninò gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulassent, salutem à Domino consequutas: Abel autem, & Enoch, & Noe, & reliquos iustos, & eos, qui sunt erga Abraham, Patriarchas cum omnibus Prophetis, & ijs qui placuerunt Deo, non participasse salutem pronunciauit. Quis non videat pari cœcitate, aut potius impietate laborare hunc auctorem, cum impietatis postulat quotquot superioribus sæculis summi Pontificis dignitatem obseruarunt, pios verò pronuntiat totius orbis sententia damnatos hæreticos: etsi enim, vt suum institutum probet, aliquos ex Catholicis toto opere proferat, at quàm præposterè, nec sine impostura palàm faciemus.

Quomodo verò, si à pijs omni tempore intercessum, ad id fastigij Papatus enisus peruenire tandem potuit, cùm pij illi, non gregarij, aut plebei homines, sed Imperatores, Reges, ac Principes, potentissimi aliquando exercitus contra intercesserint: sapientissimus Gamaliel ille consuluit Pharisæis, cùm Prædicantibus Apostolis, contrà illi intercederent, discedite ab hominibus istis, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur, si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini: Ità videmus, & si Principes ab initio nihil prætermiserint, quo legis Euangelicæ promulgationi, & Christianæ Religionis incrementa obsisterent, irritos tamen eorum fuisse conatus, quid nisi quia consilium Domini stabit, & omnis voluntas eius fiet? Ità quis quæso sensus, quæ dementia perfidorum hominum mentes occupauit, nisi quòd vellent *theomachein*, cùm se Pontificem Romanum è solio suo, & supremo sub Cœlo dignitatis gradu deturbare in animo haberent? Quid hoc nisi quædam Gigantum *aponia* sanctissima Christi *theanthropoy*, instituta per summum nefas *caricon* istud *antropion*, *phayloteron phaylon milon*, & cassa nunc non entendum conculcare velle? hæccine verò piorum hominum intercessio?

'PROGREDITVR.

Asseruntur etiam iura Imperatorum, Regum, ac Principum Christianorum aduersùs Bellarminum, & Baronium Cardinales.

QVis verò Catholicorum est, qui vel minimùm detractum velit de iuribus Imperatorum, Regum, ac Principum: Asserenda quidem illa sunt, sed aduersùs hæreticos, quos auctor iste commendat, nempè Waldenses, quorum errores in Concilio Generali Romæ habito damnati sunt circa annum Domini 1170. inter quos hic 25. loco à Prateolo N. pauperes de Lugduno recensetur: Omnem potestatem, tàm laicalem, quàm Ecclesiasticam amitti per peccatum mortale, ideòque non esse ei parendum, qui mortalis culpæ reus sit: Aduersùs Ioannem Wiclef, & Iohannem Hus condemnatos in Concilio Constantiensi sess. 8. & 12. quorum inter cæteros hic error recensetur, nullus est Dominus ciuilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali: Asserenda sunt contra Lutherum, & alios hæreticos, qui volunt libertatem Christianam in eò consistere, quòd nemo ampliùs teneatur legibus parere, & nulla potestas sit, quæ huic libertati possit repugnare, scilicèt velamen malitiæ habentes libertatem: Asserenda contrà Geneuenses, apud quos Iohannis Knoxij Pseudo-Christianorum in Scotia noui Apostoli liber impressus, in quo affirmat debuisse nobiles, & Populum Anglicanum, non modò resistere, & repugnare Mariæ illi Iezabelli (ità enim Catholicam, ac legitimam Regni hæredem appellat) quæ non Prophetis Domini, sed Sacerdotibus Baal, & Pseudo-Prophetis bellum intulerit.

Verùm etiam de ea, & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis supplicium sumere, vt primùm cœperunt; apertè Christi Euangelium supprimere, hoc est prauitatem hæreticam persequi. Apud quos editus liber Goodmanni Angli. Quemadmodum summo Magistratui obediendum sit, vbi asseritur, quòd si Principes, & Magistratus leges Dei transgrediantur, putà Caluinismum non foueant, & alijs idipsum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem, & obedientiam, quam aliàs subditi eis præstare tenebantur, neque deinceps habendi sunt pro Magistratibus, sed puniendi tamquam priuati homines, quæ pestifera doctrina, tot per duelles armauit in Reges Christianissimos, tot turbidos motus in Gallia concitauit, atque florentissimum illud Regnum parum abfuit, quin funditus euerteret. Asserenda contra Puritanos, qui Dominationem omnem spernunt, quin & Regum vitæ insidiantur, qui vel teste Serenissimo Rege Magnæ Britanniæ, in præfatione in *basilicon doron* magnæ laudi sibi ducunt, si quando ipsi Regibus litem intentent, & vniuersa Regna nimis seditiosè perturbent, qui cum Reges,

& le-

& leges obstinatè contemnant, Giganrum more cùm Deo pugnant, & solem è mundo tollere conantur. Deniquè asserenda contra Buchananum, & istiusmodi *ec toy puniroy toytoy* homines, quorum doctrina de Regum iure, & auctoritate, non nisi Reipublicæ perniciem afferre potest: At verò Bellarminus lib. de Laicis cap. 9. cùm retulisset sententiam Waldensium, & Anabaptistarum, qui negabant licere Christiano Magistratui leges condere, iudicia exercere, & punire improbos, hæc omnia egregiè confutat, nam cap. 10. ostendit licere Christiano Principi leges condere, idquè docet apertè nullo modo cùm Christiana libertate pugnare, & cap. 11. docet legem ciuilem, non minùs obligare in conscientia, quàm legem diuinam, & si minùs firma, & stabilis sit hæc, quàm illa, cap. 12. licere Christianis publica iudicia exercere, & cap. 13. licere Christiano Magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis, non video igitur, in quibus asserenda veniant iura Imperatorum, & Regum, contrà Cardinalem Bellarminum, cuius vt & omnium Catholicorum, non alius sensus, quàm D. Bernardi epist. 183. ad Conradum Regem Romanorum, Regis dedecus, Regni diminutionem nunquam volui, volentes odit anima mea. Legi quippè: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodo moneo custodire in exhibendo reuerentiam summæ, & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio, & Epist. 543. ad eundem: Non veniat anima mea in conspectum eorum, qui dicunt vel Imperio pacem, & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesijs prosperitatem, & exaltationem Imperij nocituram: Non enim vtriusque institutor Deus in destructionem ea coniunxit, sed in ædificationem, & Epist. 255. ad Ludouicum Regem Francorum. Iura terrena, & iura Regnorum, tunc sanè sana suis Dominis, atque illæsa persistunt, si diuinis ordinationibus, ac dispositionibus non resistunt. Itàque sic asserenda sunt iura Imperatorum, ac Regum, vt nihil de iuribus Pontificum detractum velimus, vtraque suis limitibus contenta sunt, nec alter in alterius iura innolate. Neque aliud volunt Cardinales Bellarminus, & Baronius, qui in suis doctissimis annalibus, vbi se offert locus, notat eos, quibuseum suæ iurisdictionis limites satis esse debuissent, in iura Ecclesiæ irrupisse aliquando sibi videbantur. Non mihi quidem ità priuatorum Doctorum placita, vt veritatem ipsam, & doctrinam Catholicam defendere propositum est, quantum ramen ex Annalibus Baronij, & controuersijs Bellarmini, vtroque de Republica Christiana, quàm optimè meritò colligere potui, ità Pontificum, & Ecclesiæ iura asserunt, vt nihil Regum, ac Principum Christianorum iura meo iudicio, vnquam sibi offendere proposuerint. Quid verò opus erat ad asserenda ea iura, auctoritate istius Causidici, qui, vt vindicaret iura Regum, ac Principum, euertisa pœnitùs voluit Pontificum auctoritatem? Si quid enim Pontifices sibi arrogent, quod iuribus Principum deroget, & si illis occurrendum videatur, non nisi tamen per summum nefas, nec citrà sacrilegium de tollendis, vel minimum diminuendis iuribus sacris agetur, nec nos (quod fingere solent hæretici) vt inuisam Imperatoribus, ac Regibus sacrosanctam Pontificis auctoritatem, omnipotentiam quamdam ipsi Pontifici concedimus, vel potestatem pro arbitrio exauctorandi Reges, ac Principes. Quæ Cæsaris sunt, reddi volumus Cæsari, & quæ Dei, Deo: Illi verò Baronium, cùm Ecclesiasticos Annales susciperet, contexendos, id vnum sibi negotij dari credidisse mentiuntur, vt hanc de infinita potentia Summi Pontificis mirificam doctrinam, per totam seriem temporum *eycatios acaitos*, confirmaret.

Nos omnipotentiam Papæ tribuere, nos Deum in terris eum agnoscere, & quòd Reges, ità subijciamus Pontifici in temporalibus, vt si eorum administratio fuerit culpabilis, in potestate sit Papæ, temporali gladio in ipsos sæuire, eos deponere, & solio deturbare, atque alios pro libito constituere, quasi Reges precario regnent, & Vicariam habeant potestatem à Pontifice, tamquam Rege Regum, & Domino Dominantium. Atque hanc doctrinam Hildebrandicam, vt à Gregorio VII. primùm inuectam nuncupaut, quibus & videtur de iuribus Imperatorum, ac Regum detractum, nisi Christus ipse, Petrus, & Paulus Imperatoribus infidelibus, de iure subiecti fuisse affirmentur: hoc etiam Hildebrandinum esse dogma, quòd nos profiteamur Romani Pontificis omnipotentiam in Regibus deponendis, & Regnis conferendis, atque ad alios ex vtilitate Ecclesiæ, hoc est Papæ voluntate transferendis, dies, noctesque id Romæ agi, vt ea dogmata probent esse fidei Catholicæ præcipuum caput: certè tanti momenti articulum, vt qui aliter sentiat, Christianus esse nequeat: Sed hæc mera sunt somnia, & vanæ imposturæ Aduersariorum ridendæ magis, quàm confutandæ: non hoc docet Catholica fides, quòd isti putant, & vani accusant, phantasmata sunt Aduersariorum, non doctrina Catholicorum: An verò docere Imperatores, & Reges Christianos, Summo Pontifici, tamquam Vicario Christi in terris, successori Petri Apostolorum Principis, & supremo Pastori totius Dominici gregis in spiritualibus subditos esse, id est, peruertere, aut labefactare iura Imperatorum, ac Regum? An non Romani ipsi, & si infideles omnia post Religionem ponenda semper duxerunt, etiam in quibus Summæ Maiestatis decus conspici voluerunt? Apud eos anno V. C. 511. L. Metellus Pontifex Max. Posthumium Albinum Cos. eumdemque flaminem Martialem ad bellum gerendum, Africam petentem, ne à sacris discederet multa indicta Vrbem egredi passus non est, atque ità summum Imperium, Religioni cessit: Et anno V. C. 563. similitèr certamen fuit inter Licinium Pontificem, & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, hûc enim Prætorem, ne in Sardiniam proficisceretur Q. Licinius tenuit: Et in Senatu, & ad Populum, cùm magnis contentionibus certatum esset, Religio ad postremum vicit, & dicto audiens Pontificis Flamen, qui & Prætor, iussus, sicque potior ratio Religionis, quàm

quàm Reipublicæ habita: bellum gerere, & Prouinciam administrare, munia erant ciuilia, & ipsius Reipublicæ, quæ Consulibus, & Prætoribus mandabantur, valuit tamen tàm intercessio Pontificis Maximi, ne Religio dispendium aliquod interim pateretur: atque id non aliud fuit, quàm Pontificem Maximum, qui sacris, & Religioni præerat, habuisse tùm etiam potestatem aliquam temporalem, sed in ordine ad spiritualia, neque fuit, qui tamen assereret iura Consulum, aut Prætorũ, aut ipsius Reipublicæ contrà Pontificem, vt plus illi Ioui detulerint, & cultui idolorum, quàm ipsi Christo, & Sacræ Religioni concedant. Quis verò non eos oderit, tamquam publicæ quietis hostes infestissimos, qui iura Imperatorum, aut Regum violare tentariot, & non æquo animo ferat à quibuslibet sacrosanctæ dignitatis tuendæ, ac publicæ pacis conseruandæ studiosis, ea asseri, & vindicari? Non modò eos à Republica supplicio affici, sed & ab Ecclesia anathema fieri decet, qui Regum, ac Principum sacrosancta iura, vel minimùm lædere studuerint: perfidus ille nobis hæreticus, qui quocumque modo ea violari impunè posse, ac citrà maximam Dei offensam, contenderit. Verùm hæreticorum spiritus turbulenti, non modò hactenus conceoderunt, vt Monarchiam Ecclesiasticam à Christo Domino institutam euerterent, sed & vt omnem Reipublicæ statum, ac Magistratuum auctoritatem planè opprimerent. *ec poniroy toytoy commatos* est auctor istius operis mysterium iniquitatis, seù historia Paparus inscripti, quo iura Imperatorum, ac Regum asserere se scribit, hoc nimirùm inuolucro *peripeptei tin mochthirian*, ità fortasse Imperatorem, ac Reges conciliaturum sibi iudicauit, qui tamen stolidi, ac superbi istius rabulæ in cicadæ modum obstrepentis patrocinio non egent: & iura quidem sua illibata, & integra sibi conseruari volunt, vt licèt in ciuilibus, & temporalibus, ac Reipublicæ regimine superiorem post Deum nullum agnoscant, vbi tamen Ecclesiæ Christi, & Religionis causa agitur, sacrosanctam Pontificis auctoritatem reuereantur, & colant, & subditos suos, non modò legibus ciuilibus, quas ferunt, sed & sacris Canonibus, ac Pontificum sanctionibus, quibus se æquo animo subijciunt, cùm legibus suis soluti sint, gubernari libenter patiuntur. Quod si nonnulli ex Canonistis, aut etiam ex Theologis illis, plùs æquo Pontifici tribuisse videntur (de quo nunc non disputo) & non modò supremam auctoritatem spiritualem ad regimen animarum, & Ecclesiæ Christi necessariam, sed & supremam temporalem, etiam directam, detulerunt, quam nec ipsi Pontifices sibi vindicarunt: An ideò iure suo exciderunt? An causa sufficiens est, & iusta, ea iura, quæ non sibi arrogant, nec ab hominibus, aut per homines, sed à Christo expressissimis verbis sibi delata agnoscunt, conuellere? interim scribunt, clamant, vociferantur nullum vnquam verbum, apud prudentes Principes (quo nomine sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Pontificis Aduersarios intelligunt) de concordia Ecclesiæ, hoc est, de abiuratione hæreseos, & professione fidei Catholicæ esse faciendum, aut Monarchiæ, & omnipotentiæ temporali Pontificis (qualem numquam asseruerunt Catholici) esse renunciandum. Olim inter Orthodoxos, & Arrianos de vnica syllaba contentio erat, dicendusne filius Patri *omooysios, omoioysios*, quòd si contendissent Arriani, aut renunciandum esse illi syllabæ, aut de concordia Ecclesiarum, nullum verbum esse faciendum, iniqua planè fuisset postulatio, hoc enim nihil aliud fuisset, quàm renunciare fidei Catholicæ, & Arrianismum profiteri: ità Catholici, ne minimum quidem vnquam patientur detrahi de iuribus Romani Pontificis, sordescant hæretici in sordibus suis. Si peccaueris, quid ei nocebis, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? hoc nimirùm volunt Aduersarij, non esse cùm legitimo Principe, de reconciliatione agendum, nisi de iure suo detractum velit, & rebelles, quam velint legem illi imponant. Nam quantum ad Monarchiam illam, & omnipotentiam temporalem, impostura est aduersariorum ad reddendam inuisam Pontificis auctoritatem. An verò, & si eam sibi vindicarent Pontifices, ideò auctoritas eorum spiritualis non est ab omnibus Christianis, quos subesse eis Deus velit, colenda, aut iure suo exciderunt? Quòd si Caligula sibi Diuinos honores asseruit, si Domitianus Deus, & Dominus habere voluit, alijque permulti Principes eò insaniæ venerunt, vt Dij à subditis haberi contenderent, an ideò iure, quod in subditos habebant, excidebant? Regula iuris est vtile per inutile non vitiari.

Si serenissimus Rex Angliæ se falso titulo caput Ecclesiæ Anglicanæ, quin & Regem Franciæ inscribit, an ideò non Rex est legitimus, cui obsequi debeant in his, quæ ad Regni administrationem spectant, omnes subditi? Ità & si præpostero quodam zelo tribuerent aliqui Pontifici potestatem temporalem in Christianos Principes, vt eos deponendi pro arbitrio, & alios instituendi ius haberet: An ideò non caput est Ecclesiæ Militantis? aut non eum tamquam filij Patrem, & oues Pastorem, cui suprema cura animarum à Deo demandata sit, agnoscere debent?

Auctore Philippo Mornæo.

PHilippus hic Mornæus sacræ Apocalypsos cap. 13. depingitur ad viuum, vbi dicitur: [Draco, hoc est Diabolus, dedisse virtutem suam, & potestatem magnam bestiæ, idest Antichristo;] subijcit deindè: [Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est:] caput eius bestiæ, quasi occisum in mortem, Philippus Mornæus est, qui antè aliquot annos cùm impium, & infamem librum, & verè alabaudicum opus contra sacrosanctum Missæ sacrificium euulgasset, ex sacrilegis erroribus, horrendis blasphemijs, & falsis, aut præposteris variorum Auctorum citationibus, ac imposturis conflatum, collatione habita cum reuerendissimo Domino Episcopo tùm Ebroicensi, posteà sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Perronio, & ad Archiepiscopatum Senonensem translato, de Ecclesia Dei, quàm opti-

optimè meritò, in conſpectu Chriſtianiſſimi Regis Henrici Magni, & Principum, ac Procerum totius Regni, multis etiam ex grege Proteſtantium, tùm præſentibus, cùm non modò peruerſus hæreticus, ſed & impoſtor falſarius deprehenſus, ac conuictus fuiſſet, tantò indè pudore correptus eſt, ac tantùm cœpit dolorem, vt parùm abfuerit, quin efflaret animam, ac mortuo, quàm viuo ſimilior appareret. Viderat igitur Ioannes vnum illud de capitibus beſtiæ, quaſi occiſum in mortem, ſed plaga mortis eius curata eſt, reuixit Mornæus, nouos illi ſpiritus Draco ſubminiſtrauit, vt ad nouas blaſphemias animum adijceret, cùm opus hoc tam inſigne adeò ſpecioſo titulo inſcripſit: [Myſterium iniquitatis, ſeu hiſtoriam Papatus,] nàm ſuper capita beſtiæ nomina blaſphemiæ viderat Diuus Ioannes.

Atque Philippus iſte tam magnanimus eſt, arte, & marte adeò valet, vt breui toti Græciæ iugum ſit impoſiturus, niſi Demoſthenes aliquis occurrat, imò tam ingentes animos gerit, vt putet ſibi faciliùs eſſe negotium Romanæ Eccleſiæ Primatum, ac Papatum euertere, quin & omnibus Romanæ Eccleſiæ ſectatoribus imponere, eoſque ſuis impoſturis, ac erroribus corrumpere, quàm fuerit Philippo Macedoni, vel libertatem Græciæ adimere, vel etiam Athenienſes, ac reliquas Ciuitates auro, aut muneribus corrumpere.

En nobis in veſtibulo libri ſtatim quandam maieſtatem, non ſolùm legibus armatam, ſed & armis decoratam, arte, & marte conſpicitur inſignis, Philippus ille Mornæus, vt vtramque militiam in eo, valdè egregiam ſpectare, quin & admirari liceat, militiam armatam, militiam togatam, militiam palatinam, & militiam literaram: vbi ſuperioribus annis per Galliam ſæuijt Mars, non dubito, quin iſte Mornæus prælia multa ſuſtinuerit, & maximam fortitudinis laudem retulerit gladijs, clypeis, & thoracibus militando, tamen etſi bella quieſcant, non perijt virtus, licet exercere togatæ munera militiæ. Hoc quàm egregiè præſtiterit in ſuo Myſterio iniquitatis, qui operatur Myſterium iniquitatis Philippus Mornęus Pleſſaici Marliani, &c. Dominus, in progreſſu Deo iuuante palàm faciemus.

Illud interim non omittendum Patres aliquando circa nomina ipſorum Hæreticorum diligenter obſeruaſſe vim, & ſignificatum ipſorum.

Sic enim Cyrillus Hieroſolymitanus cath. 6. orat. 20. de Manete Hæreſiarcha loquens apud Græcos, illud nomen ab inſania trahi obſeruat.

Et Gregorius Nazianzenus *Areios*, inquit, *ò tis manias eponymos*. Arrius à furore nomen habens. Huic verò Auctori Philippo Mornè cognomen eſt, quòd ſi latinè reddas, marcidus, bardus, ſtupidus, hebes, ac ſtultus erit, interim ſuis magnus eſt Mornæus, quis iam riſum teneat, cuius incomparabiles libri toto Orbe, quàm exptectantur, quanta cum impatientia expectentur, vix credibile, vt potè, quem, vel ſupra hominum ingenium eruditio, necnon in tot, tamque magnis, & arduis perſpecta virtus extrà commuuem Doctiorum quorumcumque famam, euexerint. Quòd ſi blaterare eſt eloquentem eſſe, ſi impunere, calumniari, mendacia contra maniſeſtiſſimam veritatem contexere, eſt doctum eſſe, doctus ſit Mornæus.

Scribit Diuus Auguſtinus lib. 3. confeſſ. cap. 3. Fauſtum Manichæum magnum laqueum Diaboli in ea exiſtimatione fuiſſe apud ſuos, quòd eſſet honeſtarum omnium doctrinarum peritiſſimus, & apprimè diſciplinis liberalibus eruditus.

Et cap. 6. Indè ſe illum per annos fermè ipſos nouem, quibus eos animo vagabundus audiuit, venturum expectaſſe, cuius aduentu, collatoque colloquio illi quæſtiones, quas alijs obiecerat, enodatiſſimè expedirentur; ſubiungit: Illi, qui eum mihi promittebant, non boni rerum eſtimatores erant, & ideò illis videbatur prudens, & ſapiens, quia delectabat eos loquens, & vbi cum illo familiariter contulit; & accipiendo, ac reddendo ſermonem, expertus ſum, inquit, hominem expertem liberalium diſciplinarum, niſi Grammaticæ, atque eius ipſius vſitato modo, & quia legerat aliquas Tullianas orationes, & pauciſſimos Senecæ libros, & nonnulla Poetarum, & ſuæ ſectæ, ſi qua volumina latinè, atque compoſitè conſcripta erant.

Talis apud ſuos Mornæus, qualis apud Manichæos Fauſtus, & id de eo boni omnes rerum exiſtimatores ferent iudicium, quòd de Fauſto Auguſtinus.

Sed nimirùm inter etiam indoctos Corydus ſonat ſuum opus Mornæus Gallico ſermone nuncupauit Chriſtianiſſimo Galliarum Regi, Latino verò idiomate editum, quo ex Gallia illud ad me miſſum, ſereniſſimo Regi magnæ Britanniæ, & Hiberniæ. Epiſtolæ dedicatoriæ ſubiunxit Præfationem ad Romanæ Eccleſiæ Sectatores. Igitur & epiſtolam Mornæi ad ſereniſſimum Regem paulò accuratiùs expendere, & præfationis tot capita, quot mendacia confutare, vt hominis inſaniam retundam, atque inſcitiam conuincam antequàm reliquum opus aggrediar, reſellere mihi Conſilium.

Expenditur epiſtola Philippi Mornæi ad ſereniſſimum, ac potentiſſimum Iacobum I. Britanniæ, & Hiberniæ Regem.

Qvid impulerit Auctorem, vt hoc ſuum opus Regi Britanniæ dicaret, docet initio epiſtolæ: [Sementem Rex ſereniſſime vltrò dediſti, meſſem quaſi coloni tui accipe, ſed æquus, ſed facilis, quia tua ex tuis.] Siquidem antè biennium prodierat libellus ſub nomine Regis Britanniæ pro iuramento fidelitatis, quo omnes ſubditos obſtringi volebat, in quo valdè acutè, vt omnia, ex ſacra Apocalypſi docebatur, Papam eſſe Antichriſtum, & Eccleſiam Romanam eſſe Babylonem, & purpuratam Meretricem, & hanc quidem ſementem, (ſi Mornæo credere fas eſt,) Rex ipſe, cùm magis ſuſpicaremur alium ſub illius nomine, dederat, ne igitur alius ſementem faceret, & alius meteret meſſem, hoc ſcilicet opus tamquàm colonus Regi Domino

offert; & quia, vt monebat Columella, comiter agere debet dominus cum colono, facilemque se præbere, ideò rogat Regem, vt æquum, & facilem se præbeat, cùm sua illi ex suis offerat Aristoteles 3. Rethotum id ex Gorgia citauit *sy tayta aischros men espeiras, cacos eterisas* scribebat.

Et Cicero, vt sementem feceris, ità & metes.

Ec diuus Paulus: Quæ seminauerit homo, hæc & metet; & qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.

Si igitur blasphemias in Summum Pontificem Christi Vicarium, & Ecclesiam Romanam, suo illo libello Rex, aut quisquis illius Auctor, seminauerat, non alia illi messis, præsertim ex agro fertilissimo, cuiusmodi est Mornæi ingenium, expectanda fuerat.

Vindicem enim te præterea experior, cui toties ab Aduersarijs crimini datum, quòd laicus, quòd militiam professus Theologica tractare, Papatum aggredi non sim veritus.

VBi non minima iniuria Regem afficit, cùm suæ ignorantiæ, temeritatis, & audaciæ vindicem eum asserit. Cùm miles iste Theologica tractare, & Papatum aggredi cœpit, omnes certè mirati sunt, numquid Saul, aiebant, inter Prophetas? Et qua temeritate sutor vlerà crepidam, aut cœcus disputat de coloribus? lib. 1. Moral. docet Aristoteles, earum rerum vnumquemque iudicem esse idoneum, quarum sit eruditus:

Nauita de ventis de bobus tractat Arator,
Et tractant fabrilia fabri.

Quòd si coquus esset, illud vtique magni Basilij ad Demosthenem obsonatorem illi objiceremus: Tuum est de delicatioribus iusculorum condimentis curam gerere.

Et Theodor. lib. 4. cap. 19. Diuina enim dogmata, qui aures obturatas habeas exaudire non potes, si faber, illud vtique ex Euripide opponeremus *iecson on, oyt eprattes xiloyrgicha*, cùm igitur militiam sit professus, illius propria est de re militari, non de rebus Theologicis tractatio.

Quòd Pœnus ille Annibal, qui tot annos de Imperio cum Populo Romano omnium gentium victore certasset, Peripatetico illo Phormione audito, qui aliquot horas coram eo de Imperatoris officio, & de omni re militari disseruisset, dixisse fertur multos se deliros senes vidisse, sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidisse neminem, de Philippo Mornæo, & Theologica tractante, & Papatum, vt ait, aggredi non verito: nobis rem Theologicam tractantibus dicere licet. Odium deinde non priuatum modò, sed & omnium coniuratorum in Pontificem Romanum Christum Domini ostendit his verbis: [Quem calamo tam fœliciter confixisti, quid ni propediem vltore gladio transfixurus?]

Si tam benè gladio promouebit, vt calamo, infœliciter planè illi cedet; sed meliorem mentem Deus serenissimo Regi immittat, vt ne à vesano isto homine furijs infernalibus agitato persuaderi sibi patiatur, ficulneus erit ille gladius.

Quid aliud hic, quàm, vt cum Augustino loquar, iactat plumbeos pugiones. Gladius erit iste Madian, quem immittet Dominus in omnibus castris hostium populi sui, vt mutua se cæde truncent. Erit gladius Goliat Philistæi, quo præcidatur caput superbi istius Gigantis, qui ausus est exprobrare agminibus Israel.

Vt scribebat Cyprianus epistola 55. Omnes quorum pectora, & mentes Diabolus obsedit, venenatam rabiem suam quotidiè furiosa voce testantur, non tamen idcircò aredendum est, quia minantur: aut ideò aduersarius, & inimicus maior est Christo, quia tantùm sibi, vindicat, & assumit in seculo? Ibidem: Fustes, & lapides, & gladios, quos verbis parricidialibus iactitant, non perhorrescimus. 1. Machr. 4. Verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius in stercora erit, & vermes. Hodie extollitur, & cras non inuenietur, quoniam conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perijt.

Et iterùm: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani, transiui, & ecce non erat.

Ibidem exaltatio, & inflatio, & arrogans, ac superba iactatio non de Christi magisterio, sed de Antichristi spiritu nascitur, quibus certè ad viuum Cyprianus Mornæum hæreticum expressit.

Quis verò præcipitem bestiarij istius insaniam non miretur, qui bellum, quod à Rege Pontifici vellet inferri, venationem tanto munerario Orbi exhibendam bestiæ Apocalypticæ appellat, quæ Regia indagine, Regijs plagis, venabulo illius digna sola? scilicet munerarius iste multa paria gladiatorum ad pugnandum producturus est, eò certè bestiarius iste legibus insanis, quòd vltrò se offert, qui in arenam descendat, vt comitiali morbo, si cum Tertulliano, & Minucio loquar, grauiori morbo medeatur.

An non iste eodem odio, quo olim Gentiles, in religionem Christianam flagrat, qui, si prodirent Christiani, statim ad leonem, ad bestias, & vt de se refert Cyprianus epist. 55. quòd ob sacrificia, quæ edicto proposito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad leonem denuò postulatus sit in circo.

Legi potest Eusebius de Policarpo lib. 4. historiæ Ecclesiast. cap. 14. ad eædem postulato, vbi enim in medio stadio iussu Proconsulis præco istud ter prædicasset: Policarpus professus est se Christianum esse, vniuersa tùm gentium, tùm Iudæorum multitudo, qui Smyrnam incolebant, animi impetu, & bile effrenata excandescens, alta voce clamare cœpit: Iste est Asiæ Doctor, iste Christianorum Pater, iste nostrorum Deorum euersor. Iste denique est, qui adeò moltos perdocuit, vt neque Dijs sacrificent, neque eos adorent. Quæ cum essent locuti, vociferari, & rogare Philippum Munerarium, vt leonem, qui Polycarpum discerperet, emitteret, ità non dissimilia colluuies illa Lutheranorum, & Caluinistarum, ac reliquorum Sectariorum coo-

tta

tra Pontificem Romanum Patrem Christianorum euersorem vanorum Deorum, hoc est falsorum dogmatum, quæ isti profitentur.

Et Philippus Mornæus in illo iàm Philippo munerario adumbratus paratus leonem emittere in circum. En certè Nemrod iste alter robustus venator coram Domino, crudelis, sanguinarius, pestis, & pernicies humano generi edita, atque Phaeton alter. Orbem terræ cœde, atque incendijs vastare paratus, Reges ipsos ad euertendum Christianæ Reipublicæ statum, Christi Domini instituta conuellenda concitans. An non fortissimi viri etiam priuati Ciues, nouis rebus studentes, aut etiam mediocriter statum Reipublicæ labefactantes manu propria, vt suum Reipublicæ officium præstarent, aliquando occiderunt? parricidam patriæ Catilinam Consuli, & Vrbi pestem nepharie molientem, ferrum, flammamque minitantem, tamquam monstrum, atque prodigium eiecerunt, nec diutiùs tulerunt, sed armis ad necem persecuti sunt? Nos verò hunc furentem audacia, scelus anhelantem, non Consuli, sed Pontifici Romano Christi Vicario, non Vrbi, sed Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiæ Catholicæ matrici, & radici, & cui sanctissimi Christi Apostoli totam doctrinam cum sanguine profuderunt, igni, ferroque minitantem, Pontificem ipsum, tamquam bestiam (hortreso bestiarij hominis voces referens) venabulo transfigendam in arenam producere volentem nos Christiani perferemus? Iniurias illatas Dauidi Regi vncto Domini ab impio Semei fidissimi milites ferrè non poterant.

Nos verò Pontificem Romanum Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum, Petri Principis Apostolorum, cui Dominus pascendas oues suas commisit, successorem, bestiam Apocalypticam dici perferemus? sed nimirùm in illum id belle quadrat, *lege cacos, epei calos oyc emates*.

Arduum sanè opus, arduum verè.

ARdunm olim fuisse Papatum aggredi, nunc procliuè esse docet, adsit modò, qui conetur. Nàm si Alexander ille Macedo Persarum potentissimum Imperium aggredi ausus illud euertit, & ostenso sibi à Iaddo Sacerdote Iudæorum Danielis libro, in quo Græcum quemdam per hircum caprarum significatum Persarum Regem in ariete præmonstratum debellaturum significabat, hunc ipsum se esse interpretatus multò alacriùs ad bellum iàm susceptum perrexit, illudque tam fœliciter confecit, quis dubitet, si Rex Britanniæ, præsertim ostensis sibi à Philippo Mornæo Merlini prophetijs Papatum aggrediatur, eum euersurum esse? Audentes forsque, Deusque iuuat, & si id arduum carni, & sanguini, at voluntas Christi Domini tui, dixisse sat est *am epos*, *am ergon*, in manu illius disponetur.

Iubente Iosue, vt staret Sol, & Luna, non ità tùm Deus obediuit voci hominis, vt voluntati Regis, modò Mornæi consilijs acquiescat, morigerum se præbebit.

Hæc quidem dixerim, non vt serenissimi Regis Maiestatem offendam, quem scio pacis publicæ inter Christianos fouendæ studiosissimum esse, & à consilijs perditissimorum hominum de perturbanda Republica Christiana longè alienum, sed vt hominis istius insanas voces, ac dementiam irrideam.

Arduum olim nec diffiteor, at iàm procliuè.

QVo verò argumento? Cælum, & terra transibunt, ait Christus, verba autem mea non transibunt, verbum Dei, illud est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.

Aristoteles lib. 1. de Cælo cap. 3. præter cæteras rationes, indè etiam probat in Cælo nullam mutationem, generationem, aut corruptionem reperiri, siquidem in toto præterito tempore per traditam successione memoriam posteris, non mutatum vllo pacto fuisse videtur, aut in toto vltimo Cælo, aut in suarum partium vlla.

Ità nobis licet argumentari iàm ab initio nascentis Ecclesiæ per tot secula Romanorū Pontificum successionem numeramus, inconcussam semper fuisse illorum auctoritatem, ac nulli ruinæ obnoxiam legimus, contra stimulum calcitrare. Immò contra Deum pugnare visi sunt, qui Iouem illum Capitolinum quandoquidem irà Mornæo licet appellare, è solio deturbare conati sunt. Tot Imperatores irrito conatu Papatum sunt aggressi, ac tandem cedere coacti, quod igitur signum nobis iste ostendit, vt credamus iàm procliuè esse, quod olim arduum non diffitetur?

Non dissimiliter Mornæo scripserat Lutherus anno 1522. sine me adhùc duos annos doctrinam meam prædicare, tùm videbis, vbi Papa, Episcopus, Cardinalis, Presbyter, Monachus, Monialis, campana, turris, Missa, cucullа, cappa, & totus cumulus Papalis regiminis mansura sint, tamquam fumus euanescent; nàm tùm illi procliuè videbatur, quod olim arduum, qui tamen non duos post illam prophetiam, sed totos vigintiduos annos, & eò ampliùs virulentam suam doctrinam prædicauit, alijque post eum prædicantes eidem operi institerunt, nihilum tamen profecerunt, tantum cum suis promouebat Mornæus.

Et Isa. 6. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valdè, sed superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquàm fortitudo eius. Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus, & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.

Ergo apage Rex Magne calamos.

SCilicèt id sibi vult. Ad quid venimus? Ad vim, ad manus, ad arma; à togis, ad saga, quin tu Rex Magne, face Dardauios, ferroque sequare colonos. Crede Vati Mornæo, super & Garamantas, & Indos, proferes Impe-

perium, Holofernes iste tuo imperio subiugaturus est vniuersam terram; sibi verò apertè contradicit Mornæus, cùm serenissimum Regem meritò quidem magnum appellat, vt in quo omnia magna, si religionem excipias, conspiciuntur, cùm interim ad inuadendum alienas Prouincias eum sollicitat, siquidem Agesilaus ille, cum Græci, qui Asiam incolebant, Regem Persarum ex more magnum, appellarent, qua inquit re ille me maior est, nisi sit iustior, & temperatior? vt non amplitudine Prouinciarum, sed iustitia, & temperantia Regem aliquem magnum iudicari, ac definiri vellet, non igitur serenissimus Rex magnus erit, si per fas, nefasque aliena appetat, atque inuadat.

Nouus nobis prodeat ex Britania Constantinus Maxentium, Pharaonem alterum in ponte Miluio calcaturus, pessumdaturus.

AT Constantinus ille ostenso sibi Crucis salutiferæ signo, in quo vinceret, contra Maxentium tyrannum perrexit, vbi protestantes signo crucis nullam vim inesse docent, immò victoriam crucis signo tribuere, magicum quid potiùs, quàm diuinum opus reputarent, vbi tamen Pontifex Romanus totam suam fiduciam in eo signo collocat, se se eo munire solet, numquam publicè incedit, quin crucem sibi præferri iubeat, vt Christum cuius vices gerit, quem crux refert semper, prę oculis habeat, ex eaque victoriam contra hostes totam pendere profiteatur. Constantinus contra Maxentium rogatu Romanorum, vt eos tam sæuo tyranno liberaret, perrexit.

De quo Nicephorus libro septimo, c.21. perquamuis siquidem occasionem satellites suos immittens maximam vim hominum iugulabat, & iam cæsorum erat multitudo, vt numerus eorum iniri non posset.

Et idem, cap.24. frequentes namque ad eum, Constantinum, Roma veniebant oratores ne Vrbem eam Imperatorum despiceret neue ità à sæuissima fera vastari pateretur, orantes. Quid igitur affine Pontifici Romano, cum Maxentio, tot adulterijs matronarum, tot cædibus Senatorum, tanta strage populi, tot magicis præstigijs infami? An verò successor Pontifex Romanus Maxentij, & non potiùs Melchiadis Pontificis, quem è folio numquam deturbare cogitauit, immò honorauit plurimum Constantinus; vt ad eum etiam causam Donatistarum, qui ad illum prouocauerant tamquam legitimum iudicem deferri voluerit? Quis verò Romanorum ciuium aduentum in Vrbem Serenissimi Iacobi Regis è Britannia desiderat, vt vindicetur à tyrannide Pontificis: Verum quemadmodum Constantinus ille, auspice Deo è Britannia tenebris adhuc infidelitatis immersus, vbi in Italiam peruenit idololatriæ tandem renunciauit, & salutaribus aquis à Siluestro Pontifice posteà ablutus, sacræ deinceps Religionis cultor fuit: & templa idolorum publico edicto claudi iussit, ità quàm benè Serenissimo Regi consultum foret, si abdicatis errori-bus, quibus in Britannia eum immersum omnes Catholici salutis illius cupidi molestè ferunt veram, & saluificam Catholicam Religionem profiteretur, in Italiam Pontifici reconciliandus pergeret, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem agnosceret, & reuereretur? Longè veriùs cum Maxentio Rex, si bello Pontificem aggrederetur, conferendus esset: nam & ille beatum Marcellum Papam, quod nollet se negare Episcopum, nec dæmonibus sacrificare, quòd impiè ille imperabat in catabulum damnauit, stabulum scilicèt iumentorum publico vsui ascriptorum; si igitur Rex Romam contendat Pontificem agressurus, verè exhibebit se alterum Maxentium, non Constantinum, qui Pharaonem illum præcipitauit in Tyberim, atque Pontificem, & Romanos ex sæua tyrannide liberauit.

Ac nisi Rex potentissimus hanc laudem, hanc lauream sibi præripi patiatur.

VAtes iste Merlinus Bacchico furore correptus meo quidem iudicio Dæmonis alicuius opera editus, Regi omnia fore prætiia vaticinatur, Principes, ac populos, etsi studijs, ac sensibus diuersos, statim illius signa secuturos, Alpes collum supposituras, Eridanum, vt quondam Iosue, & filijs Israel Iordanem, aquis huc, atq; illuc sese recipientibus liberum Regi transitum concessurum, ad tubarum clangorem, vt quondam muros Hiericontinos, ità Vrbis Romæ casuros, vt non dissimilis sit Mornæus præstigiatori cuidam, cui nomen Theudas, de quo Iosephus lib.20. antiquit. cap. 6. qui persuasit magnæ vulgi multitudini, vt assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium, Propheram enim se iactabat, pollicens scissurum se verbo fluuium, & facilem præbiturum transitum, talique promissione permultis imposuit. Ità Eridanus ad vocem istius Prophetæ sese diffindet, sed præstigiatori illi immissis turmis æquitum caput abscissum, reliqui illum secuti, aut interempti, aut viui capti, ità Pseudo-prophetæ isti, & quotquot illius præstigijs capientur, successurum minimè dubito.

Multis, inquit, ad libertatis signum concurrentibus.

MIseros nos, qui hactenus ignorauimus Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam, cui præest Pontifex Romanus esse illam *doylon polin*, sed ecce iam ad pileum, quod signum est libertatis ab isto vocamur, quam verò libertatem iste intelligit? scilicèt vt de fidei dogmatibus liceat sentire, quid velis modò hostis sis Papæ, esse Lutheranum, Caluinistam, Sacramentarium, Anabaptistam, ac tamdem Atheum, nihil prorsus isti refert. Verùm vt scribebat D. August. ep. 166. Quæ est peior mors animæ, quàm libertas erroris? Quòd si legibus Imperatorum homicidia, stupra, & alia quæcumque facinora iustissimè comprimuntur, cur non & vitia

Chri-

Chriſtianæ contraria veritati? [In hoc non modò Pontifices, ſed & Reges (ait D.Auguſt. lib. 3. contra Creſconium cap.51.) Deo ſeruiunt, ſicut eis Diuinitùs præcipitur in quantùm Reges ſunt,ſi in ſuoRegno bona iubeant, mala probibeant, non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quæ ad diuinam religionem. Væ iſtis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras.

Romam intrepidus numquam fruſtra tentatam recta ducat.

IAm tenet Italiam, tamen vltrà pergere tendit: Actum, inquit, nihil eſt, niſi Pœno milite portas frangimus, & media vexillum pono ſuburra. Tentata quidem, & capta ab Alarico, & à Genſerico barbaris Regibus, quibus tamen aut Pontifici, aut Eccleſiæ Romanæ damnum aliquod inferre non fuit conſilium, immò locis martyrum, & Baſilicis Apoſtolorom tùm maximus honos habitus, D. Auguſt. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 1. huc vſque enim cruentes ſæuiebat inimicus. Ibi accipieba[illegible]nitem trucidatotis furor. Et cum Attila flagellum Dei Romam ardenti furore raperetur: Leonis Pontificis eloquentia illi perſuaſum eſt, vt regrederentur; ac paulò poſt etiam Genſerico inuadenti Vrbem vt ab incendio, ignominijs, ac cædibus abſtineret, Totilla etiam Gothicus ſummo honore proſecutus eſt Pelagium primum Pontificem circa annum Domini 556. vult iſte ad tubarum clangorem, vt quondam muros Hiericuntinos, ità Vrbis Romæ caſuros, ſibique perſuadet, quòd quemadmodum Deus olim promiſerat Abrahamo terram Chananæorum à ſuis poſteris poſſidendam, eoque conſilio è ſeruitute Ægyptiorum Diuinitùs liberari, tot miraculis in itinere editis, tot fuſis hoſtibus, tandem eam obtinuerunt, ità nobis id conijciendum, ſibi, vtpotè Vati Merlino reuelatum Deum contra Pontificem Regi adfuturum, nec minùs miraculosè, quàm olim Ioſue, & filijs Iſrael terram Chananæorum, illi Romam, & adiacentes Prouincias traditurum. Dicat Michæas Propheta Domini, quicquid velit, oſtendat, ex verbo Dei claues Regni Cœlorum datas Petro, & ſucceſſoribus illius, & ſuper hanc petram ædificatam eſſe Chriſti Eccleſiam, & portas inferi non præualituras aduersùs eam. Longè aliter noſter Merlinus, qui velut alter Sedechias filius Chanaana factis ſibi cornibus ferreis ait Regi. [Hæc dicit Dominus his ventilabis Syriam, donec deleas eam,] omneſque Prophetæ ſimiliter prophetabant dicentes: [Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè, & tradet eam Dominus in manus Regis. Ità non modò vates iſte Merlinus, ſed, & omnes illius Symniſtæ Regi magnæ Britanniæ victoriam pollicentur, illius venabulo configendam, vt vocant, beſtiam Apocalypticam, Babylonem illam ei à Domino ſine vlla difficultate tradendam, omnia ei ceſſura, mare, flumina, montes, nihil illius victoriam retardaturum, cum ferreis cornibus Romam Sedem Pontificis, immò Italiam ipſam ventilaturum.

Iouem, inquit, Capitolinum de Sede numquam reponendum excuſsis fluminibus exturbet.

SCilicèt vt indè Capitolini cognomen potiori iure, quàm M. Manlius ex ſeruato Capitolio reportet. Verùm hoc non omittendum, eidem de perduellione damnato fatale fuiſſe de ſaxo Tarpeio deijci, [locuſque idem (ait Liuius) in vno homine eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ vltimæ fuit:] quòd verò Iouem Capitolinum Papam nominat, eo meo iudicio alludit, quòd apud Ethnicos *pappa* fuerit nomen bonoris, ſi Arriano credimus, qui Bythinos eo vocabulo Iouem vocare ſolitos ſcribit.

Teſtis eſt Herodotus lib.6. ab V. C.372. à Scythis Iouem Pappæum appellari, ſcilicet Ethnicus iſte Gentilium more loquitur, ſacras verò ædes in honorem beati Ioannis Baptiſtæ, & Diuorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Deo conſecratas, quibus aliquando barbari magnum honorem habuere, prophanus iſte Capitolium Iouis intelligit.

Babylonem ipſam refuſo Tyberi, reſtagnante ipſo Auerno numquam emerſuram Molæ inſtar demergat.

O Mantis o tilemos echthr agoreyon
Echthra pheroi poll' oicon opos tetee{ſſ}i phylaxi.

MInimè nos iſtud, qui Chriſti legem profitemur, & ab eodem diligere inimicos iubemur. Verùm cum Cypriano optamus, [ne quod iſti loquuntur, furore impleant crimine, ne qui verbis perfidis, & crudelibus peccant; factis quoque delinquant:] Oramus, ac deprecamur Deum: quem prouocare illi, & exacerbare non deſinunt: vt eorum corda miteſcant, vt furore depoſito, ad ſanitatem mentis redeant, vt pectora operta delictorum tenebris, pœnitentiæ lumen agnoſcant, & magis petant fundi pro ſe preces, atque orationes Antiſtitis, quàm ipſi fundant ſanguinem Sacerdotis. Hoc eſt, quod Chriſtiani inimicis noſtris, qui perditos nos volunt, imprecamur, vt ſcribebat Tertullianus, libro ad Scapulam, cap.1. [amicos diligere omnium eſt, inimicos autem ſolorum Chriſtianorum.] Quomodò igitur Chriſtianus iſte qui tam acerbo odio nos inſectatur, numquam tam crudelis infeſtus hoſtis Hannibal, quàm iſte reformatus, ſcilicèt, & purior Euangelicus, Romanis.

At tu Iehoua Deus. Vbi perſpicere licet quanto iſte affectu orationem conuertat ad Deum. Sic in cantico Iudith ob victoriam de Holoferne, Adonai Domine. Et Chriſtus Dominus præ vehementia affectus repeteijt, aliquando nomen Patris: Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt. Quod & duobus locis fecit Diuus Paulus Rom. 8. Et Galath. 4. Sic iſte Hebraicum nomen quadriliterum, quod

cum

cum Dei proprium nomen Hebræi existiment, illud non pronunciant, eò quòd non liceat patrem, aut Dominum proprio compellare nomine, & illud semel tantùm proferebatur in anno idque à Summo Sacerdote. Non defuerunt aliqui, qui vellent pronuntiatione illius nominis, Christum tot edidisse miracula, in quo errore si sit Mornæus, nil mirum si tot miracula polliceatur, qui nouit afferre nomen istud ineffabile.

Cuius res, cuius gloria hìc propriè agitur.

AN verò non magis vergeret in gloriam Dei, si ab erroribus ad fidem, à peccatis ad iustitiam, à vitijs ad virtutem, hæc, quam vocant Babylon conuerteretur, quam si alioqui refuso Tyberi molæ instar demergeretur; Cum ciues Samaritanorum aliquando non recepissent Christum, ideòque Iacobus, & Ioannes dicerent: [Domine vis dicamus; vt ignis descendat de Cœlo, & consumat illos? Conuersus increpauit illos, dicens nescitis, cuius Spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.] Cur igitur non magis optent isti nos ad suam reformatam Ecclesiam in eandem saluificam doctrinam, & sibi persuadent adiunctos, quàm omninò perditos iri? Hinc constat eius Spiritus sit iste, qui perditionem, non salutem animarum desideret, ac Dei rem, & gloriam agi iudicet, si homines penitus eant in perditionem, non si salutem animarum per Christi meritum consequantur.

[Voca seruum tuum per nomen suum, apprehende dexteram vncti tui.] Sed hæc verba, quæ apud Prophetam nominatim, & expressim de Cyro Imperij Persarum conditore, & multarum gentium domitore, intelliguntur, & in eo rum completa sunt, vt subijceret Deus ante faciem eius gentes, & dorsa Regum verteret, & aperiret coram eo ianuas, quod ante illum iret, & gloriosos terræ humiliaret, portas æreas contereret, & vectes ferreos confringeret. Vndè nonnisi perperam, & præposterò Regi Iacobo accommodantur? an enim quia tum Babylonem expugnauit Cyrus, & multos Reges perdomuit, multas Prouincias suo Imperio adiecit, ideò & Romam Rex Serenissimus expugnaturus est, aut Prouincias Italiæ sub ditionem suam redacturus? nec Pontifici, aut Religioni, cui tum maximè fauit, vt templum Hierosolymitanum: instaurari iusserit, sed Regibus ipsis Cyrus bellum intulit. Si igitur omnia sibi vtrimque congruant, non Pontifici, aut Ecclesiæ, sed alijs Monarchis, & Principibus bellum inferendum erit à Rege, vt valdè formidandum sit, ne Mornæus, qui Serenissimum Regem ad tantum suscipiendum bellum hac eleganti epistola concitat, & ante faciem eius vult complanari valles, subsideri montes, consterni fluuios, patere ianuas, conteri vectes, contremiscere populos; proditionem aliquam in Regnum Galliæ moliatur, aut Salmuriensem ditionem, cuius præfectura à Rege Christianissimo auctus est, ei tradat, vbi non omninò à crimine læsæ maiestatis liber est Mornæus: siquidem læsæ maiestatis reus est, qui seditionem in Rempublicam concitat, eam hostibus prodit, patriæ Religionis, aut Reipublicæ hostibus nomen dat, aut aliud quiduis ad Imperij statum euertendum machinatur. Isaiæ prophetia plusquam ducentis ante Cyrum annis de illo edita erat, nec eum parum mouit ad religionem amplificandam, quod multò anteà videret, & nomen suum à propheta expressum, ait (Iosephus lib.11.cap.1.) & quòd gentes multas subacturus, prædictum, vbi de Roma à Serenissimo Rege expugnanda, ac refuso Tyberi. restagnante ipso Auerno molæ instar demergenda nulla extat Prophetia, tamen Merlinum istum vatem valere sinamus.

Ego sexagenario licèt iam maior lateri tunc ipsius hæream indiuulsus.

NAm Hannibal iste, licèt à primis annis iurauerit se fore hostem Romanis, & cùm primum posset, bellum illis illaturum, quia tamen non Imperator, non Princeps, sub alienis signis militare debet, ideò quod tamdiù agitauit in animo bellum, vellet à serenissimo Rege pacis publicæ studiosissimo, nec de inuadendis ditionibus alienis quicquam cogitante, iam suscipi. An non verò hic reus læsæ maiestatis, qui cum Gallus sit Christianissimi Regis in sacro Consistorio Consiliarius Cataphractorum turmæ Ductor, Salmuriensis ditionis Præses, audet tamen Regi externo contra Pontificem, quem Rex Christianissimus non modò, vt Principem amicum, & confœderatum, sed vt Patrem, & Summum Ecclesiæ, cuius se filium primogenitum inscribit, Pastorem veneratur, suam operam polliceri. [Ego, inquit, sexagenario iam licèt maior.] Vndè conijcere licet, & ex hoc libro, quantùm arte, & ex bellandi ardore, quantum valeat Marte. Iam alterum Caleb nobis audire videmur. [Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat tam ad bellandum, quàm ad agrediendum:] in Caleb integræ vires, octoginta, & eo ampliùs annos nato, quæ quadragenario: sic in isto milite, quæ trigenario inerat animi magnitudo, quæ corporis vires, ac robur iam veterano, & sexagenario maiori inesse non dubites. Longè certè Nestorij iste præferendus, qui apud Homerum. *Oy gar emi is esth oin paros escen enignamptoisi melessin* idest, non enim mea vis est, qualis ante fuit in incuruis membris.

Quòd si contingat, *poimena laon*, in id tempus tanti belli molem differre, quo vires, & corporis robur ætas tulerit, nec tamen operam suam inutilem fore pollicebitur, ait (Iliad.3.)

Alla cai os ippeysi meteſſomai cal celeyso.
Boyli, cai mythoisi, tò gar geras esti geronton.
Aichmas daichmaſſomai, neoteroi, oiper emoio.
O ploteroi gegaasi, pepoithasin, tebüphi.

Inter

Inter angusta, inter aspera Alpium senectam exuam.
I demens, & seuas curre per Alpes.
Vt pueris placeas, & declamatio fias.


De exuenda verò senecta non insolitum, quod scribit. Nam serpentes, & cicadæ æstatis temporibus senectutem exuunt, ac veluti renascuntur.

Præcinente Angelo cecidit illud congeminum.

IMmò tùm fortè (ait Liuius lib. 10.) Coruus clara voce occinuerit, quo lætus augurio hic strenuus miles affirmabit numquam humanis rebus magis præsentes interfuisse Deos, signa canere, & clamorem tolli iubebit.

Sanctæ huic Lætitiæ, totus immergar æternæ contiguus immoriar raptus.

NOn ego iam Epaminundæ (ait Cicer. lib. 2. de finibus bonorum, & malorum.) Non Leonidæ mortem huius morti anteponerem, quorum alter cum vicisset Lacedæmonios apud Mantinæam, simulque ipse graui vulnere exanimari videret se, cum id, quod cupiebat, audiuisset, & saluum esse clypeum suum, & fusos hostes, euulsa, qua erat transfixus hasta, multo sanguine profuso in lætitia, & in victoria est mortuus, ità cum occinuerit Coruus, cum Castor, & Pollux visi fuerint in sacro illo libello adiutores victoriæ Mornæo, (Cicer. 2. Tuscul.) & illius symmistis pugnare, quos referunt aliquando Romanos auctores in prælijs victoriæ, & nuncios fuisse, sed nunc contra Romanos à partibus Mornæi in sacro illo bello stabunt, tunc in lætitia, fortissimus iste miles Euangelicus reformatus, & purior mortem oppeciturus est, immò non minùs alacriter, quàm duo illi Decij nobilitate mortis, & gloria incitatus dijs manibus sese deuouebit. Leonidas autem Rex Lacedæmoniorum, dum apud Thermopylas cum trecentis illis, quos eduxerat Sparta, hostibus se opponeret. [Pergite, inquit, animo forti, Lacedæmonij, hodie apud inferos, fortasse cœnabimus.] Hæc certè eadem futura est lætitia æterna, cui contiguus iste immorietur raptus, nihil enim dubitandum Mornæum cum omnibus Romani Pontificis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostibus maledictis, ac reprobis itutum illum ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, & apud inferos virum istum Sparta dignum cœnaturum. Vbi verò iste serenissimo Regi ad calcem epistolæ imprecatur, nos illi benè precamur, & conuersionem ad saluificam fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. & fœlicissimè diutiùs in terris, & æternum cum Beatis regnare in Cælis.



IN PRÆFATIONEM

Ad Ecclesiæ Romanæ Sectatores.

Mysterio Iniquitatis, seu Historiæ, vt vocat, Papatus, præfixam voluit Mornaus hanc Præfationem.

AD ECCLESIÆ ROMANÆ SECTATORES.



Vos verò hoc nomine intelligat, paulò altiùs considerandum, Christus Dominus suam Ecclesiam in terris ex hominibus vndequaque vncatis, & à Patre in ipso antè Mundi constitutionem electis, ædificans, ac sacram quandam Rempublicam instituens, non dubium, quin & statum, quo eam administrari vellet, instituerit, & quidem omnes sapientes, adeòque quodam veluti naturæ afflatu omnes ferè nationes Monarchiam cæteris Reipublicæ speciebus prætulérunt, vt nonnisi peruicaces, ac contentiosi homines huic communi sententiæ, sint suam opposituri, nec ità tamen inde tamquam ex loco assumpto, regimen à Christo institutum Ecclesiæ suæ Monarchicum esse contendimus, vt ex verbo Dei, ex auctoritate sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum, & ab initio nascentis Ecclesiæ consensu totius Christiani Orbis; qui loci sunt insiti, ad id probandum argumenta ducimus, siquidem legimus in Euangelio Christum Dominum Petro dixisse: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;] & post gloriosam Resurrectionem suam [Pasce oues meas.] Et aliàs. [Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Quæ loca Euangelij, ità omnia sacra Concilia intellexerunt, & omnes Patres interpretati sunt, vt non Petro priuatim, sed & successoribus illius Romanis Pontificibus eadem auctoritas concessa, & idem munus impositum sit. Constat ab initio non nisi auctoritate Romanorum Pontificum celeberrima quæque Concilia celebrata esse: & si quæ aliquando obortæ sint controuersiæ in rebus fidei, omnes Pontificem Romanum, vt successorem Petri Principis Apostolorum, & supremum iudicem controuersiatum consuluisse, & ad eum vndique prouocatum fuisse, Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum agnouisse, ad quam, vt scribebat Irenæus lib. 3. cap. 3. propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt, vndique conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. Hanc Ecclesiam principalem nominauit Cyprianus epist. 55. vnde Sacerdotalis vnitas exorta est. Et cunctos ex Africa nauigantes hortabatur, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem Romanam tenerent: Indè in omnes venerandæ communionis iura dimanant; ait Ambrosius epist. 4. [Cui & ille Catholicus est, qui Romano Episcopo communicat:] hanc esse Caput Ecclesiarum Iustinianus disertè asserit epist. Inter claras, tit. de summ. Trinitat. [illam postremo esse Ecclesiam, ad quàm tamquam ad tutissimam arcem, & sacrosanctam Aram contra omnes hæreseon fluctus confugiendum sit,] ità ex Concilijs, sanctis Patribus, & consensu Christiani Orbis euidenter constat, vt non nisi perduelles, ac sacrilegi homines, aut potiùs monstra Deorum, atque hominum iurati hostes, quibus nihil cerebri, quibus nihil propositum aliud, quàm vt statum Ecclesiæ euerrant, & Christi Domini sanctissimam ordinationem conuellant, huic se opponant veritati, cum igitur Rabsaces iste Assyrius compellat, alloquitur Romanæ Ecclesiæ Sectatores, aut in luce meridiana certè caligat, aut intelligat se non alios, quàm vnius Ecclesiæ Catholicæ Christi sponsæ filios, & solos veros Christianos, alloqui.

Vos iterum compello. Cum enim superioribus annis librum contra sacrosanctum iuge Missæ sacrificium Antichristi hic præcursor euulgasset, præfationem etiam ad Romanæ Ecclesiæ Sectatores præfixerat, quo quidem infami opere, nihil præter mendacia, imposturas, & hæreses nouas, ac antiquas reuocatas ex Orco scripsisse: in nobilissimo consessu Christianissimi Regis, Principum, & Procerum Regni conuictus est, ab omnibus exhibilatus, vt confusus indè abierit: liber, vt hæreticus proscriptus, damnatus, atque incendio dignus iudicatus, non sibi satisfactum videbatur, nisi iterum nos compellaret, hoc est, nobis imponere rursùs studeret, ac solidissimam Fidei Catholicæ veritatem inuaderet: Vtroque opere duo Ecclesiæ Dei capita, supremum illud, atque subalternum istud adortus, priori Christum Dominum *teletarchin*, Sacerdotem, & sacrificium: hoc posteriori Summum Pontificem visibilis Ecclesiæ in terris visibile caput. In ipso statim præfationis limine quanta ardeat charitate

Rabsa-

Rabsaces iste Assyrius, vt nec parem Prophetæ ipsi, aut Apostoli præsetulerint, ostendit, qua importunitate nos compellet, scribit ea scilicet, quam commendat Apostolus salutari, & per opportuna, alioquin enim nisi *eystros acairos* arguat, obsecretur, increpet, actum de nobis iudicat, absumimur incendio, gurgiti exorbemur, nisi vellicet, lancinet, iam veterno immorimur.

Vos iterum compello Domini, ac fratres, 2. Machab. 1. Hoc nimirùm est fratres, qui sunt in Hierusalem fratribus, qui sunt in Ægypto salutem. Hic duplicem personam agnoscere licet, nam vox quidem vox Iacob est, manus autem manus Esau sunt: à isti per dulces sermones seducunt corda innocentium, en alter insidiator Ioab, qui cum blandis verbis nos compellet, interim exitium animæ machinatur.

Qua veterno aliàs immoritutos vellicamus. En nihil est certè mutua charitate, qua nostram inuicem salutem procuremus Deo acceptius, nihil quod magis in scripturis sanctis nobis commendetur, cum igitur veterno, quo teneri nos putat aliàs immorituros vellicet, lancinet, tantum non laceret, adeòque studiosum nostræ salutis se ostendat Mornæus, atque in eodem ille periculo versetur phrenetide nimirùm periculosissimo morbo, qui facilè homines ad insaniam furoremque ducit, laborans, nostrum est, vt mutuam charitatem rependamus, de remedio, quod solet huic morbo adhiberi, cogitare. D. Augustinus epist. 34. [Lethargici excitantur ne somno graui premantur in mortem, phrenetici ligantur, sed tamen vtrique amantur,] & epist. 48. [Qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus ambos amat.] & epist. 167. [Phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari, sed perseuerat diligentia charitatis phreneticum ligare, lethargicum stimulare, ambos amare, &c.] quòd igitur nos ille amat excitando, & nos amabimus eum ligando, quòd verò sit in maiori periculo, quàm nos, ex Galeno constat in lib. 6. Hippocratis de morbis vulgaribus commentro 6. *Litbargon phrenitis latai empalin de oie ep' agatbo phrenitis men eis litbargon metapiphtei*. Veternum phrenetis sanat, contra verò non vtiliter phreuitis in veternum se conuertit: & periculosum certè nos ab ipsis excitari, nam vt scribebat D. Augustinus lib. de vtilit. credendi cap. 18. [Ea docent excitaros, vt vel dormire semper satiùs sit, quàm illo modo euigilare.] De lethargicis enim phreneticos faciunt, inter quos morbos cum sit vterque plerumque mortiferus, hoc tamen interest, quòd lethargici sine aliena vexatione moriantur, phreneticus autem multis, & eis potissimùm, qui volunt subuenire, metuendus est, nos potiori iure verbis Dini Augustini ad Donatistas post collationem cap. 8. Mornæum, & suos compellamus; [Expergiscimini aliquando, non vos tartareus obliget somnus, non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat, iam consanate paci, cohærete vnitati, acquiescite charitati, cædite veritati, ergo quid vobis dicam? *ti troton ti d' epeita ti dystaton catalexo*: tanta copia dicendorum abundat, vt hæsitet, vnde potissimùm exordiatur.

Plerisque inter tot dogmata pugnantia natantibus, an nutantibus. Quomodo verò dogmatibus pugnamus cum certissimam fidei nostræ regulam habeamus ipsam Scripturam sacram tanquam Deum loquentem, & ipsam Ecclesiam columnam, & firmamentum veritatis, vt eam, quæ nobis ediderit genuinum sensum scripturarum, vt nihil ab hominibus excogitatum, aut inuentum, sed à Deo ipso reuelatum credamus. Quòd si ad Ecclesiam Romanam more maiorum nostrorum in fidei controuersijs, tamquam ad sacram ancoram, & aram totissimam confugimus, si eam fidem profitemur, quæ à beatissimis Apostolis per vniuersum Orbem tradita, ac per omnia secula custodita est, quomodo natamus, aut nutamus inter pugnantia dogmata, dubius in fide nobis infidelis est, non sunt illi Romanæ Ecclesiæ Sectatores, qui natant, aut nutant inter pugnantia dogmata, quæ ad fidem ipsam spectent Ecclesiæ quaqua versum Christianum nomen diffunditur, obeat quis Regiones, & Prouincias dispeream, nisi Romanæ Ecclesiæ Sectatores, hoc est Catholicos in ijsdem prorsùs fidei dogmatibus consentiee, ac ne in minimo quidem discrepare deprehendere? & hoc est, quod olim scribebat Irenæus lib. 1. cap. 3. de Ecclesia iam tum per vniuersum Orbem vsque ad fines terræ seminata: quòd eamdem fidem diligenter custodiat, [Quasi vnam domum inhabitans, & similiter credat ijs videlicet, quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonantre hanc prædicat, & docet, & tradie quasi vnum possidens os,] & Basilius Magnus epist. 72. [Semper in eodem per gratiam Dei constantes numquam ad rerum innouationem consensimus: fides apud nos non alia in Seleucia, alia Constantinopoli, in xelis alia, & in Lampsaco alia, & alia Romæ,] & hac consensione populorum, atque gentium retineri se in Ecclesiæ Catholicæ gremio scribebat Diu. Augustinus lib. contra epist. fundament. cap. 41. Quòd si aliquando nonnulla à Catholicis in dubium vocantur, quòd Spiritus sanctus non simùl omnia distinctè, & explicitè Ecclesiæ reuelatir, at vbi quid à Sede Apostolica, vel à Concilijs definitum est, etiamsi Angelus de Cœlo aliud euangelixauerit, anathema nobis erit, vbi aduersarij nostri nullam certam habent regulam credendi, modò aiunt, modò negant, nec diffitentur se in Ecclesia sua reformata de re sacramentaria, libero arbitrio, & alijs minimè consentire, statuunt enim de fidei dogmatibus pro suo arbitrio, [At nobis, inquit, Tertull. lib. de præscrip. cap. 6. nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit, Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam, fideliter nationibus assignauerunt.]

[Papatus moles tanquam *mormolyceion*, aliquod ostenditur.] Scilicet cum sacra Concilia, & sancti Patres in controuersijs fidei ad Sedem Apostolicam, seu Pontificem Romanum confugerunt, ideòque decreuerunt, credendum, quod Romanus Pontifex definiuisset, Papatum tanquam *mormolyceion*, quoddam obtenderunt, apud D. Augustinum epist.

Nn

epiſt. 91. Patres Concilij Carthaginenſis, quod contra Pelagium, & Cœleſtinum decreuiſſent, Pontifici Romano intimandum duxernnt, [vr ſtaturis noſtræ mediocriraris, inquiunt, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatut auctoritas, & poſt, conſideret ſanctiras tua, & paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus:] Irà Mileuirana Synodus apud eundem epiſt. 92. [Qnia Dominus te gratiæ ſuæ munere in Sede Apoſtolica collocauit, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.] Indè Auguſtinus ipſe epiſt. 106. miſſæ ſunt ex duobus Concilijs Carthaginenſi, & Mileuitano relationes ad Apoſtolicam Sedem, nimirùm molem illam Papatus contra hæreticos, tum obſtendebant Epiſcopi jlli Africani cum iudicarunt, tum demùm doctrinam Pelagianam, vt hæreticam ab omnibus condemnaram, quando Pontificis Romani ſententia condemnata fuiſſer. Diuua Hieronymus epiſt. 57. & 58. ad Damaſum, cum quid credere deberet Romanam Eccleſiam veluti cæterarum matrem, & ad quam maiores fidei quæſtiones volebat referri conſulebat, & clamabat, ſi quis Carhedræ Petri iungitur, meus eſt, epiſt. 8. & cum ſcribebat ad Demetriadem his verbis: [Quia cognoui, in quibuſdam pullulare venenara plantaria: te præmonendum puto, vt ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ, & Anaſtaſij ſucceſſor, & filius eſt, teneas fidem, nec peregrinam doctrinam recipias.] Scilicèt Papatum tanquam *mormolyceion*, obtendebat D. Cyprianus cum ſingulos hortabarur, vt Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem Romanam Eccleſiam agnoſcerent, ac tenerent, cum eam Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, ad quam perfidia non poſſit habere acceſſum, appellatut? cum indè Eccleſię vnitatem oſtendit: [Primatus, inquit, Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretetur:] hanc Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundara eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit, ſcilicèt Paparus molem tanquam *mormolyceion*, quoddam obtendebat, dum contra hæreticos ad probandum, quæ eſſet vera Chriſti Eccleſia, ex ſucceſſione Romanorum Pontificum argumentati ſunt Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 3. Tertull. lib. de præſcript. Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. Optatus lib. 2. Epiphanius contra hæreſim 24. Auguſtinus epiſt. 65. ad Geneſim & alij deinceps, ſcilicèt Molem Papatus, tanquam *mormolyceion*, quoddam obtendebant. Quod iudicium de Græcis faciebat vates ille Ægyptus, apud Platonem Solonem alloquens *o Solon ſolon Ellines aeì, paides eſtè, geronde Ellen oye eſtin* idem de nobis Romanæ Eccleſiæ ſectatoribus iudicat, quòd pueri ſimus omnes, atque ità facilè *mormolicheiois*, & larnis terreamur.

[Vetus illa, & quo annis grauior.] Nota veræ Eccleſiæ, & certiſſimum veritatis argumentum apud Patres antiqnitas eſt. [Ante hæreſes, quàm vera doctrina,] air Tertullianus lib. 2. de præſcript. c. 29. [Sed in omnibus veritas imaginem antecedit, poſtremò ſimilitudo ſuccedit.] Cæterum ſatis ineptum vt prior in doctrina hæreſis habeatnr vel, quoniam ipſa eſt, quæ fururas hæreſes canendas prænunciauit. Id docet ex parabola c. 31. boni ſeminis, & zizaniorum, quia Pater familias bonum ſemen ſeminauerat in agro ſuo, inimicus homo ſuperſeminauit zizania: [Propriè enim, inquit, doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi Verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt; Ita enim ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe dominicum, & verum, quod ſit poſterius immiſſum, ſubiungit. Ea ſententia manebit aduersùs poſteriores quaſque hæreſes:] vbi Mornæum, & gregales illius notat, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem. D. Auguſtinum præter cætera, iuſtiſſimè retinebat in gremio Eccleſiæ Catholicæ auctoritas vetuſtate firmata, immò vel Eccleſiam Dei, cum mundo ipſo cœpiſſe, & in ea fideles omnes ſalutem conſecutos, licèt veniente Chriſto alia ſacramenta inſtitura ſint, & magis explicita Diuinorum myſteriorum cognitio vnigenito ipſo, qui eſt in ſinu patris, enarrante tradita, ex ſcripturis ſacris facilè colligi poteſt. Quæ verò poſt ſacram Chriſti œconomiam, antiqua eſt in terris Eccleſia, in qua tot Martyres ſanguinem fuderunt, tot ſacri Doctores, & Paſtores Chriſtiano populo præfuerunt, eumque pabulo verbi Dei refecerunt, & quæ originem ſuam ab Apoſtolis repetit, vt meritò dicatur Apoſtolica nullis vnquam temporibus interrupta; hæc certè vera, & vnica ſit Dei Eccleſia neceſſe eſt. Atque illud Tertulliani lib. 2. de præſcript. cap. 32. ſectatijs iſtis meritò obijcere poſſumus: [Edant origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem, & anteceſſorem, & alibi: Qui eſtis? quando, & vndè veniſtis?] An non antequam hæc noua Eccleſia, quam reformatam appellant, prodiret, erat Chriſti Eccleſia? alioqui enim vndè prodijt hæc reformata? Vndè primum originem ſuam repetit? nullam ne Chriſtus per tot ſecula habuit Eccleſiam? Tertul. lib. de præſcript. cap. 29.

Vndè igitur Lutherus in Germania, vndè Caluinus in Gallia apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo Cœlo cecidit? tamdiu igitur regnauit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcianitas, & Valentinianos, nunc Lutheros, Caluinos, Mornæos, liberanda veritas expectabat, conſtat igitur eam, quæ antiqua eſt, & in gentibus conſpicua verām Chriſti eſſe Eccleſiam: Eò impudentiæ venerunt olim Donatiſtæ, vt dicerent Orbem terrarum apoſtataſſe, defeciſſeque ex omnibus gentibus Chriſtianam Religionem, excepta parte Donati, ſicut in Enoch, in Noe, in Abrahamo, Iſaac, & Iacob, & in duabus tribubus Iuda olim remanſit Eccleſia, ita Nouatores iſti Eccleſiam Chriſti perijſſe de Orbe terrarum, apud ſe ſolos remanſiſſe impudenter affirmant, quos eiſdem ſcripturarum teſtimonijs conuincere. Eccleſiamque eſſe eam Chriſti, quæ toto Orbe terrarum diffuſa in eiſdem fidei dogmatibus conſpirat, demonſtrare,

strate (quod fecit olim D. Augustinus contra Donatistas) nobis procliue est.

Reformara contrà Ecclesia cum & pusilla, & nupera sit ipsa, seu nouitate, seu tenuitate contemnenda. Quæ verò reformata ista Ecclesia, aut ex quibus scripturis probatur. Nos enim veterem illam ex apertissimo Dei verbo ostendimus: [Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam,] adiuncta promissione ipsius veritatis, [Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi,] & in Symbolo Apostolorum, & Nicæno credere iubemur Ecclesiam vnam sanctam Catholicam. Illi verò ex scripturis sacris ostendant veterem Ecclesiam perijsse, vt apud reformatos ipsos Christi Ecclesia remanserit, an ipsa reformata nupera, & pusilla Ecclesia eadem cum illa antiqua, quam Christiani profitebantur in Symbolo, & credebant vnam sanctam Catholicam. Atque vocis illius, sensus, & interpretatio nota est ex doctrina omnium Patrum, vt in hanc reformatam nulla ratione conueniat, immò nec reformati isti suam Ecclesiam audent Catholicam appellare, nisi quòd ridiculè quidam distinctionem excogitarunt Catholicorum Pontificiorum, & Catholicorum Protestantium, quasi vero duplicem Ecclesiam Catholicam in Symbolo profiteri iubeamur, alteram quidem, quæ sit apud Pontificios, alteram quæ apud Protestantes, aut vna, eademque sit Catholica, quæ apud Pontificios, vt nos vocant, & apud Protestantes, aut non illi perpetuis temporibus habiti sint Catholici, qui communicant cum Pontifice Romano, tanquam cum successore Petri Principis Apostolorum, cui Dominus pascendas oues suas commendauit, & qui Romanam Ecclesiam matricem Ecclesiarum profitentur, & agnoscunt, aut certè alia esse debet fides nunc nostra, quàm veterum Christianorum, & aliud fidei Symbolum teneamur profiteri, vt illi quidem crederent Ecclesiam vnam sanctam Catholicam, nos verò nunc credere iubeamur Ecclesiam reformatam. Cum & pusilla, inquit, & nupera sit. Ita de paucitate sua gloriari solemne fuit hæreticis, apud D. Augustinum lib. 2. contra aduers. legis, & Prophetarum cap. 12. quidam Manichæus eo commendabat suorum paucitatem, quia, inquiunt, paucorum sit sapientia, vbi respondet hoc omnibus hæreticis aduersarijs Ecclesiæ Catholicæ, quæ per omnes terras copiosè diffunditur in sua cuiusque propria vanitate commune esse, omnes de sua paucitate gloriari, & seducere multitudinem si possint velle. An non & Donatistæ, vt auctor est idem Augustinus, lib. 2. de vnit. Ecclesiæ, cap. 13. & lib. 3. contra Cresconium cap. 66. & lib. 4. cap. 54. de paucitate sua gloriabantur, illudque iactabant, [in paucis frequenter est veritas, errare multorum est:] Refert Socrates Arrianos primùm gloriatos de sua multitudine, ac vbi ab Imperatore Theodosio repressi sunt, & ciuitatibus eiecti, iactasse in desertis suis Synagogis illud: multi vocati, pauci electi, sic isti hæretici, quod de Donatistis scribebat D. August. lib. 5. historiæ Eccles. cap. 13. lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 13. suam paucitatem commendare conantur, & in sanctis Ecclesiæ multitudinem toto Orbe diffusam blasphemare non cessant.

[Et hic illud Iudæorum ad Christum Dominum, Philosophorum ad Paulum, ad rauim vsque ingeminant, quænam est hæc noua doctrina? Nos scimus quia Moysi loquutus est Deus: hunc autem, vndè sit ignoramus: Textus Mornæi.] Meritò quidem quærimus, quis auctor reformatæ istius Ecclesiæ, à quo suam originem repetit, & vndè primùm apparuit. Nos scimus quidem Christum Apostolos elegisse, & ordinasse Doctores Orbis terrarum, vnctionem docuisse eos de omnibus, doctrinam Apostolicam, quamprimùm Orbem totum percurrentes tradiderunt, numquam penitùs excidisse ex orbe, vt oportuerit nouos Apostolos, & nouos Euangelistas mitti, tot sacra Concilia successu temporum celebrata in Ecclesia illam contra emergentes hæreses strenuè defendisse, ac sartam tectam conseruasse, hi autem, qui sunt, aut vndè venerunt? An quemadmodum Carneadi nouam Academiam, ita nouam Ecclesiam condere, aut nouam doctrinam in Christiano Orbe inducere, licere sibi putant? Respondet igitur Mornæus, hoc idem esse, quod Christo Domino obijciebatur à Pharisæis, quænam est hæc noua doctrina? vult igitur iste cum suis symmystis conferre se Christo tamquam recenter è Cœlo delapsus, vt nouam doctrinam, ac superioribus seculis inauditam persuadeat. Rectè quidem Christus: [Si crederetis Moysi, crederetis, & mihi.] Quò enim Mosis, & Prophetarum oracula, nisi ad demonstranda Messiæ ipsius mundi Saluatoris, & Ecclesiæ in terris ædificandæ, ac Cœlestis illius doctrinæ hominibus tradendæ tempora spectabant? Non ne in eo prophetarum vaticinia compleri manifestissimè videbantur? Accedebant, & miracula diuinitatis illius locupletissima testimonia, ac veritatis doctrinæ, quam tradebat manifestissima argumenta. Vndè verò ex scripturis iste nobis probabit perituram fuisse aliquando Ecclesiam Christi de toto Orbe terrarum, Papam in Antichristum mutandum, adeòque omnes Pontificios adhæsuros Antichristo, abiurata veritate, mendacium amplexuros, loco fidei, perfidiam, aut superstitionem excepturos, ac tenebris infidelitatis Christiani nominis professores æque, ac Mahometanos ipsos impuros, vel perfidos Iudæos inuoluendos, sed venturos nouos Apostolos, & Euangelistas, qui nos veterno aliàs immorituros vellicarent, lancinarent, tantum non lacerarent? ac salutificam Christi doctrinam ab Apostolis initio traditam, sed quæ posteà tamquam Astræa quædam fortassè mortalium sceleribus offensa terras reliquerit, aut in solitudines se receperit, rursùs in mundum reuocarent? Cum potius ex scripturis ipsis intelligamus Ecclesiam Christi, & locis, & personis, & temporibus futuram fuisse Catholicam, vt quæ per totum mundum radios suos porrigeret, & ramos extenderet, omnes gentes sinu suo exciperet, & nullo non tempore suis hostibus præualeret? [Dubitabimus igitur, ait D. August. lib. de vtilit. credendi cap. 17. eius Ecclesiæ nos includere gremio, quę vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica

lica Sede, per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Quis verò vnquam hæreses instituit, ait Vincentius Lirinensis lib. aduers. hæreses cap. 34. nisi qui se priùs ab Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatis, & antiquitatis consensione discreuerit?] Quod vt ex multis hæresibus sua tempora præcedentibus docet, ità ex hæresibus, quæ nostris temporibus emerserunt, ostendere nobis promptum est, & facilè. Quæ verò miracula reformati isti Euangelici noui Euangelij præcones vnquam ediderunt?

Quibus Saluatoris ipsius verbis: [Antiquitatem præposterè ostentantibus respondere promptum.] Neque verò Pharisæi antiquitatem præposterè ostentabant, nec ideò à Christo redarguuntur, sed se non credere Moysi, & scripturis, quæ Christum Dominum prænunciabant, ac velut digito demonstrabant, nec intelligere prophetarum oracula, & quo spectarent omnes diuinæ promissiones, & veteris legis sacramenta, quæ tendebant in Christum, ostendebant: nos verò antiquam Ecclesiæ doctrinam ab Apostolis primùm traditam, tot sacris Concilijs in Ecclesia habitis confirmatam, tot Patribus sanctitate, & doctrina eximijs probatam, perpetua serie temporum in nos continuatam, Philippo Mornæo, & omnibus illius Symmistis opponimus.

[Si veræ antiquitati, inquit, crederetis, si sacro Dei verbo, si scripturis diuinitùs inspiratis, quæ solæ Archiuæ Christianis.] Ad veram antiquitatem, ad sacrum Dei verbum, ad scripturas diuinitùs inspiratas nos prouocat, interim Papatum antiquum, Ecclesiam nostram veterem, & annis grauiorem esse non diffitetur, nuperam, & nouam suam, & hoc monstri videtur simile, quod nupera Ecclesia antiquæ veram antiquitatem obtendat, nam & nos illis antiquitatem opponimus, nihilque nouum nos credere, & non à patribus traditum profitemur, & ex scripturis ipsis nostra dogmata confirmamus: si pusilla est, & nupera sua Ecclesia reformata, & purior, quomodò antiqua, aut ex quo Dei verbo, ex quibus scripturis, eam nobis demonstrabit? non enim aliam legimus in scripturis Ecclesiam, præter eam, ad quam aggregandæ erant omnes gentes benedicendæ in semine Abrahæ, quod est Christus, Ciuitas supra montem posita, quæ abscondi non potest, de qua Christus: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] quæ certè scripturæ loca, ac tot alia, ex quibus iamolim contra hæreticos veram Ecclesiam Patres demonstrarunt, de reformata, ac puriori, quam isti fingunt, Ecclesia, quæ aliquando latuerit inuisibilis, ac soli Deo nota, intelligi non possunt, quòd si omnia ad Dei verbum, & scripturas reuocant, ostendant isti ex scripturis, nos veræ antiquitati, siue Dei verbo, scripturis diuinitùs inspiratis, minimè credere, alias enim, & aliquid ipsi affirmant, quod scripturis ipsis non continetur.

[Quæ solæ, inquit, Archiuæ Christianis.] Quo vero scripturæ loco hoc axioma continetur, siquidem multa fidei dogmata ex traditione habemus, quæ nullibi scripta reperiuntur. Obijciebant Arriani verbum *omoousion*, non legi in scripturis, nec legimus vocem *teotocos*, nec perpetuam Mariæ virginitatem, quæ tamen, & isti se credere profitentur, scripturas habent Iudæi, habent & omnes hæretici, indéque sua dogmata, erroresque ad suam ipsorum perditionem confirmant: scit enim diabolus nullam esse ad fallendam faciliorem viam, quàm vt vbi nefarij erroris subinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum protendatur auctoritas: non est disputatio inter nos de scripturis, sed de sensu scripturarum, & vndè ille petendus sit, de intelligentia hæresis, non de scriptura est: [Sensus, & non sermo fit crimen, vt scribebat Hilarius, omnes hæretici, ait D. Augustinus, qui scripturas in auctoritate habent, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potiùs sectentur errores, ac per hoc non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, hæretici sunt: siue apud suos, siue alios, ait Vincentius Lirinensis, cap. 35. siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, similibus, siue in conuiuijs, siue in plateis, nihil vnquam penè de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque pestium, cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non noui, aut veteris testamenti sententijs fucata, & colorata sit, sed tantò magis cauendi, & pertimescendi sunt, quantò occultios sub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores nulli ferè citò esse placituros, si nudi, & simplices exhalentur, atque idcircò eos Cœlestis eloquij, velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Atque huiusmodi sunt Pseudo Apostoli transfigurantes se in Apostolos Christi, nam proferebant Apostoli diuinæ legis exempla, proferebant, & illi: proferebant Apostoli Psalmorum auctoritates, proferebant, & illi: proferebant Apostoli sententias Prophetarum, & illi nihilominùs proferebant: sed cum ea, quæ similiter proferebant, interpretari non similiter cœpissent, tunc simplices à subdolis, tunc insucati à fucatis, tunc recti à peruersis, tunc postremò veri Apostoli à falsis Apostolis discernebantur. Idem cap. 2. Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non vno, eodemque modo vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter, alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illius sententiæ erui posse videantur, idque multorum hæresiarcharum exemplis confirmatum, & nobis Lutherus, Caluinus, Mornæus exemplo erunt. Atque idcircò concludit, necesse esse propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur, & cap. 41. quia verba diuina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones, erroresque concipiunt, ideò necesse, vt ad vnam Ecclesiastici sensus regulam scri-

pturæ,

pturæ, Cœlestis intelligentia dirigatur, ex quo constat, quo sensu intelligendum, quòd scripturæ Archiuæ Christianis, nec enim solæ, quod addit Mornæus, nec ad proprium cuiusque sensum accommodatæ, sed ita vt vnanimi Patrum consensui firmiter adhæreamus, & ab ipsius Ecclesiæ sententia, cuius est propria scripturarum interpretatio, ne latum quidem vnguem recedamus.

[At sanè vtrique scrupulo, vna hac opera vobis, ni duriores creditores estis, factum hìc satis &c. Textus Mornæi.] Vtrique scrupulo, qui Catholicis inijcitur, ne à Mornæo, & suis symmistis facilè patiantur se seduci, scilicet de Papatus antiquitate, & de nouitate Ecclesiæ, quam vocant reformatæ, vna hac opera factum satis scribit, nisi duriores creditores simus, nam tantæ auctoritatis apud nos iste esse debet, quantæ olim apud suos Pythagoras, vt certa credendi regula nobia esse debeat, quod *aytos efa*. Ac primùm quantùm ad Papatum. Papas (inquit) perpetuò quales iam adoratis, vobis ne fingant. In quanta veneratione fuerit semper Christianis populis etiam primis Ecclesiæ temporibus summi Pontificis dignitas, etiam Regibus ipsis, ac Principibus, vbi in Christi familiam adsciti sunt, non est, quod pluribus ostendam: si legimus in scripturis à Prophetis etiam ipsos adoratos fuisse aliquando Reges, quidni & Christiani nos conueniente tantæ dignitati cultu summum Pontificem hominem quidem illum, sed Vicarium Dei in terris, cui omnes subsint, quotquot sunt in Orbe Christiani, immò, & cui subesse sit de necessitate salutis (fremant quantum velint hæretici,) veneremur? & qui prouocat ad scripturas diuinitùs inspiratas, intelligat igitur, quod sibi velit Isaias cap. 60. his verbis; [Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi:] vbi manifestissimus est locus de gloria, & dignitate Ecclesiæ futuræ in gentibus, nunciat fore, vt Ecclesiæ quondam inimici vestigia pedum ipsis adorent, quod necesse est, eis accidat, qui Ecclesiæ personam sustinent, quales summi Pontifices, alioqui enim nisi alicui is honos exhibeatur, quomodò Ecclesiæ poterit exhiberi? est Ecclesia in Episcopo, vt scribebat Cyprianus: illud verò filij eorum, qui humiliauerunt te, ad Reges, & Imperatores, aliosque Principes necesse est referatur, siquidem non potest priuatus aliquis Ecclesiam humiliare. Quod subiungit. [Omnes, qui detrahebant tibi:] reliqui intelliguntur, vt scias neminem excludi: & Episcopis ipsis, ac præsertim summis Pontificibus maximos honores à Christianis semper habitos fuisse patet. Ex Hieronymo constat olim id fuisse in more positum, vt plebs Episcopo occurreret, & ad pedes osculandos se prosterneret, idque Epiphanio nominatim factum tradit; Hinc Diuus Augustinus, serm. 18. de verbis Apostoli: [Ad Ecclesiam curris, Episcopum videre desideras, ad eius pedes volutaris;] Ambrosius lib. 5. histor. Eccl. cap. 33. de dignitate sacerdotum cap. 2. [Regum colla, & Principum submittuntur genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se credunt communiri.] Refert Theodoretus Gainam, qui aduersùs Arcadium Imperatorem ausus erat seditiones concitare, etsi Arriana hæresi infectum longo itinere occurrisse Ioanni Chrysostomo, manum ipsius admouisse oculis suis, quin etiam liberos suos sanctis illius genibus admouisse. Cum aliquando Eusebia Imperatrix Constantij vxor iussisset ad se venire Leontium Trypolis Lydiæ Episcopum, negauit ille se venturum, nisi debita Episcopis reuerentia seruata, vt ipse quidem ingrederetur: illa verò de sublimi solio descenderet reuerenter ei obuiam procedens, & caput suis manibus supponens benedictionem acceptura, deindè ipse sederet, illa verecundè astaret, cum iussisset, signo dato, sessura: & ingenuum quidem Episcopi animum Imperator ipse laudauit: si verò priuatim de honoribus Romano Pontifici tributis agamus, cum Ioannes Pontifex anno Domini 525. Constantinopolim petijsset, Iustinus Imperator, cum tota vrbe obuiam illi processit, & ad ipsius pedes venerationis causa procubuit, deduxit ad templum, & ad læuam, cuncto populo spectante, assedit: deindè insignia Augustalia sibi detraxit, procedensque suppliciter petijt, vt rursùs illis ipsum adornaret: Constantinus Pontifex anno Domini 711: Niceam, Bithiniæ se contulit, Imperator Iustinianus Vrbem ingressus, ad Pontificem ex composito expectantem venit, ac de more coronatus procubuit ad eius pedes, eisque osculum dedit. Anno 754. Stephano secundo Pontifici in Galliam venienti officij causa amplissimus, ac nobilissimus quisque ad primos finea occurrere, Principe Comitatus Carolo adolescentulo, cui sua virtus, fœlicitasque magni cognomen posteà indidit, & Pipinus ad tertium à Carisiaco oppido lapidem obuiam progressus, Pontificis pedes exosculatus, equo insidentem ipse pedibus ad frenum prosequutus in Regiam deduxit. Anno 774. cum Carolus Romam venisset, Pontifex in æde Vaticana illum cum clero in gradibus expectauit, Carolus vbi cruces est conspicatus illicò ex equo desilijt, & vbi ad Pontificem peruenit in summo gradu sedentem, eum de more accedens adorauit. Anno 799. Leonem tertium eodem ritu, quo pater ipsum Stephanum secundum venerabundus in Castris excepit: Ludouicus primus cum Romam petijsset anno 844. & Sergius 2. ipsum in Vaticano expectaret, vbi cruces sacratas aspexit, ex equo desiliens, pedestris accessit, & per gradus ad Pontificem progressus osculum sancto pedi dedit. Idem anno 858. Nicolao Pontifici ad se venienti obuiam aliquanto viæ spatio processit, ac pedes frenum equi tenuit, abeuntem prosecutus certo loco iterum ad frenum equi accedens osculum sancto obtulit pedi. Eumdem honorem Henricus quartus Paschali secundo, Fridericus primus, Adriano 4. quod superiores obtulerunt. Ludouicus Septimus Rex Franciæ, & Henricus XV. Rex Angliæ eodem honore Alexandrum tertium Pontificem sunt prosecuti, cuius & Venetijs antè fores ædium sancti Marci Federicus ipse Primus Imperator sanctis pedibus osculum infixit. Hos deindè imitari cæteri Christiani Reges, atque Imperatores: Et hæc quidem adducta sint, vt contra

rra impostorem istum ostenderem Papas nos non fingere, quos perpetuis rempotibus Regrs, Imperatores, ac populi Christiani summo honore, qui tantæ dignitati debetur, non coluerint, nisi fortasse eò impudentiæ veniant, vt dicant Religiosissimos Principes etiam intra sexcentos annos à Christo, iam Antichristum, seu bestiam Apocalypticam adorasse.

[En eorum sic ortum, progressum auctum.] Impostor iste ex parre diabolo est, & opera Parris vult facrre, ille mendax erat ab initio, pollicetur igitur hostis iuratus Ecclesiæ, se in hoc opere de Papatus orru, progressu, auctu, &c. per mulra mentiturum.

[Indè per apertum ambitum nonnullorum sceleribus, Phocæ in primis parricidio adblandienres.] Quorum verò sceleribus (ò insanum caput)aliquando Pontifices adblandiri sunt? Gregorio Magno Ponrifice sanctissimo, vt nec eum Antichristum, sectarij fuerunt vmquam ausi nominare, Mauritius Imperator à Phoca iugulatus fuit cum vxore, & filijs, & id quidem iustè promittente Deo, cum ex auaritia milires aliquando Mauritius ad defectionem compulisset, legiones, quibus ob sediriones quasdam, & tumultus infensus erar, hostibus prodi iussisset, captiuos milites à Barbaris misere trucidari permisisset potiùs, quàm vt singulis redimendis militibus, vel medium nummum pendere voluisset ob sordidam scilicer auaritiam, id multùm Deus non tulit, cum tamen eum ità miseratus sit, vt potiùs in hac vira pœnas lueret, quàm in futura, prout precatus fuerat, concesserit, & Mauririo quidem interfecto, ac Phoca Imperatore creato, allatæ sunt Romam imagines Phocæ, & Leontiæ Augustorum, & acclamarum est eis in Lateranis in Basilica Iulij ab omni clero, & senatu: exaudi Christe: Phocæ Augusto, & Leontiæ Augustæ, vita, qui & iussit imagines Dominus beatissimus, & Apostolicus Gregorius Papa reponi in oratorio sancti Cæsarij Martyris intra Palatium: scripsit & ad Phocam lib. 2. indict. 6. epist. 38. horrans eum, vt Reipublicæ afflictæ subueniat: & epist. 45. & ad Leontiam Augustam epist. 46. sed nihil minus, quàm parricidio adblanditur, illud ue commendat: cum malè in Imperio gessisset se Mauritius, nec satis dignitatem Ecclesiæ Romanæ proue eum sæpius rogarat Pontifex Gregorius, tueatus fuisset, videret verò Phocam statim initio imperij erga Apostolicam sedem benè affectum, cum & Gregorio significasset se miratum esse, quòd permanere in Palatio iuxta antiquam consuetudinem Apostolicæ sedis Diaconum non inuenisset, non nisi iudicare potuit eum Reipublicæ administrandę, & imperij in meliorem statum restituendo opportunum, & idoneum futurum: falsum est, quod impiè scripsit Caluinus, & hoc loco Mornæus.

[Quòd per apertum ambitum Phocæ parricidio adblandientes vniuersales Episcopi facti sint.] Id enim habent à Christo, qui Petro, & successoribus illius Romanis Pontificibus pascendarum ouium suarum, vt ex sacro Euangelio constat, curam mandauit. Quid enim hoc sibi vult, quod singulariter dictum Petro, [Pasce oues meas? & tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum?] An verò officium istud pascendi oues suas propter ipsum Petrum Christus instituit? an non eamdem Pastoralem curam illius successoribus demandatam Ecclesia perpetuò agnouit? Obtinuit quidem Pontifex Romanus à Phoca, vt audaciam, & superbiam Episcopi Constantinopolitani coerceret, qui sibi tam arroganter, & per summum nefas titulum vniuersalis Episcopi vindicabat, cum non nisi Episcopo Romano ex institutione Christi tribui deberet, & Gregorius ipse l. 7. indict. 2. epist. 64. [nam de Constantinopolitana Ecclesia, inquit, quod dicunt, quis dubitet sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur,] & epist. 65. Scribens ad Ioannem Episcopum Syracusanum de Episcopo Bizaceno de crimine accusato. [Quòd se dicit, inquit, sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit,] lib. 4. indict. 13. epist. 32. scribens ad Mauritium Imperatorem antequam Phocas illius parricidio sibi viam ad imperium parasset, aut Romam caput Ecclesiarum, vt volunt sectarij instituisset. [Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippè dicitur, Petre amas me, pasce oues meas, ipsi dicitur, Ecce Sathanas expetijt cribrare vos sicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, ipsi dicitur, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis, ecce claues regni cælestis accipit, potestas ligandi, ac soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur, & tamen vniuersalis Episcopus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis Episcopus conatur.] Ibidem restatur, & in beati Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Synodum Chalcedonensem nomen istud Romano Pontifici oblatum fuisse, quod idem testatur epistol. 38. ad ipsum Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, & lib. 7. indict. 1. epistol. 30. ad Eulogium: Vnde mentitur Caluinus cum scribit nullam habere veri speciem, quòd oblatus fuerit hic honos Leoni Pontifici Romano à Synodo Chalcedoniensi: nec enim, inquit, tale quidpiam in actis illius Synodi legitur, & scribit falsum esse Gregorium, quòd titulum illum putauit sedi Romanæ fuisse delatum à Synodo Chalcedoniensi, [quia ridiculum, inquit, quod à sancta Synodo profectum testatur,] & simul scelestum, profanum, superbum, & sacrilegum nuncupat, ità enim de eo titulo scripsit Gregorius prout à Constantinopolitano Episcopo, in quem minimè conueniebat, superbè, & arroganter vsurpabatur, non autem prout Pontifici Romano tribuebatur, cum enim fau-

ſancta illa Synodus optimè noſſet, quæ auctoritas à Domino in omnes Eccleſias Petro, & illius ſucceſſoribus drlata fuiſſet, rectè vniuerſalem Epiſcopum eo ſenſu, quo in omnes Eccleſias habet à Chriſto iuriſdictionem, Pontificem Romanum nuncupauit: recuſauit verò eum titulum Gregorius, & ex humilitate, vt tantò magis ab eo titulo, eò quòd arrogantiam nimiam præ ſe ferre videbatur, abhorreret Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui erat vnus è multis, id conſtat ex illius verbis: [aliud eſt, inquit, quod conſeruandæ vnitati fidei, aliud quod debemus comprimendæ elationi:] erat enim in Gregorio Papa, & humilitas perſonæ, & celſitudo dignitatis: alio etiam ſenſu titulum illum recuſauit, ne qua ſcilicet per vniuerſalis Epiſcopi appellationem alijs Epiſcopis iniuria fieri videretur, quaſi vnus ille ſolus in orbe Epiſcopus eſſet, cæteri autem, vel Vicarij ipſius, vel nullo modo Epiſcopi cenſendi; nam epiſtola 38. citata ſcribens ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. [Ad hoc quandoque perductus es, inquit, vt deſpectis fratribus Epiſcopis, appetas ſolus vocari.] Ibidem ſcribit Apoſtolicæ ſedis Antiſtites vniuerſales oblato honore vocatos eſſe, [ſed tamen, inquit, nullus vnquam ralis vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium uomen arripuit, ne ſi ſibi in Pontificis gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe viderernr,] lib. 7. indict. a. epiſt. 70. ſcribens ad aliquos Epiſcopos, ſi vnus, inquit, vniuerſalis eſt, reſtat vt vos Epiſcopi, non ſitis:] Quæ verò conſequentia eſſet, Pontifex Romanus non vult appellari Epiſcopus vniuerſalis, ergo Epiſcoparus, ſiue cura vniuerſalis Eccleſiæ non eſt ei commendata? Vnde conſtat non Phocæ beneficio, vt iſti mentiuntur, aut humana aliqua inſtirutione, ſed Chriſti ordinatione Romanos Poutifices eſſe propriè, & reuera eo ſenſu, quo diximus, vniuerſales Epiſcopos.

[Mox & Principes terreni excluſis Cæſaribus in Italia fiunt.] An verò quòd facti ſunt Principes rerreni, ideò non Pontifices Romani Petri Principis Apoſtolorum, & totius gregis Dominici ſucceſſores? Neque enim repugnat aliquem præeſſe Religioni, & rebus ſacris, & ſimul temporalem eſſe Principem? Quod ſi ſcripturas ſacras conſulamus, Melchiſedech, de quo Gneſis 14. Pſalm. 109. Hebr. 7. Rex fuit, & ſacerdos, & docet Diuus Hieronymus quæſtionibns Hæbraicis in Geneſim ad caput 49. quòd olim hæreditario iure primogenitis debebatur ſacerdotium, & regnum: & ſancti illi Patres Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, ſuis præerant in ijs, quæ ad Religionem, & adminiſtrationem temporalem pertinebant, Moſes rerum ſpiritualium, & temporalium ſummam habebat adminiſtrationem, & eum Philo vocat *Baſilea nomothetin archiereacai prophitia*. Heli ſummus Pontifex, & ſimul iudex fuit, populi Machabæi, cum eſſenr ex tribu ſacerdotali, & ſummo ſacerdorio fungerentur, etiam Rempublicam adminiſtrabant, quod ſi inſtituta aliarum nationum conſideremus, ſcribit Plato, quòd apud Ægyptios non licebat Regem, abſque ſacerdorio imperare *peri men Aigypton oyd exeſti Baſilèa choris ieraticis archeia* vbi, & refert in pluribus Græcorum ciuitatibus, & præſertim apud Athenienſes præcipua ſacra à Magiſtratibus ſummis inſtirui. Apud Romanos nonnumquam illis officia reipublicæ committebantur, qui tamen Pontifices maximi, aut flamines erant, & Imperatores ipſi Pontifices item maximi creabantur, & vt ſcribit Dio lib. 53. *panton aytoi caì ton oſion caì toa ieron cyrieyoyſi*. Quid igitur iſte Pontifices allatrat, quod Principes ſinr temporales? Falſum verò eos Cæſares excluſiſſe, imò conſtat maximam curam gr ſſiſſe reipublicæ, & continendi in officio ſubditos Imperatoribus ipſis abſentibus. Cum impurus ille Leo Iſauricus, dictus conon, edictnm propoſuiſſet, vt omnes, qui ſub Imperio Romano eſſent, ſanctornm imagines euerterent, vel abraderent, Gregorius ſecundus Pontifex tantæ impietati non modò non obtemperat, imò Catholicos omnes admonet ne in tantum errorem timore, vel edicto Principis deduci ſe patiantur, qua cohortatione adeò ſunt animati Italiæ populli, vt parum abſuerit quin alium ſibi Imperatorem eligerent, verùm quo minus id fieret, auctoritate ſua Pontifex obſtitit, tantum abeſt vt fuerit illi Conſilium Cæſarem ab Italia excludendi: & quidem Cedrenus, & Zonaras vterqne Græcus in hoc Gregorium laudant, quòd impium Imperatorem, & ſecum ſentientes conuocata Synodo anathemate obſtrixerit, & vectigalia, quæ ad illud tempus vſque, Imperarori indè pendebanrur, inbibuerit, cum tamen priùs ſæpè dediſſet operam, vt Leonem per literas ab impietate reuocaret, & ad cultum ſacrarum imaginum reduceret, & id qnidem aliquot annis poſt Gregorij magni tempora: En igitur quàm iuſtè Pontifex, & Italiæ populi ſeſe tum à ram impio Imperatore licèt inuiti ſubduxerint.

[Eorum ſe obſequio ſubducete non contenti, proceres & populos Sacramenti, & fidei vinculo ſibi deuinciendos abſoluunt.] Id verò quàm verum ſit, oſtendat iam hic impoſtor. Impijs quidem Imperatoribus teſtiterunt ſummi Ponrifices, populos pro ſua auctoritate, & ſui officij ratione hortati ſunt, ne impijs edictis, quibus Deo, & ſacræ Religioni inferebatur iniuria, obtemperarent, & antea quidem Conſtantinus Pontifex, cum Philippicus Imperator Cyro Patriarcha Catholico in Pontum relegato in eius locum Ioannem Monachum Hæreſiarcham ſuffeciſſet, & illius dogmata ſtatim Romam miſiſſet, maudaſſetque vt omnium conſenſn approbarentur, habita Synodo non modò Philippici, & Ioannis Monachi dogmata improbat, verùm etiam conſtituit, ne Imperatoris Hæretici nomen publicis ſcriptis, aut priuatis in ære, argento, plumboue reciperetur: an non id iuſtiſſimè, cum & ille per ſummum neſas occiſo Iuſtiniano iuniore Orthodoxo Principe, arripuiſſet Imperium, & adeò impudenter hæretica dogmata Romam Pontifici probanda miſiſſet, quin & tollendas ſacras imagines decreuiſſet? Atque iſti ſunt Imperatores Pij, ſcilicet impio Philippo Mornæo, qui interceſſerunt, ne Pontifex ad id faſtigij eniteretur.

Tamdem vtroque gladio minaces, ſacris propbana miſcent, ſacra in prophanis abſorbent.]

benr.] Habere vtrumque gladium summum Pontificem communis est doctrina Theologorum. Id disertè docet D. Bernardus lib. 5. de considerat. ad Eugenium Papam cap. 3. [Quid tu denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic. Converte gladium tuum in vaginam, tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus satis est, sed nimis est, vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris, & epistola 256. ad eundem Eugenium. [Petri vterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse, euaginandus, & quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est, conuerte gladium tuum in vaginam: ergò suus erat, & ille, sed non sua manu vtrique educendus.] Nos verò D. Bernardum, & communem Theologorum doctrinā, non pluris faciemus, quàm ranam istam coaxantem? quid si aliquando minacibus literis Principes aliquos deterruerunt, ne quid in Religionem committerent, & cauerent, ne in indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli incurrerent, id certè fecerunt, quòd officij sibi demandati ratio exigebat, vt & Religioni ipsi, & Principum saluti, quorum animæ sibi commissæ erant, consulerent. Qui verò magis sacra miscent prophanis, quàm qui scripturas sacras vulgo circumferri, ab omnibus passim tractari debere contendunt, quàm homo iste turbulentus: quod de Heluidio Hieronymus: simul, & laicus, & sacerdos, qui loquacitatem facundiam existimat, qui militiam professus scilicet Thraso miles Theologica tractare, ac sacris rebus sese immiscere audeat? At mihi commodum esse videtur illud Salomonis de isto vsurpare: [est malum, quod vidi sub sole, virum, qui sibi sapiens esse videtur, *cai o toytoy poniroteron paideyein alloys pepisteymenon, tòn midè tis oiceias amathias epaisthanomenon*. ait Gregorius Nazianzenus.

[Reges inter se commissos atterunt, conterunt, per eorum stragem ad summum potentiæ fastigium, sibi viam, sibi gradum faciunt.] Quos verò Reges inter se commissos atriuerunt, contriuerunt, dicat impostor, cum in nihil magis incumbant Pontifices, quàm vt inter Christianos Principes pacem, & concordiam confirment, si quid inter eos dissidij oriatur, auctoritatem suam conciliandis animis interponant, quod si secus fecerint, an ideò Antichristi? an idcircò non Pontifices? si Princeps aliquis bellum iniustum gerat, finitimos suis ditionibus deturbet, vel legitimo dominio exigat, an ideò ille legitima dignitate excidit? vel subditis satis legitima causa subest ab eo deficiendi? An ideò Reges inter se commiserunt, quòd contra Reges Longobardorum infestos sedi Apostolicæ, & multa damna inferentes Pipinum, & Carolum Magnum Francorum Reges in Italiam acciuerunt. vnde ob merita in sedem Apostolicam Carolus à Leone Tertio Pontifice coronatus, & Romanorum Imperator appellatus est, indè enim factum, teste Zonara, vt Franci Italia vniuersa, & Roma sint potiti, indè à Pipino, & Carolo multis ditionibus aucti, multis Oppidis, & Ciuitatibus ditati sint Romani Pontifices. At verò per quorum Regum stragem ad summum potentiæ fastigium viam sibi, & gradum pararunt, certè multa scribit Barbarus iste; sed nihil probat, eum nullam vnquam regum, aut regnorum stragem Pontifices, aut ediderint, aut procurarint, neq; alia regna ambiuerint, & si eò ambitionis aliquando venissent aliqui, quod probare incumbit aduersario, an vero id, vel dignitati, vel cæteris successoribus, quibus nulla ambitio, nisi sacræ Religionis defendendæ, & dignitatis Ecclesiæ contra oppressores asserendæ, Christianique nominis per orbem propagandi, obesse, aut præiudicare debet, vt excidisse dignitate, & in Antichristum mutatos esse intelligamus?

[Cæsares coronant, constituunt, destituunt, conculcant.] Imperatores Constantinopolitani à Patriarcha diademate ornabantur, & coronabantur, cur igitur ægrè ferr Imperatores Occidentis iam indè à Carolo Magno à Pontifice Romano coronam accipere Imperialem? Quòd si Cæsares constituere non possunt, non ergo legimus Imperator fuit Carolus magnus, qui anno Domini 801. die natalis Domini à Leone Tertio Romæ in æde Sancti Petri Clamydem Augustalem, & coronam auream accepit, quo facto ter à Populo acclamatum Carolo Augusto, à Deo coronato, magno, & pijssimo Imperatori Romanorum vita, & victoria: Et quidem vt testatur Sigonius, Carolus etiam viuente Adriano Pontifice, eum titulum ab eo affectauerat, eum enim beneficia Ecclesijs indulgeret ità præfari consueuit. [Carolus Dei gratia Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum: si Ecclesiarum, Dei seruis, munificentiam nostram impertimur, eorum studijs libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus, & quod cuncti prætiosiùs est dignitatibus, æternum retibutionis præmium capescere non diffidimus.] Quod Adrianus facere prætermiserat, Leo arrepta ex nouis Romanorum turbis occasione sibi explendum existimauit: vt Catholicum eundem, ac potentissimum Regem firmum simul, ac fidum Christianis, atque ipsi Romanæ Ecclesiæ tutorem, ac patronum pararet, ipsumque Imperatorio titulo insigniret. Non habuit Carolus Magnus Christianissimus Princeps, genris Gallorum magnum decus, Pontificem Romanum loco Antichristi, indicauit non modò ille, sed, & clerus, senatus, populusq; Romanus, immò, & Græci ipsi licèt Latinis infensi Imperatoriam dignitatem ab eo conferri potuisse in Principem benemeritum de religione Christiana, & Ecclesiæ defensorem, atque indè in cæteros Caroli successores eadem dignitas dimanauit: Verùm magnus Mornæus Leonem Isauricum sacrarum imaginum euersorem, & Constantinum Copronymum

nymum, qui nec Christum Dominum pro Deo, nec beatissimam Virginem pro Deipara habebat, vt Romanæ Ecclesiæ, ac Romani Pontificis persecutores, quis dubitet, quin loco piū habiturus sit, at Corolum magnum, Ludouicum piom, ac cœteros tor Imperatores erga sedem Apostolicam deuotissimos, & qui coronam Imperialem à Pontificibus desiderarunt, sequi Romanam Ecclesiam, & rempublicam Christianam defensuros sanctissimè iurarunt, & impios fuisse, & Antichristi cultores, (adeò impudens est) vt sit asserturus.

[Iam Cæsares, & Pontifices simul, iam orbis Domini, iam mundi Monarchæ.] Quis verò adeò cæcus, vt non videat has esse apertissimas calumnias, & imposturas? Quis enim ex Pontificibus tam superbos, atque insoleotes titulos sibi vnquam vendicauit? aut etiam iura Imperatoris vsurpauit? dist. *96.* cap. Cum ad venim. [Cum ad verum ventum est vltrà sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pootifex nomen Imperatorium vsurpauit; quooiam idem Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia tursùs inferno demergi, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur: Et Innocentius 3. Scribens ad Imperatorem Constantinopolitanum, [Ad firmamentum cœli, hoc est vniuersali Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, hoc est duas iostituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est, quæ verò carnalibus, minor, vt quanta est inter Solem, & Lunam tanta inter Pontifices, & Reges differeotia cognoscatur.] Ex quibus satis constat, nec Pontificem se Cæsarem appellare, nec iura Cæsaris vsurpare, & si Pontificiam potestatem præcedere Imperatoriam, quo spiritualia temporalibus præeunt, & anima corpore nobilior est, merito affirmet, & pi, ac Christiani Imperatores numquam de potestate Pontificis in se tanquam Pastoris in oues dubitarunt, neque hoc de Maiestate Imperij quicquam minuere iudicarunt, ac multi quidem Imperatores, se mundi Dominos, orbis Monarchas inscripserunt; 1. Deprecatio ff. ad l. Rhodiam de iactu l. benè à Zenone ff. de quadriennali prescript l. sed Diuus 6. §. sed autem ff. de escusat. tut. Nouel. 105. cap. 2. in fine, numquam verò Pontifices sibi huiusmodi titulos arrogarunt.

[Iam Angelis superiores, iam Deo ipsi pares, dij ipsi optimi Maximi Dei summi mandata surrogantes, abrogantes.] Quàm splendidè blatero iste mentitur, quis enim Pootificum in epistolis, diplomatibus, vel breuibus de se vnquam id sensit, vel scripsit? se seruos seruorum Dei, se tamquam reliquorum Ministros, se indignos Christi Domini Vicarios reputant, qui condolere possint, & his, qui errant, quoniam, & ipsi circumdati sunt infirmitate: tantum abest, vt Angelis superiores se existiment: longè superioris ordinis status ille gloriæ, & qui minor est in regno cælorum, maior est Pontifice, cum tamen constet eam illi esse tributam in terris auctoritatem; quæ nec Angelis ipsis. Quando verò, Dei optimi maximi audire passi sunt? quando sacrificia sibi offerri, vel diuinos honores tribui priuatim, aut publicè curarunt? Quod de Domitiani arrogantia referunt, qui si quid iuberet in hanc formam edici voluit, Deus, & Dominus noster ità fieri iubet. Quando verò Dei summi mandata, vel surrogantes, vel abrogantes, qui in iure diuino dispensandi nullam sibi prorsus facultatem esse intelligunt, quæ Dei mandata vmquam siue ius naturæ, siue ius ipsum positiuum spectes, Pontifices abrogarunt? immò isti perduelles cum sacramenta Ecclesiæ à Christo Domino instituta peruegant, exsibilant, & conculcant, quid aliud quàm Christi Domini præcepta abrogant, vt sua figmenta subrogent vanitates, & insanias falsas?

[Dei ipsius ad nutum, cum suis adeò creaturis Creatores.] Meo iudicio magnus Mornæus his verbis vult notare ministerium sacerdotum, & sacramentum Eucharistiæ, quod consecratur verbis Domini à sacerdotibus prolatis, vbi errat Saduceus iste, nesciens scripturas, neque virtutem Dei. Magnus Mornæus non magis capit hoc mysterium, quàm impius Auerroes, qui pro stolidis Christianos ducebat, quos valere iubebat, quoniam Deum suum, quem adorassent, manducarent. [Mundum, inquit, peragraui, multas adeòque omnes regiones circuiui, varias sectas inueni, sed Christiana deteriorem, aut etiam tàm fatuam non reperi, quia Deum suum, quem colunt, dentibus deuorant. Mirum, quod non idem præterea obiecerit, quod Mornæus, scilicet absurdum esse, quòd Christianæ Religionis sacerdotes, Dei sint ad nutum creatores: Verùm non sunt proijciendæ margaritæ ante porcos, hoc mysterium est, quod norunt fideles: scilicèt ignorat Pontifex cum suis creaturis, hoc est sacerdotibus nouæ legis ex diametro, hæc duo pugnare, quòd Deus sit, & à nobis recenter creetur; substantiam panis, & vini verbis Christi à sacerdote prolatis, & potestate ab eo tradita conuerti in substantiam corporis, & sanguinis sui, vt concomitantèr sub ijsdem accidentibus remanentibus, sit totus Christus Deus, & Homo Sacramentali modo, cuius diuinitas nullis locis, aut temporibus circumscribi potest: An verò hoc est Deum creari? An quando profitemur verbum diuinum per assumptionem humanitatis nouo modo cœpisse esse in mundo, inde infertur tum Deum esse creatum? aut quando Sacratissima Virgo circundedit: Virum Christum concepit, vtero gestauit, ac peperit, qui erat, & Deus? Vnde rectè, & *theotocos* contrà impietatem Nestorej asseritur intelligenda est, verbum illud diuinum Patri consubstantiale tum creasse? Hoc nisi velit Mornæus, nescio planè, qua ratione velit, ex eò quòd asserimus corpus Christi per transubstantiationem panis, & vini in ipsum nouo modo sub illis accidentibus externis existere, adeòque per concomitantiam totum Christum Deum, & hominem. Nos item Deum ipsum ad nutum creare.

Iam extrema duo copulatu, quisquis dubitas, & compone: ministrum Dei; Presbyterum olim, iam Deum factum.

QVis verò Pontificum se vnquam factum Deum, vel pet somnium cagitauit, aut sibi, vel signo aliquo externo diuinitatem arrogauit, & quidem hæc duo copulatu sunt facilia hominem esse, & Deum per gratiam adoptionis. [Ego dixi Dij estis: dedit eis potestatem filios Dei fieri, & videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus, & maxima, & pretiosa nobis dona donauit, per quæ diuinæ efficiamur consortes naturæ.] Pontifex ipse ministrum Dri Vicarium Dei, & quidem tanto mysterio indignum se reputat, non verò Dei appellationem sibi arrogat. Hæc verò rectè cum Patribus, & sacris Concilijs, ex uerbis Christi edocti copulamus Pontificem Romanum Petri successorem, & Dei in terris Vices gerentem. Sed hoc monstrum horrendum ex omnibus hæresibus conflatum Aerij hæresim reuocare contendit, cum scribit [Papam ministrum Dei Presbyterum olim.] Quo insinuat nullum olim inter Episcopum, & Presbyterum intercessisse discrimen, atque ità confundere penitus, & è medio tollere velit ordinem hierarchicum à Domino in Ecclesia institutum.

Olim (inquit) humilem, mitem, seruorum seruum, quibuscumque Principibus obsequiosum: iam superbum, trucem.

HÆ sunt deliri hominis imposturæ, vbi An de dignitate, an verò de persona Pontificis loquatur? non satis ipse explicat: atque dignitatem quidem primitùs à Deo institutam nihil afficiunt vitia hominum: Pontifices ipsi sibi, ve cæteris id à Christo dictum norunt: [Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.] Vt olim seruos seruorum, ità, & nunc se inscribunt, qui tamen titulus non adeò antiquus est, nam primus Gregorius Magnus. circà annum Domini 600. seruum seruorum Dei se nominauit, quàm humilitèr de se sentiant ex Innocentio Tertio intelligere licet, qui sermone secundo in consecratione Pontificis Maximi, [se seruum, seruum seruorum, seruum inutilem, appellat, & ministerium (inquit) mihi vendico, dominium non vsurpo, illius primi, & præcipui prædecessoris exemplo, qui ait, non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, eius quoque qui dixit, Christi sunt, & ego.] Atque eadem vox, eadem professio omnium Pontificum. Quòd si aliquando superborum Principum, Ecclesiæ infestorum audaciam ipsi Pontifices fregerunt, minimè ex superbia factum est, sed vt Christi in primis, ac Ecclesiæ dignitatem tuerentur, & ausim id affirmare tantam esse in Pontificibus, qui Christi Domini humilitatis Magistri Vices gerunt in terris demissionem, atque humilitatem: quanta in Mornæo, & monstris hæreticæ prauitatis, in quibus regnat Diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ, conspicitur superbia, qui nihili sacra Concilia, nihil Patres faciunt, totum orbem condemnant.

Olim sanctimonia conspicuum, pro Christi nomine nihil non passurum, iam vano sanctitatis titulo prætumidum: prophanum.

POntifices quidem illi primi sanctissimi fuere, martyrium sub Tyrannis Principibus pro fide Christi fortiter, & constanti animo subierunt, nec aliter putandum est, affectos fuisse nostri tēporis Pontifices, quàm vt martyrium, si opus fuisset, quod habebant in ipsa præparatione animi, subinissent, & si flagitiosi homines, ac Reipublicæ Christianæ parricidæ tantum vitium haberent, quis sit eorum in Pontificem animus, ex superiori epistola Mornæi ad Serenissimum Britanniæ Regem constat: siquidem monstrum hoc horrendum in vltimas terras deportandum Pontificem Christum Domini appellat bellusm Apocalypricam, quæ Regia indagine, regijs plagis venabulo, demùm regio digna sit, vt numquam mihi persuasurus sim Regem Serenissimum etsi Pontificiæ dignitati parum æquum, & à fide Sacrosancta S.R.Ecclesiæ alienum, quæ tamen est illius humanitas, & animi candor, tam barbaras voces sanguinariæ istius bestiæ æquo animo tulisse, nec iudicasse hanc errorum, & imposturarum farraginem ab incendiario Reipublicæ Christianæ sibi dedicatam *adoron* planè *doron* multum existimationis apud Principes, & populos Christianos suę Maiestati attulisse.

Quis enim dubitet apud alios Principes indè conflari inuidiam, & in eam suspicionem eum adduci, quòd si posset, cæde, atq; sanguine, Christianum orbem compleret, cum tamen omnes norint Serenissimi Regis animum ad pacem maximè esse comparatum, eàmque cum omnibus Principibus Catholicis arctissimè colere, nec voluisse patrocicium perduellium in Gallia hæreticorum contrà Christianissimum Regem, & illius matrem suscipere, immò in suo *Basilico doro*, ad Serenissimum Principem filium monet inprimis cauendum esse, ne ab eo bellorum causa proficiscatur, erga cæteros Principes tamquam fratres suos honestè, & beneuolè se gerat, quæ semel eis promiserit, licèt cùm detrimento suo religiosè tenere oporteat, singulos eorum humilitare, & grata animi significatione in certando vincat. Nullo modo aliorum Principum rebellibus, vel fidendum, vel succurrendum esse, sed Principes potius in tantis eorum angustijs adiuuandos esse: quibus certè præceptis sapientissimus Salomon sanctiora non potuisset Principibus ipsis præscribere.

Nec verò Pontifex sanctitatis titulo prætumidus est, qui minimè se sanctis-

simum,

simum, aut Beatissimum appellat, sed à Christianis illi hæ appellationes tribuuntur ratione muneris, & officij, quod administrat, & quia Vicarius est Christi Domini Sanctæ Sanctorum, itâ Christianissimi nomen Regi Francorum hæreditario quodam iure ob magna prædecessorum suorum in Religionem Christianam, & in sedem Apostolicam merita tribuitur, ac Catholici, Regi Hispaniarum, & sic summus Pontifex non tam personæ suæ priuatim, quàm dignitati hunc titulum deberi, & is titulus iam antiquitùs etiam reliquis Episcopis tributus est.

Sanctorum Christi sanguine tinctum ebrium.

ITà Caluinus Pontificem vocat [crudelissimum Sanctorum omnium mactatorem, & & carnificem.] Quia Hussitas, Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas, adeòque omnes hæreticos sacræ Religioni, & Christianæ Reipublicæ infestos, ac læsæ diuinæ Maiestatis reos persequitur, ideò sanguine sanctorum tinctus, ebrius; Quemadmodum Elias Propheta Domini, à quo sacerdotes Baal interfecit Morneo ebrius fuit sanguine Sãctor. Cum aperiens terra os suum deglutijsset Chore, Dathan, & Abiron schismaticos cum eorum sequacibus, ac viuentes in infernum descendissent, subiungit scriptura, quòd sequenti die murmurauerit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysem, & Aaronē dicens: [Vos interfecistis Populum Domini,] quemadmodum Chore, Dathan, & Abiron, cum suis sequacibus Populus erant Domini, itâ gregales Mornæi sunt sancti, & quemadmodum Moyses interfecerat Populum Domini, ita Pontifex Sanctorum sanguine tinctus est, & ebrius: Quos verò nobis referebat multitudo illa murmurans contra Moysem, & Aaronem, nisi Mornæum, & illius Symmistas murmurantes contra summum Pontificem in Moyse nobis adumbratum, quòd schismaticos, & hæreticos à Deo reprobatos, & ad tartara relegandos, quos sanctos appellat Mornæus, instissimè persequatur, cum tamen omnem operam adhibeat, vt ad saniorem mentem redeant, & salubriora consilia amplectantur.

Quæ hîc, rogo, inter tam diuersa, tam aduersa, aut ratio, aut commensuratio?

SCilicet Philippum Mornæum Plessiaci Marliani, &c. Dominum, hoc est nobilem Gallum Christianum nomen professum, & tamen hæreticum, & incendiarium Reipublicæ Christianæ. [Quid enim hæreticis, & Christianis,] vt scribebat Tertullianus lib. de præscript. cap. 7. Christianissimi Regis in sacro Consistorio Consiliatium, Cathaphractorum turmæ Ductorem, Salmuriensis ditionis Præsidem, Domus Regiæ Nauarrenæ præfectum: itâ enim amplissimis dignitatibus, & Præfectutis in Regno auctus, & ornatus est, & tamen Regno, & Regni perniciem machinautem: An quæso inter tam aduersa, & diuersa ratio aliqua, aut commensuratio? quæ enim firmissima regni basis, quodue stabilimentum, nisi sacra Religio? quàm cum euertere nititur, quid aliud, quàm florentissimum Regnum studet exscindere? nec prius Caluinistas, quorum nunc Antesignanus est Mornæus, religioni, quàm Christianissimorum Regum, Regij sanguinis Principum, ac procerum Regni vitæ sunt insidiati, nec in tantum periculum ab externis vnquam Regnum adductum: quanta rabie ferocierint isti, sacratum ædium ruinæ, templorum expilationes, ac tot sacrilegia ab illis commissa abundè testantur: scilicèt ratio, aut commensuratio inter nobiles Gallos, & Regni Galliarum profligatores, inter Christianos, & rerum sacratum prædones, ac sacrilegos. Quod vero subiungit iste.

Et quid non hîc attoniti exclamemus mysterium Babylon magna?

VBi quæso augustissimum illud templum incensum, nonne Hierosolymis, & indè Vasa sacra asportata Babylonem, ac in prophanos vsus conuersa? nostra igitur Ecclesia, in qua tot augustissima templa, in Hierusalem magis, quàm in Babylone adumbrata, at Ecclesia hæc nupera, quam reformatam, & puriorem appellant, si quidem illius sectatores sacras ædes solo æquant, atque incendunt, & sacra vasa in prophanos conuertunt vsus, rectè per Babylonem in mysterio significata. Sed hactenus de primo articulo, hoc est, mole Papatus, quem Catholici tamquam *mormolyceion* aliquod, vt loquebatur Mornęus, obtendunt, vbi nemo non videt istius imposturas, & calumnias? Sint vera, quæ de Pontificibus, tam splendidè mentitur Mornæus! an ideò Papa Antichristus? [Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet,] ait D. Augustinus lib. 2. con. lit. Petiliani c. 51. & in qua hodie sedet Paulus Quintus? [Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicam? si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, numquid Dominus Iesus Christus propter Phariseos, de quibus ait, dicunt, & non faciunt, cathedræ, in qua sedebant, vllam iniuriam fecit? Hæc si cogitaretis, inquit, non propter homines, quos infamatis, blasphematetis cathedram Apostolicam, cui non communicatis.

Iam ad aliud caput nobis progrediendum. Nam contra Mornæum, & aduersarios reformatæ Ecclesiæ parentes, & patronos, meritò antiquitatem Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ opponimus, vt indè certissimo argumento cùm Patribus ostendamus hanc vnicam esse, & veram Christi Ecclesiam: hæc est domus Iacob, in qua Christus regnat in æternum: hæc est mons domus Domini in nouissimis diebus, per quos apud Prophetas tempus aduentus Messiæ significatur, præparatus in vertice Montium. Hæc, inquam, domus est ædificata à Viro sapiente Christo Do-

Domino ſuper Petram, deſcendit pluuia, & venerunt flumina. & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; At Ecclesia reformara Mornæi domus eſt à vero ſtulto ædificata ſuper arenam, deſcendit pluuia, & venerunt fluminia, & flauerunt Venti, & irruerunt io domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Verùm omnibus argumentis ex ſcriptura, ex ſacris Concilijs, ex patribus euincatur Mornæus, excipiee ſe ſuo iure vti, nam & hæretici ſuperiores. Altare contra Altare erexerunt, & de Eccleſiæ titulo, & poſſeſſione ſemper contenderunt. Donatiſtæ, vt dictum eſt, apoſtataſſe Eccleſiam de Orbe terrarum, & in ſola parte Donati in Africa remanſiſſe, contendebant obſtinatiſſimè. Huc ſinguli hæretici docuerunt ab initio. Hoc Lutherani, Caluiniſtæ, & alij Sectarij nonc docent. Dum enim ſinguli voluur ſuam ſectam eſſe veram Dei Eccleſiam, cumque ſingulorum ſecta ab ipſis neceſſariò inchoata ſit, à quibus denominatur, omnes & ſinguli docene Eccleſiam de reliquo Orbe perijſſe, & apud ſe tantùm remanſiſſe. [Quæſtio certè inter nos verſatur, ait D. Auguſtinus lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 2. vbi ſit Eccleſia, vtrum apud nos, an apud illos? Quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri Catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Secundùm totum enim *cvth olon* Græcè dicitur. Hæc autem Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dieit pro corpore eius, quæ eſt Eccleſia, poſt. Inter no autem, & Donatiſtas quæſtio eſt vbi ſit hoc corpus, id eſt vbi ſit Eccleſia. Quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti? puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt & optimè nouit corpus ſuum. Iam in verbis Chriſti reperimus Eccleſiam noſtram. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non preualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Ibi ergo eſt Eccleſia, vbi claues Regni Cœlorum, vbi poteſtas ligandi, & ſoluendi Petro conceſſa, in ſucceſſore illius perpetuò continuata, & [Petre amas me, paſce oues meas,] Eccleſia igitur Chriſti eſt illud ouile, quod paſcit Petrus in ſuo ſucceſſore: Eccleſia autem reformata, & purior, non niſi in phantaſia, ac verbis inanibus Mornæi, & gregalium illius reperietur. Ità D. Auguſtinus ad Donatiſtas. Epiſt. 166. Vos dicitis propter traditores, quos non oſtenditis remanſiſſe Eccleſiam Chriſti in ſola Africa partis Donati, [quòd non de lege, non de prophetia, non de pſalmo, non de Apoſtolo,] non de Euangelio, ſed de corde veſtro, & de parentum veſtrorum calumnijs recitatis. Chriſtus autem dicit prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem, cui Eccleſiæ ex ore Chriſti manifeſtè vos non creditis, & alios in veſtram perditionem trahentes, liberari non vultis. An non, & noſtri temporis ſectarios alloqui videtur, qui, reiecta veteri per omnes gentes diffuſa Eccleſia, nouam ſibi de corde ſuo, & calumnijs, ac impoſturis in Sanctam Romanam Eccleſiam confingunt.

Maiores noſtri [ait D. Auguſtinus] Catholicam eam nominarunt, quo ſcilicèt à reliquis ſectis voluerunt eam diſcerni. Vt alibi idem ſcribebat, (lib. cõr. Epiſt. fundam. cap. 4.) Catholicæ nomen, non ſine cauſa, inter tàm multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Cùm igitur iſti velint, nolint, non aliam in Orbe terrarum Eccleſiam, præter eam, cui præeſt Romanus Pontifex Catholicam nominare audeat, & ſuæ, noua, ac inſolita nomina imponant, argumento eſt apud nos, non apud illos, vnam eſſe Chriſti Eccleſiam. At Mornæus. (Sont paroles du Liure du Pleſſis Mornay) Eccleſiæ nomen, inquit, ne vobis doloſè reponant, Catholicę vtique, vt Romanam ſupponant.

Non ſatis iſte intelligere videtur, qua ratione Catholicæ Eccleſiæ, Romanam ſupponamus, vt nuſquam non à notis Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia nominatur. Id ex patribus ipſis intelligere licèt, Tertullianus. (lib. de præſcript. cap. 20.) Eccleſias, inquit, Apoſtoli apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus radicem fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ deindè Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant, ac per hoc, & ipſe Apoſtolicæ reputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum, omne genus ad originem ſuam, cenſeatur, neceſſe eſt. Itàque tot, ac tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.

Maxima autem, & antiquiſſima, & omnibus cognita, vt ſentit Irænæus lib. 3. cap. 3. à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundata eſt, & conſtituta Eccleſia: eatenus vnaquæque Eccleſia Apoſtolica, quatenus illius ſoboles, & Catholica, quatenus cùm illa in eadem fidei doctrina conſentit, [Eccleſia Catholica eſt, (ait Cyprianus lib. de Vnit. Eccleſiæ.) quæ, Domini luce perfuſa, per totum Orbem radios ſuos porrigit: vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largius expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa;] At verò caput, originem, matricem, & radicem omnium Eccleſiarum Romanam eſſe Cyprianus paſſim ſcribit. lib. de Vnit. Eccl. cap. 3. Indè vnitatem Eccleſiæ petit, [Vnam Cathedram, inquit, Chriſtus conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Poſt. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur; cap. 44. Ibidem, hanc Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? cap. 33. Idem Epiſt. ad Iubajanum. Nos Eccleſiæ vnius caput, & radicem tenemus, nam Petro primùm Dominus ſuper quē ædificat Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit: & infrà, Eccleſia, quæ vna eſt, & ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini

fun-

fundata est. Optatus.lib.2.con.Parmeniauum. Cathedra vna est, & negare non audes scire te, Petro primùm in Vrbe Roma Cathedram esse collatam, vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, indè Cephas appellatus, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram, collocaret,] Patres non aliter indicarunt aliquam rectam, & Catholicam fidem habere, quàm si Romanæ Ecclesiæ fidem amplectetetur. Itá Hieronymus ad Pammachium, & Marcellum: apologia aduersùs Ruffinum, & si cùm Episcopo Romano communicaret D. Ambrosius lib.de obitu fratris, qui & scribens ad Syricium Papam, Epist.10. [quos sanctitas tua, inquit damnauit, sciás apud nos quoque secundum tuum judicium esse damnatos,] Testatur Prosper in Chronico, quòd cùm Papa Zozimus Synodslia Concilij Aphricani decreta probasset contra Pelagium, per totum mundum Hæresim Pelagianam esse damnatam: scilicèt quia Catholicos se reputabant, si cùm Pontifice Romano in eadem fide communicarent. D. Gregorius cùm formam præscriberet,(lib.10. indict.5. Epist.30.) qua schismaticus Episcopus, in abiuranda hæresi vteretur, hæc adhibuit verba. Comperto diuisionis laqueo ad vnitatem sedis Apostolicæ reuersùs, promitto me semper in vnitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansurum. Qui Dei sunt, (ait D. Bernardus. Epist. ad Hiedebertum Turonensem Archiepiscopum.) libenter iunguntur Innocentio Papæ, qui exaduerso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus.] Ex quibus constat, quàm rectè Catholicæ Ecclesiæ Romanam supponamus, hoc est Christi Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam passim appellemus, siquidem super Cathedram Petri, qui Romæ Primus sedit, fundata est: cuius successores Romani Pontifices, doctrinam fidei vbique desseminarunt, Ecclesias constituerunt, ac Episcopos ordinarunt.

Non Romana Ecclesia, Ecclesia Vniuersalis tota Catholica.

NOn certè vocantur à Philosophis Deus, & Sol, causæ vniuersales, quòd particulares excludant, sed quòd istæ sint illis subordinatæ, illarum concursum ad agendum necessariò requirant, vis præterea illarum ad producendos quoscumque effectus latissimè sese diffundat: itá Romana Ecclesia, non eo sensu vniuersalis est, quòd reliquas Ecclesias excludat, sedquòd omnes sút illi subordinatæ, omnibus iura præscribat, omnibus prælata sit & in omnes ex Christi institutione habeat amplissimã auctoritatẽ. Hoc videtur docuisse inter cæteros optimè doctissimus Innocentius, scribens ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum. [Dicitur (inquit) Ecclesia vniuersalis, quæ de vniuersis constat Ecclesijs, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur,] & secundùm hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ, prima scilicèt, & præcipua, velut caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteros autem pars aliqua potestatis detiuatur, & dicitur Vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet Ecclesias vniuersas: Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia vniuersalis nuncupatur: quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata: sicut, & Deus vniuersalis Dominus appellatur, non quasi iam diuisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam vniuersa sub eius Dominio continentur. Est enim vna generalis Ecclesia, de qua veritas, inquit ad Petrum: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus: ait, [instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum,] ex omnibus vna consistit, tamquam ex particularibus generalis, & vna præeminet omnibus, quoniam cùm vnum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus: [omnes vnum corpus sumus in Christo,] Illa velut caput cæteris membris excellit, obtusioti ingenio, meo iudicio, est Mornæus, quàm, vt huiusmodi distinctionem doctissimi illius Pontificis capiat, ex qua optimè elucescit, quo sensu Romana Ecclesia vniuersalis appelletur.

Pars illa huius olim aliquanta dum stetit.

QVando verò primùm collapsa est, nam idem dicebant Donatistæ, idem & reliqui hæretici, qui non communicabant cùm Romana Ecclesia, & sibi interim solis possessionem, ac titulum Ecclesiæ vindicabant. Stabat tempore Irenæi, Tertulliani, Optati Mileuitani, D. Augustini, qui Pontifices Romanos à D. Petro ad sua tempora numerabant, eamque notam certissimam veræ Ecclesiæ indicabant, & nos item eos ad Paulum V. nunc sedentem recensemus, vt numquam continua illa successio in Cathedra Petri interrupta sit: & quemadmodum Ecclesiæ toto Orbe diffusæ antiquitùs semper Pontificem Romanum professæ sunt supremum Pastorem, & Episcoporum Episcopum, & in controuersijs fidei dijudicandis, ac definiendis illius auctoritatem agnouerunt, ac sedis Apostolicæ iudicio, quicquid esset decretum, ratum, & tamquam ex ore Dei prolatum habuerunt, Oecumenica Concilia, non nisi auctoritate Romani Pontificis congregare, & confir mari posse indicarunt, itá nunc illum supremum Ecclesiæ Pastorem, Reges, Principes, Magistratus, Christianæ nationes longè, latèq; diffusæ agnoscunt, illius esse de fidei, & Religionis controuersijs statuere non inficiantur, omnes Christiani orbis Episcopi, qui Christiano veteri ritu consecrantur, & legitimam habent successionem, ab illo iurisdictionem, & auctoritatem suam repetunt: quando igitur collapsa, & quomodo nunc non stat? Patres Romanæ Ecclesiæ fidem cantopere commendant, Tertullianus lib. de præscript.c.36. [Statu fœlix Ecclesiæ, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt.

D.Cy.

D.Cyprianus Epist. 55. ad Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, perfidiam habere non posse accessum disertè scribit. Gregorius Nazianz. Vetus Roma ab antiqnis remporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quę toti Orbi pręsidet. Ruffinus in Symbolum. Hęresis nulla in Ecclesia Vrbis Romę sumpsit exordium. S. Hieronymus Apologia 3. contra Ruffionm. Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam huiusmodi pręstigias noo recipere, etiam si Angelus aliter annunciet, quàm prędicatum est, Pauli auctoritate munitam, non posse mutari. Eadem scribit, & in Epistola ad Pammachium, & Oceanum. Quando hanc igitur fidem adcò celebratam a Patribus, & Concilijs Roma perdidit? quando desijt, quòd antè fuit? qno tēpore, quo Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis fidem Romanam ab Apostolo laudatam Romanus Pontifex, & Clerus, & Populus simul, & totus Christianus Orbis, qui cum Pontifice, in eadem fidei doctrina consentit abiurauit? Non posse Ecclesiarum matrem esse, quæ non sit Ecclesia, non posse Episcoporum Principem esse, qui non sit Episcopus, non posse sedis honorem stare, vbi nulla est sedes? nullo argumento, tàm impiè, & sacrilegè, quàm nunc Mornæus, scripserat olim Caluinus. Verùm si quæ quondam erat, vera Christi Ecclesia Romana, adeòque Catholica toto Orbe diffusa, in eadem fidei doctrina cùm Romana consentiens, desijt esse, quò tandem translata est, & ad quos redacta Christi Ecclesia? [Narrat Eusebius, (ait Caluinus,) lib.4.instit.c.7.§.23,26. Deum, vt vindictæ suæ locus fieret, Ecclesiam, quæ Hierosolymis erat, Pellam transtulisse, indè infert, quod semel factum fuisse audimus fieri sæpiùs potuit.] Verùm ijdem fideles, ex quibus Hierosolymis primùm Ecclesia ipsa constabat, Pellæ postea eamdem constituebant, eamdem fidei doctrinam profitebantur, ijsdem sacramentis vtebantur, & ijsdem viuebant legibus, vt nulla nisi loci esset mutatio: ità si Pontifex Romanus aliò sedem trāsferret, vt factum est, quando tot Pontifices Auenione pet septuaginta circiter annos sederunt, cùm Romani Pontificis auctoritas, nullo loco sit coarctata, Apostolicus Vicarius Christi successor Petri, sedes quidem mutaret, non tamen noua indè Ecclesia consurgeret. Fortasſè cùm Geneua Farelli primùm, deindè Caluini artibus seducta est, & relicto vero Dei cultu hæreticę perfidię sese adduxit, tùm qui costantes in fide maiorum perstiterunt, ex Orci faucibus erepti aliò se trastulerunt, atque ità quæ Geneuę erat Ecclesia ex Episcopo, & Clero, & fidelibus Populis composita, sedes mutauit, minimè tamen Religionem, nec nouam Ecclesiam reprobata veteri instituerunt, qualem Geneuæ, & alijs locis, sacris Templis euersis, dirutis Altaribus, ne vlla antiquæ Religionis monumenta extarent, abrogato sacrosancto Missæ sacrificio, exclusis indè, & abdicatis Sacramentis, instituerunt, non aliter quàm Hierobnamus vitulos aoreos in Dan, & Bethel, reprobato veteri Templo, erexit, non nisi igitur impudentissimè isti asserunt Romanam Ecclesiam, non ampliùs stare.

Romana Ecclesia aliquanta, at cùm cæteris, at non præ cæteris.

ROma antiquitus noo erat totum Romanum Imperium, sed pars dumtaxat illius Imperij, quòd longè, latèque per Asiam, Aphricam, & Europam protendebatur. Verùm quia Roma Vrbs erat, quæ tot gentes suis legibus subiugauerat, Imperatoris præterea sedes, Senatus amplissimi domicilium, vndè leges in omnes Prouincias latissimi illius Imperij dimanabant, indè meritò Romanum Imperium dicebatur. [Quia Igitur Romana Ecclesia matrix est, & radix Catholicæ Ecclesiæ, vt eam vocat Cyprianus, & in Romana Ecclesia, ait D. Augustinus, semper Apostolicæ Cathedræ, inquit, Principatus, & quia per Apostolici sacerdotij Principatum, ait Prosper, amplior facta est arce religionis, quàm solis potestatis, & sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris facta caput mundi, quicquid non continet armis, religione tenet, & minus erat, quòd illi labor bellicus subdiderat, ait Leo Papa, quàm quòd pax Christiana subiecit, indè Catholica Ecclesia per Orbem terrarum longè, latèque patens Romana.] Item Ecclesia rectè, & meritò appellatur: & falsum illud Mornæi. [At cùm cæteris, at non præ cæteris, semper enim Romana Ecclesia habita est matrix, & radix, & caput omnium Ecclesiarum, id adeò manifestè constat ex sacris Concilijs, & antiqnis Patribus, vt id velle alijs argumentationibus probare, nihil sit aliud, quàm Soli velle lumen inferre.

Vt in eius, seù labe, seù interitu, non pereat grex Christi, licèt depereat, non eius defectione deficiat, deficere possit.

QVemadmodum corpus, non potest sine capite consistere, & reliqua membra illo indigent, sicut & illud reliquis membris, ità certùm Ecclesiam visibilem in terris, quæ est Corpus Christi mysticum, non posse consistere sine capite visibili; Epist. 8 t. [illius est, præ cœteris Religioni prospicere, ad illum causæ fidei deferuntur, illius, præesse in Concilijs. Curam, inquit Leo Papa, vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus. Hæc sedes Romana, inquit Gregorius, speculationem suam toti Orbi indixit. Ambrosius Damasum vocat Rectorem Domus Dei, & Syricium ianuæ, & ouilis custodem. Chalcedonensis Synodus affirmat. Vineæ, id est, Ecclesiæ custodiam à Saluatore Pontifici Romano commissam.] Quomodo ergo non in eius labe pereat Grex Christi? Robur exercitus (aiunt) est in Duce, vt illo sublato, profligari exercitum sit necesse: [hanc viam itàque Christi aduersarius, & Ecclesiæ eius inimicus adinuenit, ad hoc Ecclesiæ propositum sua infestatione persequitur, ait Cyprianus, Epist. 55. vt gubernatore sublato, atrociùs, atque violentiùs, circa Ecclesiæ naufragia grassetur.

Fuit

Fuit & Romana olim casta sponsæ pars non minima, dum sponsi voci adhæret, & alienam aversatur.

QVando verò primùm tanta rerum conversio facta est, vt reiecta voce sponsi vocem alienorum sequeretur, abiurata fide Christi à beatissimis Apostolis Petro, & Paulo, vt Patres omnes testantur, tradita, & quæ iam tum annunciabatur in vniuerso Mundo, hæreticorum nugas amplexata est? quis primus Pontifex errores in illã Ecclesiam induxit: & quod consequens est, vniuersum Christianum Orbem, vt quæ erat Christi Ecclesia, de toto Orbe terrarum petierit, vt nouam inducere, aut fingere fuerit necesse, quando verò, quod subiungit Mornæus: [Tabularum Dotalium immemor; cui dictum Oseæ 2. Desponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ergo Dominus:] hæc est noua nupta sponsa agni Ioanni in Apocalypsi ostensa: quòd si tabulæ dotales, si dos, matrimonium igitur contractum inter Christum, & Ecclesiam, nam sine matrimonio dos esse non potest, & vbicumque matrimonij nomen non est, nec dos est: Quando igitur Sacramentum illud magnum, quòd vocat Apostolus, hoc est matrimonium contractum inter Christum, & Ecclesiam, dissolutum est? fœdere æterno sibi Christus, quam acquisiuit Ecclesiam, sanguine suo copulauit, non erat eam repudiaturus quemadmodum Synagogam. An non iudicabimus in eo matrimonio omnia bona concurrisse, fidem, quæ ad castitatem, prolem, quæ ad fœcunditatem, Sacramentum, quod ad stabilitatem refertur. Sponsus etiam Romanæ Ecclesiæ Pontifex est, qui habet sponsam sponsus est: [An non ego sponsus sum, ait Innocentius serm. 3. in consecr. Pont. Et quilibet vestrum amicus sponsi? vtique sponsus, quia habeo nobilem, diuitem, & sublimem, decoram, castam, gratiosam, sacrosanctam Romanam Ecclesiam: quæ, disponente Deo, cunctorum fidelium Mater est, & Magistra, cum hac mihi commercium nuptiale, illius vocem audit Romana Ecclesia: pro qua Dominus orauit in Petro, vt non deficeret fides illius, non audit vocem alienorum:] Alieni sunt hæretici, vt schismatici, quos Ecclesia Romana non sequitur, sed persequitur, & fugat, quo fit, vt tanto eam odio Mornæus hæreticus cum omnibus suis gregalibus insectetur. Quando verò: Obrepsit adulteratis clauibus adulter thalamo. Certè non de Ecclesia nupera, & reformata Mornæi, sed de antiqua Catholica, cuius matricem, & radicem vocabat Ecclesiam Romanam, scribebat Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ cap. 5. [Illius fœtu nascimur, lacte nutrimur, spiritu eius animamur, Adulterari non potest, Sponsa Christi incorrupta est, & pudica, Vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno, quos generauit, assignat.] Fuit iam olim casta, vt fatetur iste, Romana Ecclesia sponsæ pars non minima, nec dubium cum temporis Pontificem Romanum fuisse illius sponsum, vt antea dictum est, nam Episcopus sponsus est Ecclesiæ, & matrimonium quoddam spirituale contrahitur inter Episcopum, & Ecclesiam, quando igitur primùm subintrauit adulter, nam Ecclesia Romana non potest esse sine Episcopo, & Ecclesia apud D. Cyprianum epist. 69. plebs est Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. [Vnde scire debes, inquit, ad Florentium Pupianum ep. 69. Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.] Vnde verò, & quando tanta rerum commutatio, vt antiquitùs ex consensu totius Orbis, immò, & aduersariorum Ecclesia Romana esset Ecclesia Christi, & Episcopus Romanus verus illius sponsus, ac legitimus, nun verò sit adulter, qui adulteratis clauibus thalamo obrepserit, illa sit Babylon, hic Antichristus? Non dubium quin Antipapæ contra legitimos Pontifices, auctores schismatum, & alienam sedem inuadere conati, adulteri fuerint, non legitimi viri: ità Cyprianus Nouatianum, qui ausus fuerat aduersùs Cornelium asserere se Pontificem Romanum, adulterum, & contratium caput appellat epist. 42. Item adulterum, & extraneum Episcopum epist. 52. & scribebat Petrus Diaconus lib. 7. epist. 10. ad Gothofredum Ducem, & Marchionem Tusciæ, qui Cadalonum Pseudo-Pontificem exceperat. [Quomodò sublimitas tua illi communicare non timuit, qui Sponsam Christi sanctam, scilicet Ecclesiam, quasi per obsceni lenocinij stuprum violare præsumpsit?] Verùm illos Romana Ecclesia non admisit: [tanquam fidem, inquit, Innocentius III. serm. 3. in consecrat. Summi Pont. Romanus Pontifex, & Romana Ecclesia sibi semper seruauerunt, vt eis congruè valeat coaptari, quod veritas inquit, in Euangelio: Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, alienum non sequuntur, sed fugiunt, quia non nouerunt vocem alienorum, alieni autem sunt Pseudo-Pontifices, & Antipapæ: suum cognoscunt, & audiunt, non Apostaticum, sed Apostolicum, non catarum, sed Catholicum, recipiens, & reddens debitum coniungale, recipiens ab eo debitum prouidentiæ, & reddens debitum reuerentiæ.] Nunquam igitur admisit pec posticum adulterum (vt impostor scribit.) Sed legitimum virum. Quando Macedonius, & Nestorius hæresiarchæ, quando item Pyrrhus, & Sergius Sedem Constantinopolitanam occuparunt, quando Alexandrinam Lucius, & Georgius Arriani legitimo sponso Athanasio expulso, & quando postea Dioscorus hæresiarcha, certum est non fuisse veros sponsos Ecclesiæ, sed adulteros, qui non legitimis filijs, sed adulterinis generandis, nec legitimæ doctrinæ, sed adulterinæ seminandæ studebant, & quidem nemo verè Christianus disputat, quin illi hæretici fuerint, à sacris generalibus Concilijs, hoc est à toto Christiano Orbe condemnati, quis verò Pontificum Romanorum à sacro aliquo generali Concilio hæreseos vnquam damnatus est? ego non facilè crediderim: ait Innocentius III. tam sanctus, & Doctus Pontifex, quam illi

Im pu-

Impuri Gnostici sunt meri Asini, [vt Deus permitteret Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo spiritualiter orauit in Petro. Ego, inquit, pro te rogaui Petre.] non igitur pigmentis suis natiuum colorem, figmentis germanam doctrinam infecit, immutauit, vt in fucum illa tota, & mendacium fecè abierit,

Et occlamatum fortiter à cæteris Ecclesijs, Africana, Gallicana. Germana, Græca, Orientalibus alijs.

QVot verba, tot mendacia, quantum spectat ad Ecclesiam Africanam, certum est Africæ Ecclesias semper agnouisse Primatum Romani Pontificis, id constat ex Tertulliano, Cypriano, Optato Mileuitano, D. Augustino, & Episcopis Africæ, qui ad Romanos Pontifices super fidei controuersijs scripserunt, & illorum iudicium, & sententiam desiderarunt, vt quicquid illi statuissent de fide, pro rato habendum existimarent, quin & Concilia Africana, celebrata contra Donatistas, vel contra Pelagianos, Romanum Pontificem non vt adulterum, sed vt legitimum Ecclesiæ sponsum agnouerunt. Refert Victor Vticensis, Eugenium Carthaginensem Episcopum Catholicum, Henrico Vandalorum Regi, lib. 2. de persec. Vandalica, Arriano rationem fidei Catholicæ poscenti respondisse: [Se scriptum fratribus suis, ve in Africam veniant, & præcipuè Romanæ Ecclesiæ, quæ (inquit) caput est omnium Ecclesiarum.] Nescio igitur, quam Ecclesiam Africanam intelligat, nisi forrasse Donatistarum, quæ primò, aut Arrianorum, quæ postremò Africam ipsam inuasit:

Quantum ad Gallicam, miror certè ignorantiam, aut magis impudentiam Mornæi, qui in Gallia natus, educatus, & in rebus Gallicis meo iudicio, optimè instructus, tanta audacia scribat, & tam apertè mentiatur Ecclesiam Gallicam occlamasse Pontifici, quæ parentem fidei Christianæ Romanum Pontificem agnoscit. Galliarum Episcopi ad Leonem Papam scripserunt [se gratias Domino agere, quòd tantæ fidei Antistitem dedisset Apostolicæ Sedi, vnde, inquiunt, religionis nostræ, propitio Christo, fons, & origo manauit, Innocentius Papa docet, nullum instituisse Episcopos per Ecclesias in omnem Galliam, & Hispaniam, nisi quos Petrus, aut Petri successores constituerunt Sacerdotes.] Et Gregorius Magnus lib. 4. indict. 13. epist. 50. scribens Virgilio Episcopo Arelatensi. Quia cunctis, inquit, liquet. Vnde in Galliarum Regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem Sedis Apostolicæ fraternitas vestra repetit, quid aliud, quàm bona soboles ad sinum matris Ecclesiæ recurrit? Si repetamus ad initio, quis fuerit antiquus Ecclesiæ Gallicanæ status, non alius à præsenti fuisse deprehendetur: cum Romano Pontifice communicarunt Christianissimi Galliarum Reges, & populi, Romanos Pontifices, ac Sedis Apostolicæ dignitatem contra hostes egregiè tueati sunt, à Pontifice Romano corona Imperiali aliquando fuerunt ornati. Carolus Magnus, vbi de Summo Pontifice verba facit, [in memoriam, inquit, beati Petri Apostoli honoramus sanctam Romanam Ecclesiam Sedem, & Apostolicam, vt nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, Ecclesiasticæ esse debeat Magistra rationis. Quare seruanda est, cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.] Nicolaus Papa scribens ad Carolum Caluum, [cum vos tanta humilitate, tantæque deuotionis incuruatione sub potenti manu Dei ad reuerentiam præcipuorum ipsius Apostolorum flecti conspicimus, impletum videmus, quod S. Iob de Domino loquitur, sub quo incuruantur, qui portane Orbem.] An non hucusque eadem mens Regum Posteriorum? quid aliud in religione sentiunt, quàm eorum prædecessores? Nunc omnes Galliarum Episcopi, vt antiquitùs Primatum Romani Pontificis Agnoscunt, ab illo instituuntur, & titu Catholico consecrantur, sed Ecclesiam Gallicanam Valdensium, Albigensium, & nunc Caluinistarum intelligit. Idem fuerat propositum Valdensibus, & Albigensibus, quod nunc Caluinistis sibi nomen Ecclesiæ vindicare, explosi sunt, hæreticæ prauitatis condemnati, armis profligati persistente constanter Regno in fide maiorum prout nunc, etsi perduellibus istis ferro, flammaque Regno vastitatem inferre conatis, quos ità apertè mentiri non pudet, vt dicant Ecclesiam Gallicanam Pontificibus aliquando fortiter tanquam adulteris occlamasse. Quòd Concilium habitum in Gallia, qui Galliarum Antistites, quis Christianissimorum Regum, quis Senatus vnquam Pontifici Romano legitimè electo occlamauit.

Quantum ad Germanicam Ecclesiam; Vnde quæso Germania, nisi ab Ecclesia Romana Christi fidem accepit. Vnde institutæ in Germania Cathedrales Ecclesiæ, nisi Romani Pontificis auctoritate? qui ibidem creati Episcopi, nisi à Romano Pontifice? Gregorius II. Pontifex sanctissimus misit in Germaniam Bonifacium Monachum, qui eam gentem ad fidem conuerteret. Vnde meritò Germaniæ dictus Apostolus, qui ad Zachariam Pontificem Gregorij III. successorem scribens congratulabatur ei primùm de Pontificatu. [Deindè, optantes, inquit, Catholicam fidem, & vnitatem Romanæ Ecclesiæ seruando dilatare, & quantoscunque audientes, vel Discipulos in ista legatione mihi Deus donauerit, ad obedientiam Apostolicæ Sedis inuitare, & inclinare non cesso.] Quin & Episcopos tres per Germaniam, & tres Episcopales sedes ordinauerat, petit à Pontifice, vt eos confirmet. [Hæc tria loca, inquit, propria charta auctoritate Apostolatus vestri roborari, & confirmari diligenter postulamus: etsi Dominus voluerit, per auctoritatem, & præceptum sancti Petri iussionibus Apostolicis Fundatæ, & stabilitæ sint tres in Germania Episcopales Sedes, & ve præsentes, vel futuræ generationes non præsumant, vel Parochias corrumpere, vel violare præceptum Apostolicæ Sedis,] ex quo constat non aliundè, quàm Romani Pontificis auctoritate primùm fundatas Ecclesias, &

Epi-

Episcopales Sedes in Germania constitutas fuisse. Idem scribebat ad Stephanum III. Papam, [se sub tribus prædecessoribus suis Gregorijs duobus, & Zacharia Sedi Apostolicæ inseruisse, & legatione eorum in conuersione illius gentis plusquam triginta annis functum esse.] In epistola ad Buggam Abbatissam cupientem ire ad limina Apostolorum nuncians de Germaniæ statu, ait, [fidem antiquam inter nos numquam deficere scias.]. Quòd fidem antiquam vocet fidem Ecclesiæ Romanę, constat ex epistola ad Guidbertum Archiepiscopum Angliæ, vbi sic ait: [Decreuimus in nostro Synodali conuentu, & confessi sumus Catholicam Fidem, & vnitatem, ac subiectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ nostræ velle seruare sancto Petro, & Vicario eius velle subijci, Synodum per omnes annos congregare, Metropolitanos pallia ab illa sede quærere, & per omnia præcepta sancti Petri canonicè sequi, desiderare, vt inter oues sibi commendatas numeremur.] Certè præcepta Romani Pontificis intellexit, cui, qui canonicè obediuit, sancto Petro obediuit. An eò isti venient impudentiæ, vt sanctum Bonifacium à Pontifice consecratum primum Archiepiscopum Moguntinum, & Episcopos ab eo creatos, gentes ad Christum conuersas dicant, tum professas esse obedientiam Antichristo? Percurrant omnes ab initio fundatas Ecclesias Germaniæ, non nisi à Pontificibus Romanis Sedes Episcopales institutas facilè intelligent. An non postquam Imperium ad Germanos translatum est, omnes Imperatores Romanum Pontificem, vt Petri successorem, Christi in terris Vicarium agnouerunt? & quamuis ex illis aliquot Pontificibus fuerint infensi, in gratiam tamen redire, & Pontificibus reconciliari voluerunt, quin, & à censuris, quibus à Pontificibus innodati fuerant, ab eisdem absolui, quòd argumento est eos Pontificis Romani agnouisse auctoritatem, immò & à Pontificibus Imperatores fuere coronati. Episcopi in Germania veri successores Episcoporum: qui primitùs, consecrati sunt, & Ecclesias illas rexerunt, non nisi auctoritate Romani Pontificis ordinantur: Ecclesiam itaque Germanicam, quæ Summo Pontifici occlamauit Lutheranorum Ecclesiam ab heresiarcha Luthero fundatam intelligit, si quidem ille, quod solemne fuit omnibus hæreticis desertis Catholicæ Ecclesiæ signis, & abiurata Romani Pontificis obedientia, scholam mendaciorum aperuit, seque, ac suos Ecclesiam Christi esse contendit. Verùm vt scribebat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 5. [fauos faciunt & vespæ, faciunt & Ecclesias Marcionitæ.]

Quod attinet ad Græcam Ecclesiam, & alias Orientales antiqui Patres Græci illi, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, & alij, Romani Pontificis primatum, & Romanæ Ecclesiæ dignitatem agnouerunt: Athanasius Alexandrinæ Sedis Antistes, vt auctor est Liberatus in Breuiario, ad Romanum Pontificem appellauit, & tàm ille, quàm Paulus Constantinopolis, itemque Marcellinus Ancyræ Asclepas, Gazæ & Lucius Adrianopolis Episcopi Ecclesijs suis spoliati, cum Romam confugissent, Iulius Pontifex Romanus criminationibus eorum intellectis: [Cùm propter Sedis dignitatem cura omnium,] ait Sozomenus lib. 3. cap. 7. lib. 2. cap. 11. [Ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit.] Niceph. lib. 9. cap. 8. Sozom. lib. 2. cap. 11. Socrates 3. cap. 7. Et Athanasius in Apologia 2. & Theodoretus testantur Iulium Papam cùm Eusebianis expostulasse, quòd ipso inconsulto de Episcopo iudicium ferre ausi essent, & cum Iulio Pontifici Romano respondent Orientales Episcopi, fatentur Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, vtpotè, quæ Apostolorum schola, & pietatis Metropolis ab initio fuisset: Athanasius, & Ægyptij scribentes ad Marcum Pontificem Romanum Iulij prædecessorem: [Optamus, inquiunt, vt à vestræ sanctæ Sedis auctoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum ea capitula percipere per præsentes Legatos mereamur.] Nicænæ Synodi capitula intelligunt, quæ per Victorem, & Vincentium Presbyteros Apostolicæ Sedis Apocrisarios ad Siluestrum Papam missa fuerant, quæ fortasse ab Arrianis in Oriente, aut corrupta, aut suppressa fuerant. Hieronymus epist. 16. ad Principiam, & Socrates lib. 4. cap. 30. Cùm Petrus Alexandriæ Episcopus, qui Athanasio successerat Romam confugisset, atque ex Vrbe Roma cum literis Damasi Episcopi Romani, quæ creationem Petri confirmabant, reuersus esset, populus Alexandrinus Damasi literis confisus expulit Lucium, & Petrum in eius locum introduxit. Ioannes etiam Chrysostomus in Synodo Episcoporum iniustè depositus ad Innocentium Papam prouocauit, & Sedi suæ restitutus est. Cùm Nestorius, Patriarcha Constantinopolitanus iam de hæresi suspectus, nec tamen adhuc depositus fuisset, Cœlestinus Papa in hanc formam ad Cyrillum scripsit: [Tu Ecclesiæ ipsius curam, prouidentiamque suscipias.] Leo I. Pontifex Marciano Augusto scribens, pœnas minatur Constantinopolitano Episcopo à Fide Catholica deuianti. Vigilius item Pontifex Theodorum Episcopum Cesareæ Cappadociæ, qui auctoritate nominis episcopalis abusus vniuersali Ecclesiæ scandala generare non cessabar, sacerdotio, & communione priuat. Menam Constantinopolitanum Episcopum, qui non dissimili culpa constringebatur, & reliquos Episcopos tandiù à sacra Communione suspendit, donec culpam propriam competenti satisfactione diluerent, de Ecclesia Constantinopolitana, quod dicunt, ait Diu. Gregorius lib. 7. indict. 2. epist. 64. quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem Ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.

Concilia etiam Oecumenica Romani Pontificis auctoritatem agnouerunt, atque in primis Nicænum illud celeberrimum Romanæ Ecclesiæ supra reliquas omnes Ecclesias eminentiam ostendit, cuius can. 39. asseritur Pontificem Romanum primum omnium esse, & maximum Episcoporum, [& vt à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesijs, cæterisque rebus ad Christum pertinentibus, Præfectus Principum Christianorum, Prouinciarum, & omnium gentium, Dominus & Rector erat, ità ille, cuius Principatus

Romæ est, Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet.] Socrates lib.2.cap.13. Sozom.lib.3.cap.9. Theodoretus lib.2. cap.22. Canon ille Ecclesiasticus ab antiquis Græcorum historicis valdè laudatur, qui vetat præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec ob aliud magis Ariminense Concilium iussu Constantij Imperatoris conuocatum, illegitimum, & irritum fuisse declaratum est, quàm quòd Episcopus Romanus ei minimè consensisset, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus inter cætera ob hoc crimen loco suo in Chalcedonensi Synodo motus est, quòd Synodum conuocare ausus esset sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam, (ait, act. 1. illius Concilij Lucentius Episcopus) licuit, numquam factum est. Sozom.lib.6.cap.22. Cum controuersia hæc, an Spiritus sanctus Patri, Filioque sit consubstantialis, in dies magis cresceret, Episcopus Romanus de ea certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis literas, vt vna cum Sacerdotibus, & Episcopis Occidentis Trinitatem, & consubstantialem esse, & gloria æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquieuerunt, hæcque controuersia finem habere visa est. Quid igitur est Græcam Ecclesiam, & Orientales, Pontificis Romani auctoritati occlamare, quàm sacrorum Conciliorum auctoritati, & toti antiquitati repugnare velle? Immò, & Imperatores omnes Orientis Catholici Romani Pontificis auctoritatem, & præeminentiam agnouerunt: cum Ioannes Pontifex Romanus Constantinopolim perrexisset ad Iustinum Imperatorem, occurrerunt ei à milliatio duodecimo omnis Ciuitas cum cereis, & crucibus, in honorem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quia veteres Græcorum hoc testificabantur dicentes à tempore Constantini, & à beato Siluestro Sedis Apostolicæ Episcopo, vsque ad Iustini tempora non meruisse partes Græciarum Vicarium beati Petri Apostoli suscepisse cum gaudio, & lætitia.

Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo humiliauit se pronus in terram, & adorauit beatum Ioannem Papam. Iustinianus cod.de summ.Trinit. cap. inter Claras: [Romanam Sedem esse omnium verè Ecclesiarum Caput, & Patrum regulæ, & Principum, inquit, statuta declarant.] In omnibus Concilijs eò celebratis, vt in vnionem redirent Græci cum Latinis, ipsi Græci post multas disputationes errorem suum agnouerunt, & in eamdem sententiam cum Latinis de Primatu Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ dignitate, ipsa veritate conuicti, venerunt, & quia toties ad vomitum redierunt, ideò non modò multis erroribus implicati sunt, immò & libertatem cum Imperio amiserunt, in Barbarorum potestatem venerunt, ac durissimæ seruituti mancipati sunt. Quòd si Græci Schismatici occlamarunt, non magis nos eorum, quàm Lutheranorum, aut Caluinistarũ remouatur auctoritas, neque enim, an occlamarint, sed an iure, vel iniuria considerandum est.

Nec defuerunt apud ipsammet canes fidi, qui & glissenti, & parietem fodienti, & perrumpenti, dum licuit, etiam vitæ periculo oblatrarent.

QVòd si in vitia, & mores hominum oblatrarunt aliquando, at non in primatum Petri, vel in doctrinam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ex personis pendenda non est, nam alioqui in verbum Christi, & institutionem Diuinam, quod isti faciunt, oblatrassent. Isti verò sunt, de quibus Diu.Ioann.Apoc.22; [Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium, qui oblatrare, atque obstrepere veritati ipsi numquam cessant.] Quòd si verò fidi illi canes adeò oblatrarunt, miror certè, qui fieri potuit, vt hostis Christi, sicut Pontificem isti appellant, potuerit Arcem Capitolinam tandiù occupare, Christiano Orbi iam tot seculis imponere. Liuius lib.5. Anno ab V.C. 365. Gallis Capitolium occupare conantibus parum abfuit, quin eo potirentur, cum tanto silentio in summum euasissent, vt non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem sollicitum animal ad nocturnos strepitus excitarent, at isti canes fidi glissenti, parietem fodienti hosti etiã vitæ periculo oblatrarunt: qui fieri igitur potuit, vt hostis ruinam panderet, inuaderet, ad summum niteretur.

Antichristus loco *Christi*, mendacium loco veritatis obtineret, tum clangore anserum, alarumque crepitu Romanis excitatis seruatum Capitolium, non potuerunt igitur fidi isti canes suis latratibus efficere, ne Rom. Ecclesia, adeòq; Catholica toto Orbe terrarũ diffusa, quæ cum Pontifice Romano communicabat, cuius longè maiorem, quàm arcis Capitolinæ Christum gerere putauimus, in potestatem Antichristi veniret, hoc certè mysterium est, quod nos minimè capimus. Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum. Venite eamus ad videntem, sed quis iste nunc videns, nisi Magnus Mornæus, vtpotè quem, vel supra hominum ingenium eruditio, nec non in toto, tamque magnis, & arduis perspecta virtus, ait ille, extrà communem doctiorum quorumcumque famam euexerunt, non alius igitur nobis ad tantam mysteriorum difficultatem explicandam consulendus.

Donec tandem colludente Clero Romano compos factus, omnia pro libidine agnes, ferens.

QVin & colludere toto Christiano Orbe Imperatoribus, Regibus, Principibus, ac Populis. Cum tantæ Molis olim fuerit Romanam condere gentem, sed longè difficilius negotium, Euangelicam legem Orbi promulgare, & Romanos Imperatores, Senatum, atque populum, & Barbaras nationes ad fidem Christo conuertere, longè maximum certè miraculum, quòd Pontifex, colludente

Cle-

Clero Romano in temporis momento potuerit antiquam illam Eccleſiam Sponſæ Chriſti non minimam partem euertere, reliquas ſimul in eandem perditionem quemadmodum Draco ille in Cœlo tertiam partem ſtellarum, trahere, tam ſubitæ mutationi conſenſerint Principes, atque totius Orbis terrarum, Eccleſiæ Orientis, atque Occidentis, quòd Romanum Pontificem, vt antiquitùs primæ Sedis Epiſcopum, & Principem Sacerdotum, agnouerunt, à libertate priſtina exciderit Eccleſia Romana cum omnibus Eccleſijs, quæ in illius communione hucuſque perſtiterint, & tamdiù in captiuitate iſta detineantur, Chriſtus non occurat Eccleſiæ ſuæ miſerijs, Antichriſtum illum non tollat: certè captiuitas antiqui illius populi per ſeptuaginta duntaxat annos durauit, deindè reſtituti ſuis ſedibus, reædificata Ciuitas, inſtauratum templum: quomodò igitur finit tamdiù ſub Antichriſto captiuum detineri populum Chriſtianum lauacro aquæ in verbo vitæ regeneratum, lotum in ſanguine ſuo, ac ſanctiſſimum illius nomen profeſſum? Quis verò primus ille Pontifex, qui colludente Clero Romano compos factus, omnia pro libidine egerit, tulerit, &c. fortaſſe iudicio Mornæi ille alter Piſiſtratus, qui dicendo tantùm valuerit, vt ti Regium quoddam Imperium, aut magis Tyrannidem Romana Eccleſia, immò Eccleſiæ omnes permiſerint, & licèt Solon ciuis patriæ amatiſſimus ex contraria parte niteretur, hoc eſt fidi illi canes, & gliſcenti, & parietem fodienti, & perumpenti oblatrarint, cum tamen diſertiores eſſent illius conciones, iſtorum ſalubriores, Eccleſia Romana cum cæteris, vt olim Ciuitas Athenienſium libertati ſeruiturem prætulerit: facilè mihi perſuadeo non aliud Mornæum intellexiſſe, at tyrannidem illam non diutius paſſa eſt Athenienſium Ciuitas, actì in exilium Piſiſtratidæ, ciues priſtinæ libertati reſtituti, quomodò igitur tamdiù non Eccleſia Romana tantùm, ſed & Chriſtianus Orbis paſſus eſt ſibi à Pontifice imponi, iugum ſeruitutis non excuſſit, de libertate recuperanda nihil cogitauit? hoc certè mihi mirum videtur.

Dominum Domini, & Augiæ ſimul ſtabulum, & Caci ſpeluncam fecit.

HErcules iſte certè deſiderabatur, qui Augiæ ſtabulum repurgaret, quod ſtrenuè cum Symmiſtis ſuis præſtitit, tot ſacras ædes Deo conſecratas euertens, non aliter quàm Pſeudo-Prophetæ Baal altaria, ne auitæ Religionis monumenta aliqua ſupereſſent: deſtruens Chriſtiana Sacramenta, vt Eccleſiam reformatam, & puriorem inſtituerent, abdicans, ſanctiſſimum Chriſti Corpus pedibus conculcans, Sacerdotes Domini quotquot occurrebant hoſtiliter perſequens, atque interficiens, in Chriſtianiſſimorum Regum, & Regni procerum dignitatem conſpirans, omnia miſcens, faſque, nefaſque confundens, & nunc non ad arma Turcis inferenda, vel ad dignitatem Chriſtiani Imperij aſſerendam Principes concitans, ſed ad Chriſtianum Orbem tædibus, atque incendio complendum Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem pacis inter Chriſtianos fouendæ cupidiſſimum inuitans. Hæc Augiæ ſtabuli repurgatio, hic tanto Hercule dignus labor.

Os Αygeioy pollin copron execathiren.

Vt exclamare iam liceat Iupiter. Num hunc nobis Herculem alterum genuiſti? Caci, inquit, ſpeluncam.

SCilicèt Romæ, & in Latio Pontifex omnia cædibus, & latrocinijs vaſtat, nouus Hercules Mornæus, iam neceſſarius eſt, qui Cacum ſtrangulet. Quis ferre poſſit iſtius non ſemihominis, ſed horrendi monſtri in ſanctam Eccleſiam Romanam, & Pontificem omnium Chriſtianorum Paſtorem, & Patrem horrendas blaſphemias, non verbis, aut argumentis, ità me Deus amet, ſed fuſtibus, & armis à Chriſtianis omnibus, ad quos tanta iniuria tedit iuſectandas, ac vindicandas.

Pios penè omnes, pietatem ferè vniuerſam miſerè oppreſſit.

QVemadmodum enim Caliſtus Papa ad Benedictum Epiſcopum ſcribebat, & Sixtus II. ad Gratum Epiſcopum, fides Eccleſiæ Romanæ omnes hæreſes deſtruxit, & cum omnes hæreſes in Eccleſiam Romanam, & Petri primatum ſeſe armauerint, è medio ſunt ſublatę, illa de omnibus ſuis hoſtibus mirabiliter triumphante: hoc ſcilicet eſt pios omnes, pietatem ferè vniuerſam oppreſſiſſe, non enim alia teſſera eſt pietatis Mornęo, aut piorum nota, quàm Pontifici Romano hoſtem eſſe infeſtiſſimum, & omnes ſuos conatus eò referre, vt Pontificis Romani Primatus, ac dignitas è medio tollatur, in eo rei cardo vertitur, non ſigno alio pius ab impio diſcernitur, non aliundè pietatis definitio petenda. Pij Albigenſes, Wicleſiſtæ, Lutherani, Caluiniſtæ, Huſſitæ, Anabaptiſtæ; neque enim quos Pontificios vocant, toto Orbe diſperſos vtriuſque hemiſpherij incolas perſequitur Pontifex, neque quam fidem profitentur, cuius primarius eſt aſſertor, & vindex, cuius profeſſores filiorum loco habet, ad quam redeuntes, non ſecùs, ac Pater ille filium prodigum libenter excipit. Conſtat igitur quos pios, & quam pietatem Mornæus intelligat.

Exinde tamen compreſſos bonorum gemitus paſſim erumpere videas.

NImirùm iſti perduelles diuinæ, & humanæ Maieſtatis rei, vbi omnia quantùm in illis fuit ferro, & cædibus compleuerunt, atque opulentiſſimis prouincijs intritum adferre tnixi ſunt, nec ipſi patriæ pepercerunt, hoſtes demùm meritò iudicati, quod ampliùs ſeruire non poſſint, gemere incipiunt.

Quòd ſi pij iſti, ac boni animo repeterent, quot turbas excitarint, in quæ pericula Chriſtianum Orbem coniecerint, quot crudeliſſimas cædes perpetrarint, quàm fœdè, & ſacrilegè Sacramenta diuina conculcarint, res ſacras prophanarint, ac certè cum immaniſſimis feris crudelitate comparandi eſſent, aut tot miſeriæ, quibus cauſam dederunt, lachrymas illius excuterent, non ſecùs, ac Baſſianum Imperatorem, ferunt, quoties aut mentio fieret, aut imagines videret Getæ fratris, quem occiderat, lachrymari ſolitum.

Narrat Athanaſius in vita ſancti Antonij, Deum illi per viſionem reuelaſſe, quæ mala ab Arriana hæreſi impenderent, ob quæ cùm gemeret, à diſcipulis, quæ eſſet cauſa luctus, interrogatus, reſpondit: [Magnum quiddam, & vniuerſis ſeculis inauditum imminet nefas, & magno fides Catholica turbine ſubuertetur, & homines iumentis ſimiles Chriſti Sacramenta decipient. Vidi enim Altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia diſſipabant. Hæc eſt cauſa gemituum meorum, quos audiſtis.

Et facta eſt vox Domini, dicens: [Abominabitur Altare meum:] nec mora viſionem ſequitur effectus, nàm poſt annos duos ſæua Arianorum irrupit inſania, tunc Eccleſiarum fuerunt rapinæ, tunc Diuinorum temerario vaſorum poſt, proh ſcelus, horret animus replicare, quæ geſta ſunt, virginum, matronarumque ereptus pudor, ſanguis ouium Chriſti in Chriſti Templo effuſus, veneranda reſperſit Altaria, Baptiſterium pro voluntate Gentilium pollutum eſt, nihil defuit, viſionis veritatem monſtrat effectus, quòd calcitrantium mulorum indiſciplinatio Arianorum eſſet impietas.

Eadem Nicephorus lib. 9. cap. 33. & 34. Socrates lib. 2. cap. 34. & ſeqq. Sozomenus lib. 4. cap. 9. 10. & 11. An non ſpiritus Arij, & furor ille Arianorum in Mornæo, & illius Symmiſtis reuixiſſe videtur? an non eadem mala Galliæ, & alijs Regnis à modernis hæreticis illata, quæ tunc temporis ab Arrianis impendere, Deo reuelante, cognouerat ſanctus Antonius? Ægyptij Epiſcopi epiſt. ad Marcum Papam pro accipiendis Nicæni Concilij decretis. [In tantùm, inquit, Arriani noſtra vaſtauerunt, vt nec libros, nec veſtimenta Eccleſiaſtica, aliaque ornamenta, atque vtenſilia nobis dimitterent, libros verò noſtros vſque ad minimum incẽdentes, nec iota relinquentes, propter veritatis fidem etiam Nicœnam Synodum, qua modò Clerus, & populus imbuebantur, & maximè iam imbuti erant in contumeliam noſtram, & omnium Chriſtianorum incenderunt.] Idem conqueruntur factum, & Patres Concilij Sardicenſis epiſtola miſſa ad omnes Epiſcopos ſub eodem tempore. Et Baſilius magnus orat. in Gordium martyrem. [Domus orationis prophanorum manibus vaſtabantur, aræ ſanctiſſimæ euertebantur, nec erat oblatio vlla, nec tymiama, diuinæ rei nullus erat iam locus ampliùs relictus, cuncta mœror ingens, velut diffuſa caligo occupabat, Sacerdotum Collegia fugabantur, ſacer omnis conuentus cladem inſolitam expaueſcebat, dæmones verò tripudiabant, & ardore, ac ſanguine victimarum infecta cuncta dabant.

Eadem deſcribit patrata facinora Chryſoſt. orat. in Iuuentium, & Maximum martyres, altaria ſubuerſa, clauſas Eccleſias, Sacerdotes fugatos, fideles omnes in exilium actos. Legi poteſt, & Gregorius Nazianzenus, orat. 23. in laudem Heronis, & orat. 25. de Arrianis: & de ſeipſo. Conferantur illa tempora cum noſtris, an non eadem prorsùs redijſſe videntur, & Ariani in Mornæo, ac ſuis Gregalibus reuixiſſe, nonne iſti Sacerdotibus Domini, ſacroſanctæ Euchariſtiæ: quam Angeli ipſi tremebundi adorant, irreconciliabile bellum indixerunt? An non Donatiſtarum ſimiles: quos ità alloquebatur Optatus ille Mileuitanus? Quid tam ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus, & vos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere, in quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt, quo Deus Omnipotens inuocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus, vndè à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt? Poſt. Quid eſt altare niſi ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti? Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari conſueuerat? Quid vos offenderat Chriſtus, cuius illic per certa momenta corpus, & ſanguis habitat? Ergo & fregiſſe vos, & raſiſſe conſtat altaria. Quid eſt, quòd in hac re veſter quaſi languore viſus eſt furor? Videmus enim vos poſteà mutaſſe cõſilium, & altaria à vobis iam non frangi, ſed radi tantummodo, aut remoueri: ſi hoc ſufficiebat, illa quæ priùs *facta ſunt, ex his iudicatis*, quia minimè debuerunt fieri à vobis. Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam Calices Chriſti corporis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas, mercedem nefarijs nundinis prouocantes; ad quam nec emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis. Poſt. Emerunt forſan in vſus ſuos ſordidæ mulieres, emerunt pagani, facturi vaſa, in quibus incenderent idolis ſuis, o ſcelus nefarium! ò facinus Inauditum. Auferre Deo, quod idolis præſtes; ſubducere Chriſto, quod proficiat ſacrilegio.] Atque hæc quidem fuſiùs, vt quàm mirificè conſpirent boni iſti, quorum compreſſos gemitus paſſim erumpere videas cum antiquis illis hæreticis, faciliùs intelligas.

An non enim, & ſacrilegia Donatiſtarũ æmulati ſunt egregiè in pleriſque Europæ Prouincijs Eccleſiæ iſtius reformatæ, ac primotis primi auctores magni iſtius Mornæi Symmiſtæ? ſi reformata hæc Eccleſia, & Arrianorum vtique erat Eccleſia reformata, & Donatiſtæ meritò ſibi nomen Eccleſiæ vindicabant: hæretici illi patres, qui ſeſe ſtrenuè Arrianis, & Donatiſtis oppoſuerunt, hæreticea illa Concilia, quibus Arriani, quibus Donatiſtæ toties proſcripti, ac condemnati, ità & nunc hæretici Pontifices, Epiſcopi, diuinarum literarum, ac ſacræ Theologiæ profeſſores, qui ſeſe Lutheri, Caluini, Mornæi, nefandis, ac ſacrilegis dogmatibus oppoſuerunt.

Inter hæc mulieris, à Dracone fugientis, columbæ nostræ, purioris Ecclesiæ, querulos accentus audias.

IN manifestissimis scripturarum testimonijs Ecclesiam toto Orbe diffusam isti non vident, vt ex obscuro scripturæ testimonio suam confingant. An verò si mulier illa à Dracone fugiens Ecclesia Christi est, ideò Ecclesia, quam nobis fingit Mornæus, venit intelligenda? An non & nostra Ecclesia rectè intelligitur, quæ nonnunquam ob sæuas persetiones in aliquot locis latitare cogitur, & sub finem seculi regnante Antichristo grauissimam passura est persecutionem, vt solitudines, & latibula sit quæsitura? Columbæ etiam nomine Ecclesiam in Canticis Canticorum significari non diffitemur, & certè Patres, & Scripturæ illius interpretes, sub nomine Sponsæ, quæ columba dicitur, Ecclesiam voluut intelligi, quibus tamen hæc purior, & reformata Ecclesia nunquam innotuit, atque si notas illas spectemus, vndè veram Christi Ecclesiam dignosci voluerint, nulla planè est, quæ in istam puriorem, quam vocant, quadret penitùs: Verùm quemadmodum Hebræi fingunt habere se quoddam in Æthiopia imperium, aut intra Montes Caspios, quod tamen omninò commentitium est, ne sibi videantur esse sine Regno, & quod consequens est, ne prophetias de Regno Dauidis æterno ad spirituale Christi Regnum referre cogantur, ità necesse habent isti perfidi magis, quàm Iudæi ne veram esse, & vnicam Christi Ecclesiam fateri cogantur, quæ toto terrarum Orbe diffusa est, cùm conuincantur manifestissimis scripturæ testimonijs, fingere sine vllo fundamento puriorem quamdam, & reformatam Ecclesiam.

Vestigia nonnunquam auolantis licèt à persecutorum facie agnoscas.

SCilicet ruinæ sacrarum ædium, prophanationes sacrorum locorum, euersiones altarium, conculcatio Sacramentorum, pluribus locis ablagatio iugis sacrificijs, purioris illius, & reformatæ Ecclesiæ sunt vestigia, & quòd de persecutione conqueritur, quam passa est ista reformata Ecclesia, occurrit hoc loco, quod aliquando Parmeniano de iniusto suorum supplicio expostulanti respondit Augustin. lib. 1. contra epist. Parmeniani cap. 7. [Quid non isti, inquit, iustè patiuntur, & meritò criminum, & ordine potestarum? priùs enim probent se non esse hæreticos, vel schismaticos, tum demùm de indignis pœnis suis liberam emittant vocem, tum demum se se audeant, cum mali aliquid patiuntur, nouitatis martyres dicere:] Hoc idem certè, & aduersùs querelas, atque inanes voces istorum reformatorum licet vsurpare, qui cum totius Christiani Orbis auctoritate maiestatis diuinæ, atque humanæ rei manifestissimè conuincantur, audent tamen se iniustè à persequentium turba inarari, proscindi, semio brui, subindè vociferari.

Hos inter Salmonea Paparum tonitrua ægrè exaudiendos, & crepitantibus vndique flammis interceptos, tamquam in Phalaridis tauro, in Monachorum scriptis, in aduersariorum ore, ne piorum supplicijs ingemiscas, in mugitum versos.

SCilicèt excommunicationes latè in hæreticos, & schismaticos pro potestate Petro, & successoribus tradita Salmonea sunt tonitrua, à Christo ipsi Petro dictum est, [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cœlis.] Per an verò hanc ligandi potestatem dumtaxat Petro, & non etiam illis successoribus quamdiù duratura erat Ecclesia commissam dicemus? fulmen cœleste est, & non imitatio quædam illius fabulosa Pontificis in perduelles sacræ Religionis excommunicatio, nec verò deridenda, aut contemnẽda tamquã Salmoneum quoddam tonitruum 11. 43. cap. nemo, citantur verba Chrysostomi, [nemo contemnat Ecclesiastica vincula, non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris, & verba Diui Augustini. Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur Sathanæ traditur, quomodo quia scilicèt extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur, & nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi, si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, non vegetatur Spiritu eius.]

Quisquis autem, inquit, Apostolus Spiritum Dei non habet, hic non est eius. Non modò Pontifices, sed & sacra Concilia sententiam anathematis in Hæreticos pronunciarunt.

Quòd si hæreticus non est Mornæus, sed temerè talis iudicatur, quid frustra de sententia excommunicationis in omnes hæreticos lata conqueritur? eadem causa, & quæst. cap. temerarium, recitantur verba Diui Augustini. [Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur, ei autem, qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est, vt noceat, &c. quid obest, inquit, homini, quòd ex illa tabula vult eum delere humana ignorantia, si de libro viuentium non deleat iniqua conscientia?] Neque enim nominatim vmquam, aut in Mornæum, aut illius Symmistas sententia lata excommunicationis: si verò Mornæo Papa ipse Iupiter est Capitolinus, quomodo ergo Salmoneus? qui flammas Iouis, & sonitus imitetur Olympi. An non verò iste iuxta Hesiodum. *Salmoneys adicos cai yper thymos peri eiri.* Plenus factu, ac nescius æqui, & præ nimia superbia Iouem ipsum, ac illius fulmen contemnat. Pontificem, traditas illi claues Regni Cœlorum, ac ligan-

ligandi potestatem præ nimia superbia despiciat, sed vidit Virgilianus ille Æneas apud infesos crudeles dantes Salomonea pœnas, quæ scilicet, & sacrilegum istum eadem maneant; Monachorum scripta in se, & Ministros reformatæ suæ Ecclesiæ Phalaridis tauro comparat, in quem immissi damnati, Ignoque subiecto bouis mugitum edebant: ac certè nisi pia esset Mater Ecclesia, & Christiani Principes, vt olim Reges Israel clementes essent, aut iuxta criminum atrocitatem; & mala, quæ per hæreses in Rempublicam inuehuntur, pœnas de facinorosis exigerent isti Christianæ Reipublicæ parricidæ, in Phalaridis taurum potiùs inijciendi, quàm Monachorum scriptis reuincendi essent, quorum tamen in scribendo, ac istos confutando animus à Phalaridis atrocitate tantùm distat, quantùm à sanguinario hoste vitæ crudeliter inhiante medicus, qui ægrotum sanare velit,

Rogas tu igitur tot retrò seculis vbinam Ecclesia nostra? vbi pascat, vbi cubare faciat in meridie?

QVæ sit reformata hæc Ecclesia, & vndè prodierit, ex quo Mari emerserit, ex qua terra germinarit, meritò quærimus, ex quibus prætereà hominibus constans, nec enim Ecclesiæ nomine intelligendum, quid imaginarium, velut Respublica quædam Platonis, quæ magis animo concipiatur, quàm in rerum natura existat: aut quoddam ens rationis fabricatum ab intellectu; nec enim Christus Dominus descendit in terras, aut verbum caro factum est, vt fabricaret entia rationis; intelligenda igitur collectio hominum sub vno, eodemque Pastore ex toto Orbe congregatorum, vt sit vnum ouile, & vnus Pastor, in vnam, & eamdem fidei doctrinam conspirantium, iisdem prætereà sacramentis initiatorum, ac sanctificatorum: si verò detur reformata ista, & purior Ecclesia; ex hominibus reformatis, & purioribus certè constabit, sed apostatis ab Ecclesia, quam Catholicam, Apostolicam, Romanam, dicimus. An verò Christus quemadmodum repudiata olim Synagoga, & reprobatis Iudæis, Ecclesiam in terris ex omnibus gentibus, prout eloquia prophetarum futurum præsignificabant, ædificauit: ità nunc reprobata veteri; quæ Pontificem Romanum Pastorem vniuersalem agnouit, & ex varijs charismatibus, vt Episcopis, Sacerdotibus, & Diaconis constabat, ac repudiato Orbe terrarum nouam superinduxerit ex Mornæo, & illius Symmistis constantem? An decepti Prophetæ, Apostoli, sacrosancta Concilia, tot Pastores, & Doctores Ecclesiæ, quibus semper persuasum fit Ecclesiam Christi conspicuam, & illustrem fore toto Orbe terrarum, nullis locis, aut temporibus circumscribendam, æternum fore illius Regnum, portas inferi non præualituras aduersùs eam, super Petrum ædificatã, nec fore alterum illius statum ab eo, quem ab initio ordinauit Christus? aut certè duplicem Ecclesiam statuant, necesse est, veterem quidem, sed in quam irrepserint multi errores, & vitia, & quæ non modò ex iustis, sed ex peccatoribus constet, alteram verò reformatam, & puriorem, quæ sit sine macula, & ruga, ac constet dumtaxat ex hominibus iustis, & prædestinatis, & quidem non communi cum cæteris, sed eximia quadam prædestinatione, vt illis etiam certò de illa constet, vt quemadmodum varia sunt Religiosorum in Ecclesia instituta, vt alij laxiorem, alij strictiorem viuendi rationem sequantur, ità de Ecclesia sit sentiendum: cum tamen Christus dicat, vnum fore ouile, & vnum Pastorem, vocet eam Regnum Cœlorum, quod simile sit decem Virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis: eam comparet sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti: eam magnam domum vocet Apostolus; in qua sunt vasa aurea, & argentea, lignea, & fictilia, quæ certè loca Ecclesiæ reformatæ, & purioris ex hominibus dumtaxat iustis, & electis constatæ, accomodari non possunt, sed rectè nostræ.

Nostra igitur, non illorum, Christi est Ecclesia, vocat eam Christus vnicam dilectam suam, vnicam columbam suam: Vndè rectè Cyprianus epist. 75. de Nouatiano hæretico, ad Magnum. [Ecclesia, inquit, vna est, vt cantic. 4. & 6. demonstratur, quæ vna, & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Concilium non fuit. Si verò apud Concilium fuit, & qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, & quem præter Sacerdotij honorem Martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta nemini succedens à se ipso ortus est. Habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest; qui ordinatus in Ecclesia non est.]

Et libro 2. epistola 21. ad Cornelium: [Hoc vel maximè frater, & laboramus, & laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam; quantum possumus, obtinere curemus, & quod in nobis est, palabundas, & errantes oues, quas quorumdam petulcax factio, & hæretica tentatio à Matre secernit, in Ecclesiam colligamus, illis solis foris remanentibus; qui in obstinatione sua, vel furore perseuerarunt, & ad nos redire noluerunt: discretionis, & separationis à se factæ, & Ecclesiæ derelictæ ipsi rationem Domino reddituri.]

Ex quibus Cypriani locis constat, si apud Mornæi Symmistas est Christi Ecclesia, quam reformatam, & puriorem appellant, minimè apud nos esse, neque apud maiores nostros, quibus in eadem fidei doctrina successimus, Ecclesiæ Christi membra fuisse.

Verùm si quæ credita est ab omnibus Christianis superioribus seculis Christi Ecclesia, conspicua illa, & celebris toto Orbe, non erat tamen, sed communis error, omnes, qui Christianum nomen profitebantur, occupauit, vt putantes se in luce ambulare, palparent in tenebris; apud quos quæso, erat Christi Ecclesia, aut vbinam tot retrò seculis illa reformata, quæ certè non aliter intelligi, aut definiri potest, quàm per apostasiam; & defectionem ab Ecclesia Romana.

Vndè constat nos Cypriani Episcopi, & Mat-

& Martyris sanctissimi consilium sequi, qui in ea Ecclesia persistamus, quam nostri maiores vnicam Christi Ecclesiam agnouerunt, & cum qua, de suo titulo, & possessione reformata ista purior Ecclesia contendit.

Mornænm verò, & reliquos huiusce temporis sectarios notat Cyprianus, qui in obstinatione sua, & furore perseuerent, & ad nos redire nolunt; ideòque separationis à se factæ, & Ecclesiæ derelictæ rationem sint reddituri.

Audi sodes, dicitur à Ioanne Euangelista mulier illa Ecclesia à facie Draconis in eremum, in solitudinem fugisse, vbi locus ei à Deo paratus, in quo pascatur diebus mille ducentis sexaginta, Prophetis nempè definito spatio, nec eo quidem breui.

QVemadmodũ refert Iosephus l. 13. antiq. c. 6. Onias Ouiæ Pontif. filius, qui profugus Alexandriæ degebat apud Ptolomeum Philometorem, videns Iudæam vastatã à Macedonibus, eorumque regibus, & sibi æternam memoriam parare volens, decreuit à Rege Ptolomæo, & Regina Cleopatra per literas petere, vt sibi liceret in Ægypto instar illius Hierosolymitani templum ædificare, & in eo Leuitas, & Sacerdotes ex suo genere constituere. Hoc autem Consilium cępit fretus maximè Prophetæ Isaiæ vaticinio, qui ante 600. amplius annos prænunciauerat forè, vt templum aliquando Deo Maximo ædificaretur in Ægypto, idque hominis Iudæi opera, nam Isa. vates prædixit 19. quòd erit Domino Deo sacrarium in Ægypto. Certè Onias in prauum sensum detorquebat Isaiæ locum, cùm expressissimè Petro per Moysem præcepisset ne alibi quàm in loco, quem elegisset, liceret templum ædificare, sacrificia offerre, aut immolare, & longè alius erat sensus Prophetæ, quemadmodum interpretatur D. Augustinus lib. de vnit. Eccles. cap. 14. de Ecclesia Christi, quæ fuit in Ægypto in multis millibus seruorum Dei, qui per Eremum sancta societate viuebant, perfectionem præcepti Euangelici studentes tenere, de qua dictum est, si vis perfectus esse, vade, &c. Euseb. lib. 1. de Demonstrat. Euang. cap. 4. hoc testimonio vtitur contra Iudæos, quòd Moses altare Domino, & sacrificia nusquam terrarum, nisi in sola Iudæa fieri cauerit, adeòque in vna sola Iudeæ vrbe, templo Hierosolymitano: hæc prophetia altare Domino futurum dicit in terra Ægypti, non ergo hoc futurum docet legislatione Moysis, quia id ne fieret, cautum erat, sed legislatione Christi, translato igitur sacerdotio, necesse erat legis translationem fieri, si est altare Domino in Ægypto, & sacrificant Ægiptij, sunt Sacerdotes Ægyptij, noua igitur legislatio hæc est, & nouum Testamentum. Idem argumentum persequitur & lib. 1. cap. 35. & lib. 6. cap. 20. & lib. 9. capit. 2. Hoc oraculo vehementer vrget Iudæos.

Non dissimili consilio ab Onia illo Mornæus contra expressissima scripturarum testimonia, quibus vnica futura Ecclesia in gentibus conspicua, & illustris prædicebatur, extra quam nemini sacrificium, oratio, aut etiam Sacramenta ipsa prodessent ad salutem, in sententiam longè alienissimam, locum detorquet Apocalypseos, vt suam nobis reformatam, & puriorem Ecclesiam obtrudat. D. Ioannes eo loci ex consensu omnium interpretum magnitudinem, & sæuitiam persecutionum Antichristi prænunciauit, quarum timore magna pars fidelium ad deserta confugiet, donec finiatur regnum Antichristi, atque id exemplo primorum martyrum, quos ad deserti latibula se recepisse, mortemque ad tempus euasisse constat, illud enim cornu, est præuisum à Daniele cap. 7. [Quod faceret bellum aduersùs sanctos, & præualeret eis, donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti. Et de illo cornu subiungit, sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret. Et putabis quòd possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis,] quæ significata à Ioanne ibidem per dies mille ducentos sexaginta, per quos significantur tres anni cum dimidio, quibus regnaturus est Antichristus. Et hanc persecutionem significauit Christus Matth. 24. [Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò neque fiet:] quam & propter electos dicit forè breuiandam, cum ergo mulier illa à Dracone in solitudinem fugiens trium tantùm annorum cum dimidio persecutionem passura esset: quomodo per eam intelligi potest reformata, & purior Mornæi Ecclesia, quam tot iam seculis in deserto latuisse volunt à Romano (vt aiunt) Antichristo, saltem à tempore Bonifacij tertij perpetuò conculcatam, & oppressam, poterit itaque mulier illa forcasse statum Ecclesiæ sub Antichristo, illiusque grauissimam persecutionem, sed paucorum annorum spatio duraturam, significare.

Verùm tot iam seculis Ecclesiam quamdam reformatam, & puriorem in deserto latitantem nullo modo significare potest, siquidem id ex diametro apertissimis, & luculentis Christi verbis repugnat, qui nos præmonuit, ne Ecclesiam in deserto quæreremus. Si dixerint vobis. [Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere.] Mornæus mille ducentos sexaginta dies propheticos interpretatur, nempè definito spatio, nec eo quidem breui, verùm nos definitum illud tempus à Ioanne ad literam, & historicè interpretamur, siquidem re ipsa venturus est Antichristus, persecuturus sanctos, & Regnum illius breui duraturum. An verò, quia Pontifico spiritu à Ioanne id prædictum, ideò non ad literam, & historicè complendum? verùm vt amplius istos vrgeam, quo quæso Dei verbo nituntur, aut vnde nobis probant Ecclesiam suam reformatam esse illam mulierem, quæ in Apocalypsi dicitur fugere à Dracone in solitudinem? nam & nos rectiùs, & veriùs nostram Ecclesiam interpretamur, quæ tam sæuam persecutionem sub finem mundi passura sit sub Antichristo, vt ideò in deserta & solitudines se receptura sit, & quæ in aliquibus etiam Christiani orbis partibus hæretica

tica peste infectis tnt, tantasque persecutiones patirur, vt latibulis subindè opus babeat..

An quando sub Christianis, & Catholicis Imperatoribus Ecclesia per totum Romanum Imperium maxima libertate fruebatur, ac hæreses persequebatur, apud Persas verò illic præualente Idololatria persecutionem patiebatur, hæresis Arriana, vel alia quæuis erat Ecclesia Christi significata per mulierem illam Apocalypseos, quæ in deserrum sese reciperet, & non magis Ecclesia Christi, toto orbe etiam apud Persas diffusa, sed quæ illic lateret, & in solitudines præ nimia persecutione recipere se cogeretur? quomodo verò Mornæus vult Ecclesiam suam significari per mulierem illam, quæ in solitudinem se receperit, vt ibi pascatur à Deo, cum non priùs auditum sit in Gallia, aut alibi locorum nomen reformaræ istius Ecclesiæ, quàm exercitus potentissimi educti in aciem, diruta templa Deo dicata, altaria destructa, conculeata Sacramenra, direptæ vrbes, interfecti Sacerdotes, & Monachi, conspiratum in regem, & regni perniciem. Hæccine Christi Ecclesia reformata illa, & purior, quam Ioannes in sacra Apocalypsi sub nomine mulieris à Dracone in desertum fugientis significare nobis voluerit?

Non igitur illa nobis in Papatu, in luce mundi inter luxum illum, & fastum inuenienda, inuestiganda.

SCilicet apud Ægyptios in tenebris, non apud posteros Abrahæ, in clarissima luce nobis illa inuestiganda, an non verò apertè contradicit locus Apocalypseos ipsi Mornæo, quem tamen pro sua Ecclesia reformata, citat? nam Ioannes signum illud magnum, quod apparuit in cœlo, nempè mulierem illam, per quam Ecclesia significatur, dicit amictam Sole, & lunam habere pedibus subiectam. Eusebius Emiss. Conc. de Dominica 3. post Pascha. [Ea mulier ne ertem, Ecclesia est, quæ Sole amicta esse idcircò dicitur, quod ad videndum, tam clara sit, tantoque splendore fulgeat, vt lucis suæ radios in omnes terræ partes, atque oras diffundat, vt nemo sit, qui eam videre nequeat, nisi vltrò oculos claudat mentis, & clara, atque aperta in luce caligare velit?] longè certè aliud docent Patres, quàm Mornæus. Orig. homil. 30. in Matth. [Ecclesia, inquit, plena est fulgore ab Oriente vsque ad Occidentem.] Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ. [Ecclesia Domini luce perfusa radios suos per orbem terrarum porrigit.] Chrysost. in cap. 4. Isaiæ: faciliùs est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.] August. tract. 2. in epist. Ioan. [Quid ampliùs dicturus sum? quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt,] lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 3. [Palpant in meridie quasi in media nocte, quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam, (de Ecclesia loquitur,) in lucem omnium gentium constitutam videre non possunt,]

Quomodo verò est ciuitas illa super montem posita, quæ abscondi non potest si non in luce mundi inuenienda, & inuestiganda? Quod August. lib. de vnit. Ecclesiæ capit. 14. & alibi de Ecclesia exponit, quomodo ergò Christus posuit in sole tabernaculum suum, hoc est, in manifesto Ecclesiam suam? Ità enim interpretatur idem Augustinus epistola 166. ad Donatistas, hortans illos ad vnitatem Ecclesiæ: [in sole, inquit, posuit tabernaculum suum: ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota vsque ad terminos terræ,] & tract. 2. in epist. Ioan. [In sole posuit tabernaculum suum, idest in manifesto. Tabernaculum eius, caro eius, tabernaculum eius, Ecclesia eius, in sole posita est, non in nocte, sed in die, in Psalm. 18. in sole posuit tabernaculum suum, idest in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum, quid tu hæreticè fugis in tenebras? Quid latitare conaris?] lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 32. Cum datus est Spiritus sanctus in die Pentecostes, vt illi, quos impleuerat, linguis omnium loquerentur. [Omnes, inquit, gentes credituras, ac sic in omnibus linguis futurum Euangelium illud tunc miraculum portendebat, quod & in Psalmo tanto antè prædictum est. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Hoc propter eos dictum, qui Spiritu sancto accepto linguis erant omnibus credituri, locuturi, sed quia id ipsum in omnibus gentibus, & *linguis futurum* Euangelium, & corpus Christi per totum orbem terrarum linguis omnibus personaturum significabat, secutus ait. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hinc fit, inquit, vt Ecclesia vera neminem lateat. Vnde est illud, quod in Euangelio ipse dicit, non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Ideòque in eodem Psalmo connectitur. In sole posuit tabernaculum suum: id est in manifestatione, sicut in regum libris legimus dictum. Quod tu in occulto fecisti, patieris in sole.]

Atque sæpius contra Donatistas ostendit, Ecclesiam ità prænunciatam in scripturis, vt per totum orbem diffundenda esset, siquidem in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicendæ erant omnes gentes, hoc est ad gratiam Euangelij vocandæ. Quorsum verò illa spectant, [postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente vocabo te. Dicam Aquiloni da, & Astro, noli prohibere, & Deus Israel Deus vniuersæ terræ vocabitur,] & alia innumera eiusmodi loca: quomodo ergò poterat latere nec inueniri in luce mundi? quomodo non Ecclesia Christi ea, quæ in omnibus gentibus pastorem supremum Pontificem Romanum agnoscit, vt Petri Principis Apostolorum successorem, & Christi Vicarium? Quomodo purior, & reformata, quam fingit Mornæus, Christi erit Ecclesia prædicta, ac præmonstrata à Prophetis, (quorum oracula omnia eo conspirant, vt Christum, & illius Ecclesiam agnoscamus) cum ea nupera, illius nomen hacte-

hactenus inauditum, & præterea ne exteris quidem vicinis nota ſit, nullis autem nota vt non eo damnata? Quis neget D. Auguſtinum & Patres Antiquos nouiſſe, & nos docuiſſe, quæ eſſet vera Chriſti Eccleſia, & tamen neque ex auctoritate Patrum, neque ex ſcripturis Prophetarum, aut Apoſtolorum, quandoquidem verbum Dei ſemper habent in ore, vnquam oſtendent hanc reformatam, & puriorem, quam comminiſcuntur Eccleſiam, aliquid cum ea, quam ex ſcripturis Prophetarum,& Apoſtolorum veram eſſe Chriſti Eccleſiam, Patres agnouerunt, habere commercij. At Diuus Auguſtinus, & Patres, dicent, multa ignorarunt. Ità enim Caluinus in præfat. ſuæ inſtitut. ad Regem Galliæ. [Cùm multa præclarè, ac ſapienter ab illis Patribus ſcripta ſint, in quibuſdam tamen ijs accidiſſe, quod hominibus ſolet, hoc eſt, vt multa ignorarint, ac ſubinde ſcribendo errauerint, uſque eorum tantùm lapſus, & errores adorare.] Poſt, [multa ignorarunt ſancti viri illi, ſæpè inter ſe confligantur, interdum etiam ſecum ipſi pugnant.] Ibidem, [ſic in eorum ſcriptis verſamur, vt ſemper meminerimus omnia noſtra eſſe, quæ nobis ſeruiant, non dominentur.]

Vbi hominis arrogantiam, atque impudentiam notare licet, quid enim hoc aliud eſt, quàm velle pro libito de doctrina Patrum ſtatuere, eoſque ſibi non ſe illis accommodare? vnde verò niſi ex Scripturis ſacris, vbi & apud quos inuenienda, inueſtiganda eſſet Eccleſia, Auguſtinus, & alij Patres docuerunt? [Non audiamus hæc dico, hæc dicis, vt ſcribit contra Donatiſtas diſputans, ſunt certè libri Dominici, quorum auctoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus, vtrique ſeruimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.] Poſt. [Nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari, ſi enim ſanctæ Scripturæ in Aphrica ſola deſignarunt Eccleſiam, & in paucis Romæ Rupitanis, & Montenſibus, & in domo, vel patrimonio vnius Hiſpanæ mulieris, Lucillam intelligit, cuius opibus plurimùm adiuta Secta Donatiſtarum, quicquid de Chartis alijs aliquid proferatur, non tenent Eccleſiam, niſi Donatiſtæ, ſi in paucis Mauris Prouinciæ Cæſarienſis eam ſancta Scriptura determinat: ad Rogatiſtas tranſeundum eſt: ſi in paucis Tripolitanis, & Byzacenis, & Prouincialibus, Maximianiſtæ ad eam peruenerunt. Si in ſolis Orientalibus, inter Arrianos, & Macedonianos, & Eunomianos, & ſi qui illic alij ſunt, requirenda eſt, quis autem poſſit ſingulas quaſque hæreſes numerare gentium ſingularum.] Ità ſi in ſolis Europæ aliquot partibus: certè apud Lutheranos, Caluiniſtas, Mornæi gregales, Zuinglianos, Anabaptiſtas, Huſſitas inuenienda, inueſtiganda erit, [ſi autem Chriſti Eccleſia, vt ſubiungit Auguſtinus, Canonicarum ſcripturarum diuinis, & certiſſimis teſtimonijs in omnibus gentibus deſignata eſt, quicquid attulerint, & vndecumque recitauerint, qui dicunt, ecce hìc Chriſtus, ecce illic, audiamus potiùs, ſi oues eius ſumus, vocem paſtoris noſtri dicentis, nolite credere. Illæ quippè ſingulæ in multis gentibus, vbi iſta eſt, non inueniuntur: hæc autem, quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt, inuenitur.] Ergo in Scripturis ſanctis Canonicis eam requiramus.

Quæ ſi expendantur an apud nos, an verò apud Mornæum, & ſuos Eccleſia Chriſti inuenienda; inueſtiganda, facilè conſtabit, ſi quidem noſtra Catholica, toto terrarum Orbe diffuſa in luce Mundi conſpicua, prout oraculis Prophetarum futura prænunciata erat. In qua verò Eccleſia erat Auguſtinus? an in parte Donati, vel Pelagij, vel Arrij, aut ſi quæ aliæ rum temporis vigebant hæreſes, an verò in ea Eccleſia, quæ toto Orbe terrarum diffuſa, cum Pontifice Romano communicabat, in qua erat conſenſus populorum, atque gentium: & à Sede Petri vſque ad Anaſtaſium rum Romanum Pontificem continua ſucceſſio Sacerdotum? An non ſi nunc viueret Auguſtinus Eccleſiam iſtam reformatam, & puriorem eodem loco haberet, quo tunc Donatiſtas, qui vtique eum Cæciliano, & Epiſcopis Catholicis communicare nolebant, Eccleſiam perijſſe de Orbe terrarum mentiebantur, & apud ſe ſolos remanſiſſe gloriabantur, quemadmodum & nunc Mornæus, & ante illum Heroes illi Lutherus, Zuinglius, Caluinus, ſibi ſolis Eccleſiæ nomen, & poſſeſſionem vendicarunt? An non, & nunc eam veram eſſe Eccleſiam Chriſti doceret, in qua à Sede Petri vſque ad Paulum Quintum, ſit continua ſucceſſio ſacerdotum, vt non alibi, quàm in Papatum, quàm in luce Mundi iuxtà manifeſtiſſima Prophetarum oracula inuenienda, inueſtiganda illa ſit? Rectè quidem Mornæus Eccleſiam ſuam non in Papatu, non in luce Mundi inueniendam ſcribit, ſiquidem illic non veram, qualem nos ſuper Petrum à Chriſto ædificatam, nec alibi quàm in Papatu inueniendam, ſed fictitiam, atque nullam, qualem omnes habere apud ſe eſſe mentiuntur, ſibi inueſtigandam proponit.

Dicitur, & Draco ille, planon tin icumenin olin, *qui ſeducit totum Orbem habitabilem, ira intumeſcere, mulierem perſequi, quo totam deglutiat, ingens flumen effundere, datas verò tum mulieri duas alas ingentes aquilæ, vt in eremum volaret.*

Hoc eſt, quod initio ſacræ Geneſeos c. 3. legimus Deum dixiſſe ſerpenti, [ponam inimicitias inter te, & mulierem ſcilicet ſerpentem, ſeu diabolum, & Eccleſiam, verùm ipſa contritura erit caput illius.] An non Sathan irreconciliabile bellum Eccleſiæ indixit? ideòque tot hæreſes vbique gentium in Orbem induxit: & magnum illum Mornæum, ſiquidem excellens in excogitandis impoſturis ingenium, ac præclara illa, quàm in ſcribendis tot erroribus oſtendit eruditio, hoc illi cognomen apud ſuos pepererunt, quis impulit ad ſcribendum tam impium, & infame opus, & ad euomendas tot blaſphemias contra ſummum Pontificem, & Romanam Eccleſiam, niſi *o planon tin icumenin olin*, nam certè, qui primis Eccleſiæ temporibus tot hæreſiarchas ſeductores in perniciem Eccleſiæ ſu-

ſci-

scitauit, idem posterioribus Ioannem Wiclefum, Ioannem Hus, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, & illius egregium sectatorem Mornæum, quo seduceret Orbem, & multos à Christo abduceret, excitauit: quòd si Dominus seductor à Iudæis appellatus est, quid ni & eamdem iniuriam in Vicario suo à Christianæ Religionis perduellibus impietate nihil Iudæis cedentibus patiatur? Quòd si Papa seductor vt vult iste, Christus vtique seductor, seductores Apostoli, & nunc successores eorum per omnes Ecclesias Episcopi, seducta iam per tot secula Orbis Christianus, atque mirum est tantam fuisse Pontificis auctoritatem, vt iam tamdiù Reges, ac integras tot Nationes in fraudem induceret, vt non miratus sit, nec agnouerit Christianus Orbis se dumtaxàt Pontificium, & non Christianum esse, nec enim hæresis vlla vnquam tantùm prævaluit, violentæ quidem fuerunt initio, & interdùm magnam partem hominum ad se, quàm citissimè traxerunt, verùm quia, [omnis plantatio, quam, non plantauit Pater meus, ait Christus, eradicabitur, & est ex hominibus hoc consilium, & non ex Deo;] Ideò successu temporis tandem operante,& miserante Deo extincta sunt, & prorsùs euanuerunt: sunt ergo illi seductores toties à Sede Apostolica, & sacris Concilijs condemnati, tam verò certò nobis constat eam esse veram Christi Ecclesiam, in quà sub Romano Pontifice fidem Christi profitemur, quàm constet Christum esse Deum, & veritatem ipsam, vt cum liberè interpellare nobis liceat, Domine si decepti sumus, à te decepti sumus.

An non seducere ille dicendus est, qui loco veritatis mendacium, pestiferoa errorea salutiferæ fidei vice obtrudit, qui nihil aliud habet in ore, quàm verbum Dei, cùm nihil minùs, quàm verbo Dei credat, qui dicit pax, pax, & non est pax, & quia non satis causæ suæ fidit Mornæus, nec enim habent aduersarij quid respondeant, quoties sciscitamur ex illis quando,& vnde cœperit illorum Ecclesia, quam nuperam non infitiantur, an Christus aliquando Ecclesiam non habuerit in terris, vbi priùs eorum reformata, & purior Ecclesia, & apud quos ante hæc tempora latuerit. Respondet igitur,vt putat, ex verbo Dei, mulieri scilicet datas duas alas aquilæ, vt in eremum volaret, sed quando controuersiam nobis mouet de Ecclesia, priùs ostendendum illi fuisset ex Scripturis Ecclesiam illam nuperam reformatam esse Ecclesiam Christi per illam mulierem significatam: vbi enim ex verbo Dei docuerit Ecclesiam suam esse illam toties in Scripturis sacris præostensam, esse verè Apostolicam, non verò ve nos profitemur Romanam Ecclesiam, tum illi concedam suam Ecclesiam esse illam mulierem, cui datæ fine duæ alæ, vt volaret in desertum. An verò non colligitur ex verbo Dei Ecclesia Mornæi, immò maximè, Nam per os Dauid ità Spiritus sanctus locutus est, [non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Odiui Ecclesiam malignantium,& cum impijs non sedebo.] Psal. 2. En nobis in Scripturis expressa Ecclesia Mornæi, sed nemo mulierem illam, quæ persecutionem patitur à Dracone, & fugit in solitudinem Ecclesiam malignantium, quæ est reformata nouorum Euangelicorum Ecclesia, præter Mornæum hactenùs est interpretatus.

Et volatus in aere nulla vestigia, vt illa sanè indagare, multò minus indicare teneamur, Scripturæ sacræ credere satis habentes; notos Deo suos: notam Deo, vt Eliæ tempore, Ecclesiam suam, Prophetæ licèt ignotam, à nobis tot interiectis seculis, nullo i am iure reposcendam.

Scilicet aliquando Ecclesia Christi in terris esse desijt, cùm per aera volitaret: nullo non tempore in terris conspicua fuit Synagoga etiam cùm in Babylone sub Nabuchodonosore persecutionem pateretur, ac deinde sub Antiocho,& alijs Syriæ Regibus, quomodo ergo nulla,Ecclesiæ adeò in Scriptura decantatæ tot Prophetarum oraculis præmonstratæ vestigia aliquando vt eà indagari non possent? quomodo verò non eam tenear Mornæus indicare, vnicuique enim mandauit Deus de proximo, nosse Ecclesiam, vbi & apud quos sit inuenienda (siquidem extra eam nemini patet aditus ad salutem) plurimi omnium referr, & in id vnum ferè contra omnea hæreticos tantoperè Patres laborarunt, à quorum certè charitate longè distat Mornæus, eòque se parùm Christianum esse prodit: si verò aliquando volauit in desertum,& nulla illius volatus vestigia, quomodo illam isti nobis ignorantibus indagare, aut vnde nouisse potuerunt? si verò vt ex scriptura producit, nouit Dominus solus, qui sunt eius, vnde ergo Mornæus, & sui norunt se ad Ecclesiam Dei, vel ad Christum pertinere? Abrahamo quidem dictum est, [in semine tuo benedicentur omnes Gentes, & in Israel vocabitur tibi semen,] an verò Deus illis reuelauit se esse benedictum illud semen Abrahæ: at inde colligimus ad Christum, & illius Ecclesiam aggregandas omnes Gentes. [Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes Gentes, & dicent: venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.] Isaiæ 2. An verò illa domus Iacob Ecclesia hæc purior, & reformata, cuius nomen à seculo inauditum, & cuius nulla vestigia aliquando indagari, indicari possunt? Et ipsi Scripturæ sacræ credere nos profitemur, nec minimum quidem in ea deprehendi firmiter asserimus, & Deo notos esse suos ex illa edocemur.

Quæ verò consequentia, scriptura credendum, nouit Dominus qui sunt eius: ergo Ecclesia reformata Mornæi est Christi Ecclesia significata in Apocalypsi per mulierem illam, cui datæ sunt alæ duæ aquilæ, vt volaret in desertum. Certum quidem est Christum Ecclesiam ædificasse in terris, eam nullis persecutionibus tyrannorum, aut hæreticorum cessuram vnquam fuisse, esse illam nauem, quæ fluctuat in medio mari ventis vndique agitatam,

tam, minimè tamen vnquam aquis obruendam, adeòque vnicam, quemadmodum in Symbolo Apostolorum omnes verè Christiani profitemur, [vnam sanctam Ecclesiam Catholicam:] an igitur illa Ecclesia, quæ hactenùs toto Orbe Pontificem Romannm non modò nostris, sed & superioribus seculis pastorem supremum, & Christi Vicarium agnouit, ad quem omnes religionis, & fidei controuersiæ semper sunt delatæ, & cuius auctoritate congregata, & confirmata sacra Concilia, sit vera Christi Ecclesia? an hæc purior, & reformata, quæ ex lacu Genenensi nuper prodijt? cùm autea vbi, & apud quos lateret omninò ignoremus, nemo certè, si homines mente corruptos, & reprobos circa fidem excipias, quibus animus resistere veritati sicut Iamnes, & Mambres restiternnt Moysi, non statim facilè iudicabit, quod subiungit notam Deo, vt Eliæ tempore Ecclesiam suam Prophetæ licèt ignotam, in hoc longè fallitur, nam & Elias licèt existimaret omnes in Regno Israel sub persecutione illa Achab, & Iezabel, defecisse ad cultum Baal, nihilominùs sciebat esse eam Dei Ecclesiam, quæ erat antiqoa, & quæ tunc in tribu Iuda, & Beniamin sub Regibus Asa, & Iosaphat Dei cultoribns adhuc vigebat, & florebat, vbi & ritus sacri à Deo per Moysem institnti celebrabantur, vbi & magnus Sacerdos præerat Religioni, & reliqui Sacerdotes, ac Leuitæ munia sua in templo per vices obibant: etsi verò sequiente persecutione nesciret quot in Israel superessent Dei cultores, quod posteà nouit, Deo reuelante, non ignorabat tameo eos omnes, qui sacratissimas circumcisiones, & Paschatis ceremonias, & reliqua antiquæ illins legis instituta obseruarent, pertinere ad Ecclesiam Dei: nec enim dubium est multos tum in Israel coostantes in fide maiorum, ac lege perstitisse, quemadmodum de Tobia legimus, quod non ibat ad vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam, sed pergebat in Hierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.

Nec mihi certè constat, qui sint Domini in illis religionibus, vbi persecutionem patitur à Regibus, & Principibus sacra Catholica Religio, mihi tamen certò constat eos omnes, qui veterem Religionem colunt, ac primatum Romani Pontificis agnoscunt, ad hanc eamdem Ecclesiam pertinere, quæ à Domino fundata est super Petrum, & quæ vna, & eadem est Catholica, Apostolica Romana, longè, latèque per Orbem terrarum diffusa. Mornæum verò, & illius Symmistas non magis ad Ecclesiam Christi pertinere, quàm tunc Achab, & Iezabel, & Sacerdotes illi Baal, qui reprobata veteri Religione, Idololatriam, cui affinis est hæresis, in populum inuexerant. Quòd si suos Dominns solus nouit ex scriptura, hoc est, nota est Deo, Ecclesia sua, licèt Eliæ Prophetæ ignota, meritò certè non vult Mornæus à se Ecclesiam suam reposci, scilicet quia soli Deo nota Ecclesia sua, Mornæo verò & suis ignota: qua ergo temeritate sibi illius notitiam asserit, quod soli Deo notum est: An ille plusquam Elias, aut plusquam Propheta, qua andacia suam puriorem, & reformatam Ecclesiam nobis obtrudit, Papatum ipsum, hoc est omnes Christianos sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem profitentes, adeòque totam antiquitatem damnat? Et nos vnde quæso nouimus, quæ sit Dei Ecclesia, multis illius titulum, & possessionem sibi vendicantibus, & præterea nemini extrà eam accessum esse ad Deum, nisi ex verbo Dei? sed tamen qui sint salutem consecuturi, qui electi ante Mundi constitutionem, quos prædestinauerit conformes fieri imagini Filij sui, qui sint vasa in honorem, qui in contumeliam, Dominus solus nouit; hoc est Deo notos esse electos suos, non Eliæ Prophetæ, nec cuiquam hominum, vt cum timore, & tremore salutem nostram operemur, & per bona opera nostram certam faciamus electionem, & vocationem: vnde constat de temeraria, & falsa istorum præsumptione, qui suam Ecclesiam ex iustis, & prædestinatis dumtaxàt constare volunt, vt se esse iustos, & prædestinatos sibi certò persuadeant, vt non solus Dominns nouerit suos, sed & gnostici isti supra Eliam, & Prophetam à Deo illuminati nouerint, qui sint Domini.

His subiungo Eliam nonnisi Deo reuelante sciuisse septem millia virorum, qui erant Domini, nec curuauerant genua ante Baal, verùm Elias iste Gallicus, qui in Colloquio Fontisbellaquæi anno 1600. 4. Maij habito, præsente Christianissimo Rege, & Principibus, ac proceribus Regni in confirmationem suæ reformatæ, & purioris Ecclesiæ adeò stupenda edidit miracula, vnde quæso nouit, aut quando Deus illi reuelauit Ecclesias, quæ in Gallia, & in alijs Europæ, Asiæ, & Africæ locis, in alio prætereà hemisphærio Romanam Ecclesiam agnoscunt matricem, & radicem Ecclesiarum, excidisse à Deo, defecisse à fide, Mornæum verò, & suos Symmistas esse gentem sanctam, & populum acquisitionis, & Ecclesiam istam reformatam, ac puriorem esse vnicam illam columbam à Christo dilectam, esse illam mulierem Apocalypseos, quæ fugiat in solitudinem, vt ibi à Deo pascatur, &c.

Denique cum Ecclesia Dei tum temporis, quando tenebræ operuerant terram, & caligo populos, non sese porrigeret extrà regnum Iuda, & Israel, reuelauit Deus Ecclesiæ numerum illum septem mille virorum, sed indefinitè, adeò vt qui essent illi, non ei constaret: ità cùm tot sectæ sint, qui non eumdem parentem agnoscunt, nec eadem dogmata profitentur, sibi verò omnes nomen Ecclesiæ Christi vendicent, an Mornæo reuelatum est non modò *aoristos* Ecclesiam Christi esse eam, quæ significetur per mulierem illam Apocalypseos, quæ fugit in solitudinem, verùm & *orismenos* non aliam Ecclesiam esse Christi significatam per mulierem illam, quam istam reformatam, & puriorem, cuius magnus Mornæus acerrimum se vindicem, & assertorem ostendit? facile erit tanto viro, quem vel supra hominum iogenium eruditio extrà omnem Doctorum quorumcumque famam euexit, nodos istos nobis dissoluere.

Sed videamus deinceps, quàm non nobis diuinorum mysteriorum cognitionem inuideat magnus Mornæus, nec summo iure nobiscum agere velit. Ad sacra Eleusinia iam nos admittit, Auctor est Irenæus, Valentinia-

nos non paſſim, neque omnibus ſua myſteria, hoc eſt portentoſas nugas communicaſſe, & Tertullianus ea vocat ſancta ſilentio magno, ſola taciturnitate cœleſtia: ſi bona fide quæras concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, altum eſt aiunt, nec verò parùm noſtra intererat tantum ſcire myſterium, vbi & quæ olim Ecclesia hæc, quæ nunc purior, & reformata à ſuis appellatur, & periculum erat ne quærentibus nobis, illiuſque exordium, & primam originem ſcire volentibus conclamaret vates, [Procul, ò procul eſte prophani:] ſacrum ſcilicet illud opertaneum, ad quod prophanis aditus non eſt. Quid igitur ſacer iſte, diuinorumque interpres?

Vis tu ſcire vbi, & quæ noſtra olim Eccleſia? noſtra erat primitiua Apoſtolica illa diuino Spiritu afflata, diuino verbo paſta, quæ nobis ſacrarum Scripturarum canonem, fidei vitæque normam, ſymbolum Apoſtolicum, Chriſtianæ militiæ teſſeram reliquit.

QVòd ſi Mornæo obijciamus non eſſe, quos in Euangelio moneat Chriſtus ſi dixerint vobis, [ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, nolite credere, & ſi dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere:] ſcilicet vt caueamus à Mornæo, cuius Eccleſia in ſolitudinem ſe receperit, nec alibi, quàm in deſerto inueniri, inueſtigari poſſit, nos illic à Chriſto moneri, quod nobis oppoſiturus eſt? Quod ſi ſufficiat Mornæo, & illius Symmiſtis hæc aſſertio tam liquida, Eccleſiam ſuam reformatam eſſe primitiuam illam Apoſtolicam diuino Spiritu afflatam, quis neget omnia hactenus conuenticula hæreticorum fuiſſe primitiuam illam Apoſtolicam Eccleſiam, quæ enim ſecta non ſibi vendicauit nomen Eccleſiæ Chriſti, & non idem de ſua ſecta aſſeruit, quod Mornæus? iſtas ſcilicet Lactantius lib. 4. cap. 30. [Singuli quinque cœtus hæreticorum ſe potiſſimùm Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant. Rectè monebat Cyprianus, non ea ſtatim ſuſcipienda, & aſſumenda, quæ iactantur in Chriſti nomine, ſed quæ geruntur in Chriſti veritate.]

Non ſtatim itàque audiendi ſunt quicumque hominum cœtus, qui ſe Eccleſiam Dei eſſe dicunt, hæc eſt prima, & benè vetus omnium hæreticorum cantio: aduerſùs Mornæum, & illius Symmiſtarum fraudes nos inſtruit Chriſtus: [Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium,] quæ enim veſtis ouis, niſi Eccleſiæ nomen? vis verò tecum non ſummo iure agamus? Eccleſia tua ſignificata eſt in ſcripturis, nemo de hoc dubitat, eſt enim illa Eccleſia malignantium, eſt illa ſedes, & Synagoga Sathanæ, eſt illa cathedra peſtilentiæ, etſi eam ſcriptura ſimili alia phraſi notauit: ſed quæ conuentio eſt Chriſti ad Belial? lucis ad tenebras? ea eſt Eccleſiæ iſtius reformatæ ad primitiuam illam Apoſtolicam. An Eccleſia illa primitiua Apoſtolica purior, & reformata vmquam dicta eſt? an non vnicam Eccleſiam Chriſti toto orbe Apoſtoli ædificauerunt: quòd ſi hæc reformata, & purior eſt Eccleſia, erit ergò alia, quæ non erit reformata, & adeò pura, vt quemadmodum Carneades nouam Academiam inſtituit, ità Mornæus ſibi & ſuis nouam Eccleſiam inſtituere reformatam, & puriorem iudicauerit licere.

Nam Eccleſia illa primitiua Apoſtolica conſtabat ex hierarchia Eccleſiaſtica, id eſt, Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, & per Ciuitates Apoſtoli ordinabant Epiſcopos, ſicut Paulus Titum Cretæ, & Timotheum Epheſi. An non Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum, & ex Canonibus Apoſtolorum conſtat Epiſcopum à tribus Epiſcopis ordinari debere, quomodo ergò Eccleſia iſta primitiua Apoſtolica eſt, quæ neque Eccleſia eſt, neque Archiepiſcopis, Epiſcopis, Sacerdotibus, & alijs Eccleſiaſticis miniſterijs conſtat? An non Eccleſia ex Cypriano, epiſt. *66.* ad Florentinum, [plebs eſt Sacerdoti adunata, & grex paſtori ſuo adhærens?] an non, vt ibidem ſcribit, [à Cathedra Petri, & eius Eccleſia principali vnitas Sacerdotalis exordium ducit?] Expendantur quæ ſcribit Diuus Hieronymus contra Luciferianos. [Hilarius Diaconus cum de Eccleſia receſſerit, ſoluſque vt putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos, & Presbyteros non habens, neque Baptiſma ſine Euchariſtia tradere, & cùm iam homo mortuus ſit, cum homine pariter interit, & ſecta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. *Eccleſia autem* non eſt; quæ non habet Sacerdotes.] Longè verò aliter iſti ſentiunt, nam Eccleſiam eſſe volunt, vnde Epiſcopos & Sacerdotes ablegarunt, Miniſtros ſubſtituerunt: qui vt ibidem ſubiungit D. Hieronymus, [ipſi ſibi, & laici ſunt, & Epiſcopi.] Eccleſia erat Apoſtolica primitiua, congregata in ſacroſanctis illis Synodis in ſanctis Epiſcopis, & Sacerdotibus Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, Chalcedonenſi.

Oſtendant ſimile quid in ſuis Eccleſijs, magis erat Eccleſia illa Arrianorum, Donatiſtarum & aliorum ſectatiorum, quæ habebant Epiſcopos, ac magis referebant primitiuam illam Apoſtolicam, quàm ſit hæc nupera reformata, quæ nec Epiſcopos habet, nec Sacerdotes, nec Sacramentum ordinis, nec ſacrificium aliquod in Eccleſia Chriſti nouit, vnde certum eſt ex confeſſione aduerſariorum apud eos Eccleſiam non eſſe, ſiquidem eam definiunt, [in qua ſit ſyncera verbi Dei prædicatio, & legitimus vſus Sacramentorum,] Sacramenta verò pro arbitrio ſuo admittunt, & definiunt, ità & pro arbitrio ſibi Eccleſiam confingunt, vbi & maximè errant cum ex poſteriori priùs definiunt; ſiquidem priùs ex verbo Dei inueſtigandum, apud quos ſit vera Chriſti Eccleſia, quàm viſibilem, ſanctam, Catholicam numquam deſituram, in qua foret vnitas doctrinæ, & fidei, & ſumma conſenſio dogmatum quacumque diffunderetur, ſignificauit Deus in ſcripturis, & in ea quidem certum eſt, quæ vera ſit Eccleſia, eſſe ſynceram verbi Dei prædicationem, & legitimum vſum Sacramentorum, vbi definitè

Ec-

Ecclesiam ex syncera verbi Dei prædicatione, & legitimo vsu Sacramentorum nihil aliud est, quàm petitio principij, nam iocumberet primùm Mornæo, & aduersarijs ostendere apud ministros Ecclesiæ suæ potioris, & reformatæ esse synceram verbi Dei prædicationem, & legitimum vsum Sacramentorum, qualis in Ecclesia primitiua Apostolica, quod quanta temeritate ab eis asseritur, tanta veritate & æquitate à nobis negatur.

Non licet quidem in dubium reuocare, quin ea sit vera Christi Ecclesia, quæ Apostolica est, hoc est, quæ sine interruptione originem suam deducit ab Apostolis, quomodo verò originem suam ad Apostolos referet Ecclesia hæc reformata, & potior Mornæi, cùm auctores non alios agnoscat, quàm qui antè aliquot annos baptizati in Ecclesia Catholica, cui præest Romanus Pontifex, ab ea defecerunt, ac præter hæreses antiquas toties damnatas reuocatas ex Orco, noua dogmata induxerunt, cum in illis prouincijs vnde prodierunt, non alia esset Christi Ecclesia, quam quæ Romanum Pontificem Vicarium Christi, & Pastorem supremum agnosceret Ecclesiæ, vbique locorum greges essent suis pastoribus adunatæ, qui partes essent vnius Ecclesiæ Catholicæ, ac Petro, super quem ædificata est vna Ecclesia Catholica, & qui origo est eius vnitatis in suo successore, adhærerent; an verò simile est primitiuam illam Apostolicam Ecclesiam tot sæculis defecisse in terris, aut eam doctrinam, quam Apostoli tradiderunt, ignoratam fuisse, vt necesse fuerit Christum nouos in orbem Apostolos mittere, qui reuocarent doctrinam Apostolicam, & Ecclesiam illam tot annis collapsam iterum ædificarent, ac synceram verbi Dei prædicationem, & legitimum vsum Sacramentorum restituerent, quàm absurdum istud tam falsum reformatos istos Euangelicos ad Ecclesiam primitiuam Apostolicam quidquam pertinere, quòd si Catholicam Ecclesiam, quæ Romanam Ecclesiam matricem, & radicem agnoscit, & cum illa communionem habet eiusdem fidei, doctrinæ, & Sacramentorum, ostendamus Apostolicam esse, hæc potior, & reformata Mornæi, quæ non est pars Catholicæ illius, & Romanæ, nec cum illa communicat, non erit certè Apostolica.

Id verò Episcoporum continua successione, & Doctorum, ac populorum, per quos doctrina ab Apostolis accepta ad nos vsque perpetua tempore serie peruenit, optimè probatur, sic enim aliquis optimè probat se patrimonium aliquod, seu nobilitatem antiquam à maioribus suis, qui multò ante tempore vixerunt, accepisse, cum ostendit se accepisse à parente, & hunc rursus à patre suo, illum item à suo, sicque deinceps, donec ad familiæ caput perueniatur, ità nos teste antiquitatem fidei, & doctrinæ, quam in Ecclesia profitemur, ad Apostolos referimus, & Apostolicam esse profitemur, cùm euidenter ostendimus hanc ipsam fuisse doctrinam eorum, qui nos proximo sæculo præcesserunt, & rursus illos à maioribus suis, qui similem proximè illos præcesserunt, eamdem ipsam accepisse, sicque deinceps, donec continua illa successionis series ad Apostolos ipsos perducatur, qui Ecclesiam ipsam plantauerunt,

At Ministri istius Ecclesiæ reformatæ, doctrinam, quam orbi inuexerunt, deducant quæso ab Apostolis. An consentaneis sit primis illis sæculis, antiquis Ecclesiæ Concilijs, ostendant ante tot annos, an eam à maioribus suis, & non potiùs ab hæreticis iudicio Christiani orbis damnatis acceperint, considerent, an conspiret cum antiquis patribus, qui nihil tradiderunt alienum à doctrina Apostolica, expendant, à quibus tamen non diffitentur in præcipuis fidei articulis se dissentire, eorum auctoritatem nihili faciunt, sed solum Dei verbum prouocant, vnde facilè constabit, an sit Apostolica doctrina, an verò Apostatica, quam antea inauditam reformatæ istius Ecclesiæ Ministri orbi innexerunt, sic etiam D. Augustinus Episcoporum Romanæ Ecclesiæ continuam seriem ad Apostolum Petrum, cui Dominus post resurrectionem suam, suas oues pascendas commisit, deducebat, cum Rupitani, & Montenses, Donatistæ Romæ quidem (vt ex vrbis dignitate sibi aliquam auctoritatem compararent, cum non ignorarent omnes Catholicos Romani Pontificis primatum, & auctoritatem in omnes Ecclesias agnoscere, atque ex continua seriè Episcoporum vrbis indè ab Apostolo Petro contra eos firmissimam Ecclesiæ argumentum petere) Episcopum haberent, sed tamen Episcopatus continuam seriem ad Apostolum Petrum, vel illius successores deducere non poterant, vnde manifestissimo argumento constabat, non partem Donati, quæ in Africa erat, & in paucis Romæ Rupitanis, & Montensibus, sed Ecclesiam, in qua erat Augustinus, & communicabat cum Pontifice Romano, qui in Cathedra Petri sedebat, esse Apostolicam, in qua Christianis omnibus esset permanendum: cum igitur Ecclesia ista reformata cum Cathedra Petri, cum Pontifice Romano nihil habeat commune, nec habeat successores Apostolorum, hoc est Episcopos, quales per orbem constituti sunt ab Apostolis, qui populis præessent, non magis erit primitiua illa Apostolica, quàm olim pars Donati. [Edant origines Ecclesiarum suarum (scribebat Tertullianus) lib. 1. de præscript. cap. 32. euoluant ordinem Episcoporum suorum ità per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & antecessorem &c.] Atqui isti ne Episcopos quidem habent, quid ergò illis commune cum primitiua Apostolica Ecclesia, non magis itàque est Ecclesia Christi, quam potiorem, & reformatam vocat Mornæus, quàm cœtus ille idololatrarum in Israel sub Hieroboamo, qui repudiatis Sacerdotibus legitimis Aaronis successoribus, ac Leuitis in ministerium templi diuinitùs ordinatis, sacerdotes fecit de extremis populi, qui non erant de filijs Leui, cum quibus Protestantium Ministri, in quibus nulla sacra ordinatio, nec legitima successio, semen Chanaam, & non Iuda meritò confessi possunt.

Denique cum non vellit Mornæus eum cœtum Christianorum cui præest tamquam Pastor ouibus, Pontifex Romanus, esse Ecclesiam Christi, ex eo quæro, an velit omnes Ecclesias

ctas, quæ nunc per Europam vagantur, & eodem spiritu impulsæ oppugnant Ecclesiam Romanam, & Pontificem cum Mornæo Antichristi loco habent vnam, & eandem Christi Ecclesiam, componere, vt constet ex Lutheranis, Anabaptistis, Hussitis, Zuinglianis, Caluinistis, qui etsi in dogmatibus religionis dissentiant, vt ipsi non diffitentur, sufficiat tamen ad hoc, quòd sint vna, & eadem Ecclesia, eos in oppugnanda Ecclesia Romana, & Romani Pontificis auctoritate conspirare: An verò velit priuatim eam sectam, quam in Gallia cum suis ante aliquot annos inauditam, cum scilicet terra labij esset vnius, & sermonum eorumdem, profitetur esse puriorem illam, & reformatam Christi Ecclesiam? Quòd si primum velit, mirum est eam esse Ecclesiam primitiuam Apostolicam diuino spiritu afflatam, qui est spiritus veritatis, & vnionis, in qua nihil omninò certi credatur, & in qua tanta dogmatum varietas, ac inconstantia reperiatur: quòd si velit Caluini partem esse veram Ecclesiam, nam oportet eamdem aliquo nomine Orbi innotescat, quo vero argumento sibi magis possessionem, & titulum Ecclesiæ vendicat, quàm reliquæ sectæ, nonne omnes profitentur se habere puram Euangelij doctrinam, & legitimum vsum Sacramentorum, Symbolnm Apostolicum, Sacrarum Scipturarum Canonem, vndè constat eum nullo argumento suam reformatam, & puriorem Ecclesiam nobis obtrudere.

D. August. serm. 10. de verbis Domini, [Apud Idolorum cultores spiritus Iunonis, & spiritus Herculis diuisi sunt aduersum se, & ambo pertinent ad regnum diaboli, Paganus, & Iudæus hostes Christi diuisi sunt aduersum se, & ambo pertinent ad regnum diaboli. Arrianus, & Photinianus ambo hæretici, & aduersum se ambo diuisi, Donatista, & Maximianista ambo hæretici, & aduersum se ambo diuisi: pugnat Iudaismus cum Gentilismo, inquit Basilius, & vtrique cum Christianismo:] quemadmodum Ægypti, & Assyrij, & vtrique hostiliter, & vtrique Israeli infensi erant, ita Lutheranismus, & Caluinismus non minus inter se pugnant, quàm cum Dei Ecclesia, omnes certè isti ad regnum diaboli, non ad Christi Ecclesiam pertinent, aut quibus magis credendum, omnibus sibi Ecclesiæ titulum, & possessionem vendicantibus? Quòd scribit suam Ecclesiam habere sacratum scripturarum Canonem, id quidem verum est, scripturas communes esse nobis, & illis, & [omnes hæretici agunt ex scripturis, ait Tertullianus, vndè enim de rebus fidei, nisi ex literis fidei, falsum tamen illis ab Ecclesia primitiua Apostolica traditum, Canonem scripturarum, vel ad eos ius earum pertinere, Ecclesia enim, à qua isti dicesserunt, hæres est scripturarum: ab Apostolis relicta, quid habet iuris in testamentum, qui hæres non est? an si quis contra tabulas testatoris hæreditatem inuadat, ideò legitimus hæres est, & non indè deijciendus?] Hac certè apostrophe cum Tertulliano licet nobis ad istos vti. [Qui estis? quando & vndè venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion iure syluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate limites meos commoues? mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo, vos certè exhæredauerunt semper, & abdicauerunt ve extraneos, vt inimicos, &c.] Non igitur, quia Canonem præterius sibi scripturarum vendicat, de quo item pro sua auctoritate, & arbitrio statuunt, ideò reformata ista Ecclesia est primitiua illa Apostolica. An non habent, & Iudæi scripturas veteris Testamenti, quæ tamen Ecclesiæ Christianæ sunt, non synagogæ, aut perfidiæ Iudaicæ? Nego præterea istos scripturas habere, habent quidem ad speciem, sed non ad veritatem, ait D. Aug. habere quidem videntur, sed non habent, cũ scripturę non in legendo, sed in intelligendo cõsistunt, intelligentia autẽ scripturarũ non aliundè, quàm à spiritu Dei, quo editæ sunt, qui extra Ecclesiam non docet, petenda est. Symbolum Apostolicum hæc reformata Ecclesia sibi asserit. Atqui ex Symbolo Apostolico credendum vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, quam Patres ex scripturis non obscuris, sed claris contra hæreses varijs in locis exsurgentes ostenderunt toto Orbe diffusam, & in eamdem fidei doctrinam conspirantem, atqui Mornæus ne audet quidem suam Ecclesiam Catholicam nuncupare, cum hanc appellationem ne nostræ quidem inimici denegent, ait D. Augustinus, & ridiculum sanè quòd iam ex Mornæi symmistis aliqui eò Catholicos distinguunt, quod *alij sint Catholici* Pontificij, alij Catholici protestantes, cum si cœtus ille Catholicorum, qui subest Romano Pontifici, sit ea Christi Ecclesia Catholica, quàm in symbolo Apostolico credere nos profitemur, consequens sit necessariò foris esse, & extra Ecclesiam, qui se Catholicos Protestantes appellant, siquidem vna est sancta Catholica Apostolica Ecclesia, non duæ, nec certè id vnquam meo iudicio docturi sunt Pontificios, & Protestantes, qui in doctrina fidei, expositione, & sensu scripturæ, numero & vsu Sacramentorum à se inuicem differunt toto Cœlo, vnam, eamdemque Catholicam Ecclesiam constituere: quæ igitur illa est Ecclesia Catholica, quam in Symbolo Apostolico credere nos profitemur? Pontificiorumne, an Protestantium? Illi nostram Catholicam esse, scilicet toto Orbe terrarum diffusam nullis locis, aut temporibus circumscriptam, ipsa veritate conuicti meritò fatentur, nos verò nuperam istam reformatam in aliquot terræ angulis vix latitantem, & cuius nomen Orbi anteà inauditum Catholicam esse meritò inficiamur, & hic quidem articulus sit vnus instar omnium ex Symbolo Apostolico nobis propositus: siquidem multis argumentis conuincerem Mornæum, & suos, ne vni quidem Symboli Apostolici articulo ea certitudine, & firmitate, qua Christianum decet, assentiri; vt non mirum si subindè isti fluctuent, & hæreses in Atheismum tamdem desinant.

Hæc

Hec, qui reiectis hominum commentis amplectimur, alienam vocem longè amolimur, Eccleſiæ illi toto Orbe diffuſæ ad extremum vſque mundi diem, Domino atteſtante, perduraturæ, quidni conſociemur?

QVo verò argumento oſtendit Mornæus ſe, & ſuos Eccleſiæ illi toto Orbe diffuſæ ad extremum mundi diem duraturæ conſociari? quænam eſt illa Eccleſia toto Orbe diffuſa, & numquam peritura, niſi quæ ſuper Petrum fundata eſt, & agnouit ſemper vnum caput viſibile in terris, vt totum illud viſibile Chriſti Corpus, quod eſt Eccleſia, non ſit *acefalon*, vt tamen caput non poſſit dicere pedibus, ait Apoſtolus 1. Cor. 12. hoc eſt reliquis Eccleſiæ Miniſtris, non eſtis mihi neceſſarij? quod certè de Capite Chriſto, cui inutiles, ac minimè neceſſarij ſumus, intelligere non potuit Apoſtolus, ſed de ſubalterno capite viſibili in terris intellexit. Non poſſunt itaque pars eſſe illius corporis, neque manere in vnitate illius Eccleſiæ Catholicæ, quæ per totum Orbem à Deo Patre ſecundum illius promiſſa, tamquam hæreditas data eſt Chriſto Domino, qui caput illius viſibile negant. Quam verò ſocietatem habet hæc purior, & reformata cum cæteris Eccleſijs, quæ ſunt partes Catholicæ Eccleſiæ, quæ cum illis primam Cathedram non tenet, ideſt Cathedram Petri, Romanam Eccleſiam, quæ eſt radix, matrix, & origo ex Cypriano vnitatis Eccleſiarum, neque ſacramenta tenent Eccleſiæ Catholicæ, quæ viſcera illius, vt Optatus vocat, ac Sacramentorum Miniſtros, hoc eſt Epiſcopos, & Sacerdotes à ſua Eccleſia valere iuſſerunt, Eccleſia Catholica, ait Cyprianus Epiſt. 66. ad Florentium, [Vna eſt, non ſciſſa, & diuiſa, ſed vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem Sacerdotum glutinæ copulata.] Atqui hæc reformata Sacerdotes non habet, non ergo Eccleſiæ Catholicæ conſociatur, aut cum illa quidquam habet communionis. Et Optatus Mileuitanus contra Parmenianum, & Donatiſtas illius gregales ſcribens eò ſe, & ſuos Catholicos eſſe oſtendebat, [Siricius hodie, inquit, Pontifex Romanus Damaſi ſucceſſor, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat,] liceat itaque mihi hiſce illius verbis Motnæum, & illius gregales alloqui. [Si vos pars Eccleſiæ Catholicæ eſtis, ideſt, ſi Eccleſiæ Catholicæ per omnes mundi Prouincias propagatæ conſociamini, probate, qund totus Orbis commercio formatarum vobiſcum in vna communionis ſocietate concordat, probate, inquam, id quod apud nos quotidiè fit literis pacificis ad omnes Eccleſias cuncti Orbis à vobis datis, aut ab eis acceptis eſſe vos in earum communione, aut ſi hoc facere non poteſtis, vt vos teſtes eſtis, quomodò vos Eccleſiæ Catholicæ, quæ vna eſt, partem tenere putatis? Vndè conſtat non magis iſtos, quàm Donatiſtas Parmeniani gregales Eccleſiæ Catholicæ conſociari: quæ verò Eccleſia toto Orbe diffuſa, perpetuò ex verbo Domini duratura, cui ſociatur Eccleſia iſta purior, & reformata? nec enim alia eſt illa præter Catholicam, Apoſtolicam Romanam, cui certum eſt iſtam, quæ in antiquis omnibus Concilijs reprobata eſt, ac nouiſſimè in Concilio Tridentino, cui interfuere ex toto Chriſtiano Orbe Epiſcopi, eiuſdem cum Romano Pontifice communionis, minimè conſociari. Vndè verò omnes Eccleſiæ per Chriſtianum Orbem ſunt vna Eccleſia Catholica, niſi vnius doctrinæ conſenſione, vnione membrorum inter ſe, & cum vno capite? Omnes Synodi, ſcribebat olim Trapezuntius, genere Græcus, [anathema fecerunt eos, qui non credunt vnam ſanctam Eccleſiam *oriſmenos*, non autem *aoriſtos*, ideſt, vnam finitè, & non infinitè, quod eſt blaſphemium, quomodò enim, inquit, vnam credes, ſi neſcis quam? an dices vniuerſam totius mundi? erit ergo tibi Orthodoxus Armenus, Æthiops, Indianus, Sergianus, Moonthelita, ac Theopaſchita. Quare cum dicimus vnam Catholicam Eccleſiam, ſcire oportet, quanam ex Eccleſia efficitur vna, ſiquidem omnis multitudo aliquo vno eiuſdem ſpeciei efficitur vna, eſt igitur Catholica Eccleſia vna vnius Eccleſiæ Romanæ coniunctione, quæ ipſa cum Pontifice vno vnitur, ita fit, vt omnes Eccleſiæ Catholicæ cum Romana vniantur, & Romana cum Pontifice, ac proindè omnes cum Pontifice &c.] Qui ergo nihil habent commune cum Eccleſia Romana, & cum ſummo Pontifice, originem & fundamentum vnitatis Eccleſiæ, ideſt Pontificem Romanum negant, non pertinent ad Eccleſiam toto Orbe diffuſam. [Eccleſia vna eſt, & Caput vnum, & origo vna, ait Cyprianus, vt licèt partes ſint inter ſe diſtinctæ, non tamen diuiſæ ab iſta ſua vnitate; hæ verò partes ſunt ſingulæ Eccleſiæ Catholicæ, ideſt ſingulæ plebes ſingulis Epiſcopis adunatæ, [ſiquidem Eccleſia, ait idem Cyprianus, Epiſt. 66. ad Florentium; Eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo Grex adhærens,] vndè fit, vt qui per Schiſmata deſinunt cohærere: & ſe ſacrilegæ ab iſta vnitate in Capite vno, & vna origine ſeparant, quod Lutherani, Caluiniſtæ, & aliæ ſectæ ante aliquot annos fecerunt: ſimul deſinant eſſe partes Eccleſiæ Catholicæ, deſinant item eſſe, & dici Eccleſiæ, vt idem Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. obſeruauit, cum enim dixit Petro, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, nomine Eccleſiæ docuit non eſſe Eccleſiam, quæ non eſſet cum Petro, & ſucceſſore eius cohærens, lib. 3. cap. 3.] Reformata igitur iſta Mornæi Eccleſia neque Eccleſia eſt, neque quod conſequens, Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ vllo modo ſociatur. [Ad Romanam Eccleſiam ſcribebat Irenæus propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, ideſt eos, qui ſunt vndique fideles, &c.] Quomodò igitur Eccleſia iſta eſt, quæ cum Romana nihil habere ſe commercij profitetur? Quomodò fideles, iſti ſacrilegi, qui Romanum Pontificem adulterum, Romanam Eccleſiam meretricem, Augiæ præterea ſtabulum, & Caci ſpeluncam. (Quomodò enim poteſt progenies iſta viperarum bona loqui, cum ſit mala) appellant?

Quidni

Quidni verò interminante Paulo, Anathema tu ab illa, qui præter hoc Euangelium euangelizas: de quo ipse si nos, aut Angelus de Cælo, præter illud anathema esto.

Ità Mornæus, vult Ecclesiam suam puriorem Ecclesiæ toto orbe diffusæ sociari, & nos ab illa anathema simus, qui præter hoc Euãgelium, de quo Apostolus: [Et si Angelus de Cœlo euangelizauerit vobis præterquam, quod accepistis, anathema sit.] Euangelizamus nos quidem, fatemur, ab illa Ecclesia toto orbe diffusa, quam intelligit Mornæus, & cui suam vult sociari, anathema esse, quænam enim illa est, nisi colluuies quædam omnium hæreseon: quæ per Christianum Orbem sunt sparsæ? Abutuntur verò Sectarij hoc loco Apostoli, vt & multis alijs ad suam ipsorum perditionem, vt indè omnes traditiones, non scriptas vti res commentitias, & Christianæ Doctrinæ adulteratrices reijciant, cum tamen certum sit, neque damnare Apostolum Ecclesiæ traditiones, neque præter Euangeliũ illud esse intelligere, quod ad pleniorem legis Euangelicæ obseruationem Pontifices, & Sacra Concilia Generalia, & Prouincilia obseruari præcipiunt, verùm id præter Euangelium esse intelligitur, quod doctrinæ Euangelij, quam prædicabat Paulus, repugnat, quod ex D. Augustino constat [tract. 98. in Ioannem, non dixit Apostolus, si quis vobis euangelizauerit plusquam accepistis, sed præterquam, quod accepistis: nam si illud diceret, sibi ipse præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerant, sed quid supplet, quòd minùs erat, addit, non quòd inerat, tollit.] Atque id è re subiecta, & ex orationis, atque argumenti circumstantijs colligitur: nam in eos inuehitur, qui Galatas in legem inducebant, quòd dicerent Euangelium sine legis obseruantia, minimè sufficere ad salutem, quæ doctrina Euangelio aduersatur, & anathema ijs, qui id, vel credunt, vel docent. Quæ ergo aduersantur doctrinæ à se traditæ condemnat, eaque præter Euangelium, idest, contra Euangelium esse dicit. Id verò licuit fidentiùs Apostolo scribere, qui sciebat se à Deo vocatum, & edoctum, [notum vobis facio fratres Euangelium, quòd euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud, aut didici, sed per reuelationem Iesu Christi.] An idem Mornæo, & noui Euangelij præconibus scribere licet?

Nos igitur non anathema, qui traditiones Ecclesiasticas, & statuta Patrum obseruamus, sed anathema Mornæus, & illius symmistæ, qui multa ex diametro pugnantia, cùm doctrina Euangelij scribunt, & docent: An verò in Euangelio continetur, vel in doctrina Pauli Papam esse Antichristum, Ecclesiam Romanam esse sedem Antichristi, aut elegans ista expositio, Mysterium iniquitatis, seu historia Papatus? aue reformata, & purior ista Ecclesia vllibi in Euangelio legitur, de qua in tota scriptura [ne gry] quidem: verùm in Euangelio nos monemur, quin & iubemur attendere à Mornæo, & tamquam à Syrene ab eo aures obstruere, Matt. 7. [Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Tertullianus lib. de præscript. cap. 4. Quæ sunt istæ pelles ouium, nisi nominis Christiani extrinsecus sufficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus, & spiritus subdoli ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? qui Pseudo Prophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? qui Pseudo Apostoli, nisi adulteri Euangelizatores? Et Vincentius Lirinensis cap. 36. Quid est vestitus ouium, nisi Prophetarum, & Apostolorum præloquia, quæ quidem ouilli quadam sinceritate agno illi imaculato, qui tollit peccatum mundi, tamquam vellera quædam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum fert, & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant,] vbi graphicè, & ad viuum expressi, tùm in scriptura, tùm à Patribus illis Mornæus, ac reliqui noui Euangelij Præcones, illud item Euangelicum est, [si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere, & surgent Pseudo Christi, & Pseudo-Prophetæ, si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere,] hoc est, à Mornæo vobis cauere cùm nouam Ecclesiam, quàm reformatam, & puriorem appellat, non in Papatu, aut in luce mundi, inueniendam, inuestigandam, sed in deserto latentem obtrudit, eamque primitiuam Apostolicam esse impudenter, & mendaciter scribit, & asserit.

Non dissimiles Pseudo-Christiani, isti Alcimo, illi Pseudo-Iudæo, de quo primo Machab. 7. qui cùm ambiret magnum Sacerdotium, ad Demetrium Regem se contulit, qui & eum in Sacerdotium constituit, & mandauit ei facere vltionem in filios Israel, qui eò faciliùs incautos decepit, quod esset Sacerdos de semine Aaron. Homo Sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos: ità simplicioribus vix credibile videtur Philippum Mornæum nobile Gallum nihil aliud, quàm Euangelium, quàm Canonem scripturatum, quàm symbolum Apostolicum, quàm primitiuam Apostolicam Ecclesiam concrepantem, quàm reformationem, & puritatem in ore habentem, in perniciem Religionis, & Patriæ, (vndè enim Reipublicæ salus, nisi à Sacra Religione, (lib. 4. indict. 13. Epist. 32.) vt scribebat Gregorius ille magnus, pacem Reipublicæ ex vniuersalis Ecclesiæ pace pendere) conspirasse, latronem, & homicidam animarum esse.

Nostra illa huic continua, nedum contigua.

QVòd certè impudenter, & nullo argumento assertum: nam antè perfidos illos apostatas Farellum, & Caluinum, sub Christianissimis Regibus, omnes Ecclesiæ Regni Galliarum cohærebant Ecclesiæ Romanæ, ac proindè omnibus cunctis Orbis Ecclesijs, quæ eidem Ecclesiæ Romanæ hodie cohærent, aut certè perierunt omnes illæ Ecclesiæ, & tot, tantique Archiepiscopatus, &

Epi-

Episcopatus desinerunt esse patres Ecclesiæ Catholicæ, vel nulla tum erat Christi Ecclesia, apud maiores nostros, aut hæc reformata falsi nominis dumtaxat est Ecclesia, aut quæ sit illa primitiua Apostolica toto Orbe diffusa, cui hæc continna sit, ne dum contigua, nescire me fateor. Videmus à Petro Apostolo, continuam fuisse successionem Episcoporum in Ecclesia Romana, in qua vt scribebat D. Augustinus, Epist. 162. [semper Apostolicæ Cathedræ, inquit principatus, & vndè omnes Ecclesiæ, tamquam à Matrice, & radice suam vnitatem, atque originem repetunt, non igitur dubium nostram illi nedum contiguam, immò eamdem esse, quæ illa primitiua Catholica, Apostolica Romana fuit, isti verò noui Euangelij Ministri, vndè primùm prodierunt, aut quibus successerunt? Primitiua Ecclesia Episcopos habuit, & Sacerdotes, & reliqua ecclesiastica ministeria, quomodo illi [hæc continua, ne dum contigua,] quæ neque Sacerdotes habet, neque Episcopos? legantur antiqua Concilia, Sancti Patres, ac Doctores Ecclesiæ, qui perpetuis seculis egregiè tutati sunt fidem Catholicam, ex quibus quę continua fuerit maiorum nostrorum, ab Apostolis ipsis tradita, & perpetuò in Ecclesiâ seruata integra fidei doctrina, facilè intelligimus, vt indè constet, an nostra, an verò hæc reformata, & purior, quàm vocat, sit primitiuæ illi Apostolicæ continua, & an eamdem Ministri isti nuperæ Ecclesiæ doceant, quæ Apostoli, & eorum successores docuere, siquidem ab vnitate doctrinæ, vna Ecclesia esse intelligitur, vt illa nunc sit primitiuâ Apostolica, in qua, quæ ab Apostolis consignata est eorum successoribus, ac deinceps continua serie temporum per manus, tradita fidei doctrina, sarta tecta retinetur, & integra, non Apostolicæ certè, sed apostaticæ illi primitiuæ continua est hæc deformata, ac impurior Ecclesia: nam à Simone Mago, primo hæretico ad nostra tempora, non defuere vllo tempore, qui Petro, & successoribus eius, & fidei Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ iam tùm annunciabatur in vniuerso mundo, resisterent, quibus isti valdè affines, hæreses hæresibus subindè aliæ successerunt, nec defuerunt antè hæc tempora, qui eadem docerent, qualia nunc noui isti Euangelici, sed damnati à Sacris Concilijs, ac toto Christiano Orbe hæretici.

Non solùm continuam seriem generationum à Seth, in quibus iusti, verùm etiam à Cain, in quibus reprobi ad diluuium scriptura commemorat, & vtraque Ciuitas Dei, & diaboli ab exordio mundi, ad finem cursum suum continuè peragit, illa quidem peregrinans in spe, hæc terrenis defixa cupiditatibus, ità Christi Ecclesia nostra est primitiua Apostolica, vt ab Apostolis ipsis suam originem repetens, ac continuè ad nos per omnia secula perseuerans, & de hostibus suis triumphans, hæc verò Ecclesia malignantium, non nunc primùm cœpit, cùm ab Apostolorum temporibus hæreses cœperint, ac per omnes ferè ætates aliæ alijs successerint, quibus cùm ista sit contigua, & per eas primitiuæ illi Apostaticæ Ecclesiæ contigua erit iudicanda.

Tot, inquit, miraculis corusca.

HÆc igitur Ecclesia reformata, & purior illa est; in cuius gremio D. Augustinum iustissimè retinebat auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, at non id solùm, verùm & consensio populorum, atque gentium, & ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum, tenebat, & ipsum Catholicæ nomen, quòd non sine causa, inter tàm multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes heretici se Catholicos dici velint: quęrenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur? nullus hereticorum, vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Atqui Ecclesiam suam non audet Catholicam Mornęus appellare, sed reformatam, & puriorem vocat, non credo eum adeò impudentem, vt dicat in eam consentire populos, atque gentes, non est in Ecclesia ista puriori successio Sacerdotum, cùm ista Ecclesia, nec Episcopos, nec Sacerdotes habeat, nihil habeat commune cùm Sede Petri, hoc est, cùm Ecclesia Romana, origine vnitatis, matrice, & radice omnium Ecclesiarum: neque igitur illa Ecclesia est, in qua sit auctoritas miraculis confirmata, aut vetustate firmata. [Nostra Ecclesia (ait Mornęus) primitiua illa est Apostolica, tot miraculis corusca, nostra doctrina, illa ipsa est doctrina Christi, & Apostolorum, tot signis olim confirmata. Eadem Caluinus pręfert ad Regem Galliæ. Quòd miracula à nobis postulant, improbè faciunt, non enim recens aliquod Euangelium cudimus, sed illud ipsum retinemus, cuius confirmandę veritati seruiunt omnia, quę vnquam, & Christus, & Apostoli ediderunt.

Non minùs igitur improbè Caluinus faciebat, cùm nouo miraculo studeret Geneuę confirmare veritatem Euangelij. Et quidem longè anteà Tertullianus (lib. de prescript. cap. 30.) miraculum istud stupendum Caluini præuiderat. [Volo (inquit) virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum emulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt.] An verò non est hęc petitio principij? Quid enim hic in quęstione est, nisi id ipsum, quòd isti homines pro confesso obtendunt? numquid non & Marcion, & Apelles, & Valentinus, ac reliqui Sectarij, quos & ipsi pro hęreticis habent, idem causari poterant? An Christus, & Apostoli diuinitùs ad eamdem doctrinam Prophetarum repetendam, interpretandam, & complendam missi, hoc tantùm Iudęis occinebant?

Nos orthodoxi sumus, Mosis & Prophetarum doctrinam asserimus, legem stabilimus &c. verùm vt fidem sibi compararent, vocationem suam, & Euangelij prędicationem stupendis miraculis asserebant, & Prophetarum interpretationem obsignabant, vos igitur ità compello, difformatę, ac impurę Sathanę Synagogę impuriores vindices, & defen-

fensores, Sacræ Religionis, & Christianæ Reipublicæ incendiarij, & sacrilegi, cùm incredibili furore Ecclesiasticos profligâstis, in Sacerdotes Domini longè crudelius, quàm Saul sæuijstis, multos iugulastis, sanctimonialium Deo sacratæ virginitati non pepercistis, sacratas Deo ędes, atque altaria destruxistis, & euertistis, sacras imagines, quę nobis Christi in nos beneficia, & sanctorum merita, & vitam, vt eos nobis vitę exemplar proponamus, referunt, confregistis, sacrosanctam Eucharistiam (Horret animus referre) sacrilegis pedibus protriuistis, Ecclesias, Monasteria, Sacella, Claustra, vsque ad fundamenta demoliti estis? omnia sacræ antiquæ Religionis monumenta euertistis, in quo signo hæc fecistis? hoccine Euangelium ab initio, tot miraculis confirmatum, quod Christus, & Apostoli per Orbem prædicauerunt? Nonne Chaldæos templi Hierosolymitani euersores, in hoc æmulati estis? quin & Antiochum illum Epiphanem radicem peccati imitati, qui Templum Dei viui, ac veri in Templum Iouis commutauit, vos verò sacras ædes in loca prophana, & equorum stabula conuertistis? hæc istius nouæ Ecclesiæ reformatæ miracula. Olim per Imperatores Christianos, toto Romano orbe euersa sunt Templa Dæmonum Idola comminuta, subtracta sacrificia, nunc Diabolus per vos fidelissimos ministros suas iniurias vltus est.

Tot tantorùmque Martyrum; sanguine purpurata.

HÆc itàque Mornæi purior, & reformata Ecclesia simia erit in purpura, & rectè quidem, nec enim minùs de Mornæo, & sui similibus, quòd scribebat ad Iubajanum de Nouatiano Cyprianus, intelligi potest, [Nouatianus simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur, (Epist. 70) vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem vendicare, quando ipse in Ecclesia non sit, immò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis, & hostis extiterit.] Sic ista Ecclesia, tàm verè Apostolica primitiua est sanguine martyrum purpurata, quàm verè simia est homo, quę tamen hominem imitatur.

Quid quæso tam ridiculum, quàm simia vestita purpurea veste? Atqui magis ridiculum, quòd iste nuperam suam Ecclesiam tot miraculis coruscam, tot, tantorumque Martyrum sanguine purpuratam tanta impudentia scribit.

Refert Epiphanius (hæres. 68.) natum esse aliquando schisma inter Petrum Archiepiscopum Alexandrinum, & Meletium Episcopum in Thebaidæ, quòd Petrus eos, qui lapsi essent, & à martyrio excidissent, & coacti Idolis sacrificassent, pœnitentes suscipiendos consuleret, & ordinandam illis pœnitentiam, vt assiderent Ecclesiæ, ne fortè, qui semel ad confusionem præ imbecillitate, ac infirmitate à diabolo concussi, ac conquassati fuerant, etiam propter temporis moram perfectè subuerterentur, & non sanarentur, prout scriptum est: [Non debere claudum subuerti, sed curari.] Meletius verò omninò refragaretur huic consilio, ne propter talem veniam ità facilè, & citò datam alij prænaricarentur, & ad Dei abnegationem, & idololatriam labentur, & Christo renunciarent. Hinc factum est, vt alij Petri, alij Meletij sententiæ adhærerent, qui seorsim preces fundebant, & sacrificia perficiebant. Atque cùm Meletius Clericos, Presbyteros, Episcopos, & Diaconos constitueret, & proprias Ecclesias ædificaret, qui Meletio adhærebant cum Alexandrino Episcopo successore Petri minimè communicabant, inscribebant verò singuli in propria Ecclesia, qui Petro successerant veteres habentes Ecclesias [Ecclesia Catholica;] qui verò Meletio adhærebant, [Ecclesia Martyrum.]

Idem Mornæo consilium est distinguere Ecclesiam Martyrum ab Ecclesia Catholica; nàm certum est suam non esse Catholicam, neque Apostolicam, vt ostensum est, Si igitur illa Ecclesia Martyrum sanguine purpurata, certum est aliam esse Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, aliam verò Martyrum, quod cùm fateri sit absurdum, nec extrà Ecclesiam Catholicam, quàm in Symbolo profitemur, sit vera fidei confessio, aut verum martyrium, tam verum est Ecclesiam Mornæi esse tot, tantorumque Martyrum sanguine purpuratam, quàm verum eam esse Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

Miracula quidem illa Euangelij huius fidem attestantur, martyria Christo vnigenito Dei Filio soli generis humani Redemptori, Mediatori, Saluatori, soli noui fœderis verè Sacerdoti testimonium perhibent.

CErtò quidem constat stupendis miraculis tamquam diuinis testimonijs confirmarū esse Christi Euangelium, quod per Apostolicos viros Orbi annunciatum, impleti sunt Spiritu sancto Apostoli, ait diuus Augustinus epist. 3. [loquuntur repentè linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, prędicant salubertimam veritatem, cohortantur ad pœnitentiam prætertiæ culpabilis vitæ, indulgētiam de diuina gratia pollicentur, prędicationem pietatis, veræque religionis signa congruentia, & miracula consequuntur.

Aut certè miraculis Mundus persuasus fuit, vt crederet tam sublimia mysteria, Christi diuinitatem, illius incarnationem, resurrectionem ex mortuis, & Ascensionem ad Cœlum, aut sine vllis miraculis credidit. [Et hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, ait Diuus Augustinus lib. 22. de ciuitat. Dei cap. 5. quòd ea terrarum Orbis sine vllis miraculis credidit.]

At quot illud Euangelium, cuius fidem tot miracula sunt attestata, de quo scilicèt Christus, prędicate Eungelium omni creaturæ, de quo Apostolus, in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso Mundo est, & fructificat, & crescit, sicut & in nobis, vt intelligamus illud esse Christi Euangelium miraculis confirmatum, quod credit, & prædicat Ecclesia Catholica; Apostolica Romana, quæ in vniuerso Mundo est,

est, non Mornæi Euangelium, cuius magna laus est per omnes Pseudo-euangelicorum Ecclesias in Euangelio, quod sibi priuatim damnato Orbe terrarum isti asserunt.

Quod contendebat apud Diuum Hieronymum Orthodoxus contra Luciferianum non sine causa Christum mortuum fuisse, nec ob Sardorum tantùm Mastrucem Dei filium descendisse, & nos idem contendimus Euangelium, quod virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco, esse illud, quod Catholica credit, & prædicat Ecclesia; non quod sibi nupera secta, & hæretica perfidia priuatim asserit? Quod ad reliqua attinet, quæ subijcit Mornæus venit in mentem illud Christi. [Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum,] profitetur Christum vnigenitum Dei filium solum generis humani Mediatorem, Redemptorem, & Saluatorem, solum noui fœderis verè Sacerdotem, de hoc nisi subdolus esset homo, vt solent esse omnes hæretici, nulla nobis cum illo contentio, sed sub verbis istis, vt à fraudulento homine prolatis occultum certè latet venenum, vult enim exclusa sanctorum merita, opera supererogationis, nihil nos eorum precibus iuuari, iniuriam fieri Christo, si eos nobis apud Deum intercessores fore confidamus, vult & excludi Sacerdotium, & sacrificium noui testamenti, & cum plurimum putat se Christo tribuere, illius meritò maximè derogat, & detrahit: pergit homo phanaticus.

Quod nos solùm vrgemus impugnatis cæteris, sanguine nostro obsignare parati sumus.

AN verò sanguine suo obsignabit doctrinam Ecclesiæ purioris, & reformatæ, ideò doctrina illa vera erit? an etsi pro confessione numinis Christi, quòd sit vnigenitus Dei filius, vnus Dei, & hominum Mediator, sanguinem profuderit, non ideò pseudo martyr erit habendus?

[Quam sibi pacem promittunt (ait Cyprianus lib. de vnitat. Ecclesiæ cap. 10.) inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? an secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nobis Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur, inexpiabilis, & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad Regnum peruenire non potest, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes, atque vnanimes esse præcipit, dilectionis, & charitatis fœdera incorrupta, atque inuiolata seruari mandauit, exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenet charitatem. Ità enim Apostolus, si tradidero corpus meum ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.]

An verò charitatem habere censendi sunt isti noui Euangelij promulgatores, qui ausi sunt eam pacem, quæ in Ecclesia vigebat anteà, perturbare? illam inconsutilem Christi tunicam, à quo facinore etiam impij milites abstinuerunt, varias in partes scindere: florentissimas Europæ prouincias sanguine, ac cædibus compellere? An charitatem habet Mornæus spirans minarum, ac cædis in Catholicos: ferro, flammaque Christiano Orbi vastitatem inferre exæstuans: ibidem Cyprianus loco citato: [cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel animas suas bestijs obiecti ponat, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Non ex passione certa, est iustitia, ait Diuus Augustinus libro 1. cont. epist. Parmeniani cap. 7. sed ex iustitia passio gloriosa est. Ideòque Dominus ne quisquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in suorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait, beati qui persecutionem patiuntur, sed addit magnam differentiam, qua vera à sacrilegio pietas secernatur, ait enim: beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Epist. 50. ad Bonifacium: veri Martyres illi sunt, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionem, sed propter iustitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt.

Ibidem: [Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus, sed quos passio iungebat, causa separabat. Ideò in Psalm. 42. Vox illa intelligenda est, verorum martyrum volentium se discerui à falsis martyribus: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, non dixit discerne pœnam meam, sed discerne causam meam, potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est martyrum causa, &c.]

An non multi tolerauerunt tormenta vitio, non virtute pertinacia, non constantia diabolo possidente, non persequente? Nihil igitur simile habet constantia martyrum, & istorum pertinacia, vt enim scribit diuus Bernardus serm. 66. super Cantica: [Mortis contemptum ib illis pietas, in istis cordis duritia operatur:] neque igitur si purioris suæ Ecclesiæ doctrinam proprio sanguine obsignet Mornæus, aut illa erit Ecclesia Christi, aut ideò ipse verus Dei martyr erit habendus, non magis, quàm Donatistarum circumcelliones, qui per mortes varias maximè præcipitiorum, aquarum, & ignium seipsos necare consueuerunt, vt testatur Diuus Augustinus hæresi 69. & in ipsum furorem alios seducunt, vt seipsos occidant, quod si facere illi contemnunt, mortem illis minantur, dicentes hoc modo illos martyres fieri. Verè dixit Optatus Donatistis:

[Nolite putare vos esse quales non estis, & perire tales, quoniam nos vos hæc fides, sed vester malus error hortatur, vt non libenter pro Deo, sicut dicitis in ista persecutione moriamini, sed nequiter pro Donato factis vestris persecutionem patiamini.] Sic peruicaces isti non fidem in Christum, sed perfidiam sunt proprio sanguine obsignaturi.

Nostra proindè miracula, & Martyria, quatenus eius commilitiones concorpores sumus.

QVantus honos habitus sit semper in Ecclesia ipsis martyribus, & quanta celebritate eorum memoriam coluerint Christiani, constat ex ipsis Patribus, quin & templa in eorum memoriam Deo magnificè constructa, & consecrata, quæ, qui euerterunt, eorumdem cultum impugnarunt, memoriam prorsus extinctam voluerunt, nescio qua impudentia sibi nunc illos vendicent, nostra certè Martyrologia ab istorum Martyrologijs longè differunt, qui non antiquos martyres, sed nouos sacrilegos apostatas, & perditissimos nebulones habent loco martyrum vide Alanum copum dialogo 6. cap. 16. [At quid mirum? habent vespæ, sicut, & apes, inquit Tertul. lib. 4. cap. 5. contra Marcionem, fauos suos.]

Tam verè itaque istorum miracula, & martyria sanctorum, quàm Ecclesiæ Christi sunt commilitones, qui ab ea extorres sunt reprobi, ac æternæ damnationis ignibus deputati.

Cedo verò num traditiones tuas illis miraculis confirmatas, num pro Papatu, pro Papali doctrina, imaginum adoratione, sanctorum cultu, purgatorij nundinatione, missæ sacrificio, Transubstantione, Martyrium illos subijsse, dicere sustineas.

EGo verò id Doctori Mornæo respondeorim, neminem vnquam Christi fuisse martyrem, nisi qui in Ecclesia Catholica Apostolica Romana pro his omnibus, quæ ex multis fidei dogmatibus proferr, mortem subierit, neminem vmquam in lege Euangelica, vel salutem eum consecutum, aut saluatum iri, nisi qui hæc omnia dogmata, & quæcumque docet sancta Romana Ecclesia explicitè, atque disertè, aut saltem implicitè, cùm non omnes fideles ex æquo ad omnia explicitè credenda teneantur, crediderit, ac confessus fuerit, qui enim pertinaciter errauerit, vel circa vnicum dogma fidei, etsi reliquis assentiatur, hunc hæreticum esse constat, cum fides illius non reuelatione diuina nobis per Ecclesiam proposita, quæ est ratio formalis fidei verè Catholicæ, & diuinæ, cui falsum subesse non potest, sed priuata tamen, & speciali credentis auctoritate nitatur.

Et quemadmodum charitas ipsa per vnumquodque mortale peccatum cuscumque Diuino, aut Ecclesiastico præcepto oppositum tollitur, ità fides per quamlibet hæresim cuicumque dogmati Ecclesiæ oppositam omninò extinguitur, an Nouatianus non fuit hæreticus, nisi fortasse impostor sit sanctissimus martyr Cyprianus, quem tamen de sanctissima Trinitate, de incarnatione, ac præcipuis fidei dogmatibus rectè sensisse, eòque schismaticum, & hæreticum iudicatum esse, quòd ab Ecclesia se subtraxisset, & nullam spem veniæ lapsis pœnitentibus superesse doceret, constat? An non Donatistæ ab initio omnibus assentiebantur dogmatibus fidei, quibus, & ipsi Catholici cò tamen errabant, quòd dicerent Ecclesiam in sola parte Donati remansisse, qui deindè, vt abyssus abyssum inuocat, alios multos errores sunt professi.

Verùm hanc Theologiam magnus Doctor Mornæus ignorauit, ideòque tàm præcipitanter, & nullo iudicio scribit pro illius fidei dogmatibus, nullos martyrium subijsse.

Verùm libenter ex illo quærerem, quinam martyres ex antiquis illis, quos solemni ritu colit Ecclesia, & quorum martyrijs confirmata est per Mundum fides Eungelij, martyrium passi sunt pro doctrina, quam in reformata sua Ecclesia noui isti Euangelici profitentur, an vllus vmquam pro hac propositione sanguinem profudit, quòd Papa sit adulter, & non legitimus Ecclesiæ sponsus, & quòd Ecclesia Romana sit adultera, & quòd mysterium iniquitatis sit historia Papatus, quæ sunt vulgatæ istorum blasphemiæ, aut quòd missa non sit sacrificium à Christo Domino in memoriam passionis suæ institutum, in quo verè, realiter, & substantialiter offeratur in altari sub speciebus panis, & vini verum & reale corpus Christi, aut quòd sacræ imagines non sint adorandæ, quas Iudæi isti, & Ethnicis peiores, vt omnem pietatem, & religionem, ac sanctorum memoriam ex fidelium mentibus eradicarent, euerterunt, aut quòd non sit purgatorium, cuius pœnas perfidi isti, quibus ignis inferni cum diabolo, & angelis eius paratus est, numquam sunt probaturi, aut denique, quòd nullus sanctis cultus debeatur: non quidem mei est instituti hoc pluribus argumentis horum dogmarum veritatem contra Doctorem Mornæum confirmare, id alteriùs est loci.

An verò non sanctissimi Martyres omnes illi Romani Pontifices, qui pro hâc Christiana vsque ad tempora Constantini magni fortissimè, & constantissimè martyrium passi sunt, ex quorum epistolis euidenter constat eos credidisse, sibi curâ omnium Ecclesiarum, hoc est totius Dominici gregis quacumque dispergeretur, commissam esse? quorum nonnullos inter celebrandum sacra à satellibus interceptos fuisse, vt nostro seculo in aliquot Europæ locis, vbi hæreses præualent. Pontificum ipsorum historiæ longè veraciores, quàm historia Papatus perfidi, & sacrilegi Mornæi, referunt.

Quot verò hoc nostro seculo pro papatu passi martyrium, vt inter cæteros in Anglia Thomas Maurus, & Ioannis Roffensis Cardinales cum multis alijs ex singulis ordinibus religiosissimis viris, & de Papatu quidem tamdiù disputatum est in Concilio Florentino, & quoties Greci Concilijs interfuerunt, toties in eamdem cum Latinis sententiam de Primatu Romani Pontificis Patrum auctoritate conuicti descenderunt.

Quæ

Quæ igitur iſtius bardi audaci, vt ſeſe ſacris Concilijs Occidentibus, & Orientalibus Eccleſijs audeat opponere? Quot verò ſub Leone Iſaurico, Conſtantino illo infami Copronymo, & alijs Græcis Imperatoribus pro defendendo cultu ſacrarum Imaginum mortem intrepidè ſuſtinuerunt, an non pudebit Mornæum pios appellare iſtius modi generis humani monſtra, an non ſunt perſecuti Dei Eccleſiam, an non conſtat miraculis ſæpè confirmatum ſacrarum Imaginum cultum? Ioanni Damaſceno, ſanctitate, & doctrina eximio, qui ſcripſiſſet pro cultu ſacrarum Imaginum, manum abſciſſam Diuinitùs, & miraculosè fuiſſe reſtitutam, poſtquam ad Imaginem Deiparæ Virginis preces fudiſſet.

Multa item miracula in confirmationem ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, & veritatis illic corporis Chriſti referunt auctores fide digniſſimi, vt nonnumquam Iudaicam ipſam perfidiam conuicerint, quæ certè numquam reformata iſta Eccleſia arrogare ſibi audebit, quorum verò martyrum fidei ſe hæredes eſſe affirmant, niſi illorum, quos in martyrum Canonem Foxus, & Beza, aliſque retulerunt, quos non pro Chriſti fide, ſed pro perfidia, aliiſque criminibus ſupplicio conſtat eſſe affectos?

Noſtra demùm illa Eccleſia, quæ hæreticos olim peruicit Arrium, Macedonium, Neſtorium, Eutichem, Pirrhum, addamus & Papam Honorium, qui vnigeniti Filij, & Spiritus ſancti Diuinitatem, vtramque etiam tum naturam, tum voluntatem Chriſti controuertebant.

Atqui & noſtram eam eſſe Eccleſiam dicimus, & nullo argumento oſtendit Mornæus hanc ſuam eſſe Eccleſiã. An non diuinitatem Chriſti contra Arium, Spiritus ſancti contra Macedonium, Incarnationem verbi, & vnitatẽ perſonę in duabus naturis in Chriſto, contra Neſtorium, diſtinctionem naturarum, etiam poſt verbi incarnationem, contra Eutichem, & voluntatem contra Monothelitas in ſexta Synodo condemnatos aſſerimus? Quæ igitur occaſio illis diſcedẽdi ab Eccleſia Romana, in qua quicquid in antiquis illis Concilijs definitum, nullo modo in dubium reuocare liceat, ſi igitur antiquam illam Eccleſiam ſibi vendicant reformatores iſti Euangelij, & puriores Chriſtiani: quòd vnigeniti filij, & Spiritu ſancti Diuinitatem, diſtinctionem item naturarum, & voluntatum in Chriſto credunt, quo iure, & nobis non liceat eamdem Eccleſiam aſſerere? neque enim vllus vnquam in Eccleſia Romana, vel minimùm dubitauie de his dogmatibus fidei, quæ in ſacris illis Concilijs à ſanctis Patribus ſunt definita.

An verò de ſanctiſſima Trinitate, de Diuinitate Chriſti, de illius incarnatione, & meritò rectè ſentiant Mornęi Symmiſtæ, aliorum eſto indicium, ego enim facilè oſtenderem, quod, & alij iam fecerunt, Doctores primarios iſtius Euangelij de præcipuis illis noſtræ religionis myſterijs perperam ſentire, ac ferè in atheiſmum vergere.

An verò quod idem ſentiant cum ſacris illis Concilijs de Diuinitate Chriſti, & Spiritus ſancti, &c. Rectè infertur hanc puriorem, & reformatam Eccleſiam illam eſſe, quæ peruicit Arrium, Macedonium, &c. Rectè ſenciebant Donatiſtæ de Diuinitate Filij, & Spiritus ſancti, item de incarnatione verbi, & de duabus naturis, & voluntatibus in Chriſto, eratnè ideò pars Donati Eccleſia illa, quæ peruicit Arrium, Macedonium, Neſtorium, Eutichem, Pyrrhum, &c.

Luciferiani idem credebant, quia & Nouatus ipſe, apud quem ſi erat Eccleſia, non erat apud Cornelium, vt argumentabatur Diuus Cyprianus.

An fides noſtra ad eos articulos reducitur, vt ſi quis erret in reliquis, tamen infidelium, & Chriſtianorum numero ſit habendus? An ſi quis non eſt Arrianus, neque Macedonianus, Neſtorianus, aut Entichianus, ideò non hæreticus? An apud Schiſmaticos illos Chore, Dathan, & Abiron erat Eccleſia Dei, & non magis apud Moyſem, & Aaronem, ac reliquum populum, & tamen illi eumdem verum Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, quem iſti colebant, ſic de ſacrilegis iſtis apoſtaris iudicandum?

Auguſtinum ipſum, cui non niſi impudenter refragabantur aduerſarij, loquentem audiamus, ex quo conſtabit nouos Euangelij præcones, etſi de Chriſto rectè ſentiant, quatuor illa celeberrima Concilia admittant, Arrium, Macedonium, Neſtorium, Eutichem Pirrhum condemnent, eſſe tamen à corpore Eccleſiæ auulſos. Totus Chriſtus caput, & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei Filius, & corpus eius Eccleſia Sponſus, & Sponſa, duo in carne vna. Quicumque de ipſo capite ab ſcripturis ipſis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia, deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus quicumque de ipſo capite ſcripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt, v. g. qui non credunt Chriſtum in carne veniſſe de Virgine Maria ex ſemine Dauid, quod apertiſſimè ſcriptura Dei loquitur, aut non in corpore ipſo reſurrexiſſe, in quo Crucifixus, & ſepultus eſt, etiamſi per omnes terras inueniantur, per quas eſt Eccleſia, non vtique ſunt in Eccleſia, quia ipſum caput Eccleſiæ non tenent, quod eſt Chriſtus Ieſus. Nec in aliqua diuinarum ſcripturarum obſcuritate falluntur, ſed notiſſimis & apertiſſiis earum teſtimonijs contradicunt. Item, quicumque credunt quidem quòd Chriſtus Ieſus, ità vt dictum eſt, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus, & paſſus eſt, reſurrexerit, & ſit ipſe Filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre vnum, & incommutabile verbum patris per quod facta ſunt omnia, ſed tamen ab eius corpore, quod eſt Eccleſia ità diſſentiunt, vt eorum communio non ſit cum toto quacumque diffunditur, ſed in aliqua parte ſepa-

rata

rata inueniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia, &c.] Et Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 4.

No potuit magis disertè, & expressè reformatam istam Ecclesiam Augustinus condemnare, vt etsi Mornæus rectè de Christo capite sentiat, & doctrinam quatuor illorum Conciliorum amplectatur, quia tamen non communicat cum ea Ecclesia, quæ perpetuis temporibus pro Ecclesia Christi habita est, cum nullam aliam Christianus Orbis agnosceret, quæ sectas omnes condemnauit, quæ toto terrarum Orbe diffusa est, & notissima appellatione Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ: certè non est in Ecclesia Christi Mornæus, etsi de capite Ecclesiæ, quod est Christus, cum filijs Ecclesiæ idem sentiat. Quòd verò Papam Honorium hęreticis istis connumerat, id non nisi per summam iniuriam facit, egregiè tum ab hęresi Monothelitarum damnata in 6. Synodo vindicaut Albertus Piphius lib. 4. de Eccl. Hierarc. Hosius Cardinalis lib. 2. contra Brentium, Ioannes à Louanio lib. de perpetua Cathedræ Petri protectione, & firmitate cap. 11. Honuphrius annotat. in Platinam in vita Honorij, ac post alios Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11.

Nostra Concilia illa vniuersalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, alia in quibus damnati illi cum suis, & profligati.

AT nos potiori iure Concilia illa nobis vendicamus, qui ea cum Gregorio magno, & suis successoribus Romanis Pontificibus totius Dominici gregis Pastoribus, non secùs, ac quatuor Euangelia veneramur. An non verò trecenti octodecim Episcopi sacro Concilio Nicæno interfuerunt, qui hęresim Arij condemnarunt, centum quinquaginta Episcopi, Constantinopolitano, qui hæresim Macedonij, ità in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi? Quomodo igitur Ecclesia ista reformata, quæ angustiis adeò limitibus restringitur, neque Episcopos habet, aut Sacerdotes, antiquam illam referat, in qua celebertima illa Concilia celebrata, an non & tum temporis Ecclesia caput, & supremum Pastorem agnouit Romanum Pontificem, siquidem loco Cœlestini Romani Pontificis Concilio Ephesino præsuit Cyrillus Alexandrinus, qui sententiam contra Nestorium dictaturus, ad eam ferendam tum necessitate Canonum, tum Cœlestini literis coactum se profitetur, & tota Ephesina Synodus datis ad Nestorium literis cum admonet, vt intra deliberandi tempus per literas Cœlestini illi datum maturè resipiseat, & Prosper ipse scripsit Cyrilli industria, sed Cœlestini auctoritate Nestorij errores fractos.

In Concilio Chalcedonen. Romana Ecclesia caput omnium Ecclesiarum appellatur.

In eadem Synodo, Leo Pontifex Romanus vniuersalis Archiepiscopus, vniuersalis Ecclesiæ Papa, vniuersæ Ecclesiæ Episcopus appellatur. Dioscorus, à Patribus illis exauctoratus, & anathemate percussus, quòd ausus fuerit anathematis sententiam in Leonem Pontificem dictare, & Synodum sine ipsius consensu cogere.

Tota Synodus Leonem beati Petri interpretem, omnibus constitutum, eumque licèt absentem, per Vicarios tamen, & adfuisse, atque adeò vt caput membris præfuisse ingenuè profitetur.

Hæc igitur nostra, quæ vbique terrarum diffusa, quæ habet Diaconos, & Sacerdotes, Episcopos, & Archiepiscopos, & Romanum Pontificem supremum Pastorem agnoscit, siquidem vna, eademque est per omnia tempora, & loca Christi Ecclesia, erit eadem illa antiqua, in qua celebrata illa Concilia, & quæ hęreticos illos peruicit. Magna verò frctus iste audacia.

Cedo, inquit, rursum, nunquid idem audeas?

AN verò nos Romanæ Ecclesiæ sectatores, quos ità compellat, veteribus illis hæreticis in celleberrimis illis Concilijs condemnatis consentimus, immò & errores omnes circa fidem in alijs hæreticis iam explosos detestatur Ecclesia Romana, hæc verò purior Mornæi eosdem amplectitur. Nonne alter Ætianus iste publicè ab Ecclesia damnatus, qui neget orandum pro mortuis, ideòque doctrinam Catholicam de purgatorio, purgatorij nundinationem appellet. An non Berengarius, qui veritatem Corporis Christi in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento tanta impudentia inficiatur? an non Iconoclasta Iudæus, magis quàm Christianus, qui sacris Imaginibus, adeòque Sanctis ipsis, siquidem earum honor ad prototypum, vt patres docent, refertur, tam cruentum bellum cum suis indixerit? videamus verò, quam conclusionem, & ex quibus præmissis deducat.

Et si præ pudore fortè audere videri vis, an non Papam tuum in ordinem cogendum vides? An non Papatum illicò ruiturum?

NEcessaria certè consequentia. Isti reformatæ, & purioris Ecclesiæ vindices asserunt suam esse illam Ecclesiam, quæ peruicit Arrium, Macedonium, Nestorium, &c. sua item esse illa prima Concilia: quod nos tam verè, & constanter negamus, quàm illi falsò, & pertinaciter affirmant. Ergo Papa noster in ordinem est cogendus, & Papatus illicò ruiturus, facilè intellexit Moyses non sibi credituros Hebræos, quando se ad eos liberandos missum à Deo Patrum suorum affirmaret, nisi aliquo signo id probaret, qui & eos certiores facere potuit, quòd visuri essent Dei miracula circa Pharaonem, & totam Ægyptum. At quo signo iste nos eò inducit, vt credamus Papatum illicò ruiturum? quando id à Deo per reuelationem accepit, quam libertatem nobis pollicetur: in resp. contra Henricū VIII. prædictum quidem est, futuras hære-

hæreses, quæ Ecclesiam Dei plurimùm infestarent, & sub Christi nomine deciperent, idque nostris temporibus completum videmus: quid si vt Prophetam Dei Mornæum haberemus, & aliqua prædixisset, quæ videremus impleta, & de ruina Papatus, quam sibi adeò pollicetur audacter, illi fortasse credendum iudicaremus, sic enim nobis certò persuademus ea, quæ à sanctis Prophetis fuere prædicta, complenda, quòd multa ab eisdem prophetata iam completa videmus, eodem spiritu acceptus aliquando Lutherus idem sibi pelliecbatur, quod Mornæus. [Dogmata mea, inquit, stabunt, & Papa cadet inuitis omnibus Portis inferi, & potestatibus aeris terræ, & maris.] Cuius Prophetiæ vanitatem, ac mendacium, rerum euentus ostendit, Mornæus Propheta, qualis ille Ananias Hieremiæ 28. & qualis Sedechias filius Chanaana 3. reg. 22. cornutus scilicet, & Prophetia illius, tam vera, quàm illa, quadringentorum circiter vatum. [Ascende in Ramoth Galaad, & dabit eam Dominus in manus Regis.] Hanc vanam Mornæi assertionem cum stultissimo mendacio Paganorum meritò contulerim, cuius meminit D. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 53. & 54. qui cum viderent Religionem Christianam tot, tantisque persecutionibus non potuisse consumi, sed his potius mira incrementa cepisse: finxerunt Demonum responsis, quos tanquam Deos colebant, definitum esse quanto tempore mansura esset Religio Christiana, totumque illud tempus 365. annis circumscribebant, & cum tantopere à Religione Christiana abhurrerent hostes diabolico spiritu seducti, istiusmodi inanibus vaticinijs se consolabantur. Ità indicandum ab Apolline, aut quadam Hecate reformatæ, & purioris istius Ecclesiæ sectatoribus, qui non minùs Papatus oderunt, quàm Pagani illi Christianam Religionem responsum, quo indè se consolentur, Papatum illicò ruiturum, idque Deorum responsum, nouus iste Porphyrius Orbis publicare voluit. Verùm, vt eleganter Chrysost. homil. de sui expulsione: [Licèt mare insaniat, Petram non potest commouere; insurgant quamtulibet fluctus, nauis Iesu obrui non potest: paulò post: Durum tibi erit aduersùm stimulum calcitrare, quia non stimulum retundes, sed pedes calcitrans vulnerabis. neque fluctus, qui saxo illuduntur, ampliùs aliquid proficient, quàm vt semetipsos fracti dissoluant, & in spumas extenuati depereant: Christi Ecclesia nihil fortius, si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est: tale est enim, velut si Cœlo bellum meditetur inferre. Ibidem, fortior Ecclesia multò, quàm terram, immò & fortior Cœlo. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, quæ verba? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] An verò Chrysostomus hanc reformatam vnquam agnouit, vt de ea loqueretur? Leo Papa serm. 2. de sua assumptione ad Pontificatum: [firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassessit, soliditas enim illius fidei, quæ in Apostolicorum principe est laudata, perpetua est, & sicut permanet, quòd in Christo Petrus credidit, ità permanet, quòd in Deo Christus instituit.] Itàque tam facilè Mornæo, & suis Papatum dieuere, quàm instituta Christi conuellere, & promissiones diuinas irrita facere.

Inuentis verò illis tuis, num in illis probatissimis, & antiquissimis Concilijs vsquam locus? & tamen hæc ad sexcentesimum vsque à Christi natali annum nos perducunt.

INuenta nostra, quæ vocat Mornæus, dogmata sunt Ecclesiæ Catholicæ, non à nobis excogitata, sed à patribus tradita, neque fuit aliquid nobis adijcere, aut nouam fidei doctrinam credere licet, & quia præ ceteris meminit Papatus, ac Papalis doctrinæ, adorationis Imaginum, cultus Sanctorum, doctrinæ purgatorij, quam nundinationem vocat, Missæ sacrificij, transubstantiationis, An quæso definierunt vnquam sacra illa Concilia doctrinam Lutheranorum, & Caluinistarum contra Papatum, contra vsum imaginum, cultum sanctorum, purgatorium, missæ sacrificium, transubstantiationem? Nec enim de illis dogmatibus tum orta erat vlla controuersia, & si isti reformatæ Ecclesiæ assertores tum Orbi innotuissent, non dubium, quin eos sacra illa Concilia damnassent, quemadmodum eos nouissimè damnauit Concilium Tridentinum non minoris auctoritatis apud nos, quàm illa superiora, & prout variæ hæreses inter Christianos obortæ sunt, opus fuit illis subindè occurrere, vt non omnia nostræ fidei dogmata in primis illis Concilijs definita fuerint, in quibus quemadmodum superiores illæ hæreses profligatæ, & ab illis asserta fides Catholica, ità subsequentibus Concilijs, quæ posteriùs emerserunt hæreses condemnatæ, ac certè sacra illa Concilia non minùs detestandos istorum, quàm superiorum hæreticorum errores condemnassent, & Mornæo non minùs anathema dixissent, quàm tum Arrio, Macedonio, Nestorio, Euticheti. Quòd si Patres Concilij Chalcedonensis, Dioscorum anathemate percusserunt, quòd in Leonem Pontificem Romanum sententiam anathematis dictare, & Synodum sine ipsius consensu cogere, ausus fuerat, quid quæso contra istos acturi, aut pronunciaturi fuissent, qui Pontificem Romanum Antichristum, Romanam Ecclesiam sedem Antichristi, tam impudenter appellant? & quidem cum habita sunt in Ecclesia prima illa Concilia nihil de dogmatibus, quæ iste profert, & reijcit, fuisse dubitatum ex patribus, qui primis illis seculis vixerunt, procliue esset ostendere.

Quo

Quo vniuerso temporis spatio, si qua nos affirmamus dogmata, Scripturis Sacris, Symbolis, miraculis, Martirijs, Conciliorum decretis, passim obsignantur, quæ nos negamus contra, nusquam comparent, nedum vt asserantur. An non meritissimo iure profitemur nostram fuisse Ecclesiam illam?

QVòd si de dogmatibus, quæ contra illos hæresiarchas in primis illis Concilijs definita sunt: de Diuinitate Christi, & Spiritus sancti,& de Incarnatione Verbi,intelligat, & nos ijsdem subscribimus, eaque Scripturis sacris, Symbolis, miraculis, Martyrijs, Conciliorum decretis, obsignata non diffitemur. Quid igitur aliam Ecclesiam à nostra opus erat istos erigere, aut ab eadem, quæ antiqua illa Concilia, & eorum dogmata sanctè venerantur, recedere, eodem enim argumento, & potiori, vte, siquidem illi à nobis recenserunt non nos ab illis, nostram illam Ecclesiam esse profitemur. Quæ verò præterea dogmata isti affirmant contra Papatum, cultum Sanctorum, venerationem sacrarum Imaginum, propitiatorium, missæ sacrificium transubstantiationem, si non asseruntur in illis Concilijs cum in dubium tuum non reuocarentur: At negari ostendant, qua igitur emeritate, aut quorum Conciliorum freti auctoritate, ista negant? quæ nec illa Concilia reprobarunt, & præterea in posterioribus Concilijs fuere definita, vt isti non minus fidei Ecclesiæ Catholicæ, quàm illi primi hæresiarchæ sese opponant, similes populis à Rege Assyriorum in Samariam translatis, qui cum Dominum colerent, Dijs quoque falsis more gentium seruiebant, sic isti profiteri se dicunt dogmata antiquorum Conciliorum, quę sunt Ipsius Ecclesiæ Catholicæ, quibus tamen multos errores ab Ecclesia damnatos admiscent. Nec verò eo modo illa affirmant dogmata, quo Scripturis sacris, Symbolis, & Conciliorum decretis obsignantur, sic enim fide Catholica, & infallibili illis assentiri necesse, quibus Mornæus, & sui, qui fidem Ecclesiæ Catholicæ non habent, non nisi persuasione humana assentiuntur.

Vt nobis longè æquius regerere nobis liceat, totis illis sexcentis annis vestra Ecclesia vbinam gentium? eleganter parenthesim subnectens (& sanè gentium) pascebat, vegetabat.

AN verò, vt scribit Apostol. Rom.3. Deus Iudæorum tantùm?] hoc est, Mornæi,& Symmistarum illius longè deteriorum, qui Ecclesiam Romanam oderunt plusquam Iudæi, qui diuina Sacramenta sacrilegis pedibus conculcant, quia altaria Dei, vt Iudæi quondam idololatriæ destruunt, qui Templa ritu Christiano, Deo consecrata demoliuntur, sacras præterea Imagines comminuunt? Act. 10. An non, & gentium, immò & gentium, siquidem & gratiam Spiritus sancti gentibus cõmunicandam intellexit in visiono Petrus. Nostra igitur illa Ecclesia, quæ iam tum ex omnibus gentibus collecta erat, magis quam Mornæi, & suorum. Discat Mornæus ex Patribus, vbi primis illis seculis Ecclesia Christi pasceret, & vegetaret, an ignota esset & lateret, quemadmodum Eliæ tempore Ecclesia Israel ipsi Prophetæ, & nobis vult iste suam aliquot seculis ignoram, & soli Deo notam obtrudere, ostendat nobis, & probet ex Scripturis Sacris, vel ex primis illis Concilijs suam Ecclesiam, quam fingit reformatam, & puriorem, nunc esse Christi Ecclesiam, vel cum antiqua illa aliquid habere commercij, quemadmodum ostendimus in nostra Ecclesia post sexcentos annos à Christo, celebrata fuisse contra subsequentes hæreses multa Concilia eo conuenientibus, vt in illis prioribus, omnium Ecclesiarum Episcopis, in eadem esse Hierarchiam Ecclesiasticam, ex Episcopis, Sacerdotibus, & alijs ministerijs Ecclesiasticis constantem, quæ erat in antiqua illa Ecclesia in qua prima illa Concilia celebrata fuere. Subijcit iudicium suum Mornæus de nostra Ecclesia.

Quæ cum non in monte Sion, certè in collibus, & lucis Gaisim, in Montanis Seir, in pascuis Ethnicorum.

AN Ecclesia nostra, an verò istorum sit in monte Sion, constabit ex verbis Augustini lib. 2. conc. lit. Periliani cap. 104. contra Donatistas scribentis, [non estis in montibus Sion, quia non estis in Ciuitate super montem constituta, quæ certum signum hoc habet, quod abscondi non potest, nota est ergo omnibus gentibus, Pars autem Donati ignota est pluribus gentibus. Non est ergo ipsa, &c.] Atqui nostra Ecclesia in luce mundi conspicua, & in omnibus gentibus manifesta, istorum sæpius occulta, & latens: nostra igitur, non illorum Ecclesia in monte Sion. An etiam nostra, vel illorum Ecclesia sit, in collibus, & lucis Garisim, constabit ex his, quæ scribit Iosephus lib. 13. antiquit. cap. 4. Apud Alexandriam inter Iudæos, & Samaritas, qui sub Alexandro Magno Garizitani templi Religionem induxerant, seditio est exorta de sacris ipsorum, ità vt res ad Regis cognitionem perueniret, dum Iudæi contendunt iuxtà Moysis præscripta Hierosolymitanum templum esse legitimum, Samaritæ verò Garizitanum, pronunciarunque est ad Regem, & amicorum eius consessum, vt ab his causa audiretur, & qui vtrius partis Caussidici succumberent, morte mulctarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodosio, Hierosolymitanis Iudæis, Andronicus Messalani filius, iurauerunt que per Deum,& Regem, quòd ex lege probationes allaturi essent, & rogauerunt Regem, vt necaret eum, qui iusiurandum non seruasse deprehenderetur. Itàque Rex multis amicis in consilium adhibitis consedit causam auditurus, Iudæi

verò

verò, qui Alexandriam habitabant, valdè erant solliciti pro tuentibus iura templi Hierosolymitani, ægrè ferentes antiquitatem antiquissimi, & nobilissimi in Vrbe templi vocari in discrimen. Sed cum Sabbæus, & Theodosius concessissent Andronico, vt prior diceret, orsus ex lege approbare eius sanctitatem, & religionem, ostendensque per continuas Pontificum successiones, Sacerdotij vsque in sua tempora propagationem, & ab omnibus Asiæ Regibus maiestatem eius loci honoratam donarijs, Garizitani verò nullam esse vmquam ab his habitam rationem, his & talibus rationibus persuasit Regi, vt decerneret Hierosolymitanum esse ex sententia Moysis conditum, Sabbæum verò, & Theodosium addiceret supplicio. An non iudè constat Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam in monte Sion, vt quæ conspicua sit, & toti Orbi manifestissima ædificatam esse, istam verò, cui puritatis, & reformatæ nomen indidit sagacissimus Mornæus, in collibus, & lucis pascere Garisim: Nonne sicut Andronicus ex veteri lege, sic nos ex lege noui Testamenti, & ex prophetijs ad Euangelium pertinentibus, atque ex successionibus ordinarijs Episcoporum clarè, & videnter demonstramus, tenere nos Sacerdotium, quod à Christo institutum est, & ab omnibus Regibus, & Imperatoribus Christianis summa Religione cultum, & magnificentissimè honoratum, quod à D. Petro Principe Apostolorum tanquam à capite ordinis Sacerdotalis, ac Summo Pontifice, cepit exordium, cuius successores, vsque in hodiernum diem nominatim in Sede Romanæ Ecclesiæ numeramus, nouos verò istos Samaritas aliud templum, & falsi nominis Ecclesiam contra legem Euangelij, & Scripturarum Sacrarum auctoritatem ædificasse? Neque igitur in montanis Seir, quæ posuerat Dominus in solitudinem, nostra Ecclesia, sed hæc prior occulta, & latens, quæ in solitudinem se recepit Malach. 1. [Dicunt isti destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus, quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum. Ipsi ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini iniquitatis, & populus, cui iratus est Dominus vsque in æternum.]

Vndè corrasum à vobis quicquid, aut in Synagogam superciliosa Pharisæorum schola, aut in Academiam inanis Græcorum Philosophorum superstitio contulerat.

LOngè certè meliùs isti Pharisæos nobis referunt, qui erant à reliquo populo separati, sic isti à reliquis Christianis seiuncti sunt, suum cœtum, reformatam, & puriorem Ecclesiam appellant, hoc sibi vult ipse. Traditiones Ecclesiasticas, quas sacra Concilia probarunt, & sancti Patres plurimùm commendarunt Pharisaicis comparat, quasi & Dei præceptum transgrediamur propter traditiones nostras, cùm multa per traditionem, & non per scripturam Ecclesia ab Apostolis acceperit: multa item à Spiritu sancto edocta, quæ tum ad doctrinam, tum etiam ad institutionem morum pertinent, Scripturis Sacris minimè comprehensa, instituerit. Quid verò corrasum à nobis, quod in Academiam inanis Græcorum superstitio contulisset? scilicèt quæ inuenta nostra vocat, Catholicæ fidei, quæ contra aduersarios istos profitemur dogmata, de sacrarum Imaginum adoratione, sanctorum cultum, purgatorio, hæc est Philosophorum Academijs in Ecclesiam à nobis translata, item doctrina de missæ sacrificio, & de transubstantiatione, & reali præsentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, vbi vnum, & idem Corpus in pluribus locis, vbi accidens sine subiecto, vbi quantitas sine extensione, hæc scilicet ex inani schola Græcorum Philosophorum accepimus, cum istorum interim, quod scripsit Tertullianus, Patriarchæ sint Philosophi, vt qui de omnipotentia Dei perperam sentiant, ideòque veritatem sacrorum dogmatum in dubium reuocent, immò negent apertè. Minimè tamen cum Luthero, & Melanchthone Philosophiam Aristotelis diabolicam dicimus, aut Academias publicas damnamus, neque disciplinas humanas retia diaboli, aut inuenta Dæmonum appellamus, sed ipsam Philosophiam Sacræ Theologiæ ancillari, argumenta ex ratione generali petita ipsi fidei cedere volumus.

Iàm igitur inualescente vnius hominis in Ecclesia Romana per Diuini Verbi contemptum auctoritate.

QVæ subijcit Mornæus, omnia splendida sunt, & apertissima mendacia, sed qui loquitur mendacium, de suo loquitur, interim quod de Parmeniano scribit D. Augustinus, [ipse sine documentis loquitur, & vult nihil probans credi sibi,] vndè enim probabit per contemptum verbi Diuini inualuisse in Ecclesia Romana vnius hominis auctoritatem, proferat si potest verbum Dei, quod contemptui habitum sit, & reiectum à nobis; an contemnunt verbum Dei, qui non nisi indè Pontificis Romani auctoritatem docent, & ostenduntur? An contempsere verbum Dei Patres ipsi antiquissimi, qui Petro, & in eo successoribus illius ouium Christi regendarum, & pascendarum curam commissam fuisse docuerunt? An non verbum Domini est, [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & si diligis me, pasce oues meas,] Immò non nisi per summum nefas, & Verbi Diuini contemptum isti à Corpore Christi, quod est Ecclesia, subtraxerunt se, ac sicut quondam Chore, Dathan, & Abiron schismatici à Moyse se segregarunt, sic isti à communione Romani Pontificis contra expressum Dei verbum se separarunt. Quomodò verò potuit tot annis præualere contra Dei Verbum in Ecclesia Romana homo vnus, cum nulla hæresis, nullus alius homo vnquam præualuerit, sed abierit in fumos, & euanuerit?

Principibus etiam, quod prædictum erat, potentiam suam ei certatim accommodantibus.

HOc scilicet sensu, quod iuxtà Prophetarum vaticinia Reges ad Christum debebant conuerti, & sic Romano subesse Pontifici, tanquam sacræ oues Pastori, & videmus, ab initio, vbi primùm Reges cum populis Christi fidem sunt amplexati, ac nomen Ecclesiæ dederunt, eos agnouisse Pontificem Romanum Caput Ecclesiæ, immò ab ipso in Ecclesiam, tanquam à fideli seruo, [quem constituerat Dominus super familiam suam] admissos fuisse, vt non magis consequi salutem extrà Ecclesiam ipsam, quàm extrà communionem Romani Pontifici sit possibile.

Leges ille pro arbitrio figere, & refigere, commenta humana Diuinis oraculis, decreta sua Conciliorum Canònibus, noua veteribus, prophana sacris, vndecumque mutuata proprijs; & germanis, adulterata genuinis, superstitionem Religioni, Hellenismi apparatum Christianæ simplicitatem anteferre.

QVemadmodum in qualibet Republica potestas est penès Principem ferendi leges in vtilitatem tum ipsius Reipubl. tum singulorum priuatim, ità non dubium quin in Ecclesia, quæ supernaturalis est Respub. diuinitùs instituta & ordinata, sit potestas ferendi leges in eo, quem Dominus ab illius regimen loco sui reliquit in terris, qui tamen nouit potestatem datam sibi ad ædificationem, & non ad destructionem, ideòque ferendi leges non pro arbitrio, sed quæ sint toti Reipub. Christianæ, & singulorum saluti, qui illius curæ commissi sunt, vtiles, aut etiam necessariæ. In quibus Romano Pontifici liceat nouas leges condere, docet Vrbanus Papa 25. quæst. 1. cap. sunt quidam, [sciendum summoperè est, quia indè nouas leges condere potest (Romanus Pontifex) vndè Euangelistæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt, vbi verò apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quòd prædicatum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet, si enim quod docuerut Apostoli, & Prophetæ destruere, quod absit; niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur, sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.] Non igitur ille pro arbitrio leges figere, non commenta humana diuinis oraculis anteferre; immò quæ isti dogmata in Orbem inuexerunt, commenta sunt humana, non aliunde, quàm à cerebrò cernicosorum hominum primùm nata. Isti quòd alijs imponunt decreta sua Conciliorum Canonibus anteferre, qui omnia sacra Concilia in Ecclesia celebrata post sexcentesimum à Christo annum, vt ipsi fatentur, reijciunt, sicque hæreses in eis vnanimi Patrum consensu damnatas profitentur, fuisse sacrorum Canonum Pontifices obseruantissimos ex eo constat, quòd D. Gregorius scribebat ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum. [Si Canones non custoditis, & maiorum vultis statuta conuellere, non cognosco, qui estis.] vt intelligamus eos, qui sacros Canones non custodiunt, ab Ecclesia Romana non agnosci: in decreto, quod farraginem Gratiani vocat Caluinus 25. quæst. 1. cap. confidimus, recitantur verba Gelasij Papæ ex epistola illius ad Episcopos Dardaniæ.] Confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.] Et cap. violatores, referuntur verba Damasi Papæ. [Violatores Canonum voluntarij grauiter à sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu instinctu, cuius ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem sacros Canones necessitate compulsi, sed libenter vt præmissum est, aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum est genus blasphemantium Spiritum sanctum, quia contra eum agit, cuius nutu & gratia, sancti Canones editi sunt.] Et cap. contra statuta, referuntur verba Zosimi Papæ. [Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare ne huius quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconuulsa radicitus viuit auctoritas, cui decreta Patrum sanxere reuerentiam.] En igitur quantam reuerentiam Romani Pontifices Canonibus Conciliorum, & Patrum statutis deferant; cum isti nihil nisi purum Dei Verbum, extrà quod sunt sacri Canones, admittere se profiteantur. Noua, inquit, veteribus, si aliàs vnquam, nostro certè hoc seculo, quo tot hæreses emerserunt, id verissimum esse experimur, quod scribebat Vincentius Lirinensis lib. aduersùs hæreses cap. 30. [hoc apud omnes ferè hæreses quasi solemne esse, ac legitimum, vt semper prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent, contra verò Catholicorum hoc ferè proprium deposita sanctorum Patrum, & commissa seruare, damnare prophanas nouitates. & sicut dixit, & iterum dicit Apostolus: Si quis annunciauerit præterquam quod acceptum est, anathema sit.] An verò istorum dogmata antiqua sunt, nisi fortassè à veteribus hæreticis toties ab Ecclesia damnatis ea repetas. Nam legimus olim Donatistas vocasse Ecclesiam Romanam Cathedram pestilentiæ, Ætium hæreticum negasse purgatorium, infamem, & impium Constantinum Copronymum prohibuisse cultum Sanctorum, & sacrarum Imaginum venerationem, Arrianos,

nos, & Donatistas sacram Eucharistiam pedibus conculcasse, non igitur sunt noua, quę docet Mornæus, quæ antiquitùs iam ab Ecclesia condemnata, Cœnæ verò illius, Caluinianæ scilicet plurima mentio apud Patres, & in sacris Concilijs ab Ecclesia celebratis. Ità verum, quod ab isto spiritu mendacij proficiscitur, Pontificem Religioni superstitionem, Hellenismi apparatum Christiana simplicitati anteferre. Nam isti omnia Sacramenta præter Baptismum, cuius doctrinæ multos errores inserunt, reijciunt, ità cultum Dei in Sacramentis superstitionis loco habent, sacrum Chrisma, sacræ ordinationes, sacrificium missæ Ethnicis istis inuenta sunt hominum, & quidem superstitiosa, hæc enim potuit homo vnus contra verbum Dei Christianis omnibus loco religioni cultus obtrudere, ità sacrarum Imaginum adoratio, & cultus Sanctorum sunt istis Copronymi hæreseos factoribus, qui Christi diuinitatem, & Mariæ virginitatem negabat, superstitio loco Religionis.

Et hinc porrò in labem, in tabem paulatim dilabi, diffluere: ità tamen, vt in media illa, & in oppressione, & confusione, pars adhuc nostri, & duplici quidem ratione extet adhùc, & subsistat pars nostri, Ecclesia illa, corrupta licet, ligno, fæno, stipula inuoluta, tantum non obruta, dum temelion *illud fundamentum vnicum Christus Iesus in ea stetit, dum in eo solo constituta hominis salus, in eius meritò, in Sanguine Crucis eius, non in operibus, seu nostris, seu alienis, non in Papalibus, aut absolutionibus, aut indulgentijs, alijsque eius generis blasphemis nugamentis.*

IN tanta oppressione, & confusione, quomodò Ecclesia sua reformata extet, & subsistat, duplici ratione docet; primùm dum *temelion* illud fundamentum vnicum Christus in ea stetit; dum in illo solo constituta hominis salus, non in operibus suis, vel alienis. An verò aliud fundamentum præter Christum Ecclesia Romana, quę eadem est, Catholica, Apostolica, agnouit? [fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus] 1. Corinth. 3. An verò huic contrarium est, si & Apostolos Ecclesiæ fundamenta nominemus, nam eadem scriptura docet fideles superædificatos esse super fundamentum Apostolorum, & prophetarum. Ephes. 2. & Apocal. 21. nominantur duodecim fundamenta Ciuitatis Cœlestis Hierusalem, & in ipsis 12. nomina 12. Apostolorum agni, sunt itàq; fundamenta, sed sub Christo primario fundamento, in quo proximè ipsi nituntur, & cuius gratia, & virtute ipsi subsistunt, ità qui in Sede Apostolica Petri successor est, cui Dominus dixit: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] fundamentum est sub Christo.

Leo Papa serm. 3. in anniuersario die suæ assumptionis ad Pontificatum. [Ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. idest, cum ego sim immobilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia &c.] Neque fundamentum habet ipsum Christum, qui non est in Ecclesia super ipsum Petrum ædificata. An verò contrarium ipsi Christo fundamentum statuimus, cum aliud sub ipso, quod illius virtute nitatur, asserimus? An non in solo Christo, in illius merito, in sanguine crucis illius salutem hominis constituimus, an non illi omnia dona gratiæ accepta ferimus, vnde meritum aliquod operibus nostris, nisi ex gratia Christi tribuimus, vt non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo fit: Dei tamen cooperatores nos vult esse Apostolus, qui cum plus omnibus laboret, [non tamen ego (inquit) sed gratia Dei mecum.]

Vndè verò remissiones, aut absolutiones peccatorum, aut indulgentiæ, aliaque eius generis, quæ vocant isti blasphema nugamenta, vim habent, nisi ex merito Christi, & Sanctorũ meritis, quæ in ipso Christo fundantur, ex quibus Thesaurus constat Ecclesiæ, vt negare indulgentias sit detrahere Christo ipsi, & Sanctis, tantùm enim abest, vt per indulgentiarum assertionem merito Christi aliquid detrahamus, vt maximè illud statuamus, qui omnem peccatorum remissionem, aut etiam pœnarum ipsis debitarum, omnia item, quæ eò spectant, vt iustificemur apud Deum, & salutem consequamur, Christi merito tribuimus.

Et tu mutante vento, mutantibus nubibus contingit, pependit aliquandiu, res quasi in æqualibrio, donec præponderante impietate, prono ex Philautia, in humana figmenta hominis animo, vera pietas tolleretur.

QVando verò præpondetauit ità impietas, vt vera pietas tolleretur, vt toto orbe ad Imperium vnius nominis Romani Pontificis quasi ad literas Mitridatis tam subdito superstitio, & idololatria loco Christianæ Religionis, & antiquæ fidei introduceretur, ac consentientibus regibus, & populis in Christum conspiraretur: Imperatores ipsi potentissimi Christianam Religionem numquam potuerunt extinguere, quomodo ergo vnus homo Pontifex Romanus potuit ità Religionem Christianam euertere, & Idololatriam, ac superstitionem toto orbe stabilire, Principes, ac populos in tantam fraudem inducere? Quo Pontifice factum est, [vt ità tenebræ operirent terram, & caligo populos,] nec enim defuerunt, qui historias temporum,

& quæ continua serie per annos singulos, aut etiam secula conrigerint, scriptis mandarint, mirum quòd nullus historicus tantam rerum conuersionem, & mutationem tam repentinam in suos commentarios retulerit. Nam reformationis Ecclesiæ per istos, hoc est, tot nouarum hæreseon, in Christianum orbem inuectarum, & antiquarum toties damnatarum per eosdem ex infestis reuocatarum.

Non defuerunt hoc tempore multi scriptores, qui fusè meminerint, & Areoam eorum operam in perturbanda Republica Christiana in Catholica Religione, quæ apud omnes vna, eademque colebatur, quantum in ipsis fuit, conuellenda, diruendis, aut etiam solo æquandis sacris ædificijs pietate regum, ac Principum extructis, & Deo consecratis literis, ad posteros mandarint. Istis perduellibus veram pietatem euertere Gregorius II. & Gregorius III. vterque sanctissimus, & doctissimus Pontifex, quòd anathemate percusserint impios illos Imperatores Leonem Isauricum, & Constantinum Copronymum Iudaismi magis, quàm Christianismi assertores, quòd sacras Imagines per totum Imperium Romanum confringi, & comminui iussissent, quòd sanctas inuocari, & coli prohibuissent.

Pars itidem nostri, & purior multò, quatenus emergunt, & caput attollunt, identidem insigniores pietate, & doctrina in singulis ferè nationibus viri: Cœtus interdum, aut Episcoporum, aut vniuersitatum, integri, qui rapidissimo huic flumini velis, remisque obnatant, nouum opus subindè denunciant.

QVi verò illi, quos supprimit Mornæus, qui caput attollunt insignes pietate, & doctrina in singulis ferè nationibus viri. Si enim secula omnia percurramus, occurrunt nobis viri magna pietate, vt plurimi miraculis claruerint, & doctrina eximij, quos omnes constat Ecclesiam Romanam matrem, & Pontificem Romanum Vicarium Christi in terris, & caput Ecclesiæ militantis agnouisse, neque aliam fidem, quam nos eorum successores fuisse professos: qui igitur sint illi, qui contra impietatem pro vera pietate introductam, hoc est, vt impij isti, interpretantur, qui dicunt [bonum malum, & malum bonum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras,] contra doctrinam Romanæ Ecclesiæ scripserunt, diuinare nequeo.

Qui verò cœtus Episcoporum integri, quibus Concilijs, aut generalibus, aut prouincialibus, aut nationalibus Romanæ Ecclesiæ condemnata doctrina, aut istorum approbata: atqui Cœtus Arrianorum Episcoporum, & Donatistarum aliquando damnarunt doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, ideòne illa reijcienda erat, & in Arrij, aut Donati sectam transeundum, at ne isti quidem habent Episcopos: qui item vniuersitatum cœtus integri, qui rapidissimo huic flumini, hoc est si mentem istius auctoris assequor tam præcipiti Ecclesiæ Dei, & sacræ Religionis ruinæ obnatant, interim prauæ aluerit impietas? Cum pauci Apostoli fremente mundo, rabientibus principibus, ac populis, orbem terrarum ad Christum conuerterint, tot Principes, ac nationes, quæ se illis opposuerunt, nihil promouerint, immò Religio ipsa Martyrijs maiora incrementa sumpserit, vt sanguis Martyrum fuerit semen Ecclesiæ, qui igitur, & quando factum est, vt tot, tantasque vires vnus homo habuerit, vt impietatem inducere pro vera pietate, superstitionem pro Religione potuerit? Inferit etiam magnus iste Theologus verbum Iurisconsultorum. Nouum (inquit) opus subindè nunciant.

Certè qui opus nouum facit per nunciationem inhibetur, & vetatur in ea pergere, etsi ius faciendi habeat lib. 1. ff. de operis noui nunciatione: ità Apostoli inhibebantur, ne prædicarent in nomine Christi, an verò illi cederent iuri suo? [Oportet (inquiunt) magis Deo, quàm hominibus obedire.] Ità inhibita pluribus locis, quasi nouum opus Catholicæ fidei confessio, & prædicatio, [opus nouum facit, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat] d. l. 1. §. opus, verùm si quis ædificium fulciat [iam non opus nouum facit, sed veteri sustinendo remedium adhibet,] d. l. 1. §. si quis ædificium.

Ità Romani Pontifices Concilia Episcoporum congregando in controuersijs fidei definiendo quid sit omnibus credendum, ac hæreses condemnando, & oues suas à luporum rapacitate custodiendo, non opus nouum faciunt, sed fulciunt antiquum. [Nunciare nouum opus est, denunciare ne opus nouum fiat, vnde ad futura, non ad iam facta opera hoc remedium nunciationis noui operis pertinet] d. l. 1. §. 1. Ità Pontificis est, cui cura totius Dominici gregis incumbit, & Episcoporum, qui assumpti sunt in partem sollicitudinis, nunciare nouum opus hæreticis, ità Arrio, Macedonio, Nestorio, Eutycheti, & Dioscoro per celeberrima illa quatuor prima Concilia nunciatum nouum opus, condemnati eorum hæreses, vt reliquorum hæreticorum in sequentibus Concilijs, ità per Concilium Tridentinum Lutheranis, Zuinglianis, Caluinistis, Hussitis, Anabaptistis nunciatum nouum opus anathematizando eos, si sacrilegos errores profiterentur, aut disseminarent, nec prætor est aliquis, qui huiusmodi nunciationem valeat remittere, huic Principes, ac populi, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem infectantur, ac hæreses ab Ecclesia damnatas fouent, & noui operis nunciationem nihil faciunt, non secus quàm hæresiarchæ ab Ecclesia, hoc est à salute æterna, nisi resipiscant, iam sunt proscripti.

Vt fruſtra ſunt in gemitus, in clamores, in obteſtationes ſtrenuè erumpunt. Teſtes cœlum, & terram, in Papas eorumque aſſeclas cient.

AN verò quòd ſuperſtitio & Idololatria in Eccleſiam toto orbe diffuſam, quæ Romano Pontifici ſubeſſet, loco ſacræ Religionis introducta eſſet? An fieri potuit, vt totus Chriſtianus orbis, tot Concilia in Eccleſia Dei celebrata poſt ſexcenteſimum à Chriſto annum aberrarent à fide, vt Epiſcopi, & Doctores Eccleſiæ in eandem ſimulationem ducerentur, neque interim vmquam miratus ſit, aut ingemuerit orbis terrarum, ſe loco fidei ab Apoſtolis traditæ, inde ad 500. vel 600. à Chriſto annum integræ, & inuiolatæ cuſtoditæ, ſuperſtitionem, & Idololatriam ab vno homine inductam, fouere, & amplecti.

Qui profectò, cum tam clarè, tam ſonorè loquantur, tot numero, tot in locis. (Atque de Elia & de ſeptem millibus illi reuelatis) *qui non curuauerant genua ante Baal, & plures ſanè* (inquit) *ſepties ſeptuaginta mille, innumeri inquam toto orbe, quando ſerior hìc, quam illic tyrannis aut corruptio: quando ſolus falsò cultui obnititur in Iſraele Elias.*

ID ſibi vult Mornæus, quòd quemadmodum tum in Iſrael ſub Achab, & Iezabele vigebat Idololatria, & vnus quidem Elias falsò cultui obnitebatur, ità nunc in Eccleſia Catholica ſub Pontifice Romano vigeat Idololatria, & ſuperſtitio, verùm quemadmodum hæc ſæuior tyrannis, ità plures numero, pluſibus locis reclament, & obnitantur, noui ſcilicet iſti Euangelici Prophetæ Domini, qui quemadmodum Elias Sacerdotes, & Prophetas Baal occidit, ità ſibi ius eſſe Sacerdotes Eccleſiæ Romanæ trucidandi, non diſpari zelo, quo id fecit Elias iudicant.

Caluinus ille Elias alter in Gallia, non minus enim ſeriò laborauit in nouo Euangelio cudendo, & reformata Eccleſia ſtabilienda, hoc eſt euertendis ſacris ædibus, diruendis altaribus, in quibus ſacroſanctum Chriſti corpus requieſcebat, ſanctorum reliquiis Vulcano conſecrandis, ſacris Imaginibus deijciendis, Turciſmo, immò Atheiſmo introducendo, quam fecerit in Germania paulò ante Lutherus, dictus à ſuis Elias Germanicus, atque illius Eliæ Spiritus duplex requieuit in Eliſæo Diabolodoro Bæa, Mornæus verò de filijs eſt prophetarum.

Verùm Elias ſe eſſe Prophetam Domini coram omni populo inſigni miraculo oſtendit, probent igitur iſti, qui ſe Eliæ conferri volunt, ſe eſſe à Deo miſſos, nos verò loco veritatis mendacium, loco Religiouis ſuperſtitionem, & Idololatriam, loco Dei Iſrael, qui Deus vniuerſæ terræ vocandus erat, Baal aliquod Idolum colere, aut falſos Deos, hoc eſt, falſa dogmata amplecti, quòd ſi dicant [non opus eſſe miraculis, quia eam fidem, quæ iam antiquitus ab Apoſtolis confirmata fuit tot miraculis, tenent, & non aliam,] atqui Elias non alium Deum prædicabat, quàm verum Deum, qui tot ſignis & miraculis præſentiam ſui Moſi, & populo manifeſtarat, non aliam legem, aut alias cæremonias populo obtrudebat, cui tamen non credidiſſet populus, vt diceret [Dominus Deus, ipſe eſt Deus, Dominus Deus, ipſe eſt Deus,] niſi Sacerdotes, & Prophetas Baal inſigni illo miraculo cuocato igne è cœlo ad conſummandum ſacrificium conuiciſſet.

Et Elias quidem de Pſeudo-prophetis illis Baal conquerebatur, quòd Altaria Dei deſtruxiſſent, nos ſcilicet Altaria Dei deſtruximus, non noui iſti Prophetæ, nos ſacrificium Miſſæ tamquam ſuperſtitionem, aut Idololatriam reiecimus, nos Corpus Chriſti, quod in Altari requieſcit, toties conculcauimus, non Mornæus cum filijs Prophetarum Eliæ, & Eliſæi, Caluini, & Bezæ, vnde conſtat quàm rectè conferantur iſti multi cum vno Elia in Iſrael: & quidem tum erat latens, & abſcondita Eccleſia Dei apud decem Tribus, cum omnes ferè ſub impio Achab, & Iezabel ad Idololatriam admodum deflexiſſent, & pauci ex tanto numero relicti eſſent, qui non curuauiſſent genua ante Baal, non tamen Elias nouam ſynagogam, vel Eccleſiam inſtituit, non ſe à reliqua multitudine, quæ in Tribu Iuda, & Hieroſolymis remanſit, vbi templum, & locus adorationis, vbi Sacerdotes de ſtirpe Aaron, & Leuitæ Religione, & fide ſe ſeparauit. [Deus enim (ait Diuus Auguſtinus lib. de Vnitate Eccleſiæ cap. 12.) illas tribus iuſſit ſeparari, non vt Religio, ſed vt regnum diuideretur:] cum iſti nouum Euangelium, nouam reformatam Eccleſiam inſtituerunt, quid ergo ſimile habent iſti numero multi cum Elia Propheta? [Elias ille ignem ſpirans auriga, (ait Damaſcenus lib. 4. fidel orthod. cap. 25.) ac cœlipeta, an non cœlibatum amplexus eſt? cuiúſque virtutem humana conditione præſtantior euectio comprobauit? Quis Cœlos clauſit? quis mortuos ad vitam reuocauit? quis Iordanem ſcidit? An non cœlebs Elias? quid ipſius diſcipulus Eliſæus, an cum eiuſdem virtutis ſpecimen edidiſſet, ſpiritus gratiam, quam duplam petiuerat, eſt conſecutus?] An non igitur cum Elia, & Eliſæo rectè conferentur innumeri iſti Mornæi conſociales, qui teſtes Cœlum, & terram in Papas, & eorum aſſeclas cient? An verò conferendi videntur duo illa poſtribula, duo inquam Sodomæ, & Gomorrhæ ſpurij Caluinus, & Beza reformatæ, & purioris Mornæi præcipui in Gallia auctores cum duobus illis Prophetis Elia, & Eliſæo, quorum Caluinus Nouiodunenſis ob præpoſteram libidinem cœleſtibus flammis olim vindicatam è Gallia fugere coactus eſt, vt ex publicis Nouioduni tabulis conſtat, alterum verò non puduit ſuas nefandas libidines libris à ſe editis euulgare? quis æquus rerum æſtimator non ſtatim iudicet non eſſe iſtius modi homines, quos Deus mentibus hominum illuminandis deſtina-

narit, ac per quos Idololatriam, & superstitionem dispelleret, crebras infidelitatis discuteret, ac Ecclesiam illam primitiuam Apostolicam tot seculis mortuam in vitam reuocaret;

Quando non alij nobis supersunt testes, quàm aduersarij, quàm Paparum mancipia, quos quæ ad purioris fidei seriem pertinebant, partim reticuisse, partim interpolasse, vel Iesuitarum hodiernorum exemplo, & argumento, dubitet iam nemo.

DOctores Catholicos, qui zelo zelati sunt pro Domino Deo exercituum, & hæresiarchas suis scriptis confoderunt, iste Paparum mancipia appellat. Diuum Irenæum, iste Papæ mancipium appellauerit, qui scripsit ad Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata sit ab his, qui sunt vndique, ea quæ est ab Apostolis traditio.

Cyprianum isti, Papæ mancipium, qui scripserit matricem, & radicem Ecclesiæ Romanam esse Ecclesiam, ad quam perfidia accessum habere non possit.

Diuum Hieronymum Papæ Damasi mancipium, qui ad eum scribit: [Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio, & ad eumdem. Si quis Cathedræ Petri iungitur meus est.]

Mancipium Papæ Diu. Augustin. cùm Melchiadem Papam Patrem Christianæ plebis appellat, & in Romana Ecclesia semper viguisse Apostolicæ Cathedræ principatum scribit, cum Romanorum Pontificum successione continua ad sua tempora se retineri in Ecclesia Catholica scribit, immò successionem illam, vt ingentis virtutis molem Schismati Donatistarum opponit, cum desiderat cum alijs Africanis Episcopis, quæ definita erant contra Pelagium, & Celestium in Concilio Meleuitano Innocentij Papæ auctoritate confirmari, & hæresim illam reprimi, & cohiberi.

Mancipium Papæ magnum illum Athanasium, cum totius Ægypti Episcopis (epist. ad Marcum.) Qui Marcum Romanum Pontificem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papam nominant, sanctamque eius Sedem Matrem, & Caput omnium Ecclesiarum agnoscunt, cui cum omnibus sibi commissis perpetuò se futuros obedientes, pollicentur. Mancipium Papæ Basilium illum Magnum (epist.52.) cum optat, petitque Romanum Episcopum res Orientis considerare, iudicij sui decretum interponere, & sua auctoritate visum Orientem visitare, diligenti illius examini semetipsum sistere paratus, ac ne cæteros commemorem, mancipia Papæ Patres Chalcedonensis Synodi, quæ Sedis Romanæ decreto coacta est, qui omnes ne reclamante quidem vno Romanam Ecclesiam Caput omnium dictitantem, Paschasium Leonis Papæ Legatum audiunt, eiusque mandata capessunt act. 1. in qua & Leo vniuersalis Archiepiscopus, vniuersalis Ecclesiæ Papa, vniuersalis Ecclesiæ Episcopus omnium consensu appellatur act.3. Atque ità ostenderem Patres Concilij Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, isti esse Papæ mancipia.

Ità post sexcentesimum à Christo annum omnes Theologi partim reticuerunt, partim interpolarunt, quæ ad purioris fidei seriem pertinebant, omnibus Concilijs in Occidente celebratis contra hæreses emergentes, non nisi Patres interfuerunt, qui essent Papæ mancipia eum auctoritate illius habita, & confirmata fuerint. Quis hæc afferat nisi Morneus, & illius sodales è Diaboli sodalitio, & illius mancipia.

Et hæc in septimum, octauum, nonum seculum incurrunt, quibus, & Oriens cum Occidente ex diametro pugnat, & in Occidente ipsa Concilia alternant, & in eodem Concilio dubia sæpè subsellia.

QVando errores primùm irrepserint in Ecclesiam, & perfidia loco fidei successerit, non omnes vno modo docent aduersarij, Caluinus ipse fatetur vsque ad Irenæi, Tertulliani, Origenis, immò & Augustini ætatem (vide Stapletonum controu. 1. lib.3. cap.4.) nihil à principio mutatum fuisse in doctrina Ecclesiæ, sed Apostolicam constanter, & vnanimi consensu retentam esse: insuper quingentis annis à Christo adhùc floruisse religionem, & sinceriorem doctrinam viguisse. Alij annis ab hinc circiter quadringentis doctrinam Apostolicam in Ecclesia palàm corruptam esse. Alij ab hinc ferè sexcentis, alij passim ab hinc ferè mille, circa tempora scilicet Diui Gregorij, in qua sententia videtur esse Mornæus, hac interim opinionum varietate dum quisq; in suo sensu abundat, satis ostendunt se de ea re nihil certi habere: sexcentis itàque primis illis annis à Christo ex sententia istorum Ecclesia Christi erat conspicua per Orbem terrarum diffusa, nihil doctrinæ Apostolicæ admixtum externum, posteà verò Apostolica doctrina adulterari cœpit, corruptelæ verbi Dei introductæ, superstitio, & Idololatria in Ecclesiam Romanam inducta, eumdem errorem subsecutus Orbis terrarum, vt Ecclesia esse desierit, vel adeò oppressa latuerit, vt penitùs forma, faciesque illius non appareret.

Isti Donatistis non dissimiles, qui toties de nefario crimine conuicti, vt auctor est Diuus Augustinus, omnis excusationis, ac defensionis loco nullis argumentis innixi contra euidentissima testimonia scripturarum vociferabantur Ecclesiam toto Orbe aberrasse, ac sic defecisse, vt tantùm esset in parte Donati, ità Sacramentarij iampridem Eccle-

siam

fiam de toto Orbe perijsse, apud paucos manlisse occultam, quos necesse est intelligant, qui ab Ecclesia Romana, & communi totius Christiani Orbis consensu hæreticæ prauitatis damnati sunt, quorum perfidiam sequitur, & incautis vult obtrudere Mornæus.

Quid verò Donatistis respondit aliquando Augustinus in Psalm. 1. & 1417. lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 2. [O impudentem vocem ! illa non est, quia tu in illa non es ? vide ne tu ideò non sis, nam illa erit, etsi tu non sis:] & alibi de ijsdem Donatistis. [Quid se ipsi iactant, quòd habeant aliquam Ecclesiam, si iam illis temporibus superioribus esse destiterit ? dicant vnde natus est Maiorinus, aut Donatus, vt per eos nasceretur Parmenianus, atque Primianus.] Ità vnde quæso natus est Lutherus, aut Caluinus, aut Beza, vt per eos Mornæus nasceretur. Quando verò perijt illa Ecclesia, aut euersa est, cum sit Ciuitas, quam Deus fundauit in æternum? quomodo Apostolica doctrina, quæ prioribus sexcentis annis incorrupta mansit, septimo seculo adulterari cœpit per eam doctrinam, quam hodie Romana Ecclesia profitetur, idque auctoritate, & decreto Pontificum, & communi eius cœtus consensu, qui vera Christi Ecclesia antea fuerit, quique proindè defecerit à fidei doctrina, sicque Christi Ecclesia esse desierit, & cum primi Pontifices Christiani, & pij fuerint, & magna pars pro Christi fide, Martyres, quomodo posteà reliqui successores eorum impij, superstitiosi, Idololatræ ?

Bonifacius III. in quo primùm isti sacrilegi Romanam Ecclesiam à Christo defecisse, & Antichristi sedem factam esse scribunt, & clamant, numquam legitur, vel in Concilio aliquo generali congregato, vel decreto aliquo fidem, & doctrinam communem Ecclesiæ sub Gregorio Magno, & prædecessoribus suis probatam corrupisse, vel damnasse, aut nouam aliquam doctrinam, quæ antea non esset apud omnes Christianos recepta, tum primum induxisse: Quoties verò hæresis aliqua oborta est, constat nobis de auctore, loco, & tempore; quomodo igitur tam altum silentium apud auctores de doctrina fidei ab Apostolis tradita per Orbem terrarum sensim, vel vno quasi impetu abdicata, ac tot corruptelis loco illius introductis, vndè constat, quicquid deliret Mornæus, quæ sex prioribus seculis, idest, sexcentis post Christum annis fuit doctrina Apostolica, & fides Catholica in Ecclesia Romana, & toto Christiano Orbe, nam cum Ecclesia Romana cum reliquis Ecclesijs communicabat, in eadem doctrina, & vsu eorundem Sacramentorum, eandem septimo, octauo, nono seculo ab omnibus Christianis creditam, & deinceps ad nos propagatam fuisse.

Quibus, & Oriens (inquit) cum Occidente ex diametro pugnat.

Atqui hæreses cum Ecclesia semper pugnauerunt ex diametro, & modò hoc sensu, vel prioribus seculis non solùm septimo, octauo, nono seculo, Oriens cum Occidente, sed & Oriens cum Oriente, & Occidens cum Occidente *Cathadiametron* pugnauit, & ante septimum, octauum, nonum seculum Patriarchæ Constantinopolitani, reclamantibus Summis Pontificibus sibi vniuersalis Episcopi nomen præter fas tribuebant freti Imperatorum auctoritate, & longè antea Diuus Hieronymus epist. 57. scribebat ad Damasum: [Profligato à sobole mala patrimonio apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo Dominici seminis puritatem Centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant, nunc in Occidente sol iustitiæ oritur, in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat posuit Thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal Terræ, vos aurea vasa, & argentea, hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium.] An non etiam Iulio Pontifice Romano, Ruffino, & Eusebio Coss. anno decimo post mortem Constantini ità dissentiebant à se Occidentis, & Orientis Episcopi, post Concilium Sardicense, (Sozomen. lib. 3. cap. 10. 11. 12.) cui præfuit Osius, ut qui conuenere ex Occidentalibus Episcopis numero circiter treceenti, ex Orientalibus autem septuaginta sex, vt neque consuetudine deinceps vti mutua, vt hi solent, qui sunt eiusdem opinionis, neque communicare inter se vellent.

Ecclesia tamen versus Solem Occidentem sita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omninò à contentione, & captiosis verborum argutijs, quæ indè nasci solent, libera, & vacua fuit.

In partibus verò Orientis, etsi multi decretis Concilij Niceni, hoc est fidei Catholicæ mordicus adhærescerent; multi tamen etiam palàm dissentiebant, non dubium tamen quin hi, qui in Occidente, & qui in Oriente in eamdem fidem consentiebant, & doctrinam Concilij Niceni, ad eamdem Ecclesiam pertinerent; quanta verò tum esset Romani Pontificis auctoritas, indè constat, quòd cum Orientales Episcopi Sardicen. profecti affirmarent se minimè ad eam ingressuros Ecclesiam, in qua simul illi conuenerant, quos ipsi abdicauerant, scilicet Athanasius Alexandriæ, & Paulus Constantinopolis Episcopus, ad ea rescripserunt Episcopi Occidentis, se numquam ab eorum communione refugisse, neque iam velle ab ea refugere, præsertim cum Iulius Episcopus Romanus causa eorum accuratè cognita, illos numquam condemnasset.

Et cum Patres Sardicæ coacti aliam fidei formulam edidissent pluribus quidem verbis scriptam, quàm quæ in Concilio Niceno edita fuisset, sed tamen eamdem complectentem sententiam, dum miserunt ad Iulium Pontificem testati se rata habere decreta Concilij Niceni, sed quò faciliùs intelligerentur ea pluribus verbis explicasse, eo consilio ne Arrianis, qui breuitate formulæ fidei in eo Concilio editæ abutebantur, facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi; & Orientales quidem Episcopi, Imperatores, & populi, qui fidem orthodoxam exemplo maiorum colue-

runt

runt, Pontif. Romanum caput Ecclesiarum agnouerunt, tantùm abest, vt cum Ecclesia Romana pugnarunt ea diametro, & quoties habita sunt Concilia, in quibus conuenerint Græci cum Latinis, toties agnitis suis erroribus aggregarunt se ad Ecclesiam Romanam, & quòd toties ad vomitum redierunt, indè factum est, vt imperij dignitatem amiserint, & grauissimas perfidiæ suæ pœnas dederint. Intelligit fortasse tum Orientem cum Occidente ex diametro pugnasse, cum Leo Imperator à quodam Beser fidei refuga seductus, vel etiam à Iudæis, sacris Christi, & sanctorum imaginibus bellum indixit, easque vbique deponi, & incendi edixit, cuius erroris eum Gregorius III. Pontifex redarguit, & cum nihil proficeret, Italiam ei vectigalia pendere prohibuit: sicque tota Italia Pontifici, contra impium Imperatorem accensa est, & Gregorius Pontifex Synodum 903. Episcoporum Romæ coegit, & sacrum imaginum venerationem contra Imperatoris insaniam confirmauit, earumque violatores generali sententia anathematizauit. Quod si Oriens cum Occidente ex diametro pugnabat, an ideò Ecclesia in tenebras, quod iste ait, demersa erat: An ideò destitit esse caput Ecclesiarum Romana Ecclesia? Verùm isti tanto odio Romanam Ecclesiam prosequuntur, vt etsi Occidentalem Ecclesiam interijsse, in Oriente tamen apud Græcos remansisse affirment. Nam Lutherani confessionem suæ fidei Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitano, non Pontifici Romano probandam miserunt, & sacrilegus ille Petrus martyr in locis communibus respondens obiectioni, quæ poterat à Catholicis moneri. An omnes qui hactenùs vixerunt sub Romanæ Sedis obedientia perierint, cum isti noui Euangelici nuperi sint, & recentes? Respondet igitur [Numquam toto illo spatio defuisse homines, qui mendacijs, & imposturis Papatus reclamarint. Deindè Orientales, & Græcos isti tyrannidi restitisse, neque adhuc dominatum Ecclesiæ Romanæ agnoscere, vndè non totus Orbis Christianus ea causa, inquit, perijt. Itaque isti, Apostatæ Ecclesia desije esse in Occidente, nemo Occidentalium à Papatu Bonifacij III. salutem consecutus, Orientis finibus coarctata fuit Ecclesia, Romana Ecclesia præ Græcia schismatica, & Oriente Orbe Barbarico illis sordescit. Videamus quid quondam responderit D. Augustinus Iuliano Pelagiano ab Occidentalium sententia ad Orientales prouocanti. [Non est Iuliane, cur prouoces ad Orientis antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, sed te Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Ecclesia: Quid ei quæris inferre? quod in ea non inuenisti, quando in eius membra venisti?] Sic isti quid nobis Orientem obijciunt, an non eos terra Occidentalis protulit, & in Occidente ipso Christo eos Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia regenerauit, cuius sunt Apostatæ?

In Occidente ipso Concilia sæpè alternant, & in eodem Concilio subsellia sæpè dubia.

QVæ Concilia generalia in Occidente sunt celebrata, omnia Romani Pontificis auctoritate coacta sunt, & confirmata, quibus veritas ipsa Catholica definita, & hæreses subindè exurgentes condemnatæ, quibus, vt præest spiritus sanctus, ità non dubium, neque alternare ea, neque sibi vlla ex parte repugnare: quo enim iure, cum se isti probare dicant quatuor illa prima generalia in Oriente celebrata, reijciunt, quæ in Occidente aliquando pluribus Episcopis conuenientibus sunt celebrata? Quòd si eiusdem auctoritatis, cuius Romana Ecclesia, habeat illa quatuor Concilia, quòd in eis à Patribus definitam Catholicam, & orthodoxam fidem contendunt, non nisi certè ex assistentia spiritus sancti, quem Ecclesiæ suæ Doctorem omnis veritatis Christus promisit, dogmata fidei definiuisse, quæ remota omni dubitatione essent omnibus credenda, certissimè tenendum est. An illa promissio Christi non se porrigebat vltra sexcentos annos, an destitit esse Ecclesia Christi, vt non possent deinceps in illa congregari legitima Concilia? Itaque quæ in Occidente sunt habita, non legitima fuerint, non eò conuenerint Episcopi, & Sacerdotes, qui eandem auctoritatem legitimam haberent statuendi de fidei controuersijs, quemadmodum *prioribus illis* seculis non fuerint isti Episcopi successores Apostolorum, quemadmodum priores illi, exciderint Christi promissiones, irritum fuerit verbum Domini; [Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Crepusculum quasi Ecclesiæ in tenebras paulatim deuergentis, demergentis, nox illunis, raræ stellæ, & quæ rutilant, errabundæ.

HÆc certè verbis præcedentibus repugnare videntur, nam ex istis intelligitur per sexcentos illos annos adhuc fuisse Ecclesiam, cùm nondum Concilia illa alternassent, aut subsellia dubia essent, quod verò scribit: [Ecclesiam paulatim in tenebras demersisse:] vt intelligamus, scilicèt ea istorum sententia tùm penitùs extinctam, cum isti noui reformatores ex illa tamquam reliquiæ quædam prodierunt, qui nouam instituerunt Ecclesiam, non secùs, ac olim Apostoli ex Synagoga, qua reprobata, Deus voluit per eos nouam Ecclesiam ex omnibus nationibus ædificare, vt non mirum sit, si iste Regem magnæ Britanniæ tamquam alterum Vespasianum, & Titum ad bellum Papatui inferendum, ad exscindendum veterem illam Romam arcem antiquæ Religionis, quemadmodum olim Hierusalem, & templum illud augustissimum antiquæ illius arx erat, tam animosè studeat inducere, & quemadmodum

tum

tùm templum illud antiquum funditus euersum translato sacerdotio, & translatione legis facta, sic isti extincto sacerdotio Euangelico, abrogato Missæ iugi sacrificio, demoliendis, aut solo æquandis templis, euertendis altaribus, vt ne veteris Religionis vlla superessent monumenta, tàm studiosè incubuerint. Quod si numquam per interpretes, aut alios quoscumque potuit à tot annis doctrina Hyppocratis, Platonis, & Aristotelis obscurari, quin & scholæ eorum Philosophorum adhuc locum suum obtineant, miror quomodò Christi doctrina per Apostolos orbi tradita, tot miraculis confirmata, à tot sanctis Patribus egregiè defensa, in sacris Concilijs contra hæreticos propugnata, contrariis erroribus ita obscurari potuerit, fidei loco perfidia, vice Religionis superstitio, & idololatria apud Christianos vnius hominis auctoritate inducta fuerit: Ecclesia ipsa adeò conspicua, & illustris, primùm in tenebras demerserit, cum contra eam vel nascentem, & ab angulo terræ emicantem, nec perfidi Iudæi, nec potentissimi Imperatores, nec tot hæresiarchæ, nec Philosophi ipsi proficere, vel minimùm potuerint. An in tenebras demerserat tempore Arrianorum, cùm prophana ipsa nouitas, velut quædam Bellona, aut furia, capto priùs omnium Imperatore, cuncta denique Palatij culmina legibus nouis subiugasset? Hac hæresi Ecclesiam deuastante, scribit Hilarius rarum fuisse apud Orientes Catholicæ fidei, vel Sacerdotes, vel populum inuenire, sed vbique scandala, vbique schismata, vbique perfidias esse. Hac hæresi grassante, scribunt Historici diuisionem factam fuisse totius Orientis ab Occidente non absimilem illi, quæ erat decem tribuum Israelis à regno Iuda: idque sub Constantio Constantini Magni Salomonis nostri filio, sicut illa alia diuisio sub Roboam erat Salomonis altero filio. Scribit S. Basilius tantam Ecclesiarum desolationem, ac quasi solitudinem ex hac Arriana hæresi inuectam fuisse, quam aliquot epistolis depinxit ad viuum, vt valdè dubitauerit, an illa futura esset nouissima hora, vel defectio, qua semel facta veniret filius ille perditionis Antichristus, tum tamen illustris Ecclesia non in tenebras deuergit, demersit, nec nox illunis: raræ quidem aliquando stellæ, vt tempore Arrianorum pauci Episcopi, qui fidem orthodoxam propugnarent, [Sed non errabundæ, & quæ plurimùm rutilarent.] Longè aliud docet D. Augustinus epist. 48. quàm Mornæus cum Vincentio Donatistæ respondet obiicienti verba Hilarij superiùs citata, [Ecclesia, inquit, aliquando obscuratur, & tamquam obtenebratur multitudine scandalorum, sed etiam tunc in suis firmissimis apparet, qui sunt quasi stellæ Cœli in semine Abrahæ, In multitudine illa infirmorum, atque carnalium fidelium (quæ quasi arena maris est, aliquando tranquillitate temporis libera, & quieta apparet, aliquando autem tribulationum, & tentationum fluctibus operitur, atque turbatur. Tale tunc tempus erat, in quo scripsit Hilarius, vndè putasti insidiandum contra tot diuina testimonia, tamquam perierit Ecclesia de toto Orbe terrarum &c.] Sic & Hieronymus lib. cont. Luciferianos. [Periclitabatur nauicula Apostolorum, vigebant venti, fluctibus latera tundebantur, &c.] Itaque tùm ille turbatus Ecclesiæ status erat, non sublatus, sub Cruce militans, nihilominùs tamen super montem positus nempè, vt Caput Ecclesiæ Christus, cum maximè affligebatur, tunc maximè eminuit, & in Cruce exaltatus omnia ad se traxit, sic corpus ipsius Ecclesiæ vtrumque ventis, & fluctibus agitetur, cuneis & arietibus impellatur, non desinit tamen esse Ciuitas super montem posita, quæ abscondi non potest, & domus supra petram ædificata, aduersùs, quam portæ inferi numquam præualebunt: Numquam certè magis afflictæ res Ecclesiæ, aut hæresis vlla tantùm penè prędominata, quando igitur posteà crepusculum, quasi Ecclesiæ in tenebras deuergit, demersit.

Pleræque nostro firmamento verbo Dei minimè affixa.

QVi de scripturis sacris numquam pro suo arbitrio statuerunt, neque eas suo sensui accommodarunt, & quas antiqui Patres, sacra Concilia pro Canonicis probarunt, eas itidem admiserunt, & ne minimum quidem mendacium scripturis inesse profitentur, eas à Spiritu sancto dictatas certissimè credunt, atque in definiendo, qui sint libri sacri, & Canonici, priuatum iudicium non sequuntur, sed Ecclesiæ, quæ columna est, & firmamentum veritatis, an non verbo Dei affixi? Isti verò cum auctoritatem Ecclesiæ nullam esse velint, eam errare posse affirment, pro suo sensu, & priuato iudicio de Scripturis sacris, & Canonicis, & quæ sit earum auctoritas, statuant, & quod de Marcione scribebat Tertullianus lib. de præscript. cap. 38. [Ad materiam suam eędem scripturarum conficiant:] Nonnullos enim libros Canonicos, iam antiquitùs ab Ecclesia probatos isti non admittunt, an verbo Dei affixi? Nec sanè dubito hanc præfationem magni arte, & marte Mornæi, quæ tantæ est grauitatis, & veritati ita consonat, vt patet ille mendacij, qui magnum Mornæum impulit ad scribendum verax est, in Consistorijs Euangelicorum breui in Canonem sacrarum Scripturarum adscribendas: nam eadem auctoritate, qua ex Canone sacrarum Scripturarum ab Ecclesia probato licuit illis aliquas pro arbitrio expungere, fas erit, & quas velint, addere. Et id quidem parum erit, nisi idem exordium præfigant huic operi, quod olim Manichæi suæ epistolæ fundamenti Manichæo in Mornæum transformato, Mornæus Apostolus Iesu Christi prouidentia Dei Patris. Hæc sunt salubria verba de perenni, ac viuo fonte, &c.

Vt supremam illam, seu doctrinam, seu mores spectes, occumbere verè existimes, transuerberato Ecclesiæ pectore, transfixo penè corde, secato verè iugulo.

ATque de doctrina quidem Ecclesiæ, quòd incorrupta ad nos propagata sit, hactenùs multa. An verò licuit aduersarijs ob de-

Ve pra-

prauatos hominum mores à Christo, & illius Ecclesia discedere? An Cyprian. ob crimina Collegarũ (quorũ meminit sermone de lapsis, recessit ab Ecclesia? [Non communicabat ille eorum peccatis, & tamen (ait D. Augustinus) in eorundem sacramentorum communione persistebant, quia ea sacramenta non ipsi instituerant moribus suis, sed ad pœnam sibi valere faciebant moribus malis.] An ideò Ecclesia non erat ante persecutionem Diocleriani, quia statum illius describit Eusebius, quòd Christiani alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè inter se petulantibus linguis, tamquam mortuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum contumelijs velut hastas vnus in alium intorquere, & Præsides Ecclesiarum alter alrerius vires, & populus in populum seditionem concitare occiperat: an ideò ab illa Ecclesia, cuis tùm is erat status, adeò corruptus, non modò subditorum, sed & Præsulum moribus, deficiendum erat? An ideò noua quædam reformata Ecclesia in doctrina differens, & sacramentorum communione, instituenda? An igitur, & nunc si mores spectes, occubuisse verè Ecclesiam dixeris, vt antiquæ noua reliqua maximè à Pharisæis istis, quorum adeò prnbati sunt mores, sit instituenda?

Doctrina de vnico Mediatore, Redemptore, Seruatore Christo, de vnico eius sacrificio propitiatorio, penè extincta, apud paucos, si rerum faciem spectes, reseruata.

AN verò mediatores alios, seruatores, & Redemptores, præter vnum Christum Ecclesia Romana vnquam agnouit? Ab Apostolo Paulo edocta, [Vnus Dei, & hominum mediator homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus:] quod aliud sacrificium propitiatorium præter illius vnicum professa est, aut instituit? Isti magis sunt, qui saluberrimam doctrinam orthodnxam suis prauis erroribus commaculant, dum Christo mediatoris officium contrà expressam doctrinam Apostolicam, & sanctorum Patrum, quatenùs verbum est, & filius Patri consubstantialis, tribuunt. Ità enim scribit D. Augustinus lib. 10. confess. cap. 43. [In quantum homo, in tantum mediator, in quantum autem verbum, non medius, qui æqualis est Deo, & lib. 1. de Trinit. cap. 7. Iesus vt homo mediator est Dei Patris, & hominum: nam vt Deus est æqualis Patri, hoc est Deus cum Deo, & vnus cum Patre, & Spiritu Sancto: non mediator. Iterum, Iesus Christus secundùm formam serui mediator est Dei, & hominum: & lib. de pec. orig. cap. 28. Non per hoc mediator, quòd æqualis est Patri, per hoc enim quantum Pater, tantùm dicitur à nobis, & quomodo erit medietas, vbi eadem ipsa distantia est; Ideò Apostolus non ait. Vnus Dei, & hominum mediator Christus Iesus, sed homo Christus Iesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo, & inferior patre, per quod nobis propinquior, superior nobis per quod Patri propinquior.] lib. 1. de consensu Euang. cap. 3. & lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 20. idem tradit. Atque hæc fides est Ecclesiæ Romanæ, & doctrina Theologorum communis: Cum tamen Caluinus in epistolis duabus ad Polonos, in cuius schola educatus est Mornæus, & alij Euangelici, doceant Christum exercere officium mediatoris secundum vtramque naturam diuinam, & humanam, quod non intelligunt tantùm ratione suppositi diuini: sed & ratione formalis principij, vt ostendit Cardinalis Bellarminus lib. de Christo mediatore cap. 3. Fatentur enim se in hoc dissentire à magistro, & alijs scholasticis, qui aiunt Christum esse mediatorem secundum humanam naturam dumtaxàt, licèt debuerit esse Deus homo, vt perfectè mediatoris officium compleret, & hæc doctrina Caluini sapit Arrianismum. Quid quod idem lib. 2. instit. cap. 16. §. 12. docuit, sanguinem Christi non satis fuisse ad redemptionem hominum, nisi etiam pertulisset pœnas inferni, quas homo ob peccatum debebat soluere, cum tamen non alia ratione obnoxius sit homo pœnis inferni, quàm quòd non posset soluere debitum, quo se ob peccatum obligauit. Christum verò docemus hoc debitum soluisse, & patri restituisse honorem, sicque non tenebatur vllam aliam pœnam subire: Si quis enim ob debitum aliquod pecuniæ damnatus esset ad perpetuos carceres, qui eum vellet liberare, non necesse esset, vt se in carcerem conijceret, sed satis esset, vt solueret pecuniam debitam, hoc fecit Christus nostro nomine. An non igitur doctrina nostra de mediatore, & redemptore vnico Christo orthodoxa, & consentanea doctrinæ Patrum, & Theologorum: istorum autem erroribus, & blasphemijs eadem corrumpitur, & euertitur: nec quòd alios constituamus mediatores sub Christo; quidquam illi detrahit. An non Christus [lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,] qui tamen Apostolis dixit, Vos estis lux mundi, & vnus est Pater vester, qui in Cœlis, & vnus est magister vester. An non alij patres, & magistri, verum non eo gradu, quo ille, sic verò isti Christum vnicum seruatorem volunt, vt nihil prodesse velint bona opera ad salutem, quod quid aliud est, quam ad omnia scelera viam aperire? quid verò habent isti, quod nobis objiciant, quem alium redemptorem, & saluatorem præter Christum Ecclesia Romana vnquam agnouit? aut per cuius alterius meritum nobis ea omnia pollicemur, quæ ad salutem conferunt? De vnico verò sacrificio Christi propitiatorio, hoc scilicèt isti volunt nullum esse aliud Christi sacrificium præter illud cruentum, quo se in ara Crucis Patri obtulit. Sacerdotium verò Christi [secundùm ordinem Melchisedech:] sacrificium illud iuge, quo in Ecclesia quotidie incruentè offertur, isti pernegant, vt qui omnem memoriam passionis Christi, quam nobis refert incruentum illud sacrificium, extinctam vellent: negant Christum aliquod instituisse sacrificium in noua lege perpetuò duraturum, quasi indè inferatur sacrificium Crucis fuisse imperfectum, & insufficiens, vt Christiana Religio careat sacrificio, quo publico ritu, & nomine totius Populi Deum colat, vt eo sit imperfectior, vel Synagnga, vel Ecclesia, quæ fuit sub lege

natu-

naturæ, cum tamen nulla religio sine sacrificio constare possit, quod natura duce satis Philosophi intellexerunt. Plato 10. de Reip. & 8. de leg. Arist. 3. & 6. Politic. & sacrificium cuiusque Relig. necesse est, vt tamdiu permaneat, quamdiu Religio ipsa: quod constat ex B. Paulo Heb. 7. [Translato sacerdotio, necesse est legis translatio fiat.] Igitur, & sublato necesse est lex quoque tollatur, & sublato, sacrif. tollitur sacerdotium, adeo enim inter se sunt conuexa, vt vnum sine altero constare non possit: Igitur & sublato sacerdotio, lex item tollatur necesse est, vt qui sacrificium Christianæ legis, quod in altari perficitur, tollere conantur, simul, & Religionem Christianam è medio tollant: quod si obstaret, quod volunt aduersarij sacrificium crucis, quo minus esset aliquod sacrificium in noua lege, obstaret etiam ne scripta, vel in lege naturæ vllum esset sacrificium cum beneficio illius sacrificij, non modò qui sunt sub noua lege, consequantur remissionem peccatorum, verùm etiam omnes quotquot ab origine mundi extiterunt.

An non perpetuus ille vsus sacrificium Missæ offerendi ab initio Ecclesiæ, & ex traditione Apostolica perpetuò durauit, quod ex liturgijs Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & ex Clemente lib. 2. Const. Apostol. cap. 61. Dionysio lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. Cyrillo Hierosolimit. catech. 4. mystag. Ambrosio lib. 5. & 6. de Sacramentis, constat. An non eodem argumento sequeretur nullum esse in Ecclesia sacramentum, quo consequi possimus remissionem peccatorum, ne baptismum quidem, si quidem [vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos:] Concedimus quidem vnicum esse sacrificium crucis, cuius vi, & efficacia quotquot sancti extiterunt, vel futuri sunt, consequuntur remissionem peccatorum, vt propterea minimè opus sit in eum finem, vllam aliam hostiam offerri, sic enim fieret Christo iniuria, quasi aliquid illius sacrificio deesset, verùm in eum finem sacrificium Eucharistiæ peragitur in Ecclesia, vt vis, & efficacia mortis Christi, & sacrificij, quod obtulit in cruce, nobis applicetur: nec opus Patrum omnium congerere testimonia.

Nam Caluinus ipse lib. de reformatione Ecclesiæ apertis verbis fatetur, [Patres omnes agnouisse oblationem Eucharistiæ, quamuis ea ratione non nihil deflexerint à verbo Dei, & Christi mortem obscurarint:] Vbi Caluinus velit nolit, cogitur condemnare vniuersam Ecclesiam, nihil enim docent Patres, quàm quod suis temporibus tota Ecclesia profitebatur. Vndè cõstat quàm benè conspicet Ecclesia hæc reformata, & purior cum antiqua Ecclesia, quàmque solidiùs verbo Dei nitatur: Hoc etiam est accusare omnes Patres, aut ignorantiæ, quòd verbum Dei non satis intellexerint, aut etiam malignitatis, quod ex professo verbo Dei in re tanti momenti aduersari, & nobis imponere, quin & superstitionem, & idololatriam suo calculo confirmare voluerint, adeòque Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores, & Doctores, qui nos inducerent in errorem: non autem quod ait Paulus, [In opus ministerij, in consummationem Sanctorum, ne circumferamur omni vento doctrinæ:] Isti veri sunt Antichristi præcursores, qui iuge illud sacrificium ab Ecclesia, quod tollere conabitur Antichristus, iam sublatum velint.

Tempus haud dubiè illud, quo mulier illa, purior Ecclesia à Dracone fugata, alis Aquilæ subuecta, eremum petere cogitur, Aquilæ illius, vtique Iehouæ omnipotentis, qui Ecclesiam suam cum opus, vt pullitiem suam Aquila seruaturus circumfert.

SEptimum, octauum, nonum sæculum Mornęus interpretatur [tempus illud, quo mulier illa purior Ecclesia à Dracone fugata alis Aquilæ subuecta eremum petijt, Aquilam Iehouam omnipotentem] exponit. Quàm rectè hæc interpretatio cum verbo Dei conspiret, non secus ac mendacium cum veritate facilè constabit. Nam ex scripturis veteris, & noui Testamenti colligitur, [Ecclesiam fuisse diffundendam per omnes gentes, quæ benedicendæ erant in semine Abraham, quod est Christus, eam esse fundatam à Christo super petram, aduersùs quam portæ inferi non essent præualituræ:] Ecclesiam præterea toto orbe conspicuam, & illustrem fore, est enim [Mons ille domus Domini eleuatus super omnes colles, ad quem confluunt populi multi, Is. 2. est ciuitas illa super montem posita, quæ abscondi non potest, quæ in Symbolo non reformata, & purior, sed vna sancta Catholica Apostolica Ecclesia] nuncupatur, quam omnes Christiani credere se profitentur, vt tam à credendo Symbolo Apostolico, quàm à fide sanctæ vnius Christi Ecclesiæ distet Mornæus, quando verò illa ex oculis hominum tollitur, aut inuisibilis redditur, ex quo Dei verbo illud docetur:

Sed apud quos quęso septimo, octauo, nono sæculo residebat illa purior Ecclesia, si quidem Ecclesia non est aliquid re abstractum à singularibus, nisi [cœtus fidelium Christo credentium, & in eandem orthodoxam fidem ad salutem necessariam conspirantium, qui ergo illi fideles tum passi persecutionem ab Antichristo tam diram, vt in solitudinis se recipere coacti fuerint, vt credamus illam, quæ ignota erat, cuius nulla apud scriptores probatos memoria, fuisse piorum cætum, Ecclesiam Christi, hanc verò, in cuius gremio à sexcentesimo Christi anno, Episcopi, & Sacerdotes populos docuerunt omnes nomen Christianum professi, Reges, Principes, ac tot gentium examina vixerunt, tot Concilia celebrata sunt, tot egregij scriptores clamarunt, in quam tot nouæ gentes aggregatæ sunt, toto orbe illustrem, non esse Christi Ecclesiam: Non video certè, qua ratione quis homini prudenti, & omnis passionis experti, sed veritatis tantùm cognoscendæ studioso, id facile persuadeat.

Quomodo verò Deus tamdiu passus est latere suam Ecclesiam, & si in solitudine commorantem, qui nec sanctos homines etiam in deserto delitescentes passus est diutiùs orbi ignotos manere: Nam magnum illum Antonium in solitudinibus Ægypti procul ab

homioum consortio degentem mundo celebrem adeò fecit, vt & Constantinus ille magnus propter nominis illius, & famæ celebritatem, ac virtutis splendorem eum sibi amicum fecerit, literas honorificè scriptas ad eum dederit. S. Athanasius in vita illius, [Hoc in eo viro (inquit) mirabile est, vt hominem in extremo mundi limite conditum, & fauor Principum, & omnis celebraret aula regalis:] At longè magis gloriæ Dei, & salutis fidelium intererat cognoscere Ecclesiam illam in solitudine latentem, quàm priuatos homines toti mundo celebres reddere. Probabile quidem est per mulierem illam in desertum fugientem statum Ecclesiæ sub Antichristo, ac sæuam persecutionem, sed quæ breui duratura sit, significari, licèt ramen, vt docet D. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei c. 8. qui vnus nobis pluris est, quàm mille Mornæi, nec tunc obscura futura sit Ecclesia, sed ità illustris, vt ad eius gremium etiam sub ipso Antichristo aliquæ gentes se recepturæ sint, & ad Christum conuertendæ.

Deindè hic locus Ioannis valdè obscurus est, quo ostendunt suam Ecclesiam reformatam, quæ in solitudinem aliquando fugerit, & aliquot sæculis illic latuerit, quemadmodum erat locus ille Cantic. quo vtebantur Donatistæ, [Dic mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie:] vt probarent Ecclesiam perijsse de orbe terrarum, & in sola parte Donati in Africa remansisse: Nam si, & pars Donati fuisset in partibus Aquilonis, quæ contrariè sunt partibus Meridianis, dixisset de se illud dictum, [Montes Syon, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni: nam vtique Ciuitas Regis magni,] non est nisi Ecclesia, & hoc potius indubitantèr sonat Ecclesiam, quàm illud [Vbi pascas, vbi cubes in meridie: Et si in Occidente esset pars Donati, diceret de se esse dictum, [Iter facite ei, qui ascendit supra occasum, Dominus nomen illi: Fortassis enim sublimius esse diceret: Ascendit super occasum, quàm cubat in meridie. [Hæc (inquit Augustinus) mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum, & quod interprete non egeat, à vobis flagitamus:] Sic isti non habent alium locum, quo doceant Ecclesiam suam per aliquot sæcula in deserto quærendam, quàm obscurum sacræ Apocalypseos, cum tot sint loca scripturæ ità manifesta, vt nullo egeant interprete, illustrem oobis conspicuam per omnes gentes diffusam, & nullis persecutionibus vnquam de orbe perituram Ecclesiam demonstrantia.

[Perscrutemus scripturas, ait D. Augustin. contra Donatistas, Lib. de vnit. Eccles. c. 16. & contrà tam multa testimonia, quibus ostenditur Ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi, vel vnum proferant tàm certum, & manifestum, quàm illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi perijsse de cæteris gentibus, & in sola Africa remansisse.] Sic isti nobis ostendant ex aliquo loco scripturæ manifesto apud se solos Ecclesiam esse, & de orbe terrarum perijsse, quæ in solitudines, & latibula aliquot sæculis ignota se receperit. Nec procul abest à vero, quod insinuat Mornæus, Ecclesiam istam puriorem septimo sæculo habuisse quoddam suum initium, si quis mente repetat Mahometem illo sæculo, scilicet circa annum Domini 640. ex Iudaica superstitione, & Arriana perfidia nouam sectam condidisse, si quis prætereà doctrinam Saracenorum cum doctrina Mornæi, & Caluinistarum conferat Nam Mahometani crucem abominantur, & Christianos eam adorantes idololatriæ criminis accusant. Mahometes Deum auctorem omnis mali esse docuit, latrones, veneficos, aliosque vetiti facinoris conuictos à Deo ad hoc dixit certo consilio destinatos, vt sic morerentur, vt Ecclesia hæc purior, & doctrina Caluinistarum, quorum princeps Mornæus à Mahometismo manasse, aut certè magnam cum illo affinitatem habere videatur, nou secus, ac cum hæreticis antiquitùs damnatis, quorum errores noui isti Euangelici, sustibus & armis in orbem reuocarunt, subiungit Mornæus.

Et quàm miser perijsse putas, prouolat exindè duodecimo sæculo ineunte, in planitiem promouente, præeunte Deo, in Aquitaniam, Galliam Narbonensem, Transalpinam se affatim effundit inter Alpes, & Pyrenæos, omnia Euangelij præconio complet.

Valdensium, & Albigensium sectas, intelligit sæculo illo duodecimo exortas, quæ cum opera potissimùm Romani Pontif. Religione, & armis debellatæ sint, & extinctæ, volunt isti tunc reformatam suam Ecclesiam à Pontificum Romanorum tyrãnide oppressam, cum alioqui nisi tam violento furori obuiam itum fuisset, totam Europam perfidia corruptura videbatur, adeò enim pullulate, & excrescere cœpit in Comitatu Tholosano primùm, vt omne triticum fidei gentis illius in lolium erroris versum videretur, & intantum error ille inualuit, vt breui temporis interuallo infecerit mille propemodum ciuitates. Philippus Augustus Christianissimus Rex monente eum Innocentio III. sui officij in Religionem Christianam. Ludouicus item VIII. illius filius: & Ludouicus IX. Rex sanctissimus in eos sumpserunt arma, ac pestem illam randem extinxerunt, vt ne nomen quidem superesset Albigensium. Verùm quando Mornæo placet Ecclesiam reformatam, & puriorem suorum gregalium fuisse rum temporis cætum Albigensium, vt hæc sua Ecclesia reformata in Albigensibus à Pôtifice Romano passa sit persecutionem, vultq; hanc puriorem Ecclesiam cùm veteri Apostolica conuenire, quando quidem Apostolica primitiua, quocumque terrarum diffusa esset, velut os vnum, & animam vnam habens, eandem prorsùs doctrinam profitebatur: Cõspirat igitur in eadẽ doctrina fidei, & motum Mornæi, & suorum gregalium Ecclesia, cùm illa Albigensium. (Prateolus 5. Albigensis.) Atqui Albigenses cùm Manichæis docebant duo principia, scilicèt Deum bonum, & malum, idest Diabolum, quem dicebant creare corpora, vt Deum bonum omnes animas. 2. Corporum resurrectionem cùm Manichæis negabant, existimabant enim animam hominis,

nis, sic cùm corpore interire, vt nusquam postea redeat. 3. Baptismum prorsùs abijciebant, velut inutilem, & superuacuum. 4. Matrimonia damnabant, promiscuos concubitus, eosque nefarios, sanctos dicebant. Adeò creuit Albigensium furor, & amentia, vt cùm Vrbs Bitterensis, quam occupauerant, à Catholicorum exercitu obsidione vallaretur, & expugnaretur, Sacrum Euangelij codicem arripientes, & super illum mingentes de muro, contra Christianos proijcerent, & sagittas in eumdem detorquentes, in huuc modum clamarent, [Ecce lex vestra miseri.] Quin & scelesti illi, Dei Matrem Sanctissimam Virginem, voce impurissima meretricem dicere soliti, vt Gulielmus Naugiacus, qui proximo seculo vixit in Gallia, testatum reliquit: Christum Deum turpi consuetudine (quòd horror est cogitare) cùm Magdalena iunctum fuisse affirmabant, sic refert Petrus Cistertiensis Monachus, qui visa in historiam contulit Innocentio Pontifici dicatam, & multa istiusmodi insigni procacitate in vulgis affirmabant.

Aut certè non est, quòd Mornæus, & sui gregales defendant latitantem suam Ecclesiam, & à Pontificii Romanorum tyrannide oppressam calumnientur, cùm sectam Albigensium Religione, & armis persecuti sunt, ac tandem eam penitùs extinxerunt, aut cum Albigensibus necesse est fateantur se profiteri istiusmodi horrendos errores, & blasphemias in Deum eructare, nobis concedant, aut negent, quod Scriptores illorum temporum affirmant, Albigenses hos errores palàm professos fuisse, quo eodem argumento, omnis historiæ antiquæ detraheretur auctoritas. In multis verò certum est conspirare Caluinistas, hoc est Mornæum, & illius gregales cum Albigensibus. (In Philippo Augusto.) Nam vt refert Paulus Æmilius, Pontifices nostros Episcopos sceleratorum, Ecclesiam nostram cœtum infernorum vocitabant. Preces pro mortuis, & vota frustra suscipi: cœlestibus etiam patrocinium, Sacerdotibus remittendi peccata potestatem detrahebant: neque in Eucharistia Christi Corpus inesse existimabant: traditur illorum quendam Tholosæ in odium Christi, & confusionem fidei, iuxta altare maioris Ecclesię ventrem suum purgasse, & palla altaris suam fœditatem detersisse: Alios rursùs super altare scortum posuisse in conspectum Crucifixi, cumque eo abusi fuissent, postea sacram Imaginem indè detraxisse, eique brachia præcidisse, & collo fune alligato, illam per vrbis plateas intollerandis cum blasphemijs traxisse, quæ certè omnia insignia sunt, & tragediæ gregalium Mornæi, & cum eorum doctrina mirificè conspirant. Ea secta à primis incunabulis, exortuque non populi multitudine tantùm, sed fauore etiam principum armata fuit Comitis Tholosani, Fuxensis, Bitereusis, Conuenarum, quibus accedebat Petri Regis Aragonij patrociniū: Ità nonnullos isti impietatis ministri Principes, & ex præcipua nobilitate, quamplurimos traxerunt in suas partes, qui Religioni, & Reip. pluribus locis maguas clades attulere. Memelinum Marochi Regem ex Africa, cum tanto Saracenorum, & Maurorum exercitu, in auxilium Albigenses accersiuerunt, vt gloriarentur se posse vniuersam Europam subuertere, ac eò venerunt insaniæ, vt mitterent ad Innocentium III. Pontificem, qui dicerent se cuncta Romana Templa in æquorum suorum stabula conuersuros: insuper salutiferum Crucis signum à primatulo Templi D. Petri se detracturos, eiusque loco impuri Mahometis vexilla suffecturos: Eamdem pietatem, non absimilem zelum in nouis istis Albigensibus obseruare licuit. Anno 1565. cum Princeps Condæus profligatus è Gallia Basileam se recepisset, atque illic de ratione belli patriæ inferendi cum suis consultaret, consuluerunt ministri, quando alias rationes causam Euangelicam tuendi viderentur impeditiores, vt Turcarum Principi se submitteret, subsidiumque ab eo impetrans belli flammam perpetuò aleret, & sub Turcarum auspicijs ad Reipublicæ Christiana Principum ruinam, atque internecionem totis viribus incumberet.

Quod verò scribit Mornæus [Promouente, præeunte Deo in planitiem, tum affatim, Ecclesiam istam se effudisse:] Atqui constat pestem illam Albigensium profligatam, magis diuina ope, quàm bellica fortitudine, aut viribus humanis: Nam cum circitèr centum millia armatorum, in acie aduersùs Simonem Comitem à Monte-forti Catholicorum Ducem, ne decima quidem parte hosti parem constitissent, ipse Dux, & milites confessione priùs, ac sacra communione operati se cœlesti ope muniere. Pontifices Tholosatium, Agarensium, Lodouensium, Conuenarum, quos populares sedibus exegerant, vna cum Sancto Dominico, tum in exercitu erāt: hi non gerebant arma, non stringebant enses: Dùm committitur, dùm trahitur prælium, Deum Optimū Maximum precabantur, vt pro causa sua stet: Ducem se suis militibus præstet: Crucem, quam pro militiæ insigni accepissent, inuictam velit: qui hostes viribus, ope omni humana superiores sint, eos ne sineret, etiam de his triumphare, qui omnem spem suam in numine collocassent. Moueretur causa precibus, obsecrationibus, votis, valuerunt lachrymæ, vicit Religio, fusa, fugata multitudo à paucitate, furor à Religione: Comites effugere. Rex Taraconensium cecidit, Tholosates maximè cladem sensere, nulla propè domo cladis experte: gladio multi, flumine plures, dùm omnia minus, quàm hostem timent, dùm per medios gurgites euadere conantur, absumpti: plus viginti millia desiderata, cœteri armis exuti: è nobilitate nostra vnus omninò interijt, cum paucis admodum, atque his neque sanguine, neque virtute inclyti, quis igitur dubitet, tàm insignem victoriam, à paucis Christi militibus præsentia diuini numinis, de tot hostibus reportatam? Addo tùm & miraculis confirmatam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, & perfidiam Albigensium confutatam; vt enim refert Vincentius lib. 30. speculi Historialis, ex historia B. Dominici, & ex gestis Simonis Comitis à Monte-forti: (vide Antonium 3. p. Chro. tit. 19. c. 1. §. 4.) cùm apud fanum Iouis, quoddam castrum frequentes, inter Catholicos, & hæreticos disputationem conflictus fierent, ad quas vtriusque sexus populi multitudo confluebat, factum est ex edicto, vt

dic

die quadam fieret solemnis disputatio sub iudicibus deputatis, & cùm altercatione verborum diù protracta hæretici subtili calliditate diabolica, & si rationibus, & auctoritatibus sufficientèr confutati, vt murmura de manibus stringentium elaberentur, decretum est, vt ab vtraque parte scripto præsentari deberet ipsa assertio fidei, quam docebant, D. Dominicus, qui vnus præ cæteris fidem Catholicam propugnabat, illius præcipua capita contra Albigenses in libellum redegit, quem iudicibus præsentandum omnes Catholici decreuerunt coram omni multitudine. Vtriusque partis libelli, idest B. Dominici, & hæreticorum Albigensium in medium proferuntur, & iudicibus inter se discrepantibus: hæc tandem fuit communis sententia, vt vtrumque libellum in flammas ignis iacerent, & quem contingeret ab igne non comburi, ille veram fidem procul dubio contineret. Accenso itàque magno igne, in medium libelli proijciuntur, & partis quidem hæreticorum, sine mora comburitur, libellus verò à Seruo Dei Dominico oblatus, Catholicæ, Apostolicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam continens, omninò ab igne illæsus foràs prosilijt in longinquum. Iterum atque tertiò iniectus, æquè incombustus, ità insigni miraculo Deus ostendit, qui sui essent, error hæreticorum vincitur, & Catholica fides extollitur. Sicque quoniam purior Ecclesia Mornæi, & gregalium illius eadem est, quæ duodecimo seculo prodijt in Albigensibus, hanc certè iam tùm miraculis à Deo reprobatam fuisse constat, tantùm verò abest, [Vt in planitiem promouente, præeunte Deo, se affatim effuderit.]

De sæuientibus demùm suis hostibus, Pontificibus tuis, post multiplicem stragem, tota Europa non tàm disseminatur, quàm proseminatur.

NAm hostes Euangelij Christi fuerunt isti Christianissimi illi Reges, Philippus Augustus, Ludouicus VIII. Ludouicus IX. Sanctitate, & miraculis clarus, in Catalogum Sanctorum relatus, Gallorum Gentis, immò & Regum omnium gloria, ac decus: Defæuijt, scilicèt in Ecclesiam puriorem Pontifex ille Sanctissimus Innocentius III. qui cùm videret furorem illum Albigentium audaciùs procedere, ac nisi tempestiuè remedium esset allatum, grauissimum instare periculum Reipublicæ Christianæ, sui esse muneris iudicauit occurrere tanto periculo, & rationem inire, qua incendium illud, quod in dies augebatur, extingueretur. Missus itàque in Galliam Didacus Episcopus Vxamensis, & cùm eo Dominicus nobilissimæ Prædicatorum familiæ fundator, duodecim Abbates Cistertienses eis adiuncti, additus & Legatus Pontificius Gualo S. Mariæ in Porticu, Diaconus Cardinalis Iurisperitus, & magnæ prudentiæ vir, penès quem suprema auctoritas, & totius administrationis summa esset, cùm pacis consilijs, & disputationibus parum proficeretur, quin & hæreticorum artibus populi multitudo corrumperetur, tùm demùm Crux in eos suscepta, arma à fidelibus sumpta, & in militum stipendium pecunia pro pietate cuiusque animi collecta. Quid? an impunè eam pestem grassari, Christianum Orbem corrumpere, incendium illud totam Europam corripere Pontifex, ac Christiani Principes permitterent? An non præstabat perditissimos homines infructuosos palmites, antequam vineam Domini demolirentur, materiali gladio amputare? exscindi siquidem ferro debent, quæ sanari non possunt, nihilque tempestiua seueritate salutariùs, & opportuniùs aduersùs id genus mali, è corpore nostri iubemur, & propria membra amputare, quæ nobis sunt scandalo.

Cùm verò ad internecionem deleti sint Albigenses, vt ne eorum quidem nomen superesset in Gallia, nescio quo sensu iste intelligat Ecclesiam suam puriorem, [post multiplicem illam stragem tota Europa: non tam disseminatam, quàm proseminatam. In Germania quoque ipsa, non tàm disseminatam, quàm proseminatam.] Nisi Vuiclefistas, Hussitas, & alias profligatissimas hæreseon pestes, cùm Albigensibus confundat, quæ tamen sectæ, vt ex dogmatum varietate constat, longè à se differunt. D. Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium Comitem ostendit hæresim Donatistarum cum Arriana nihil habere commune, ex diuersitate dogmatum. [Nam Arriani, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti diuersas esse substantias dicunt: Donatistæ autem hoc non dicunt, sed vnam Trinitatis substantiam confitentur, & si aliqui ipsorum minorem esse filium dixerunt, quàm Patre est, eiusdem tamen substantiæ non negarunt, plurimi verò in eis, hoc se dicunt credere de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quòd Catholica credit Ecclesia. Post aliquando sicut audimus, nonnulli ex ipsis volentes sibi Gothos conciliare, quando eos vident aliquid posse, dicunt hoc se credere: quod & illi credunt, sed maiorum suorum auctoritate conuincuntur, quia nec Donatus ipse se credidisse asseritur, de cuius parte se esse gloriantur.] Eodem modo igitur ex erroribus Albigensium, quos historiæ referunt, articulis Vuiclefi, & Ioannis Hus damnati in Concilio Constantiensi, & articulis Lutheri condemnatis à Leone X. & nouis dogmatibus, quæ Mornæus, & illius gregales profitentur, constat non vnam, & eamdem, sed longè diuersas esse à diabolo sectas introductas: Non igitur est, quòd in illis Ecclesiam suam proseminatam, ac propagatam isti affirment. Nec mirùm quod ait, [Istos in Colonias propagatos: nam vt scribebat D. Hieronymus in cap. 5. Epist. ad. Galatas, Scintilla res parua est, & penè dum cernitur non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quamuis paruus ignis inuenerit, Vrbes, Mœnia, latissimè saltus, regionesque consumit.] An non Artius scintilla fuit, & eius hæresis Orbem tectatum populata est.

Apo-

Apoſtolica vtique illius primogeniæ ſortem experta, quæ Hieroſolymis à furentibus Sacerdotibus pulſa, in omnes mundi plagas ſumma Dei prouidentia peruolitans, Euangelij vocem, toto Orbe omnibus exaudiendam circumgerit.

SEd quid habet commercij cum Verbo Dei, comparatio illa primogenitæ Eccleſiæ, ſub Apoſtolis Chriſti, & purioris, & reformaræ iſtius, quam vocant ſub Albigenſibus, duodecimo ſeculo emergentis: nam de Eccleſia Chriſti ab Hieroſolymis Euãgelij prædicationem inchoatura, deindè in omnes mundi plagas diffundenda ex Verbo Dei conſtabat, irà enim Chriſtus Apoſtolos alloquens air 1. [Eritis, inquit, mihi teſtes in Hieruſalem, & in Iudæa, & in Samaria, & vſque ad vltimum terræ; & Luc. 24. Aperuit illis ſenſum, vt iotelligerent ſcrſpturas, & dixit eis, quia ſic ſcriprum eſt, & ſic opottebat pari Chriſtum,& reſurgere à mortuis tertia die,& prædicari in nnoiine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum pet omnes genres,incipienribus ab Hieruſalem,quod longè priùs ab Iſaia prænunciatum.De Syon exibit lex,& Verbum Dei de Hieruſalem.] Ee ex eodem Verbo Dei eoostabat Chriſti Eccleſiam duodecimo illo ſeculo,& reliquis ſeculis illuſtrem, non & conſpicuam omnibus fore, ad ſolitudines anrea coarctatam, nec anreà latentem, cùm primùm [promouente, præeunre Deo in planitiem ſeſe diffunderc debuiſſe: vbi enim ſeptimò, octauo, nono ſeculo erat illa Eccleſia, quæ ab Hieruſalem incipiens Orbem rerrarum erat impletura: An eadem exiſtimanda [Eccleſia iſta purior,quæ duodecimo ſeculo in planitiem ſeſe diffudie eum Apoſtolica illa primogenita ?] quòd ſi diuerſa erat ab illa, nec certè erat Eccleſia Chriſti, quæ vna, & eadem erat vnirate fidei, & Sacramentorum ab exordio ſui vſque ad finem mundi, non eamdem fuiſſe indè conſtabat, quòd longè diuerſa erant dogmata iſtius Eccleſiæ dnodecimo ſeculo emergenris, & in planitiem ſeſe diffundenris, à dogmaeibus primogeniæ illius Apoſtolicæ Eccleſiæ, vr iam præoſtenſum eſt:non aduersũ furorem Iudæorum, aut Gentilium armauit ſeſe primigenia illa Apoſtolica Eccleſia, oon principum fauore armara tot millia hominum, tãque potentem exercitum in aciem eduxit,non caſtra,oppida, ciuitates, quibns ſe tueretur, occupabane: non multi potentes, non multi nobiles, vt non euacueretur Crux Chriſti,baprizabant Apoſt. omnes gentes [In nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti.] Verùm Albigenſes baptiſmi aquam nullam vim habere ad expiandum peccata exiſtimabant,Euangelium Chriſti in ſalutem omni credenti Iudęo primùm, & Græco promulgarunt primùm Hieroſolymis, deindè toto Orbe tertarum Apoſtoli,Albigenſes in Sacrum Euangelij codicem mingebant, ac Biterris à Catholicis obſeſſi, illum è muro proijcientes his verbis ad Catholicos vtebantur, [En lex veſtra miſeri:] non diſſimili impietare, qua poſtea Turcæ expugnata Conſtanrinopoli, Chriſti Seruatoris noſtri imaginem circumgeſtantes, per opprobrium, & deriſionem in has voces erumpebanr, [En Deus Chriſtianorum ?] Chriſtum filium Dei æternum, Sanctum Sanctorum, conceprum de Spiritu Sancto, narum ex Sanctiſſima Virgine, Iudæis, & Gentibus prædicabant Apoſtoli. Verùm Albigenſes, vt antea dictum eſt, Dei matrem impuriſſima voce meretricem, Chriſtum Dominum turpi conſuetudine cum Magdalena iunctum fuiſſe (horreſco referens) impiè aſſirmabanr, quæ igitur conuentio profligatiſſimorum hominum ſectæ, aur purioris iſtius Mornæi Eccleſiæ, cum Apoſtolica illa primigenia ? potuiſſer,& ab Arrio primordia ſuæ Eccleſiæ repetere, qui ſcintilla fuit, & eius hæreſis Orbem terrarum populata eſt,arque ſuam ſectam puriorem, & reformatam Eccleſiam Arriani æquo iure nuncupare poterant? quam in ſolitudinem primùm fugiſſe, ac tum demùm quarto ſeculo ineunte in planitiem ſeſe diffudiſſe Ipſa Palatij culmina occupaſſe, & multorum Epiſcoporum fauore ſubnixam, integras nationes corripuiſſe,potuiſſent oſtendere, & cùm à paruis inirijs in tantam creuiſſet molem, rectiùs porerat conferri cùm illa Apoſtolica primigenia: Immò & Albigenſium ſecta, quæ duodecimo ſeculo è ſolitudine erupit, & è tenebris emerſit, & hæc recentior gregalium Mornæi, quæ noſtro hoc infelici ſeculo prodidit, vel hoc nomine cum Aeriana perfidia rectè conferatur, quæ vbi magnas clades trecentis ferè annis Chriſtiano Orbi intulit, & quod aie Homerus *toſaytas de pſichas aidi proiapſen*, penitùs extincta eſt, ſic, & nuperæ iſtæ non dubium,quin breui abituræ in fumos. Quod verò ſcribit Eccleſiam puriorem [duodecimo ſeculo, ſcilicèt in Albigenſibus Apoſtolicæ primogeniæ ſortem eſſe expertam,] de mendacio facilè conſtabit: Nec enim modo Romani Pontifices contra Albigenſes pios concitarunt,ſed & Chriſtianiſſimi Reges, quos perduelles iſti inficiari non poſſunt, fuiſſe Chriſti Religioſiſſimos Cultores, armis eos ſunt perſecuti, & è Prouincijs ſuis exegerunt, qui verò Eccleſiam Apoſtolicam primigeniam perſecuti sũt, nõ Chriſti, ſed diaboli cultores, & idololatræ fuerũt,nec potuerũtChriſtianorũ nomen è terris extinguere,immò quò magis perſecutio ſęuiebat,eò maiora incremẽta religio capiebat, vbi Albigenſium ſecta ſtudio Pontificum, ac piorum Regum armis protsùs deleta, & extincta, vt ne nomen quidem ſupereſſet, quam igitur diſſimilem ſortem primogeniæ illi experta ? ſed præſtat nos, quæ ſubijcit, paulò accuratiùs expendere.

Lege,

Lege, mi homo, (quos ità compellabat antea Domini, ac fratres mei) historias huius temporis auctoribus licèt tuis, testes nos ex tuo sinu producimus, non alios vestro beneficio, an maleficio possumus.

VEritas histotiæ, ac terum gestarum, non aliundè petenda nobis, quàm ex auctoribus idoneis, & fide dignis, qui vel illo seculo, vel paulò post vixere, quos cùm producit Mornæus, in seipsum sententiam proferr, nemo enim est auctorum illius temporis, qui non scribebat sceleratos fuisse Albigenses, errores nefandos, ac horrendas in Deum blasphemias asseruisse, sectam profligatissimorum hominum ad turbandam Reipublicæ Christianæ pacem excitatam, miraculis confutatam, iustissimè in eos arma sumpra, vt quocumque sub vexillo Crucis tunc contra eos miliratunt, consecrarint manus suas Domino, vt Leuitæ sub Moyse, *oi catà ton isebicoton entin paremboli, caì gnomin, caì cheiras ecinisan*; qui cootra impios in castris, & animum, & manus mouerunt Synesins Epist. 5. Quibus alijs auctoribus possit eorum auctoriratem deprimete, aut fidem experiri Montnæus, non video. Eodem enim iute, qui nunc velit Arrianorum, aut aliorum veterum hæreticorum errores, & blasphemias in Deum, & iustam damnationem ostendere ex antiquis Scriptoribus, qui tum temporis res gestas scriptis ad posteros mandarunt: si quis Arrianus sit, obijciet, & fuisse nostros auctores, ac illi pro suo arbitrio licebit eorum eleuare auctoritatem: qui historiam Albigensium descripserunt, etsi Catholicos fuisse constet, non fuit tamen illis animus sectam in scribendo persequendi, sed rerum suo tempore gestarum veritatem literis mandandi.

Quòd si tùm aliqui in patrocinium sectę Albigensium scripserunt, eos indè hæreticos fuisse constat, quomodo libri condemnari, pruscripti, & meritò igni traditi fuerint: sic enim veterum hæreticorum, qui fuerunt errores, quid contra veritatem scripserint, non aliundè quàm ex libris Catholicorum compertos habemus; testimonium quidem ab aduersario firmissimum est, itàque aliquid efficeret Mornæus, si nostros auctores sectæ illi, aut suæ puriori Ecclesiæ fauere, aut eos iniustè damnatos, aut Pontifices, ac Reges Christianissimos, per summam iniuriam eos esse persecutos ex ijsdem auctoribus doceret. Quid verò tefert iste ex nostris auctoribus?

Hic, inquit, cateruatim, agminatim caeduntur, illic gregatim vruntur, vstulantur:

QVid enim? an perditissimi homines impietatis in Deum conuicti, tot horrendarum blasphemiarum, & hæreseon assertores ab insania, quam obstinata mente defixam haberent, nunquam passi se deduci, Christianæ Reipublicæ præterea perturbatores impuniti abire debebant? Auctores nostri non modò cæsos, vstos, vstulatos, sed & iustissimè id factum: quòd reticet Mornæus, scribunt. Quòd si iste velit Amorrhæorum causæ fauere contra Hebræos, dicet vtique à Iosue, & filijs Israel eos cæsos, tot Ciuitates euersas, Reges laqueo suspensos: Medianitas item à Gedeone, Ammonitas à Iephte, Amalechitas a Saule, Philistæos, & Idumæos à Dauide cæsos proferet, quasi id solùm referat scriptura, & non eius Populi Dei oppressores iussu, & ope illius profligatos, & occisos. Ità patrouus iste Albigensium ex auctoribus nostris ostendit eos cæsos, vstos, vstulatos, & id legimus quidem, & ex historijs illorum temporum compertum habemus? Sed & probati illi auctores, quàm iustè in facinorosos homines, Diuinæ, & humanæ Maiestatis reos animaduersum sit, non tacent: quòd si auctores nostros contra nos producit Mornæus, ne vtique fas sit negare eos cæsos, vstos, vstulatos, & eosdem contra illum proferimus, vt ostendamus de illis tamquam de impijs, qui igne cremari viui, quam piè sentire maluerint, aliquando iustissimè sumptum supplicium, in quibus mortis contemptum non pietas, sed cordis duritia operabatur, nec enim latet nos, quanta sit potestas diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possideat: viam & rationem cognoscendæ suæ reformatæ, & purioris Ecclesiæ sequentibus verbis Mornæus ostendit.

Iter illa tibi suum, ne fallaris, ne aberres, perennibus cineribus, recenti in æuum martyrium suorum sanguine conspersit, consignauit, vt alia tibi indagine, alij via indicibus, non sit opus.

NOn dubitamus equidem eam esse Christi Ecclesiam, in qua tot Sanctissimi Martyres pro fide nominis Christi constanter mortem subierunt. Verùm vt scribebat D. Augustinus de Donatistis, (lib. 1. con. epist. Parmeniani cap. 7.) Quid non isti iustè patiūtur, cùm ex altissimo Dei præsidentis, & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admouentis iudicio patiuntur, & merito criminum, & ordine potestatum. Probent enim priùs se non esse hæreticos, vel schismaticos, (id contra tot Scriptorum auctoritatem, & historias illius temporis de Albigensibus ostendat Mornæus) tùm demùm de indignis pœnis sui liuidam emittant vocem, tùm demùm se se audeant, cùm mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere.

Alioquin si quisquis ab Imperatore, vel à Iudicibus ab eo missis pœnas luit, continuò martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, omnes catenæ iudiciariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnosi sunt, in omnes insulas martyres deportantur, in omnibus pœnalibus locis iuridico gladio martyres feriuntur, ad omnes bestias martyres surriguntur, aut iussionibus iudicum viui ignibus concremantur, eodem iure,

quo

quo Parmenianus de Constantino Christianissimo Imperatore audebat conquæri, quòd Donatistas ad campum, idest, ad supplicium duci iussisset, conquæratur & Mornæus de Christianissimis Regibus Philippo Augusto, Ludouico VIII. & Ludouico XI. quorum pietas in Deum, & deuotio in sacram Religionem tantoperè ab omnibus commendatur, quòd Albigenses armis ad internecionem sint persecuti, sint Albigenses martyres, & nunc Mornæi gregales Hugonotti (Deus bone) poin me epos phygen ercos odonton, iustissimis legibus cùm ab insania reuocari minimè possent, ad mortem adactis. Si Donatistæ, & eorum circumcelliones martyres erant, martyres censeantur Albigenses, & nunc temporis Caluinistæ purioris istius Ecclesiæ sectatores. Quod de Donatistis scribebat diuus Augustinus: [Si quid temporalis molestiæ passi fuerint, per certissimum, atque rectissimum ordinem potestatum, cum ipsi priuatis furiosorum agminibus multa grauiora passim, atque quotidiè nulla Regia, nulla Ecclesiastica lege committant, nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores non vocant, cum priuata licentia nec corporibus parcant.]

Hoc de nouis Albigensibus (quando Mornæo, & suis, Albigenses esse placet,) si quis eorum sacrilegia, immanitatem, & crudelitatem sacrilegam in Principes, Episcopos, & Sanctos defunctos, in Christi Sacerdotes plusquam Tartaricam mente repetat, longè veriùs asseri potest. Sed nimirùm ità aodent, sacrilega schismata, vel hæreses impiæ, si quando in flagellis, vt se corrigant, admoneantur, pœnas furoris sui etiam inter martyria deputare. Quòd si sufficienter probat Mornæus sectam Albigensium fuisse veram Ecclesiam Christi, quia illi, à Romano Pontifice persecutionem passi, à Christianis Principibus, vel iudicum sententia cæsi, vsti, vstulati, probasset eodem argumento Iezabel, & idololatræ, qui remanserant in Israel, prophetas Baal fuisse veros martyres, in illis fuisse veram Synagogam, qui ad vnum omnes ab Elia fuerant interfecti, cui certè non magis licuerat prophetas Baal interficere, quàm pijs Christi cultoribus Albigensium sectam ferro, flammaque persequi, quòd illius temporis historiæ referunt, quæ & iustissimè id factum volunt armis Christianiss. Regum, nō secùs, ac factum Eliæ laudat scriptura sacra.

At enim annosam illam, & pannosam, &c.

NVnc eleganter confert Mornæus suam Ecclesiam reformatam, & puriorem ad nostram, & qua ratione inter se opponantur, dilucidè exponit, nostram Babylonicam meretricem, quæ tota coccus merè, & fucus, more hæreticorum appellans, quasi apud lapsos, & prophanos, & extrà Ecclesiam positos (vt verbi Cypriani vtar,) de quorum pectoribus excesserit Spiritus sanctus, esse aliud possit, nisi mens praua, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia, quibus, qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cum iudicij dies venerit.

Hos præterea: Vineam Domini selectam, malè feriatos vinitores arborescentem, & in pampinum luxuriantem, tibi, inquit, proponis, in labruscas abeat, an in vuas, parùm sollicitus. Fuimus itaque aliquando vinea Domini ex sententia Mornæi, de qua Dominus ipse conquærebatur, quòd expectauit, vt faceret vuas, fecit autem labruscas; itàque Dominus malos nos malè perdidit, & vineam suam locauit alijs Agricolis, qui fructum reddiderunt temporibus suis.] Isaiæ 5.

Verùm cum diuo Augustino libro de vnitate Eccles. cap. 13. [Credo illa, quæ in scripturis sanctis leguntur: non credo illa, quæ ab hæreticis vanis dicuntur.]

Non sumus domus Israel, de qua Isai. 5. [Vinea Domini exercituum, de qua expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas.] Non sumus Iudæi ex semine Abrahæ secundùm carnem, de quibus parabola Domini perspicuè intelligitur, [quòd malos malè perderet, vt, vineam suam locaret alijs Agricolis.] & Mornæus, & illius gregales sint illi, Agricolæ.

Vndè igitur probat iste Ecclesiam Romanam à Deo reprobatam vineam esse, quæ maturiores vuas in generosissimum vinum exprimendas producat.

Nihil aberrabit à vero, qui illo Scripturæ loco Mornæi Ecclesiam intelligi affirmabit: [De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ, vua eorum vua fellis, & botri amarissimi.], Nonne primi satores istius vineæ duo illa prostibula, duo illi Sodomæ, & Gomorrhæ spurij, Caluinus, & Beza, quorum ille, vt iàm supra indicaui propter hortendam libidinem flammis cœlestibus olim vindicatam solùm vertere coactus sit, iste verò suos impudicos amores elegantissimis versibus decantauerit, & eulgauerit, vt intelligas, quales vineæ istius agricolæ, & coloni. Nostra vinea abijt in labruscas; ista verò, quas vuas produxerit, paucis accipe.

Incredibili furore Ecclesias isti vastarunt, in loca prophana conuerterunt, Altaria destruxerunt, Sacerdotes Domini profligarunt, & multos omnem prorsùs exuentes humanitatem iugularunt, pretiosissimum Christi Corpus sacrilegis pedibus conculcarunt, sacras Imagines confregerunt, sacra Monasteria, claustra vsque ad fundamenta demolientes, bona Ecclesiarum inuadentes, ac diripientes ferro, ignique grassantes, in Principum vitam conspirantes nobilissimis Prouincijs Europæ ingens damnum attulerunt, en quas vuas vinea ista produxit.

At hanc, inquit, & se humilem, & in humilitate continendam subindè putat Agricola optimus.

EX his, quæ scribebat ad Puppianum Cyprianus epist. 69. quàm sit humilis iste cum suis Symmistis, facilè constabit. Cùm enim Cyprianum criminaretur Puppianus, & Sacerdotes humiles esse debere diceret, quia & Dominos, & Apostoli eius humiles fuere:

[Quis nostrum, ait Cyprianus, longè est ab humilitate, verùm ne ego, qui quotidiè fratribus seruio, & venientes ad Ecclesiam singulos benignè, & cum voto, & cum gaudio suscipio, an tu, qui te Episcopum Episcopi, & Iudicem Iudicis ad tempus à Deo dati constituis? cùm Dominus Deus in Deuter. 17. dicat, & homo quicumque fecerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut Iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cùm audierit, timebit, & non agent impiè etiam nunc. Et iterùm ad Samuelem loquitur, & dicit, non te spreuerunt, sed me. Et adhùc Dominus in Euangelio, cùm ei dictum esset: Sic respondes Pontifici? Custodiens, & docens Sacerdotalem honorem seruari oportere, contra Pontificem nihil dixit, sed innocentiam suam tantummodò purgans respondertit, dicens: Si malè loquutus sum, exprobra de malo, si autem benè, quid me cædis?

An tu verò iste Iudicem se Episcoporum constituis, qui condemnet omnes errores, qui supra Concilia sacrosancta se efferat, quos illa perfidiæ, & impietatis condemnarunt, defendat, se vnum cum suis gregalibus piè sentire, omnes Christianissimos Galliarum Reges cum suis subditis, & maiores suos perperam credidisse, loco religionis superstitionem coluisse affirmet, & nunc omnes vbique gentium Episcopos, & Sacerdotes cum Pontifice Romano idololatriæ criminis nepharie postulet, sanctorum Patrum, & omnium Theologorum auctoritatem ne taotilli quidem faciat, an non igitur iste Diuino oraculo morte ceoties dignus? Indè schismata, & hæreses, ait ibidem Cyprianus, obortæ sunt, & oriuntur, dùm Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.] An non istorum satis perspicuè superbiam expressit? subiungit: [Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem suam, Præpositos, & Sacerdotes vocare? ac nisi apud te purgati fuerimus, & sententia tua absoluti ecce iàm sex annis, nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs Præpositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus Antistitem, nec Deus Sacerdotem.] Quanta igitur istorum hominum superbia, qui non à sex annis quemadmodùm ille Puppianus, sed iàm à mille velint Ecclesiam supremo gubernatore, ac legitimis Episcopis caruisse, immò nec Deum vnquam habuisse Sacerdotes, cum nullum externum sacrificium in Ecclesia admittant, & Christianos omnes nulla Clericorum, & laicorum facta distinctione promiscuè confundant? Anne aliquando, & dignare pronunciare de nobis. Verba sunt eiusdem Cypriani, quæ in Mornæum torquere licet. Et Episcopatum nostrum cognitionis tuæ, aut bonitate firmare, vt Deus, & Christus eius agere tibi gratias possint, quòd per te sit Antistes, & Rector Altari eorum pariter, & plebi restitutus. Apes habent Regem, & ducem pecudes, & fidem seruant latrones, mancipia obsequio pleno humilitatis obtemperant: quantò simpliciores, & meliores vobis sunt brutæ pecudes, & muta animalia, & cruenti licèt, ac furentes inter gladios, atque inter arma prædones? & præpositus illic agnoscitur, & timetur, quem non sententia Diuina constituit, sed in quem factio perdita, & nocens caterua consensit.]

Quæ omnia in istos mirificè quadrant, qui sacro Principatui Diuinitùs ordinato subesse recusant, Pontificem Antichristum appellant, Episcopos, & Sacerdotes ab Ecclesia sua proscripserunt, vt indè constet, quàm sit humilis, & quanta in humilitate se contineat, ex qua si ex spinis vuas, & ex tribulis ficus colliguntur, & maturiores illas vuas in geocrossissimum vinum exprimendas expectare licebat. Subijcit Mornæus.

Et Ecclesia ergo nostra vbi toto illo tempore Sedes habuerit, iam tenes.

TEneo vtique primò ex Luthero, nunc ex Mornæo: Nàm vt auctor est Thomas Stapletonus, Ecclesiæ auctoritatem lectori commendante Erasmo in diatriba de libero arbitrio, & asserente incredibile esse, vt Deus Ecclesiæ suę errorem dissimularet tot seculis. Respondet Lutherus controuers. 1. libro 2. cap. 13. Errorem hunc non esse à Deo toleratum in Ecclesia sua, aut in vllo suo sancto. Nos autem, quos ille vocat Ecclesiam Dei, non esse Ecclesiam; ealem enim semper fuisse statum Ecclesię Dei toto Mundi cursu ab origine sua, vt alij dicerentur populus Dei, qui non essent, *alij* verò inter illos, vt reliquiæ essent, & non dicerentur populus Dei, ideòque sub Patribus, & Pontificibus, cæteraque multitudine Christianorum, quam Catholicam dicimus, seruare Deum Ecclesiam suam, sed sic, vt non diceretur Ecclesia, sed dicerentur, & vocarentur hæretici, & exemplum valdè accommodatum adferebat de Ioanne Hus, condemnato in Concilio Constantiensi, quem cùm aliquot pijs sui similibus eius tempore Ecclesiam fuisse dicit.

Itaque Lutheri sententia est, omnium ætatum hæreticos veram Dei Ecclesiam fuisse, quod idem est, ac si quis dicat Ecclesiam Dei ab exortu Mundi non in posteris Seth, sed Cain vsque ad diluuium, & deinceps non in Sem, & Iapher, sed posteris Chanam, non in Abrahamo, illiusque familia, sed in Chaldæis; non in Moyse, & Hebræis, sed Ægyptijs, Amorrhæis, Iebusæis sedes suas habuisse. Et certè tam verùm est, quòd scribit Mornæus, Ecclesiam Christi sedes suas in Albigensibus, Hussitis, & nunc Lutheranis, & Caluinistis habere, quàm verum illud, quod docebat inter cætera Marcion Ponticus, verè os diaboli accipiens, & omnia contraria dicens veritati: [Cam, & eos, qui similes sunt ei, & Sodomitas, & Ægyptios, & similes eis, & omnes omninò gentes, quæ in omni permistione malignitatis ambulauerunt, saluatas esse à Domino, cùm descendisset ad inferos, & accurrissent ei, & in suum assumpsisse Regnum. Abel autem, & Enoch, & Noe, & reliquos iustos, & eos, qui sunt erga Abraham, Patriarchas, cum omnis Propheris, & his,

his, qui placuerunt Deo, non participasse salutem, &c.]

Vt quo tunc spiritu actus Marcion eodem, & Patrum nostrorum memoria Lutheros, & nunc Mornæus, ac illius gregales ita tam horrendas blasphemias euomendas præcipitati videantur.

Verùm quemadmodùm Ecclesia Marcionis, hoc est, ciuitas diaboli, non alibi, quàm in illis reprobis sedes suas habuerat, ità nunc non quidem Ecclesiam Christi, sed malignantium, qualem isti fingunt, in illis Hæreticis iustissimè condemnatis, sedeafuas habuisse certò iudicandum: immò quis dubitet eamdem in Donatistis sedem habuisse, qui Ecclesiam de toto Orbe perijsse, & in parte Donati tantùm remansisse impudentet affirmabant, cùm & isti velint, [Ecclesiam iàm à mille annis perijsse, quæ toto Orbe diffusa erat, & in solitudine latitasse in paucis, ac deinceps in eis tantùm, quos Christianus Orbis Hæreticos condemnauit, sedes suas habuisse?

Quis dubitet in Manichæis, cùm liberum arbitrium tollant, & Deum mali auctorem faciant?

In Nouatianis, cùm peccata tollendi potestatem ab Ecclesia tollant?

Cum Pelagianis, cùm infantibus parentum Christianorum vitam æternam, absque Baptismo, promittant?

In Eunomianis, cùm solius fidei, quam pro arbitrio interpretantur, sufficientiam ad salutem astruant?

In Pepusianis, cùm sacros Ordines in Ecclesia confundunt.

Adeòque nulla hæresis antiqua est, ex qua non isti pestiferum aliquem errorem hauserint, rectè itàque Mornæus, Ecclesia nostra in toto illo tempore, vbi sedes habuerit, iàm tenes.

Nàm certè illud tenemus, Ecclesiam, quam fingit Mornæus, habitasse in colluuie omnium Hæreticorum, & nunc temporis in Lutheranis, Zuinglianis, Caluinistis, Anabaptistis, & omnibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostibus, in quibus sedes est Sathanæ, residere.

Superiora triplici exemplo valdè accommodato demonstrare putat Mornæus, primò Solis occidui:

[Solem tibi occiduum cum Oceano se fingere videtur, Barbarus tu extinctum putas, at ille vniuerso Orbi natus, & datus alijs gentibus ad te stato tempore reuersurus enascitur, facem præfert.]

Videte quæso in quantis ignorantiæ tenebris Catholici verè Barbari versaremur, non alter ignari motus diurni Solis, quàm quondam Nicias Atheniensium Imperator causæ defectus luminarium, vndè veritus classem portu educere, opes eorum afflixit: quàm Alexandri milites defectionis Lunæ, quæ eos aliquando turbauit plurimùm, malum illud augurium arbitrati: nos certè non aliter barbari, quàm illi, qui Christophoro Columbo rerum omnium penuria laboranti, cùm eis eclipsin futuram minaretur, cuius causam ignorabant, omnia illi necessaria abundè suppeditarunt. Barbaros certè nos, qui Solem occiduum cum Oceano se tingere videtur, extinctum putauimus, cùm tamen vniuerso Orbi natus, & datus alijs gentibus, ad nos stato tempore reuersurus enascatur, facem præferat.

Hoc mysterium naturæ, aut alio modo, [Plin. lib. 2. cap. 12.] quàm consiliorum illius patriceps primus prodidit Mornæus, in hoc non minùs suscipiendus, quàm Sulpitius Gallus, qui rationem defectus Solis, & Lunæ primus Romani generis in vulgus extulit, quam Thales Milesius, qui primus apud Græcos eam causam inuestigauit. Viri ingentes, supraque mortalium naturam macti ingenij estè Cæli interpretes, te magne arte, & matre Mornæ, tuosque gregales compello, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo Deos, hominesque vicistis.

A Mornæo quomodò illud Homeri libro 3. Odiss. intelligendum, primum didicimus:

Ielios danoroysé, lipon pericallea liminin
Tyranon es pylycalcon, in athanatoisin phacini,
Caò thnitoisi brotoisin epì xeidoron aroyron.

Demergi enim sub pulchro lacu illo, ac extingui nos Barbari Solem putabamus, & quòd de Aiace *estin opoy ton epon*, scripsit idem Homerus *Atas dexapololen epeì pie nalmoion ydor*. De Sole itidem occiduo nos Barbari interpretabamur. Verùm sacer ille mystes Mornæus naturæ mysteriorum interpres ab isto errore totam Barbariem, hoc est, Catholicos toto Orbe diffusos nunc primùm liberauit. Soli quidem nostram Ecclesiam rectè Mornæus contulerit, quæ visibilis est, & conspicua, & vtrumque hemisphærium, quemadmodum Sol sua luce, ità salutifera sua doctrina illustrat, quam longè, latèque patere deberet Ecclesia Christi, iàm significauerat Isaias: [Ab Oriente adducam semen tuum, dicam Aquilonida, & Austro, noli prohibere.

Et Psaltes Regius: [A Solis ortu, vsque ad occasum laudabile nomen Domini.

Et Malachias: [Ab ortu Solis, vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.

Vt quàm latè Sol Orbem percurrit, quàmque conspicuus est, & visibilis, tam latè pateret Ecclesia Christi, tamque manifesta esset, & visibilis, quòd olim scripsit Irenæus lib. 1. cap. 3. [Sicut Sol creatura Dei in vniuerso Mundo vnus, & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.]

Et Cyprianus lib. de vnit. Eccles. [Quomodò Solis multi radij, sed lumen vnum, sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per Orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur.

Quæ non de alia, quam de nostra Ecclesia intelliguntur: quàm verò latentem, & in solitudine inueniendam, inuestigandam fingit Mornæus, quomodò cùm Sole conferat, non video, Sol tamen continuè Orbem percurrit, nec vllo vnquam loco consistit. Oritur Sol, & ad locum suum reuertitur, ibi-

que renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem: non ità certè Catholica Eccleſia, Eccleſiaſt. 1. quæ vbique terrarum diffunditur, neque vt illuſtret inferius hæmiſpherium, neceſſe eſt à nobis abſcedat, niſi quòd per Lutheraniſmum, & Caluiniſmum multis Prouincijs, quæ priùs vocatæ fuerant ad gratiam Euangelij, à Chriſto deficientibus, & ab illius hæreditate cadentibus aliæ gentes ſubſtitutæ ſunt, quæ vix aut numquam nomen illius audierant.

Altero exemplo Rhodani Mornæus vtitur.

[Rhodanum, tu cùm in Lemanum lacum ſeſe condit, obrutum cogita: at aqua illa viua, & perennis ſtagnautem, & emortuam findit, viam ſibi per gurgites facit, Eccleſia vtique noſtra per ſeculorum volumina ſibi aperit infuſus ille, & *aſigcytos*, inconfuſus permanet.] Lib. 2. cap. 105.

Hoc inter aquarum miracula recenſet Plinius, quòd quædam aquæ dulces inter ſe ſupernatant alias, vt in Fucino lacu inuectus amnis; & in Lemano Rhodanus.

Et Strabo libro 4. de Rhodano flumine *so ge cai dra limnis exion tis megalis*, meliùs *s tilemanis*, vt obſeruauit Caſaubonus, *phaneron deicnyſi tò reithron epì polloys ſtadioys*, vbi Lemanum lacum exit, alueum ſuum, ad multa ſtadia conſpicuum exhibet.

Ammianus Marcellinus etiam de Rhodano ità ſcribit: [[A Pœnis Alpibus effuſiore copia fontium Rhodanus fluuius, & procliui impetu ad planiora digrediens proprio agmine ripas occultat, & paludi ſeſe ingurgitat Lemano, eamque intermeans nuſquam aquis miſcetur externis, ſed altrinſecus ſummitates vndæ præterlabens ſegniores quæritans exitus viam ſibi impetu veloci molitur.]

An quod de Rhodano ſcribit Mornæus, obſeruarit, neſcio: nàm, vt doctiſſimus Caſaubonus ad illum locum Strabonis ſcribit: [Lemani lacus accolæ hoc negant eſſe verum, qui ibidem teſtatur, ſed id diligenter obſeruaſſe, & vidiſſe rem non eſſe tam miram, quàm volunt videri, plerique veterum;] cùm tamen inſigne aliquod miraculum in aſſertionem ſuæ Eccleſiæ producere ſe putaret Mornæus: [At ſi aqua illa viua, & perennis ſtagnantem, & emortuam findit, viam ſibi per gurgites facit;] minimè ſignificat Eccleſiam Chriſti, quæ per ſeculorum volumina ſibi viam aperiat, cùm omnes ſectæ hactenùs extinctæ ſint, & mortuæ, niſi fortaſsè, quòd Hydra ſit hæreſis, cuius exciſis capitibus, totidem continuò renaſcuntur.

[Indè ſuperbior triumphabundus Rhodanus, terras latè peruagatur, vndequaque occurrentibus fluuijs, turgidus in Oceanum, Eccleſia Chriſti in Deum omnium bonorum pelagus deuoluitur tandem, & demergitur.]

Sed quando tam ſuperbos triumphos, hæc Eccleſia purior, quæ cùm Rhodano ità eleganter confertur, reportauit, an ſtrenuè dimicando, cùm tam potentes exercitus in aciem eduxerunt, an verò in diſputationibus cùm Romanæ Eccleſiæ ſectatoribus aliquando habitis, vt & armis, & ingenio præualuerint, quando nimirùm in acie Pharſalica inuictiſſimus iſte Cæſar Mornæus, in Cannenſi pugna idem vaſerrimus Annibal, apud Zamam Scipio Africanus: in campo Marathonio iſte Milciades, apud Salaminem idem Themiſtocles, in pugna Leuctrica, & Mantinæa idem alter Epaminondas apud Arbellas iſte magnus Alexander triumphum de hoſtibus reportauit: quis enim illos omnes triumphos à præſtantiſſimis illis ſuorum temporum Ducibus de hoſtibus ſuis reuectos cum triumpho illo celebri conferat, quem Philippus Mornæus in collatione illa memorabili apud fontem Bellaquæum habita in conſpectu Chriſtianiſſimi Regis Henrici IV. Principum regij ſanguinis, & Procerum totius Regni, cùm Epiſcopo tùm Ebroicenſi, nunc Archiepiſcopo Senonenſi, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Perronio reportauit?

Tunc certè ſibi triumphare viſus eſt, cum etſi vinci, numquam tamen perſuaderi potuit, vt à prauis opinionibus, quas ſemel animo fixas haberet, dimoueri.

Ità quidem ſe geſſerunt animoſiſſimi illi Donatiſtæ in collatione habita cum Epiſcopis Catholicis, gerit ingentes ſpiritus Mornæus, numquam deſpondet animum, numquam cum Annibale fatetur proteſtantibus collegis ſuis, quòd res ipſa haber, ſe non modò prælio, ſed & bello victum: ſibi potiùs mortem conſciſceret, quàm pateretur ſe in triumphum duci.

Terras latè peruagatur Rhodanus, hoc eſt, Eccleſia Mornæi, vndequaque occurrentibus fluuijs, hoc eſt Lutheranis, Huſſitis, Anabaptiſtis, Sacramentarijs, turgidus in Oceanum demergitur.

Expediret ſanè, vt qui ſcandalizant puſillos, qui in Chriſtum credunt, tot ſimplices ſeducunt, ac tot animarum ſunt interfectores, ſuſpenderetur illis in collo mola aſinaria, & demergerentur in profundum Maris.

Neſcio verò, quo ſenſu Rhodanum, qui in Lemanum ſe abſcondit, ſuam Eccleſiam, Oceanum Deum omnium bonorum pelagus ſignificare velit: an literalis ſit iſte ſenſus, à quo ſumitur argumentum fidei, an myſticus non ità certus, & exploratus ad faciendam fidem, non video: vbi equidem de ſenſu aliquo myſtico nobis per ſcripturam conſtat, vt quando diuus Paulus nobis interpretatus eſt, [duos filios Abrahæ, duo Teſtamenta; & petram illam, ex qua Moyſes aquam populo eduxit, Chriſti figuram geſſiſſe docuit; & quando Chriſtus ſerpentem exaltatum à Moyſe in deſerto, exaltationem filij hominis in cruce præſignificaſſe docuit;] tùm nobis ex huiuſmodi ſenſu licèt argumentari; verùm ex quo Scripturæ loco, nàm Mornæo ſine verbo Dei non credimus, vt vulgatiſſimum eſt apud ſuos axioma, [nihil credendum, niſi quòd ſcriptum:] oſtendat nobis per Rhodanum in Lemanum lacum ſe abſcondentem ſignificari puriorem Eccleſiam, quæ in Oceanum, hoc eſt, Deum bonorum omnium pelagus deuoluitur tandem, & demergitur? vbi ſcriptura Rhodani, aut Lemani lacus, aut Oceani expreſſo nomine meminit. Hæc itàque, quàm futilia ſint, cuiuis perſpicere licet. Deindè, quo ſenſu magnus iſte Theologus vult Eccleſiam in Deum demergi, iſta enim flumina demerguntur in Oceanum, & à Mari abſorbentur, vt nomen, & rationem amittant fluminum,

num, & finr in Mare ipsum, an Ecclesia ipsa amittir aliquando rationem, & nomen Ecclesiæ? An in Deum absorberi dicenda est eo sensu, quo docebat Eutyches hæreticus, [naturam humanam assumptam à Verbo, irà ab eo absorptam, & demersam, vt in Diuinitatem ipsam esser conuersa.] An cùm tradiderit Christus Regnum Deo, & Patri, & erit Deus omnia in omnibus, & exhibuerit sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, ideò tunc demersa erit, & absorpta in Deum, vt triumphantis Ecclesiæ rationem, & nomen amittat, aut certè sapientissimus iste Salomon exponat nobis parabolas suas.

Tertio exemplo vtitur Mornæus.

[Ionam, inquit, attende corporis Dominici in sepulchro, proindè & Ecclesiæ figuram.]

An non in mucronem suum incurrit, nonne hoc est addere verbo Dei. Irà enim figuram Ionæ exposuit Christus, vt significaret filium hominis fore in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Diuus Augustinus epistola 49. ad Deogratias quæst. 6. de hac figura Ionæ loquens: [Quid figurauerit, inquit, quòd Propheram bellua illa deuorarum, tertio die viuum reddidit, cur à nobis quæritur, cùm hoc Christus exponat,]

Et sub finem quæstionis: [Liceat sanè cuilibet, inquit, quamlibet aliter, dùm tamen secundùm regulam fidei, cætera omnia, quæ de Iona Propheta mysterijs operta sunt, aperire: illud planè, quod in ventre cœti triduo fuit, fas non est aliter intelligere, quàm ab ipso Cælesti Magistro in Euangelio commemorauimus reuelatum.]

Quomodò igitur interpretatur Morneus fuisse & Ecclesiæ figuram? An omnia, quæ significarunt Christum caput Ecclesiæ, & quæ circa eum contigerunt in veteri Testamento, præfigurarunt item corpus illius mysticum, quod est Ecclesia?

Adamus, ex cuius latere formata est Eua, significauit Christum ipsum non Ecclesiam, Eua Ecclesiam ipsam, non Christum præfigurabat? An verò Ecclesia ipsa fuit in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus? Quis igitur aperuit isti sensum, vt sic intelligeret, & exponeret scripturas? Deindè Ionas fuit figura Christi, & Ecclesiæ: ergo quam fingit Mornæus reformatam, & puriorem Ecclesiam, est vera Christi Ecclesia illa primitiua, Apostolica. Non magis certè indè probatur, quàm ex illo loco Cantic. [Dic mihi, vbi cubes, vbi pascas in meridie.] Probabant Donatistæ Ecclesiam esse in sola parte Donati, in quos scribens diuus Augustinus epist. 48. ad Vincentium Dorlstam: [Quis, inquit, non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat, & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?] Ex aliquo igitur manifesto testimonio scripturæ prius necesse est nobis Mornæus probet suam Ecclesiam puriorem, quàm eam significatam esse in Iona, quàm Papatus abscripserit, deindè inuictus euomuerit, sensus enim iste allegoricus pro libito fingitur, nobis persuadeat,

A cœto illo immani, quia absorptum vides, deuoratum protinùs credis.

Immò verò illud credimus, quod Scriptura sacra refert, neque enim pagani sumus, qui illud *apitbanon*, & incredibile transuoratum cum veste hominem fuisse in corde piscis iudicamus, neque cachinno irridemus, aut enim omnia diuina miracula credenda non sunt, ait Diuus Augustinus loco citato, aut hoc cur non credatur, causa nulla est.

Verùm eadem auctoritate scripturæ, eodem verbo Dei, quo adducimur, vt illud credamus, iubemur, & credere satrapam Euangelicorum Mornæum, & illius gregales hæreticos esse, & quam fingunt Ecclesiam, esse Synagogam Sathanæ, quæ nihil commercij habeat cum Ionæ figura, etsi alioqui non modò Christum triduo, in corde terræ iacentem, deindè resurgentem in gloria, sed & Ecclesiam ob persecutiones atrocissimas, aliquando latitantem, deindè resuscitantem in triumpho significarit.

Atque vbi suam Ecclesiam sibi probasse sufficienter videtur Morneus, recriminarione in nos vtitur.

Rogo verò te viciſſim, toto illo tanti temporis tractu, vbinam Eccleſia tua? & reſponde ſodes. Totis illis à Chriſto Domino ſexcentis annis, toto Orbe, num vlla tua?

HAnc certè consuetudinem omnium pessimam iudicabat Æschines, orat. con. Timarchum, vt qui causam dicunt eos, à quibus accusantur, itidem simul accusent, Totis illis à Christo Domino sexcentis annis, nullam fuisse toto Orbe nostram Ecclesiam impudenter affirmat. An non verò totis illis sexcentis annis Ecclesia habebat Episcopos, & Sacerdotes? an non diffusa erat vbique terrarum? an non celebrata in ea celeberrima Concilia, confutaræ hæreses, Sedes Apostolica Romana Ecclesia ab omnibus iudicata est, ad Episcopum Romanum controuersiæ fidei deuolutæ, vndique ad eum prouocatum, ex successione Romanorum Pontificum tanquam nota certissima argumentati sunt Patres ad ostendenda vetam Ecclesiam? Irà Irenæus lib. 3. cap. 3. enumerat Episcopos Romanos à Petro vsque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, ac dicit, per hanc successionem confundi omnes hæreticos. Idem facit Tertull. lib. de præscrip. Cypr. lib. 1. epist. 6. Optat. lib. 2. contra Parmen. Epiph. contra hæresim 27. August. epist. 165. ad Generosum, & lib. contra epist. Fundamenti cap. 4. [Tenet me in gremio Ecclesiæ Catholicæ ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post passionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum,] & lib. de vtilit. credendi cap. 17. [Dubiramus, inquit, nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustrà hæreticis circumlatrantibus culmen auctoritatis obtinuit.] Quod si tanti fecerunt successionem

sionem non interruptam Pontificum Romanorum, vsque ad sua tempora, & eo argumento vsi sunt contra hæreticos ad veram Ecclesiam ab alijs sectis discęroendam, atqui eandem nos successionem vsque ad nostra tempora sine vlla interruptione ostendimus, nostra igitur eadem Ecclesia à sexcenris illis annis, quæ erat à Christo ad sexceutos illos annos, vt in qua eadem facies conspicitur, eadem forma regiminis agnoscitur, quæ habet Sacerdotes, & Episcopos, In qua multa Concilia, vt in primitiua illa, irà post sexcentos illos annos auctoritate Romani Pontificis celebrara sunt: quæ omnia cùm apud Istos Euangelicos, per antiphrasim, irà nuncupatos, quòd ab Euangelio Christi sint Apostatæ, minimè teperiantur, quid quęso commercij cum illa, quę post sexcentos annos à Christo fuit vera illius Ecclesia, quam comminiscuntut isti Ecelesiam habere puranda est? An verò Ecclesia Christi totis illis sexcenris annis reformata, & pntior appellata est? Ostendant Id ex formatis literis Episcoporum, ex Concilijs ipsis generalibus, si quando Id sibi nomen imposuit, quo distingueretur à cœtn Arrianorum, Donatistarum, & aliorum sectariorum, quibus non deerant Episcopi, & Sacerdotrs, vt tum difficillùs esset discernere veram Ecclrsiam ab illis, quam nunc à fœdifragis istis Apostatis: nonne Catholicæ nomen sempet inter cæteras obtinuit? Ità Cyrillus Hierosolymit. cathec. 18. [Quod si fortè veneris in Ciuitates, non quæras simpliciter vbi sit Ecclesia, sed vbi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium est nomen sanctæ huios, & matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Iesu Christi filij Dei, &c. de qua ibidem, Regum potestas certis locis, & gentibus terminos habet, Ecclesiæ autem Catholicæ per vniuersum Orbem indefinita est potentia:] & suprà Catholicam, irà definierat, [quæ per vniuersum sit Orbem terrarum diffusa à finibus terræ, vsque ad extrema:]

Et D. August. lib. contra epist. fundament. [Tenet, inquit, postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hætetici se Catholicos dici velint, quęrenti tamen peregtino alicui, vbi ad Catholicam conueniatut, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domus audeat ostendere. Quæ verò nunc Ecclesia Catholicæ nomen obtinet, nostra ne, an purior, & re formata, quam fingunt aduersarij? Immò nec nos audent negare Catholicos, nec nostrę Ecclesiæ Catholicę nomen detrahere, nec illud eo sensu, quo Patres intetpretati sunt, & quo intelligitur in Symbolo Apostolico cùm sanctam Ecclesiam Catholicam credere nos profitemur, vsurpare. Vnde illud vt sibi accommodent, quia alijs vident suam Ecclesiam satis confutari, si non vocetur Catholica, vt olim Donatistę, sic nunc pro more suo Catholicę nomen interpretantur, & valdè subtiliter aliqui Catholicorum Pontificiorum, & Catholicorum protestantium distinctionem excogitarunt, quasi diuisus sit Christus, & in Symbolo Apostolico iubeamur credere Catholicam Ecclesiam, vnam quidem Pontificiorum, & alteram Protestantium, & eo certè argumento, quo nostra Ecclesia, vel ex confessione aduersariorum Catholica est, necessariò concluditur suam non esse Catholicam, ideòque nec Ecclesiam, cum vna sit sancta Christi Ecclesia, quę & Catholicę nomen obtineat, eoque sexcentis illis annis à Christo, & deinceps à reliquis sectis discreta est, vt cum illa vereri, nec nomine, nec ratione conueniat nupera ista reformatotum Euangelicorum Ecclesia: nec magis Ecclesia fuerit Christi pestifera illa profligatissimorum Albigensium secta, quę duodecimo seculo ex Orco emersit, & nunc perditissimorum hominum sectę Hussitarum, Anabaptistarum, Lutheranorum, Caluinistarum, quàm tunc temporis, vel Arrianorum, qui condemnati sunt In Concilio Nicęno, vel Macedonianorum, qui in Concilio Constantinopolitano, vel Nestorianorum, qui in Concilio Ephesino, aut Eutychianorum, qui in Concilio Chalcedonensi, vel Donatistarum, aut Pelagianorum, qui in tot Concilijs Prouincialibus, & à Sede Apostolica, hoc est à Pontificibus Romanis condemnati sunt, cum & Albigenses in Concilio Lateranensi, & ab Innocentio III. Hussitę in Concilio Constantiensi, Lutherani, & Caluinistę in sacrosancto Concilio Trident. condemnati sint, & anathemate percussi. Vnde constat Ecclesiam, quę 600. annis à Christo Catholicę nomen obtinuit, tot Concilia celebrauit, tot hęreses condemnauit, esse eandem nostram, quę posterioribus seculis idem effecerit, cum qua, vt nihil antiquę hereticorum sectę, ità nec modernę quidquam habet affinitatis. Qua igitur audacia, & impudencia ausus est tot euidentissimis argumentis conuictus Mornęus tanquam recriminatione quadam ità nos aggredi? Responde sodes. Totis illis à Christo sexcentis annis toto Orbe num vlla tua? Responde, & tu sodes. Tna erit illa Ecclesia totis illis sexcentis annis à Christo, quę tot persecutiones passa est à tyrannis, quibus tamen non cessit, & tunc magis ędificabatur, cum cędi videbatur, & tempore Apostolorum iam ferè sui fama Orbem impleurat, ità Apostolus, Rom. 10. [Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terrarum exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terrę verba eorum:] & ad Romanos scribens, Rom. 2. [Fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo:] Quomodò illa Ecclesia, quę inter se tot, tamque atroces persecutiones tanta cœpit incrementa, vt per Orbem terrarum diffunderetur, vt quod promiserat Deus Abrahę, impleretur, Patrem multarum gentium constitui te, & in semine tuo benedicentur omnes gentes, & illud Patris ęterni ad filium, Postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę. Psalm. 2.

Et Prophetarum vaticinia de multiplicatione Ecclesię, electę, & vocatę ex gentibus manifestè viderentur completa, & aduersùs eamdem Ecclesiam Christus prædixerit, & promiserit non pręualituras portas inferi, quomodo, inquit, post sexcentos illos annos cessit persecutioni vnius hominis, aut sibi imponi passa est, vt fide Christi in singulis semel gentibus abiurata, idololatriam, & superstitionem coleret, vt nulli, aut vix pauci fideles, hique soli Deo noti superessent, quorum cœtus Ecclesiam constitueret, quæ in

soli-

solitudines, & latebras compellerentur se recipere, vt exciderent promissionrs Christi, varicinia Propherarum, non esset amplius arca illa Noe, in qua saluatentur animæ, Ecclesia conspicua, & visibilis, nomeu Christi anteà per totum Orbem professa, & personans: alteram arcam fabricare oporteret, quemadmodum D. Bernardus in eius vira lib. 2. cap. 7. in disputatione illa habita coram Rogerio Rege Siciliæ argumentabatur, arca, quam tegit Petrus, hic erat Anacletus Antipapa, si ex Deo est, necesse est, vt arca, qnam regit Innocentius, hic erat legitimus Pontifex, obruatur. Quod multò magis consequetur, si Ecclesia illa inuisibilis in solitudine inuestiganda, soli Deo cognita, qualem fingit Mornęus, erat Christi Ecclesia, sic euim perierit totus Orbis Christiauns, inferebat ibidem Diuus Bernardus, tum contra schismaticos, & nos contra istos sacræ fidei perduelles. [Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi, & Angli, & Barbara regna in profundum Pelagi demergentur, Religio Camaldulensis, & Carthusiensis, & Cluniacensis, & Grandimontensis, & Cistercienlis, & Præmonstratensis, aliàque innumera seruorum, & ancillarum Dei collegia, necesse est vt sub vno turbine corruant in abyssum, Episcopos, & Abbates, & rrliquos Ecclesiæ Principes collo præcipiti mola asinaria alligata Pelagus vorax excipiet.

Quæ nam igitur tempore Diui Bernardi longè post sexcentos, immò post mille annos paulò antequam furor ille Albigensium, reformata scilicèt Ecclesia Mornęi erumperet, erat Ecclesia Christi, an illa, quam regebat Pontifex Romanus? an illa purior inuisibilis, cuius nemo scriptorum illius temporis meminit, vt si non erat Christi Ecclesia, quam esse profitebantur, Christiani Reges, Principes, ac populi, tot sacræ Religiones, in qua tot præclari Doctores, tot Episcopi, & Sacerdotes, cum pro Ecclesia inuisibili reformata nullum auctorem citare liceat, non aliud concludendum, quàm Christi Ecclesiam tum perijsse in terris, irrita fuisse oracula Prophetarum, promissiones Dei in veteri Testamento, & Christi Ipsius in nouo excidisse: at si erat Ecclesia Christi, quam regebat Innoc. II. Pontif. & quam strenua contra schismaticos defendebat sanctus Bernardus, non erat igitur alia, quàm primitiua illa Apostolica, atqui nostra est Ecclesia illa, quam sanctitate vitæ, & doctrina illustrauit Diuus Bernardus, & pro qua tot labores sustinuit, in qua nunc adhuc tot collegia Dei seruorum, & ancillarum, & tot Religiones, quarum illic meminit, & quam regit Romanus Pontifex Paulus V. Innocentij successor: nostra igitur, & illa primitiua, quæ totis illis sexcentis annis à Christo vnica, & vera fuit Christi in terris Ecclesia.

Responde sodes. Illa Christi Ecclesia intra sexcentos annos an non habuit vbique gentium Ecclesias Deo, & Christo seruatori consecratas, quando eas impij illi Imperatores Diocletianus, & Maximianus diruì mandarunt? An non habebat altaria, cum magnus ille Antonius, referente S. Athanasio, priùsquam emergeret Arriana hæresis secundùm quietem mulos altaria insultantes calcibus, & sacram mensam euertentes viderit, & Optatus Mileuitanus lib. 2. de Donatistis conqueratur, quòd altaria Dei fregerunt, raserunt, remouerunt. Chrysost. lib. contra gentes, quod Christus sit Deus, Cogita, inquit, tecum quid sit in tam breui tempore omnem, sub Sole terram tantis Ecclesijs impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi, vt excitent altaria, vbique gentium in regione Romanorum, Persarum, Scytharum, Indorum, & vltra Orbem nostrum; sunt enim in Britannicis insulis extrà hoc mare sitis fundatæ Ecclesiæ, & erecta altaria Quo argumento docet Christum vbique coli, & Ecclesiam illius vndequaque diffusam.

An igitur ista Ecclesia reformata, cuius sectatores maiori rabie, quàm Diocletianus, & Maximianus sacras ædes, aut solo æquarunt, aut diruerunt, aut in prophana loca conuerterunt, erat primitiua illa Ecclesia Apostolica, cum certè si eam deducamus ad illa tempora, faciliùs sit in Paganis, quàm in Christianis reperire, vt posteà in Donatistis, Optat. lib. 2. quorum rabiem imitati, altaria Dei fregerunt, raserunt, remouerunt, qui sibi specialem sanctitatem de superbia vendicare contendrbant, vt nunc isti specialem puritatem, vt ibi vellent, ibi esset Ecclesia, & non esset, vbi non vellent.

Quæ imagines coleret, vestiret, perfumigaret, adoleret, adoraret, inuocaret.

DE vsu imaginum, an scilicèt sexcentis illis annis depictæ fuerint, aut sculptæ in templis Christianorum, non videtur mouere controuersiam, cum tamen Caluinus impudenter affirmet. [Quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat religio, & sincerior doctrina vigebat, Christiana templa fuisse communiter ab imaginibus vacua: quod quàm manifestè sit falsum, ex Patribus antiquis facilè esset ostendere, verum de cultu earumdem, cum tamen constet, non alia ratione habuisse tum Ecclesiam Imagines, quàm vt eas coleret, neque posteà Iconomachos alia ratione imaginibus bellum indixisse, quàm quòd nullum eis cultum vellent deferri, neque sub Leone Isaurico, & Constantino Copronymo tot sanctos passos esse martyrium eo solo nomine, quòd imagines non vellent comminui, sed quòd earum cultum strenuè contra perfidiam, & impiatatem illorum principum defenderent, neque tum recenter istitutus erat cultus imaginum in Ecclesia: vndè constat antiquissimum esse, & vt ait Damascenus, traditionem esse Apostolicam. Quod etiam attinet ad ornatum sacratum imaginum, vt quòd vestibus, monilibus, & id genus alijs soleant ornari, id maximè decet deuotionem fidelium erga Christum, Deiparam, & Sanctos, cum constet Moysen tabernaculum fœderis, & Salomonem in primis templum auro, argento, & gemmis mirum in modum exornasse, & hodie Principes, ac nobiles cubiculorum suorum parietes auleis vestiunt, & equos purpura, auroque, argento insternunt, cur igitur id facere non liceat

in

in honorem Christi, & sanctorum, quod ad honorem hominis parietibus fit, & iumentis? Agit verò impostor Mornæus, cum scribit nos imagines inuocare, neque enim imagines ipsas, sed prototypa, hoc est sanctos, quorum sunt imagines, inuocamus, & in illis spem, & fiduciam nostram collocamus.

Nisi tu fortè illam inter Ethnicos quæris Simonis Magi, saltem non Petri prolem.

NOn quærimus, quia iam inuenimus inter Ethnicos Ecclesiam Mornæi. Ethnici enim tunc temporis Ecclesias Christianorum demoliebantur, Euseb. lib. 8. cap. 2. & 3. Niceph. lib. 7. cap. 3. præ cæteris qui in Christianos crudeliores fuerunt Diocletianus, & Maximianus, qui edictum illud anno Christi 302. imperij ipsius Diocletiani 19. proposuerunt mense Martio cum salutaris passionis Dominicæ festum, iam pro foribus esset, vt deturbarentur Ecclesiæ Christianorum soloque æquarentur, hoc idem præstirerunt egregiè *alastores* isti reformatæ, & purioris Ecclesiæ sectatores: igitur Ecclesia ista non alibi, quàm inter Ethnicos inuestiganda, & illo seculo reperienda erit, nostra enim Ecclesia nunc habet sacras ædes precibus dicatas, quemadmodum tunc referunt scriptores Ecclesiastici habuisse vbique Christianos de eis demoliendis, & solo æquandis, non alij quàm sacrilegi Imperatores Ecclesiæ Dei, & sacræ Religionis hostes infestissimi edixerunt, qui igitur nunc eadem væsania laborant, & sacras ædes demoliuntur, Ecclesiæ illius veteris, & diuini cultus sunt planè hostes iudicandi.

... [*Simonis Magi saltem non Petri prolem.* Non aliundè quam à Simone Mago istos prodijsse constat ex Irenæo, lib. 1. cap. 30. [Omnes, inquit, qui quoquomodo adulterant veritatem, & præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis Samaritani Magi discipuli, & successores sunt. Quamuis non confiteantur nomen magistri sui ad seductionem reliquorum, attamen illius sententiam docent, Christi quidem Iesu nomen tanquam irritamentum præferentes, Simonis autem impietatem variè introducentes, mortificant multos per nomen bonum sententiam suam malè dispergentes, & per dulcedinem, & decorem nominis amarum, & malignum Principis Apostasiæ serpentis venenum porrigentes eis:]

Nec modò illic Irenæus, verùm & Clemens vterque, Cyrillus vterque, Epiphanius, Philasterius, Augustinus, docent omnes hæreticos Simonis Magi discipulos esse, licèt id non fateantur. Simon Magus suis præstigijs multos seducebat, Petro resistebat, quemadmodum Elymas magus Paulo, Iamnes, & Mambres Moysi, ità & isti nunc Romano Pontifici Petri successori, & suis præstigijs, hoc est falsa interpretatione scripturarum multos in perditionem præcipitant: igitur Simon Magus Mornæus, Simonis Magi proles Ecclesia hæc reformata gregalium Mornæi. Testis est Theodoretus in cap. 6. prioris epist. ad Thim. eos, qui à Simone processerunt, appellatos esse *gnosticoys* quasi dicas cognitione, aut scientia præditos. [An non isti spreto iudicio Ecclesiæ, contemptis partibus sibi solis, asserunt scientiam scripturarum, & mysteriorum omnium notitiam,] vt idem alibi testatur: lib. 2. hæretic. fabular. id Simon Magus docuit per gratiam tantùm saluari homines, & nihil ad salutem opera iusta conferre, & liberos esse sibi credentes, vt quæ velint, possent agere. Hæccine est doctrina Ecclesiæ Romanæ, an non verò id docent Ecclesiæ istius reformatæ sectatores? quemadmodum igitur nostra Ecclesia soboles est Petri, & Apostolorum, immò Christi Domini, ità non dubitandum Ecclesiam reformatam à nouis Euangelicis confictam Simonis Magi, immò Diaboli esse sobolem. Quòd verò Petrus Princeps Apostolorum, & totius Dominici gregis pastor eius præstigias detexit, tam potenter eum profligauit, per aera volantem depressit, hoc certè significabatur Pontificum Romanorum officium esse in Ecclesia aduersùs Catholicam fidem insurgentes hæreses condemnare, hæresiarchas profligare, neque vmquam præstigias hæreticorum quidquam aduersùs doctrinam sanctæ Catholicæ, Apostolicæ Romanæ Ecclesię, cui præest successor Petri præualituras. Deinceps infestissimum iste se hostem sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramenti, & sacrificij ostendit.

Totis mille annis, quæ hostiolam illam tuam Dominum appellaret, Deum putaret, adoraret, totis mille ducentis, quæ includeret, circumgestaret, officium ei proprium destinaret, populo obstipis oculis suspectandam theatrica pompa exhiberet.

SCribebat magnus Basilius. in Psalm. 44. [Improbus cum improbis dogmatibus fit enutritus, ex corde enutat improbatæ prorsus verbum doctrinæ, vides-ne qualia enutat os impudens hæreticorum? quam perplexa, & graueolentem spirantia mephitim? planè non hæc mediocrem arguunt morbum, quemdam in imo secessu pectoris delitescere; nam malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum.] Hoc quàm verum sit, confirmant abundè quæ hic adeò impudenter scribit Mornæus, non fuisse totis mille annis Ecclesiam, quæ Christum Dominum in Eucharistia sub speciebus panis, & vini, [Hostiolam illam tuam (ait sacrilegus Mornæus) adoraret, totis mille ducentis includeret, circumgestaret, officium ei proprium destinaret, populo obstipis oculis spectandam theatrica pompa.] (Ità enim de sacrosancto hoc mysterio, & Augustissimo Sacramento per derisionem Ethnicus iste cum suis loquitur) exhiberet: scilicet nos ista tamquam Samathracia, aut Eleusinia quædam mysteria excogitauimus, vel vt dicat Mornæus cum gentibus nos Cererem, & Bacchum colere. Venisset scilicet cuiquam hominum vmquam in mentem tantum, & tam ineffabile mysterium, in quo tot supra naturam simul concurrunt miracula, nisi à Deo ipso, à quo institutum est,

& tra-

& traditum, de cuius verbis dubitare nefas, edocti essemus:

Non magis certè, quàm Platoni, Aristoteli, & alijs Gentilium Philosophis, venit in mentem sacrosanctæ Trinitatis mysterium, aut Incarnationis Dominicæ Sacramentum, non magis quàm iudicauissemus vmquam in baptismo tantam esse vim aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? aut in alijs Sacramentis virturem inesse sanctificandi, nisi nos id, in sacro Euangelio edocti essemus. Negant isti veritatem corporis Christi in Eucharistia contra expressum Christi verbum. [Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus *toyt esti tò soma moy, toy t' esti tò aima moy*: vbi articulus Græcus apud Græcos magni momenti est ad astruendam hanc veritatem. Constat de institutione huius Sacramenti apud Euangelistas, & apud D. Paulum. Expendens verba Christi Cyrillus Hierosol. categ. 4. mystag. qui viuebat anno Domini 300. [Cum Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare, ac eodem quoque confirmante, & dicente. Hic est sanguis meus: quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propiuquum in Chana Galileæ sola voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset: Si tum ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est, & non multò magis corpus, & sanguinem suum filijs sponsi dedisse illum confitebimur. Quare omni cum certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus, nam sub specie panis datur tibi corpus, sub specie vini datur sanguis, vt sumpto corpore, & sanguine Christi efficiaris, & particeps corporis, & sanguinis, sic *Christophoroi ginomètha*, hoc est Christum ferentes, cum eius corpus, & sanguinem in membra nostra receperimus, paulò post, in lege noua panis cœlestis, poculumque salutis animam, & corpus sanctificauit, sicut enim panis corpori, sic verbum animæ conuenit, ne ergo consideres tamquam panem nudum, & vinum nudum, corpus enim est, & sanguis Christi secundùm ipsius Domini verba: quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices, quin potiùs habeas ex fide pro certissimo, ità vt nulla subeat dubitatio esse tibi donata corpus, & sanguinem. Eadem & Chrysostomus homil. 83. in Matth. Credamus, inquit, vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui, & cognitioni nostræ absurdum esse videatur, quod dicit, superet, & sensum, & rationem nostram sermo ipsius, quod in omnibus, & præcipuè in mysterijs faciamus, non illa, quæ ante nos iacent, solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes, nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptui facillimus est, illa falsa esse non possunt, hic sæpius, atque sæpius fallitur: quoniam ergo ille dixit. Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus: & oculis intellectus id perspiciamus:]

Vbi & multa alia in hanc rem. Atque ità omnes ad vnum Patres verba Christi interpretati sunt, sicque ad initio Ecclesia intellexit. Quod si neget tantùm Sacramentum Mornæus, hoc est præsentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini post consecrationem, ideò fortassè, quia iudicio illius non potuit Christus conuertere substantias panis, & vini in corpus, & sanguinem suum, atqui id esset negare omnipotentiam Christi, & quod consequens est, diuinitatem, vt enim argumentatur D. Ambrosius, lib. de his, qui mysterijs initiantur capit. 9. [De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt: si ergo sermo Christi potuit ex nihilo facere ea, quæ non erant, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erat: non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas:] Atqui illic multa Ambrosius in confirmationem istius veritatis, vt qui senserit, reuocare in dubium, sit hominis impudentissimi: vbi concludit, in Eucharistia non esse quærendum naturæ ordinem, [quia, inquit, hoc, quod conficitur, corpus ex virgine est, quid quæris, naturæ ordinem in Christi corpore?] Vbi apertè docet illud idem corpus, quod natum est ex Virgine, esse in Eucharistia, vt illic ostendat non modò potuisse à Christo institui, sed & re vera institutum esse tam ineffabile hoc Sacramentum, quod & docet lib. de Sacramentis cap. 4. Et certè timeo ne Mornęus in eum errorem impingat, vt neget Deum creauisse cœlum, & terram: nam tam clarè Christus, cuius sermo adeò efficax est, & operatorius ad conuertandas substantias, quàm ad producendas ex nihilo: instituendo hoc Sacramentum docuit, illud, quod porrigebat discipulis, esse corpus suum, quàm alioqui scripserit Moyses Deum creasse cœlum, & terram.

Quid est quod Augustinus, & alij Patres quoties de hoc Sacramento loquuntur, vtuntur periphrasi, [Sacramentum, vel sacrificium, quod norunt fideles:] Cauebant enim sibi diligentissimè, Christiani, ne tantum mysterium proderent Gentilibus, ità vt aliqui legantur mortem oppetijsse, quòd noluerint illis Eucharistiam prodere, & à Gentilibus, qui tantum mysterium non capiebant, traducebantur Christiani quasi Thiestęas cœnas, & cyclopicas, astuerent. Quòd si hostiola illa (vt vocat Mornęus, in quo spiritus Porphirij reuixit, qui deridens hoc mysterium, Christum Deum pastę appellabat) fuisset tantum panis communis etiam ante sumptionem: non erat, cur Christiani tantoperè hoc mysterium occultarent. Cathecumenis etiam non modò non licuisse sumere Eucharistiam, sed neque etiam intueri, testis est Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. vbi vt ex illo loco patet, loquitur de Eucharistia dum toti populo proponebatur, conspicienda & adoranda. Id constat & ex Clemente lib. 8. constit. ex Dionys. cap. 3. de Eccles. hierarch. Cyrillo Alexandrino libro duodecimo in Ioanne capite 52. Augustino tractatu 2. in Ioa. Gregorio 2. Dialog. cap. 28. Adorari etiam solitam à Christianis Eucharistiam constat ex D. Augustino in Psalmum 98. ad ea verba, [Adorate scabellum pedum eius: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne nostra carnem accepit, & in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis ad manducandum ad salutem dedit, & nemo

hanc carnem manducat; quin prius adoret. Ecce inuentum est quomodo adoretur scabellum pedum eius, vt non solùm nos peccemus adorando, sed peccemus non adorando: Idem lib. 20. contra Faustum cap. 13. scribit existimasse Gentiles Christianos colere Cererem, & Bacchum propter adorationem sacræ Eucharistiæ.]

Idem docent Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, vt constet nostram Ecclesiam non aliud de tanto mysterio, in eoque Christo Deo, & homine adorando sentire, quàm quod ab eodem institutum, traditum ab Apostolis, & ab omnibus creditum intrà sexcentos illos annos, quos verò æmulatur Morneus, tanti mysterij irrisor, lib. de Cœna Dom. nisi illos seculi Philosophos, qui abhorrentes ab hoc mysterio non aliter, quàm Capharnaitæ à verbis Christi Christianos subsannabant, vt testatur his verbis Cyprianus: [Quàm præclarus est calix iste, quàm religiosa huius potus ebrietas, per quam accedimus Deo, & quæ retrò sunt obliti ad interiora extendimur, non habentes sensum huius Mundi, sed diuinitùs præparati, delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intrà ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interiùs, exteriùsque rubricati à sapientibus huius seculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum vsque adeò retrò abeunt, & à secretis diuinis omnium intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt, & recedunt.] Nonne isti Capharnaitæ auditis Christi verbis retrò eunt dicentes, Durus est hic sermo, quis potest capere eum? at nos cum Petro dicimus, [Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternę habes:] Et quemadmodum conuitia, & mendacia Gentilium, & Philosophorum nihil à veritatis confessione Christianos deterruerunt, ità nec nos Mornæi, ac nouorum istorum Capharnaitarum cachinni, & derisiones à confessione istius veritatis, & ab adoratione tanti mysterij nos deterrebunt.

Durus est istis Capharnaitis nescientibus scripturas, neque virtutem Dei Christi sermo de manducatione carnis suæ, & potu sui sanguinis, nobis verò verba illius, verba sunt vitæ æternæ: vt verò intelligamus, apud quas antiquitùs fuerit Ecclesia, quam fingit Mornæus, ex probabus auctoribus constat nonnisi hæreticos tanti sacramenti, & sacrificij fuisse hostes infestissimos. Responde sodes Mornęe. An non hæretici Donatistæ? quid verò de illis scribit Optatus lib. 2. contra Parmenianum: [Vt omnia sacrosancta vestri Episcopi violarent, iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicij: Nam iidem canes accensi rabie ipsos Dominos suos quasi latrones sancti corporis reus dente vindice tanquam ignotos, & inimicos laniauerunt, & libro sexto, quid est aliud altare, nisi sedes Corporis, & Sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester, aut rasit, aut fregit, aut remouit: post, quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta Corpus, & Sanguis habitabat? & hoc modo Iudæos estis imitati, illi iniecerunt manus Christo in Cruce, à vobis percussus est in altari: post, hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores.] Hos certè sacrilegi isti egregiè sunt æmulati. Responde sodes. An non hæretici Arriani illi Vandali, de quorum persecutione in Aphrica sub Genserico hoc inter cætera scribit Victor Vticensis lib. 1. [Tempore, quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo furore Corpus Christi, & Sanguinem pauimentis sparserunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt, &c.

Ecclesia igitur ista seculis non in alijs, quàm in Donatistis, & Arrianis, doctrinam demoniorum, sicut omnes hæreses vocat Apostolus, esse hanc Mornæi contra sacrosanctam Eucharistiam, indè constat, quòd Berengarius sacramentariorum omnium nostri temporis parens, homo parùm eruditus, inanis mundi gloriæ captator animo elatus, conuiciator, vt eum in Mornæo reuixisse putes, assistentem circumferebat dæmonem, vt refert Gulielmus Bibliothecarius lib. 3. de gestis Anglor. referunt etiam Lanfrancus Guirmundus, Algerus, Antoninus, Sabellicus, cum in extremis positum Episcopum Carnotensem Fulbertum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus sufficeret, ille inter oppositas cateruas oculo longè conspicatus Berengarium nisu, quo valuit, expellendum censuit. Protestatus immanem dęmonem, propè ipsum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu, & illitò anhelitu corrumpere. Refert item Vincentius Belluacensis in Speculo historiali horribilem, ac ingentem dęmonem inter ipsum Berengarium, & auditores eius *frequenter apparuisse*, *dum ille de* sua aduersùs Eucharistiam hæresi differebat, Lutherus inducit diabolum secum loquentem de Missæ sacrificio, & multa argumenta contra illud proferentem, vt quàm diabolica sit ista doctrina, & quis spiritus sit in Mornæo habitans, & purioris, & reformatæ Ecclesiæ institutor, ac præses, inde facilè conijcias.

[*Quæ*, inquit, *circumgestaret*.

Ægrè fert iste tanto honore à Christianis diuinum hoc sacramentum affici, vt quod publicè interdum proponatur, vel circumferatur per vias, & loca publica cum solemni pompa, cultu, & veneratione: Extat huius rei figura 2. Reg. 6. & 7. vbi Dauid ludebat coram Arca Domini, quando populus solemni pompa illam circumducebat. Laudabilis huius consuetudinis rationes adfert Concil. Trident. sess. 13. cap. 5. & can. 6.

[*Officium ei proprium destinaret*.

Festum Corporis Christi piè, ac religiosè Vrbanus IV. Pontifex instituit quotannis celebrandum, vt maiori deuotione à fidelibus frequentaretur tantum Sacramentum: & quidem occasionem festo instituendo dedisse videtur miraculum, quòd Vulsinijs in Diœcesi, & ditione Vrbeuetana contigit, duorum enim sacerdos quidam confecto Eucharistiæ sacramento de transubstantiatione, & præsentia illic Corporis Christi dubitaret, sanctissimam præ manibus habens hostiam, viuus ex ea sanguis manauit, & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit: diuinitùs igitur inductus Pontifex, vt hoc festum institueret, & ab eodem officij componendi cura Thomæ Aquinati sanctissimo, & doctissimo Theolo-

go

go cura demandata: An non verò, & noua festa aliquando in veteri lege instituta, quidni & idem in Ecclesia ad recolenda magis diuina beneficia liceat?

[Iater Presbyteri manus sisteret.

Quid? quòd de manu sacerdotis Christianos Eucharistiam accipere solitos scribit Iustinus martyr Apologia 2. pro Christianis, & Tertull. lib. de corona militis cap. 3. [Eucharistiæ, inquit, sacramentum non de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus.]

[Immò crearet.

An verò quia ineffabili modo ibi incipit esse filios Dei, nempè per consecrationem misticam, & ex vi quidem verborum Corpus, & Sanguis Christi, per concomitantiam etiam ipsa diuinitas, ideò creari dicitur: Non magis certè, quàm quando Virgo sanctissima Christum concepit, & gestauit in vtero, & habuit in se speciali modo inhabitantem filium Dei, eum creasse dicitur.

Sacrificium eius singulis momentis sexcenties iterandum certo pretio addiceret.

ATqui ex antiquissimis Patribus constat valdè religiosum, & laudabile esse opus, magisque consulendum, vt sacerdotes ministri altaris quotidiè hoc sacrificium sacrosanctum, & immaculatam hostiam offerant. Sanctus Andreas Apostolus de se tyranno dicebat: [Quotidiè immolo Deum immaculatum.] S. Hyppolit. marr. orat. de consummatione seculi, sic iudicem Christum introducit ad Euangelicos sacerdotes loquentem. [Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die, noctuque obtulistis, ac pretiosum Corpus, & Sanguinem meum quotidiè immolastis.] Cypriano. epist. 54. [Episcopatus nostri honor, gradus, & gloria est pacem dedisse martyribus, vt sacerdotes, qui sacrificium Dei quotidiè celebramus, hostias & victimas præparemus.] Vbi de his loquitur, qui instante noua persecutione, præparabantur ad martyrium. Chrisostom. homil. 3. in epist. ad Ephes. scribit, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam. Dinus Hieronymus in cap. 1. ad Titum dicit, [Sacerdotes quotidiè pro peccatis populi, ac suis sacrificare.] Dinus Augustinus epist. 23. ad Bonifacium Episcopum: [Nonne semel immolatus est Christus in se ipso, & tamen in sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populus immolatur.] S. Gregorius homil. 37. in Euangelia narrat S. Cassio Narniensi Episcopo morem fuisse quotidianas Deo hostias offerre, ità vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis eius immolaret, quam consuetudinem Deum speciali reuelatione approbasse inferiùs narrat scribens: [Nocte quadam cuidam eius presbytero Dominum per visum adstitisse, atque dixisse vade, & dic Episcopo, Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam mercedem tuam, &c.]

Valdè igitur religiosum illud opus, & ad cultum Dei pertinens. Si totis mille annis non fuit Ecclesia nostra, quæ sacrificium Christi ad altare offerret: non igitur erant in Ecclesia supra citati Patres, non sanctus ille Cassius: cui cum sacrificio valdè etiam concordabat vita, vt ibidem scribit Gregorius: [Nam cuncta quæ habebat eleemosynis tribuens, cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat.] Non erat intrà mille annos magnus ille Gregorius Pontifex, sed qui fortasse in scribendo, spiritu Dei destitutus fuerit, cùm tamen Petrus Diaconus contra illius æmulatores de sanctissimi Pontificis exurendis libris cogitantes protestatus fuerit immane sacrilegium esse tanti Patris tot, & tales libros exurere, super cuius caput ipse Spiritum sanctum in similitudinem columbæ tractantis frequentissimè perspexisset, ac illius morte Deus, id quod de libris Gregorij asseruerat, testatum facere voluit, de quo & Damascenus orat. de fidelibus defunctis. Gregorius Dialogus Antiquioris Romæ Episcopus, vt omnes norunt tum vitæ sanctitate, tum eruditione clarus, & celebris, quem cum sacris operaretur cœlestem, ac diuinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse narrant.

Quòd certo pretio Mornæus asserit nos sacrificium addicere, hoc certè est hominis nonnisi mendacijs sacram Religionem traducere soliti, neque enim, quòd sacerdoti offerenti ob vitæ sustentationem datur stipendium naturali lege ministris debitum, ideò certo pretio sacrificium addicimus, cuius tantam esse dignitatem nouimus, vt nullo pretio sit æstimandum. An quando dicebat Paulus: [Spiritualia vobis seminauimus vtique & temporalia metemus.] Volebat res speciales addicere pretio rerum temporalium: certè grauissimo simoniæ peccato laborasset D. Paulus, & in fraudem induxisset omnes Christianos, ac peccato simoniæ subiecisset: Atque id docet disertis verbis Diuus Augustinus lib. de Pastoribus cap. 2. illud citans ex Paulo 1. Cor. 9. Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Iouenimus, inquit, esse lac gregis quicquid à plebe distribuitur præpositis ad eorum sustentandum victum temporalem: & post; Vnde viuitur, necessitatis est accipere, charitatis est præbere, non tamquam venale sit Euangelium, vt istud sit pretium eius, quod sumunt, qui anounciant, vnde viuant: si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt.

Accipiant sustentationem necessitatis à populo mercedem dispensationis à Domino: non est enim idoneus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Euangelij seruiunt, non expectent illi mercedem, nisi vnde & isti salutem, &c. Aliud igitur est stipendium, pro sustentatione vitæ ministros, quo spirituali ministerio vacare possint, accipere, aliud sacrificium, seu rem spiritualem pretio addicere. Alioquin enim Ministri Ecclesiæ reformatæ dicentur pretio Christi Euangelium addicere, quibus tamen de pretio ministerij sui pacisci magis licere, quàm Catholicæ Ecclesiæ ministris, non imus inficias. Laici si-

quidem sunt, quibus nullum spirituale officium conuenire potest, quod venditioni exponant. Deinde quòd constet eos non Euangelium Christi, quæ res spiritualis est, pretio nullo æstimanda, sed doctrinam dæmoniorum animabus pestiferam loco saluificæ doctrinæ populis obtrudere.

Eliminata antiqua, & Domini institutione, & Christianorum synaxi.

IMò qui hoc sacramentum tollunt, Antichristi præcursores quid aliud, quàm Christianam religionem, & Christi Domini institutionem sublatam velint, hoc enim sacrificium Corporis, & Sanguinis sui Christus instituit, & legem perpetuò duraturam de illo in Ecclesia offerendo tradidit his verbis, [Hoc facite in meam commemorationem.]. Ità Irenæus lib.3.cap.34. Ecclesiæ vocat oblationem, quam Dominus docuit offerri in vniuerso Mundo. Cyprianus lib. 2. epist. 3. dicit, Christum summum sacerdotem Deo Patri hoc sacrificium obtulisse, & hoc fieri in sui commemorationem præcepisse, vbi & Christum vocat huius sacrificij auctorem, & doctorem. Legi possunt Dionys. Areopagitæ Eccles. hierarch. cap. 3. Clemens Rom. lib.6. Constitut. Apostolic. cap.29. Diuus Augustinus conc. 2. in Psal. 33. Ipse de Corpore, & Sanguine suo instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedech. Atque ea omnia, quibus ostensum est ex Patribus, illic offerri in sacrificium Corpus, & Sanguinem Christi, satis etiam docent, non ab alio, quàm à Christo institui potuisse: siquidem modus ille existendi Corporis Christi sacramentalis, & modus oblationis omninò supernaturalis est, & quemadmodum Christus auctor est nouæ legis, ità illius erat omnia instituere, quæ de eiusdem sunt substantia, cuiusmodi sunt sacramenta, & sacerdotium, ac sacrificium istud sacrosanctum, quo sublato, & nouam legem, ac religionem eliminari prorsùs consequens est: non itaque nos, sed isti tollendo hoc sacrificium Christi institutionem eliminant.

Quod de Christianorum synaxi iste loquitur. Dicitur synaxis, & communio à Patribus non eo sensu, quo volunt aduersarij, quòd non rectè celebretur hoc sacramentum, nisi plures ad communicandum conueniant, nominatur enim communio, vel synaxis, vt docet Diuus Thomas, quia significat Ecclesiasticam vnitatem, cui homines aggregantur per hoc sacramentum: & vt docet Damascenus, [quia per ipsam Eucharistiam Christo communicamus, vt participamus eius carne, & deitate, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipsam:] vnde & Cyprianus, sæpè hoc sacramentum vocat pacem: sic apud illum dare pacem lapsis, idest quòd ad communionem eos admittere, constat ex epist. 10. & 29. ad Clerum Romanum, & 30. Cleri Romani ad Ipsum: & olim mos fuit Romanis Pontificibus in signum pacis, & charitatis mittere Eucharistiam ad Episcopos Romam venientes: & in Concilio Tridentino vocatur, [Signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis, & concordiæ symbolum:] (Niceph. lib.4. cap.39. Euseb. lib. 5. cap. 24.) Denique quia populus in eius celebratione maximè congregari solet religionis, & diuini cultus causa. Cœna verò Caluiniana cum synaxi Christianorum eam habet affinitatem, quam Belial cum Christo, mendacium cum veritate, & tenebræ cum luce?

Solitarias Missas pro viuis, & mortuis in angulis demurmurandas.

EX antiquo vsu Ecclesiæ, & doctrina Patrum constat hoc sacrificium offerri solitum pro viuis, & defunctis, constat ex Cyrillo Hierosolymitano catech. 5. mystag. Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus supra ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro Regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro his omnibus, qui egent auxilio, rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius, & tremendi, quod scilicet altari propositum est sacrificij: non post sexcentos, aut mille à Christo annos, sed trecentos vixit Cyrillus. Chrysostomus lib. de Sacerdotio, Sacerdos, inquit, pro vniuerso Orbe Legatus intercedit, estque apud Deum deprecator, vt omnium viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis fiat propitius.

Id constat & ex liturgijs sanctorum Patrum Iacobi, Clementis Romani, Dionysij Areopagitæ, Basilij, & Chrysostomi. Oblationum pro defunctis meminit Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. ad quem locum Pammelius alia citat eiusdem Tertulliani loco. Cyprianus epist. 66. scribens ad Clerum, & plebem Furnitanorum refert statutum in Concilio Episcoporum, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, & si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: neque enim, inquit, apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros suos Leuitas voluit auocare. Orandum, & sacrificandum esse pro defunctis vniuersæ Ecclesiæ auctoritate docet D. August. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. & vlt. & serm. 34. de verbis Apostolicis, Ecclesia vniuersa in sacrificio Missæ pro defunctis orat. Imò contraria hæresis damnata in Aerio, qui negabat pro mortuis sacrificandum, teste Epiphanio, & D. Augustinus lib. de hæresibus hæresi 53. Eadem fuit hæresis Waldensium Henricianorum, & Petrobrussianorum, vt constat ex Diuo Ber-

Bernardo serm. 63. & 66. in Cantica, & Petro Cluniacensi, & nunc Sectariorum nostri temporis. Atqui cùm constet hanc esse traditionem Apostolicam, & ab initio semper in Ecclesia receptam, mirum est, qui audeat asserere Mornæus totis mille annis solitarias Missas non esse pro viuis, & defunctis oblatas. Murmura vocat, sed nihil remorantur nos hæreticorum blasphemiæ.

[Frustrate populo adempto etiam sacro Calice.

An non verò Missa publicum ministerium est, an non Sacerdos Legatus ad Deum nomine Ecclesiæ, omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: etsi solitaria, ac priuatim Missa celebretur, an non verò in qualibet Missa viuentium,& defunctorum tum eorum, qui iam in Cœlo cum Deo viuunt, mentio habetur: nec verò id nouum est institutum, Missas in angulis, vt iste loquitur, seu in locis priuatis celebrari, vt ex multis sanctorum Patrum exemplis, & testimonijs docet Card. Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 9. quæ ne actum agerem repetenda non iudicaui.

Quod attinet ad sacrum Calicem, neque perpetuò id in Ecclesiam obseruatum, vt laici sub vtraque specie communicarent, neque id cum scripturis sacris, aut Christi institutione pugnare ostendit fusiùs Card. Bellarm. lib. 4. de sacramento Eucharistiæ cap. 24. & Ecclesiam iustis de causis præcepisse communionem sub vna specie docet, capit 28. de quo etiam argumento fusè Claudius de Sainctes de rebus Eucharistiæ controuersis repetitione 10. ex quibus constat, quàm falsa sint, & contra manifestissimam veritatem adducta, quæcumque contra sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, & sacrificium scribit Mornæus, & cùm veritatem ipsam Catholicam ex vsu primitiuæ Ecclesiæ, & ex sanctorum Patrum auctoritate multi asseruerint, & confirmarint, & nos aliqua in eandem rem adduxerimus, quæ tamen iste scribit nullo comprobato testimonio sola sua auctoritate niti voluit.

His abusuum portentis vt porta pateret, qua semel data ingruerent, scripturam insufficientiæ, aut imperfectionis, libris in eam rem scriptis arguere, eius lectione periculosa quippe, & læthali fidelibus indictis, grauissimis pœnis publico decreto interdiceret.

Scilicet Christi institutio, Apostolica traditio, vsus Ecclesiæ primitiuæ, vbique gentium quacumque Religio Christiana sese diffundebat obseruatus, & inde ad nos deriuatus, dogmata item sanctorum Patrum hæretico homini sunt abusuum portenta. Quis verò ex nostris libros de insufficientia, aut imperfectione Scripturæ sacræ edidit: Equidem id profitemur nos non id tantùm credere, quod Scripturis sacris continetur, sed prætereà multa, quæ ex traditione habemus, neque id solum credendum, quod in Scriptura sacra continetur, ex ipsa Scriptura ostendere aduersarij, & Patres contra hæreticos non modò ex Scriptura, sed ex traditione etiam sunt argumentati, nec ideò dicimus eos scripturam insufficientiæ, aut imperfectionis arguisse.

Vetus Synagoga non modò cum Saduceis hæreticis admittebat libros Moysis, sed etiam Prophetarum, & alios sacros libros, nec tamen ideò libros Moysis insufficientiæ, aut imperfectionis arguebat, nec vetus Testamentum insufficientiæ, aut imperfectionis hoc sensu accusamus, quod cum eo nouum admittimus; nec generale Concilium Nicænum, ideò imperfectum, aut insufficiens dicimus, quia cum illo Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & alia posteriùs in Ecclesia celebrata admittimus. Non igitur ideò quia multa ex traditione credimus, ideò insufficientem, aut imperfectam scripturam docemus. Impostura hæc est manifesta nostros in hanc rem edidisse libros, vt scripturam sacram insufficientiæ, aut imperfectionis arguerent.

Scimus quidem hanc esse veterem fraudem hæreticorum, vt hæreticos libros sanctis Patribus, aut Catholicis Doctoribus adscriberent, vt de Apolliuaris hæretici libris factum conqueritur Martianus Imperator in epistola quadam scripta pro Concilio Chalcedonensi, ideò aut librum quemdam ab hæretico homine ità inscriptum aduersarij Catholico Doctori tribuerunt, aut certè libro alicui Catholico peruersè hunc titulum præfixum ab eisdem constat. Quòd verò sacrarum scripturarum lectio nec vulgari lingua, nec passim omnibus permittatur id consultò, & prudenter fecit Ecclesia, ne scilicet earum praua interpretatione, (nec enim adeò faciles sunt intellectu, quàm fingunt aduersarij) eorum sensu corrumpantur, vnde enim mel apes, inde & vespæ venenum conficiunt: & vnde veritatem salutiferam Catholici depromunt, inde & suas hæreses hauriunt prauis interpretationibus Sectarij: & apud Hebræos principium, & finis Ezechielis cum principio Geneseos tantis inuoluta difficultatibus ante triginta annos non legebantur: nec tamen prohibuit vnquam Ecclesia Scripturæ sacræ lectionem, sed ne vulgari lingua editæ ipsæ Scripturæ, aut etiam ab hæreticis translatæ, seu potiùs corruptæ circumferantur, & passim permittantur: ne quod scribebat Cyprianus epist. 40. (Pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumant.]

Rursùm: Num qua vsquam toto Orbe, totis sexcentis annis Papam Romanum vniuersalem Episcopum principem terrenum, vtroque gladio succinctum crederet.

Imò ab initio totis illis sexcentis annis nemo Catholicorum dubitauit Petro in Euangelio commissas esse oues Christi, & successorem illius in omnes Ecclesias, & Episcopos, ius & auctoritatem habere. Nec modò id

id ex epistolis ipsorum Pontificum, quos sanctissimos fuisse constat, sed ex alijs Patribus Tertulliano, Cypriano, Optato Mileuitano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Athanasio, Basilio, Christophoro, & alijs constat: Item ex Concilijs tum generalibus, tum prouincialibus habitis, quæ vel auctoritate Romani Pontificis indicta, vel etiam ab eo confirmata fuere. Id etiam confessi sunt Imperatores Catholici. Valentinianus III. epist. ad Theodosium Iuniorem. [Romanæ, inquit, Ciuitatis Episcopo principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit.] Marcianus Imperator epist. ad Leonem Papam, [Tuam sanctitatem, ait, principatum in Episcopatu fideli obtinentem inuitamus, atque rogamus ad celebrandam Synodum te auctore.] Iustinianus Imperator: [Summi, inquit, Pontificatus apicem, apud Romanum Pontificem esse, nemo est, qui dubitet:] Constantinus III. in scripto ad Romanam Synodum, Agathonem Papam vocat vniuersalem Principem Pastorum. Concil. genet. 6. act. 18. In Concilio Chalcedonensi celebrato anno Domini 470. omnium Episcoporum vox omnem primatum,& honorem Episcopo Romano deberi, quin & ei titulum vniuersalis Episcopi tribuit. In qua etiam Synodo Dioscorus Alexandrinus Episcopus damnatus est, eò quòd Synodum ausus esset conuocare sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum.

Cum Eusebius hæreticus egisset, vt in Antiochia Syriæ Synodus contra Athanasium fieret; [Neque Iulius adfuit maximæ Romæ Præsul,] ait Nicephorus lib. 9. cap. 9. & Cassiodorus lib. 4. tripart. cap. 19. [Neque aliquem in locum suum destinauit:] cum vtique Ecclesiastica regula iubeat, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari: & Iulius I. ad Episcopos Orientales pro causa Athanasij scribens: [Ipsi primæ Sedi Apostolicæ, inquit, conuocandorum generalium Conciliorum iura, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis. quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri perceptæ sunt:] & Pelagius II. anno 581. Pontifex electus ad Episcopos, qui Constantinopolim conuenerant de non celebrando Concilio sine Romani Pontificis auctoritate: [Relatum est, ait, ad Apostolicam Sedem Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cum generalium Synodorum conuocandarum auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo (quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis ex auctoritate sancti Petri Apostolorum Principis, & D. Saluatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi, atque soluendi ipse Saluator dedit (quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit) præcipio, & vana, & cassata esse, ita vt deinceps nusquam appareant, sed ventilentur,] Quia non erat Ioannes ille Constantinopolitanus Antistites vniuersalis Episcopus, sed eum titulum sibi vana præsumptione arrogabat, ideò Concilij indicendi penès eum non erat auctoritas.

Cum igitur certò constet intra sexcentos annos penès Romanum Pontificem fuisse ius, & auctoritatem indicendi Concilia, indè concluditur necessariò Romanum Pontificem vniuersalem Episcopum ab omnibus habitum fuisse, nec verò de ratione summi Pontificatus, & vniuersalis Episcopatus, vt iam alibi dictum est, docemus esse principatum terrenum, aut ei ex institutione ipsa Pontificatus conuenire: sed neque institutioni ipsi, aut verbo Dei aduersatur. Nam vidimus Moysem simul sacris, & religioni profuisse, & instituisse Aaronem summum sacerdotem, & ex mandato Domini, quæ ad sacrificia, & cultum Dei pertinebant ordinasse, & simul in regimine temporali præfuisse populo. Machabæi Pontificatum administrarunt, & Reipublicæ simul præfuerunt: & postea Hircanus, & Aristobulus fratres concordiam inierunt, vt vnus regno potiretur, alius sacerdotio fungeretur. Apud Romanos, ipsi Reges initio rebus sacris præerant, & Romulus, ac Numa Pompilius omnia constituebant, quæ ad religionem, & Deorum cultum pertinere videbantur. Multò certè magis decet Pontificem Christianorum esse etiam terrenum Principem, & laudari sunt plurimùm à pietate erga Deum, & obseruantia erga Ecclesiam Pipinus, Carolus Magnus, & alij Principes, qui Ecclesiam ipsam ditarunt. Quomodò verò vtroque gladio succinctus sit, non aliud affero, quàm quod supra citaui ex D. Bernardo, qui vitæ sanctitate, & doctrinæ magis diuinitùs infusæ, quàm labore, & studio comparatæ præstantia Galliam ante 400. annos illustrauit lib. 5. de consideratione ad Eugenium Papam cap. 3. & epistola 256. ad eundem.

Totis mille, extra Romam Papam simul & Cæsarem, orbis Dominum, verum Ecclesiæ sponsum agnosceret?

ET Papam quidem verum Ecclesiæ sponsum, non tamen simul Cæsarem, & Orbis temporalem Dominum agnoscimus, neque ipsi Pontifices se vnquam Cæsares, aut Imperatores, aut Orbis Dominos inscripserunt, & iudicarunt. Ostendat verò iste, in quo Concilio vnquam definitum sit, aut Pontificem simul Cæsarem esse, & Imperatoriam habere potestatem, esseque Orbis Dominum, aut quis Pontifex id tamdem definierit. Dicimus quidem Pontificiam auctoritatem diuinam esse, & supernaturalem in animas ipsas, quauis temporali longè dignioremi, habere item in omnes Christianos etiam Imperatores, ac Reges spiritualem potestatem, cum sit ipse Pastor, illi oues, & quando dixit Christus Rex Regum, & Dominus dominantium, [Petre pasce oues meas,] non excepisse Imperatorem ipsum aut Reges, dici-

dicimus de neceſſitate ſalutis eſſe ſubijci Romano Pontifici, non aliter quàm eſſe ouem Chriſti, aut membrum Eccleſiæ.

[Totis mille, & ducentis Coucilijs Oecumenicis Eccleſia vniuerſa Scriptura ipſa ſacra, ſuperiorem aſſereret.]

Ex his, quàm ſibi parem conſtet Mornæus, conſiderare licèt, nam ſuperius Eccleſiam tantummodò 600. à Chriſto annis, quæ viſibilis eſſet, & manifeſta, & toto Orbe diffuſa, & talis crederetur, aſſeruit. Septimò, & ſequentibus ſeculis penès paucos fuiſſe, ac in ſolitudinem ſe recepiſſe, vt ſoli Deo, non hominibus ipſis cognita eſſet, docuit, & tunc ad 600. alios annos eam porrigere videtur. Ita enim loquitur de Eccleſia vniuerſa, quaſi eadem ad 1200. annos durauerit, in qua multa Concilia Oecumenica, non modò intra 600. à Chriſto annos, ſed & deinceps ſint celebrata: Nec verò nunc Pontifici plus tribuimus auctoritatis, quàm intra 1200. annos illi vniuerſa Eccleſia tribuerit. Conſtat ex ſuperius adductis, Concilia Oecumenica non modò poſt, ſed etiam intra illos 600. annos non niſi auctoritate Romani Pontificis congregari potuiſſe, illum eis præfuiſſe, illius fuiſſe partes ea, vel probare, vel improbare. Patres Concilij Chalcedonenſis, ita ad Leonem Pontificem ſcribebant, [quibus tu ſicut membris caput præeras:] vbi agnoſcunt Pontificem Romanum Caput Concilij, & ab eodem petunt confirmationem decretorum eiuſdem Concilij, & nomine Cœleſtini Papæ præſuerat anteà Cyrillus Alexandrinus Concilio Epheſino. Neſcio verò quo zelo iſte impulſus, ita certat pro Concilijs Oecumenicis intra 1200. annos habitis, cum tantùm quatuor illa prima admittat, quæ verò poſt 600. annos ſunt celebrata, quibus non aliter, quàm ſuperioribus præfuit Romanus Pontifex reijcienda putet. Nec verò Romano Pontifici, nec Concilijs Oecumenicis iſti vllam auctoritatem deferunt, quomodò igitur ægrè ferunt nos Romanum Pontificem Concilijs ſuperiorem aſſerere, & Romano Pontifici, & Concilijs Oecumenicis in Spiritu ſancto legitimè congregatis tantùm deferimus, vt nec illum, nec iſta in deffiniendis, quæ ad fidem & mores, ac regimen Eccleſiæ ſpectant, errare poſſe aſſeramus, ne quidquam toti Eccleſiæ proponere credendum, quod ſit erroneum, vt hæreticus, aut temerarius ille ſit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel Oecumenicorum Conciliorum ſtatutis, ac definitionibus refragari audeat. An verò Papa ſit ſupra Concilium, vel contra: nec aliquid eſt ab Eccleſia definitum: nec deſunt Catholici Doctores, nunquam ideò damnati, qui Concilium ſuperius aſſerant Pontifice. Ita tamen ſtatuendum ſupremam auctoritatem ſpiritualem non Collegio Apoſtolorum, aut vniuerſitati Epiſcoporum, ſeu Concilio generali, ſed Petro, & ſuis ſucceſſoribus à Chriſto eſſe collatam, vndè meritò damnatus eſt libellus quidam, qui nuper prodijt ſine nomine auctoris, quo ille contendebat docere contrarium, & inter articulos Ioannis Vvicleſi damnatos in Concilio Conſtantienſi ſeſſ.8. hic 37. eſt, quòd Papa non ſit proximus Vicarius Chriſti: Nec verò Eccleſia vniuerſa ſuperiorem facimus Pontificem, cum illa intelligatur, quæ ſuis omnibus membris conſtat, & ipſum etiam Caput Pontificem complectitur, vt in corpore naturali reliquis quidem membris caput ſuperius, non tamen toto corpore ipſo, quod & capite tamquam parte ſingulari conſtat, aſſerimus, nec Eccleſiam ipſam eſſe propter Pontificem, immò Pontificem propter Eccleſiam à Deo ordinatum eſſe, & poteſtatem illi non propter ſe, ſed propter ſalutem fidelium traditam dicimus: Imponit verò nobis quòd Scriptura ipſa ſacra ſuperiorem Papam aſſeramus: nec enim eum docemus poſſe pro arbitrio de ſcripturis, vel earum ſenſu ſtatuere, nec hos, vel illos libros reijcere, vt apocryphos, vel admittere vt Canonicos iudicamus, prout faciunt hæretici, qui eò ſe ſuperiores Scriptura ſacra, ſeu verbo Dei faciunt, quòd ſpreto Eccleſiæ iudicio, quæ columna eſt, & firmamentum veritatis, de ſacris libris decernunt, & quos ſibi videntur, admittunt, neque ſuum iudicium Scripturæ ſenſui accommodant, ſed ſcripturas ipſas in ſuum ſenſum detorquent, indèque non ſecùs, quàm Iudæi ſuam perfidiam probare contendunt. Nos quidem dicimus Pontificem ſupremum Eccleſiæ Paſtorem numquam ſine matura conſultatione, quin & ſpecialiter ei aſſiſtente Spiritu ſancto de libris ſacris, ſeu Canonicis iudicaturam, vt in hoc minimè ſic erratur, & Sedis Apoſtolicæ eſſe; non priuati cuiuſque iudicare de ſenſu Scripturarum, nec tamen id eſt facere Sedem Apoſtolicam Scripturis ſuperiorem, alioqui cum velint aduerſarij ex priuato teſtimonio cuiuſque hominis Chriſtiani, qui fidei lumine imbutus ſit, cognoſci an Scriptura ſacra ſit Canonica, vel apocrypha: & ita doceat Caluinus lib. 1. Inſtitut. cap. 1. 2. & 3. certè Chriſtianum vnumquemque faciunt ipſa Scriptura ſuperiorem, in quo certè turpiter errant aduerſarij.

Et porrò de animarum ſtatu pro Indulgentiarum ſuarum modo ſtatuere, Purgatorium claudere, Cælum aperire, hos, aut illos pro libito, aut in Sanctorum numerum referre, aut inferno addicere, Angelis imperitare, leges Dei ſuo arbitrio, an libidine reuellere poſſe: Deus proindè, & ſupra Deum ipſe, aut crederet, aut credi iuberet.

HÆc omnia ſunt meræ impoſturæ: Quis enim Pontificum hoc credidit, aut credi iuſſit, ſe poſſe ſtatuere de animarum ſtatu pro Indulgentiarum ſuarum modo, penès ſe eſſe ſaluare animas, & in Cœlo collocare, ac bonorum illorum, [quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe, participes efficere?] Quis Pontificum vnquam plùs ſibi arrogauit, quàm Chriſtus Dominus, qui filijs Zebedæi petentibus in illius regno prima loca, Reſpondit ad dexteram, vel ad ſiniſtram in regno meo, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. An Pontifex nouit ſtatum animarum poſt mortem, qui in

gra-

gratia, qui in peccato, qui vasa misericordiæ, aut qui vasa iræ hinc decedant? Indulgentias quidem concedit, nec de suo tamen, sed de thesauro Ecclesiæ, hoc est de Christi, & sanctorum meritis somptas, quæ decedentibus hinc in gratia, & in Purgatorio existentibus animabus valeant per modum suffragij, quemadmodum, & orationes, quæ pro illis ab Ecclesia fuoduntur, & Missæ sacrificium, quod pro eisdem offertur: & eleemosynæ, quæ à pijs fidelibus parentibus, aut amicis pro eis erogantur. Vbi tamen certum est, eos, qui orationes, aut sacrificium pro illis Deo offerunt, vel etiam eleemosynas erogant, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm peccata illorum meruerunt, pro illarum modo de animarum statu non statuere: neque Purgatorium item claudere, aut indè animas prout velit educere, vel quas sibi videatur eò mittere iudicat Pontifex in sua esse potestate, neque vllus Pontificum istiusmodi definiuit de sua iurisdictione, aut etiam Theologi Catholici id docent, neque illius iurisdictionem ad Purgatorium porrigi traduut, cui dictum sit, quæ ligaueris super terram, & quæ solueris super terram, vt Ecclesiæ militantis in terris, non illius, quæ in Cœlo triumphat, aut quæ patitur in Purgatorio Pastorem agnoscamus, Cœlum quidem aperire, aut claudere illius est, sed indirectè, quos enim in communionem Ecclesiæ recipit, his Cœlum aperit, quos indè excludit, his item Cœlum claudit, & quibus à sacerdotibus ipsis peccata remittuntur, his Cœlum aperitur, quibus verò tamquam indignis non relaxantur, his Cœlum claudi dicitur. Omnibus hæreticis extra communionem Ecclesiæ constitutis certum est clausum esse Cœlum. Neque pro libito Pontifex hos, aut illos in Sanctorum numerum refert, aut inferno addicit. Id quidem asserimus non esse priuatæ alicuius Ecclesiæ, sed solùm Pontificis Pastoris vniuersalis in cathalogum sanctorum aliquos referre. Non quidem quòd indè sancti efficiantur, qui ab æterno electi erant ad gloriam, & qui iam anteà in Cœlum ob merita recepti sunt, sed vt festis solemnibus, & publico cultu in Ecclesia venerentur, quorum singularem sanctitatem multis miraculis in vita, & post mortem Deus testatam esse voluerit, vt certum sit in canonizatione sanctorum, Pontificem errare non posse, neque proponere toti Ecclesiæ aliquem solemni, ac publico cultu venerandum, qui iam sanctus, & in Cœlum receptus non sit, vt nec definire potest aliquid tamquam de fide credendum ipsi Ecclesiæ, quod erroneum sit: hæc doctrina vera est, & Catholica, cachinnetur cum suis Mornæos quantum velit. An verò quos in sanctorum numerum non refert, ideò addicit inferno, cum multi sint in Cœlo, quos ab Ecclesia in sanctorum numerum constat nunquam esse relatos? An ideò, quia propter perfidiam, blasphemias in Deum, & Sanctos, in Ecclesiam, & Vicarium Christi, & pertinaciam in hæretica prauitate Mornæus cum suis gregalibus idem addictus est: ideò eò à Pontifice, quem tot iniurijs proscidit, tot imposturis, & contumelijs lacessiuit addictum dicemus, cum certum sit hæreticum hominem non ab alio, quàm à seipso damnatum esse? quomodò verò Angelis imperitat, cum eum, qui minor est in Regno Cœlorum, maiorem se, & in excelsiori statu constitutum norit: cum Christum Dominum æternum Dei filium, quòd propter nos homo passibilis factus esset, paulò minùs ab Angelis minoratum legat, se verò infinitis partibus Christo inferiorem, etiam prout homo passibilis erat, profiteatur. Qua verò ratione leges Dei pro arbitrio, an libidine reuellat, qui non secùs, ac quilibet Christianorum minimus se Dei legibus subditum, nec in minimo præcepto diuino naturali, seu positiuo dispensare se posse non ignorat? An verò non isti Dei leges reuellont pro libidine, qui de sacramentis à Christo Domino institutis, statuunt, quod sibi videtur, partim ea admittunt, partim reijciunt, & Ecclesiam, per quam Deus nobis loquitur, audire contemnunt? An quando dixit Christus Apostolis: Qui vos audit, me audit, & qui me audit, audit eum, qui misit me: De Apostolis tantùm, & non de successoribus eorum, qui sunt in Ecclesia Episcopi, cum Romano Pontifice Petri successore loquebatur: Non audit Apostolos, neque Christum, neque Patrem, à quo ille missus, Mornæus, qui pseudoProphetis, & non Ecclesiæ Pastoribus aures accommodat. Verùm quas Dei leges reuulsit Romanos Pontifex? an Decalogum, vel aliquam eius partem reiecit: aut quam Christi institutionem, seu præceptum de fide, siue de sacramentis ab Ecclesia exclusit? Insignis igitur Impostoris omnia isthæc calumniæ, & merè imposturæ.

Adde si vis ad extremum apparatum, quæ Monachorum tot, tantaque examina, quæ mendicantium, ordinesque Cardinales purpuratos, quæ totam illam Pontificum pompam Iannizeros adeò, & Mammaluccos, suos tamdem Iesuitas, Papalis exercitus quasi in acies vsquam nosses.

Circa singula, necesse est, paulisper immoremur. Ac primùm Monasticam vitam à Deo inspiratam, esse, ab ipsis Apostolis fundatam, & à sanctissimis Patribus excultam, ex antiquorum Patrum testimonijs facilè demonstrari potest. Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiast. hierarch. p. 1. c. 6. vocat [Initiandorum omnium excellentiorem, & sublimiorem ordinem Monachorum, & quo ritu diuino cultui consecrarentur. Ibidem docet vbi, & ista leguntur, sancti præceptores nostri (hoc est Apostoli) diuinis eos appellationibus sunt persequuti, partim *therapeutas*, idest cultores à sincero Dei famulatu, atque cultu, partim Monachos ab indiuida, & singulari vita appellantes, vtque illos sanctus diuisibilium complicationibus, in diuinam & Deo gratam mouendam perfectionem promoueat.] Marcum Euangelistam Petri Discipulum primum in Ægypto, & Alexandria, Euangelium, quod conscripsit, prædicasse, Ecclesias ordinasse, ibique Christianorum Monachorum solitariæ vitæ leges dedisse, docent Eusebius lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 15.

&

& 16. & Nicephorus lib. 1. cap. Item 15. & 16. & lib. 8. cap. 39. qui & volunt ea, quæ scribit Philo lib. de vita supplicum, de exercitij, studijque eorum Philosophiæ instituto, moribus, vita, rationeque conuersationis omni, de primis Christianis, qui remoti à cæteris in communi viuebant, & vitam Monasticam profitebantur, intelligi, idque ostendunt præcipuè ex verbis ipsis Philonis, quæ citant, Clemens Romanus instituti Monachorum meminit Epistola 5. ad Discipulos Hierosolymorum. De Monachorum examinibus in Galatia, Cappadocia, Bithynia, & ad Pontum Euxinum, & quomodò sanctitate eorum moti plurimi ex Gentilibus Christianismum amplexati fuerint. Legi potest Nicephorus lib. 11. histor. Eccles. cap. 41. qui & qualis sit vita Monastica, quid ea profiteatur, & vndè initium sumpserit, scribit lib. 8. c. 39. & Cassiodorus item lib. 1. tripart. cap. 11. Sozomenus lib. 1. cap. 12. An non Monasticæ vitæ cultor, & propagator fuit magnus ille Antonius, cuius nominis, & virtutum fama non modò magnum illum Constantinum Imperatorem mouit, vt ad eum scriberet, & per literas se eius orationibus commendaret, sed etiam ferè totum Orbem impleuit, cuius vitam describens magnus ille Athanasius Alexandrinus, hæc inter cætera ait: [Erant in monasterio tamquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium tantumque ieiunandi, & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus fermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate ad charitatem mutuam, & misericordias indigentibus exhibendas, iugi studio laborarent, qui infinitam regionem quandam, oppidum, à mundana conuersatione seiunctum plenum pietatis, & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum Monachorum agmen aspiciens, quis virtutum illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstine- tium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem, quàm bonæ domus tuæ Iacob, & tabernacula tua Israel.

At per totam illam historiam diuersorum monachorum meminit, & eorum summè miratur institutum propositum, & professionis votum. An non Basilius ille magnus Græciæ singulare ornamentum, vitæ monasticæ cultor fuit, monasticas leges edidit, vt testatur Amphilochius Iconij in eius vita, regulam, & formam viendi monachis dictauit, & numerum infinitum aggregauit. Gregorius Nazianzenus oratione in S. Athanasium Monachorum priscorum in partibus Ægypti commorantium meminie, & sacra illa, ac diuina monasteria appellat, in quibus homines à mundo se distrahentes, ac solitudinem amplectentes Deo viuunt, magis, quàm cæteri homines, qui in corpore versantur, Monachorum exercitia, ità describit oratione 22. Vigiliæ, ieiunia, præces, lachrymæ, callosa genua, pectoris conuerberationes, suspirium ex immò manans, peruox statio, mentis ad Deum peregrinatio, tenuis inter orandum fletus, audientium animos ad compunctionem incitans, psallentes, Dei gloriam celebrantes, legem Domini diu, noctuque meditantes, exaltationes Dei in gutturibus ferentes, &c. paulò post qui delicijs minimè studere pro delicijs habent: qui regni cœlestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, & supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem viuunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnom inopia laborant, & propter inopiam regnant.

Diuus Augustinus lib. 1. de Moribus Eccles. cap. 3. Quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis, & reiectis huius mundi illecebris in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus nulla superbia rumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, sed modesti.

Diuus Chrysostomus tres libros scripsit aduersùs vituperatores vitæ Monasticæ.

D. Hieronymus epistola 4. Rustico Monacho viuendi formam præscribit, vbi, & filios Prophetarum in veteri Testamento Monachos fuisse scribit, qui ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant.

Ioannes Cassianus probatissimus auctor de cœnobiorum institutis scripsit, vbi omnium votorum, quæ Monachi emittunt, rationem reddit, atque eorum viuendi normam, ità scitè depingit, vt nonnisi diabolico spiritu agiteneur, qui monasticum ordinem persequontur, illique detrahunt. Quid verò in instituto vitæ monasticæ reprehendendum? quid verbo Dei contrarium, aut sincero Dei cultui, ac legi Euangelicæ repugnans? suos Druidas, Gymnosophistas, ac Brachmanas celebrant Gentiles, qui à reliquis remoti viuebant, vt faciliùs rerum naturalium, ac cœlestium contemplationi vacarent. Vndè igitur tantum odium Mornæo, & illius gregalibus in Monachos, scilicet, quia ex parte Diabolo sunt omnes hæretici, & desideria patris sui volunt facere: vt monebat suos Monachos magnus ille Diuus Antonius apud S. Athanasium, [Hostile illis dæmonibus contra omnes Christianos, maximè verò contra Monachos, & virgines Christi odium est. Atque ità omnes hæretici monasticum ordinem sunt persecuti. D. Augustinus id testatur de Petiliano Donatista: lib. 3. contrà eundem cap. 40. [Deinceps, inquit, perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum, & Monochorum, arguens etiam me quòd genus vitæ à me fuerit institutum.] Valens Arrianus Imperator monachos varijs afflixit tormentis lege etiam lata, vt militarent, nolentes fustibus iussit interfici: sed hanc legem probat maximè quidam modernus scriptor in Apologia quadam pro Zosimo Christianorum Imperator. sedulo obtrectatore. [Hac de causa Valentem, inquit, immeritò reprehensum arbitror, nec desunt, qui ea lege putant in vsum reuocata, redactisque militares ad annonas amplissimis facultatibus, quas ignauæ pecudes (ità Monachos honorificis titulis sacrilegi isti nebulones exornant) absumunt, & agmina cogi maxima posse contra Barbaros: & in armis perpetuò sine Reipublicæ sumptu aliquo, cuius ipse quasi sanguis, & succus vana: maiorum superstitione (ità monasticum ordinem à san-

ctis Patribus exculeum impius ille appellat) ventribns illis cesserit.] Idem scriptor proœmio in historiam Musulmanam Turcarum ad electores imperij Christianam religionem præ Turcica deprimit, [Ne Demislaros quidem, inquit, qui solitarij sunt à vita, quæ in actu consistit, abstinere videas se quius, atque fieri, constat apud nos Christianos, qui monachorum greges infinitos graui cum onere Reipublicæ, nec vllo fructu, vel in togata, vel armata militia, ventres nimirùm pigros alimus,] vt intelligas Maumethi, an Christo, Turcicæ superstitioni, an Christianæ Religioni magis sint addicti, Lucius ille Arrianus hæreticus Orthodoxos persecutus est, & varijs gladibus afflixit, vt ea ab ea gesta sint, quę nec in persecutionibus Gentilium memorantur. Sed maximè in Monachos arma furoris sui conuertit: vndè constat nostram Ecclesiam, quæ tot ordines habet monasticos, cum antiqua illa primitiua, & Apostolica, in qua ab initio tot sanctissimorum monachorum agmina, vnam eandemque esse: hanc verò reformatam, & puriorem cum antiquis hæreticis maiorem habere affinitatem. Et in immensum opus excresceret, si omnia, quæ sancti illi quidem Patres in laudem monasticæ vitæ scripserunt, hoc loco colligerem.

Post Monachos Mendicantium ordines attigit, qui quatuor præcipui sunt instituti à sanctissimis illis Patribus. Ordo quidem Eremitarum à D. Augustino Magno Ecclesiæ Doctore, Carmelitarnm ab Elia, & Elisco, & filijs Prophetarum suam primam originem repetens, de quibus in Concilio illo magno Lateranensi, [Ordinem Eremitarnm D. Augustini, & Carmelitarum in antiquo suo statu manere volumus;] Prædicatorum à Sancto Dominico, Minornm à Sancto Francisco institutus, quos non immeritò oderunt nostri aduersarij, & ex omnibus Prouincijs, quas occuparunt, exegerunt, cum illi magno semper vsui fuerint Ecclesiæ, & egregiam operam propugnandæ fidei Catholicæ, & oppugnandis, ac confutandis hæresibus nauarint. An verò non institutio horum Ordinum instituto primitiuæ Ecclesiæ, in qua omnia in commune conferebantur, & ad pedes Apostolorum adferebantur, & nemo suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia maximè consentanea est: etsi non essent iam tum temporis quatuor illi Ordines Mendicantes, & alij posteà sub eodem titulo ab Ecclesia approbati.

An ideò scriptura sacra prohibet huiusmodi vitæ institutum, cum è contrà Christus suis id maximè commendarit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Quid aliud profiteotur præter præcepta, quibus omnes Christiani obstringuntur, nisi se Consilia Euangelica obseruaturos, vt per paupertatem bonis externis renuncient. Per obedientiam animum, per castitatem corpus ipsum Deo tradant? in quo quid tandem peccati est, quid Euangelicæ legi aduersetur: de loco verò Matth. sup. citato ità Caluinus. Lib 4. Instit. c. 3. sect. 13. Fateor, inquit, hunc locum fuisse à quibusdam ex Patribus malè intellectum, atque hinc natam esse voluntariæ paupertatis affectationem: Scilicet Aristarchus iste censor est, & judex à Deo datus, cuius sit ferre sententiam quando, & vbi Patres rectè, aut perperam scripturas intellexerint, vbi, [& mendicantes sophistas cucullatos appellat, & quot sunt hodie monasteria, tot scilicet esse schismaticorũ conuenticula, qui turbato Ecclesiastico ordine à societate fidelium legitima sint excisi, & varia factionum nomina sibi indidisse, dum pro Christianis alios Benedictinos, alios Frãciscanos, alios Dominicanos vocari audimus.]

An verò, quia vario habitu distincti incedunt, & alij sub regula sancti Augustini, alij, sub regula Sancti Benedicti, aut Sancti Francisci militant, cum in doctrina S.R.E. omnes conueniant, & cum omnibus Christianis in eandem prorsùs fidem conspirent, ac omnes vnum, & idem dicant, ideò schismatici sunt. Hoc quidem distincti sunt à reliquo Christianorum cætu, quòd cum lex Euangelica præceptis constet, & Concilijs, omnes quidem Christiani præceptis ipsis obligentur. Isti verò sibi, & aliud iugum spontè imposuerint obseruandorum consiliorum Euangelicorum, vt rerum temporalium deposita sarcina, se ipsos præterea Deo totos consecrando faciliorem, & expeditiorem viam ad rerum cœlestium contemplationem, & comparandam gloriam æternam sibi pararent. Sed nimirùm isti cum Wiclefo meritò condemnati sunt in Concilio Constantiensi sess. 8. cuius articulus 20. est. [Si quis ingreditur religionẽ priuatam qualemcumque tàm possessionatorum, quàm mendicantium redditur ineptior, & inabilior ad obseruantiam mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes religiones priuatas sic peccauerunt.

25. Religiosi viuentes in religionibus priuatis non sunt de religione Christiana.]

De hoc argumento legi potest Card. Bellar. lib. de Monach, cap. 45. Nec verò diffitebor Ecclesiam illam primitiuam ab exordio sui, & deinceps hostes habuisse Lutheranos, Zuinglianos, Anabaptistas, Caluinistas, & suos Mornæos, si quidem habuit sectatores Simonis Magi, Ebionis, & Cerinthi, Valentinianos, Marcionitas, & alias eiusmodi pestes quæ erant tum sectæ variarum hæreseon opera diaboli in mundum inuectæ Ecclesiam Christi doctrinam corrumpentes, quos nostrorum temporum sectarij probè imitantur, cum tamen nomina variorum ordinum in Ecclesia Dei non sint nomina diuersarum sectarum, seu hæreseon, sed vnius instituti vitæ Apostolicæ, quod ad varia studia operum Charitatis referri potest. Neque D. Augustinus, Diuus Benedictus, & allij religiosorum ordinum fundatores in Ecclesia nouas doctrinas, quas sui discipuli sequerentur, instituerunt.

Tertio loco Mornæus iniectat purpuratos Cardinales, [totam illam Pontificum pompam, & vt loquitur Iannizeros, & Mammaluccos: Ex quo cuiuis colligere licet quàm Turcicum sit Mornæi pectus magis quàm Christianum, Nam & loquela illius manifestum eum facit. Quæ atrocior iniuria excogitari potest, quàm sacrum illum ordinem S.R.E. Cardinalium, ad quos præcipua

nego-

negotia Reipublicæ Christianæ, cui præest summus Pontifex, deuoluuntur, Ianizeris, & Mammaluccis Christianæ religionis iuratis hostibus ex Christianis parentibus in diaboli mancipia assumptis, conferre: nec tam graue, & molestum est Mornæo ab Amurathe II. Turcarum Principe institutum ordinem Ianizerorum, quorum opera adeò creuit Turcicum illud Imperium, subiugatis tot Christianorum regnis, & Prouincijs, quàm summum Pontificem Christi in terris Vicarium euocare, & assistere sibi, exemplo Moysis ex Christiano Orbe sapientissimos illos Patres, quorum opera in regimine Ecclesiæ vtatur. Etsi verò non adeò antiquum sit nomen Cardinalium, dignitatem, & officium, quo maximè spectandum est, constat esse antiquissimum: Illud enim certum, qui nunc Cardinales vocantur, eos olim Presbyteros, vel Diaconos vrbis Romæ, vbi arx erat Christianæ religionis appellari solitos: Idque communi sensu receptum est, Sanctum Petrum, cum Romæ Sedem posuisset, ex omnibus Christianis probatissimos quosdam elegisse, quos manuum impositione partim Præsbyteros, partim Diaconos ordinauit: distributis vtrique ordini suis muneribus, nec dubium, quin eorum opera in administrationem Ecclesiæ vteretur: Sed cum adhuc exiguus, & incertus esset Presbyterorum numerus, Cletus Pontifex à sancto Petro tertius, eos ad quinque, & viginti redegisse scribit Euaristus, qui Pontificatum gessit anno Domini 96. paroehias diuisit, vt suam quisque Diocesim nosset, & in eam excolendam incumberet, quæ parochiæ deindè tituli dictę sunt: & quidem tam antiqua origo Cardinalium, licèt nomen non sit adeò antiquum. Ad Concilium Nicænum Siluester Papa misit Osium Cordubensem Episcopum, Victorem, & Vincentium Presbyteros vrbis Romæ. Ad Concilium Africanum, cui interfuit Augustinus, Zosimus Papa misit Faustinum Episcopum, Potentianum, Philippum, & Asellum Presbyteros vrbis Romæ. In causa appellationis super depositione Episcopi decreuit Concilium Nicœnum Papam committere causam Episcopis vicinis debere, aut è latere suo Presbyterum mittat, vbi legati à latere tempore Concilij Nicæni ante 1200, annos. Siluester misit ad Concilium Arelatense Claudium, & Habitum Presbyteros, Eugenium, & Quartum Diaconos Ecclesiæ Romanę. De his iam suo tempore loquitur D. Hieronym. Ecclesia, inquit, Senatum habet Presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Senatum nostrum cœtum Presbyterorum. Non dubium equidem non fuisse ab initio tantum dignitatis illius splendorem, vt cum posteà soli, tum ad Pontificum consilia, tum ad Pontificis electionem, adhiberi cœpti, atque etiam ex his ferè solis Pontifex eligi. Idque scribit Sigonius, cum Rom. Pont. creatio Cardinalibus præcipuè permissa est, quod fuit anno Domini 1559. eorum nomen cępisse in Ecclesia magis, ac magis celebrari.

De his Petrus Damianus, qui viuebat Anno Domini 1500. Romani, inquit, Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam alijs prerogatiuis non modò quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum iura transcendunt, saluo quippè vniuersalis Ecclesiæ sacramento, isti sunt oculi vnius capitis, ipsi lucerna huius candelabri. Antiquissima igitur institutio Cardinalium, immò ipsi Ecclesiæ coæua, licèt nomen, aut splendor dignitatis, non ità antiquus, nec verò sacrilegis istis mirùm est exosam adeò esse hanc dignitatem, vt qui Pontificem Antichristum, Ecclesiam Romanam sedem Antichristi appellant, quos meritò cum Iannizeris, & Mammaluccis conferre liceat: siquidem isti est ex Christianis parentibus renunciato Christo in militiam Turcarum assumpti, longè crudeliores sunt Christiani nominis hostes, quàm Turcarum reliqui. Ità perduelles isti ab Ecclesia Catholica Apostatæ, longè crudeliùs ipsam insectantur, & persequuntur, quàm vel Saraceni ipsi. Vltimo loco Iesuitas aggreditur, Papalis exercitus, inquit, quasi Triarios: Equidem ex illa societate tamquam ex equo quodam Troiano prodierunt multi Patres doctrina valdè insignes, qui operam suam Ecclesiæ Christi in defendenda fide Catholica, & confutandis hæresibus valdè vtiliter accomodarunt: vndè verò illis Mornæus inuidiam, vel odium concitare se putat, indè magnam gloriam comparat, quod enim maioris gloriæ signum est, quàm ab istis Triarijs Pontificis, hoc est exercitus Dei vincentis formidabilem hostibus, & inexpugnabilem: quandam phalangem appellari. Qui essent triarij, constat ex Liuio vbi lib. 8. rationem & modum componendi Romani exercitus describit. De eisdem Vegetius lib. 2. de re milit. vt indè constet nihil vetare ridentem dicere verum, nec incongruum Triariorum nomen Patribus istis hostibus ipsis formidolissimis aptari; Nec modò ex Patribus Societaris, sed ex alijs ordinibus compositus est Dei exercitus, vndè in dies prodeunt viri doctrina, & pietate eximij, ex quibus, & robustissimi quique milites in Triarios elegi valent, & omnes Diaboli acies prosternere, ac penitùs fundere (nullo negotio possint.

Et in his tamen in Ecclesiæ vestra cardo, quæ de necessitate salutis credi oporteat, à quibus, vel tantillum discedere fas. In his Bellarminus, & Baronius toti: vt qui de apicibus illis suis, vel apiculum decusserit Ethnicus, & publicanus habeatur. His (præcipuè quæ Papam spectant) qui acquieuerit, quod cuiuis notum, hæreticus aliàs licèt, prophanus, Atheus, Catholicus, & Orthodoxus audiat.

IN quibus nostræ Ecclesiæ cardo, & quæ de necessitate salutis in ea credenda esse doceamus, à quibus, vel tantillū discedere nefas, fingit pro arbitrio Mornæus, neq; enim monachos, aut Cardinales, aut Iesuitas ad articulos, vel conclusiones fidei referimus, aut in his, quæ de necessitate salutis sunt credenda, ponimus, directè indirectè tamen nemini dubium

 bium

bium est ea à nobis credi oportere. Dicimus enim Ecclesiam à Christo institutam terribilẽ esse, & velut castrorum aciem ordinatam. Reginam esse, quæ à dextris Christi assidat, circum latam varietate: id est varijs ordinibus in Ecclesia Dei sanctissimè institutis, vetustissimè ornatam: esse instar ciuitatis illius cœlestis Hierusalem ordinatam, in qua sunt Angeli assistentes, & ministrantes in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: Cardinales S.R.E. esse velut Angelos assistentes Pontifici, Episcopos per diuersas regiones, ac prouincias institutos à Pontifice, velut Angelos ministrantes: Vtrosq; (quod docet Augustinus Anconitanus. D. Antoninus, & Turrecremata) duplicem Apostolorum statum, duplicemque respectum ad Christum referre: Alterum cum adhuc viuenti, & in terris versanti assistebant, & ad omnia præstò erant: ac veluti à latere illi essent: Alterum verò cum recepto Spiritu Sancto, & induti virtute ex alto, profecti sunt in omnes terras ad disseminandum Euangelium, & populos in fide instituendos, & cum Romanus Pontifex Christi vices sustineat in terris, ac personam referat? Ità Cardinales qui illi continuò assistunt [Seniores populi, Orbis Iudices, Colloterales coadiutores,] vt cos vocat D. Bernardus, priore illo modo Apostolos referunt, Episcopi verò, qui singuli, singulis præsunt, vel ciuitatibus, vel prouincijs, ab eo instituti, posteriorem. Qui itaque sacrum illud Collegium improbat, nihil dubium quin ordinis à Christo Domino instituti pro regimine Ecclesiæ hostis sit iudicandus: Quod ad monachos, mendicantes, & Iesuitas pertinet, vt id certa, & indubitata fide tenendum est, Ecclesiam in his, quæ ad fidem, aut mores pertinent, definiendis, nulli errori esse obnoxiam, ità in approbandis nouis ordinibus non ab alio, quàm à Spiritu sancto dirigi: Constat autem Monachorum, mendicantium, & Societatis Iesu ordines à Pontificibus ipsis, & à sacris Concilijs esse approbatos, vt quod hæreticorum est, Pontificis, & Conciliorum auctoritatem euertat, qui istos ordines improbat: Quemadmodum itaque de necessitate salutis est directè, credere vnam esse Christi Ecclesiam, cui præsit vnus supremus Pastor Romanus Pontifex, credere item Concilijs legimè congregatis præesse Spiritum sanctum, nec ea posse aliquid toti Ecclesiæ proponere credendum, quod sit erroneum, nec Ecclesiam posse aliquem nouum ordinem probare, qui non sit inspiratione quadam diuina institutus, & alicui beneficio, aut subsidio Ecclesiæ ad hominum salutem futurus, ità qui hos ordines sobsannat, & improbat, quæ de necessitate saluris credenda sunt, indirectè, & ex conse-quenti inficiatur & improbat.

Ab his verò, quæ de necessitate salutis sunt directè, vel indirectè credenda, tantillum discedere ocsas iudicamus. Hoc enim privilegium singulare est resonnatæ Ecclesiæ sectatorum, quicquid liber licere credere, vt ex hominum voluntate sacrorum dogmatum fides æstimet. Verùm Catholici, & maximè qui sunt in sacris libris eruditi, quales Illustrissimi Cardinales Baronios, & Bellarminus, dicebat Basilius Magnus Præfecto Valentis Modesto, [ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed pro istorum defensione si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur.] Neque verò nostram fidem in hoc totam docemus consistere, vt in his, quæ ad Papam spectant, quis acquiescat, sed eo porissimùm nunc temporis Catholici ab hæreticis discernuntur, quòd Catholici subsunt Romano Pontifici, illum Vicarium Christi, & successorem Principis Apostolorum agnoscunt, eandem cum illo fidem per totum Christianum Orbem dispersi profitentur: nec licere sibi putant pro arbitrio fidem nouam confingere, aut tantillum à communi fide Ecclesiæ discedere: Hæretici verò nouam Ecclesiam, & nouam fidem sibi comminiscuntur. Romanum Pontificem Antichristi, seu hostis Christi loco habent, nemo igitur hæreticus, aut Atheos, Orrhodoxus, aut Catholicus apud nos audit.

Et in Ecclesia igitur ista tua, ex Patribus, Concilijs, historijs etiam vestris, probanda, (neminem recuso) est quod iam desudet nobis.

EX ipsa scriptura, Sanctis Patribus, & Concilijs, quin & ex historijs satis probatur nostra Ecclesia: siquidem Ecclesia nostra est illa, de qua Christus Petrum alloquens, [Tu es Petrus, inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] Ecclesia nostra est, in qua sunt charismata illa, quæ enumerat Apostolus, alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores. Ecclesia nostra est, in qua tot sanctissimi Patres fidem Catholicam contra hæreticos adeò strenuè propugnaruut, & in fidei controuersijs sedem Apostolicam Romanam, in quam Pontificem consuluerunt, eosque iudicarunt Catholicos, qui cum Romano Pontifice communicabant: Ecclesia nostra ex quatuor illis primis Concilijs generalibus probatur, ad quæ ex toto orbe conuenerunt Episcopi eiusdem cum Romano Pontifice communionis.

Ex historijs antiquis item constat, hanc regulam fuisse obseruatam, vt nullum in Ecclesia Concilium sine Romani Pontificis auctoritate celebraretur, neque oportere absq; sententia Episcopi Romani decreta Ecclesijs sancire. Socrat. lib. 2 cap. 5. & 13. Theodoret. lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap. 10. Sozomenus lib. 3. cap. 9. Iulius Pontifex Romanus ad Episcopos, qui Antiochiæ conuenerant, scribens, eos incusat, quòd contrà leges Ecclesiæ cum ad Concilium non vocarent. Nam legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. De auctoritate Rom. Pontif. in Concilijs generalibus, adeòque in tota Ecclesia quid senserit Concilium Calcedonense, legi potest actio 2. & Euagrius lib. 2. cap. 4. Quæ verò Concilia vnquam non sunt celebrata Romani Pontificis auctoritate. Non igitur alia est Ecclesia præter nostram, quæ ex Concilijs probari possit.

Historias verò nostras appellat, ex quibus,

bus, qui fuerunt antiquitùs constituti Canones quæ ratio celebrandorumConciliorum, quæ Rom.Pont. auctoritas supra ceteros Orbis Episcopos, facilè colligimus, & meritò quidem, nec enim Ecclesia antiqua, quam ex ipsis historijs probamus, cum hanc nupera istorum Euangelicorum habet aliquid affinitatis. Ex quibus verò Patribus, Concilijs, aut historijs isti suam probant: ex quibus scripturis, nisi valdè obscuris perperam intellectis, & interpretatis. Illius certè vestigia aliquor non diffiteor in historijs antiquis, & in Patribus ostendi: Cum de Donatistarum, Arrianorum, & aliarum sectarum Ecclesijs loquuntur, [Quarum si sensum requiras (ait Tertullianus lib.4.contra Marcionem cap.5.) faciliùs Apostaticum inuenias,quàm Apostolicum. Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcione examine:] Ità Luthero,Caluino, vel de illo examine Mornæo. Et certè non entis nulla demonstratio, nec probatio, nec scientia potest dari, falsum autem, & non ens, æquè, vt verum, & ens conuertuntur. Cum ergo Ecclesia hæc purior Mornæi falsa sit Ecclesia, & solo nomine ad placitum ab istis imposito, non est, quòd exigamus à Mornæo probationem suæ Ecclesiæ, nisi recipiat, & se probaturum Belzebuth esse Christum, & tenebras esse ipsam lucem, & mendacium ipsam veritatem, [Isti simiarum more, quod (de Nouitiano scribebat Cyprianus, Epistola 73. ad Tubaianum,) quæ cum homines non sint, homines tamen imitantur, volunt Ecclesiæ sibi auctoritatem, & veritatem vindicare, quando ipsi in Ecclesia non sint, immò adhuc insuper contra Ecclesiam rebelles, & hostes extiterint.

At pergis tu interrogare contra disputandi rationem, Ecclesiam nostram errasse: & ità quidem vt Christi hostem pro Christi Vicario exceperit, cui fiat verisimile, & lues illa porrò quam dicis, quandonam, & qua parte obrepsit.

CVm fateantur aduersarij ipsa veritate conuicti Ecclesiam Romanam fuisse aliquando veram Christi Ecclesiam, & Episcopum Romanum legitimè fuisse illius sponsum, eam item fuisse Christi Ecclesiam, quæ toto Orbe terrarum esset diffusa, sed postea à Christo apostatasse, loco religionis superstitionem, & idololatriam amplexatam fuisse, adeòque definisse esse veram Christi Ecclesiam, quæ Christi hostem pro Christi Vicario exceperit, vesani isti impudenter affirmeut, meritò ex illis quærimus, cui id fiat verimile: Nec enim certè in minori cæcitate versamur, quàm Iudæi, qui veto Messia negato, alium in dies præstolantur. ità nos hostem Christi, Antichristum excepèrimus, sicque randiù Christianus Orbis inductus fit in tantam fraudem, siquidem omnes hæreses quando,vbi,& quibus auctoribus exortæ sint, & quando ab Ecclesia damnata, historię, seu Annales temporum norarunt: Quando igitur perfidia loco fidei, superstitio loco religionis in Ecclesia nostra obrepsit? Historia tum Græcorum, tum Romanorum, qua olimpiade, quibus Consulibus, aut quo anno ab Orbe condita aliquid gestum sit, quod dignum esset, vt illius memoria ad posteros propagaretur, obseruarunt. Cum igitur omnium interesset scire, in quo verus Dei cultus consisteret,quid religionis,quid superstitionis, aut idololatriæ loco habendum esset, & vbi, & apud quos esset vera Ecclesia? id meritò quærimus ab aduersarijs, quando Antichristus intrusit se in Ecclesia,quæ eum pro Christi Vicario exceperit, & quando tantus error primùm in Ecclesia obrepsit. Respondet primum magnus iste Dialecticus id esse contra disputandi rationem, quasi verò cum iura partium obscura sunt, non reo potiùs facendum sit, quàm actori, & probatio actori incumbat, non reo. Nos verò in magnum crimen vocamur ab isto, vt qui simus idololatræ, & superstitiosi: immò Ecclesia nostra, quæ Antichristum pro Christi Vicario exceperit, non igitur contra disputandi rationem si actorem Mornæum interrogemus, quando primùm Ecclesia nostra errauerit, & cui fiat verissimile, vt pro Christi Vicario hostem illius exceperit, & quando lues illa primùm, hoc est superstitio, & idololatria, vel etiam Antichristus ipse obrepserit. Tandem ne videatur Mornæus subterfugere, respondet, & quidem valdè subtiliter, & ingeniosè.

[Audi mi homo, ne te hoc præpostera fiducia decipiat, errauerunt Angeli in Cœlo, errauit primus parens in Paradiso, errauit Iacob inter ipsas Dei visiones: Israel inter quotidiana miracula in deserto: Errauit Ecclesia Dei sponsa sub Iudicibus, sub Regibus in conspectu Arcæ Domini increpantibus, licèt Prophetis in terra illa sacra, sub primo sæpissimè templo, nec minus sub secundo.]

Quæ verò consequentia, ergo errauit Ecclesia, quæ super Petrum ædificata est à Christo, quam in Symbolo fidei vnam sanctam Catholicam Apostolicam profitemur. Multò certè magis indè colligitur nouos istos Euangelicos errare: nam primùm Sathanæ, & aliorum Angelorum peccatum fuit superbia, ex communi sententia sanctorum Patrum, & Theologorum, quæ inordinatus est appetitus propriæ excellentiæ: cum enim se viderent in tanta creatus esse dignitate,de hac cœperunt gloriari, ac si à semetipsis, & non à Deo omnia essent consequuti, neque eam in Deum auctorem retulerunt, eique subijci recusarunt, vt docet D. Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei cap.13.& concione 2.in Psalm.70. & Gregor. lib. 34. moral. cap.14. ità hæreses non aliundè, quàm ex superbia nascuntur: [Quis hæreticorum non in superbiam extollitur?] ait D. Hieronymus in cap. 1. Abdiæ, [Ecclesiæ simplicitatem paruipendens, & fidem imperitiam reputans?] & in cap. 16. Esaiæ: [Quis hæreticorum non superbus est, qui Ecclesiasticam despiciens simplicitatem, ità habet Ecclesiæ homines quasi bruta animalia, & in tantùm superbiæ, iniuriæque tumore erigitur, vt contra ipsum Creatorem armet os suum, detrahens Prophetis eius.]

Et D. August. lib.de Pastor. cap.8.[Diuersis locis, inquit, sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes hæreses genuit, sicut

vna

vna mater nostra Catholica Ecclesia omnes Christianos fideles toto Orbe diffusos. Nonne quemadmodum Lucifer sua per superbiam velut priuata potestate elatus,] vt scribit D. Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei cap. 13. [suo recusauit esse subditus creatori, & à societate sanctorum Angelorum se separauit, cæterisque Angelis auctor fuit à Deo deficiendi, sic isti per superbiam Christo subesse voluor, dum ministris ab eo ordinaris subijci recusant,& ab Ecclesia Catholica, à societate, inquam, Sanctorum recedunt, quotquot possunt in eandem secum perditionem conijcientes.] Idem alio loco, [Lucifer, qui mane oriebatur, & cecidit, potest intelligi Apostatarum genus, vel à Christo, vel ab Ecclesia, quod ità connectitur ad Deum, à tenebris ad lucem transeunt, idest, qui fuerunt tenebræ fiunt lux.] Lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 24. An desceimus ab eorum Ecclesia, an non isti à nostra, non igitur nos, sed illi reprobos Angelos in Cœlo imitantur, cum de Cœlo, hoc est de Christi Ecclesia, quæ etiam Regnum Cœlorum in scriptura dicitur, sese in batrathrum inferni miserè præcipitant.

[Errauit quidem primus parens in Paradiso,] non tamen peccato infidelitatis, aut hæreseos, vt aliquem haberet errorem intellectu, [sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus,] vt scribit D. Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei cap. 11. & lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 24. [Nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditijs fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum,ità credendum est illum virum suæ fœminæ vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem transgrediendam. non tanquam verum loquentì credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse.] Ità certè errare potest quilibet in Ecclesia existens, quæ non ex iustis dumtaxat, sed & ex peccatoribus constat, nec ideò dicitur sancta, quòd omnes in Ecclesia Sancti sint, immunes à peccato, sed & à sanctitate doctrinæ, à sanctitate item morum,eo sensu quòd nemo extrà illam sanctus, quòdque quemadmodum in ea peccatores, ità perpetuò sint aliqui iusti, & sit instar magnæ domus, in qua sunt vasa aurea, & argentea, lignea item, & fictilia. Si igitur errauit Ecclesia, vt Adam in Paradiso, non certè in superstitionis, aut idololatriæ, aut etiam hæreseos crimen, sed in aliud peccatum contra diuinum aliquod præceptum magis lapsa fuerit, cum tamen ità vnquam errasse totam Ecclesiam sine temeritate asseri minimè possit, vt cui vnquam defuerint homines sanctitate vitæ valdè insignes, & ambulantes in omnibus mandatis,& in iustificationibus Domini, qui sint velut lilium inter spinas: lucerna lucens in caliginoso loco, luminaria in mundo fulgentia. [Errauit, inquit, Iacob inter ipsas dei visiones.]

Non certè, quòd superstitionis, aut idololatriæ crimine laborauerit, aut diuinis promissionibus minùs credulus fuerit, aut diuinas, apparitiones illusiones quasdã reputauerit, aut quid sibi vellent visiones illæ,& diuinæ promissiones,minùs intellexerit,aut quòd putauerit,verùm esse,quòd esset falsum,aut falsũ, quòd esset verum, sed eo sensu errauit, quòd pergens iussu parentum in Mesopotamiam Syriæ, aliquando à recta via deflexerit, quæ propria est significatio verbi eo sensu,quo Genesis 37. dicitur: [Vir quidem inuenit Ioseph errantem in agro.] Mornæus quemadmodum subtiliter, & ingeniosè paulò infrà probat ex equo illo Troiano in Vrbem recepto reclamantibus multis insidias veritis, & subodoratis in Ecclesiam nostram Græcarum impietatum epitomen receptam. Ità errores *polytropou* illius Vlyssis. *Os mala pollà plachthi, epei Troiis ieron ptoliethron epersé*: nostræ Ecclesiæ poterat accommodare, indèque ostendere eam errasse, quòd Israel errauerit, at non Moyses, neque Aaron, neque Leuitæ, adeòque Synagoga ipsa, in his, quæ ad religionem, & Dei cultum spectabant, de quibus à Deo docebantur: quod siquidem illorum non crediderint, an incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit: Est autem Deus verax, omnis homo mendax. Nunquid excidit illa promissio facta Abrahæ, [Ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te. Nonne populo ferè ad idololatriam labente, Leuitæ zelo Dei accensi magnam stragem fecerunt, & consecrauerunt manus suas Domino,vnusquisque in fratre, & proximo suo. Exod. 32.

Ità sub iudicibus, sub Regibus, sub primo,& secundo templo non defuerunt vnquam fideles in Iuda, qui cum Pontifice ex stirpe Aaronis, & Leuitis in doctrina fidei, & motum consentirent, Templum illud Hierosolymitanum venerarentur, legem studiosissimè obseruarent, cum nec deessent etiam tales in Israel sub *Regibus idololatris*. Quòd si sub primo, sub secundo Templo est erratum, non ideò tamen, quòd primum Templum à Salomone ædificatum, secundo, sub Zorobabele sit restitutum, nec ideò quòd populus summo Sacerdoti obsequeretur, & cùm Sacerdotibus,& Leuitis à Domino ordinatis in Religione consentiret. Isti verò reformatæ Pseudo-ecclesiæ Ministri, Templa Domino consecrata demoliuntur, Sacerdotum Domini,& Leuitarum hostes sunt infestissimi, summo Pontifici à Deo ordinato, cuius vmbra erat magnus Sacerdos Synagogæ, tantum abest, vt obtemperent, vt eum atrocissimis iniurijs insectentur,vt non mirum sit eos, Dro ità iustè permittente, in tot,tantosque errores prout [abyssus abyssum inuocat] fœdissimè labi, spreta scilicèt Ecclesiæ auctoritate, quę & columna, & firmamentum veritatis, contempto iudicio Summi Pontificis, cuius est confirmare fratres suos, & si quæ in rebus fidei controuersiæ oriantur, quid tandem sentiendum definire?

[Errauit deinque legalis doctrinæ studio tumida, in Christo Domino reiciendo, crucifigendo, proindè in salute ipsa: quidni iam, cum vtrumque ab eodem genio, ingenio, cum vtrumque eiusdem fidei, ab eodem ore profectum, in Antichristo,in homine illo peccati, perditionis filio, admittendo, adorando.]

At longè dispar ratio Ecclesiæ, & Synagogæ:siquidem iam olim per Prophetas prædictus erat Synagogæ, illiusque Principum sub Christi aduentum lapsus à fide,vt illorum delicto salus esset Gentibus. Ità Esaia, [Exczca

cæca cor populi huius, & aures eius aggrana, &c. quibus subijcit, multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ, &c.] Quòd de Ecclesia Gentium constat intelligi. De eodem tempore Daniel cap. 9. [Non erit eius populus, qui eum negaturus est,] & Ezechielis cap. 7. [Lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus.] Michæus cap. 3. Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione.] Et quidem lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Non mirùm igitur si in Christi persona, & doctrina damnanda populus ferè ille iudaicus, cùm Pontificibus, & Sacerdotibus errauerit, cum id totum ferè longè antea prædictum esset, vt illorum delicto salus esset Gentibus, & vt delictum eorum diuitiæ essent mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium. Ibi mysterium est, de quo Apostolus, Rom. 11. [Nolo ignorare fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, vt plenitudo Gentium intraret, sed de Ecclesia Christi, quam supra petram ædificaturum se esse dixerat, cui promisit se adfuturum vsque ad consumationem seculi:] Cui Doctorem omnis veritatis promiserat Spiritum sanctum suo aliquando tempore ruitura, ac penitùs defectura, ostendant aduersarij aliquas Prophetias, aut diuinas prædictiones: Immò eam perpetuò mansuram, vsque ad finem seculi nos certiores faciunt diuina ipsa oracula.

Esaiæ cap. quinquagesimo nono: [Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui,] dicit Dominus: Amodo & vsque in æternum, vbi est clarissima descriptio noui fœderis cùm populo Christiano, tale id futurum esse, vt Spiritus Christi datus Ecclesiæ, & verba eius Ecclesiæ prædicata, & scripta in cordibus fidelium à semine in semen, à generatione in generationem, à prima eius propagatione per continuas successiones perpetuò sit duratura. An non verò substituenda erat Ecclesia in locum Synagogæ, an non expectabatur Messias, qui nouam legem promulgaret, nouam Ecclesiam, nouum Sacerdotium, & sacrificium, & alia Sacramenta institueret? At nunc non alius Messias, non alia Ecclesia, non alia veritas, aut fidei doctrina, quæ tradita ab Apostolis, succedat, expectanda nobis est? Et licèt idem fundamentum, & caput habeat illa Synagoga, Christum scilicet mediatorem, sed venturum, & eundem spiritum fidei, eundem quoque finem propter eandem spem vocationis suæ. Ità tamen diuersus erat vtriusque status, & conditio, vt non easdem dotes, nec parem firmitatem haberet, cùm Ecclesia propter singularem Christi iam manifestati gloriam, propter abundantiorem effusionem Spiritus sancti, & ipsius veritatis, cessantibus figuris, & vmbris exhibitionem: longè ergo alia ratio Synagogæ, & Ecclesiæ, vt si illa errauerit in Christo reijciendo, crucifigendo, consequens non sit Ecclesiam errasse in Antichristo, vt iste ait: admittendo, adorando. Nos verò longè firmioribus argumentis ex Scriptura Sacra ostendemus toto Cœlo Mornæum cum omnibus reformatæ, & purioris Pseudo-Ecclesiæ sectatoribus à veritate aberrare. Errauerunt Angeli in Cœlo præ superbia, quòd Deo subijci renuerint, & à societate Sanctorum Angelorum nimia elatione sese distraxerint: errant igitur & isti, cum ei subijci recusant, quem Dominus constituit super familiam suam, & Pastorem ouibus suis præposuit. Errauit Pharao cum Ægyptijs cum indurauit cor suum, & Deo per Moysem loquenti obedire recusauit, nec tot signis diuinæ veritatis, ac voluntatis testimonijs adduci vnquam potuit, vt resipisceret, sic isti errant scilicet indurati, & excæcati à malitia sua, vt in apertissima luce scripturarum caligent, nec veritatem ipsam intueri possint: Tot sanctorum Patrum, qui per omnia secula Ecclesiam doctrina sua illustrarunt testimonijs, vt sacrorum Conciliorum decretis, ac definitionibus, quæ tanquam diuina oracula iudicari debent, reluctentur. Errarunt Chore, (ait Cyprian. epist. 65. ad Rogatianum.) Datan & Abiron, cùm aduersùs Aaronem sacerdotem à Deo vocatum, & ordinatum, ausi sunt superbire, & ceruicem suum extollere, & Sacerdoti præposito se adæquare: vndè hiante terræ absorpti, & deuorati pœnas statim sacrilegæ audaciæ persoluerunt: Nec illi soli, sed & cæteri 250. qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente à Domino igne consumpti sunt.

Errant igitur, & isti cum prænimia superbia Pontifici Diuinitùs ordinato non modò subesse recusant, sed eum tam atrocibus iniurijs perstringunt, quas Dominus tamdem pœnis infernis vindicaturus est. Errauerunt Pseudo-prophetæ, qui currebant, & Dominus non mittebat eos, qui cum mendacia loquerentur, & populum deciperent, se tamen diuino Spiritu afflatos loqui, & verbum Domini proferre iactabant.

Errant igitur, & isti, qui cum somnia sua, & errores pestiferos populis obtrudant, se tamen veritatis Doctores, & verbi Diuini acerrimos vindices videri volunt. Errauit Ieroboamus ille sacrilegus, cum populum in idololatriam induxit, eique factus est auctor anitæ religionis deserendæ, & altare contra altare erexit, prohibuitque ne deinceps pergerent in Ierusalem Dominum adoraturi, prout lege constitutum, & à Deo ordinatum erat, vbi & Summus Sacerdos præerat templo, reliqui Sacerdotes aoriqui sacrificia quotidiana per vices Deo offerebant, & Leuitæ munia sua obibant.

Errant igitur, & isti Hieroboami imitatores, qui populum à sacra religione, & ab Orthodoxa fide auertunt, nouos Deos exigunt, hoc est noua dogmata inducunt, ad eaque colenda fraude, aut etiam de vi deceptas animas adigunt.

At cui fiat verisimile magnum illum Mornæum arte, & marte insignem, Mineruam illam Gallicam, hominem omnibus legibus, & scientijs ornatum, armis decoratum, non veritate illustratum, sed erroribus implicatum, habere intellectum? [Audi mi homo, (ne te hæc præpostera fiducia decipiat.) quid scribat Vincentius Lirinensis cap. 24. aduersùs hæreses de magno illo Origene, qui fama nominis sui totum Orbem compleuit, cùm Mornæus Christiani Orbis incendiarius non aliter, quàm de celebri illo certamine, quo apud fontem Bellaquæum occubuit, sit notus.

notus. [Hic Origenes tantus, ac talis dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimiùm indulget, sibique satis credit, cùm parui pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula nouo more interpretatur;] Vt Mornæum ad viuum exprimi intelligas, qui tamen ad Origenem comparatus sit culex ad elephantem.] Metuit, vt de se quoque Ecclesia Dei diceret, si surrexerit in medio tui propheres, & dixerit, eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignotas, & seruiamus, non audies verba Prophetæ illius, &c. Monemur igitur, vt neque Pseudo-prophetam istum vana somnia fingentem inani scientiæ opinione inflatum, nouam Ecclesiam, nouum Euangelium obtrudentem, nouos Deos, hoc est noua dogmata fingentem, hæreticalium errorum compilatorem audiamus nobisque persuadeamus, si Origenes errauit tantus, ac talis vir columna primùm Ecclesię, vt vnum è multis producamus, nihil absurdi esse, si errant, & isti rabulæ. Quò verò reijciat nostræ Ecclesiæ errorem Mornæus, paulisper attendamus.

[Et verò errauit verbo Dei neglecto, errabit porrò quotiescumque pixidem hanc nauticam omittet, incerto illi protinus Cœlo salo, solo, vt iam quòd errauerit, quòd erret suis cogitationibus permissa, nihil mirùm sit, & supra miraculum si absque illa, vel momentum cursum teneat suum, non illicò, aut scopulis allidatur, aut in male fidum littus defixa prora, soluta puppi, impellatur potiùs, quàm appellatur.] Hæc planè digna sunt, quæ expendantur à magno illo vate Mornęo *ex tripodos* dicta, sed de veritate oraculorum Apollinis parùm constabat, cum vt plurimùm ambigua essent, aut falsa, & Pythia illa *philippizin* aliquando diceretur, quòd oracula ad mentem Philippi Macedonis aliquando proferret, sed longè maius sacrificium, cùm oracula verè diuina, sacræ, inquam, scripturæ testimonia cogantur *philippizin* scilicet ab isto Philippo, ad mentem suam accommodantur, quæ eò neglegimus, quòd in eumdem cum illo sensum non conspitemus, nam quomodo aliàs verbum Dei neglegimus, qui Deum per Scripturas sacras nobis loqui nihil ambigimus, de earum veritate, vel minimum dubitare nefas esse iudicamus.

Vndè verò contra aduersarios probamus sacrificium Missæ, realem existentiam corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, tot esse Sacramenta nouæ legis, reliquaque fidei pręcipua dogmata, auctoritatem prętereà Romani Pontificis, Ecclesiam visibilem Catholicam omnis erroris expertem, nisi ex scriptura sacra? Non ergo errauit nostra Ecclesia, quòd neglexerit Dei verbum.

Quid potuit sanctiùs de scriptura sacra definiri, quàm quod decreuit sacrosancta Tridentina Synodus sess. 4. vbi primum contexuit canonem sacrorum librorum, deindè statuit. [Vt ipsa vetus, & vulgata editio, quę longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, & in publicis lectionibus, disputationibus, prędicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prętexto audeat, vel pręsumat: prętereà ad coercenda petulantia ingenia, cuiusmodi est Mornæi, & gregalium illius, decreuit, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sacrarum, aut etiam contra vnanimem consensum patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, &c.]

Idem statuit, & decreuit, vt sacræ Scripturæ lectio in Ecclesijs maximè Cathedralibus instituatur, nec cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, aiunt Patres, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit neglectus iaceat.

Idem hortatur Episcopos, vt in ipsorum mensis dininarum Scripturarum lectio admisceatur. In omnibus diuins officijs apud nos Scriptura sacra legitur.

Quomodo igitur errauit vmquam, aut errat Ecclesia nostra verbo Dei neglecto? quia fortassis editiones Geneuensium, aut alias ab hereticis obtrusas respuimus, ideò verbum Dei neglegimus, quia docemus veritatem, & disciplinam Orthodoxam contineri non modò in libris scriptis, sed in traditionibus non scriptis, quæ priùs Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt, ideò Mornæi iudicio verbum Dei negligimus.

Quid igitur illud est, *quod disertè* scribit Apostolus, state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

Sed de his infrà paulò fusiùs. An ideò verbum diuinum præsumenda negliere nostra Ecclesia, quòd multos prętereà sacros canones Apostoli ipsi, & sacra Concilia, quæ & isti profitentur se admittere, condiderunt, quæ ipsa Ecclesia, velut diuina quædam oracula suscipit, ac Diuinitùs inspiratos Patres condidisse nullo modo ambigit? nobis pixis nautica est sanctæ matris Ecclesiæ auctoritas. Cuius, vt asserit sacrosancta Synodus Tridentina, est iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum: vnanimus prætereà Patrum consensus, quos vbi in aliquo dogmate, aut scripturæ sensu conueniunt, minimè errare certum est.

Denique Sedes ipsa Apostolica, quam in controuersijs Christianæ fidei semper Patres ipsi consuluerunt, vt non mirum, si isti spreta Ecclesiæ, & sanctorum Patrum auctoritate, contempto Sedis Apostolicæ iudicio in interpretandis Scripturis sacris, tot scopulis alliduntur, in tot errores, inquam, præcipitantur.

Sed quia Mornæus numquam huic quæstioni respondisse visus est, quando primùm tota Ecclesia errauerit, Antichristum primò exceperit, loco fidei perfidiam, & idololatriam amplexata fuerit, ideò subriliter, & ingeniosè modum huiusce difficultatis nunc dissoluit. [Hoc amice, in tenebris peragebatur, & furi comparatur Antichristus, qui parietem intempesta nocte fodit.]

Hæc

Hæc certè sine vllo fundamento dicuntur, oam & omnes hæreses opera sunt tenebrarum, quæ tamen, quibus temporibus, & locis, & auctoribus prodierint, & quando condemnata fuerint ab Ecclesia, ex scriptoribus probatis, & fide dignis constat,

Quando, & qua hora prodiderit Christum Iudas, etsi in tenebris, non tacuerunt sacri Euangelistæ.

Quando Mundus ab initio apostauerit, & omnis caro corruperit viam suam, quando populus Israel sub Iudicibus, sub Regibus in idololatriam deflexerit, & maximè sub impio Hieroboamo, testantur ipsæ Scripturæ.

Quando Orbis Monarchiæ primùm conditæ sunt, & à quibus, & quando conciderint, omnibus vulgò constat. Dicant igitur isti quando Ecclesia Romana, omnesque cum ea Ecclesiæ primùm errauerint, vt desierit esse Christi Ecclesia, & facta sit Sedes Antichristi.

Scimus enim quando primùm fides Christi, & lex Euangelica promulgata sit per Orbem, quæ nationes, quibus temporibus religio Christiana nomen dederit, quomodo ergo ignoratur momentum illud, seu tempus, quo error totum ferè Orbem inuasit, quando facta meretrix ciuitas fidelis, dereliquit Dominum, & adhæsit idolis, Christo renunciauit, Antichristo hoste illius recepto, auctorem vitæ cum Iudæis interfecisse visa est, & perijt virum homicidam dari sibi? Et quid verisimile est scribebat Tertullianus, vt tot, ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint, nullam respexerit Spiritus sanctus, vbi eam in veritatem deduceret ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de patre, vt esset Doctos veritatis, neglexerit officium Dei villicus Christi Vicarios, sinens Ecclesias, interim aliter intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prędicauit? Metæ itàque impostura vesanorum hominum sunt istæ. Subiungit Mornæus:

[Quia igitur vigilia opus aggressus sit vestrum propriè scire, iudicare quos tanto ante tempore à Domino præmonitos, quin & in excubijs collocatos fallere non debuit, quorum proinde, aut lata negligentia, aut malo dolo arcem Romanam proindè, & Ecclesiam vestram inuasit.

Au nostrum propriè scire, aut iudicare, quod nusquam contigisse contendimus. Id asserimus, eam esse Christi Ecclesiā, quæ toto Orbe terrarum diffusa in eadem doctrina fidei conspirat sub Romano Pontifice tamquam supremo Pastore, id ex scriptura sacra, ex Concilijs, ex Patribus ostensuros, nos recipimus, eam esse columnam, & firmamentum veritatis, quæ errare non possit, & Doctorem illius esse Spiritum sanctum scripturæ ipsæ docent, hanc esse non inuisibilem latentem in deserto, sed visibilem, & conspicuam ex iisdem scripturis probamus.

Antichristum futurum singularem hominem sub finem Mundi venturum ex scriptura, & ex traditione habemus, Ecclesiam verò nostram totam errasse, Antichristum excipisse, qui in eam superstitionem, & idololatriam induxerit, tàm nostrum scire, iudicare, quàm Belial esse Christum, quàm tenebras esse lucē, perindè agit nobiscum Mornæus, ac si contendissent Ariani.

Catholicorum esse scire iudicare filium non esse Patri consubstantialem, & coeterum ex substantia ipsius Patris genitum, & eumdem cum eodem, à qua blasphemia plurimi abhorrebant, ab scripturis contrarium omninò ostendebant Donatistæ. Catholicorum tum fuisse scire, iudicare Ecclesiam in sola Africa remansisse, & de Orbe terrarum perijsse, sicque de cæteris hereticis, ità quæ isti sacrilega tradunt dogmata volunt nostra interesse scire, & iudicare.

Tam verò præmonemur à Domino, vt caueamus à Romano Pontifice, à doctrina S. Romanæ Ecclesiæ, quàm Romanus Pontifex est Antichristus, & quàm sancta Romana Ecclesia Sedes est Antichristi.

Monemur quidem à Domino vigilare, more militum excubias agere, quia nescimus quando Dominus venturus sit, quando nobis totius vitæ nostræ sit reddenda ratio: Monemur, & futurécturos multos Pseudo-prophetas, & seducturos multos, etsi quis nobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, (sicue Mornæus cum suis gregalibus sibi Christum, Ecclesiam, verbum Domini asserit reprobato Orbe Christiano: post habitis omnibus vndique Episcopis, & Ecclesiæ Doctoribus) nolimus credere. Monemur, & ab Apostolo Paulo, qui spiritu Prophetico fore multos seductores longè antè præuiderat, vt prophana & vaniloquia deuitemus, multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, vt cancer serpit.

Atqui verisimile fiat eam latam negligentiam, quæ propè fraudem accedit, aut dolum malum omnes simul Ecclesias, omnes Christiani Orbis Antistites, & Doctores simul occupasse, vt nemo tum se nimirùm opposuerit pro domo Dei? Quomodo igitur scribit Apostolus, Christum dedisse suæ Ecclesiæ, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores ne circumferantur omni vento doctrinæ, si ea Ecclesia, quæ illis constat charismatibus, & ordinibus tota aberrauit? qui fieri potuit cùm anteà exurgentibus hæresibus illis, statim opprimendis sollicitè inuigilarint, non modò Antistites Ecclesiarum, quorum id præcipuè, sed & Christianissimi Imperatores, indè Concilia illa prima vniuersalia illorum opera, & Summorum Pontificum auctoritate indicta, & celebrata tunc temporis, cùm arcem Romanam proinde, & Ecclesiam nostram Antichristus inuasit, omnes totius Orbis Ecclesiæ in eadem fraudem inductę sint, nemo reclamauerit Episcoporum, tanta cęcitate sine percussi, & eo somno oppressi, vt non senserint non quidem sensim, & pedetentim, sed vno veluti impetu sacram religionem euerti, & superstitionem, ac idololatriam induci. Hoc certè mysterium est, cui nemo explicando pręter vnum Morneum idoneus sit, ideoque ab eo tanti mysterij interpretationem expectabamus, hic nodus Gordius, cui soluendo forte quadam nonnisi magnus aliquis, vt nostro seculo Morneus ex rerum bellicarum gloria, & sacrarum literarum mirabili tractatione à suis gregalibus hoc cognomeo adeptus, diu desideratus expectabatur.

Quis verò dolus ille malus, vt aliud ageretur, aliud simularetur, ità enim dolum ma-

lum definiebat C. Aquilius auctore Cicerone offic.3.& in Topicis,cum aliud agitur, aliud simulatur, D. August. serm. 22. de Iacob, & Esau. Dolus ergo quid est, quando aliud agitur, aliud simulatur. Quando itaque aliud est in intentione, aliud in factis dolus dicitur.

An igitur simulabant religionem, superstitionem, & idololatriam inducebant? An Christiani nominis professores in eam fraudem inducebant, vt putarent se Romanum Pontificem tamquam Christi Vicarium,& Petri successorem venerari, interim Antichristum, Christi, inquam, hostem exciperent? [Certè non nisi ex magna causa, & euidenti calliditate datur actio de dolo malo, ff. de dolo malo l. & elegante, §. fin. & dolum ex iudicijs perspicuis probare conuenit.]C. cod. tit, l. dolum, quam verò causam habet Mornæus, aut quæ indicia, vt in Ecclesiam nostram agar de lata negligentia, aut de dolo malo? [Nec certè sufficit ad dolum imponendum sola doli contestatio, nisi probatio accedat. C. de dolo malo l. dolum. Notat etiam Vlpianus,hanc actionem de dolo malo passim indulgentiam non esse, D. de dolo malo l. si oleum §. fin. & quibusdam personis non dari, l. non debet dari, vt libertis & libertis aduersùs parentes, & patronos, cùm sit famosa. Sed nec humili aduersùs eum qui dignitate excellit, aut vili aduersùs hominem vitæ emendatioris.] An igitur perduellibus istis in Ecclesiam Romanam, omnesque cum ea Ecclesias, in omnes Christiani orbis Episcopos, & Doctores indulgenda actio doli mali? Sed nos veriùs doli mali istos conuincimus, siquidem dolus est, vt definit Basilius in Psalm. 33. ad ea verba. [Labia tua ne loquantur dolum: maleficium occultum proximo oblatum sub prætextu, & simulatione rei melioris, & priùs in Psalm. 14. ad ea verba. Quæ dolum non egit in lingua sua? Quandocumque quod bonum est, prioris commixtione adulteratur, dolus dicatur, vt vinum dolum sustinet, dum & admiscetur peius, vt si aqua illi præter modum,temperiemque infundatur, item aurum falsatur, dum cum argento, & ære coit. Sic & veritas dolum patitur, quando qui malè audiuit sermones, inserti fuerint, ac implexi sanctis scripturæ eloquijs.]

Mornæus autem vinum verbi diuini vertit in absynthium, & fel amaricans, idem in regulis breuioribus, [dolus est,ea,quæ ad insidiandum adhibetur exquisita sollertia,]quotiescumque videlicet quis per simulationem alicuius boni, in eo alicui perindè, vti esca quadam obiecto, quæ ad insidias pertinent, exequitur, sic isti pollicentur veritatem sub illius nomine, interim pestiferos suos errores spargunt in vulgus, verbum diuinum semper habent in ore, atque ità specioso nomine sua tegunt mendacia.

[Ridiculus verò hydropicus fortè tu es, tibi ipse iniquus, &c.] Illud Horarij videtur imitatus lib. 4. epist. 2. [Vt teipsum serues non expergisceris? Atqui si nolles sanus, curres hydropicus.] Verùm quò periculosiores morbi animi, quàm corporis,eò hæreticum esse,vndè animæ pernicies, & salutis dispendium,longè perniciosus quàm hydrope laborare, sed qui sibi nequam, cui bonus? In sequentibus, quando tandem, & qua arte Antichristus Ecclesiam inuaserit, docere se putat Mornæus,

Vis scire, ex quo Antichristus Ecclesiam, quam iam insidet, cui pridem imminebat, inuaserit. Surreptum sanè ante Palladium Ecclesiæ oportuit, quàm equus ille fatalis admitti posset, verbum Dei, Scripturæ sacræ candelabrum sub modio ante abscondi, quàm fur ille obrepere primùm indè grassari auderet; quo stante circumsideat frustra Ecclesiam superstitionum colluuies, à Troia nostra, vallo & pomerijs, nedum ab atrio, templo, adyte, procul facessere iussa.

QVàm subtiliter,& ingeniosè ex verbo diuino ostendat à nostra Ecclesia verbum Dei neglectum, indè in eam superstitionum colluuiem inuectam, facilè quilibet perspiciat, scilicet ex allegorica expositione Troiani illius Palladij,de quo responderat aliquando oraculum, [mansuram vrbem quamdiù in ea Palladium :] Nam Palladium illud iuxtà sublilem expositionem Mornæi verbum diuinum est, Troia Ecclesia nostra, quod probatu illi facilè, siquidem Troia cœlitum egregius labor, *ergon athanaton*, opus immortalium, diuum domus, Ilium, equus ille Troianus receptaculum Græcarum superstitionum in vrbem, non nisi sublato Palladio introductus. Sed plurimùm hallucinati mihi videtur]Mornæus, siquidem proprium est sacræ scripturæ multiplices habere sensus, vt docet D. Gregorius, lib. 20. moral. cap. 11. [Sacra scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit, quia vno, eodemque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium,] & quemadmodum scribit, Diuus Thomas, 1. par. qu. 1. art. 10. [Auctor sacræ scripturæ est Deus,in cuius potestate est, vt non solùm voces ad significandum accommodentur, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas: & ideò cùm in omnibus scientijs voces significentur, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces,etiam significant aliquid. Illa ergò prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus hystoricus, seu literalis, illa verò significatio,qua res significatæ per voces,iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis.] Atque hæc est doctrina Theologorum communis.

Quid igitur iste nobis in re tanti momenti, an aliquando Ecclesia nostra erranerit, an loco Christi Antichristum, loco religionis superstitionem & idololatriam exceperit, profert allegoricam expositionem Palladij Troiani? an istud verbum diuinum est? Omnia quidem in figura contingebant patribus illis veteris testamenti, & quæcumque

age-

agebantur in illo populo, instituta erant in significationem Ecclesiæ, & eorum, quæ futura erant in populo Christiano, non ità certè aut Palladium illud, aut equus Troianus, aut decantatum illud ab Homero, & alijs scriptoribus bellum Troianum. Deindè ex sensu scripturæ allegorico non ità ducitur certum argumentum fidei, quemadmodum ex sensu literali, nisi nobis ille sensus sit declaratus ab Ecclesia, vel in alio loco scripturæ sacræ, vel ex communi consensu sanctorum patrum, aut ex traditione Apostolica constet eum esse sensum spiritualem scripturæ: Ità D. Dionysius epist. 9. ad Titum ait. [Theologiam symbolum ad Deum animandum valere quidem mentibus hominum, sed non valere ad persuasionem, neque ad demonstrationem.] Ideò D. Augustinus epist. 48. ad Vincentium Donatistam. [Donatistas impudenter facere dicit, quòd de se aliquid interpretentur in sensu mystico, si non habeant aliquem alium locum, vnde confirment illum sensum mysticum,] & D. Hieronymus in cap. 13. Matth. explicans illum locum de fermento à muliere abscondito in farinæ satis tribus, vbi quorumdam recitauit expositionem, qui parabolam illam applicabant ad Trinitatis personarum, & vnitatem essentiæ, dicit, [hunc sensum esse quidem pium, sed ex parabolis, & coniugalibus non posse duci certum argumentum ad confirmandam fidem.]

Quorsum igitur nobis isto in re tanti momenti, quam scire omnium interest ad salutem, Palladij Troiani allegoricam expositionem obtendit, hoccine verbum est diuinum, de quo tantoperè gloriari soleat, & quod neglectum à nobis subindè vociferantur? Nos etiam exagitat quòd verbum non scriptum, hoc est traditiones verbo scripto, oraculis sacris adæquamus.

[Draco ille antiquus traditionem verbi, *agraphoy*, non scripti specie Ecclesiam traditam proponere furtim, insinuare, hanc prudentia carni carni affinem, philautiæ natiuæ congenerem gratanter excipere, verbo scripto, oraculis sacris adæquare.] Atqui in hoc sanctorum Patrum, & Primitiuæ Ecclesię doctrinam sequimur, D. Dionysius lib. de Ecclesf. Hierarch. capit. 1. [Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces in ijs, quæ nobis sunt familiaria, summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis (iuxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.] D. Irenæus lib. 3. cap. 2. veteres illos hæreticos notat, quòd neque scripturis, neque traditionibus consentirent: Tertullianus lib. de corona militis aliquot traditiones recenset, quæ per vniuersam Ecclesiam obseruantur, nec scriptura continentur, [vt à baptismate, inquit, ingrediar aquam adituri, ibidem sed & aliquantò prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius, de hinc ter mergitamur, amplius aliquid respondemus, quàm Dominus in Euangelio determinauit, indè suscepti lactis, & mellis concordiam prægistamus, exque ea die lauacro quotidiano, per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & in omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manibus, quàm de præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus, die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de genetulis adorare. Eadem immunitate à die Paschę in Pentecostem gaudemus.] ità de diligenti custodia Eucharistiæ, & de crucis signaculo à Christianis vsurpari solito subiungit, [traditionum, ac tandem harum, inquit, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules, scripturarum nullam inuenies. Traditio tibi protenditur authrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.]

Origenes ipse dum tabernaculi instrumenta cur velata humeris sacerdotum portarentur in libro Numerorum exponit, multa prodit, quæ in Ecclesia non scripto, sed veterum ad nos venerunt traditione. Eusebius lib. 1. de demonstrat. Euang. cap. 8. scribit, [partim literis, partim sine illis multa seruanda commendasse Apostolos.] Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè, vel tenuiter expertus est, quæ sunt iura Ecclesiastica:] Vbi & enumerat aliquot traditiones non scriptas, vt signo crucis eos, qui spem collocauerunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? vt ad Orientem precemur, quæ nos docuit scriptura? Inuocationis verba, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? [Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat (Apostolus ait) Euangelium.]

Verùm alia quoque, & ante, & post dicimus tamquam multùm habentia momenti ad mysterium, quas ex traditione citrà scriptum accepimus. Consecramus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum, qui baptismum accipit, ex quibus scriptis: nonne à tanta, secretaque traditione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto productus docuit? Iam ter immergi hominem vnde est traditum. Reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis eius, ex qua scriptura habemus? nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quòd curiosos, & otiosos summouerunt? Diuus Hieronymus lib. aduersùs Luciferianos has easdem ferè, quas Basilius traditiones citat. Epiphanius hæresi 61. contra Apostolicos, [Oportet & traditione vti, non enim omnia à scriptura diuina accipi possunt, quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus, Sicut tradidi vobis, & alibi, Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesijs.] Chrysost. homil. 4. in 2. caput posterioris ad Thessal. in hæc verba. [State, & tenete traditiones. Hinc patet, inquit, quòd non omnia per epistolam tradiderint, sed etiam multa sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itàque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus, traditio est, nihil quæras amplius.] Baptismum paruulorum traditionem

esse Apostolicam docent Origenes in cap. 6. epist. ad Romanos. D. Augustinus lib. 10. de Genesi ad lit. cap. 23. & lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. vbi & hanc regulam statuit. [Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est non nisi Apostolica auctoritate traditum, rectissimè creditur.] Vnde verò Euangelium secundùm Matthæum ab ipso verè esse scriptū contra Faustum Manichæum id inficiantem docet, nisi ex traditione, quæ ab Apostolicis sedibus vsque ad præsentes Episcopos certa successione peruenerat. [Baptismum ab hæreticis collatum repetendum non esse ex Apostolorum traditione, etsi in eorum literis non inueniatur lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 6. docet, Domini Passionem, Resurrectionem, Ascensionem in cœlum, & aduentum Spiritus sancti de cœlo, anniuersaria solemnitate non scripta, sed tradita obseruatione celebrandam epist. 118. cap. 1. scribit, & cap. 6. Eucharistiæ Sacramentum Apostolos non accepisse ieiunos, placuisse tamen Spiritui sancto in honorem tanti Sacramenti à ieiunis semper accipi, moremque hunc per vniuersum orbem seruari.] Alijs D. Augustini, & aliorum Patrum locis repetendis supersedeo, ex his enim satis constat quanti semper Patres etiam primitiuæ Ecclesiæ intrà sexcentos annos à Christo fecerunt verbum non scriptum, seu traditionem, æquarintque verbo scripto, vt quàm nihil sit consentanea doctrina nouorum Euangelicorum cum doctrina primitiuæ illius Apostolicæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum, indè quis intelligat. Et quoniam ad verbum scriptum, ad oracula diuina isti prouocant, vbi quæso scriptum, non nisi verbum scriptum recipiendum esse, & omnem eam doctrinam, seu ad fidem, seu ad mores spectet, quæ non expressis scripturis veteris, aut noui Testamenti contineatur, sed viua voce ab Apostolis tradita ad nos vsque in populo Dei sic seruata, reijciendam esse. Scribit Vincentius Lirinensis, lib. aduers. hæres. cap. 2. [hanc fuisse semper Catholicorum consuetudinem, vt fidem veram duobus his modis approbent, primùm diuini canonis auctoritate: deindè Ecclesiæ Catholicæ traditione, non quia Canon solus non sibi ad vniuersa sufficiat, sed quia verba diuina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones, erroresque concipiant.]

Hæc igitur potissima ratio, cur isti traditiones Apostolicas, & Ecclesiasticas reijciant, quòd scripturas pro suo arbitrio velint interpretari, & si semel traditiones admittant, statim causa cecidisse se videant. An verò ideò Romani ius scriptum negligebant, quia & non scripto vtebantur? vt apud Græcos *ton nomon è men eggraphi, i dè agraphi*, legum aliæ scriptæ, aliæ non scriptæ instit. de iure naturali gentium, & ciuili. Indè verò distinctio iuris in scriptum, & non scriptum, quòd ius Romanorum à Græcis maximè ortum est lib. 2. D. de orig. iuris. Maximè verò ab Atheniensibus, hoc est legibus Solonis d. l. s. & ab institutis Lacedæmoniorum, quod testatur Athenæus lib. 6. & Dionysius lib. 7. Athenienses autem scripto iure, Lacedæmonij non scripto ferè vtebantur, & id apud omnes ciuitates ferè obtinuit, vt partim iure scripto, partim non scripto regantur, nec contrarium est ius non scriptum iuri scripto, imò eiusdem vtriusque auctoritatis, quid igitur habet iste, quòd nostræ Ecclesiæ obijciat, an aliquid detrahit auctoritatem verbo scripto, si ei verbum *agraphon* non scriptum, traditiones, inquam, diuinas, & Apostolicas ei adæquet. Prosequitur Mornæus.

[Legem hanc sæpius tentatam septimo sæculo in septima illa (claudite quæso aures, qui audituri estis, ne tantæ impietis vocibus polluamini, vt verbis magni illius Diui Hieronymi contra Luciferianos dum blasphemię Arrianorum in Christum meminit, vtar) Idololatria Synodo rogare, sancire, anteponere, demùm supponere, opponere.]

Septima illa Synodus secunda est Nicæna congregata anno octauo Irenæi, & Constantini, vt scribunt Paulus Diaconus lib. 3. rerum Romanarum, & Cedrenus in compendio historiarum, Paulus Diaconus refert in annum Christi 781. Cedrenus in annum 786. Cardinalis Baronius in annum 787. nullo modo dubitari posse, quin illa Synodus generalis fuerit legitima, docet optimè Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Imaginibus sanctorum cap. 12. Nam habuit in primis legatos Romani Pontificis, & trium aliorum Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, nec non & Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, omnes consentientes. Adfuerunt Episcopi 350. teste Cedreno. Eidem consenserunt Catholici Imperatores Irene mater, & Constantinus filius.

In ea disputatum est acriter pro restituendis sacris Imaginibus, & earum veneratione, allatis in medium scripturis, Concilijs, & Patribus. Inter Patrum acclamationes, & anathematismos, quibus omnes subscripserant istæ habentur, [Nos venerandas Imagines recipimus, nos eos, qui sic se non habent, anathematismo subijcimus. Nos ijs, qui assumunt dicta, quæ à diuina scriptura contra idola proferuntur in Venerabiles Imagines, dicimus anathema. His, qui vocant sacras Imagines idola, anathema. His, qui dicunt, quia vt ad Deos Christiani, ad Imagines accesserunt, anathema. His, qui communicant scienter ijs, qui iniuriam, & contumeliā Venerabilibus Imaginibus inferunt, anathema. His, qui dicunt, quia præter Christum alius eximit nos ab idolis, anathema, &c.] Erat enim Iconomachis eiusmodi iactatio post Christum, Leonem Isauricum, & Constantinum Copronymum eius filium liberasse Christianos ab idolis.

Non mirùm si sacram illam Synodum damnet sacrilegus Mornæus, à qua damnatus est, à qua ei cum omnibus suis gregalibus toties anathema dictum. Latissima certè differentia est inter Imagines Christi, & sanctorum, quas venerandas definit sancta illa Synodus, & idola gentium? inter cultum, quem sacris exhibemus Imaginibus, & eum, quem idolis Gentiles exhibebant. Deindè si idololatria est venerari sacras Imagines, certè non tum primùm loco religionis idololatria in Ecclesiam nostram inuecta, nec enim in ea Synodo instituta, sed restituta veneratio sacrarum Imaginum, quas sustulerant Leo Isauti-

ricus Imperator, suasu quorumdam Iudæorum, & Constanrinus Copronymus eius filius, vt scribit Zooaras, [non Christianus, non Iudæus, non paganus, sed colluuie quadam impietatis instar Africanarum ferarum, quæ ex diuersi generis coitu multi formes, confusaque specie, & immanirate nasci perhibentur, de quo dum interim sacrosancta aqua baptismi immergeretur, cum stercus exercuisset, Germanum Patriarcham dixisse ferunt id signum esse, quòd is puer sacra contaminaturus esset, & pieratis studiosis magno malo futurus.]

Quod si impij illi, & sacrilegi Imperatores sacras Imagines sustulerunt, & venerari prohibuerunt, prius igitur erant in Ecclesia, & venerabantur. Et quidem Apostolicam esse tradirionem cultum Imaginum, docet Damascenus lib. 4. Orthodox. fid. capit. 17. [An verò ante hæreses, quàm vera doctrina (scribebat Tertullianus) sed enim in omnibus veritas Imaginem antecedit, postremò similirudo succedit:]

Si igitur sacrilegi illi Imperatores sacras Imagines sustulerunt, & earum cultores crudeliter sunt persecuti, doctrina Catholica est, & antiqua Ecclesiæ sacrarum Imaginum veneratio, hæresis earumdem impugnatio: non certè instituit, sed restituit cultum sacrarum Imaginum septima illa Synodus ab Idololatria Iudæo colluuie omnium hæreseon, Mornæo Idololatrica nuncupata, miror, qui non & primam illam Synodum Nicenam pro diuinitate filij contra Arrium congregatam Idololatricam appellet, item & Constantinopolitanam secundam Synodum generalem pro diuinitate Spiritus sancti contra Macedonium celebratam, an non & illis hæresiarchis erant idololatræ orthodoxi, qui filium & Spiritum sanctum, vt diuinas personas supremo latriæ cultu adorandas profitebantur, quas illi sacrilegi in creaturarum numero habendas existimarent, eadem & par Mornæi impudentia, qui velit, quem Christo, beatissimæ Virgini, & sanctis in eorum Imaginibus honorem deferimus, idololatriam esse: Prosequitur suas expositiones allegoricas.

[Simonis tum nomine magis quàm specie, Sinon emergere, varijs artibus imponere, machinam illam Palladij loco recipiendam, Græcarum impietatum epitomem suadere.]

Si proditor ille Sinon, cuius astu Trojanis persuasum est, vt equum illum in vrbem reciperent Simonis æquè, ac Sinonis nomen obtinnißet, magnum certè indè momentum ad probandum, (quod intendebat Mornæus) offendißet: si item machina illa, instar montis equus diuina Palladis arte ædificata, statuarum receptaculum fuißet, & non fortissimorum hostilis exercitus Principum, ac ducum, iam certè causam obtinuerat: si item Palladium verum, & non imaginarium per fraudem primùm ingressi: deindè facta in custodes vi surripuissent, non funditus oppressisset Mornæus, fassi tum essemus non modò prælio, sed & bello nos victos.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fracta vires.

Tum certè non fuisset opus allegoricis confingere, vt per latenres in illa machina hostes Græcarum impietatum epitomen exponeret, historia ipsa, seu literalis sensus certissimum argumentum Mornæo contra nos suppeditasset.

Capys certè tum, & plures alij, quorum melior sententia menti, insidias veriti, subodorati, comburendam inclamare, insigniores Ecclesiæ toto orbe patres dira indè ominari, minari, reclamare, refragari, reluctari.

O Quàm splendidum, quàm impudens mendacium. Qui quæso insigniores toto orbe Ecclesiæ Patres Synodo illi septimæ, in qua restituta est veneratio sacrarum Imaginum, reclamarunt, refragati sunt, reluctati sunt, cùm ante Leonis Cononis impieratem totus Oriens, totus item Occidens sacras Imagines veneraretur? Cum, eo persequente pietatem in Oriente Gregorius II. Pontifex Romanus coegerit Concilium multorum Episcoporum, cum quibus & adstantibus Presbyteris Sedis Apostolicæ, cum cuncto clero, nobilibus etiam Consulibus & reliquis etiam Christianis plebibus adstantibus, vt scribit Anastasius, [decreuit, vt si quis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apostolicę Ecclesiæ fidelem vsum contemnens aduersùs venerationem sacrarum Imaginum, videlicet Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & genitricis eius semper Virginis immaculatæ, atque gloriosæ Mariæ, beatorum Apostolorum, & sanctorum omnium depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, vel totius Ecclesiæ vnitate, atque compage.]

Cùm priùs sæpè dedisset operam auctore Zonara, vt Leonem per literas ab odio Dei reuocaret, & ad cultum sacrarum Imaginum reduceret. Et quidem in Senatu Imperator Leo Conon non rogatis Senatorum sententijs, inconsultis præterea Episcopis, de abrogandis Imaginibus sententiam dixit, ac decretum sanciuit, cui Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, ac doctissimi quique viri restiterunt, ac ingens tumultus à plebe tum Constantinopoli excitatus. An Patres illi Ecclesiæ toto orbe insigniores existimandi, si qui Concilio Oecumenico, Episcopis totius orbis in vnum congregatis de fide definientibus reluctentur? sic nostro tempore Patres toto orbe insigniores erunt Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, Zuinglius, Petrus Martyr, Caluinus, Beza, ac cæteræ istiusmodi pestes, quibus & meritò magnum Mornęum nihil impietate, vel etiam audacia refragandi, reluctandi, Concilijs Oecumenicis, & Ecclesiæ idololatriam imponendi cedentem accenseas.

Constat equidem initio manu militari Iconoclastarum hæreticorum exturbatam fuisse septimam Synodum, & Imperatorum Irenes, atque Constantini filij prudentia in tempus magis opportunum iussam deferri, &

illi

illi quidem erant, qui Iconoclastarum hæresim propinatore illius facto Constantino Copronymo imbiberant, quibus calumnia addebant aliquot Episcopi Iconoclastæ ad hoc conuenientes, vt quæ patabantur, exturbarent ea illis, qui sub eodem Copronymo Ephesinam pseudo-Synodum habuerant, de quibus testatur Anastasius, conatos esse primùm ne cogeretur Synodus, quòd cùm obtinere minimè potuissent, illud enisos, vt eandem iam coactam exturbarent, exturbataque eosdem septimam pseudo-Synodum acclamasse. Isti nimirum sunt, qui tamquam hæretici à Synodo vniuersali condemnati, sed eo nomine patres insigniores Ecclesiæ toto orbe à Mornæo proclamati. Isti sunt eidem, [Capys, & alij, quorum melior sententia menti.]

An verò defuerunt Episcopi toto orbe, qui se definitionibus sanctorum Patrum Concilij Nicæni opponerent, ac diuinitatem Christi Domini, & cum patre consubstantialitatem pertinaciter oppugnarant, erant tamen, & illi Arrianis insigniores Ecclesiæ toto orbe patres, & quotquot obstinati hæretici vmquam opposuerunt definitionibus sacrorum Conciliorum, etiam quæ isti, etsi verbo tenùs admittere se profitentur, an non hostibus fidei insigniores Ecclesiæ toto orbe Patres eodem sensu, & merito, quo qui septimæ illi Synodo vniuersali se opposuerunt Iconoclastæ, tales à Mornæo impudenter appellantur.

At incauti vos, an malè cauti, itâ ferentibus fatis, diuinis vtique vaticinijs, definito tempore implendis. Diuiditis muros, & mœnia panditis vrbis.

Legati vtique Romani Pontificis Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, omnesque illi Patres in septima Synodo congregati, equum illum Troianum, hoc est omnem Græcanicam superstitionem in Ecclesiam admittunt, primusque Thymœtes, quem Pontificem Adrianum tum sedentem in Cathedra Petri facilè interpreteretur Mornæus, molem illam equi, Græcarum superstitionum epitomen,

Duci intra muros hortatur, & arce locari Siue dolo, seu iam Troiæ sic fata ferebant.

Nam queadmodum ordini fatorum, quibus & ipsum Iouem alligatum volunt excidium Troiæ tribuunt Poetæ, itâ quòd septimo seculo loco Religionis, toto Orbe ab Apostolis, & eorum Successoribus propagatę, tot martyrijs confirmatæ superstitio irrepserit, in nostram Ecclesiam fatis illud tribuendum, quæ nec Christus auertere potuerit, iudicat Mornæus, quæ verò Diuina Vaticinia fatorum nomine intelligat, minimè capere me fateor. Nam Prophetarum Oracula Christi Ecclesiam toto Orbe ædificandam, fore conspicuam, & visibilem, ad quam confluerent omnes gentes, eamque numquam interituram disertis verbis expresserunt, [In semine Abrahæ, quòd est Christus benedicendas omnes gentes, Deum Israel, Deum vniuersæ terræ vocandum, Patrem daturum Christo gentes hæreditatem, longè antea prædictum, Christus ipse se super hanc petram, quæ est Petrus, ædificaturum Ecclesiam suam, & portas inferi nō prævalituras aduersus eam:] significauit manifestissimè, quomodo igitur septimo illo seculo superstitio aduersùs Religionem, Antichristus aduersùs Christum, [& portæ inferi aduersùs Ecclesiam prævaluerunt?] non aliter quàm Græci, sic ferentibus fatis, tamdem post decennium, quo Troia obsessa est, eam euerterunt. Quemadmodum olim finxerunt Gentiles Oracula, vt alibi dictum, quibus Religionem Christianam finem breui accepturam prædicerent, ac in terris desituram esse, itâ necesse est eius generis fingat Mornæus, quibus Ecclesiam de Orbe perituram, in solitudinem se recepturam, inuisibilem, ac soli Deo cognoscendam septimo illo seculo antea prædictum sit: Nam certè huic Mornæi doctrinę Sanctorum Prophetarum veteris Testamenti, quos Iudęi, & Christiani in Sacrum Canonem admiserūt, nullo modo conspirant vaticinia.

Et licet, [*Vtero sonitum quater arma dedere.*

Suis sese indicijs insidiæ illæ proderent nil morati præmonitores Apostolos, monitores tot, tantosque Ecclesiæ proceres:

Instantes operi immemores, cæcique furore,
Hoc monstrum infælix sacrata sistitis arce.]

Valde certè ingeniosè in nos torquet: quæ seu dolo proditorum, seu fatis Troię, id ferentibus in perniciem propriam admissa à Trojanis, refert apud Mornæum Æneas ille Troianus. Monstrum verò illud infœlix, vt in allegoriea sua expositione persistat, omnia, quæ præter verbum scriptum credit, aut etiam instituit Ecclesia, Catholica, Apostolica Romana, Mornæus intelligit. Qui verò præmonitores illi Apostoli, qui monitores tot, tantique Ecclesię proceres, si vt aliàs ostendimus, multa Apostoli docuerunt, & instituerunt præter ea, quæ Scriptura Sacra continentur, immò præceptum quidem illis erat à Christo, [vt docerent omnes gentes] non tamen vt aliquid scriptis mandarent, si tot testimonia, citauimus pro Apostolicis, & Ecclesiasticis traditionibus, quæ extra scripturam habentur? si sacræ imagines, vt ex antiquis Patribus, & Ecclesiasticis historijs constat toto Orbe in Ecclesia venerarentur, immò constet esse traditionem Apostolicam, non certè illarum restitutio in Ecclesia per septimam synodum, sed magis euersio, cùm omni impietate per Iconoclastas Imperatores decreto Sancita, in equo illo Troiano, monstro infœlici longè veriùs repræsentabatur, non enim antea vnquam à Troianis receptus ille equus, vndè excidium Vrbis, itâ numquam antea Sancitum per superiores Imperatores, qui Christi nomen profitebantur, euer-

euertendas esse sacras Imagines, aut tantam quis impietatem, quantam Conon iste, antea molitus erat, quem cùm Sanctissimus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus deterrere, conaretur, nihilque proficeret subiunxit, [depositionem Sanctarum Imaginum audiuimus quidem futuram, sed non tempore Imperij tui. Cùm verò ille cogeretur dicere sub cuius Imperio, ait, sub Cononis; At ille: Reuera, inquit, ex baptismo mihi Conon nomen est. At ille: Absit, inquit, Domine, vt per Imperium tuum istud malum perficiatur, Antichristi præcursor est, qui hoc adimpleturus est, & Diuinæ Incarnationis euersor.] Hoc igitur erat vaticinium impietatis, ab impuro, & sacrilego Imperatore Conone prophanis Iudæis, magis quàm Sanctissimo Patriarchę obsequente promouendæ, à quo plurimùm sibi, vt pręmoniti cauere debebant, non verò vllum diuinum vaticinium nobis iste proferet, quo cauerent pij, & fideles, ne in Oriente aliquando, per septimam synodum restitueretur veneratio sacrarum Imaginum. At verò quid in Trojanis culpæ, si amatore Phœbo irato Cassandræ Oraculis lex est addita, vt nemo illis crederet: vndè factum, vt ea prædicente incommoda Troiæ futura ex Helenæ raptu, nulla illi fides adhibita: ità quid habet, quo nos accuset Mornæus, si fata ferebant, vt cùm exciderent nostra Ecclesia, superstitionem admitteret, Antichristum exciperet, nec crederemus monitoribus Apostolis, an fatis illis superiores eramus? Valent itàque vesani hominis ineptæ allegoriæ.

[Indè igitur in Vrbem, in Ecclesiam igni, ferroque grassari, sacra omnia contemerare, ab harpiarum suarum, manibus nil intactum relinquere, superstiones omnis generis ex equo illo effundere, non iàm Argiuo, sed quia ità liber iàm Troiano, Catholicas, iàm Orthodoxas, quippè à Pontificibus, sunt hæc vestrorum verba, consecratas, sanctificatas.] Hoc sibi vult subtilis Mornæus. Quamdiu steterat Hector.

Qui lux Dardaniæ spes, & fidissima Teucrum.

Columen patriæ, mora fatorum, tamdiù Troiam stetisse, id est quamdiu imperarunt, Leo Isauricus Conon dictus, Constantinus Copronymus, Leo quartus, tamdiù viguit religio, & pietas, siquidem istis Iudaismus Cultus Dei est, tamdiù Troja, hoc est Ecclesia stetit, vt Iudæus sit Atheus, Christi diuinitatis, & Sacramenti incarnationis abnegator Mornæus: Verùm ex istis verbis fortasse colligat aliquis Mornæum vatem esse, & non nisi diuinitùs afflatum scribere, nam Moyses ille, vndè nobis creationem mundi ediscerit, aut eam didicit? Numquidnam ibi fuit iste Propheta, quando fecit Deus Cœlum, & terram? Non: sed ibi fuit sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quæ in animas, etiam sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit, eiusque opera sua sine strepitu intus enunciat. Loquuntur eis quoque Angeli Dei, qui semper vident faciem patris, voluntatemque eius, quibus oportet annunciant, ex his vnus erat ille Prophetarum, qui dixit, & scripsit. [In principio creauit Deus Cœlum, & terram, &c. Et quidem vt docet D. Gregorius Papa, Prophetia hæc est de præterito. Sed quis crederet, quia verum de præterito diceret, si de futuro, etiam aliquid non dixisset: & cur præteritis futura permiscuit, nisi vt dum implentur ea, quæ de futuro prædiceret, ostenderet etiam, qui de pręterito vera dixisset?] Ità septimo illo seculo, nondum prodierat è sinu matris magnus Mornæus, nisi fortasse *metempsycosin* adstruat cum Pythagora, eòque seculo Euphorbium, quemdam fuisse se affirmet, neque ex historijs fide dignis illius temporis rescire potuit, tum Pontificem in Ecclesiam ferro, ignique grassatum, sacra omnia contemerasse, ad Harpiarum suarum manibus nil intactum reliquisse, vt nec Moyses priores habuit scriptores, ex quibus disceret creationem mundi, nec Deo creanti mundum, præsens adfuerat, vndè ergo habuit, vt hæc scriberet Mornæus, nisi spiritu quodam afflatum fuisse dicamus, qui ater sit, an albus, cordati homines iudicent, & vt de pręteritis Mornęo crederetur, consultò, & dedita opera futurorum pręditionem permiscuit, vt initio huius pręfationis videre est, vbi Papatum grauorem annis, vt in ventrem totus procumbat, hoc est breui finem accepturus sit, scribit. Vt tam vera sint, quæ de præteritis scribit, quàm quæ futura prædicit.

Quæ verò sint illæ superstitiones omnis generis Catholicæ, iam Orthodoxæ, quippè à Pontificibus consecratæ, sanctificatæ? Nullæ enim superstitiones (vt loquar ex istius sacrilegi hominis mente) aut septimo illo seculo, aut etiam posterioribus seculis, in Ecclesia obseruatæ fuere, aut circa vsum Sacramentorum, aut circa ritus Ecclesiæ, aut cętera eius generis, quas non superioribus seculis, aut etiam initio nascentis Ecclesiæ obseruatas fuisse ex antiquis illis, non ambigua fide Patribus constet. Et quidem in qualibet Republica, non solùm ab illius exordio leges rogantur, feruntur, quibus constet illius administratio, verùm & deinceps ad illius salutem multa instituuntur, ità in Populo Dei, in Ecclesia, inquam, ipsa longè omnium perfectissima Republica, non dubitamus, hanc fuisse semper potestatem penès supremos hierarchas potissimùm, multa instituendi, quæ ad Sacram Religionem exornandam, & amplificandam spectarent. Consecrationem Ministrorum Ecclesiæ, hoc est sacras ordinationes, consecrationes sanctimonialium, Ecclesiarum deindè, altarium sacri Chrismatis, olei sancti, quorum alia à Christo Domino, alia ab Apostolis instituta, quæque antiquitùs in Ecclesia obseruata constat, prophani isti superstitionum habent.

[Et in hoc tu incendio, in hac rerum omnium confusione, proximo iàm ardente *oyc alegontos* sanè conflagrante arce, adlambentibus iàm ora tua flammis, oscitaris tu, & pandicularis, cauillaris, argutaris, qua parte primùm immissus ignis, anxius, cętèrum securus hęres hìc concremandus, & stupes totus?] Quemadmodum

In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector?

visus

visus adesse Æneæ, quærentem vana non motatur:

Sed grauiter gemitus imò de pectore ducens.
Heu fuge nate Dea, & te his ait eripe flammis,

Ità hìc & alter Hector Morneus, Argutaris, inquit, qua parte primùm immissus ignis anxius, hoc est tamdiù vana quæris? Adeò stupes, non te incendio, non te eripis flammis? Iam proximus ardet Vcalegon, *cal oye alegeis, os estin atopon chrimata men proarpaxein; ygeian dè aneballesthaj, cal somata men perocàthairein, psochis de catharsin tamieyesthai, cal tis mèn catà doyleias eleytherian zitein, tis ano dè mi ephiesthaj, cal opos mèn oicifeis megaloprepos i amphiesi pasan poicisthaj spoydin, opos dè aytes pleistoy axies est, midè phrantizein cal allois mèn ey poicin prothymon einas, caytòn dè mi boylesthaj.* (or. 40.)

Ità Gregorius ille Theologus tàm recta, & salutifera suadens, quàm obliqua, & pestifera Morneus, qui tamen nos similibus verbis aggreditur, magnamque se nostræ salutis curam gerere, ostendit, sed homo ille Dei, cui ausultandum, hic filius Belial, cuius ne auribus quidem sermones admittendi. At mirùm certè tot iàm seculis tantum stuporem omnium Ecclesiæ Romanæ sectatorum mentes occupasse, omnes, inquam, Christiani Orbis Episcopos, quorum est attendere gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos Episcopos, tegere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, inuasisse. Belli quidem Troiani notissima historia, quando euersa à Græcis, quoto anno ab Orbe condito, vel ab exitu filiorum Israel ex Ægypto, quo sermo in Israel, quot annis antè primam Olimpiadem, vel ante Romam conditam, quibus tùm apud celebertimas nationes regnantibus, (lib. 18. de Ciu. Dei cap. 16.) & excidium illud vsquequaque cantatum, puerisque notissimum (aic D. Augustinus) quòd & magnitudine suæ, & Scriptorum excellentibus linguis insigniter diffamatum, atque vulgatum est: Verùm quando incendium istud, cuius meminie Morneus, nostram Ecclesiam corripuerit, quando tanta rerum cõfusio oborta sit, quando Simon nomine Magis, quàm specie Sinon in Ecclesiam igne, ferròque grassari, sacra omnia contemerare, superstitiones omnis generis inducere, quæque alia impudentee iste mentitur, cœperint, ex quibus fide dignis illorum temporum Scriptoribus referat, nescire me fateor, & tantam rem in Orbe gestam, antè aliquot secula à nobis ignorari, mirari satis non desino.

[Non ità prudens Antenor, non pius Æneas, perruptis illis Achiuorum globis, Vrbe sese cum Socijs partim proripiunt, partim prorumpunt, vt quisque ignem semiambustus euasit, manum faciunt, rates, qua possunt, conscendunt, sedes nouas quærunt, inueniunt, constituunt. Troiani perpetuò illi quocumque migrent, quemcumque locum insideant, qui penates, qui patria signa secum ferant, Christiani Orthodoxi, qui Verbum Dei à Græcorum ignibus intactum, Sacramenta Domini integra, illibata secum adsportent, venerantur, custodiunt.] Hector in somnis visus Æneæ;

Sacra, inquit, suosque tibi commendat Troia penates,
Hos cape fatorum Comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues, quæ denique ponte.

Antenor itàque & Æneas ille cum Socijs:

Illum in Italiam portans, victosque penates:

Iuxtà allegoricam Mornæi expositionem Christiani sunt Orthodoxi, qui Troia antiqua ruente multos dominata per annos, hoc est Ecclesia veteri post sexcëtos annos, à Christo omninò labente, Antichristum excipiente, Græcanicas superstitiones admittente, indè sese subduxerunt, Palladium, penates, patria signa, hoc est Verbum Dei, à Græcorum ignibus intactum, Sacramenta Domini illibata integra secum adsportant, venerantur, custodiunt. Mirabile certè Mornæi ingenium inexcogitandis nouis allegorijs. Theologi nostri in sensibus scripturæ eruendis, si de litterali, seù historico agatur, Hieronymo palmam detulerunt, si de Anagogico, August., si de morali, seù tropologico Gregorio Magno, si de Allegorico, Ambrosio: sed quis A. aue quantus Ambrosius ad Mornæum collatus! Mihi tamen aliquot difficultates occurrunt, nec satis huic expositioni acquiesco. Si enim aliquando Oraculo responsum est, tamdiù fore incolumem Troiam, quamdiu Palladium, quòd Verbum Dei est Mornæo, intra mœnia seruaretur, vndè impius ille:

Tydides, sed enim, scelerumque inuentor Vlysses,
Fatale aggressi sacrato auellere Templo,
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, &c.

Quomodo capta Troia Verbum Dei à Græcorum ignibus intactum, à reliquis illis Danaum aliò adsportatum, deindè, nonnè apud nos libri veteris, & noui Testamenti, Sacramentum item Baptismi, vt non diffitentur nostri Aduersarij, quomodo ergo à Troia nostra Palladium, hoc est Verbum Dei, Dij penates, hoc est Sacramenta aliò adsportara? Quomodo verò, qui adeò abhorret ab idololatria Mornæus, vt nec Christi, & Sanctorum Imagines probet, quòd illas eodem loco habeat, quò idola, per Palladium illud, in quo omnis spes Danaum, vt qui idololatriæ toti addicti, & cœpti fiducia belli, vulto Verbum Dei, quod cum idolis nihil habet commercij, cùm tamen signi ad rem significatam debeat esse aliqua affinitas, per Deos item penates Sacramenta Ecclesiæ à Christo Domino instituta significari? Monet Gregorius Nazianzenus orat. 42. in allegorijs mediocritatem esse tenendam, vt media via inter eos, qui crassiore omninò ingenio sunt, & eos, qui nimio contemplationis, & allegoriæ studio ducuntur, incedamus, vt nec prorsùs inertes,

ac

ac turpidi maneamus, nec rursùs curiosiores simus, quam par sit, *tò mèn gàr*, inquit, *Ioydaicon pos cai tapeinon, tò dè oneirocriticon, cai omoios amphotera categnosmena*. Ex quo constat Gregorio somniorum coniectorem esse Mornæum, vt qui tanto fingendarum allegoriarum studio ducatur. Idem orat. 3. quæ est 1. in Iulianus irridet allegoricas expositiones fabularum Homericarum, & si ad naturam rerum adumbram, non ad significanda Christianorum mysteria referantur: & ibidem allegoriarum nostrarum, ac Gentilium discrimen hoc assignat. [Apud nos, inquit, abditi quidam, & abstrusi sermones sunt, at nec externa species indecora, & inhonesta est, & quòd occultatur admirandum est, ijsque, qui in penetralia ipsa inducuntur, mirè splendidum, ac pulcherrimi cuiusdam corporis instar, haud aspernanda veste contegitur. Rerum enim diuinarum mea quidem sententia, ne iudicationes quidem ipsas, externasque species inhonestas esse conuenit, rebusque significatis indignos.] Quid verò tenebris cum luce, quid Belial cum Christo, quæ conuentio, inquam, Palladio cum Verbo Dei, aut dijs penatibus cum Ecclesiæ sacramentis? [Quæ porrò prudentia est, ait idem Gregorius, per cœnum ad Vrbem ducere, aut per saxa, & scopulos ad littus contendere. Quid igitur (Epist. 48. & lib. de nat. Eccl. cap. 14.) absurdiùs quàm ex huiusmodi gentium figmentis sacrosancta nostræ Religionis mysteria eruere conari? Atque vt ampliùs hostem hunc confundam, ridebat olim D. Augustinus Donaristas, quòd in clarissima luce tot scripturarum veteris, & noui Testamenti, non viderent Ecclesiam Catholicam toto Orbe diffusam, & ex obscurissimo loco. Cant. 1. Vbi pascas, vbi cubes, in meridie, Ecclesiam apud se solos remansisse contenderent, vndè tamen et illic ostendit, & vt alibi dictum, nihil concludebant. [Hæc mystica sunt, inquit, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum, quod interpretatione non egeat, à vobis flagitamus.]

Quantò magis ridendus iste, qui nostram Ecclesiam excidisse, superstitiones Græcas admisisse, Antichristum excepisse, Verbum Dei indè transportatum, Sacramenta aliò translata, reformatam suam Ecclesiam habere Verbum Dei, & vsum Sacramentorum ex euersione Troiæ, direpto Palladio, dijs penatibus per Æneam, & Socios indè euectis ostendere se putat, cùm tamen & si allegoricas expositiones pro libito fingere liceat, & Gentilium historias, aut etiam figmenta ad allegorias reuocare, & si dijs placet miscere sacra profanis, quidni per Vrbem Troiam, per Regnum, inquam, Priami, Synagogam, per Palladium, legem, sacerdotium, Verbum Dei, per penates Diuina Sacramenta à synagoga ad Ecclesiam, à Iudæis ad gentes per Æneam, & Socios incendio Troiæ superstites translatos, quibus significentur Apostoli ipsi, de quibus Isaias. Mittam ex his, qui saluari fuerint ad gentes in mare, in Aphricam, & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam gentibus. Palladium Troia adsportatum, quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem: fata ferebant, cum euerti Troiam, & nouissima illa tempora venerant, quibus sacri vates fore prædixerant, vt vngeretur Sanctus Sanctorum, & non esset eius Populus, qui eum negaturus esset, & repellentibus Iudæis Verbum Dei, conuerterentur Apostoli ad gentes, peritura Troia, perdidit primùm deos, Excessere omnes adytis, sacrisque relictis. Dij, quibus imperium hoc steterat. Irà priusquam Hierosolyma arx quondam sacræ Religionis caperentur, audiras voces, quæ testarentur, indè numen Vrbis migrare, non modò Tacitus, cui parùm fides habetur lib. 5. Histor. sed & ipse Iosephus Iudæus lib. 7. de bello Iudaico cap. 13. & ex nostris Nicephorus lib. 3. hist. Eccles. cap. 4. testantur.

Quòd reprobato Saule, & bellica clade prostrato, eiusque stirpe reiecta, ne indè Reges orirentur, Dauid in Regnum successit, vndè exortus est secundum carnem mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus: lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 17. exponit D. Augustinus allegoricè, quòd Populi Israel personam figuratè gereret Saul, qui Populus, Regnum fuerat amissurus, Christo Iesu Domino nostro, per nouum testamentum non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo, &c. vt per Regnũ Saulis reprobati, synagoga reiecta, per Regnũ Dauidis electi, Ecclesia ex Gentibus electa intelligatur. An non quid simile, apud Homerum, si nobis æquo iure cum Mornæo fingere liceat allegorias. Siquidem apud eum Neptunus ostendit velle, fata, & Iouem ipsum seruatum Æneam, quia iàm exosum esset illi genus Priami, reseruari, itaque Æneam ad ipsum Regnum, ex quo Priami genus decideret:

Idi gar priamos geneci ichthire Cronion
Nyn dè di Aineiao bin troesi in anazei
Cai paides paidon, toicene metopisthe genontaj.

Vt in Priamo tamquam in Saule populus Israel se synagogam reprobatam, in Ænea tamquam Dauide populus Christianus, & Ecclesia ex gentibus electa nobis adumbretur. Et vt rectè Mornæus, superstites illi Troiæ incendio, [quocumque migrentur, quemcumque locum insideant perpetuò Troiani;] non enim Troiæ in Phrygia regnum restituit, sed in Italia Troianorum regnum Lauino condito fundauit Æneas, indè & Romanorum Imperium, qui ab Aenea Troiano originem ducunt, vndè & Aeneadæ dicti, & quemadmodum Troia mater Romæ, & indè egressi primi Romani, illius Imperij conditores, ità synagoga mater Ecclesiæ, & qui primi legem Euangelicam promulgarunt per Orbem, & verbum Dei, ac sacramenta gentibus communicarunt ex Iudæis, & quemadmodum æternum fore illud Imperium summus ille deorum, quos vana coluit antiquitas, pollicebatur apud Maronem. [His ego nec metas rerum, nec tempora pono, Imperium sine fine dedi. Ita aduersùs Ecclesiam super Petrum ædificatam [portas inferi nunquam prævalituras,] non fictus aliquis Deus, sed æternus, & verus Iesus Christus ipsa veritas, cuius [verba non præteribunt, etsi Cœlum. &

Aaa terra

terra transibunt] pollicetur: & licèt Imperium illud Romanum longè, lateque pateret, arx tamen, & sedes Imperij Romæ erat in Italia, ità licèt ijdem futuri essent fines Ecclesiæ; qui & Orbis, Romana tamen Ecclesia à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo,) cum quibus nullo modo conferendi sunt prudens Antenor, & pius Aeneas) constituta, & fundata, mater est, & Princeps omnium Ecclesiarum; Roma arx religionis, Roma latiùs præsidet religione diuina, quàm dominatione terrena: Et licèt Iuno Aeneæ, & socijs Danaum reliquijs infensa, Aeolum aduersum eos irritet, conciter ventos, & tempestates, tot voluere casus, tota dire labores impellat, nihil tamen proficit, manent immota fata, Iouem illum sententia non vertit. Ità licèt Principes, & potestates mundi rectores tenebrarum harum significatæ per Iunonem, quæ aeri præest, insanirent, furerent, aduersùs Apostolos, Imperatores, ac Principes concitarent Iudæi, Philosophi, tyranni, hæretici omnes vndique machinas adhiberent, hoc tamen erat contra stimulum calcitrare, hoc verè *theomachein*, concitati hostes ab aereis potestatibus, & cum eisdem coniurati efficere non potuerunt, quin Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum radix, & matrix à gloriosissimis Apostolis Petro, & Paulo, ac reliquæ Ecclesiæ per Orbem à cæteris Apostolis, & Apostolicis viris constituerentur, & fundarentur: hoc regnum Christi, fremat, insaniat Mornæus, ac reliqui Antichristi præcursores, æternum futurum est: Id enim testantur voces,& oracula Prophetarum [futuram Ecclesiam in omnibus gentibus,in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicendas omnes nationes terræ, regnum Christi fore æternum.] An verò in istis allegoricis expositionibus, quales à nobis excogitatæ, fundamentum aliquod veritatis constituimus, aut illis inniti velimus, minimè gentium. Verùm cùm ex tot locis Scripturæ sacræ perspicuis, & manifestis contra sectarios omnes Ecclesiam nostram ostendamus, cùm ille ad allegoricas expositiones figmentorum Poeticorum, quo suam ostendant, in quo maximè ridendi sunt, confugiant,visum est, si quid mysterij sub figmentis illis latere velint, potiori iure licere nobis ad nostra demonstranda, quàm aduersarijs ad sua vsurpare, eòque allegoricas expositiones, quæ in figmenta magis quadrent, confingere.

[Non Græci Ilio licèt potiantur, Ilio incubent, quoquo tamdem titulo superbiant, non tu ipse iam deditius, iam transfuga, iam patriæ desertor:] Græcorum nomine, Gentes in scriptura intelliguntur, & Iudæis opponuntur, præsertim apud D. Paulum Rom. 1. [Virtus Dei in salutem omni credenti Iudæo primùm, & Græco Rom. 2. Gloria & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. 3. Causati sumus Iudæos, & Græcos sub peccato esse 10. Non est distinctio Iudæi, & Græci. 1. Corinth. 1. Vocatis Iudæis, atque Græcis. Galat. 7.] Non est Iudæus, neque Græcus: Gentes, inquam, vocatæ ad gratiam Euangelij,reprobatis Iudæis, & quibus ab ipsis Apostolis promulgata lex Euangelica, verbum Dei prædicatum, tradita diuina sacramenta,quomodò ergo non illa venerantur, & custodiunt? à Iudæis quidem ad gentes verbum Dei, & diuina sacramenta transferenda, vaticinia Prophetarum continebant, sed à gentibus deficiente veteri Ecclesia, verbum Dei, & diuina sacramenta transferenda in solitudinem, quo fugiens esset reformata, & purior quædam Ecclesia inuisibilis, & soli Deo nota, nullibi à Prophetis prædictum, aut ab Apostolis ipsis traditum, vel scriptum: & mirum quidem,Troiam ipsam non ab ipsis Troianis, sed Græcis hostibus surrepto Palladio passam excidium, & euersam fuisse, nostram verò Ecclesiam non ab alijs, quàm à suis, hoc est, à Pontifice Romano, & reliquis Ecclesiarum Antistitibus, qui idololatriam, & superstitiones omnis generis in eam admiserint, in extremam sui ruinam, vt omninò esse desineret, adducta sit. Hæc itaque sunt vesanorum,& vanorum hominum inania commenta. Non nos deditij, sed deditius Mornæus, qui abiurata Christi Ecclesia, se in Satanæ famulitium dedidit: [Non nos ab illis,scribebat Cyprianus, sed illi à nobis defecerunt, & cum hæreses, & schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput,atque originem reliquerunt.] Quæ verò nos causa impellat, vt Ecclesiæ nostræ, (quòd certè esset à Christo ipso deficere) nuncium remittamus. [Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.] Sanctus Polycarpus Præsidi impio instanti, vt conuicijs Christum afficerer,respondit, [Octoginta sex annis illi iam inseruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo, quomodò igitur regem meum, qui me ad hoc vsque tempus seruauit incolumem, contumeliosis verbis possem afficere?] Iste Præsidis illius impij partes agit, transfugas,hoc est prodirores Dei, & sacræ religionis esse suadet, ad defectionem ab Ecclesia nos sollicitat, in qua lauacro aquæ in verbo vitæ regenerati sumus, diuinorum mysteriorum participes effecti, tot bonis ditati, toties expiatis peccatis, Deo reconciliati. Lib. 2. Reg. cap. 20. Stabiliat Dominus regnum Dauid, & veri Salomonis filij Dauid Christi in sempiternum,] quomodò ergo auscultabimus sermones istius Seba viri Belial, qui nos à vero Dauid Christo suadeat transfugere? rectè nos hortatur Cyrillus Hierosol. catech. 6. de hæreticis, sed præsertim de Manichæis loquens. [Quorum, inquit, blandis verbis ne artendas, neque humilitati fictæ, & ad opinionem compositæ. Serpentes enim sunt, progenies viperarum, & Iudas dicebat, Aue Rabbi, & prodebat, ne osculis attendas, sed venenum caue.

Cùm hostis vbi Troia fuit, Antichristus vbi olim Christus, furibundus vbi olim in medio templo Antiochus, inter ipsa altaria, ipsas adeò vittas, & victimas sacrilegus.

CVm multæ regiones,ac Prouinciæ Christianæ religioni nomen dedissent, & in sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem concessissent, vt ferè per Asiam, & Aphricam, posteà verò Christo renunciarint, & nostro hoc infelicissimo

simo seculo per Europam multi à Catholica fide defecerint, qui (vt scribit Cyprianus,) ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente aduersario, atque fallente, qui secundùm Apostoli vocem transfigurat se velut Angelum lucis, & miuistros subornat suos, velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, &c. [Verùm certè istud est. [Hostis vbi Troia fuit. Antichristus vbi olim Christus,] nam alioqui in Ecclesia nostra, qui olim Christus, minimè Antichristus prioribus seculis, vt ex patribus, & sacris Conciliis constat, supremam in ea habuit auctoritatem, & Pontificum Romanorum successio non interrupta veræ Ecclesiæ patribus fuit nota certissima, & vbique gentium Episcopi, & Sacerdotes, ac reliqui Ecclesiastici ordines, quæ omnia, & nunc nostra Ecclesia, quorum nihil apud istos prophanos reperias, quomodò ergo tunc Christus, nunc Antichristus in nostra Ecclesia? An potuit Diabolus, vel Antichristus per tot secula esse fortior, ille superueniens, qui omnia Christi arma surripuerit, occuparit Orbem terrarum, Christum iu desertum fugarit, atque in vitimas terras deportarit, irritæ fuerint Christi promissiones, quod [portæ inferi numquam præualituræ essent aduersùs illius Ecclesiam super petram ædificatam,] & Troiam suam à Græcanicis superstitionibus tutari minimè potuerit? Quis verò neget, & Antiochum expressam fuisse figuram Antichristi? D. Hieronymus in caput 11. Danielis. [Sicut Saluator habet, & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum aduentus sui, sic & Antichristus pessimum regem Antiochum, qui Sanctos persecutus est, templumque violauit, rectè typum sui habuisse credendus est,] & D. Cyprianus de exhortatione martyrij, [Rea Antiochus infestus, immò in Antiocho expressus Antichristus, au non & idem fuit expressissima figura istorum perduellium, qui loca Deo sacrata in prophana conuertunt, quemadmodum ille decreuit, vt templum Hierosolymitanum esset Iouis Olympij, & Garizitanum Iouis Hospitalis diceretur. Constituit grauem pœnam ijs, qui Dei legem obseruarent, & qui liberos circumciderent, ita nihil istis magis curæ, quàm sacramenta Ecclesiæ violare, & ijs fideles interdicere. An verò summi sacerdotes ea genere Aaron iu illo templo quandiu durauit illa synagoga Antiochi, qui ex præscripto Domini sacrificia offerebant, & templo legitimè ad hoc ordinati præerant? quomodò igitur Antichristi summi Pontifices nouæ legis, quibus in Petro auctoritatem pascendi oues suas, confirmandi fratres suos, ligandi, atque soluendi commisit Christus? an verò septimo seculo in templis Christianorum nouum aliquod sacrificium celebrari ab vllo Pontifice iussum, aut noua aliqua introducta sacramenta? Quid ergo tunc quòd Idolatriam spiraret.

Iam omnia sibi obtinuisse videtur Mornæus, & id totum, quod instituerat ità demonstrasse, vt nullus relictus sit ambiguitati locus.

Ambigitis adhuc fratres, ac Domini. Audite Ioannem. Et datum est illi os loquens grandia, & blasphemias: Paulum quoque, sedet in templum Dei tamquam Deus præseferens se esse Deum.

Nos quidem, & Iesum nouimus, & illius Apostolos, Ioannem, & Paulum scimus, vos autem Iudæi incircumcisi cordibus, & auribus, qui tentatis inuocare nomen Domini Iesu, quem Paulus prædicabat, qui scripturis Apostolorum, cum quibus vobis nihil commercij, abutimini, qui tamdem estis? Audiuimus Ioannem, & Paulum, illi tubæ Euangelij, quorum [sonus iu omnem terram exiuit:] vterque *theodidactos*. D. Aug. lib. 1. de consensu Euang. cap. 4. [Ioannes ille transcendit nebulam, qua tegitur omnis terra, & peruenit ad liquidum Cœlum, vndè acie mentis acutissima, atque firmissima videret in principio Verbū Deum apud Deum, per quod sunt omnia tamquam de pectore ipsius Domini, super quod discumbere, in eius conuiuio solitus erat, secretum diuinitatis eius vberiùs, & quodammodò familiariùs biberet:] Et D. Hier. lib. 1. aduers. Iouinianum. [Ioannes noster quasi aquila ad superna volat, & ad ipsum patrem peruenit dicens, In Principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Apocalypsim verò ipsius infinita futurorum mysteria continere, scribit. [Paulus verò raptus vsque ad tertium Cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.] Vterque igitur nobis audiendus. Et quia vtrumque audimus, ideò Mornæum non audimus, Monet enim Paulus. [Si quis euangelizauerit vobis, præterquamquod accepistis, anathema sit, &c.] Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. At certè nemo vnquam hæreticus fuit, aut Mornæus est hæreticus, cùm omnes notæ, ex quibus aliquem hæreseos, aut sancti Patres, aut sacra Concilia condemnarunt, in Mornæum concurrant. Ioannes verò. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. [Ait, inquit, Ioannes Datum est illi os loquens grandia, & blasphemias.] Quod certè rectè de Antichristo, & de illius præcursoribus nostri seculi hæreticis rectè interpretamur, quorum hæreses ex omni genere blasphemiarum sunt conflatæ, & epistolam Mornæi dedicatoriam ad Serenissimum Regem Britanniæ, totamque istam præfationem quid aliud, quàm errorum, & blasphemiarum congeriem appellaueris? Hunc equidem Apoc. locum cum Patribus, & omnibus expositoribus de Antichristo intelligi non diffitemur: locum item D. Pauli, Sedet in templo Dei, tanquam Deus, omnes de Antichristo exponunt, & alij quidem, vt nomine

Templi Dei Templa Christianorum arcipiant, in quibus Antichristus se faciet adorari tanquam Dens, cùm tamen adorationem illam latriæ supremam, vni Deo debitam, exhiberi sibi nolit Pontifex, qui cum Ioanne reputat se conseruum fratrum suorum habentium testimonium Iesu. Communis verò opinio est Antichristum reædificaturum templum illud Hierosolymitanum, vt sibi Iudæos conciliet, in eòque sessurum tanquam Deum, at Pontifex Romanue, neque de Templo Hierosolymitano reædificando vnqnam cogitauit, neque Iudaicæ legi, aut antiquis ceremonijs addictus est, neque in eo Templo sedet tanquam Deus, sed in Ecclesia suppliciter Deum adorar, & peccatorem se agnoscit, ac profitetur, quomòdo igitur ex Ioanne, vel Paulo, iste colligit eum esse Antichristum? Subtiliter sanè, & ingeniosè. Audite iam, inquit, & videte Paulum V. Pontificem buncce vestrum. Noster vtique est, quia Christianorum omnium Pontifex, quia Pastor omnium ouium Christi, quia pater Christianæ plebis, Mornæus itàque, qui Chbistianus non est, neque ouis Christi, nihil mirùm si bunc Pastorem suum non agnoscat. Sequitur Mornæus, [Pręfigitur suorum libris heri, aut nudiustertius excusis ad viuum quasi in tabella depictus hac inscriptione. Paulo V. Vicedeo Christianæ Reipub. Monarchæ inuictissimo, & Pontificiæ omnipotentiæ conseruatori acerrimo: Quo & pridem stylo Tolentini legitur, Paulo III. Opt. Max. in terris Deo.] An libri aliqui extent excusi, quibus ista præfigantur, nescite me fateor, siquidem ad manus meas non peruenerunt. An verò rectè indè concluditur, ergo Pontifex est Antiehristus, non certè magis, quàm si ità arguas, Philippus Mornæus, hoc est Murcidus, Plessiaci, Marliani, &c. Dominus, Cataphractorum turmæ ductor, Salmuriensis ditionis præses in vestibulo sui mysterij iniquitatis, quasi in tabella depingitur hac inscriptione Arte, & Marte: Ergo Philippus Murcidus est Antichristus, sed magis directa hæc conclusio. Ioannes de Antichristo scribit, & datum est illi os loquens grandia, & blasphemias, at iste loquitur grandia, & blasphemias, ergo iste est Antichristus. Nec verò inscriptio illa etsi pręfixa esset libris quorundam Catholicorum, aut errorem aliquem, aut blasphemiam contineret, vt Pontificem argueret esse Antichristum. Quòd si nostris Vice Deus est, non ergo Deus, neque colitur à nobis vt Deus, neque enim, qui Prorex est, eadem, qua Rex dignitate præeminet, aut eodem honore colitur: In quamcumque dignitatem homo assumatur, sempet homo est, neque creaturæ limites excedit, licèt ipsa dignitas participatio sit quædam ipsiue dininitatis, quo fit vt honore quidem supra homines, non tamen diuinitati ipsi debito colatur. An hoc est præseferre, se esse Deum, Vicarium se Christi Dei, & hominis in terris ex ipsa Dei institutione profiteri? Quòd Christianæ Reipublicæ dicatur Monarcha inuictissimus: Equidem Respublica dicitur, quæ eisdem legibue continetur, & gubernatur. Etsi itàque ciues mundanæ Ciuitatis, qui diuersi legibus per diuersas Regiones, & Prouincias reguntur, diuersas Respublicas constituant, quia tamen quatenus Christiani ijsdem legibus, aut à Christo primùm, aut deindè ab Apostolis, & eorum successorbus latis administrantur, diuersa regna, ac plures Respublicę eandem Rempublicam Christianam, cui præest Summue Pontifex, longè superioris ordinie, quàm sint mundanę Respublicę constituunt. Dicitur verò Monarcha inuictissimus, quia scilicet Ecclesia nullis vnquam maebinis expugnari, nullis viribus superari poterit, & quia Ponticatus à Deo institutus, quæ verò Deus instituit, ab hominibus labefactari, aut euerti non possunt: & quidem hic titulus Monarchæ inuictissimi, & alijs magnis Principibus passim ab auctoribus tribuitur, quos tamen si indè Mornæus roncludat, esse Antichristos, ridiculus erit. Quòd verò dicatur Pontificia omnipotentia, certè non dicitur dioina omnipotentia, quę præ obiecto habeat omne possibile, & nullis limitibus restringatur, sed dicitur omniporentia quædam ministerialis, quatenùs summam in spiritualibue pro regimine, & salute animarum à Deo consecutus est potestatem, quæ nullius locorum, aut temporum terminie concludatur, quodque in his, quæ sunt iuris Ecclesiastici, à nullo possit illius auctoritas restringi, atque illius conseruatorem acerrimum eum esse docet, quemadmodum enim Principi cuilibet suam dignitatem tueri maximè conuenit, ità multò magis decet Summum Pontificem suam ipsius, ac Ecclesiæ dignitatē contra quoscumque aduersarios integram conseruare. Et eo quidem modo, quo Reges, Iudices, Sacerdotes Dij in scriptura dicuntur, & illi, ad quos sermo Dei *factus est, & Moyses Deus Pharaonis*, non repugnat, Pontificem Deum dici. Verùm Mornæe, Antichistus ipse, vt scribis, loquetur grandia, sedebit in Templo Dei tanquam sit Dens, sibi magnificos, & superbos titulos ipse tribuet, at nemo Pontificum hos sibi titulos vnquam tribuit, neque enim Paulus V. Pontifex hicce noster, aut superiorum Pontificum prædecessorum suorum aliqnis in diplomatibus, aut Bullis Pontificijs, aut Breuibus ità præfatus est. Paulus V. Vice-Deus Christianæ Reipubl. Monarcha inuictissimus, &c. Neq; iubet vt aliquis huiusmodi titulos illi tribuat, etsi mibi veritati fidei, aut doctrinę Christianæ repugnent, non igitur est Antichristus: Certè quòd à sacrilegis hominibus sectarijs istis vocetur Antichristus, quæ est iniuria in Deum ipsum atrocissima, non ideò est Antichristus. Ità nec quòd tituli aliqui illi tribuantur, qui perfidis istis non probantur, ideò est Antichristus.

[Substernuntur Principum, Regum, Cæsarum sceptra, diademata circumstant illum vultu imperium protendentem, capiti imminet hæc inscriptio, Principes, Reges, Cæsares ipsi cernui, fulgurati, attoniti, adorabundi. Ità canillatur hic Ethnicue impius, dum de Pontifice loquitur. Alexander ille Macedo cùm Iudæorum Pontificum Iaddiam tiaram in capite gestantem cum præfixa aurea lamina inculpto Dei nomine conspexit, solus ad eum accedens, & nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem, & cùm Parmenio rogatet familiariter, quid ità, cùm ipse adorareter ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem, ille nou se hunc adorasse

ſe reſpondit, ſed Deo, cuius Pontifex eſſet, honorem hunc exhibuiſſe, itȧ quem nos honorem Pontifici tribuimus, Chriſto ipſi deferimus.

[Qui vos honorat me honorat, & qui vos ſpernit me ſpernir.] Attila ille flagellum Dei Ethnicus, & barbarus Leonem Ponrificem bonorauir, & illius rogatu pedem retulit, paratus alioquin vrbem inuadere ferro, & flammis vaſtitatem inſerre, longè iſtis religioſior, qui Pontificiam dignitatem pedibus conculcari optant, quam quidem quanti fecerunr ſemper Chriſtiani Imperarores, ac Reges, ac Principes notius eſt, quàm vt in eo probando immoremur? [Quòd ſi Pauli V. Pontificis maximi perbenigni, & humaniſſimi vultus maieſtatem quandam præſefert, vt vultu portendat imperium:] Quòd ſi ſpecies Priami digua imperio, an ideò Antichriſtus eſt Pontifex? An ideò quòd religioni ſceptra ſua ſubmittunt Principes, ille Antichriſtus? Nathan Propheta adorauit Dauid Regem, Abraham adorauit populum terræ: Iacob Deo dilectus fratrem Eſau exoſum, & Cornelius ipſe Centurio: etſi nondum Chriſtianæ Religiouis Sacramentis initiatus, Petrum Apoſtolum. An igitur ſi Pontificem adoramus vnum, non quidem ea, quę vni Deo, ſed longè, inferior, quę tantæ dignitati debetur adorarione, an ideò ille Antichriſtus?

[Circumſonat denique Verbum Dei, at quàm præpoſterè vſurpatum, derortum. Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, in gladio, & fame, & in peſte viſitabo gentem illam, air Dominus Hierem. 27. Quod de Nabuchodonoſor Eccleſiam deuaſtore, olim prędictā, alter Caiphas ipſe ſibi accommodat, in ſe ipſe Chriſtianæ Eccleſiæ alaſtore impletum vult. Item dedit ei Dominus poteſtatem, & regnū, & omnes populi ipſi ſeruient, poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum, quod noncorrumpetur. Dan. 7. Vultu in terram demiſſo, puluerem pedum tuorum lingent. Eſai. 49. Quæ de vno Chriſto nemini homini citra blaſphemiam communicantur.] Hæc loca ex Scriptura citata pauliſper ſunt expendenda.

Ac primum, eo loco Hieremiæ ſermonem eſſe de Nabuchodonoſore non diffitemur, aperit verò os ſuum in blaſphemias iſte, cum Pontificem alterum Caipham appellat, & Chriſtianę Eccleſię alaſtorem, Caiphas Pontifex anni illius, non Pontiſex legitimè inſtitutus, ſed in Pontificatum intruſus, at Paulus V. vocatus à Deo, tanquam Aaron legitimè inſtitutus Pontifex, quem vniuerſa Eccleſia vnicum in terris Summum Pontificem agnoſcit, nectemor amur ſactilegos iſtos homines, & ramen in Caipha Sacerdotali dignitati etiam multùm tribuit Euangeliſta, cum eſſet, inquit, Pontifex anni illius, prophetauit, vt non perſonę, ſed diuino Sacramento Prophetia tribuatur. Etſi enim homo iniquus, ac ſceleſtus, dignitas tamen ſancta erat, quod obſeruauit D. Auguſt. tract. 49. in Ioannem, & D. Chryſoſtomus homil. 64. [Non tolli dignitatis ſanctitatem per vitam malam ea fungentis, & licèt Sacerdos malè viuat, tamen Sacerdotium in eo ſanctum eſt,] at iſte non tam perſonam ipſam, quàm Pontificis dignitatem inſectatur: *alaſtoras*, verò incendiarios iſtos Chriſtianę Reipublicæ meritò quis vocarit, & poſt collationem apud Fontem-Bellaquæum habitam, Henricus IV. Rex Chriſtianiſs. æterna memoria dignus non modò, tum de Regni adminiſtratione cogitans, ſed & Catholicę Religionis amplificandę, ac in integrum toto Regno reſtituendæ cupidiſſimus, peſtem quandam, & animarum pernicem iſtum impoſtorem appellauit, quo teſtimonio nullum vlidius aduerſùs ſicarium iſtum adferri poſſet: ſplendidè verò mentitur, cùm Pontificem ſcribit velle in ſe impletum illud Hierem. 27. quod de Nabuchodonoſore olim prædictum. Gens & regnum, &c. Neque enim ſi loca aliqua Scripturę præpoſtere in Pontificem ipſum detorqueantur, ipſe ea vſurpare, ſibique accommodare dicendus eſt.

Qui retulit locum illum Hierem. 27. Vbi ſermo eſt de rege Nabuchodonoſore in ipſum Pontificem, poterat vtique locum citare ſimilem ex Eſaiæ 60. qui propriè, & ad literam de Pontifice, & de Eccleſia intelligitur, quem ſuppreſſit Morneus, [Gens, & regnum, quod non ſeruierint tibi, peribit & gentes ſolitudine vaſtabuntur, & ſecundùm ſeptuag. Gentes & Reges, qui non ſeruient tibi, peribunt,] nec tamen quicquam abſurdi ſequitur, ſi & locus ille Hieremiæ Pontifici acommodetur, ſi enim Deus voluit plurimas gentes ditioni ſubijci Nabuchodonoſoris, & ſi regis infidelis comminatus ſe in eos, qui detrectarent illius imperium animaduerſurū, quanto magis vltionem de illis ſumpturus eſt, qui reſilient ab obedientia Pontificis, quem conſtituit ſuper familiam ſuam? Vndè enim factum eſt, vt tot nationes priùs liberæ, ac ſuis viuentes legibus videamus duriſſimę ſeruituti barbarorum ſubiectas, niſi quòd à Pontifice deſecerunt, ac priuatim illas in omnes Eccleſias negarunt. Nec verò quæ Chriſti ſunt, & de Chriſto in ſcriptura intelliguntur, cum blaſphemia Eccleſiæ, aut Chriſti miniſtris tribuuntur. An non Chriſtus ipſe lux Mundi. [Ego ſum lux Mundi,] & tamen ſuos Apoſtolos alloquens, [Vos, inquit, eſtis lux Mundi.] An non Chriſtus paſtor bonus, & tamen citra blaſphemiam ſcribit Apoſtolus Chriſtum Eccleſiæ ſuæ dediſſe alios Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores.

Quantum ad locum Danielis 7. [Dedit ei Dominus poteſtatem, & regnum, &c.] quis neget niſi Iudæus de Chriſto, illiuſque regno intelligi, quod Regnum Chriſti an non Eccleſia, omnes populi illi ſeruient, ſiquidem amplitudine ditionis, & dominationis omnibus Regnis Mundi præcellit, ſiquidem prædicabitur Euangelium omni creaturæ, & plenitudo gentium intrabit, & tunc reliquiæ Iſrael ſaluæ fient. Quod ſi aliquando in ſolitudines fugiſſet Eccleſia, ac in terris conſpicua, & viſibilis eſſe deſijſſet, quomodò vera propheria Danielis? & dicimus item in Regno ſpirituali Chriſti, hoc eſt Eccleſia ſummam poteſtatem ſpiritualem habere Pontificem Chriſti Vicarium, & hac ſpirituali dominatione cunctis mundi principibus præcellere, nec illius poteſtatem locis, aut temporibus limitatam eſſe, quotquot enim gentes dant nomen Chriſto, & in fidem illius

conce-

concedunt, Pontifici Romano, tanquam supremo hierarchiæ à Deo, non ab hominibus instituto obedientiam pollicentur, ac præstant.

Non quidem Pontifices æterni quemadmodum Christus, quia morte prohibentur manere, ea tamen suprema, & Monarchia spiritualis potestas, quę residet in successore Petri, latret, rabiat, disrumpatur Mornæus, æterna erit, non nisi cum modo in terris finem acceptura. Quòd si Christi Regnum aliquando in terris, illudque visibile, ergo & Prorex aliquis, qui illud administret, & illius vices gerat, siquidem reges, qui pluribus regnis dominantur, cum certo loco consistant, in alijs regnis suos habent Proreges, Christus habet Regnum in terris, quod acquisiuit Sanguine suo, regimen illius vtique in terris, vt non semper de Cœlo vocem Christi loquentis expectemus, Proregem certè aliquem in terris constituisse putandus est, aut certè non satis suis subditis in his, quæ sunt maximi momenti, vt quæ spectant ad salutem animarum, consuluerit, quod citra blasphemiam nequit efferri. Quod attinet ad locum ex Esai. 49. [Vultu in terram demisso, puluerem pedum tuorum lingent,] operę pretium hue referre, quod in illum locum Esaiæ scribit Leo de Castro meminisse se legere in codice peruetusto ordinis D. Benedicti de moribus Ecclesiæ Christianæ, [Reges olim cum adirent Episcoporum Synodum procumbere solitos toto corpore ante Episcopos, & terram exosculari, neque priùs humo se attollere, quàm illi suis sedibus surgerent, & illos brachijs attollerent, & sella quadam regiæ pro dignitate collocarent, dum tali pietate, inquit, præfulgebant reges, victricia aduersùs hostes suos videbant signa, hoc, inquit, puto significari ab Esaia.] Ità benè consultum rebus suis putent Reges, ac Principes, quando pedes Pontificis exosculabuntur, hoc est, summam illi reuerentiam, & obseruantiam exibebunt. An verò quamdiù in terris Christus nostræ salutis mysterium operatus est, [vultu in terram demisso, reges eum adorauerunt, aut puluerem pedum linxerunt:] Hoc igitur completur quando in Christi Vicario is honos, eaque reuerentia eidem defertur.

Nam Alexander Magnus, licet veræ Religionis expers Pontificem Iudæorum adorauit, testatus non hunc se adorasse, sed Deo, cuius Pontifex esset, hunc honorem exhibuisse, ità in Pontifice Christum ipsum veneramur.

Hæc, inquit, iussu superiorum, Bononiæ, Neapoli, typis mandata. Nec temerè quidem, aut priuato quorundam studio, sed ex senatusconsulto Pontificio, re deliberata, solemni more in loco maiorum, in congregatione publica, in æde Mineruæ, in Pauli ipsius conspectu, in celebri Cardinalium consessu, magno populi concursu disputata, definita.

Valdè certè elegans, & accurata descriptio cum omnibus argumenti ipsius circumstantijs. At pauló antea scripserant (præfigitur suorum libris heri, aut nudiustertius excusis: nunc verò disputata, definita.) Atqui libri in æde Mineruæ non solent disputationi subijci, verùm Romæ antequam typis mandentur, magna cautio adhibetur, si ne in eis aliquid censura dignum, & expungendum, aut expurgandum, cùm huiusmodi librorum, qui errores contra fidem, aut bonos mores continent, lectio sit valdè periculosa, si quæ verò conclusiones ad disputandum nonnunquam proponantur, & illius Pontificis effigies, aut loca aliquot Scripturæ ad supremam illius dignitatem commendandam spectantia pręfigantur, aut etiam aliquibus libris in lucem editis, non tamen ista sunt, quę disputantur, aut definiuntur, quæ vt supra dictum est, *nihil contra Christianę Religionis*, aut Catholicæ fidei veritatem in se continent, nisi hæreticorum iudicio, quibus nihil est cerebri.

Et Cardinales quidem ipsi nonnunquam sua præsentia honorare solent publicos, & solemnes actus disputationum, ridiculum tamen est, quòd de Pontifice in grauissimis negotijs Reipublicæ Christianæ continuè occupato affirmat hęc in conspectu illius, disputata, definita.

[Contrahis hic frontem, Lector.]

Atqui non habet effrons iste, quem contrahat frontem, & frons hæreticorum non est frons, nec nos contrahimus, sed explicamus frontem, qui videmus tantam nostrorum aduersariorum, cuius conspicuam impudentiam, vt indè apud omnes facilè mendacij conuincantur.

Non arcana loquor, nouit hæc Roma, & prostant hæc monstra cuiuis monstranda, ostentanda, & tu peregrinus verè in Ecclesia tua si ignoras tui proditor, si conscius dissimulas.

Ac si ad salutem nostram ea scire necessarium esset, vel etiam Ecclesia nostra præscriberet, nihil eorum ignorare, quę Romæ geruntur, si qui libri Pontifici dedicentur, si qui actus publici disputationum illic habeantur, aut in priuatis singulorum ordi-

num

num collegijs aliqua disputentur, vel definiantur.

Quòd si multùm, quæ in Concilijs generalibus definiantur, licet ignorare, multò certè magis ea,quę Romæ in disputationibus priuatis, aut publicis definiuntur, quæ certè non pluris famæ, quàm si alibi in scholis Theologorum definirentur.

Quòd si decisiones rotæ Romanæ non omnes omnium locorum Iudices scire tenentur, certè vt Theologi ipsi vbiuis locorum, multò minùs omnes Christiani in ea scire tenentur, quæ Romæ in æde Mineruæ, in priuato collegio disputata sunt, aut definita.

[Et nobis inter hæc Agyrtæ isti, Antichristum Babylone natum libellis consultò editis nunciare non erubescunt.]

Antichristum fore quidem singularem hominem sub finem Mundi venturum, & Iudæum, ac circumcisum, quem pro suo Messia Iudæi sunt excepturi, ex scripturis ipsis colligitur, & constat ex traditione Patrum, quorum, & multi volunt nasciturum ex tribu Dan: verùm Babylonem nasciturum, etsi non desinit fortasse, qui probabiliter doceant, de hoe ramen nihil certum habemus, neque id scire ad fidem vllo modo spectat, & agyrta iste, qui id nobis, & multa alia falsò imponit. Audite verò vocem, non iam de Cœlo, quam Ioannes excipiat, sed ex ore, quam intonet Morozus, *os toson aytisas, oson alloi peaticontai*. Qui quinquaginta alios æquas clamore, sonoque, vocem, inquam, impuram, os illud infame.

Vos itaque iam appello populi, quid ampliùs cunctamini? toties delusi, quin voci cælitùs intonanti actutum obtemperetis, exite ex ea popule mi, ne de peccatis, plagisque eius participetis.

NOn dubitamus certè vocem istam esse cœlestem, prout à Ioanne prolata in auribus nostris insonat, sed interpretatio illius, & accomodatio, auctore Mornæo, non aliundè quàm ex oreo emissa.

Quòd si delusi sumus, qui notas Ecclesiæ Christi, non nisi in Ecclesia Christi, non nisi in Ecclesia Catholica Apostolica Romana conspicimus, vtique ex scriptura, ipso Dei verbo, à Concilijs, à Patribus, Deo vtique Ipso delusos nos esse oportet, vt ei liberè & fidenter dicamus. [Si decepti sumus, decepisti nos Domine. Væ vobis qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum,] vestram Sathanæ synagogam reformatam illam, quam fingitis Ecclesiam aliquando inuisibilem, posteà Mundo se prodentem Christi Domini Ecclesiam asserentes, hanc verò veterem aliquam Catholicam à Christo in terris ædificatam super Petram Babylonis nomine, à qua iubetur populus Dei recedere, impiè, & sacrilegè interpretantes: Verùm nihil est, quòd vocem impuram, aut os infamè istius miremur, siquidem hæ sunt blasphemiæ omnium hæreticorum solemnes, quæ non mitiùs sunt hostes corporis Christi, quod est Ecclesia, quàm fuerunt Iudæi, ipsiusmet capitis illud iniurijs proscindendo, blasphemias prouocando, quin & crucifigendo.

Prosequitur incendiarius iste Reipublicæ Christianæ rabidus, furens audaciæ, Reges Catholicos ità compellat.

[Vos itidem Reges tamdiù inebriati.] Perfidorum Iudæorum personam nobis iste refert, qui cum Apostoli accepto Spiritu sancto linguis omnium gentium loquerentur, magnalia Dei, musto plenos esse calumniabantur, ad quos tum rectè Petrus, [Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel, & erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, &c.

Ità nos ad mateidum istum Iudæum magis, quàm Christianum. Non enim Reges, qui fidem Catholicam perpetuò coluerunt, & sanctam Romanam Ecclesiam in omnes Ecclesias habere Principatum crediderunt, supremæque Romani Pontificis spirituali potestati subditos se esse tamquam oues sacra numquam diffisi sunt, sed hoc est, quod sacra oracula præcinuerunt Esai. 49. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso, adorabunt te. In quem locum Diuus Hieronymus. Si caput Ecclesiæ Christus est, caput adoratur in corpore, & si ad quosdam dicitur, exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, cur non adoretur Ecclesia, quæ totum Christi corpus amplectitur, &c.

An verò quod in omnibus membris suis adorandum velit, & non magis in Antistitibus ipsis, qui pro Christo legatione funguntur Apostolorum successoribus, maximè verò in eo, qui Christi vices gerit in terris? Isaias item 60. [Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi, & suges lac gentium, & mammilla regum lactaberis, &c.]

Vt cæteros Reges, qui per Orbem dominati sunt, prætermittam, ex omnibus Galliæ Regibus à Clodoueo primo Christiano ad Pipinum Patrem Caroli Magni, à Carolo Magno ad Hugonem Capetum, & ab eodem Principe tertiæ familiæ Regum Franciæ ad Ludouicum XIII. nunc fœliciter regnantem, an aliquis Ecclesiæ reformatæ, & putiori Mornæi, quæ ante aliquot annos vbi gentium esset, ignorabatur, nomen dedit? An non omnes Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ fidem coluerunt, ab Archiepiscopis à Pontificibus Maximis instituti, & eiusdem cum illis communionis inaugurati sunt, vbi & Reges sanctissimè iurant se Ecclesiæ Catholicæ, & fidei sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpetuò fore protectores.

Quin & Episcopi, & laici sacramentum fidelitatis præstant se adiuuante Domino consilio, & auxilio fideles futuros, vt Regnum, quod Deus donauit ad ipsius voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ, & debitum regium honorem, & suam subditorumque, saluationem habere, & continere possit.

An verò isti tamdiù inebriati fuerunt?

in

in ijsdem fidei dogmatibus secum perpetuò, ac cum Ecclesia Romana, & reliquo Christiano Orbe consentientes, isti verò mutuò sese confodiunt, & sicut die Madian in mutua se cæde truncant, Immò nec sibi ipsis constant, in præcipuis fidei articulis hærent, modò aiunt, modò negant, sequitur.

[Quid circumspicitis? quin omnipotentis consilium haud irritum impletum accurritis,] Atqui Ioannes expresse dicit, [Deus dedit in corda eorum vt faciant, quod placitum est illi, vt dent Regnum suum bestiæ,] quod certè de Regibus Catholicis, & Pontifice Romano intelligi non potest, siquidem Regna sua non dederunt Pontifici: vult itàque Christianos Reges, qui Pontificem Romanum in spiritualibus superiorem agnoscunt, & reuerenter tamquam oues Pastorem, pugnare cum agno, esse hostes Christi: at Reges illi per decem cornua eo loco Apocalypsis significati, dicuntur vnum consilium habuisse, & virturem, ac potestatem suam bestiæ tradidisse, quòd certè minimè quadrat in Catholicos Reges, qui in ciuilibus, & temporalibus nullum superiorem agnoscunt, neque Regna sua, aut Regiam potestatem, quæ suprema est in suo genere, in Pontificem transtulerunt. Quantum verò sit sacrilegorum istorum in Vicarium Christi odium, constat ex his quæ sequuntur.

[Quin belluam illam desolatam, & nudam facitis, carne deuorata igni comburitis] Velit esse Christianorum Reges, quàm Lęstrigonas immaniores esse, aut etiam Cyclopas, *oy dios Aigiochoy alegontas, oyde Theon macaron.*

Audi Moruæe, quid Dominus tibi, & hostibus comminetur per Esaiam, [Eos, qui iudicauerunt te, (Ecclesiam colligendam ex gentibus alloquens) ego iudicabo, & filios tuos ego saluabo. Et cibabo hostes tuos canibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabuntur, &c.]

Vt sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostes non Pontificis, sed sua morte saturentur, & qui carnes sunt, quia Dei spiritum perdiderunt, suis vescantur carnibus.

De Luciano Samosatensi impio Athæo refert Suidas, *Teleytisai ayton ypo cynon epei catà tis alitheias eluttisen, eis gar ton peregrinon bion cathaptetai toy Christianismoy, caì ayton blasphimei tòn Christon o tammaros, diò caì tis lyttis poinas arcoysas en to paronti dedocen en dè to mellonti dyronomos oy aionioy pyros metà toy satana genisetai.* Quæ verò blasphemiæ, aut quæ impietas Luciani, si cum impietate, & blasphemijs sacrilegi istius hominis in sanctam Ecclesiam Catholicam Apostolicam Romanam, & in Christum Domini conferantur, dignus itàque Luciani exitu, cuius præter cruciatus æternos illi cum Diabolo, & Antichristo præparatos, carnes non à Cyclopibus, aut Læstrigonibus, sed à canibus, & feris discerpantur, ac deuorentur.

[Plancturi aliàs, inquit, super illa, pœnas cum illa luituri, qui cum illa tamdiù deliciati, fornicati estis.]

Quæ verò, impiè, & sacrilege homo, deliciæ, aut fornicationes sunt Christianorum Regum cum Pontifice, quid aliud, quàm Dei honorem, Christianę Reipublicæ salutem, ac tranquillitatem, & Christiani nominis amplificationem, ac Ecclesiæ longè, latèque sibi incrementa proponunt?

At tu Christe Domine, inter hanc cunctationem dicam an ignauiam euigila, exurge, descende, vide Sodoma huiusce spiritualis peccatum, quia consummatum plenè, & cumulatum.

CVm istius hominis, & gregalium suorum intelligimus blasphemias, miramur quidem, & meritò tantam Christi Domini patientiam, & quòd non illi statim tellus ima dehiscat, & ego quidem cum Odysse illo apud Xenophontem, *catà tis gis catadyomai ypo tis Aischynis acoyon tayta.* Hæ sunt voces *blasphimoy* istius *i dysphimoy atheoy eipein mallon.* Ecclesia Romana purpurata meretrix, Babylon magna, Sodoma spiritualis, patiens est Dominus, tacet, at parturiens loquetur. Quomodo Sodoma spiritualis, in qua est sactissimæ Trinitatis, & Christi confessio, sacramentorum administratio, verbi Dei prædicatio in qua profitemur diligendum Deum ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos, non licere in mulierem oculos figere ad concupiscendam eam, ac ne interno quidem actu Deum offendendum, in qua quotidiana ad populum per Ecclesias ad pœnitentiam exhortatio, peccatorum omnium integra, & humilis confessio, cum nostræ Ecclesiæ doctrina ea sit, vel per vnicum peccatum, quod sit læthale, salutis viam præcludi? Et quoniam argumentum à testimonio aduersarij firmissimũ est, Lutherus ipse fatetur, [Sub Papatu multa esse bona Christiana, immò etiam bona Christiana, & indè ad suos defluxisse, esse in Papatu, veram Scripturam sacrã, verum Baptismum esse, veras claues ad remittenda peccata, verum prædicandi esse officium, verum Cathechismum, veluti orationem Dominicam, ac decem præcepta, & articulos fidei, insuper sub Papatu veram Christianitatem, immò verum nucleum Christianitatis esse, quomodo ergo nostra Ecclesia Sodoma spiritualis?

Immò id certò constat, quàm sancta est nostra Ecclesia, tam impuram esse hanc, quam vocant reformatam, & puriorem, & ad id in promptu ex scriptura habeo argumentum. Regnum Iuda, reprobato Saule, & posteris eius in Dauid virum Deo acceptissimũ translatum est, & in posteros illius multos, & quia radix sancta, ideò in posteros illius multos Reges reperias, de quibus scriptura testatur, quòd ambulauerint in vijs Dauid Patris sui in Regno Iuda, prætereà semper viguit legitimum Sacerdotium, ac religio templi, & cęremoniarum, at Regnum Israel, hoc est decem tribuum in Ieroboam translatum est, qui subditis auctor factus est patriæ religionis deserendæ, & ex Regibus, qui post eum Regno potiti sunt, ne vnus quidem Dei veri cultor extitit, vt de singulis dicit scriptura, quod fecerit malum coram Domino, ac secuti sunt peccata Hieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, ità in Ecclesia nostra à Christo Domino sancto sanctorum in terris ædificata à

Petro

Petro Apostolo, cui Dominus suas oues pascendas primùm commisit, ad nostra tempora multi sanctissimi fuere Pontifices, & quia reliqui Episcopi aliorum item Apostolorum successores, indè per Christianum Orbem, tot innumeri sanctitate vitæ Mundum illustrarunt, immò nullo non sæculo, & quidem ex omni genere hominum mirabili sanctitate insignes, quin & miraculis coruscantes extitere, vt Sodoma spiritualis citra sacrilegium, & sine iniuria atrocissima dici non possit, at hæc reformata, & purior Mornæi, vt nupera est ante aliquot annos à tenebris emersit à Ioanne Caluino perditissimo tenebrione sua ferè primordia repetit, qui cum Nouioduni daret operam libidini præposteræ in vincula coniectus, & publico iudicio flammis vltricibus est adiudicatus: verùm potentum quorumdam precibus ex his ereptus, & infami stigmate in humeris notatus, exilioque perpetuò mulctatus, Geneuam profugit, arcem noui Euangelij, & Ecclesiæ istius reformatæ diabolicitus destinatam, qualem quæso vitam esse conijciemus monstrorum, & professorum noui istius Euangelij, & sectatorum Ecclesiæ istius reformatæ, cuius auctor, & Princeps, impurus, & infamis Apostata? Idololatra primus Rex Israel, ideò & illius successores in regia dignitate prauum illius institutum secuti, ac totum ferè Regnum ad Idololatriam deflexit, quia igitur Princeps istius Ecclesiæ reformatæ Mornęi Caluinus est profligatissimus, *oytidanòs* nebulo, atque tam nefandi criminis reus aliquando factus, potiori certè iure, nos Ecclesiam istam commentitiam ex impietate, blasphemijs, & erroribus totam conflatam Sodomam spiritualē appellauerimus. An verò consumata sit malitia Sodomæ istius spiritualis, an cōpletæ sint iniquitates istorum Amorrhæorum, vtrum *gnasu Balah vebem isc*, & quando ab hæresibus modernis, quæ tot, tantasque clades Christiano Orbi attulerunt, tot animabus exitium pepererunt liberandi simus, nouit Dominus ipse. Quemadmodum est excitatus tamquam dormiens, & tamquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora, & opprobrium sempiternum dedit illis, ità certè & futurum aliquando speramus.

Torcular calca solus, etiamsi nemo ex populis, ex Regibus nemo auxiliator tecum. Accingere romphæa tua gladio tuo bisacuto, quo interficiendus impius ille spiritu oris tui verbo tuo.

Valdè certè ingeniosè ad suum institutum locum Prophetæ accommodat, vt torcular sit nostra Ecclesia, quam calcet, & pedibus premat Christus, & quidem Athanasius in quæstionibus de veteri Testamento quæst. 72. per torcularia Ecclesias interpretatur, in quibus vinum funditur, veluti sacrosanctus Christi Sanguis funditur, & sanctum eius corpus immolatur, & quod dicit Esaias. [Torcular ego calcaui solus, hunc inquit habet sensum, sicut torcular est receptaculum, & in eo calcantur botri; sic etiam Christus conculcauit inimicos suos tum intelligibiles, tum sensibiles, dicimus autem, & hoc quòd botrus, & vna Christus est, qui seipso comminuto, voluntariè pressus est, & ex morte sua distillauit mustum diuinum, suoque seipsum sanguine rubere fecit, est verò omninò solus, nam solus ipse Christus pro nobis mortuus est, non Angelus, vel senex aliquis, sed ipse Christus seruauit nos.]

Cypr. epist. 63. adducens illum locum Esa. [Vini, inquit, mentio est, & ideò ponitur vt Domini sanguis vino intelligatur, & quod in calice Dom. posteà manifestatum est, prophetis annunciantibus prædicetur: Torcularis quippè calcatio, & pressura taxatur, quia quomodo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, & prematur, sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi calcatus priùs fuisset, & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret,] vt ex eo loco contra aduersarios eum Patrum interpretatione documenta fidei nostræ depromamus, & alias quidem possem subijcere Patrum interpretationes; quarum nulla cum subtili accommodatione, seu expositione Mornęi quadraret D. Hieronym. eo loci docet iuxta Scripturæ sanctæ consuetudinem, torcular, sumi interdum pro vltione, & supplicijs peccatorum, Thren. 1. Torcular calcauit Dom. virgini filiæ Iuda, & sequitur apud Esai. [Calcaui eos in furore meo, & calcaui eos in ira mea.] Quod de Iudęis, & longè scelerarioribus hæreticis blasphemias contra Christum, & Eccles. illius eructantibus intelligendum. Quòd verò scribit Paulus, illum iniquum interficiendum spiritu oris Diuini, illum iniquum, mureidus iste sacrilegus, & impius Papam interpretatur, & spiritum oris Domini, verbum Dei exponit.

Atqui eò loci dicit Paulus, iniquum illum aduersari, & extolli supra omne id, quod dicitur Deus, quod de Papa certè perperam exponitur, qui se peccatorem confitetur, humillimum seruorum se Dei inscribit, vt cultus Dei in Christianismo sincerus conseruetur, immò amplificetur, vt nationes infideles ad diuinum cultum conuertantur, & in sacram religionem concedant, omnem adhibet operam: Romæ, aut alibi locorum non sibi templa extrui, aut cōsecrari, aut diuinos honores deferri (quod fecere, qui sibi diuinitatem præ nimia dementia arrogarunt) studet, quomodo ergo est impius ille, aut quomodo extollitur super omne id, quod dicitur Deus, aut colitur? Quòd si ex Scriptura sacra, ex verbo Dei constat impium illum, quem Papam interpretatur, interficiendum spiritu oris Domini, id est, verbo illius, & scriptura solum non potest, quomodo epistola ad Regem magnæ Britanniæ præcatur, vt nouus prodeat ex Britannia Constantinus, Maxentium, Pharaonem alterum in Ponte Miluio calcaturus, pessumdaturus, qui Romam intrepidus numquam frustra tentaram tecta ducat? Cum decem tribus Hieroboamum Regem sibi præfecissent, atque id Roboamus ægrè ferens conuentu duarum tribuum sibi subditarum indicto, & delectu 180000. habito conaturus esset, eos ad officium retrahere, per Prophetam Deus intercessit, admonens nefas esse bellum ciuile mouere, siquidem se auctore populum à Roboamo filio Salomonis defecisse.

Itâ si Mornęi consilium secutus Serenissimus Rex delectum haberet militum, copias vndique colligeret, ac Pontifici bellum inferret, vt quæ phrasis est Mornæi, Iouem Capitolinum de Sede numquam reponendum, excussis fulminibus exturbaret: purò certè tum intercessurum Christum, idem enim, qui per Ahiam Silonitem significauerat Hierobamo se scissurum regnũ de manu Salomonis, ac 10. tribus illi subditurum, significauit, & per Esaiam, & per Paulum, impium interficiendum spiritu oris sui, hoc est, vt interpretatur Mornæus verbo diuino Papam ipsum interficiendum, non igitur, in Ponte Miluio calcandum, pessumdandum.

Quid igitur aliud volebat Mornæus, quàm per Regem irritum fieri consilium, & verbum Domini.

Ac tamdem dicant impij à longè stantes propter timorem tormentorum eius. Væ væ ciuitas illa Babylon magna, ciuitas fortis, quoniam in vna hora venit iudicium eius.

SIt illa Babylon, illa Ciuitas fortis Vrbs Roma, illam Ioannes intellexerit, quæ quondam omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur, assumpsisse religionem, si nullam respueret falsitatem, quæ & extremis temporibus ab obedientia Pontificis discessura sit, & peccata peccatis accumulatura, an idcò Ecclesia Romana intelligenda? longè certè dispar ratio, & Ecclesiæ Romanæ, quæ Matris est omnium Ecclesiarum, & Vrbis Romæ, & Romanus Pontifex, non quatenùs Princeps temporalis Vrbis Romæ, sed quatenùs Ecclesiæ Romanæ Pontif. ac Petri in illa Cathedra successor in omnes Christianos habet spiritualem auctoritatem, & Reges, ac Principes, qui supremam habent in ciuilibus, ac temporalibus, & à nullo independentem, præterquàm à Deo, potestatem,] Pontifici tamen in spiritualibus subiectos se esse profitentur, & quando scribebat Petrus: [Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone,] Ecclesiam ipsam à Babylone, quam Vrbem Romam sub Principibus infidelibus, & ipsius Ecclesiæ persecutoribus intelligit, distinguit. Nec desunt, qui nomine [Babylonis magnæ,] multitudinem impiorum ex reprobis omnibus, vt hoc tempore ex Infidelibus, Iudæis, Paganis, Hæreticis, nimirùm, Lutheranis, Zuinglianis, Caluinistis, Hussitis, Anabaptistis conflatam intelligant, descendet enim ignis de Cælo à Deo, & deuorabit eos, & Diabolus, qui seducebat eos, mittetur in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia Antichristus, & Pseudo-propheta cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum. [Concinant pij, & ingeminent alleluia, salus, & virtus, & gloria Dei nostri, quia vera, & iusta iudicia eius, quia iudicauit meretricem magnam, quæ corrupit terram in fornicatione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius.]

Atqui pij illi non alij intelligi possunt, quàm sanctæ Romanæ Ecclesiæ Alumni, non verò Sectatores reformatæ istius, & purioris Ecclesiæ, quibus nouum esset, & insolitum concinere, & ingeminare, [alleluia,] neque antyphonas istius reformatæ Ecclesiæ videre licet, & Doctor Caluinus effrenem Papistarum licentiam appellat, [quòd Apostolo Paulo reclamante ex otica lingua verbosissimas preces reboare non] formidauit, in quibus nec syllabam vnam ipsi interdùm assequuntur, nec alios intelligere volunt, vndè constat (inquit) non Græco inter Latinos, nec Latino inter Gallos, & Anglos (vt hactenùs passim factitatum est,) sed populari sermone concipiendas esse publicas orationes, qui vulgo à toto cœtu intelligi possit, quandoquidem in totius Ecclesiæ ædificationem fieri conuenit, ad quam ex sono non intellecto nullus penitùs fructus redit, &c.]

Cùm igitur [alleluia,] vox sit Hebræa, cuius vim, & significationem non omnes intelligunt, in ista Ecclesia numquàm vtique concinetur, at in Ecclesia Romana frequens illud est concinni, & ingeminari, [alleluia,] pios igitur concinentes, & ingeminantes, [alleluia,] certum est intelligendos esse Romanæ Ecclesiæ Sectatores.

Qui verò, [serui Dei, quorum sanguis effusus est.] Nonne, qui pro fide Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ mortem fortiter, & constanter subierunt, & primis illis sexcentis à Christo annis cùm eam fuisse veram Ecclesiam, isti non diffitentur, & deinceps, & nostra ætate cùm in plurimis Christiani Orbis partibus multi pro eadem fide constanter, & fortiter martyrium subierunt, nec enim magis isti perduelles in perfidia hæretica morientes martyres sunt, quàm martyres essent circumcelliones Donatistarum, & diabolus res Dei æmulatur, & suos habet martyres.

[Vindicabit ergo Dominus sanguinem seruorum de manu Meretricis magnæ;] siue Ciuitatis impiorum, siue Vrbis Romæ, quæ Fideles, & pios primis temporibus persecuta est, & extremis suaue Domini iugum excutiet, & exigentibus suis peccatis extremam ruinam passura sit, per Reges, licèt impios, & Antichristo adhærentes, [vt vindicet se Dominus de inimicis suis per inimicos suos,] nec enim non ideò Hierusalem Ciuitas erat sancta, in ea Templum, & locus adorationis, quòd per Regem Chaldæorum, [virgam furoris Domini,] propterea sit euersa, & Templum illud dirutum, id exigentibus Regum, & populi peccatis; & licèt tunc hostes incenderint domum Domini, destruxerintquè murum Hierusalem, vniuersas turres combusserint, & quicquid pretiosum erat sint demoliti, non tamen tùm perijt, aut Synagoga antiqua, aut ipsum Sacerdotium, aut summus Pontificatus in posteris Aaron, siquidem cùm cum cæteris translatus est Babylonem summus Sacerdos Iosedechus, in vincula primùm coniectus, deindè à Rege liberatus, qui & successores habuit, qui secundo Templo præfuerunt. [Quorum verò seruorum Dei sanguinem effudit Ecclesia Romana, vt vindicet Dominus sanguinem seruorum suorum de manu eius. Isti nimirùm serui Dei profligatissimi Christianæ Reipublicæ hostes, qui cùm in caput Regum conspirant, & statum Reipubl. euertere moliuntur, omnia Diuina, atque humana

mana

mana confundunt, ob idque iustissimas luunt pœnas Diuinæ, atque humanæ Maiestatis rei, tùm demùm se seruos Dei, se reformatam Ecclesiam, se sacri Euangelij cultores, se Christi martyres inscribunt.

Non magis certè illi serui Dei, quàm Babylonij, qui incenderunt domum Domini, sacra omnia vasa religioni consectata sustulerunt, eaque aut idolis suis consecrarunt, aut certè in prophanos vsus conuerterunt, longè deteriora serui isti Dei Ecclesiæ reformatæ, sectatores noui Euangelij præcones commisere, quòd si iustissimis legibus, in eos Catholici Principes sæuiunt, quòd hæresim exitium esse non modò religioni, sed & reipublicæ, & quòd ipsi Principes in hoc suam operam Deo, & religioni debere, intelligant, quo sensu ideò Martyres, aut Ecclesia Romana eorum dicenda fundere sanguinem?

[Accinam & ego Domine seculi pertæsus, annorum satur, tui fitiens, cùm Simeone tuo: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c.]

Scilicet *cycnein asma*, immò Cygnæo canore vox dulcior, Ægyptij Sacerdotes, senem musicæ studiosum per hieroglyphicum Cygni effigiem significare consueuerunt, quippè quem omnes eò suauiùs modulari ferunt, quò magis in senium vergit, Cygnus ergo Mornæus, Socrates apud Platonem in Phœdone diuinandi quandam rationem, atque facultatem Cygnis inesse scribit, qui quidem, vbi senriunt sibi esse moriendum, vt superiori tempore canebant ità, & ad illud tempus maximè canunt, gaudentes se ad Deum illum, cuius sunt famuli, & ministri, continuò peruenturos. *Toy Apollonos ontes manticoi te eisi, cai procidotos to en adoy agathal, adoisi tò caì terpontai ecemun tin imeran diapherontos en to prosthea chrono.*

Equidem certò mihi persuadeo, & nullatenùs dubito Mornæum, & omnes illius gregales bonis, quæ apud inferos sunt, non verò ijs, quæ in Cælo præparauit Deus diligentibus se fruiturum. Sed improbi Syreni magis, quàm Cygno istum comparauerim, à quæ nobis sint aures obstruendæ. Syrenes autem ferunt, vbi mors imminet, vocem lamentatione plenam, tamquam à multis pariter ægrotantibus hominibus editam emittere, immò horrendos edere vlulatus. Certùm quidem est pios, & fideles, qui in fide Christi constantes vixere, bonorum præterea operum sibi conscios, vt iu Ezechia Rege dicere possint: [Obsecro Domine, memento queso, quomodò ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.]

Sacramentis Ecclesiæ præterea in spe meliores futuri status confirmatos, caducam hanc, ac tot miserijs obnoxiam vitam, cùm immortali, & æterna commutaturos libenter, & suauissimo cantu edito, hinc discedere, nec enim hic habemus Ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus: istos verò viros Belial, pleni omni iniquitate, & dolo, toties perfidiæ in Deum conuictos, veritatem agnitam ex professo impugnantes, blasphemias horrendas in Sponsam Christi, & in vnctum illius eructantes, ardentes faces ad incendium Reipublicę Christianæ ministrantes, quis dubitet æterna manere supplicia?

Simeon quidem ille senex cùm Christum in vlnas accepisset, lætus canebat: [Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c. Quia viderunt salutare meum oculi mei;] & eadem expectatione tenentur infideles Hebræi, qui Messiam venturum, in dies præstolantur, ac spectant, se lætos aliquando Regis Messiæ aduentum decantaturos, ac celebraturos, siquidem obtusi sunt sensus eorum, & vsque in hodiernum diem, cùm legitur iu Moyses velamen positum est super cor eorum, cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen, quemadmodùm igitur perfidi illi Christi hostes, [salutare Dei missum gentibus cùm venit plenitudo temporis.]

Frustrà, & incassum expectant Antichristum pro Christo excepturi, ità damnationem pro salute reprobi, non prædestinati, nisi conuertantur ab hæretica prauitate ad fidem Orthodoxam, & Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ aggregentur sunt recepturi.


Salutem Ecclesiæ tuæ ab hostibus suis, Agnum victorem, triumphantem propediem cum Sponsa immaculata, prædestinatorum cœtu celebraturum; cui cum Patre, & Spiritu sancto honor, & gloria in æternum. Amen.

TAm certò mihi persuadeo visurum Mornæum inueteratum dierum malorum senem salutare Dei salutem Ecclesiæ suæ reformatæ, & purioris ab hostibus suis, quàm verum est Ecclesiam Mornæi esse Ecclesiam Christi, & tam Mornæum in prædestinatorum cœtum assumendum cum suæ Ecclesiæ Sectatoribus, quàm Diabolum aliquando salutem consecuturum, qui numquàm plùs, quàm per os Mornæi deprehenditur blasphemasse.

Si ex præteritis, & de futuris coniicere licet hostes Ecclesiæ Romanæ tyranni hæretici, numquàm aduersùs eam præualuere, [dedit eam Dominus in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, bellabunt, aduersùs eam, & non præualebunt,] toties periculum fecerunt irrito conatu hostes illius.

Hæc promissio Domini certissima est, & firmissima per Euangelicum illum vatem facta ad Ecclesiam. Isa. 45. [Omne vas, quòd fictum est, contra te non dirigetur; & omnem linguam resistentem tibi, in iudicio iudicabis.]

Si igitur Mornæus salutem Ecclesiæ Christi ab hostibus suis videre gestiat, hoc certè consequens est eum profiteri debere non aliã, quàm Romanam Apostolicam Catholicam esse Christi Ecclesiam, alioqui certè sua spe excidet, siquidem hæc sua reformata, vt antè paucos annos è tenebris emersit, & per homines tenebrarum Mundo inuecta est, ità propediem, vt omnes hæreses superioribus seculis euanuere, in tenebras, & in fumum abitura est.



P. LVDOVICI THOMASSINI

Presbyteri Congregationis Oratorij Domini IESV.

DISSERTATIONVM IN CONCILIA Generalia, & particularia.

TOMVS PRIMVS.

Ludouicus Thomassinus in Gallia Aquis sextijs natus è nobilissima familia, quæ enumerat viginti Præsidentes Parlamenti eius ciuitatis in illustri *genealogia*, à teneris annis humanioribus literis, profanæ eruditioni, *Philosophiæ*, Theologię, deinde sacræ eruditioni totum se deuouit, & deinde ità vniformem vitam traxit, vt vno dicto posset finiri, à prima ætate vsque ad vltimam inter doctissimos Patres oratorij in nullo alio est occupatus, quàm in precando, & studendo. In Congregatione reddidit sibi familiares primarias scientias, & tantas cognitiones acquisiuit, vt Nili ad instar intrà ripas contineri non posset, & sese dilatando campos omnes fœcundaret. Ab initio docuit humaniores literas, deinde Philosophiam, in qua, & alios, & se ipsum eximiè perfecit; sed proprium studium, & pietas ipsum impulit ad studium Scripturæ, Patrum, & Conciliorum. Postquam eruditissimus Pater Petauius publicauit libros suos de dogmatibus omnes excitauit ad admirationem, & P. Tomassinum ad imitationem, & quamuis in præfatione Tractatus Incarnationis fateatur se hunc hominem in tota antiquitate exactissimum non sequi adamussim, sed à longè, & pronum vestigia venerari; eò tamen perfectionis deuenit, vt inaccessa, & occultissima mysteria plusquam decem tabernaculi cortinis contecta penè oculis ostenderet. Primarius has duas promeruit glorias, primam tractandi mysteria omninò incognita Prædestinationis ad modum excellentis historici, alteram penetrasse in mysterium absconditum à seculis Dominicæ Incarnationis, vbi ferè non est miraculum, quod eruditissimè non detegat. Anno *1654*. doeuit Theologiam in Seminario S.Maglouij, quod est Seminarium Archiepiscopale, & incæpit conferentias assiduas eum Patribus Oratorij super historiam Ecclesiasticam, & Concilia vsque ad annum *1668*. His occupationibus successit aliquod otium, sed otium laboriosum, & numquam fuit minus otiosus, quàm cùm otiosus, quippe cum onerantibus maximis Prælatis quibus venerationi erat, & compellentibus superioribus edidit opera, quæ composuerat, & multa, vt illa de gratia multum aucta. Dogmata igitur Theologica præcesserunt, & deinde sequutæ sunt aliæ memoriæ de libris disciplinæ, de ieiunio, de festis, & alijs. Ostendit in his fulgura terrentia eruditionis sacræ, & profanæ, & dum materia permittit ingressum in Academiam Platonis mysteria sublimia illius sectæ, cuius olim sectatores omnes ferè Patres iuspiciebantur, peritissimè detegit. Parum contentus reflexionibus aliàs factis super Historicos Profanos, eos denuò legit oculo Chri-

Christiano, sic Poetas omnes, & Philosophos fęlici furto iterum expoliauit. Miscet in suis operibus mirabilitèr profanum, & sacrum, & quod dicebat Virgilius de Ennio de Luto Gentilium gemmas colligit,& ipsam superstitionem,ipsumque errorem quasi opposita,facit inseruire veritati. E spolijs Ægipti ditauit Christianorum Ecclesias, quippe in vnum collegit quidquid sensus Religionis, veritas etiam cæcis scintillans, lumen naturale, traditio omnium populorum,communicatio hebreorum sapientissimè dictarunt. Innocentius XI. gloriosissimæ memoriæ publicè professus est se velle vti eius libro de disciplina Ecclesiastica pro regimine Ecclesiæ, quo vsum fuisse ipsa vtilissima experientia demonstrauit, & tanto affectu exarsit erga Tomassini sapientiam, vt præsentem rentauerit habere Romæ, & omni modo quæsierit ipsum trahere ad Sanctam Sedem. At super propositione facta Magno Regi viuenti à Cardinali Cibo responsum est non posse tanto thesauro spoliari regnum Galliæ. & non minori æstimatione nolle regem eius recessum, quo cupiebat Summus Pontifex ad Vrbem accessum. Quæ omnia vt intellexit Thomassinus insolita lætitia est exhilaratus, quippe delitias in solitudine, & studio collocauerat, & illis duobus postposuerat omnes Ecclesiasticas dignitates, etiam maximas, quas ęstimatio, & vocatio Summi Pontificis solent laborantibus in Domini vinea facilè præsagire. Post hæc totus fuit in lingua hebraica euoluenda, quam in glossario vniuersali demonstrat Matrem omnium, & ostendit omnia vocabula ab illa,tamquam flumina à mari egredi, & linguam hebræam, & linguarum, & vocum omnium radicem vnicam esse. Hoc opus fuit vltimum, post quod sensibiliter diminutæ sunt vires totius corporis; & coactus est relinquere omne genus studiorum, & ex duabus socijs solitudine, & scientia primam solam amplecti, quam tamen tantò suauiòrem inuenit, quò magis solam. Denique laboribus fessus anno 1695. die 24. Decembris Vigilia Natiuitatis Domini ad vitam redditam à nascente Domino meliorem transijt. Die sequenti ipso Natiuitatis Dominicæ die Parochus Sancti Iacobi de alto passu vicinus S.Maglouio habuit in eius funere pulcherrimum Elogium, vbi multa vitæ eius abscondita, & egregia facta, ob quæ ab ipso Thomassino in vita silentij iuramentum habuerat, egregiè detexit. Ità enarrat M.Perrault dell' Academie Francoise, enumerans res præclarè gestas hominum Illustrium Galliç & eorum Icones ad vnguem exprimens. Tractatus autem historici, & dogmatici, positi ea lingua, qua editi sunt infrascripti. Traitez Historiques, & Dogmatiques du Pere Thomassin. Des Ieunes 8. Paris 1681. Des fetes 8. Paris. Del Vnitè del Eglise 8. 2. vol. Paris 1684. Del' Office Diuin 8. Paris 1686. Methode pour estudier la Philosophie 8. Paris 1685. Methode pour estudier la Gramaire, & les langues en les rapportant al'Hebreu 8. 2. vol. Paris 1690. Methode pour etudier les Historiens 8. 2. vol. Paris 1694. Traitè de la Veritè,e du Mensonge des Iutement, & de spargiures 8. Paris 1691. Traitè del Aumone, ou du bon vsage des biens Ecclesiastiques 8. Paris 1695. Traitè du Negoce, & del Vsure 8. Paris 1697. Einsdem Vetus, & noua Ecclesiæ disciplina circa Beneficia, & beneficiarios fol. 3. Vol. Paris 1692. Eiusdem dogmata Theologica fol. 3. vol. Glossarium vniuersale hebraicum fol. Paris 1697. Tandem Dissertationes de Concilijs. Istæ autem dissertationes sunt omnes de Romano Pontifice, & triplicem habent scopum, vt nuperis occurrat hæreticis, Concilij & Summi Pontificis, Sacerdotij, & Imperij concordia. Sunt autem Dissertationes 20. 1. in synodos sub Victore Papa de obseruatione Paschatis. 2. In Synodos sub Stephano Papa in causa baptismi hæreticorum, in Synodum Nicęnum 6. in Synodum Gangrensem 5. in Synodum Ariminensem 6. in 2. Synodum Generalem 7. in Synodum ad Quercum, & de tota causa Chrysostomi 8. in Concilium Diospolitanum in causa Pelagij 9. in Concilium Cartaginense, & Mileuitanum sub Innocentio, Zozimo 10. in Concilium Ephesinum Primum 11. in Concilium Cp. sub Flauiano, & Ephesinum 2. 12. in Chalcedonense; ibique appendix de subscriptionibus 13. in Concilium Arelatense, & Lugdunense 14. in Concilium Romanum vtrumque sub Felice Papa II. 15. in Concilia Romana sub Simmacho. 16. in Synodos Cp. & Romanam anno Christi 518. & 520. 17. in Synodum Arausicanam 18. in Synodum Romanam anno 532. 19. in Synodum 5. Æcumenicam 20. in Synodum 6. Æcumenicam. Promittit Auctor præter has dissertationes alias, nempe in 7. & 8. Synodum, in Concilium Basileense, Constantiense, sed istæ non viderunt lucem, & auctor occupatus edere non potuit. Istæ autem postquam editæ sunt, dum examinarentur, & detinerentur

exijt vna vel altera, & vendita est centum aureis. His igitur ad Papam spectantibus Bibliothecam nostram libenter ditamus.

DISSERTATIO PRIMA.

Ad Synodos sub Victore Papa de obseruatione Paschatis, Habitas circa Ann. 197.

Romanam, Lugdunensem, Palæstinam, Ponticam, Hierosolymitanam, Corinthiacam, Osroenam, Mesopotamicam, nec non Ephesinam sub Polycrate.

SYNOPSIS.

Æquitas, & prudentia Victoris Papæ in constituendo Paschate, & anathemate Orientalibus intentando defenditur, ad num. 14. Deinceps eiusdem potestas summa à contemptu, & infamia vendicatur.

1 HARVM omnium Synodorum meminere Eusebius l. 5. Hist. Eccles. cap. 23. 24. 25. & auctor Libelli Synodici num. 8. & octo sequentibus. Eusebij verba sunt: [Graui controuersia exorta, eò quòd omnes per Asiam Ecclesiæ vetusta quadam traditione nixæ, quartadecima Luna salutaris Paschæ diem festum celebrandum esse censebant, quo die perscriptum erat Iudæis, vt agnum immolarent: eaque omninò Luna, in quemcumque demùm diem septimanæ incidisset. Cùm tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ alio more vterentur, qui ex Apostolorum traditione præfectus etiam nunc seruatur, vt scilicet non aliò, quàm resurrectionis dominicæ die ieiunia solui liceat. Synodi ob id, cœtusque Episcoporum conuenere. Atque omnes vno consensu Ecclesiasticam regulam vniuersis fidelibus per epistolas tradidere ne vllo alio quàm dominico die mysterium Resurrectionis Domini vnquam celebretur.] Vnus cum Ephesina sua Synodo secus decreuit Polycrates, eius tum vrbis antistes.] Victor Romanæ Vrbis Episcopus illicò omnes Asiæ, vicinarumque prouinciarum Ecclesias tanquam contraria rectæ fidei sentientes, à communione abscindere conatur: datisque literis, vniuersos qui illic erant fratres proscribit, & ab vnitate Ecclesiæ prorsùs alienos esse pronunciat. Verùm hæc non omnibus placebant Episcopis. Proindè Victorem ex aduersò hortati sunt, vt ea potiùs sentire vellet, quę paci, & vnitati, charitatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum eorum literæ, quibus Victorem acerbiùs perstringunt.] Eadem propemodum Libellus Synodicus, singulas Synodus suo more summatim delibans.

2 Hinc Victorem allatrandi; & Apostolicæ Sedis principatum exagitandi ansam arripiunt Nouatores; quòd præproperè pacem abruperit; quòd brutum fulmen vibrauerit; quòd vt suæ potestatis limites præteruolanti non paruerint Orientales; quòd denique ab eo excommunicati communione Ecclesiæ Catholicæ frui nihilosecius perstiterint. Aduersùs has calumniarum nebulas elucidanda nobis est Victoris, Synodique sub eo Romanæ æquitas, & potestas. Et ex Eusebio primùm, Asiatica sola, hoc est, Ephesina prouincia cum finitimis Ecclesijs, cum Polycrate sentiebat: at omnes aliæ per vniuersum orbem Ecclesiæ consentiebant Victori. Turpis ergo erat pars, quæ suo toti non concineret? atque non intempestiuis ad hunc concentum stimulis vrgebatur. Ad hæc cum reliquo orbe collectę Synodi vno consensu Ecclesiasticum dogma propalassent: his dissonare intolerandæ cuiusdam erat pugna citatis. Adde quòd Asianæ Ecclesiæ vetusta veluti quadam traditions nitebantur: at reliquæ Ecclesiæ mos indubitanter ex Apostolica traditione defluxerat. Quæ alia vis enim Alexandrinos, Palæstinos, Osroenos, Ponticos, in eamdem cum Romana Ecclesia consonantiam adduxisset, nisi altiùs repetita, & ab ipso Apostolicæ prædicationis fonte hausta traditio? Tertullianus l. de Coron. militis: [Hanc obseruationem si nulla Scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quę sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum priùs non est? Et l. de Præscript. Ecquid verisimile est, vt tot, & tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus est vnus exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quòd apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.

3 Et quamquam res ista suo ex genere media quodammodo, & in vtramque partem

tem

tem versatilis videri posset, vt siue dominico, semper, siue alio quandoque die Pascha celebraretur, nec fides ideò, nec Ecclesia labasceret: longè alia tamen tunc Episcopos, & Ecclesias totius orbis incesserat sententia. Etenim Victor dissonas abrūpere Ecclesias meditabatur velut heterodoxas. Eusebius non Apostolicam tantùm traditionem, sed Ecclesiasticum dogma vocat. Polycrates ex aduerso maiorum suorum diuersam consuetudinem, obseruatam contendebat, iuxtà Euangelium, & secundùm fidei regulam. Aduersùs hortamenta, & minas, quibus ad consensum cum cæteris Ecclesijs impellebatur, fidenter excipiebat, Obediendum] Deo potiùs, quàm hominibus. Addebat se genuinum, ac verum agere diem, nec addidisse quidquam, aut detraxisse. Ergo id nimirùm supererat, vt reliquæ omnes orbis Ecclesiæ Polycrati.& sectarijs eius viderentur Euāgelium interpolasse, temerasse fidei canonem, diuinis institutis obniti. Neutris ergo persuasum erat, rem totam in medio relinqui posse. Indè est quòd, vt obseruat Irenæus apud eumdem Eusebium in epist. ad Victorem, hac de re iam antè incaluerat Romæ concertatio inter Anicetum, & Polycarpum, & si tum quidem incolumi pacis vinculo. [Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere vnquam poterat, vt obseruare desineret, &c. neque item Polycarpus Aniceto persuasit vt obseruaret, cùm Anicetus eorum, qui ante se fuerant Presbyterorum, morem sibi retinendum esse diceret.

4 Peruersum est igitur quòd Nouatores Socrati potiùs assentiuntur, l. 5. c. 21. aienti: [Neque Seruator, neque Apostoli istud obseruandum lege aliqua præceperunt, neque mulctam, aut supplicium, sicut lex Mosaica Iudæis, vel Euangelia, vel Apostoli nobis minati sunt, &c. Apostolis propositum fuit, non vt leges de festis diebus celebrandis sancirent, sed vt rectæ viuendi rationis, & pietatis nobis auctores essent. Mihi quidem certè videtur, sicut aliæ res multę in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt, ità festum Paschatis ex quadam consuetudine, apud singulos populos obseruationem priuatam habuisse: propterea quod nemo ex Apostolis legem de eo, vt dixi, cuiquam edidit.]

Vltra ingenioli modū exultauit Socrates: cùm Theologi personam induit. Non Eusebio enim tantùm, & Victori, & Polycrati, & Aniceto, & Polycarpo refragatus est, qui suum quisque morem, antiquiori traditioni, Apostolicæ institutioni, legi Euangelicæ, fidei Canoni, Ecclesiastico dogmati vindicabant: sed & Synodis omnibus hac tempestate collectis, quæ, vt de Hierosolymitana auctor est Eusebius c. 25. scripsere, [de traditione diei Paschalis, quæ iam indè ab Apostolis ad ipsos continua successione manauerat.] An licet post ducentos ampliùs annos ea somniare, quæ, & synodorum, & Pontificum rebus ipsis penè supparium fidem protsùs labefactent? An licet Polycrati, ità patrociuari, vt Polycratis ipsius sententiam omnem adulteres?

5 Auctor verò Libelli Synodici Eusebio consentaneus est. Itaque apud eum Polycratis Ephesina Synodus dicitur simplex, neque exquisita: eius verò decretum, tanquam à principio acceptum, à Sanctis Apostolis Timotheo, & Philippo confirmatum. At reliquæ omnes pro Victoris partibus Synodi, diuinæ, & sacræ: super mystico Pascha secundùm Anicetum, & Victorem pronunciantes. Denique cap. 8. [Victor sanctissimus Romanorum Ecclesię Papa excommunicationem mittit Polycrati; neque hoc solùm, sed synodicè etiam ea, quæ ad hoc festum pertinebant, persequitur; & cum ipso Synodi in plurimis prouincijs, & partibus terræ congregatæ, idem vnanimiter statuunt.] Vides quàm hæc abhorreant ab indifferentia illa commentitia, & ab ignominia Victori aspergenda.

6 Ad hæc si in suspendio relinqui res poterat, eccur de ea ad Synodum vsque Nicænam certabatur? Eccur ad pacem conciliandam œcumenica Synodo opus fuit? Athanasius lib. de Syn. [Nicæna Synodus non temerè habita est, vt quæ habeat grauissimos vsus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotami, in causa festi claudicabant, atque vnà cum Iudæis Pascha celebrabant; & iam tum Ariana hæresis propugnatores habebat, &c. Atque ea causa fuit, cur vniuersus orbis in Synodum coiret, vt & eodem die vbique festum celebraretur, & hæresis, quæ suppullulauerat, anathemate percuteretur. Quod & factum est.] Eusebius l. 3. de vit. Const. cap. 5. [Alius antiquior suberat morbus longè grauissimus, qui Ecclesias iampridem infestabat, dissensio scilicet de salutari festo. Itàque cùm omnes vbique populi iandudum inter se dissiderent, & sacri religionis nostræ ritus perturbarentur: quippè in vno, eodemque festo temporis diuersitas maximum dissidium inter feriantes excitabat: cùm hi ieiunijs, & ærumnis seipsos attererent, illi otio, ac letitiæ indulgerent. Mortalium quidem nemo erat, qui huic malo remedium posset adhibere.] Et c. 14. hoc egregium scilicet operæ pretium effert, & Nicænæ Synodi, & Constantini, vt non modò vnius fidei consonantia apud omnes obtineret, verùm etiam vnum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur. Sed & Constantinus in epistola ad Ecclesias post Nicænam Synodum, ait: vno consensu definitum eodem ab omnibus die celebrari Pascha, reijcique turpissimam societatem Iudæorum, & rectiori ordine, quem à primo passionis die vsque ad hæc tempora seruauimus, ad futura etiam sęcula huius obseruantiæ ritum propagari. Nefas est vt in tanti momenti negotio, & in huiusmodi religionis solemnitate dissensio reperiatur. Vnum enim libertatis nostræ festum diem, hoc est diem sacratissimæ passionis, Seruator noster nobis reliquit: vnamque esse voluit Catholicam Ecclesiam. Cuius membra licèt varijs locis dispersa sint, vno tamen Spiritu, Dei scilicet voluntate fouentur. Addit in hanc consuetudinem concinere [omnes

tam

tam Occidentalium, quàm Meridianatum, & Septeotrioualium orbis partium Ecclesias, nonnullas etiam Otientalium. Suscipite cælestem gratiam, & diuinum veluti verè mandatum. Quidquid enim in sanctis Episcopotnm Concilijs geritur, id omne ad dininam referendum est voluntatem.] Et ipsa Nicæna Syoodus in epistola ad Alexand. Eccles. apud Theodoretum l. 1. cap. 9. [Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo festo Paschatis attinet, scitote quòd vestris precibus hæc quoque pars prudenter coostitura est, ità vt omnes fratres, qui Iudæos priùs imitabantur, secututi iam sint Romanos, & vos, & omnes, qui ab initio Pascha custodiunt.] Vides constanter affirmari, legem Paschatis ab Apostolis ipsis iam iodè ab initio consignatam fuisse vniuersæ Ecclesiæ, 2. Dissensiooem inter Ecclesias in tanti momenti negotio exitialem esse, 3. Consensionem cum Iudæis probro, & fuisse, & fore. 4. Vnam esse Christi Ecclesiam, tametsi locis distracta sit, vno spititu vegetari illam, voo Sactamentorum concentu necessario vinciendam sibimet, ne dissiliat. Itàque noo posse celebrationẽ Paschatis inter *tà adiaphora* computari.

7 Vides rursus hęc omnia peręquè locum habuisse æuo Victoris: vt necessum sit, si qua huic iouratur temeritatis nota, ea Synodum quoqne Nicænam afflari. Quid enim Constantinus nomioe Synodi in illa prolixiorè ad Ecclesias epistola perorauit, de Paschæ festo in Dominicum diem figendo, quod non & Victor potuerit? Æquè tunc voa Ecclesia, æquè exosi Iudæi, æquè Apostolicæ traditiones cordi erant, æquè Ecclesiæ Ecclesijs iam tum collidebantur, vt argumeoto est, vel ista Synodorum frequentia. Si compescenda erant illa dissidia, eccur vocatur in crimen Victor, qui io id incubuit? Si ferenda erant, & studio pacis donanda, an minùs ergo sapuit Nicæna Synodus? At vehementiùs, inquies, iam cooflagrabat illud inceodium. Ergo gratulandum Victori, qui grassantis mali contagium præuertere tentauerat: & illis succensendum, qui minùs tempestiua dispensatione iurgiorum flammas aluerunt.

8 Quamquam Irenæo, & alijs, qui Victorem hortabantur, paci potiùs, & Ecclesiarum vnitati indulgere, meritas laudes haud equidem iooidebo. Stricto iuri Victor studebat, illi temperaro: hi charitati, ille veritati consultum cupiebat. Vtromque in laude est. Asiaticæ disciplinæ vulnus patientia illi sanandum sperabant, ille exulcerandum præsagiebat. Ex incerto euentu, vt meos hominum cæca futuri est, in diuersa rapiebantur consilia, certo tamen consuleodi animo. Vel vtrisque ergo par honos adsignandus est, vel illi cumulariùs fauendum, qui maiore solertia exasperandum remissione morbum præuidit, & iam tum acriore cauterio gliscentem luem adurere pro virili sua occupauit. Etsi ergo inter Iuris vigorem, & clementiam, inter Victorem, & Irenæum dubij penderemus, ipse tamen rerum exitus ad Victoris anteponenda consilia nos potiùs inclinaret. Iteoæum ipsum sui pœnituisset instituti, vt arbitror, si temporibus Nicænæ Synodi reuiuiscens, ex sua, suique similium humanitate ram inopinaras vidisset ebulisse discordias, quibus comprimeodis Constaotini, & Oecumeoicæ Synodi potestas vix, aut nec vix par fuit. Quæ Ireoæus, quæ alij pari fiducia ad Victorem inhibeodum scripcitarunt, ad Nicænæ Synodi patres scripta fingantur. Num palinodiam canet tanta Synodus? Num charitate desieri putabitur? Dispensatio sanè noo minùs Nicæois temporibus, quàm Victoris ętate videri potest opportuna; immò opportunior rantò, quantò motbus tom recruduerat.

9 Quòd autem diuinant, Nicænos patres nullum anathema distrinxisse in Iudaici posthac Paschatis sectatores, ideòque nec à Victore distringuendum fuisse: præsumptæ semel opinioni pugnatiùs, quàm par est, inhærescunt. Quorsùm enim totius orbis fatigantur Ecclesiæ, quorsùm tanto strepitu imperium, sacerdotiumque colluctatur: si quod defioierint, impunè, vt priùs, liceat transilire? An dissidia tam diuturna & atrocia pacatum iri sperarunt, citra vllius pœnæ interminationem? Leuioribus priuatorum culpis vltores statim immineut Canones: huic verò flagitio, quo Ecclesiæ compago concutitur, nihil pœoarum iudiceor? Nouellis in dies decretis adijciuntur subindè Syoodica anathemata: hæc verò, quæ iactantur Apostolica statuta, & vniuersæ Ecclesię conseusu receptissima, impunè calcabuntur? Vide Ambrosium epist. 83.

10 *Ad hæc, post Nicænam Synodum* Quartadecimani inter hæreticos numerati sunt ab illis omnibus, qui de hæresibus scripsere. Philastrius cap. 11. & 39. disertè hæresio Ecclesiæ Catholicæ aduersam appellar. Augustious similiter capit. 29. Epiphanius hæresi 30. vel 50. [Ex ijs duabus inter se commistis Cataphrygum, & Qointillianorum, siue Priscillianorum sectis, noua quædam conflata est, & in orbem introducta Quartadecimanorum hæresis. Qui cæteris in rebus cum Ecclesia consentientes, hoc ipso ab omnibus aberrant, quòd non illius instirutis, doctrinæque consentanea quædam amplexi sunt.] Hæresin, ex alijs hæresibus concretam esse docet, capite in vno dumtaxat ab Ecclesia dissooantem, sed eo ipso oomine io omoibus aberrantem, quòd fidei indiuulsa sit compago. Cùm autem & à Cataphrygibus prognatam perhibet, & statim post Cataphryges recenset, ac qoasi matri filiam subiungit Epiphanius Quartadecimanorum hæresin, eius ab Ecclesia secessionis non à Nicæno Concilio, sed à Victoris saltem tempore exordia vtiqne repetit. Vt tantò æquiùs eam, & Victor, & Nicæna Synodus Ecclesiasticis diris addixerit. Eodem, quo Epiphanius loco illam Augustinus post Mootanistas numeraoit, & ante eum Philastrius.

11 At idem Epiphanius hæresi 70. quæ est Audiauorum, luculenter antedicta omnia coofirmat: Constaurino plurimùm debere Ecclesiam, eo duplici maximè oomi-

ne,

næ, quòd Arij dogma profligarit, quòdque celebrandi Paschatis concordiam aduexerit, collecta Nicæna Synodo: [Iampridem enim,& à primis vsque temporibus variæ in Ecclesia de hac solemnitate controuersiæ, ac dissensiones extiterant, quæ quotannis risum, ac ludibrium afferebant, &c. præsertim Polycratis, ac Victoris ętate, &c. quod & alijs temporibus accidit, velut Alexandri Episcopi Alexandrini, & Crescentij, quemadmodum inter se mutuò scripserint,& acerrimè pugnauerint.] Quæ postrema verba si cum testimonio Synodi Nicænæ ad Alexandrinos scribentis suprà relato componas, facilè emicabit,hac Alexandri Episcopi Alexandrini cum Crescentio concertatione adductam fuisse Synodum ad litem decretorio iudicio dirimendam. Quid mirum ergo, si annuas has & perniciales altercationes Victor primò, indè Nicæni patres vibrato anathemate opprimere moliti sunt? Nam si hi ab intorquendo anathemate abstinuere, quorsum deinceps hæc inter exteras hæresis computata est? Quòd autem se Polycrates exemplo Apostolorum tuebatur,excipit eleganter Epiphanius, dispensationi, & pelliciendis in Ecclesiam Iudæis id donasse Apostolos. [Quòd si vel cum Christi hostibus, vt illi putant, Apostoli celebrandum esse Pascha censuerunt,quantò magis ad eamdem retinendam consensionem cum Ecclesia celebrare conuenit, ne illius concordia laceretur?]

12 Sed video, quid à Victoris inclementia alienet homines, regulas Ecclesiasticas suo ingenio, non ingenium suum regulis Ecclesiasticis aptare, & frangere meditantes. Ægrè ferunt rem disciplinæ ad causam anathematis trahi, & scessionis. Ad palinodiam ergo vocent Epiphanium,Philastrium, Augustinum, & alios omnes hęresum elogia texentes. Nam qui error hęreticæ infamiæ, idem certè anathemati potuit, & debuit implicari. Sed hac illi fucata humanitate, & Synodorum antiquissimarum,& Ecclesię primigeniæ fundamenta labefactant. Quid enim Apostoli in Hierosolymitana Synodo, nisi de disciplina sanxere? Quid Eliberitani patres can. non. 43. [Prauam institutionem emendari placuit,iuxta auctoritatem scripturarum, vt cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non Quadragesimam, sed Quinquagesimam. Quod qui non fecerit,nouam hæresin induxisse notetur.] Num ouum ouo similius? Si Pentecosten non suo die coluisse, hæresis noua est, quid Pascha? Quo autem nisi anathemate notatur, nouæ hæreseos Architectus? Scio nonnullos huic Synodo, vt duriori, genuinum infregisse, sed alia longè de causa, idque ex sua circa antiquiorem disciplinam indiligentia, vt suo loco declarabitur. Sed & Apostolici canones non semel in clericos, laicosque depositionem, & anathemata decernunt, solius disciplinæ contaminatæ reos. Etenim can. 62. si quis suffocatum, vel morticinum comederit: can. 65. Si Dominico, vel sabbato ieiunarit, præterquam vno: can. 69. Si cum Iudæis festos dies agitauerit, vel ieiunauerit, vel ab eis xenia, aut azyma acceperit: sacro mucrone feritur. Nec his clementior Ignatius epist. ad Philipp. [Si quis Dominicum diem, aut sabbatum vno excepto ieiunat, hic Christi interfector est.]

13 Sed vt ad istius Victoris tempora redeamus, quæ tum Catholicorum fuerit consensio de anathemate in quoslibet quomodocumque nouantes iaculando, ex Tertulliano perdiscemus. Eius enim errores omnes ex hoc vno præsertim capite scaturierunt, quòd cùm in fide exorbitare non conuinceretur, in disciplinæ institutis temerè quidlibet posse nouari citra hæreseos suspicionem existimaret. Vnde l. de Monogam. [Aduersarius Spiritus ex diuersitate prædicationis apparet: primò regulam adulterans fidei, & ità ordinem adulterans disciplinæ. Quia cuius gradus prior est, eius corruptela antecedit: idest fidei, quæ prior est disciplina. Ante quis de Deo hæreticus sit, necesse est, quàm de instituto.] Et l. de ieiunijs, de Psychicis, idest, de Catholicis expostulat, qui ieiuniorum Montani nouitatem anathemate explodebant: [Nouitatem igitur obiectant, de cuius illicito præscribant, aut hæresim iudicandam, si humana præsumptio est, aut pseudoprophetiam pronunciandam, si spiritalis indictio est: dum quaque ex parte anathema audiamus, qui aliter adnunciamus.] Ea ergo erat Catholicorum conspiratio, siue in fide, siue in disciplina erraretur, hæreseos, pseudoprophetiæ elogio id illico notandum, id anathemate obruendum. At contra, errori suo patrocinabatur Tertullianus. [Indubitatè enim & hæresis, & pseudoprophetia Diuinitatis diuersitate iudicabuntur, apud nos omnes vnici Dei Creatoris, & Christi eius antistites.] Denique suam Catholicis laxiorem opprobrans disciplinam, [Ideò sobrietatis disciplinam,qui prædicant, pseudoprophetæ: ideò hæretici,qui obseruant.] Familiare ergo id tunc erat, & hæreseos elogium, & anathema infigere illis, qui à peruagata,& recepta vbique disciplina deuiarent, tametsi nihil circa fidem ipsam hallucinarentur. Ideò & Victor Asianas Ecclesias, vt heterodoxas fulmine impetebat.

14 Vtque modum ponam huic parti, vnum id addo in Ephesina prima Synodo act.6. referri subscriptiones complurium à Quartadecimanorum contumacia resipiscentium, pristinamque eiurantium insaniam in hæc verba: [Cognoscens veram, orthodoxamque fidem, sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ me adiunxi: omnemque hæresim, & præcipuè Quartadecimanorum, in qua ante errabam, anathematizo. Anathematizo etiam illos,qui sanctum Paschatis diem aliter celebrant, quàm sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.] Et hic ergo hæresim, atque anathema audis, in eorum discipulos,quos vt heterodoxos Victor ab Ecclesia abscindere meditabatur. Et diù ante can.7. Conc. CP. primi Quartadecimani hæreticis alijs permixti, hęresimque suam eiurare coacti fuerant.

15 Potestatem iam Victoris aduersùs eosdem defendere ingrediamur. Et primò arguunt illi, non potuisse, quia non debuit. Exaduersò igitur potuit, quia iam diluxit debuisse. Concesso autem quòd non debuisset, perperam quidem illi elicerent, non potuisse. Quàm multi enim legitima abutuntur potestate, quorum facinus oon alienæ potestatis vsurpatio est, sed suæ corruptela? At verò si debuit, vtique potuit. Nec enim Christus ea suam fraudauit Ecclesiam potestate, quæ inter discrimina publicæ saluti prospiceret.

16 Sed vel ex vno Eusebio eminent vestigia summi principatus, quo Victorem vniuersæ Ecclesiæ antistare præsulibus tum non ambigebatur. In sui defensionem scribit Polycrates ad Victorem, & ad Romanam Ecclesiam. Cur non ad alios, à quibus æquè dissonabat? Nihil moueri se ait ijs, quæ ad formidinem sibi intentantur, vtpotè maiorum & Apostolorum traditione fultum. Ergo cessurum se innuit, nisi ineluctabili, vt rebatur, necessitate seruandæ Apostolicæ institutionis auocaretur ab obsequio. Obediendum air magis Deo, quàm hominibus. At ea verba, & ab Apostolis vsurpata sunt primò, & in ore sunt omnium, qui legitima quidem vrgentur potestate, sed cuius tunc imperia diuinis confligantur mandatis: eoque significant, sui & officij, & voti esse morem gerere, nisi Deus secus tunc quidem iuberet. Denique vnica exceptione litem perimere potrrat Polycrates, Victoris incompetens iudicium repudiando. At exaduersò ille vt apud competentem iudicem se purgat, nec vel vno verbulo queritur de eius potestate vltra metas exspatiante.

17 Apud eumdem Eusebium lib. 5. & capit. 24. eodem, multis displicuit Victoris austeritas, qui eum hortati sunt, vt quæ pacis, & charitatis erant, & vnitatis, potiùs saperet. At hæc hortamenta ad eos instruuntur, qui legitima potestate, vel austeriùs, vel humaniùs vti possunt, & eo loco, ac tempore ad mansuetudinem, vt tum quidem tempestiuiorem inuitantur. Ad hæc Irenæus Victori ea scribit, quibus dispensatione tunc potiùs vtendum suadeat, nòn suæ vnquam potestatis modulum monet agnoscere. Quin imò obsecrat, ne abscindat vniuersas Ecclesias: nibil dubius, si abscidisset sua, reliquarum etiam Ecclesiarum communione abscindendas fore. Adde ex Synodico libro superiùs relato, reliquas synodos de Paschatis die toto Orbe pronunciasse secundùm Anicetum, & Victorem: vtpote quos duces reliqui sequebantur Orbis antistites. Cùmque synodum Polycratis simplicitatis, & indiligentiæ notasset eius libri auctor, societatisque cum Iudæis, mox ait, Victorem sanctissimum excommunicationem misisse Polycrati, qui huic synodo præfuerat. Quo potestas Victoris commendatur vtique. Denique in Epistola vtraque superiùs laudata tum Constantini ad Ecclesias, tum Nicenæ Synodi ad Alexandrinos, vbique Romanæ Ecclesiæ princeps locus adsignatur; in enumeratione omnium Orbis Prouinciarum, quę io Catholicum Pascha concinebant. Quòd illa reliquis præluxisset.

18 Quòd autem excommunicationem à Victore contortam, flocci videntur fecisse; id primò expediendum esset, illam comminatus tantùm, an etiam iaculatus fuerit. Hieronymus in Catal. Script. Eccles. in Irenæo, [Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui decimaquarta Luna cum Iudæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi, qui discrepabaot ab illis, Victori non dederunt manus.] Ad minas hæc trahi possunt. Et idem in Polycrate, hæc eius ad Victorem Epistolæ verba refert, non formidabo eos, qui nobis minantur. Priore sanè loco Græca interpretatio duriuscula est, & pro illis verbis damnandos crediderat, habet, deposuit. Videtur & Eusebios consentire, cùm de Victore ait, abscindere conatur. Et ibidem Irenæus per Epistolas decenter admonet Victorem, ne abscindat vniuersas Ecclesias Dei: nondum ergo absciderat, sed ictus adhuc librabatur. Nec vltra progressum Victorem exprimit Eusebius; quin Irenæo mox gratulatur, vt sui nominis augurium non fallenti, vt pacificatori, vt pacis Ecclesiarum legato. Socratis autem oon inexplorata adeò supinitas est, vt nostrum statim extorquear consensum, vbi antiquiorum lineas egreditur. Potuit ergo ille authori libelli synodici imponere. Cautiùs Photius Biblioth. cod. 120. [Victor ea tempestate Pontificium tenuit, quem crebris literis hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.] Exitum pendere dubium, & ipse passus est. Sed apertè Sozomenus lib. 7. cap. 19. [Sapientissimè arbitror soluisse, subortam olim controuersiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cùm Occidentis Sacerdotes traditionem Petri, & Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Ioannem Euangelistam sequi affirmarent, decreto in commune sanciro, singuli vt consueuerant, festum celebrantes, & mutua inter se communione non recesserunt. Friuolum enim, & quidem meritò iudicarunt, consuetudinis gratia à se multò segregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.] Excommunicationem ergo Victor, vel non intorsit, vel statim suspensa eius executione reuocauit.

19 Largiamur id autem, anathematis iaculum euibratum esse. Necdum de contemptu satis constat. Nam Asianos ipsos resipuisse tradit Constantinus in sæpè laudata epistola, Asianam Diœcesim inter eas enumerans Prouincias, quæ cùm Romana Vrbe in Paschatis die coospirarent. Epiphanius verò hæresi 70. num. 9. de Paschæ die tumultuatum ait tùm sæpiùs, tum maximè Polycarpi, malim legi, Polycratis, & Victoris ætate, cùm Orientales ab Occidentalibus diuulsi, pacificas à se inuicem litteras nullas acciperent. Occidentales ergo saltem Victori paruerant, ijsque communicare desierant, quos Victor à communi vnitate disciderat. Coniectura est autem

tem

tem Occidentalibus consensisse & Ægyptios, vt ex contextu Epiphanij ibidem liquet: Orientales autem ab eo dici Asianæ Prouinciæ, & circumiacentes Episcopos, vt hac cæterarum in se Ecclesiarum asperitate ad resipiscentiam tandem inflexi sint: Romanæ autem maximè. Quanti enim Orientales facerent eo ipso æuo communionis cum Romano Antistite contesserationem, prodidit Tertullianus initio ferè libri aduersùs Praxeam, in quem acriter stomachatur, [quòd tunc Episcopum Romanum agnoscentem, iam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesijs eorum adseuerando, & præcessorum eius auctoritates defendendo, coegit, & literas pacis reuocare, iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessire.] Auctor supra fuit Epiphanius ex Cataphrygibus ortos Quartadecimanos. Cognata sunt ergo hæc argumenta. Et eadem forsassis, atque vna excommunicatio est, à Victore in Asianos, & Phrygas contorta, quam Zephyrinus reuocare cogitaueat, non Montanistarum irretitus erroribus, qui nulli tunc aduersùs fidem adhuc stridebant, sed fuco pietatis simulatæ delusus: at fraude, per Praxeam comperta, literas pacis iam emissas reuocauit, præcessorisque sui Victoris auctoritatem defendit. His adiunge, quæ refert Eusebius lib. 5. cap. 3. ab Ecclesia Lugdunensi epistolas per Irenæum ad Eleutherium Papam missas, pro pace Ecclesiarum legatione suscepta, quòd tunc Montani nempè fama in Phrygia percrebuisset, eiusque causa, dissensio orta esset. Id saltem hinc exprimitur, nutat enim ea omnis coniectura, etiam inter Orientales pacis, & communionis Ecclesiasticæ arbitrum iam tunc habitum fuisse Romanum Antistitem, eiusque hac de re sententias nequaquam contemptui, sed summæ venerationi fuisse. Qui sanè Tessarescaidecatitas longè ante Synodum Nicęnam in hęreticorum albo descripsere, vt supra monuimus, ij Victoris iudicium nequaquam aspernati sunt.

20 Demus etiam reluctatos fuisse Victori Orientales, hinc etiam præclarior eius victoria, quò diuturnior fuit contumacia repugnantium. Tantum enim momenti fuit in auctoritate Victoris, vt deinceps vniuersalis Ecclesia, & œcumenica Synodus prima, secunda, tertia in eius sententiam concesserint. Nec enim expendendum modò quid tunc, sed quid tandem peruicerit Victor: nec quid de sententia, & potestate eius pauci hallucinabundi senserint, sed quid deinceps omnes Ecclesiæ, & vniuersales Synodi consenserint. Nam cùm Victoris sententiam aspernati sint Asiani, cùm ejus importunam inhumanitatem reliqui complures ex Catholicis insimularint; exinde tamen ab Epiphanio, Augustino, Philastrio, & alijs computari cœpit hęresis Quartadecimanorum; exinde Constantinus, & Nicæna Synodus Romanam Ecclesiam cęteris pręire in Paschæ obseruatione prædicauit: exinde CPolitana, & Ephesina prima Synodus œcumenica, præterquè vt Nicęna, non Pascha Iudaicum Polycratis, non dispensationem Irenæi, & aliorum eius Collegarum, sed vnius approbauit Victoris consilium in Iudaico damnando Paschate, & eius Sectarijs cum cętera hęreticorum caterua resecandis à communione. Pluris esse debet in animo nostro Ecclesiæ vniuersalis posterior suffragatio, quàm aliquorum in ipso certaminis æstu, vel apertè repugnantium, vel clanculum detrahentium licentia. Luculentè hoc argumentum prosequitur Nicolaus Papa I. epist. 9. ad Michaelem Imperatorem. [Quotquot in ipsa communione Sedes Apostolica tenuit, aut dum viuerent, ab Ecclesia sunt vniuersali recepti: aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Prætereà illos, in quorum damnatione non consensit, singulari prærogatiua dissoluit. Cùm Asiani omnes inter cęteros Euangelista Ioanne auctore, quartadecima Luna cum Iudæis putarent Pascha celebrandum, hos Pręsul meritis, & nomine Victor à communione collegij separauit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum pręsulibus, non solùm huic manus minimè præbuetunt, verùm etiam pertinaciæ redarguerunt, &c. Quid mirum si nobis pro Ecclesiastica correptione laborantibus, manus non datis, sed & duriùs redarguitis? cùm videamus Victorem Papam, & martyrem, qui ideò verè victor est, quia martyr, pro Ecclesiastica traditione penè à totius Ecclesiæ Pręsulibus pertinaciæ redargutum. Quandoquidem Ecclesia tota nunc cum illo sapit: & quod fecit, laude prædicat dignum. In quo animaduertendum, quia si tunc ille pro iustitia tanta seueritate non vteretur, sicuti nonnulli hortabantur Episcopi, hactenùs forsassis error ipse mansisset; præcipuè cùm etiam eo tanto zelo succenso, vsque ad Ephesinam priorem in aliquibus perdurasse Synodum legerimus.] His ille alia accumulat exempla, puta Acacij à Romanis Pręsulibus depositi, qui tamen impetratorio patrocinio sedem suam retenuit. Sed post diuturni contemptus iniuriam perfectum est tandem, vt Acacij nomen ab omnibus Ecclesijs proscriberetur. Ita & Photius à Nicolao abdicatus non cessit. Sed sub Hadriano huius successore œcumenica octaua Synodus Nicolai iniurias Photio exturbato vlta est. Etenim vt idem tradit epist. 10. [Contra singulos errores in Ecclesia exortos prior Romana Ecclesia secundùm primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dedit. Et ità demùm vniuersalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probauit, quandoque probauit: & quæ illa refutauit, ipsa refutauit.]

21 Si renitentium enim peruicacia principantem auctoritatem eneruare potis esset, quæ vsquam residua foret vmbra legitimi impetij? Nicęnæ etiam, & CPolitanæ Synodo illusere Quartadecimani. An ideò cassa, & effœta œcumenicatum Synodorum maiestas blaterabitur? Apud Epiphanium hęr. 70. num. 9. calumniabantur

Audiaui in hunc modum : [A Constantini tempore vt Imperatoris rationem haberetis, paternam in celebrando Paschate consuetudinem reliquistis, diemque commutastis, vt vos ad Imperatoris nurum accommodaretis.] Sic illi conuitiabantur Nicenæ Synodo, quasi natalem Constantini in Paschæ diem optasset. Chrysostomus autem aduersùs reliquias quasdam Quartadecimanorum manus conserens, tomo 5. hom.52. [Quis porrò illorum sermo est, cùm hæc illis obijcimus? Vos, inquiunt, nonne hoc ieiunium ante obseruabatis? Hoc verò tuum non est mihi dicere: sed hoc ipse tibi iure dixerim, nos quoque sic antea ieiunasse, verumtamen temporum obseruationi præferendam concordiam censuisse. Quid autem de me loquor? Trecenti Patres, imò etiam plures, cùm in Regione Bithyniæ conuenissent, hæc decreuerunt, & tu illos omnes probro afficis?] Deinde cùm Nicenorum Patrum sanctitatem, fortitudinem, martyria laudibus in Cœlum tulisset, addit: [At tu nc illos tantùm, sed & Orbem terrarum vniuersum condemnas, qui sententiam illorum comprobauit.] Ex hac paucorum, seu extortium, seu vernaculorum Ecclesiæ contumacia, nec Victoris, nec Synodi œcumenicæ, nec Orbis terrarum Catholici auctoritas infringitur.

22 Iuuabit hic adscripsisse quæ Beda lib.3. hist. Eccl. cap. 17. post enarratas, & summis laudibus euectas sanctissimi Episcopi Aidani virtutum dotes, etiam miraculorum gratia illustres, addit demùm: [Qui vt breuiter comprehendam multa, quantùm ab eis, qui illum nouere, didicimus, nihil ex illis, quæ in Euangelicis, siue Apostolicis, siue Propheticis literis facienda cognouerat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus, operibus implere curabat. Hnc in præfato Antistite multùm complector, & amo : quia nimirùm hæc Deo placuisse non ambigo. Quòd autem Pascha non suo tempore obseruabat, vel canonicum eius tempus ignorans, vel suæ gentis auctoritate, ne agnitum sequeretur, deuictus, non approbo, non laudo.] Et infrà cap. 25. [Hæc dissonantia Paschalis obseruantiæ viuente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur, qui pariter intellexerant, quia etsi Pascha contra morem eorum, qui ipsum miserant, facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis, & dilectionis, iuxtà morem omnibus sanctis consuetum, diligenter exequi curauit. Vnde ab omnibus etiam his, qui de Pascha aliter sentiebant, meritò diligebatur: nec solùm à mediocribus, verùm ab ipsis quoque Episcopis, Honorio Cantuariorum, & Felice Orientalium Anglorum venerationi habitus est.] Et infra multis differit Wilfridus, ad Catholicam Paschæ obseruantiam, omnes sancti Ioannis successores in Asia post obitum eius conuersos esse, & omnem per Orbem Ecclesiam : & hoc solùm fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non statutum nouiter, sed confirmatum est, vt Ecclesiastica docet Historia.] Si Columba autem, si qui alij sanctitate spectatissimi alium sectati sint ritum, ait : [Quia iustiùs multò est de incognitis bonum credere, quàm malum, illos & Dei famulos, & Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum coluerunt.] Concluditur denique sequenda esse decreta Apostolicæ Sedis, immò vniuersalis Ecclesiæ : & neminem præferendum Petro, cui principaliter dictum est, [super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum.]

23 Minùs hi quidem, sed nonnihil tamen à more Catholici, & Romani Paschæ dissidebant. Perspice autem, vt summa iudicij maturitate Beda errorem ab errantium sanctitate discriminet. Optatissimum esset, tam æquos iudices nacti essent, & Polycrates, & Victor, & Irenæus. Ille dum heterodoxum Pascha colit: hic dum noxia dispensatione vtendum consulit, in errore fuerunt. Victor dum Apostolicæ Sedis, dum vniuersalis Ecclesiæ decreta, eo quo vbique moris erat, vigore, hoc est, sub mucronis sacri comminatione obseruari vrget, & Synodis posthac œcumenicis dictat, quòd non constituant, sed confirment, in errore versari non potuit. Nec tamen vel Polycratis, vel Irenæi laudes aliæ oblitterandæ sunt. Vt in Aidano, vt in Columba: sunt in eis, quæ admiratione, quæ laude prosequamur : sunt quæ non laudemus, non approbemus. In eo autem, quem ducem sequitur vniuersa Ecclesia, nihil est, quod sine scelere possimus in hac parte vituperare.

24 Ideò ne Græcorum quidem virulentia, tametsi aduersùs Apostolicæ Sedis priuilegium exacerbata aduersùs Victorem tot hactenùs seculis effutire quidquam ausa est. Vide Photianos Episcopos, & magisterio, & veneno Photij imbutos, in sexta actione octauæ Synodi, aduersùs primam Sedem furentes, & exempla vndique aucupantes, conseruatæ communionis ijs, quos Romani Antistites excommunicassent, vel ademptæ ijs, quibus illi communicarent. Nusquam eorum animo occursauit tanta insulsitas, vt Victoris, vel communionem, vel excommunicationem ab Asianis Episcopis impunè spretam fuisse ineptirent: Occidentales autem constituti Catholici Paschatis gloriam vni præsertim Victori vendicasse, constat ex ante relatis Bedæ testimonijs, itemque ex eodem lib. 7. cap. 16. 19. 22. & lib. de Æquin. vernali, denique in lib. de sex ætatibus, [Victor datis latè libellis constituit Pascha die Dominico celebrari, sicut & prædecessor eius Eleutherius, cuius decretis fauens Theophilus Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, scripsit cum cæteris in eodem Concilio Episcopis Synodicam, & valdè vtilem Epistolam.]

DISSERTATIO II.

Ad Synodos sub Stephano Papa in causa Baptismi hæreticorum collectas Carthagine, Romæ & alibi Ann. Christi 256. 257. &c.

SYNOPSIS.

Refellitur putidissima Nouatorum calumnia, tam errasse Stephanum in omnium admittendo, quàm Cyprianum, & Firmilianum in omnium hæreticorum baptismo repudiando. Euincitur ex omnium Patrum consensu, eamdem tunc fuisse Ecclesiæ Romanæ de baptismo hæreticorum, quæ postea fuit, & quæ etiam nunc superest disciplina. Vsque ad num. 22.

Deinceps ad finem vsque multipliciter soluitur alia quæstio, ecquid Augustinus Cypriano hinc excusationem, & patrocinium paret, quòd necdum ea res plenario Concilio elucidata, atque terminata fuisset: cùm idem ipse Pelagianis plenarium Concilium flagitantibus os obthurauerit, localibus Synodis, & rescriptis Apostolicæ Sedis litem finitam pronuncians.

1 Llustris, & copiosa hæc se altera obijcit quæstio, & superiori gemella, de Stephani cū Cypriano concertatione circa baptismum ab hęreticis collatum. Et hic enim sanctitate conspicui colliduntur Pontifices; Romanus etsi loco maior, & causa melior, à collega superatur; contumaces aduersùs primæ Sedis decretum, & auiti moris plus æquo retinentes, nihilosecius Ecclēsię communione fruuntur; deinque secundùm Stephanum pronunciat Nicęna Synodus. Itaque permagnus, & admirabilis vtrobique personarum, rerumque concentus. Ad cumulum denique, vt Victorem, ità Stephanum per tot retrò seculorum volumina summæ admirationi habitum, omnium procacissimi Nouatores in hac extrema temporum fęce denigrare cœpere, quasi aduersis quidem vestigijs errasset tamen ipse perinde, ac Cyprianus. Vt hic enim omnes prorsùs arcebat hęreticos à dandi baptismi potestate; ità ille, vt garriunt, omnes ea donabat indiscriminatim, siue legitima, siue spuria, & prophana vterentur in tingendo verborum formula. Itaque propulsanda hæc primò à sanctissimo Papa, & martyre calumnia. Tum ingrediemur ad aliam quoque controuersiam, qui Cyprianus ab Augustino culpa penè absolutus sit, quòd ante Concilium plenarium necdum veritas satis eliquata fuisset; cùm idem Augustinus vna primæ Sedis auctoritate, & sententia alibi Pelagianos hęreticos abundè pronunciet confectos esse, nec plenario iam opus esse Concilio.

2 Hallucinatum ergo, & ipsum Stephanum fuisse in omnium hæreticorum baptismo probando, peræquè vt Cyprianum in omnium repudiando, hallucinabundi somniant, eliciuntque ex hoc eius decreto apud Cyprianum relato epist. 74. [Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innouetur, nisi quòd traditum est, vt manus illi imponatur ad pœnitentiam: cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.] Nihil ergo discriminis, inquiunt, interponebat Stephanus, & quibuscumque demùm verbis, etiam ab Euangelica veritate alienissimis confectato subscribebat baptismo. At Stephano primùm patrocinari licet ex ipsa Firmiliani aduersùs eum scripta ad Cyprianum Epistola. Vt inuictissimum sit, quod ab ipso aduersario vis veri extorquet testimonium. Verba Firmiliani sunt: [Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizauerit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit inuocata Trinitate nominum Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. At quis est in Ecclesia perfectus, & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quòd inuocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem? Cùm hæc tunc vtique proficiant, cùm & qui baptizat, habet Spiritum Sanctum, & baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum.] Hinc palàm est, illud demùm probari Stephano baptisma, quod inuocata Trinitas sanctificet, vbi inuocatio nominum sufficiat ad remissionem peccatorum: à Firmiliano autem desiderari præterea, vt is, qui baptizat, Spiritu Sancto vegetetur. Et rursùs ibidem Firmilianus Stephanum validissimè, vt sibi videtur, vrget exemplo mulieris veneficæ, hæreticæque, quæ multos solemni Ecclesiæ forma tinxerat. [Cùm baptizaret quoque

mul-

multos, vsitata, & legitima verba interrogationis vsurpans, vt nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de huius baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizauit? Numquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt, comprobant? Maximè cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima, & Ecclesiastica defuit? Potest credi, aut remissio peccatorum data, aut lauacri salutaris regeneratio ritè perfecta, vbi omnia, quamuis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt? Nisi & dæmonem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, gratiam baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum baptisma defendunt.] Ne fingere quidem mihi possum quidquam his apertiùs.

3 Et idem ibidem rursùm, & sua & Stephani sensa prodere pergit, ex Christi inuocatione sanctificatum baptismū exagitans, nisi à viro Catholico exhiberetur. [Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi, ad fidem, & baptismi sanctificationem: vt quicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. Quando huic loco breuiter occurri posset, & dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma, ad hominem purgandum; in eiusdem Christi nomine valere illic potuit, & manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum.] Ergo id Stephanus baptisma admittebat, quod in nomine Trinitatis, quod in nomine Christi consecraretur. Et rursùm ibidem: [Ad illud autem, quod pro hæreticis ponunt, & aiunt; Apostolum dixisse, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur. An formulis baptismi adulterinis, quibus Christi, & Trinitatis Ecclesiastica fides proscindetetur, iactitasset Stephanus cum astipulatoribus suis Christum annunciari? ille sanè Apostoli locus prædicantis vitio monet, non infuscati sanæ prædicationis veritatem.

4 Si verò admissus à Romanis esset baptismus impia, & hæretica aliqua verborum formula prophanatus, hanc maximè hæreseos formulam prodidisset, hanc exagitasset Firmilianus in tam prolixa Epistola, & ità prorsùs victoriam, aut ad se inclinasset, aut Stephano extorsisset. Sed cùm fidem perfidissimam hæreticorum insectetur vir vsquequaque doctissimus, nusquam verba ipsa attingit ad baptismum constuprandum ab eis effusa. Quorsum autem suggillaret inuocatam ab hæretico ore Trinitatem, aut maiestatem Christi: sileret autem ab eodem in Trinitatis, in Christi numinis contumeliam eructatas insanias?

5 Adde quòd totus est Firmilianus in baptizatore hæretico exibilando, & ex eius vitio baptismum infirmat. E contra totus erat Stephanus, vt vel ex eius refutatione liquet, in ipsius per sese Sacramenti, & verbi Christi, & inuocationis Trinitatis vi amplificanda, quam exhaurire nequaquam posset, vel nequam, vel hæreticus quisquam, cuius ab ore ea resonarent.

Cardo itàque controuersiæ tunc in eo vertebatur, an sola verborum diuinorum maiestas, & efficacia sanctificationem baptismi perficere valeret, à quocumque demùm ministro illa proferrentur; an ministri perfidia verborum virtutem corrumpere, & enéruare posset. Nec ad statum ergo quæstionis animum adiecisse videntur, qui Stephanum maledictis incessunt.

6 Eadem propemodum argumenta exculpi possunt ex opusculis Cypriani, hac in causa editis. Sic enim ille in epist. ad Pompei. [Vtique baptisma, quod in eadem vnitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia, neque à Spiritu Sancto potest. Aut si effectum baptismi, maiestati nominis tribuunt, vt qui in nomine Christi Iesu vbicumque, & quomodocumque baptizantur, innouati, & sanctificati iudicentur, &c.] Tribuebat ergo Stephanus effectum baptismi maiestati nominum, & inuocationi numinis Christi. Et in epist. ad Iubaianum: [Non est autem quòd aliquis ad circumueniendam veritatem Christianam, Christi nomen opponat: vt dicat, in nomine Iesu Christi vbicumque, & quomodocumque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti. Cùm ipse Christus loquatur, & dicat, non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum.] Quòd autem contra nitatur Cyprianus, vrgeatque non solùm Christi nomen, sed totius Trinitatis imprecandum esse, vt ratus sit baptismus, nihil id quidem causæ Stephani officit. Nam multorum Patrum, recentiumque *scholæ Theologicæ* magistrorum sententia est, etiam in solius Christi nominis inuocatione perfici baptisma posse, aut saltem aliquando potuisse. Et vt id habeat, Christi inuocatione Stephanus, vt & complurimi veterum Theologorum, totius Trinitatis numen comprehendebat, idque paret ex verbis Firmiliani suprà relatis.

7 Etsi autem hæretici Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, aut Christi nomen imprecarentur, non eumdem illis Patrem, Christumque, ac Spiritum Sanctum, atque Catholicis esse interpretabatur Cyprianus, quia non eadem fides est, ideò non eumdem esse baptismum. Epist. ad Iubaianum: [Nam si fides vna est nobis, & hæreticis, esse potest & gratia vna. Si eumdem Patrem, eumdem Filium, eumdem Spiritum Sanctum, eamdem Ecclesiam confitentur; potest illic & baptisma vnum esse, si est & fides vna, &c. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem asserit, quem & nos Deum Patrem creatorem? Numquid eumdem vnum Filium Christum de Maria Virgine natum, &c. Longè alia est apud Marcionem, sed & apud cęteros fides; immò nihil est apud illos, nisi perfidia.] Anxius rimatur Cyprianus, non quid inuocetur, sed quid credatur à baptizante: cùm Stephanus non fidem baptizantis, sed potestatem verborum scrutaretur. Et infrà: [Quare baptisma nobis, & hæreticis non potest esse, cum quibus nec Pater Deus, nec Christus Filius,

nec

nec Spiritus Sanctus, nec fides ipsa in Ecclesia communis est. Quo decreto suo Cyprianus cùm Nouatianos quoque complectatur, quos constat Trinitatis, & carnis Christi fidem intaminatam custodisse, palàm est ab eo non eumdem Deum, non eumdem Christum nobis,& hæreticis communem dici, &si eadem nominum inuocatio sit.

8 Ex Concilio item Carthaginensi aperitur,in quo summa huius disputationis consisteret. [Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si baptizare possunt, & Spiritum Sanctum dare possunt. Si autem Spiritum Sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum Sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt. Ibidem & alius Cypriani asse cla Episcopus ait: Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt; quomodo Christianos faciunt? Solam ergo ministrorum personam Cyprianus, solam Stephanus verborum Christi efficaciam contemplabatur, Nam si & minister hæreticus,& forma fuisset impia, eccur Stephanus hoc, vel nomine tenùs baptisma dici passus esset? Cur probasset in hæretico, quod vel in Catholico homine abominatus esset? Denique ipsæ voces rem indicant. Quæritur enim de baptismo hæreticorum, idest,de baptismo ab hæreticis dato: vbi ea nempè sola ambigendi ratio occurrit, quæ ex hæretici baptizantis persona trahitur. Nam si & hæreticus tingat, & tingendo prophanas innocet Deitatis laruas, quis hæc promiscuè habeat? quis hoc baptisma vel nominet? quis hoc cum Nouatianorum baptismo permisceat, & æquè approbet?

9 Idem efficitur ex Tertulliano. Nam lib. de pudicitia, ait in huius ipsius Cypriani sententiæ patrocinium: [Vt Ethnico par, immò & super Ethnicum hæreticus, etiam per baptisma veritatis admittitur. Et l. de baptismo, Non idem Deus est nobis, & illis: nec vnus Christus, idest, idem. Ideòque nec baptismus vnus, quia nec idem. Quæ ne ad solos Marcionistas spectare suspiceris, consule rursùs Cyprianum l. 1. epist. 6. eadem prolixiùs de Nouatianis disputantem.

10 Venio ad Canonem 8. Concilij Arelatensis an. 314. [De Afris quòd propria lege sua vtuntur, vt rebaptizent, placuit vt si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit,interrogent eum symbolum. Etsi peruiderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus eis tantùm imponatur,vt accipiat Spiritum Sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.] Quare hoc canone soli vellicantur Afri, non etiam Romani,si &si dissimili, iuxtà tamen absurdo,vtrique versabantur in errore? aut si Romanus parcere animus erat,quin parcebatur, & Afrorum nomini, ac sola baptismi regula præfigebatur?

Quin immò configendi potiùs fuissent Romani, vt longè turpiùs errantes, si baptismum aliena, fideique inimica forma collatum pro rato habuissent. Id enim atrocius est, quàm quorumlibet hæreticorum baptisma rescindere. Hic enim detestabilis semper est baptizatoris impietas, ideò excusatur vtcumque zelus detestantis. At illic & baptismi,& baptizatoris prophanitas in promptu est, vndè inexcusabilis prorsùs foret approbantium inscitia.

11 Patrocinatur, & Eusebius Stephano, omnemque ab eo amolitur erroris suspicionem, l.7.c.2. [Ad hunc Stephanum Dionysius primam earum, quæ de baptismo conscriptæ sunt, epistolam exarauit. Cùm per id tempus non mediocris controuersia exorta esset, vtrum eos, qui ex qualibet hæresi conuertuntur, baptismo purgari oporteret, quippè antiqua consuetudo innaluerat, vt in eiusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore priùs emundatos, admittendos esse censuit. Verùm Stephanus nihil aduersùs traditionem, quæ iam indè ab antiquis temporibus obtinuerat, innouandum ratus, grauissimè id tulit.] Innouationis culpam omnem retorquet in Cyprianum, siue in Cypriani prædecessorem Agrippinum, Stephano autem non aliud ait, quàm antiquam consuetudinem retineri placuisse, qua in re ætate haud fanè potuit.

12 Quod idipsum apertissimum fit ex ipsismet Stephani verbis à Cypriano,& Firmiliano relatis, nihil innouari: quod traditum est, retineri debere. Quis non intelligit hanc aduersùs omnes errores medicinam esse certissimam, nedum vt error aliquis propinari his vocibus queat? Ab initio enim prædicationis Euangelicæ inualuerat ista Romanæ Ecclesiæ disciplina, vt Eusebius innuit. Aut si quid secus quàm Apostoli, Apostolicique viri factitassent, à Præsule quopiam Romano nouatam postea fuerat, non tàm fidentet Stephanus traditioni, & antiquitati incumberet. Romanæ traditionis,seu corruptelę initium aliquod, velut cunabula eius, Cyprianus, aut Firmilianus aliquando indigitassent, quorū & eruditio,& æstuario, in hoc negotio exploratissima est. Eusebius Africanæ disciplinæ exordia nupera notat, haud quaquam Romanæ. Denique Cyprianus ipse authorem se sequi Agrippinum profitetur, quem verò ducem primùm sequatur Stephanus, non vsquam declarat, sed consuetudini, & traditioni, cui derogare non poterat, veritatem identidem clamitat anteponendam. Itàque epist.71. Ità habet, [Quod quidem & Agrippinus cum cæteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in Prouincia Africa, & Numidia, Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato Concilij communis examine firmauit. Quorum sententiam nos etiam secuti sumus.] Et in epist. ad Iubaianum: [Apud nos non noua, aut repentina res est, vt baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam perueniunt: cùm multi iam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro conuenientes in vnum Episcopi plurimi hoc statuerunt, atque exindè

in

In hodiernum tot millia hæreticorum in Prouincijs nostris ad Ecclesiam conuersi, salutaris baptismi gratiam consecuti sint.] Suæ consuetudinis nouitatem prodit, dum vendicat vetustatem. At Romanæ Disciplinæ antiquitatem detrectare non valens, vni veritati seruiendum clamitat paulò post: [Proindè frustrà quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate; aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit à Sancto Spiritu reuelatum.] Qui ergo Stephano error, idem traditioni Ecclesiarum antiquissimæ, idem Apostolis ipsis eius magistris impingitur.

13 Et Stephanum quidem ab exemplo hæreticorum argumentantem sannis, & dicterijs insectatus est Cyprianus. At pace sanctissimi martyris dixerim, hac Stephani argumentatione nihil opportunius, nihil hac suggillatione inconsideratius fieri potuit. Nam exploratissimum hinc fit hæreticos in solemni baptismi forma nihil nouasse, nec propriarum hallucinationum vllam ei permiscuisse labem, quandoquidem alij aliorum non respuebant baptisma. Errorem enim alij aliorum detestabantur,& detestari proindè fuissent baptismia, si peculiaribus singulorum delirijs illud fuisset viriatum. Quæ ergo hæreticis, eadem Stephano aderat ratio, ne baptisma extra Ecclesiam tributum iteraret.

14 Porrò Hieronymus Dial. aduersùs Luciferianos ea scribit, quæ nec frontis perfrictissimæ homines negare ausint in Stephani patrocinium scripta esse. [Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & ideircò hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ Vrbis Episcopum, qui à beato Petro vigesimussextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus eius frustrà fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti, nouum emisere decretum. Quid facimus? ita & nobis maiores nostri, & illis sui tradidere maiores.] Vides vt nouitatem Cypriano, vetustatem traditionis Stephano adsignet, Cypriani denique collegas aliquando tandem sui pœnituisse conatus, & ad antiquam Stephani, maiorumque ipsorum suorum consuetudinem reuolutos fuisse dicat. Et idem mox Stephani sententiam, & traditionem verè Apostolicam, verè ab Apostolis adhuc superstitibus propagatam, exemplisque confirmatam fuisse adstruit, pernumeratis apostatarum, & hæreticorum cateruis, quæ ipsa Ecclesiæ cunabula infestarunt, quorum tamen nullius iteratum legitur baptisma. [Sed quid de posterioribus loquar? Apostolis adhuc in seculo superstitibus, adhuc apud Iudæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur: Galatas ad obseruationem legis traductos Apostolus iterum parturit: Corinthios resurrectionem corporis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon magus, & Menander discipulus eius, Dei se asseruere virtutes. Tunc Basilides, &c. Nicolaus quoque, &c. Saturninum, &c. Carpocratem,& Cherintum, & huius successorem Hebionem, & cæteras pestes, quorum plurimi viuente adhuc Ioanne Apostolo eruperunt. Et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.] Vides nulla partitione vti Hieronymum, vt alios hæreticorum tingendos in Ecclesia, alios non tingendos doceat. Sed vniuersim inficiari tingendos iterum vllos esse, vllos ab Apostolis, vel eorum successoribus tinctos iterum fuisse, etsi eorum iam tum plerique portentosa quædam figmenta de Deo eructassent. Nec fallebat Hieronymum in tanta eius æui luce, maximè tamdiu post Arelatensem Synodum, ratum non esse, nisi quòd in Trinitatis nomine sanctificaretur baptisma. Ergo si Simon, Menander, Basilides, Carpocras, Cherintus, Ebion baptismi Ecclesiastici formam non adulterauerant, vt nec eorum baptismus in irritum mittendus esset: idem æquissimum est de cæteris vsque ad Stephani tempora augurari.

15 Idem ex Apocalypsi argumentari pergit Hieronymus ibidem, vbi complures memorantur hæresi imbuti insania; nec ipsis tamen, vel eorum discipulis baptismus, sed pœnitentia ad abluendas sordes indicitur. [De Apocalypsi quoque approbemus hæreticis sine baptismate debere pœnitentiam concedi. In angelo Pergamenæ Ecclesiæ idolothytorum esus, & Nicolaitarum doctrina reprehenditur. Itē apud Angelum Thyatirorum Hiesabel prophetissa, & simulacrorum esca, & fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur, &c. Numquid dixit, Rebaptizentur, qui in Nicolaitarum fide baptizati sunt? Quin potiùs, Age, inquit, pœniteatiam, &c.] Sic ille inueteratam, quam Stephanus mordicus defensabat, consuetudinem ab ipsis vsque Apostolis deriuatam, & ipsis Scripturæ diuinæ paginis consignatam fuisse demonstrat. Porrò vt Stephanus, ità Hieronymus nullo discrimine hæreticos dispescit, omnes vna in naui locat, omnes pœnitentia, non baptismo iubet ablui.

16 Verùm luculenta præ cæteris sunt, quæ infrà disputat idem Hieronymus, aduersùs Hilarium Diaconum, Luciferiani schismatis præconem, indè nouum orbis Deucalionem factum, quòd veniertes ab Arianis denuò tingendos insaniret. [Si hæretici baptisma non habent, & ideò rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt: ipse quoque Hilarius non est Christianus. In ea quippè Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis baptismum recepit. Antequam Ariminensis Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus ab hæreticis venientes, in eo, quod priùs acceperant, baptismate recipiebat. Nisi fortè tantùm Ariani hæretici sunt, & ab ipsis solis baptizatum recipere non licèt, ab alijs licet. Diaconus eras, ô Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas. Diaconus eras,& Hebionis baptisma comprobabas. Repente postquam exortus est

est Arius, totus tibi displicere cœpisti.] Et paulò post Ecclesiam Romanam inducit, ad Hilarium verba facientem: [Si in sinu meo natus, si vberum meorum lacte nutritus, aduersùm me gladium leuas, redde quod dedi, & esto si potes, aliter Christianus. Meretrix sum, sed tamen mater tua sum. Non seruo vnius thori castitatem? Talis eram quando conceptus es. Cum Ario adulteria committo? Feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho, Nouato.] Vides vt & hìc omnes prorsus hæreticos sine nouo baptismo per solam pœnitentiam ab Ecclesia Romana receptos defendat, idque iure, & Apostolico instituto, atque inconcusso Scripturarum diuinarum præcepto factũ tueatur. Adeoque & Arianos sine baptismate admittendos concludat. Porrò hæc Hieronymus post Arelatensem Synodum, post Nicænum de baptismo decretum scribebat.

17 Denique idem consequenter validius id quoque munit. [Quòd si negandum quispiam putauerit, hæreticos à maioribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ Vrbis Episcopum, & inueteratæ consuetudinis laceræ errorem. Legat & ipsius Hilarij libellos, quos aduersum nos de rebaptizandis hæreticis edidit, & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri à Iulio, Marco, Syluestro, & cæteris veteribus Episcopis similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos, nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præiudicare debere. Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.] Vides & hìc hæreticos, omnes hæreticos sine baptismi iteratione susceptos ab Ecclesia Romana, peræque post Arelatensem, Nicænamque Synodum, atque priùs. Ergo si qua culpa affingatur Stephano, eadem post Arelatensem Synodum, & Nicænam, quibus affuerat per Legatos Romana Sedes, quarumque vindex primaria semper ipsa extitit, Romanis omnibus Episcopis, & ipsi Hieronymo horum præconi illinenda est. Vides rursum quàm Stephano propitia, & consentanea fuerit Nicæna Synodus, quæ omnes hæreticos suscepit exceptis Pauli Samosateni discipulis: qui Stephani æuo necdum infaustum caput orco extulerant. Vt nihil possit, vel petulantiùs, vel imperitiùs fingi Nouatoribus huius æui, qui Nicænam Synodum garriunt, nec Stephano omnes, nec Cypriano nullos sine baptismo recipienti suffragatam: sed distinctione ea vsam, qua vterque error castigaretur. Stephano enim prorsùs astipulati sunt Patres Nicæni, qui omnes, quos ille, sine batismo hæreticos suscipi iussere: eos tingi sanxere, quos ille erupturos rescire non potuit. Denique nusquam Hieronymus, vel lenissimè conquæstus est de errore, vel Stephani, vel eorum, qui baptisma heterodoxis verbis collatum non iterarent.

18 Accedat Basilius epist. ad Amphil. cap. 1. Ille enim etsi consuetudinem Romanorum Antistitum in baptismo minùs probet, non errori tamen, sed œconomiæ eam adsignat. Eique quamquam minùs ipse subscribat, œconomiæ tamen ergo assentitur, vt qui volent, adhærescant. Et Dionysio quidem Alexandrino, quòd Pepuzenorum baptismum approbarit à fide immaniter abhorrentem, nonnihil succenset, Cypriani, & Firmiliani non sine elogio meminit, à Stephano perstringendo prorsùs abstinet, qui tamen si qua fides esset Sycophantis nuperis, longè fœdiùs Dionysio cespitasset. [Pepuzenorum baptismus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum, quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit canonicus, præterijt. Et infrà: Pepuzeni in sanctum Spiritum blasphemarunt, Montano, & Priscillæ Paracleti appellationem nefariè tribuentes. Quàm ergo rationem habet, verum eorum baptisma iudicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quare etsi hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est seruanda erroris imitatio.] Vbi facilè subolet, quo non tam Dionysius, quàm Basilius laboret errore. Nam fidem, non verba baptismi interpolauerant Pepuzeni, nec in Montani, & Priscillæ nomina, sed in nomen Spiritus sancti baptizabant, quo cùm Montanum, & Priscillam intelligerent, in Montani, & Priscillæ nomen eos tinxisse, parum commodus interpres Basilius commentatur: mentem eorum potiùs, quàm verba pensitans. Ideò ergo nec à Romanis Montanistæ rebaptizabantur.

19 Innocentius autem primus epist. 22. cap. 4. distinctionum similiter incuriosus, ait: [Nostræ verò lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manus impositionem, laicam tantùm tribuere communionem, &c.] Dum ait, qui tamen illic baptizati sunt,] verum baptismum, & à se, & à maioribus suis desideratum significat, Euangelicis verbis dedicatum: alioqui nec baptismum dicendum. Vnde c. 5. ibidem, rationem indagans cur Nicæna Synodus Nouatianis tam secunda, tam aduersa autem Paulianistis fuerit, vt illos nec à Clero dimouerit, horum vel baptisma irritarit; [Quod idcircò distinctum esse istis duabus hæresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulianistæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti minimè baptizabant, & Nouatiani ijsdem tremendis, verendisque nominibus baptizant.] Igitur etsi sancti Patres indiscretè pronuncient omnes ab hæreticis tinctos, sola pœnitentia expiandos esse, conscij tamen ijdem sunt, nec baptismum dici, nisi nomine Trinitatis consignatum. Et rursùm cùm Paulianistæ quòd in nomine Trinitatis non tinguerent, ad Ecclesiam venientes rursùs ablui iubeantur; nulli ergo alij hæretici tempore Nicænæ Synodi hæretica forma verborum contaminauerant baptismi mysterium. Cui argumento robur accedet à Siricij epist. 1. cap. 1. qui præterito etiam prædecessoris sui Liberij decreto pugnat: [Nos cum Nouatianis, alijsque hæreticis, sicut est in Sy-

nodo constitutum; per inuocationem solam septiformis Spiritus, Episcopali manus impositione, Catholicorum conuentui sociamus Arianos. Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit.] Vides quàm non satagat de discrimine significando. Item Leo I. epist. 37. cap. 2. [Quòd si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur.] Nempè baptismum non sinit vocari, nisi debita observatione tributum. Et epist. 79. c. 7. [Nam hi, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati anteà non fuissent, sola inuocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt: quia formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute sumpsere.] Et epist. 92. c. 16. [Hi autem, qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauere, nescire se profitentur: quolibet modo formam baptismatis acceperint, rebaptizandi non sunt.] Vides quam non in sententiam, sed in verba ipsa Stephani conspirent, & omnes quidem hæreticos promiscuè habeant, & ab ipsis baptizatos non rebaptizent; sed id nimirùm iuuant, baptizatos non dici, nisi qui formam baptismatis, hoc est, inuocationem Trinitatis suscepere.

20 His succedat, qui præcedere, & vnus instar omnium esse potuerat Augustinus. Ex eo autem quid primùm, quid deinde carpemus ad Stephani patrocinium? Omnia enim eius de baptismo contra Donatistas scripta, omnia capita, omnes propè versus, hanc Stephani cum Cypriano concertationem ità exequuntur, vt disciplinæ sanioris, & veritatis maiestas tota penès Stephanum resideat. Paucissima decerpam ex immenso penè cumulo innumerabilium testimoniorum. Igitur l. 1. de bapt. con. Donat. cap. 18. [Cùm enim tanti meriti Episcopus Cyprianus aliud de baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita diligentiùs veritas firmatura: multique eius collegæ, quamuis liquidò nondum manifestatum, id tamen tenerent, quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus Catholicus orbis amplexus est, non se ille tamen à cæteris diuersa sentientibus separata communione disiunxit.] Audin Stephanum, & cæteros eius collegas, à quibus dissentiebat Cyprianus, id tenuisse, [quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus Catholicus orbis amplexus est?] Et l. 2. cap. 7. [Nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata. Sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia: quam credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posteriorum: & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.] Ergò Stephanus, & vniuersa cum eo Ecclesia, si Cyprianum cum fautoribus demas, non errabundam, & postea emendandam, sed Apostolicam, & plenario pòst Arelatensi, Nicænoque Concilio corroborandam retinebat consuetudinem. Et ibidem capit. 9. [Concilium vniuersale nondum factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem.] Et lib. 4. cap. 6. [Nec inuenio, cur istam consuetudinem improbent, quæ post Cyprianum etiam plenario totius orbis Concilio confirmata est, &c. cùm eius consuetudinis mutandæ causa auctoritatem Cyprianus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperiret. Quod cùm sibi aduersùm totius orbis morem non sufficere cerneret, &c.] Et l. 5. cap. 23. [Donec per plenarium Concilium quid esset rectiùs eluceret, non aliqua nouitate instituta, sed vetustate roborata.] Vides quò peruenerit, quid perfecerit plenarium Concilium, seu Arelate, seu Nicææ collectum? non vt nouam hæreticorum faceret distributionem, sed vt vetustam consuetudinem à Stephano propugnatam accensa veritatis face illustratam confirmaret. Et l. 7. cap. 20. [Nam veritate posteà liquidiùs reuelata, cessit error veritati, cùm illa saluberrima consuetudo etiam plenarij Concilij auctoritate firmata est.] Et l. de vnico baptismo con. Petil. cap. 14. [Ecce duo erant vno tempore, vt de alijs taceam, qui diuersa sentiebant: duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in vnitate Catholica constituti. Multi cum illo, quidam etiam cum isto sentiebant, &c.] Quis porrò Augustino exercitatior in hac disceptatione? Quis altiùs ingressus in huius quæstionis, quæ adhuc cum Donatistis feruebat, indagationem? Cui exploratoria, & Stephani, & Cypriani verba, atque sensa? Non illum præterierant illa Stephani verba, de quacumque hæresi. Nec tamen ille errasse Stephanum indè elicuit, sed ex aduerso. Apostolicæ traditioni inexpugnabiliter adhæsisse. Canonis autem Arelatensis, ac Concilij plenarij sensum, fructumque, non in emendanda, sed in confirmanda priore consuetudine, quis ipso dilucidiùs potuit peruidere?

21 In hac enim parte vniuersam aliquando caligasse Ecclesiam, & mendacij retibus implicatam fuisse, cupidè quidem amplectuntur hæretici, quibus sponsa Christi prostibulum est. Apage autem vt assentiantur vmquam viri Catholici. Subscribant potiùs Augustino, vt cætera taceam, rei recentissimæ testi, quàm nouellis hæreticis, post mille quadringentos penè annos noua subindè mendaciorum, & calumniarum monstra parturientibus. Tam malè de Ecclesia Christi suspicari dedoceat illos Augustinus l. 2. contra Cresconium Grammat. cap. 33. [Proindè quamuis huius rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas. Vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam

sine

sine vlla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.] Non fidei igitur tantùm, sed & disciplinæ castigatioris regula, sicubi sileat Scriptura, ipsa tamen est Ecclesia, de qua non silet Scriptura. Si vniuersa autem aliquando Ecclesia, etsi dissimili, in errore tamen iacuisset, ecquid illam consuli attineret? Si errasset extra Synodum vniuersa, quin errasset & in Synodo plenaria? Num tutior ab errore est, repræsentatio Ecclesiç, quàm Ecclesia? Num collecta in vnum locum, quàm effusa in omnem? An vbi ipsa effunditur vbique terrarum, effunditur & euanescit Spiritus sanctus, pectoris hospes intimus? Cui Catholico hæc bilem non moueant?

22 Vincentius quoque Lirinensis omnem cauillandi facultatem resecat Common. 1. cap. 9. [Quondam igitur ven. mem. Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium, contra diuinum Canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem, atque instituta maiorum rebaptizandum esse censebat. Quę præsumptio rantum mali inuexit, vt non solùm hæreticis omnibus formam sacrilegij, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præberet erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquauersùm Sacerdotes pro suo quisque studio renitererentur: tunc beatę memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit; dignum, vt opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit, nihil nouandum, nisi quod traditum.] Vbi perspicuis quàm omnia ad Stephani defensionem sint instructa. Et hæc quidem scribit Vincentius post Arelatense, post Nicænum, post CPolitanum generale Concilium. Non his ergo Concilijs æquè repudiatam Stephani, ac Cypriani sententiam suspicabatur.

His adde Facundum Hermianensem Episcopum l. 10. [Cùm Cyprianus non solùm priuatim, vt ei visum est, verùm etiam congregato Concilio definierit, vt omnis hęreticus ab Ecclesia rediens baptizetur, & propter hoc culpatus à Stephano Antistite Romano restiterit, iniuriosè tractans eundem beatum Stephanum, à quo fuerat iure culpatus, &c.] Et l. con. Mocianum: [Idcircò beatus quoque Stephanus Præsul Apostolicæ Sedis cùm sanctum Cyprianum, atque alios Afros Episcopos de baptizandis omnibus hæreticis decreuisse cognosceret, continuò ei denunciauit, quòd si qui hæc auderent, ab Ecclesia pellerentur. Et Stephani potiùs, quàm Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solùm de non rebaptizandis hæreticis, verùm etiam de rebaptizantibus non ferendis.] Quid his apertiùs optari potest?

23 Hincmarus denique, ne longiùs progrediar, in opusculo 55. capp. c. 19. [Et quia Concilium Nicænum Paulianistas hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizari præcepit, quidam etiam alios hæreticos baptizandos esse dixerunt, quod Apostolica Sedes, & plenaria Concilia, sicut decreta Romanorum Pontificum, & sanctus Augustinus verbis, & sensibus copiosè ostendit, penitùs abdicarunt.] Paulianistæ enim, vt suprà tradidit Innocentius, in nomine Trinitatis non tinguebant, tinguebant alij ferè hæretici, etsi ijs nominibus non eam, quam Ecclesia Catholica, fidem complecterentur. Vnde Augustinus l. 3. de bapt. con. Donat. c. 15. [Quamobrem si Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti non solùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli Ecclesiæ, de quibus dicebat Apostolus. Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionum fortassis, quot homines, numerarentur.] Consule Epiphanium, & alios, qui de hæresibus scripsere, etsi minutias ferè consectati sine omnes, euersam tamen ab vllis formam baptismi vix reperies, nisi ab vno & altero. Vndè scitè Augustinus l. 6. de baptis. con. Donat. [Cæterùm quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint? Sed faciliùs inueniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.]

24 Iam satis, vt opinor, superque dilixit, quantilla fides habenda sit Nouatoribus, quando in re tam aperta fucum facere, & omnium Patrum conspiratissimæ sententiæ obluctari conati sunt. Ad alteram iam accingamur huius controuersiæ partem expediendam. Et ex suprapositis Augustini testimonijs illud quidem emicabat, excusatus illum vtrumque habuisse Stephani aduersarios, quod necdum res plenario Ecclesiæ Concilio diffinita, atque elucidata fuisset. An ergò ante Concilij plenarij definitionem, nullius culpæ affines sunt, qui Sedis Apostolicæ constituta despicantur? An ea erat inter Cyprianum, & Stephanum æqualitas, vt pari iure, in tantæ rei dissonantia suo vterque iudicio fruerentur?

25 Nequaquam ità habere, vel Augustinus ipse fideiussor est. Nam l. 5. cap. 23. contra Donat. de bapt. [Scribit Cyprianus, Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ Episcopum tunc fuisse didicimus, non solùm sibi ad ista non consensisse, verùm eriam contra scripsisse, atque præcepisse.] Sic ergo alibi suprà dixit duos fuisse eminentissimarum Ecclesiarum Prælules diuersa sentientes, vt hic agnoscat alterum alteri præcepisse. Et l. 1. de baptis. con. Donat. cap. 18. [In qua Ecclesia, si aliud alij adhuc de ista quęstione salua pace sentirent

donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanę infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis: sicut scriptum est, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Quæ enim absente cætera inaniter habentur, eadem præsente quædam venialiter non habentur.] Peccasse Cyprianum non dissimulat: quem mox ait [ad palmam martyrij peruenisse, vt si qua in eius lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur.] Et mox addit, quòd de baptismo aliter senserat quàm se res habebat, [id charitatis vbertate pensatum, & passionis falce purgatum esse.] Et l. 5. cap. 25. [Iam illa, quæ in Stephanum irritatus effudit Cyprianus, retractare nolo, quia & non opus est. Ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem & abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem conuellere conarentur. Iste autem quæstionis istius difficultate permotus, & sanctæ charitatis visceribus largissimè præditus, in vnitate cum eis manendum; qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotiùs, sed tamen fraternè indignetur: vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.] Vides vt Cypriani efferuescentiam perstringat, Stephano eadem placuisse astruat, quæ vniuersali post Ecclesiæ, vt ne baptisma hæreticorum iteraretur, & iterantes abstinerentur: denique dispensationi, qua errori suo blandiebatur Cyprianus, ad auertendum schisma acquieuisse tandem Stephanum. Etsi enim nullo decreto, ipsa tamen patientia sua, qua intentatum fulmen inhibuit, consensit Stephanus in hanc œconomiam. Itaque Stephano in illam œconomiam consentiente, eius auctoritatem iam non spernebant, qui Concilium plenarium opperiebantur.

26 Quid quòd sexcenties idem Cyprianum Petro comparat, Episcopum Apostolo, errantem erranti, martyrem martyri? Cùm tamen Petrus Paulo corripienti acquieuerit, eius erroris sectatores ab Ecclesia præcisi sunt. Itá & Cypriani martyris imitatores ab vnitate se abrupere. Lib. 7. cap. 1. [Hæretici nati ex illo errore, in quem Petrus denians à Paulo reuocatus est, in hoc vsque persistunt. Sicut ergo illi, Petro in primatu Apostolorum martyrij gloria coronato, in sua peruersitate præcisi ab Ecclesia remanserunt; sic isti Cypriano per abundantiam charitatis in sortem sanctorum passionis claritate suscepto, seipsos exules vnitatis agnoscunt.] Itá Cyprianus Stephano, vt Petrus Paulo saltem obtemperaret. Id ergo prætereá sanguine eluit. Et lib. 3. cap. 8. [Monet nos non fuisse impossibile, vt de baptismo Cyprianus aliquid aliter saperet, quàm veritas postulabat, quæ ab Ecclesia, & ante illum, & post illum retenta est, sicut potuit aliquid etiam, Petrus aliter sapere, quòd veritas non habebat, quam Paulo Apostolo Doctore didicimus.]

27 Quàm non posset etiam Augustinus Cyprianum absoluere, apertum est prætereá ex lib. 2. contra Donat. de bapt. capit. 7. vbi ait, etsi res nondum diligentiùs pertractata fuisset, [saluberrimam tamen consuetudinem tenebat Ecclesia, &c. quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinē per Agrippinum prædecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentiùs inquisita veritas docuit, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi.] Idem alibi pluries inculcat, eam non iterandi baptismi consuetudinem ab vniuersali Ecclesia hactenùs obseruatam fuisse. Culpa librari ergo non poterat Cyprianus, qui consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ, & traditionem ab Apostolis vsque ipsis deriuatam contemnebat, posthabebatque nuperæ per Agrippinum inuectæ corruptelæ. Minùs adeò est mirum, si Apostolicæ Sedis statuta minoris faceret, qui Apostolicas traditiones, & vniuersalis Ecclesię leges flocci faciebat. Ab hoc Cypriani contemptu, quem martyrio expiauit, nihil aduersùs vel primæ Sedis, vel Ecclesiæ vniuersalis, vel Apostolicarum traditionum auctoritatem ritè excipi potest.

28 Itá Hieronymus dialog. aduers. Lucif. frustrà à Cypriano impertitam vtramque copulat auctoritatem, & Sedis Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ. Legat beati Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ Vrbis Episcopum, & inueteratæ consuetudinis laceràt errorem.

Itá & Vincentius Lirinensis loco supra laudato: [Cypriano Stephanus Apostolicæ Sedis Antistites, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteria restitit: dignum, vt opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci dignitate superabat.] Æquum erat vtique morem, vt ei gereret Cyprianus, qui cæteros collegas, & fidei deuotione, & loci dignitate superabat. Quid mirùm autem si ei non cessit, qui Agrippino potiùs se addixit? [primò omnium mortalium contra Diuinum canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem, atque instituta maiorum, rebaptizandum esse censenti?]

Itá & Facundus supra aiebat iure culpatum à Stephano Cyprianum, & Stephani sententiæ, non tùm quidem Cyprianum, sed Ecclesiam, & tùm, & posteà acceßisse.

29 Et rursùm Augustinus octoginta Episcopos cum Cypriano, quinquaginta cum Firmiliano consensisse non nescius, nihilo tamen seciùs Orbem Christianum vniuersum à Stephani partibus stetisse fidenter affirmat. Vt hinc rursùs pateseat, tam non posse aduersùs Stephani, quàm nec aduersùs Ecclesiæ vniuersalis auctoritatem, vel de-

decreta quidquam hinc obiectari. Sed & Stephani, & Ecclesiæ potestas quidem inuicta, sed permodesta, & multis œconomiæ, & veniæ blandimentis temperata intelligatur.

Libro 3. contra Cresconium cap. 3. [Proindè si omninò iàm credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quòd septuaginta Afris, vel aliquantò etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto Orbe displicuit: cur non potiùs etiam ipsos paucos Orientales suum iudicium correxisse dicamus?]

Et libro 2. cap. 9. de Baptismo contra Donat. [Nondùm factum erat vniuersale Concilium, quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum.

Vide & libro 4. cap. 6. vt supra retulimus.

Eusebius quoque supra relatus lib. 7. cap. 2. & 3. antiquam consuetudinem, cui Stephanus tuendæ incumbebat, in omni Ecclesia inualuisse insinuat ab initio. Vt necessè sit Firmilianum partium suarum studio raptum extrà veri semitam fuisse, cùm de copia suorum assectatorum licentiùs gloriatur.

30 Quòd autem Stephanus vltrà minas, & terrorem non erupit, cohibitoque mucrone sacro, indulgentiæ tacitus saltem acquieuerit, vt ne ea de causa vnitas Ecclesiæ scinderetur, multis assequimur coniecturis.

Eusebius nouum, & insolens Cypriani decretum, & Synodi Carthaginensis, grauissimè tulisse, ait, Stephanum, nec vltrà indignationem æstuasse, aut tentasse quid narrat.

Hieronymus supra laudatus, aiebat Cyprianum Concilij sui decretum ad Stephanum misisse, sed conatum eius frustrà fuisse: denique illos ipsos Episcopos ad vetustiorem consuetudinem sese recollegisse.

Vincentius Lirinensis feruorem Stephani magnificentissimis verbis prosecutus est, de anathemate prorsùs silet.

Augustinus libro 5. cap. 23. [Cyprianus ad Pompeium scribens, indicat Stephanum non solùm sibi ad ista non consensisse, verùm etiam contra scripsisse, atque præcepisse.] Huc vsque sæuitum est. Et libro de vnico Baptismo contra Petillian. cap. 14. [Cùm Stephanus non solùm non rebaptizaret hæreticos, verùm etiam facientes, vel vt fierent, decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani literæ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in vnitatis pace permansit.] Excommunicandos censebat, non excommunicabat: minitabatur Stephanus, non iaculabatur. Ideò & Cyprianus permansit in pace vnitatis, etiam cum Stephano, vndè ibidem mox: [Ecce duo erant vno tempore, vt de alijs taceam, qui diuersa sentiebant. Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicèt, & Carthaginensis Episcopi, Stephanus, & Cyprianus, ambo in vnitate Catholica constituti. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, vtrique cum eis in vnitate consistentes.] Nihil his apertiùs fieri potest.

Atque adeò mitiganda sunt nonnihil Firmiliani ad Cyprianum verba, aduersùs Stephanum stridentia in hunc modum: [Pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modò vobiscum, qui in meridie estis: à quibus legatos Episcopos patienter satis, & leuiter suscepit, vt eos nec ad sermonem saltem colloquij communis admitteret; adhùc insuper præciperet fraternitati vniuersæ, nè quis eos in domum suam reciperet: vt venientibus non solùm pax, & communio, sed tectum, & hospitium negaretur.]

Rethorleabatur Firmilianus, & causæ suæ æstu effusiùs incandescebat. Vt asperiùs primò acceperit Legatos Cypriani Stephanus, quò ad officium illum reuocaret, nihil moror: at pacem ab eo non esse ruptam, id superiora argumenta peruincunt.

Et ipse denique Cyprianus in epistola ad Pompeium, qua asperiores ad se Stephani literas asperrimè exagitat, fratrem tamen ipsum appellat, ruptæ communionis nusquam meminit.

Et ad cumulum Augustinus libro 5. contra Donatist. cap. 25. [Stephanus abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem conuellere conarentur. Cyprianus in vnitate cum eis manendum, qui diuersa sentirent. Ità quamvis commotiùs, sed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.] Vtcumque igitur consensit Stephanus, qui diuersa sentirent, ab vnitate non præcidi; & vniuersale Concilium expectari.

31 Quocirca, vt eius auctoritati à multis resisteretur, charitas eius in causa fuit, quę ad veniam tandem ipsum, & œconomiam inclinauit.

Aliqui quantalibet potestate, & scientiæ vbertate afflueret Cyprianus, inflecti tamē ipsum debuisse grauiori auctoritate, auctor est ipse Augustinus libro 2. de Baptismo contra Donatist. cap. 3. [Certè nobis obijcere soletis Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani concilium, &c. Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam omnibus posterioribus Episcoporum literis ità præponi, vt de illa omnium dubitari, & disceptari non possit, vtrùm verum, vel vtrùm rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scripta sunt, vel scribuntur: & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est.] Quorumlibet, vt vides, Episcoporum, atque adeò Cypriani literæ, reprehendi poterant, non sapientiore tantùm cuiuslibet priuati sermone, non Concilij tantùm congregatione, sed aliorum etiam

Epis-

Episcoporum, atque adeò præ cæteris Romani Præsulis grauiore auctoritate, doctioreque prudentia.

Hæc enim tria perspicuè discriminat Augustinus.

32 Quid si & ipse Cyprianus antè obitum resipuit? Nolim equidem vel illius, vel Firmiliani sanctitatis famam ab hoc religare ambiguo. Sed & rem dubiam nolim indubie explodi.

Sobriè, & sapienter suo more Augustinus libro 2. de Baptismo contra Donat. [Si Petrum laudat, & prædicat Cyprianus, ab vno posteriore collega patienter, concorditerque correctum; quantò citiùs ipse eum Concilio Prouinciæ suæ, vniuersi Orbis auctoritate, veritate patefacta, cessisset? Quia profectò, & vni verum dicenti, & demonstranti posset facillimè consentire tam sancta anima, tam pacata. Et fortassè factum est, sed nescimus. Neque enim omnia, quæ in illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ, litterisque mandari potuerunt: aut omnia, quæ mandata sunt, nouimus.] Vides, vt has coniecturas nec leuiter astruat, nec fidenter aspernetur sanctus Pater.

Et epistola 48. [Cyprianus aut non sensit omninò, quòd eum sensisse recitatis, aut hoc posteà correxit in regula veritatis, aut hunc quasi næuum cooperuit vbere charitatis.

Dionysium Alexandrinum docet Hieronymus libro de Script. Eccles. in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consensisse. Et tamen, vt eius epistolas ad Romanos Pontifices ex Eusebio datas sileam: Basilius in epistola ad Amph. semel, iterùmque conqueritur de Dionysio, quòd Pepuzenorum Baptisma approbaret. Hinc coniectura est, ad Romanorum sententiam tandem accessisse.

Hieronymus autem aduersùs Lucifer. [Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti, nouum emisere decretum, &c.]

Augustinus libro 3. contra Crescon. cap. 2. innuit. [Orientales suum iudicium correxisse.]

Incassum ergo Baronio indignantur, eiusmodi quid ominanti de Firmiliano. Si tamen fides eius rei adhùc nutat, nec plùs æquo indulgendum est suspicionibus animi nostri, consultiùs erit Augustinum rursùm audire, libro de vnico Baptismo contra Petill. cap. 13. [Nec nos, qui Baptismi veritatem etiam in Hæreticorum iniquitate agnoscimus potiùs, quàm negamus, ideò meliores Cypriano sumus, sicut nec Petro, quia gentes iudaizare non cogimus. Hoc de Agrippino, alijsque Episcopis, qui illa Concilia fecisse perhibentur, responderim, qui sic diuersa senserunt, vt cum eis, contra quos de hac quæstione sentiebant, in vnitate persisterent, vbi charitas cooperit multitudinem peccatorum.]

Et Bedam rursùm audire superiùs relatum: qui Aidani vitam Euangelicę amussi cooaptatam laudabat, non laudabat autem, quòd canonicum Paschæ tempus; [vel ignorans, vel suæ gentis auctoritate, ne agnitum sequeretur, deuictus, non obseruaret.]

33 Et hinc rursus alia se pandit ratio sedandæ inter varia Augustinianæ doctrinæ capita conflictationis: cùm idem ipse & Concilij plenarij spem amputarit Pelagianis, inexorabilem indicens necessitatem Africanis Concilijs, & Apostolicæ maximè sedis definitionibus subscribendi: & Cypriano, eiusque collegis copiam fecerit, aut patrocinium adornauerit, vt autè Concilium plenarium non acquiescerent. Ingenti enim prorsùs hæ quæstiones distant interuallo. Illa ad fidem, hæc ad consuetudines magis Ecclesiæ pertinet. In vnitatem fidei conciuere necessum est Fideles omnes, in vnitatem consuetudinum non est semper necesse. A fide deuiantibus nil veniæ superest, nisi rectæ orbitæ se reddant: à consuetudinum tecto tramite declinantes ex venia persæpè tolerantur. Hic habet, illic non habet locum dispensatio. Definitæ semel fidei detogari deinceps numquã, & nusquam potest: constitutæ quomodolibet consuetudinem disciplinæ non raro posterior ætas derogat, ipsa saltem desuetudine Concilijs etiam œcumenicis consuetudines aliquas sancientibus, aut non statim obtemperatur, aut obtemperari definitur posteà, vt non citrà culpam, at citrà vnitatis Ecclesiasticæ labem: at fidei semel constitutæ irreuocabiliter obaudiendum est.

Tertullianus libro de Virgin. veland. [Regula, inquit, fidei omninò vna est, sola immobilis, & irreformabilis.

34 Ideò forsitan in vnitatis, & pacis gremio retenti sunt ad Concilium vsque Nicænum, qui de Paschæ die à Catholica Ecclesia dissonabant; cùm cæteræ hæreses etiã antè Nicænam Synodum à corpore Ecclesiæ detruncatæ fuerint. Ideò de quæstione Paschatis dirimenda laborarunt vehementer Nicæni Patres: de priscis hæresibus innumeris per Prouincialia tantùm Concilia antèhac proscriptis, rursùs proscribendis, & ex œcumenicæ auctoritate Synodi fulminandis nihil fuere solliciti. Ideò & concertationem de Baptismo ijdem sopire studuerunt, vnos rebaptizari iubendo Paulianistas. Quia, vt liberior, & versatilior sua sponte est disciplina: ità vniuersali magis consensu opus est, sicubi restringatur.

Ideò & Cyprianus vehementer contendebat, & Stephanus tandem condonauit, vt diuersa quamlibet sentientes, ab vnitatis tamen indiuiduo nexu ne discederent: sicut & in negotio Paschatis Irenæus, alijque, sentiebant, sequioris obseruantiæ tenaciores quosque à compage Ecclesiæ non scindendos.

Denique disciplinæ varietatem alicubi etiam ornamento esse & Augustinus, & Gregorius infrà suo loco nos docebunt.

Gregorius autem non assensus modò, sed hortatus etiam est, diuersos ab Ecclesia Romana ritus, sicubi tempestiuiores occurrerent, in Ecclesiam Anglicanam transplan-

plantari. In fide autem nemo hanc licentiam concesserit.

35 Nec me fallit quodam posse modo ad fidei negotium reuocari istas de Baptismo hæreticorum quæstiones, multò etiam magis, quàm de Paschatis die, in quo aberrantes Ecclesias, Victor heterodoxas appellabat.

Sed vnum id existimo ex priscorum Patrum scriptis scintillare, hanc rem illos non aliter, quàm vt consuetudinis Ecclesiasticæ, & disciplinæ partem spectasse, nec ad fidei substantiam, & necessitatem reuocasse.

Ità sentiebat Firmilianus in epistola ad Cyprianum, saluo vnitatis vinculo in his dissentiri posse: [Circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia Diuinæ rei Sacramenta videat quis esse apud Romanos aliquas diuersitates, nec obseruari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis obseruantur. Secundùm quod in cæteris quoque plurimis Prouincijs multa pro locorum, & nominum diuersitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque vnitate aliquando discessum est. Quod nunc facere Stephanus ausus est, rumpens aduersùm vos pacem, quàm semper antecessores eius vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt.] Et toto passim epistolæ contextu bacchatur eo ferè nomine in Stephanum, quòd non potiùs suis quemque moribus frui sineret, quàm fœdus pacis dissolueret.

36 Ità sentiebat, & Cyprianus epist. ad Iubaianum. Cùm enim sententiam suam multis sepsisset argumentis, ait tandem: [Hæc tibi breuiter pro nostra mediocritate rescripsimus, nemini præscribentes, aut præiudicantes, quominùs vnusquisque Episcoporum, quod putauerit, faciat, habens arbitrij sui liberam facultatem. Nos quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegijs, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus diuinam, & dominicam pacem tenemus. Seruatur à nobis patienter, & firmiter charitas animi, collegij honor, dilectionis vinculum, concordia Sacerdotij.]

Et in exordio Concilij Carthag. [Superest vt de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, &c.] In disciplinæ negotio cum aliquo colore hæc disseruntur, in capite fidei Catholicæ alienissima essent omnia.

Verba autem illa: [Quod putauerit, faciat, habens arbitrij facultatem liberam, &c. obsequendi necessitas, &c. de actu nostro iudicandi Christus vnus habet potestatem:] perspicuè ad disciplinam, non ad fidem referuntur. De fide enim à collegis dissentire, nulli fas est: si quis dissenserit contumax, à pace eijciendus est, à communione.

At antiquas Ecclesiæ suæ consuetudines à quolibet Episcopo retentari, etsi ab alijs dissonas, vtcumque vsque ad Concilium plenarium aliquando, & vltrà toleratur.

37 Ità sentiebat, & Stephanus, cum quid fieri, non quid credi deberet, præciperet traditionem antiquæ consuetudinis ostentaret.

Ità & Eusebius suprà descriptus, meræ consuetudinis memor.

Ità & Hieronymus, cuius prolixa disputatio, non aliud quàm antiquam, & inueteratam consuetudinem venditat.

Ità sensit & Arelatensis Synodus canone 8, vbi habet: [De Afris, qui propria sua lege vtuntur vt rebaptizent,] nec contumeliosiùs quidquam in eos iactatur, vel in eorum errorem. Si enim aduersum fidei id visum esset, vt quid vocaretur ista non insania, non hæresis, sed propria lex rebaptizandi? Denique canones hic non complectuntur nisi regulam disciplinæ, fidei autem definitio ferè in antiquis Concilijs seorsim digerebatur.

Ità sensit, & Nicæna Synodus, totam illam de baptismo controuersiam dirimere molita, non Symbolo, aut confessione fidei, sed canone vnico, & hoc vno decreto vnos deinceps Paulianistas iterum tingendos.

De Apostolicis canonibus ad hoc idem attinentibus suo loco disseremus.

Vnum insuper addo Optatum leg. 1. [Apud quos non sunt Sacramenta.] In quæ verba Albaspinæus hæc adnotat: [Ergo ex hoc, & ex multis alij locis quantum conijcio, Optatus non existimabat hæreticos posse baptizare.]

38 Ità dubio procul sentiebat, & Basilius, qui epist. ad Amphil. cùm hereticos, qui ipsam fidei summam labefactare moliuntur, discreuisset à schismaticis, qui ob sanabiles quæstiones se absciderunt, ait: [Visum est ergo ab initio hereticos quidem omninò reijcere; eos autem, qui se absciderunt, seu schismaticorum baptisma admittere, vt qui adhuc sint Ecclesiæ.]

Firmiliano tamen, & Cypriano mox ait visum esse, schismaticorum quoque baptismum iterare: [Sed quoniam nonnullis Asiaticis omninò visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur.] Hæc ille de Catharis, mox verò de Encratitis. [Quoniam nihil est de his apertè dictum, oportet nos eorum baptismum abrogare. Quod si hoc vniuersali œconomiæ sit impedimento futurum, rursùs consuetudine vtendū est, & sequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, prouiderunt.] Et infrà can. 47. omnes illos schismaticos à se rebaptizari ait, idemque suadet Amphilochio: quamquam expeditiùs dicat Episcopali Synodo has omnes controuersias dirimi. Multa hinc ebulliunt argumenta ad nostrum institutum.

Primum antiquiorem traditionem commemorat, paritione vtentem, tum se ab ea dissentire confitetur. In fidei negotio non id sibi sumeret Basilius.

Catha-

Catharos, & Eneratitas io eamdem schismaticorom naui collocat, tum illorum recipi permittit baptisma, horum vetat. Non ità in fidei quæstione alternaret. Catharorũ baptisma suscipi ex dispensatione censet. At in negotio fidei non ità dispensationi locus datur. Encratitas rebaptizari suadet, si tamen vniuersali Ecclesiæ paci, & dispensationi id obstrepat, admittendum censet eorum baptisma: nonne hæc ipsa est disciplinæ versatilitas? Ad nonam Synodum suspirat, quæ dubia illa omnia enubilet: vix ergo decantato illo apud Augustinum plenario Concilio sopita erat omnis controuersia.

Ità de baptismo disceptatio, post Arelatensem, post Nicænam Synodum vix satis elucidata videbatur Basilio, noua illi in votis erat Synodus, rursùs ea de re secundùm œcumenicum Concilium sanxit, quid sequendum esset.

Frustra sunt ergo, cum hinc pronocationes sibi fingunt à rescriptis Sedis Apostolicæ ad œcumenicas Synodos: cùm preçquè ergo liceret ab œcumenicis Synodis ad alias prouocare, & ad alias etiam non œcumenicas.

Etsi enim œcumenica fuerit Synodus Constantinopolitana, Synodum tamen dùmtaxat experierat Basilius.

39 Ità sentiebat, & Amphilochius, qui in Nouatianorum baptismo iterando, vel non iterando, suæ cuique moribus Ecclesiæ seruiendum esse censebat; vt testatur Basilius cap. 1. epist. ad eumdem scriptæ: [Quæ itàque ad Catharos pertinent, rectè admonuisti, quòd oportet vniuscuiusque regionis morem sequi.] Quæ ità interpretatur Balsamon: [An oporteat baptizari Nouatianos, diuersæ sentẽtiæ processerunt, quemadmodum tu admonuisti, & placuit sequi morem vniuscuiusque regionis.

40 Ità sentiebat, & Athanasius, cuius orat. 3. aduer. Arianos hæc sunt verba: [Si in nomine Patris, & Filij datur perfectitudo baptismi, plenaque initiatio: Patrem autem verum Ariani non pronunciant, eò quod negent aliquid ex ipso existere, & simile esse illios substantiæ; negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus conditum sibi comminiscentes in baptismate proferunt, qui quæso, igitur non planè vanom, ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis datur, cùm id nonnisi species sit inane simulacrum? Non enim io Patre, & Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in creatore, & creatura, in factore, & factura. Sicut igitur creatura diuersum, quid est à Filio, irà diuersum, quid à vero baptismate est, quòd ab illis existimatur dari: tametsi nomen Patris, & Filij quoniam illa io scripturis vident, simulent se nominare. Et infrà: Certè aliæ etiam hæreses, eçque numero non paucæ, nomine tenùs ritum istum pronunciant, sed non rectè sentientes, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, oimirùm lumine, & religione destitutam. Adeò vt, qui ab illis asperguntur, sordescant poriùs praua religione, quàm redimantur.] Hęc vir intaminatissimæ fidei de baptismo hæreticorum, & cæterarum hæresum; tametsi inuocatione Trinitatis cõferretur. Audi & quid mox sobijciat. [Itidem quoque, & Manichæi, ac Phryges, ac discipuli Samosatensis, nomina ipsa proooociantes, nihil ob id sunt minùs hæretici. Ità quoque deinceps, & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque eis, qui ab ipsis baptisma accipiunt.] Hìc obiter aduerte oomina ipsa personarum diuioarum, quia sacris in paginis consignata verbis conceptis sunt, ioter tingendum ab omnibus pnè hæreticis pronnnciata fuisse, ideòque nullius culpæ fuisse affinem, vel Stephanum, vel Ecclesiam Romanam, eorum baptisma iterari vetantem. Porrò Athaoas. Basilio apertè suffragatur, cassum ratus baptisma, quod tametsi verbis Euangelicis conferatur, eorum tamen, qui conferunt, alienus seosua ab Euangelio, aliena fides est.

41 Ità sentiebat, & Epiphanius, cuius adscribendus hìc est locus illustris in exposit. fid. Cath. oum. 13. [Alij qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus, priuata sibi factione conflata præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra Concilij generalis decretum, eos, qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare oihil verentur: cùm nondum ea res, vt dixi, vniuersalis Synodi iudicio decisa sit: quòd adbuc populi promiscuè ad hodiernum vsque diem habeantur. Inter quos multi quidem sunt Catholici, sed fictè, ac per simulationem, Sacerdotum auctoritatem sequuntur, donec execranda illa secta ab Ecclesiæ communione segregetur, vt tunc aliquid de illa statuatur, Ex ijs, qui suapte auctoritare iterũ hoc modo baptizant, audio quemdam in Lycia Presbyterum esse.] Nemini posthac: vt arbitror, mirùm accidet si fluctuauerit Athanas., si Basilius, si Amphilocius, & hæreticorũ baptisma io nomine, sed non in fide Trinitatis collatum iterari optauerit; cum Epiphanius Romanæ Ecclesiæ, & Occidentalis morum scieotissimus, æquè alternauit, & eos, qui ab Arianis ablutos iteratò abluebaot, non hęresros, sed audaciæ insimularit, vnumque illud iterum deprecatus sit, ne ante Concilij vniuersalis definitionem rebaptizare eos perseuerarent, maximè cùm illi necdum, aut secessissent, aut esecti esseot ab Ecclesiæ Catholicæ communione.

42 Ità sentiebat & Cyrillus Hierosolymitanus, qui pręfat. in Catech. de omnibus hęreticis promiscuè hęc habet. [Soli hæretici rebaptizantur. Siquidem priùs illud non erat baptisma.] Quæ autem, vel leuissima illius ab Augustino decantatissimi plenarij ex toto Christiano Orbe Concilij fama euaserat ad Basilium, ad Amphilochium, ad Cyrillum Hierosol. ad Epiphanium deoique? Vbi illa Orbis consensio post plenarium Concilium ad non iteraodum hæreticorum baptisma? Cùm Arelatensis vtique illa sit Synodus ab Augustino indigitata, paulò ante eius oatales celebrata, vt alibi ostendemus: ecqua huius apud Græcos vsquam vestigia, vel

ab emunctissimæ naris hominibus olfieri possint? Non Zonaras, non Balsamon, non alij eius meminere Græci.

Sed & in Arelatensi Synodo, vbi illa tam copiosa elucidatio veritatis, qua Cypriani doctrina refelleretur, traditionis Catholicæ, & vetustissimæ ratio, & sapientia plenissimè elucesceret? An temporum iniquitas intercepit tàm egregia doctrinæ Catholicæ monumenta? An diù ante Synodum inter orthodoxos Episcopos res agitata, & eliquata fuerat, & ità ad Synodum ventum est? Id forsan innuit Augustinus lib. 2. de bapt. contr. Donat. cap. 4. [Quomodo potuit ista res tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per Orbis terrarum regiones, multis hinc, atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret?] Illud certè ex antedictis constat, Arelatensis Synodi vix rumore aliquo aspersos esse Græcos, ideòque plenariam illam fortè ab Augustino dici, non quasi œcumenicam, sed vt ipsi moris est, quasi vniuersalem, hoc est pluribus ex prouincijs congregatam, velut Regionalem, aut Nationalem.

Vndè idem paulò infrà enodandis alijs quibusdam de baptismo dubitationibus, optabit auctoritatem Concilij tanti, quantùm tantæ rei sufficiat: Optabit item regionali cœpta Concilio, plenario Concilio terminari. Idem alibi transmarina Concilia magni facere visus est.

Vndè autem Augustino de œcumenicis Concilijs hæc sententia obrepsisset, qui solùm penè Nicenum audiuit, Constantinopolitanum vix sciuit, Ephesinum morte anteuertit? Et ille tamen frequens plenaria Concilia crepat, aliàque alij emendati autumat. Nec Basilius supra de œcumenico Concilio satagebat, sed de Concilio tantùm, vt lis ista dirimeretur.

Epiphanius œcumenicæ Synodi operam desiderat, peritior fortasse dissidij, quo Orientales nonnulli ab Occidentalibus adhuc diffidebant.

43 Ità sentiebant Patres centum quinquaginta in Synodo secunda œcumenica. Nam can. 7. ità edicunt: Eos, qui rectæ fidei adijciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis seruantur, recipimus secundùm subiectam hìc consequentiam, & consuetudinem, Arianos quidem, &c. Eunomianos verò, &c.] Illos nempè vnctione chrismatis, hos baptismo. Suum simplicissimè morem enarrant, consuetudinem hanc esse perhibent, nihil amarulentiùs in secus, vel sentientes, vel facientes stomachantur.

Cęterùm Montanistas, seu Cataphrygas, Eunomianos, aliosque nonnullos baptizari iterum iubent, quos Romana in Ecclesia rebaptizatos non fuisse elicitur ex suprà positis Hieronymi, aliorumque testimonijs. Solos Paulianistas Nicęna Synodus insserat iterum tingi, non Montanistas. In Ecclesiæ Romanæ Codice canonum, deest canon iste.

44 Ità sentiebant, & Trullani Patres, qui can. 2. recipiunt cum alijs receptissimis Synodis, etiam à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus, & Martyr, & Synodo, quæ sub eo fuit, emissum canonem; qui in prædictorum præsulum locis, & solùm secundùm traditam eis consuetudinem seruatus est.] Etsi à Cypriano dissentirent tunc Græci, hanc tamen eius consuetudinem suo loco, & tempore viguisse censent.

45 Ità sentiebant Græci olim omnes, quibus summo semper in honore fuit illa Basilij epistola canonica ad Amphilochium, Codice Canonum Græco præ cęteris radians. Specialiter autem Timotheus Presbyter, cuius fragmentum refertur à Balsamone, vbi tres ordines recenset accedentium ad Ecclesiam, qui baptismo, qui chrismate, qui sola erroris eiuratione recipiuntur. Et qui baptizantur quidem, sunt hi, Tascodrugi, Marcionistæ, Artotyritæ, Saccophori, Apotactitæ, Valentini, qui etiam Basilidij, & Hermæi appellantur, Nicolaitæ, Montanistæ, Pepuzeni, Manichæi, Eunomiani, Paulianistæ, Photinianistæ, Sabelliani, Cerinthiani, Menandriani, Ebionæi, Simoniani, Carpocratiani, Saturniani, & qui ab impio Marco, qui ab Apelle, qui à Theodoto Coriario, Helcesaitæ, qui à Nepote, qui à Pelagio, & Cælestio, & Melchisedecitæ. Qui autem sancto Chrismate vnguntur, sunt hi Tetraditæ, seu Tessaresdecatitæ, Nouatiani, seu Sabbatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ.

Et paulò post ibidem subijcitur, & istud ex epistola quarta Theodori Studitæ ad Naucratium excerptum: [Quæ à me petiuisti, vt sigillatim responderem de sectis, & baptismatis, &c. Accede ad sacrum librum Epiphanij, &c. Contemplatio tripliciter diuiditur. Baptizantur autem Marcionistæ, Tascodrugi, Manichæi, & qui sunt eiusdem ordinis, vsque ad Melchisedecitas, vigintiquinque hęreses. Inunguntur autem sacro chrismate Tetraditæ, Nouatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ, simul quinque. Qui verò; nec baptizantur, nec vnguntur, sed solam propriam, & omnem aliam hęresim anathematizant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, &c.] Quæ prolixior ferè est Canonis septimi Synodi Constantinopolitanæ interpretatio.

Vides autem, quàm immaniter hæc diffideant à consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quæ numquam deinceps tamen ea de re litem mouit Græcis, Canonem illum Constantinopolitanum suo ex codice reiecisse contenta.

Vides quàm rudes fuerint Gręci, aut incuriosi illius plenarij Concilij, & Canonis Arelatensis de baptismo ab Augustino celebrati. Vides quàm iure, meritòq; Canon Arelatensis ad Afros destinetur, quorum propria lex erat, vt rebaptizarent.

46 Ità sentiebat, vt ad Latinos rursùs me referam Gennadius de dogmat. Eccles. c. 52. [Illos qui non sanctæ Trinitatis inuocatione apud hęreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti iuxta regulam à Domino positam tincti sunt. Vt sunt Paulini, Prociliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montani, Manichæi, variaque impietatis germina, vel cæteræ istorum originis, siue ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, vt Cerdon, & Marcion; vel contraria, vt Manichæus; vel tria, & barbara, vt Sethianus, & Theodosius, vel multa vt Valentinus; vel Christum hominem fuisse absque Deo, vt Cerinthus, Ebion, Artemon, & Photinus. Ex ipsis, inquam, si qui ad nos veniunt, non requirendum ab eis vtrùm baptizati sint, an non; sed hoc tantùm, si credant Ecclesiæ fidem, & baptizentur Ecclesiastico baptismate.]

Minùs stupebis iam Græcos ab Arelatensi Canone, & ab Ecclesiæ Romanæ ritu deuiasse, cum videas ciuitati, & Arelatensi, & Romanæ adiacentes Ecclesias ab eis æque deflexisse. Multos enim horum, quos Gennadius tingi rursùs imperat, in Ecclesia Romana, siue nouo Baptismo receptos fuisse suprà expressè nos admonuit Hieronymus.

Sileo nostro hoc æuo nouellos hæreticos à multis Catholicis sub conditione rebaptizatos fuisse, idque vetandum fuisse Concilio Rotomensi anno 1581. Remensi anno 1583. Aquensi anno 1585. Tolosano anno 1590. Narbonense anno 1609. Ità enim definierat Pius V. vt fertur in Synodo Ebroicensi anno 1576. apud Bochel. lum pag. 171.

47 Ità sentiebat denique Augustinus ipsemet, sexcenties hanc consuetudinem appellitans, locis tum suprà allegatis, tum alijs innumeris, quibus huc congerendis supersedeo. Addo hunc vnum locum lib. de vnico bapt. contra Petil. cap. 13. [Ego autem, vt quod de hac re sentio, breuiter dicam: rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhùc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.] Itàque ea fuit propria, & hæretica Donatistarum peruersitas, vt rebaptizarent eos, qui in Ecclesia Catholica, iam abluti sacro fonte fuerant.

48 Plenarij autem Concilij auctoritatem ab Augustino expetitam fuisse, non ad fidei, sed ad consuetudinis, & disciplinæ vnitatem vniuersæ Ecclesiæ conciliandam, quia consuetudo sua sponte libera, & indifferens, ità commodiùs astringitur ad vnum vbique ritum: liquet ex epist. 118. [Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quòd Domini passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Aduentus de Cœlo Spiritus sancti anniuersaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia verò, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est, quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentique Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè deuenerit.] Vbi perspicuum est, non vti fidem, ità disciplinam, & consuetudines ad vnam formulam in omni Ecclesia restringi, & adunari necessariò debere: sed in illa omnes conuenire, in hac alias ab alijs inculpatissimè Ecclesias discrepare. Sicubi autem etiam consuetudo aliqua, vel obtineat, vel obtinere debeat in omni Ecclesia, hanc legem, vel à Scripturis, vel ab Apostolica traditione, vel à plenarijs Concilijs proficisci.

Et lib. 4. de bapt. contra Donatist. cap. 24. [Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.] Et lib. 2. cap. 7. [Quam consuetudinem non rebaptizandi hæreticos, credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.]

Et rursùs idem Augustinus lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. [Et hæc quidem alia quæstio est, vtrùm & ab illis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari. Nec aliquid temerè indè affirmandum est, sine auctoritate tanti Concilij, quantùm tantæ rei sufficiat.]

Et lib. 7. de bapt. contra Donatist. cap. 53. inquiens, an baptismus à pagano collatus, vel ioco, vel mimicè, ratus sit: [Nobis, inquit, tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.] Et epist. 119. cap. 15. [Ad agendum Pascha ex Euangelio, quia iam manifestum est, quo die Dominus Resurrexit, adiuncta est etiam ipsorum dierum obseruatio per Patrum Concilia: & Orbi vniuerso Christiano persuasum est, eo modo Pascha celebrari oportere]. In fidei autem dogmatis vix vnquam, ità pendere animi dubium inuenies Augustinum à Conciliorum definitione.

Adde Epiphanium suprà laudatum, an iterùm lustrali fonte piandi essent, quos tinxisse Ariani, ab Oecumenico Concilio statuendum esse opinantem.

Adde Basilium similiter Concilij desiderio æstuantem, in ista de baptismo hæreticorum fluctuatione.

Cùm aduersùs Origenistas, & tot alias tunc grassantes hæreses, nec Epiphanius, nec Basilius tanta flagrarint Concilij cupiditate. Denique Oecumenicam suam illam constitutionem, vt à Cyrillo Hierosolymitano vocatur cathec. 18. synodicè ediderunt Apostoli, non de fidei, sed de disciplinæ capitibus: & Prouinciales Synodi semel, & iterùm quotannis cogendæ olim erant, non tam vt de fide quid sciscerent, quàm vt disciplinæ castimoniam tutarentur. Etiamnunc sanè de confirmatione, de Ordi-

Ordine, de Absolutione, de Matrimonio non pauca controuertuntur inter scholæ optimates, aliqua inter Ecclesias ipsas discrepant: quæ his rata, his videntur irrita: sed ciuilis, & ad disciplinæ ingenium temperata hæc conflictatio etsi: tametsi de his, vt de compluscculis alijs possent cudi definitiones, & ad fidei necessitatem trahi. nec tamen quamdiù, & sententijs, & moribus certatur hinc, & hinc diuersis, vtrisque ex æquo applaudere integrum est. Longè anteferenda est enim altera sententia, verbi gratia baptisma hæreticorum non iterantium, vtpotè & Sacramenti dignitati, & traditioni Ecclesiasticæ, & Pontificum definitioni consentanea. Sed ex Ecclesiæ, & Pontificum antè Synodum vniuersalem conniuentia, ac dispensatione, qui secùs sentiunt, ac faciunt, videri interim illi possunt, errore quidem aliquo, sed materiali tantùm, vt aiunt, laborare. Hac autem venia prolixiùs vti Ecclesiam, & Pontificem non improbat Bellarm. lib. 1. de Conc. cap. 10. [Probabile est auctoritate Sedis Apostolicæ quæstionem illam apud omnes Catholicos fuisse finitam. Sed etiamsi quæstio finita non fuisset, vsque ad Concilij plenarij determinationem, vt Augustinus dicit: non tamen indè colligere oporteret, non potuisse finiri. Nam licèt Apostolicæ Sedi cooperantibus Prouincialibus Concilijs controuersiam illam finiendi auctoritas non deesset: maluerunt tamen sancti illi Pontifices differre in tempus aliud magis opportunum absolutam determinationem eius quæstionis, quàm tot magnos viros ab Ecclesia separare.] Certè Act. 1. septimæ Synodi laudatur Eustochius Patriarcha Hierosolymitanus, qui Monachis Origenis deliria osculantibus, octo induciarum menses indulserat ad resipiscendum, & quintæ Oecumenicæ Synodo subscribendum.

49 In quæstionibus autem fidei nequaquam opus esse congregari, nequaquam fas esse appellari Oecumenicas, vel plenarias Synodos, vide vt idem Augustinus nos doceat.

Etenim lib. 1. contra Iul. cap. 4. cùm Latinorum Patrum auctoritates depromspsisset, ait: [An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus est in eis commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm in illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia?] Et infrà: [Non est ergo cur prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est; quia & fides ista Christiana est: & te certè Occidentalis terra generauit: Occidentalis regenerauit Ecclesia.] Quia ergo fides non alia alibi, sicut consuetudinum disciplina, sed vna vbique terrarum est, adeòque in Oriente eadem, atque Occidente est, nempè vna Christiana fides, non licet ad Orientis Antistites, seu ad Oecumenicam Synodum prouocare; sed auscultandum est suæ cuique Ecclesiæ Episcopis, auscultandum est maximè Romano Pontifici antiquam Ecclesiæ suæ fidem dictanti.

Et lib. 4. ad Bonifacium Papam cap. vlt. [Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur. Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit. Cùm potiùs rarissimè inueniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque indè per cęteras terras deuitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorū superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catolicum, quoniam Domino eis resistente peruertere nequeunt, saltem commouere conantur.] Non hìc consuetudines, sed hæreses resonat, fides ingeminatur, ideò Oecumenicæ Synodi negatur imminere necessitas, cùm longè plurimæ hæreses offocatæ sint sine istiusmodi Synodis.

50 Inaniter ergo gannîunt, exemplo Firmiliani, Dionysij, Cypriani, non necessariò standum esse definitionibus Sedis Apostolicæ. Contrà enim, vt ex superioribus constat:

Primò, errasse demonstrati sunt, qui illis non cessere, & hunc errorem eluendum, vel cruento, vel incruento quopiam martyrio habuisse.

Secundò, Cessisse Cyprianum, veri non dissimile duxit Augustinus.

Tertiò, Qui Stephano non obaudiere, nec traditioni Apostolicæ, nec vniuersalis Ecclesiæ auctoritati, & consuetudini morem gesserunt: ex eorum ergo sententia non licet quidquam in ius trahere.

Quartò, Nec Arelatensi, vel Nicæno posteà Concilio illi ipsi, vel eorum posteri auscultarunt. Arelatense fortasse nescierunt: Nicænum accommodatè pristinæ suę sententiæ interpretati sunt: vt Basilium suprà experti sumus. Nec contra generales tamen Synodos hinc licet insurgere.

Quintò, Vltrà minas euectus non est Stephanus, & acquieuit ipse, dispensationis, & vnitatis tuendæ ergo, cum diuersa, & sentientibus, & facientibus communicare. Qua in re non paulò Cyprianum antecessit interuallo. Hic enim errorem suum charitatis copia, & sanguinis impendio abstersit: ille à recti semita, nec transuersum vnguem deflexit: stricto iuri primùm, vt par est, studuit: vbi sensit schismatis imminere periculum, vsus est temperato.

Sextò, Etsi quæstio hæc ad fidem trahi posset, vt pleraque alia consuetudinum capita; nunc ea tamen ciuiliter, vt disciplinæ portio, agitabatur.

Nec à Cypriano, nec à Stephano primùm, nec postea à Nicæno, vel CPolitano Concilio, nec à Basilio, vel à posterioribus Græcis, vel Romanis, tametsi nonnihil dissonantibus anathema in aduersarios vibratum est. In huiusmodi ergo rebus cum profiteantur Romani Præsules diuersas Ecclesiarum consuetudines à se, vel laudari vel non culpari, vel tolerari: quid mirùm si cæteri antistites hac vtantur libertate, vel abutantur?

Gregorius in epist. ad August. Angl. Episc. [Mihi placet, vt siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inuenisti, quòd plus omnipotenti Deo placere possit, sollicitè eligas.] Et vt ad sacramenta vtcumque hæc etiam spectare ne dubites, Alexander III. in append. Conc. Later. cap. 2. de frigidis: [Licèt Ecclesia Romana propter maleficia, legitimè coniunctos diuidere non consueuerit: si tamen consuetudo generalis Ecclesiæ Gallicanæ habet, vt huiusmodi matrimonium dissoluatur, nos patienter tolerabimus.] Sexcenta alia inferiùs suis locis adnotabuntur exempla, vt Romani Pontifices ad consuetudinum etiam consonantia omnes cohortentur, interim tolerent dissonantiam.

Denique is ipse Augustinus, qui Concilio generali opus fuisse inculcarat, ad consuetudines, non ad hæreses damnandas testrinxit Synodorum hanc necessitatem.



DIS-

DISSERTATIO III.

In Synodum Nicænam anno Christi 325.

SYNOPSIS.

Ius primarium conuocandarum Synodorum generalium Pontificibus vendicatur, etsi eas conuocasse legantur Imperatores. Iura à factis secernuntur; & iura ipsa stricta à remissis. Ad num. vsque 11. Romanorum Pontificum ea ostenditur esse prærogatiua, iure diuino fulta: ad num. vsq; 16. Deinceps de Pontificia, & Imperatoria potestate mixtim agitur, vtriusque fines delineantur: adhibita etiam recentiorum Scriptorum, Latinorum, Græcorumque suffragatione.

1 NOn Nicænam tantùm, sed & complures alias Synodos à Constantino Imperatore indictas, conuocatasque fuisse; eamdemque potestatem à reliquis deinceps Imperatoribus perdiu vsurpatam, passim loquuntur Ecclesiastica Patrum, & Conciliorum monumenta. Eusebius lib. 10. c. 5. literas refert Constantini ad Miltiadem Vrbis Romæ Episcopum: [Placuit mihi vt Cæcilianus Romam nauiget, &c. & ibi coram vobis, & coram, &c. quos ea causa Romam properare iussi, possit audiri, &c. Refert & mox Epistolam eiusdem alteram ad Chrestum Syracus. Episc. qua alteram Episcoporum Synodum fieri iubet, &c. Et verba ipsa Constantini: Quoniam plurimos ex diuersis, ac propè infinitis locis Episcopos in Vrbem Arelatensem intra Kalendas Augusti iussimus conuenire, tibi quoque, &c. Et l. 3. de vita eius c. 4. Quomodo Nicenæ Synodum fieri iussit, &c. Synodum œcumenicam conuocauit, honorificis literis Episcopos vndique inuitans, vt quantociùs adessent. Nec verò simplex, ac nuda erat iussio, sed benignitas, &c. Et quo animo hæc ageret idem declarat l. 1. de vita eius c.44. Ecclesiæ Dei præcipuè curam gerens, cùm per diuersas Prouincias, quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei Concilia congregauit. Nec dedignatus adesse, & considere in medio illorum conuentu, cognitionis particeps fuit, ea, quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans. Porrò sedebat in medio, tanquam vnus è multis, &c.]

Ac denique l. 4. c. 42. Constantinus ad Synodum Tyri scribens; Idcircò vos sponte, vt aiunt, currentes adhortor, vt absque vlla dilatione in vnum coeuntes, Synodum constituatis, &c. Si quis verò, quod minimè arbitramur, præceptum nostrum etiamnum violare præsumens, adesse renuerit, mittetur quamprimum à nobis aliquis, qui imperiali authoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minimè esse repugnandum.]

His adde ex Apologia secunda Athanasij Epistolam Constantini, [Ingredienti mihi Constantinopolim subitò Athanasius occurrit, &c. Cùm audiri se postularet, & ego recusarem, & propemodum eum summoueri iuberem; magna libertate nihil aliud postulauit, quàm vt vos huc euocari iuberem; quò vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri possit, &c. Scripto igitur vobis id denunciatum volui, vt quotquot Synodum Tyri absoluistis, sine tergiuersatione ad prætorium meę clementiæ conueniatis.] Ergo Romanam, Arelatensem, Nicænam, Tyriam, Constantinopolitanam Synodum conuocauit Constantinus.

2 Sed viris cordatis curæ est trutinari, non tantùm quid factum, sed quo iure factum quidque sit. Nam antè Constantini tempora vel sua sponte, vel maiorum sedium hortatu congregabantur Episcopi. Idque Christus ipse præmonuerat, vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo.

Id Apostoli prælineauerant, Act. 15. orta dubitatione, an circumcidi, & legis iugo grauari oporteret conuersos ex gentibus; [Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc.]

Et cap. 6. ad eligendos Diaconos; [Conuocantes duodecim multitudinem discipulorum, &c.

Et c. 1. de electione Matthiæ in locum Iudæ; [In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, &c.] Eundem disciplinæ tramitem deinceps Ecclesia triuit.

Nam apud Eusebium lib. 5. c.16. aduersùs Montanistas, [Cùm fideles, qui in Asia erant, sępius & in plurimis Asiæ locis

eius

eius rei causa conuenissent, nouamque illam doctrinam examinassent, & prophanam, atque impiam iudicassent, damnata hæresi, isti ab Ecclesia, & fidelium communione expulsi sunt.]

Et apud eumdem lib. eodem c. 23. de controuersia Paschæ, [Synodi ob id, cœtusque Episcoporum conuenere,] nempè vt subdit, in Palæstina, Romæ, in Ponto, in Gallijs, in Osroena, Corinthi.

Et c. 24. Polycrates Ephesi Episcopus ad Victorem Papam scribit, [Possem Episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petijstis, vt conuocarem, sicut & feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cùm me pusillum hominem inuisissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt.

Et lib. 6. c. 43. aduersùs Nouatum, [Cùm Romæ Synodus congregata esset, in qua sexaginta quidem Episcopi, &c. Cumque in Prouincijs seorsum Antistites, quid agendum esset, consultassent, huiusmodi decretum cunctis promulgatum est.]

Et c. 46. [Scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ Vrbis Episcopum, &c. se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, & à cæteris, qui cum illo conuenerant, Firmiliano scilicèt Cappadociæ, & Theoctisto Palæstinæ Prouinciæ Episcopis inuitatum fuisse, vt ad Synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Nouati schisma confirmare tentabat.

Et lib. 7. c. 7. meminit idem Dionysius plurium Synodorum in causa baptismi hæreticorum, Iconij, Synnadæ, & alibi habitarum, vt sileam Concilium Cypriani in eadem re Episcoporum octoginta.

Et lib. eodem c. 27. aduersùs Paulum Samosatenum, [Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, rogatus vt ad Concilium veniret, aduentum quidem suum distulit, &c. quid sentiret, per Epistolas indicauit, &c. at reliqui Ecclesiarum Pastores vndique exciti simul omnes Antiochiam conuenerunt, tamquam aduersùs gregis Dominici vastatorem.] Parco ex Cypriano vno non pauciora his colligere, quibus liqueat, sua sponte, vel mutua inuitatione identidem conuenisse Episcopos.

3 Hinc & indè ergo libratis disciplinæ rationibus, quæ antè & post Constantinum viguit, iam fas est, quæ facta, quæ iura sint, definire.

Nam 1. penès Christi verba, & exempla Apostolorum, satius est regulam iuris Ecclesiastici, quàm penès Imperatoris facta residere.

2. Et post Apostolos trecentorum penè annorum interuallo, quò antiquior, & simplicior, eò venerabilior, optatiorque forma conuocandarum Synodorum, quia Christo, & Apostolis propior, quia simplicitatis fonti, & veritati citimior: & merè Ecclesiastica.

3. Dignior, sanctior, liberiorque ratio ea est, vt sua sponte, vel mutua inuitatione, siue Metropolitanorum, aut Primatum conuocatione, congregentur Episcopi, quàm vt imperialibus tantùm iussis.

4. An iubendi, cogendique vel territandi sunt Episcopi, vt suo munere fungantur? vt lupos arceant? Imperatoris, an Christi iussio ipsos colliget? Minæ Regum, an Christi charitas? Nemo sanus non sentit, quid iuri, quid officio, quid Instituto Ecclesiastico, quid maiestati Ecclesiæ sit accommodatius.

5. Sed cum trecentis annis Ecclesiastica fuissent auctoritate collectæ Synodi omnes, & iure vtique collectæ: eccur nostris mysterijs initiato tandem seculi Principe, illud Ecclesiæ ius abrogatum Episcopis, in Principem transcriptum est? An Princeps temporalem contulit, spiritalem Ecclesiæ præsulibus sustulit libertatem? An temporalem libertatem spiritali seruitute inquinauit? Sed quo tandem commentitio prætextu fingi possunt, per nouam Principis Christianitatem pristino iure suo excidisse Episcopi Ecclesiarum?

6. An anteriores Constantini Imperio Episcopi successerit in vicem, & in iura Apostolorum, posteriores autem nequaquam? Vndè enim priores Episcopi, vbi conducere videbatur Ecclesiæ, vltrò coibant in Synodos, & alios inuitabant, nisi ex ea dignitate, ac potestate, quæ à Christo, & ab Apostolis, in ipsos vt Christi Vicarios, vt Apostolorum successores propagata erat? An ergo traducem potestatis huius Apostolicæ abrupit Constantinus, aut abrumpere potuit? Au Episcopi post Constantinum desiere Apostolorum successores esse, & Regni Cœlorum claues administrare? An bipartita posthac fuit potestatis Apostolicæ successio, & eius quasi ex semisse hæres Constantinus portionem occupauit? Quantæ absurditatis sunt hæc omnia?

7. Imperatores Ethnici Episcopos ferè patiebantur potestate sua frui, & Synodos cogere numerosissimas, quamplurimas, vbique terrarum, nec nisi paucissimi, ijque limpharissimi, ne quid à nostris conuentibus respub. caperet detrimenti, reformidabant. An ergo Christiano Principi quadrabat, iura & libertatem Ecclesiæ artiùs premere, & angustare, quàm ab Ethnicis Principibus factum esset? An tot saltem annorum, tot seculorum præscriptio contemni poterat?

8. Et quidem antè Constantinum non locales tantùm, sed generales etiam Synodi habitæ sunt, Carthagine de baptismo, Antiochiæ aduersùs Nouatum, & ibidem rursùs aduersùs Samosatenum, & alibi plures, quò inuitabantur maiorum gentium Episcopi, Alexandrinus, Antiochenus, Cæsariensis, Hierosolymitanus. Et ex suprà relatis Eusebij testimonijs liquet, harum Synodorum decreta, maximè Antiochenæ vtriusque aduersùs Nouatum, & Samosatenum, totius Orbis consensu, ita roborata fuisse, & aliarum denique Synodorum Prouincialium consensu, ita totam sibi Ecclesiam conspirasse: vt hæc instar haberent Synodi œcumenicæ, & peræquè fidei, aut disciplinæ periclitanti succurrerent.

4 Quin immò si vnam demas Nicænam

Syno-

Synodum, longè auſpicatiores fuerant pacatioreſque ante Conſtantinum Synodi, quã quæ vel ab ipſo poſtea, vel ab eius filijs conuocatæ ſunt, vel à compluribus poſtea Imperatoribus, quamdiu, & quoties eam poteſtatem, ità vſurpauerant, vt non ab Imperio, & nutu ſacerdotum pendulam & obnoxiam exererent. Nam in percenſitis ſuprà antiquioribus Synodis, quàm ſancta, quàm decora, quàm pacata omnia? Nuſquam iurgati Epiſcopi, nuſquam hæreſes authoratæ, nuſquam innocentes damnati.

Nam etſi variatum quandoque ſententijs eſt, in diſciplina verſatili certamen erat, non in fide, & ſoſpite vnitatis, & fidei nexu diſſidebatur. At vbi Conſtantinus occupauit, & ſucceſſoribus refudit cogendarum Synodorum poteſtatem: quis ſub ipſo, & poſt ipſum maximè ortas indè clades Eccleſiæ, mente, aut calamo valeat comprehendere? Quis Hieroſolymitanæ, quis Tyriæ ſub ipſo Synodi labes? Quis ſub Conſtantio Mediolanenſe, Syrmienſe, Ariminenſe flagitium? Quis fidei formulas toties, & tam perfidioſè fixas, & refixas? Quis Epiſcoporum inſatigabiles diſcurſationes, proſcriptiones, exilia, Cruces? Vbi ità Synodis illuſum, & de Synodis illuſum fidei, & maieſtati Eccleſiæ ante Conſtantinum? Et vndè hæ clades, niſi ex eo vno capite, quòd Imperatores nutu, & arbitrio ſuo Synodos cogebant Epiſcoporum, & pro ſua libidine agebant? Non tam malè conſuluit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, vt eius ſalutem ad terreni imperij verticem religauerit. Quid enim ſi nullus aliquando extiterit Imperator? Quid ſi ab Eccleſia deficiat? Quid ſi in plures ſcindatur imperium? Quid ſi Reges vndique irruentes imperium dilaniene, & in ſuo quiſque tractu imperitent? Quid ſi qua imperij portio lacera, non regij, ſed ſequioris, ac decoloris alicuius regiminis ſortem experiri malit? Quid ſi hæc omnia? Nam & hæc omnia poſt Conſtantinum labentibus ſæculis contigere in varijs Imperij Romani tractibus. Ergo ſi horum quodlibet, ſi plura, ſed ſi omnia eueniant, non poterit congregari à ſæculari Principe Oecumenicum Concilium. An igitur Eccleſia interim de ſumma rerum periclitabitur? Minimè verò. Nam vt fides, vt diſciplina Eccleſiæ ad ſæculi vſque finem perpetuanda ex Chriſti promiſſione non dubitatur, ità nec dubitatur ex eiuſdem inexpugnabili ſponſione, & poteſtate, æternandus in Eccleſia Epiſcopatus vnus, vnus in vnitatis ſuæ vertice Petri ſucceſſore, vnus in vniuerſitate ſua. Ità numquam deerunt, à quibus Concilia, & conuocentur, & frequententur. At ſi ad lubricum, & procelloſum imperij terreni ſceptrum ſalutem Eccleſiæ, & Conciliorum auctoritatem religes, malè conſulis Eccleſiæ æternitati. Vni & æternæ Eccleſiæ, nec tam labile, & ruinoſum fundamentum.

5 Ergo ſecernenda ſunt facta, & iura: & vbi ſexcenties legis etiam in ipſa Conciliorum fronte, in Patrumque monumentis identidem audis, conuocatas ab Imperatore ſynodos, hæc facta quidem, ſed non ſtatim iura interpretare: aut ſi iura, non ſtricta, & primæua, ſed indulgentiæ, & œconomiæ plurimæ accommodata. Quamquam enim optimè meritus de Eccleſia fuerit Conſtantinus, nemo tamen inficias ire poteſt, [aliquantò plus illum ſibi in negotijs Eccleſiaſticis vindicaſſe, quàm laico principi conueniret,] vt aduertit doctiſſimus Valeſius in ca. 51. lib. 3. vitæ eius. Donatiſtæ non aliter coerciti fuiſſent Epiſcopalibus Synodis, quàm tot ante hæreticorum cunei compreſſi fuerant, etſi nec Gallos ipſe primùm Epiſcopos Romæ iudicaturos dediſſet, nec damnatorum querelas audiſſet, aliudque cùm iam non eſſet neceſſe, Arelatenſe iudicium dediſſet, nec poſt Epiſcopos, ipſe iudicare adgreſſus eſſet, idque auſus eſſet, cuius venia ab Epiſcopis petenda erat, teſte Auguſtino. Quàm illud omne præter iuris regulas extiterit, alibi docuimus. Rursùs autem in cauſa Arij, & circà Athanaſium, eiuſque præceſſorem Alexandrum, ab Euſebio vtroque faſcinatus, quàm multa ceſpitauit? Dum Alexandrum æquè inclementer primò habet, atque Arium: dum Arium ſemel damnatum purgari coram ſe poſſe ſperat, ab eoque illuſus, recipi eum iubet in Eccleſiam; & niſi cœlitùs proſpectum fuiſſet, tantum perfeciſſet ſcelus: dum Tyriam, aliaſque Synodos aduersùs Athanaſium cogit, & ſæuire ſinit; dum Athanaſium exilio pellit, dum ſub exilij interminatione Epiſcopos Synodis à ſe indictis adeſſe iubet, dum qui, & quanti adeſſe debebant Synodis Epiſcopi, ipſe præſcribit. Dies me deficiet, ſi perſequi ſingula aggrediar.

Nemini autē obſcurum eſſe poteſt, quid Apoſtolici, & Epiſcopalis, quid ſæcularis, & Imperatorij ſit iuris. Et vt vno verbo rem abſoluam, Epiſcopalis habeatur iuris, quidquid ante Conſtantinum ſub imperio Gentilium perficiebant Epiſcopi. Neque enim tunc, vel ſuſpicio ipſos vlla afflare poteſt, quaſi imperatoria iura inuaſerint. Quòd autem Conſtantino tanta audeo ei cederent, annuerentque Epiſcopi: vel vis illa erat, vel voluntas. Si vis, vt in multis circa Arium, & Athanaſium, nihil indè iuris ei accreſcebat. Si voluntas, vt in longè pluribus alijs, nec ſic quidem ius imperatorium condebatur, cùm ex œconomia tum neceſſaria id totum de iure Epiſcopali remitteretur.

Conducebat enim vehementer multa condonari Imperatori, qui primus omnium Chriſto nomen dediſſet, Eccleſiam tot perſecutionibus eandin iactatam liberaſſet, eius toto Orbe propagandæ, muniendæque, idololatriæ autem extinguendæ certam ſpem faceret. Tali Imperatori non ſua tantùm iura, iuſtaque tribuenda erant ſed aliena quoque tunc indulgenda, ſed iure ſuo non exuuntur Epiſcopi, cùm ex neceſſaria diſpenſatione aliquam eius partem remittunt. Nam etiam tum ius ſuum, ius proprium, & ſummum penès ipſos eſt, cùm eo ſibi condonato, ex diſpenſatione alius vtitur, vel abutitur.

Etſi

6 Etſi autem conuocarint Concilia, maximè œcumenica Impuratores, conſilio tameu, aſſeniu, horraru Epiſcoporum, & in primis Romaui Pontiſicis, id ſactum eſſe, atque irà ius ſummum, & tegium penès Epiſcopos reapſe ſuiſse, vt quod Eccleſiaſticum per ſeſe, & Apoſtolicum ſit; extrinſecam autem ſpeciem, & diguitatem penès Imperatores hæſiſſe, vt ſolet iu iſtiuſmodi rebus: mulra ſunt, quę reuineant. Arque imprimis in Proſphonetico ſextæ Synodi ad Conſtantinum Imperatorem, act. 16. hæc Græci Patres clamant, [Arius diuiſot Trinitaris inſurgebar, & conrinuò Conſtātiuus ſemper Auguſtus, & Syluester laudabilis, magnam, arque inſignem in Nicæa Synodum congregabant, &c, Macednnius Spititus denegabar deitatem, ſed maximus Imperatot Theodoſius, & Damaſus fidei adamas protinùs obſtiteruut, &c. Gregorius, & Nectarius in hac regia vrbe conuenrum congregabant, &c. Iterum Neſtorius, & iterum Cæleſtinus, & Cyrillus: ille quidem Chriſtum diuidebat, illi verò cùm ſceptrorum Domino diuiſorem deijciebant, vt Epheſus, & ibidem geſtorum tabulæ loquuntur, &c. Deindè Eutycheris inſania, &c. Leonis tuba tamquam leonis rugitus vehementes vociſerans ex Roma archimandritam beſtiam perterruit, &c. Marcianus Imperatot, & Anatolius Conſtantinopol. Antiſtes cum omni Chalcedonenſi à Chriſto congregata collectione, &c. Sicut, & Vigilius poſt hæc Iuſtiniano pijſſimo conſonanit, & quinrum Concilium conſtiturum eſt, &c. Hæc Græci Patres ſextæ Synodi œcumenicæ ad Imperatorem ipſum, qui ſextam Synodum ipſe indixerat; vbi ſuperiores Synodos genetales non ſolo Imperatoris nutu, ſed inſtinctu maximè ſacerdotum collectas ſuiſſe interpreeantur. Idque iure meritiſſimo.

Nam quamuis obſcura in prioribus œcumenicarum Synodorum conuocationibus & rara exiſtant veſtigia ſacerdotalis auctoritatis; extant tamen aliqua, extabant tunc fortè plura; & ex paucis, obſcuriſque licer tantę Synodo interpietari, quid iuris ſit: quid indulgentia conniuentium Epiſcoporum moliri ſint Imperatores. Etenim vel ſola Epiſcoporum conniuentia, qui tunc ſilebant, priùs non ſiluerant, nec poſteà ſilueruot; ſatis argumenti habet, vt penès ipſos ius illud omne ſuiſſe cogendarum Synodorum philoſophemur.

Sed de Nicæna ſpecialiter Synodo, Damaſus iu vita Syluestri; [Huius temporibus factum eſt Concilium cum eius conſenſu in Nicæa Bithiniæ, & congregati ſunt Epiſcopi, &c. Et in vrbe Roma congregauit ipſe cum Concilio Auguſti Epiſcopos, &c. Ruffinus l. 1. c. 1. air Synodum ad Imperatore, ex ſententia ſacerdotum conuocatam. Athanaſius in Apolog. de fuga ſua, Quin, & Euſebiani ad Iulium literas miſere; & vt nos terrerent, petierunt, vt Synodum congregaret. Et in epiſt. ad Solit. Scripſit Iulius oportere fieri Synodum, vbi voluiſſemus. Et Iulius Papa apud Athanaſium Apol. 2. ad Euſebianos ſcribens, Siquidem legati veſtri, &c. rogauerunt nos Concilium vt congregaremus, ſcriberemuſque ad Athanaſium, & Euſebianos, vt in præſentia omnium iuſto iudicio de cauſa cognoſcererur.] Quæ omnia ad Sardicenſis Concilij conuocationem ſpectant, quæ tamen apud eumdem in epiſt. Synod. ſe profiretur cooperante Dei gratia à religioſiſſimis principibus conuocatam. Et Harmenopulus in præfat. Epitom. Canonum, Ex ipſorum Imperatorum, & Romani Epiſcopi ſententia, 341. Epiſcopi in hac Synodo Sardicæ conuenerunt.

7 Et rurſum Athanaſ. epiſt. ad ſolitatios, de Synodo Rom. agens, quam Iulius congregauerat, & ad eam Euſebianos conuocauerat, [Cæterum, inquit, Euſebiani vbi ſemel audiſſent Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes affuturus eſſet, neq; ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcripris omnia fierent, quæ Synodi ſunt: quibus rationibus, & non alijs Epiſcopos vicerant, immò qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent; irà inhorruerunt, & metu contracti ſunt, &c. Vbi vides, & ſine Imperatore collectas Synod. & in eis omnia meliuſculè ordinata, & præ illis contemni ab Athanaſio indictas, geſtaſq; nutu Regum Synodos. Et apud eundem Liberius Papa, [Quòd ſi Imperator curam ſuam pro Eccleſiaſtica pace interponere quætit, &c. fiat Eccleſiaſtica Synodus longè à palatio, vbi nec Imperator præſto eſt, nec Comes ſe ingerir, nec iudex minatur, & vbi ſolus Dei timot ad omnia ſufficit. Et infrà: Oſius ad Conſtantium, Ne te miſceas Eccleſiaſticis negotijs neq; nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium carpir, contradicit ordinationi diuinæ; irà & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtarem habes, Imperator. Et rurſùm Athanaſius infrà: Obtendit in ſpeciem Epiſcoporum iudicium: ſed interim facit, quod illi volupe eſt, &c. Si iſtud eſt iudicium Epiſcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Quando iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? &c. plurimæ ante hac Synodi fuere, multa iudicia habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res principi perſuadere conati ſunt, nec princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris domo, & per eos ſalutabat in literis Philippenſes, non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit. Nunc autem nouum quoddam ſpectaculum ab Ariana hæreſi editur. Conuenerunt enim in vnum hæretici, & Conſtantinus Imperator; vt ille quidem ſub prætextu Epiſcoporum, ſua poteſtate aduersùs eos, quos velit, vtatur, & tamen in perſecutione mouenda perſecutor non appelletur: illi verò ſuccincti principis poteſtate, faciant inſidias, quibus volunt, &c.] Omnis hæc

pot-

porrò dissipandæ per Synodos Ecclesiæ potestas Constantio accesserat ex earum conuocandarum authoritate, vt planum est. Adde ipsum Valentiniani Imperatoris iudicium apud Sozomenum l. 6. cap. 7. vbi petentibus Episcopis facultatem cogendæ Synodi, respondit ille, [Sibi quis vnus è Laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotijs interponere. Et ideò Sacerdotes, & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicumque ipsis lubitum fuerit, in vnum conuenient.] Vbi permittit quidem Synodum fieri, nec permittendi, sed conuocandi certè Synodos abrogat sibi potestatem. Nam id scientiæ, id charitatis, id muneris esse agnoscit, non Imperatorum, vtpotè laicorum, sed Episcoporum, scire, & iudicare vbi & quando conuocandæ sint Synodi.

8 Episcoporum est ergo indicere loca; & tempora Synodorum, Imperatorum tum permittere, si modò respub. nil capiat detrimenti. Idem non minùs apertè testatus est Theodoricus Rex in Synodo 3. Romana in causa Papæ Symmachi: [Sancta Synodus apud vrbem Romam ex præcepto glor. Regis Theodorici diuersis è regionibus congregata in Christi nomine, dixit: Cùm ex diuersis prouincijs ad vrbem Romam conuenire sacerdotes regia præcepisset auctoritas, &c. Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, scientes quia eius sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel principatus, deindè secuta iussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, &c. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significauit. Vnde & à mansuetudine eius paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat, &c.] Animaduerte, quæso, vt ex præcepto Regis, & auctoritate regia se congregatos pro more præsentur hi patres; & tamen mox astruant ab ipso Papa, licèt impetito, se conuocari debuisse: nec id Rex inficietur, quamquis ab Ecclesia alienus. Et infrà, [Rex taliter Deo aspirante respondit; in Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere.]

9 Plura alibi in rem istam aceruabuntur suffragia, ex his interim operæ pretium est aduertere 1. hæc quæ à nobis relata sunt, non facta esse, sed iura. Nam quòd Synodus Romana vociferetur, non Regis fuisse, sed Papæ Synodum conuocare; quòd Rex acquiescat; quòd voluntatem Papæ literis demonstratam ostendat; quòd ad se nihil de rebus Ecclesiasticis præter reuerentiam pertinere confiteatur, hæc non facta sunt tantùm, sed iura. Quòd Valentinianus Imperator, se vtpotè laicum, negotijs Ecclesiasticis inseri non debere agnoscat, & copiam faciat Episcopis conuenire, vbi libuerit ipsis, quorum curæ causa fidei, & Ecclesiæ demandata est: non facti tantùm, sed iuris ista sunt.

Quòd Athanasius, Hosius, Liberius Imperatorem hortentur res imperij curare, negotijs Ecclesiæ abstinere; Imperium enim ipsi, Ecclesiam à Deo Episcopis commendatam: ad ius pertinent hæc, non ad facta. Quòd ijdem Synodos optent, sed verè Ecclesiasticas, vbi nec Comes assuturus sit, nec satellites pro foribus excubent, nec ex præscripto Imperatoris gerantur omnia, & ex Imperatoris in Synodos potestate labem omnem Ecclesiarum prorupisse ingemiscunt; non facta hinc, sed iura splendent, 2. Constantium per Synodos nutu suo, aut libidine potiùs sua congregatas, fidei & Ecclesiæ Christianæ ea damna, & dedecora importasse, quæ nemo, nisi historiæ Ecclesiasticæ rudis omnino, & hospes nescire potest, nemo non detestari potest. At prima mali huius tanti labes hinc manauit, quòd Laicus cùm esset, sacerdotum partes inuaderet, & temerè, stolidèque pro vsurpata potestate Synodos indiceret, cùm intempestiuum, cùm exitiale maximè erat Ecclesijs.

Et hanc illi potestatem auspicatus erat, dedicaueratque Constantinus parens, 3. Vbi & quando salutiferum, aut perniciale sit Synodos colligi, definire, id non Imperatoriæ, sed Ecclesiasticæ, & Pontificiæ, vel maximè scientiæ esse, & potestatis, 4. Tametsi Imperator Synodos plerumque indiceret, nonullas tamen à sacerdotibus solis indictas fuisse, vel ab ipsis maximè: & has maximè Ecclesiasticas, & fidei conducibiles extitisse. 5. Tametsi Imperator indiceret Synodos, plerumque tamen de consilio, & assensu Episcoporum id factum esse, & semper fieri debuisse. Auctores, qui id asserant, suprà audiuimus; audiuimus & Synodum Romanam, quæ Regis præcepto se collectam præfata, Pontificis tamen voluntate se colligendam, se collectam fuisse mox excipit. Audiuimus sextam Synodum œcumenicam, quæ & ipsa perindè, vt reliquæ ab Imperatore conuocata solemni more scribitur; quæ tamen & suæ, & anteriorum Synodorum conuocationi, sacerdotalem etiam auctoritatem Imperatoriæ accessisse, aut antecessisse potiùs testificatur.

Nam in re Ecclesiastica, & Apostolicæ propria potestatis, etsi verbo tenùs primæ partes honoris videantur Imperatoribus concedi; reipsa tamen principatus iuris, & potestatis penès Episcopos esse interpretandus est, quorum est & modestia, & auctoritas Apostolica. Itàque etsi Episcopi petant, Imperator iubeat; etsi Imperator vltro præcipiat, Episcopi assentiantur Synodum conuocari, vel tunc tamen conuocatio principaliùs reipsa fit ab Episcopis, quia eorum ius, & Apostolicum priuilegium est, Ecclesiæ, fideique consulere vel per Synodos, vel sine Synodis.

10 Quòd autem apud Eusebium Constantinus l. 1. de vita eius, cap. 44. [Ecclesiæ Dei præcipuè curam gerens, cùm per diuersas prouincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei Synodos congregauit.] Et l. 4. cap. 23. & 24. [Missa lex est ad præsides prouinciarum,

vt diem Dominicum etiam ipsi venerarentur. Ijdem festos dies martyrum iussu Principis obseruabant, &c. Quocirca non absurdè cùm Episcopos aliquando conuiuio exciperet, se quoque Episcopum esse dixit: his ferè verbis vsus nobis præsentibus. Vos quidem, inquit, in ijs, quæ intra Ecclesiam, ego verò in ijs, quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus. Itàque consilia capiens dictis congruentia, omnes imperio suo subiectos, Episcopali sollicitudine gubernabat; & quibuscumque modis poterat, vt veram consectarentur pietatem, incitabat.] Tametsi hæc inter epulas, adeòque pro loco & tempore ioculariter magis, quàm seriò, & festiuè potiùs, quàm dogmaticè dicta videri possent fastidioso interpreti; & ab ipso de seipso, non ab Episcopis de ipso dicta; non ij tamen nos sumus, qui tanti Principis laudibus inuideamus.

Subscribimus itàque & quidem lubentes laico Episcopatui, si modò tamen id caueatur, ne bono Principi vltra limites ità amplificata tribuatur potestas, vt deterior in perniciem Ecclesiæ illa abutatur successor. Hæreat animo, successuros in Constantini locum Constantium, Iulianum, Valentem, & alios hæreticos, desertores, fidei hostes, pueros, fœminas, & scisso imperio quandoque nullos, aut pro vno plurimos. Talis ergo statuatur exterior hic Episcopatus, vt laica, & carnali successione ad tales deuolutus, Ecclesiam ne pessumdet, 2. Ne excidat trecentis fermè ante Constantinum annis, fide, & sanctimonia eximiè præfulsisse Ecclesias, euersas hæreses innumeras, Synodos complures vbique coisse pacatissimas; cùm necdum Episcopatus huius exterioris vlla, vel vmbra extitisset. Item multis ab hinc sæculis postquam excussa est Imperatoribus, & Episcopis reddita potestas Synodorum cogendarum, multas, & oppressas hæreses, & collectas Synodos exitu longè auspicatiore, & tranquilliore, quàm olim post Nicænam, post tertiam, quartam, quintamque Synodos œcumenicas ab Imperatoribus indictas, 3. Exterior, esto, Episcopus sit Imperator, sit Rex, ergo interiorum iura antiquiora, intimaque ne conuellat Episcoporum.

Nam si intrudat se in ea priuilegia Apostolica, quibus antè gaudebant Episcopi, non exterior tantùm, sed interior erit Episcopus, & vnus in omnium cladem Episcoporum Episcopus, 4. Exterior vt sit Episcopus Imperator, ergo in laicos tantùm, & sæculares ius suum exercet; non in Episcopos, non in Episcoporum Senatum omnem. Nam si in Episcopos, & in Synodos, quæ ipsa Ecclesiæ penetralia, & quasi præcordia sunt, dominetur, non exterior, sed intimo interior erit Episcopus, 5. Si Exterior est Episcopus, ergo interioris velut animæ, & cordis nutum, instinctumque sequatur: & sequatur, non præeat: obsequatur, non imperitet: exequatur, non leges dictet. Id enim discriminis exteriorem, & interiorem, velut corpus, & animam interesse æstimatur: interior vt præeat, & dictet, sequatur, & exequatur exterior. At si Episcopis, si Synodis, si legibus immineat Imperator, cum hæc sint viscera ipsa Ecclesiæ, erit vtique ille iam interior, & spiritualis Episcopus, 6. Id apertè clamat textus Eusebij.

Nam fores simulacrorum clausas, diem Dominicum obseruari iussum præsidibus, itemque festos dies martyrum Imperatoris iussu cum præmonuisset, tum ait illum exteriorem sibi visum Episcopum. Ergo in exequendis legibus Ecclesiæ, & forâs promulgandis, authorandisque, in hostibus fidei subiugandis, in laicis ad Ecclesiæ pietatem colligendis Episcopatus ille exterior defungendus est. Alta enim mente repostum nobis est discrimen, quod omnes Ecclesiæ patres inter Episcopale, & Regium imperium statuere: hoc in corpora, illud in animas; hoc in sæcularia, illud in Ecclesiastica; hoc extra, illud intra Ecclesiam; hoc in ciues, illud in ipsos Reges statuere. Quæ omnia turbantur, & pessum eunt, si rei maximè Ecclesiasticæ, & ad Ecclesiæ, ad fidei, ad salutis æternæ summam maximè spectantis, hoc est, Synodorum cogendarum potestas primaria, & primus auctoritatis cardo Imperatoribus arrogetur.

11 Quòd autem id vnum enixi sumus hactenùs, vt principalem congregandæ Synodi auctoritatem Regibus extorqueremus, Episcopis vendicaremus, quasi postliminij iure; nec Romani Pontificis ea in re eximiam prærogatiuam, nisi perfunctoriè adseruimus, consultò id à nobis factum est. Propterea nimirùm, quia cum hæreticis luctamur, qui Imperatori eam auctoritatem affingunt: suo more Ecclesiæ illudentes, cùm tam multa iamdiu fluxerint sæcula elumbati, & ità secti imperij Romani frustillatim, vt œcumenicum Concilium ab Imperatore conuocari iam neutiquam possit. Deindè quia si ius cogendæ Synodi penès Episcopos sit, nemini obscurum est quis inter eos emineat, nec de eo vlla apud Episcopos controuersia. Denique etsi Episcoporum consensu colligerentur generalia Concilia, verticis tamen, & summi capitis iudicium, arbitrium, imperiumque euidentissimè emineret.

12 Adde, quòd, & superiùs apud Eusebium Polycrates Ephesiorum Episcopus auctoritate Victoris Synodum à se congregatam testatus est. Et apud Bedam de Æquin. vern. [Tunc Papa Victor, Romanæque vrbis Episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Cæsariensis Palestinæ Antistitem, vt quomodo Pascha recto iure à cunctis Catholicis celebraretur Ecclesijs, inibi fieret ordinatio, vbi Dominus, & Saluator mundi in carne fuerat versatus. Percepta itàque auctoritate prædictus Episcopus, non solùm de sua prouincia, sed etiam de diuersis regionibus omnes Episcopos conuocauit. Vbi cùm illa multitudo conuenit sacerdotum, tunc Theophilus Episcopus protulit auctoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset iniunctum, ostendit.] Sexta Synodus suprà relata potestatem omnem, & prouinciam colligendę synodi œcumenicæ ad so-

lum Pontificem Romanum, & Imperatorem reuocauit. Apud Athanasium Eusebiani à Iulio petunt, vt synodum congreget. Synodi Romanę sub Symmacho Patres, non Romanas tantùm, sed quascumque synodos à Romano Pontifice conuocandas affirmauere, [quia eius sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel principatus, deindè secuta iussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesijs tradidit potestatem.] Acsi dicant, cùm Episcopos ad Synodum euocare eius sit, qui inter Episcopos principetur: diuino iure, seu diuina iussione, vt inter Apostolos solus Petrus, ità inter Apostolorum successores solus Petri successor principatur; reliqui autem Metropoliticę, seu Exarchicę potestatis consortium aliquod Ecclesiastico iure assecuti quidem illi sunt, quo Episcopis præsint; sed ab eo desluum, peodulumque, qui diuino iure id ipsum obtinet. Ennodius item in libel. Apolog. [Venerando Concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur indulsit, Symmachus, &c. Hoccine ergo nullo constabat exemplo, vt sacerdotum Papa Concilium conuocaret, cuius arbitrium est collectio Synodalis?

13 De Nicęna iam dictum est Synodo. Quis prętcr Damasum congregauit Romanam, quæ CPolitanæ nomen, & robur œcumenicum conciliauit? Ephesinam primam collegit Theodosius Iunior, sed & secundam. Quamquam vel primæ procellas quis non adhuc stupet? Post Ephesinam prædatoriam Synodum tunc œcumenica Synodo opus fuit, inconranter Leo eius colligendæ auctor fuit Theodosio, qui auctor fuerat eidem, ne Ephesi priùs colligeretur. Epist. 12. [Si pietas vestra suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Episcopale Concilium, citò, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.] Si non Ephesi, sed in Italia habita fuisset Synodus, indubium est, exitum eius longè auspicatiorem futurum fuisse. Posteà rursùs eidem suasor fuit Leo, vt in Italia Synodus conueniret, ad Ephesinum dedecus abstergendum, nec impetrauit. Epist. 33. [Concilium vniuersale intrà Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat.] Præpostera ergo hic omnia, & exitialia Ecclesiæ principis consilia extitere, dum sacerdotalis chori principem non audit. Felicius cessit Chalcedonensis Synodus, quòd eam Leonis Papæ auctoritati totam commiserit Marcianus, velut principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentis, vt habetur in eius Sacra.

Vnde & Episcopi Mœsiæ secundæ in epist. ad Leonem Imp. Eutychianam vesaniam peremptam aiunt, [In Chalcedonensium Ciuitate multis sanctis Episcopis conuenientibus per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum: & venerabilis sacerdoris, & Patriarchæ Anatolij Concilio celebrato.] Vnde act. 1. Concil. Chalcedon. Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus, reum agic Dioscorum Alexandr. Episcopum. [Quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit; & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam factum est, nec fieri licet.] Et Vigilius Papa epist. 4. ad Iustinianum Imp. [Nobis pios direxistis affatus, in quibus beatæ recordationis Cęlestinum, atque Leonem Apostolicæ Sedis Præsules, qui singulas hæreses pro diuina sibi dispensatione commissa, cum synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant Christiani, mansura in æuum lege sanxerunt: laudabili commemoratis affectu.] Et Liberatus in Breuiario cap. 13. [Marcianus imperij culmen adeptus, pro illa Papæ, & Principum Romanorum petitione vniuersale Concilium congregari iussit.]

14 In quintæ Synodi conuocatione vix vllæ fuere partes Vigilij. Sed sacræ, & regiæ potestatis, iura, vt permisceuerit Iustinianus, & ità vtraque temerauerit, omnibus exploratum est. Nec nisi consensu demùm accedente Romanorum Pontificum adiectam esse huic Synodo œcumenicam auctoritatem, æquè compertum. Ideò & sexta synodus Vigilio, & Iustiniano gloriam adserit huius Concilij ad optatum exitum prouecti. Ideò & paulò post Pelagius II. epist. 8. [Cùm generalium synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.] Et mox: [Multis denuò Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.] Non nesciebat tantus Pontifex, quantum sibi sumpsissent Imperatores in quinta, in tertia, in secunda Synodo conuocanda: sed æquis omnia lancibus pendebat, synodicamque auctoritatem à Pontificali potiùs peritione, consensione, condescensione, quàm ab Imperatoria iussione dimanasse intelligebat.

Quid de Lateranensi sub Martino; quid de Occidentali, seu Romana Synodo sub Agathone? vna hìc coruscat Romani Pontificis maiestas, & hinc generalis auctoritas synodo sextæ apud Græcos post habitæ irradiata est. Audi, quæ scribat Gregorius Papa ad Leonem Isaurum: [Concilium Christi amantium Imperatorum, & piorum Pontificum virtus est vna; quandoque cum pace, atque charitate res administrantur. Scripsisti, vt Concilium vniuersale cogeretur. Et nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor es imaginum, & hostis contumeliosus, & euersor. Cessa. Nobis hoc largire, vt taceas; tum mundus pace perfruetur, & scandala tacebunt. Finge nos te audisse, & ex vniuerso terrarum Orbe Pontifices congregatos esse, Senatumque, ac Consilium sedisse. Vbi est Christi amator, ac pius Imperator, qui de more in Senatu sedere debet, &c.] Et infrà: [Testis est Deus, quascumque misisti ad nos Epistolas, auribus, cordibusque Regum

Occidentalium obtulimus, pacem illorum tibi, ac beneuolentiam conciliantes, &c. Scire debes, ac pro certo habere, Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterunt, conciliandæ pacis causa, sedere tamquam parietem intergerinum, septumque medianum Orientis, & Occidentis, ac pacis arbitros, & moderatores esse, &c. Quòd si nobis violenter insultes, & minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere. Ad quatuor, & viginti stadia secedet Romanus Pontifex; tum tu vade, ventos persequere, &c. Totus Occidens sancto Petro Principi Apostolorum fidei fructus offert?]

15 Vbi aliqua multa obseruanda se ingerunt. Primùm expetitam à Leone Isauro œcumenicam Synodum fuisse, sed intercessisse Pontificem Romanum, ac prohibuisse. Intererat sanè ad Ecclesiæ, & fidei Catholicæ incolumitatem, vt Pontificis potestas in eo certamine superior emineret. Ad hæc non poterat tum Imperator, nisi ex Oriente Episcopos conuocare: Occidens enim penè totus iugum eius excusserat. Ergo credenda ei non est facultas Synodi œcumenicæ, cuius imperium ad tantas potest aliquando, vel maiores angustias coarctari. At pontificia primæ Sedis auctoritas in omnem Ecclesiam, & in omne æuum valebit. Præterea si memoriam reuoluere libeat superioris ætatis, imperij, & sacerdotij eadem ferè erat conditio etiam tempore sextæ synodi, immò & quintæ, quartæque, ac tertiæ.

Vt enim ipsius imperij sectiones taceam, iam Hispania, iam Africa, iam Gallia, iam Britannicæ Insulæ, iam longè maxima Italiæ pars in alienorum, propriorumque principum ditionem concesserant; vt his Regnis, Regibusque nulla prorsùs, aut si qua residua esset Romani Imperij reuerentia, ea, vt supra Gregorius significabat, Romanis Pontificibus accepta referenda esset; quibus cùm Occidens totus adhæresceret, per eos vtcumque etiam Orientis Imperatori adhuc compaginabatur. Id quoque ipsum centum vigintiquinque Episcopi Romana in Synodo sub Agathone congregati insinuarant Imperatori Pogonato: [Nos licèt humillimi summis viribus enitimur, vt Christiani vestri imperij Respub. in qua B. Petri Apostolorum Principis Sedes fundata est, cuius auctoritatem omnes Christianæ nobiscum nationes venerantur, & colunt, per ipsius B. Petri Apostoli reuerentiam, omnium gentium sublimior esse monstretur.] Vides, vt non aliter, quàm sequestre, & conciliatore Romano Pontifice, Ecclesia omnis, vt ibidem mox subditur, Septemtrionalis, & Occidentalis in eamdem cum Orientali Imperatore synodum conspiraret. Quin immò cùm Occidentalis hęc Synodus prior, quæ fidei erant, definiret, non poterant ab ea postea dissentire Orientales, vt ante Augustinus innuebat, vtque infrà suis locis prolixiùs aperietur. Itaque magnificentia nominum Orientalibus, & Synodis, & Principibus permittebatur, vis ipsa, & potestas penès Romanam, & Sedem, & Synodum residebat.

16 Quò referendum est, & illud Leonis Papæ serm. 1. in natal. Apost. Petri, & Pauli: [Isti sunt, Roma, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt sis gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia; per sacram B. Petri Sedem caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra, marique protuleris; minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.] Si Christiana ergo Ecclesia vltra Romani Imperij pomœria fines suos protulit, non potuit Romani Imperatoris iussu Synodus œcumenica conuenire. At Petri Sedis principatus eum Ecclesia ipsa vbique gentium propagatur. Siue ergo distractas à Romani corpore imperij, siue ab eius potestate vsque immunes Regiones attendas, non secundam, non tertiam, non vllam deinceps aliam Synodum œcumenicam, qua œcumenicam conuocasse potuit Imperator Romanus: sed hanc cum illo gloriam Romanus Pontifex vltrò communicauit. Quocirca scitè Gregorius supra monebat, niueuo Pontificum, & Imperatorum connisu synodos coalescere. Et idem rursùs epist. 2. ibidem, [Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus Magnus, & Constantinus Iustiniani pater, qui sextæ synodo interfuit, Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus vno consilio, ac sententia synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt, & ornarunt.]

17 Qua de re Nicolaus Papa I. epist. 8. ad Michaelem Imperatorem illa, quæ in actis Conciliorum leguntur conuocationis iussa imperatoria, preces, & hortatus interpretatur. [Attendat clementia vestra, quanta fuerit erga Sedis Apostolicæ reuerentiam antecessorum vestrorum amor, & studium. Qualiter legibus suis pro adunandis ei Ecclesijs promulgauerint. Pro colligendis Concilijs, ac proferendis sententijs non imperauerint, sed precati, & hortati solùm extiterint; & quæ illi decreuerunt, ipsi consenserint: & quæ illi damnauerunt, ipsi respuerint.] Et idem epist. 38. [Generale Concilium sine Apostolicæ Sedis præcepto nulli fas est vocandi.] Quæ ille ad Gallos scribit, apud quos Carolus Magnus, & reliqui eius in imperio successores eamdem arripuerant, conuocandarum synodorum potestatem. Otiosum esset sigillatim omnes perlustrare synodos, quæ à principe se conuocatas ipsæ præsantur. At ipsæ eædem pontificali, & maximè primæ sedis auctoritate se collectas testantur. Et tunc Galli vnanimiter epistolis Romanorum Presulum inhęrebant, quæ eis hanc reseruant facultatem. Et Capitulat. lib. 6. cap. 287. [Auctoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.] Et Addit. lib. 4. cap. 12. [Legitima synodo suo tempore Apostolica auctoritate conuocata, cuius iussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis

cou-

coogregandorum Conciliorum auctoritas, & sanctorum Canonom, ac venerandorum Parrum decretis moltipliciter priuata tradira est potestas.] Sic igitur Galli Imperatores synodum conuocabaot, vt præse. ferrent hanc peculiarem esse potestatem Sedis Apostolicæ, Domini iussione constitueam, sibi vt eius executoribus communicatam,& nec alio nomine, siue à priseis, vsurpatam, siue ab vllis vsurpaodam Imperatoribus.

18 Sed Gallicanæ Ecclesiæ, Gallicani quoque imperij quis locupletior interpres Hincmaro Rhemeosi? Ille ergo in Opusculo 55. cap. c. 20. [Septima apud Græcos vocata vniuersalis Pseudosyoodus de imagioibus, sine auctoritare Apostolicæ Sedis Constantinopoli est habita,&c. Vndè tempore Caroli Magni Imperatoris,iussione Apostolicæ Sedis, geoeralis est Syoodus in Francia,conuocante præsato Imperatoee, celebrata, &c.] Vides vt auctoritatem, & iussiooem Sedis Apostolicæ præire iubeat, tum conuoeationem, seu executionem ab Imperatore expectari. [Claret vniuersales, ac generales synodos nominari, cùm plures Episcopi fuerint congregati Apostolicæ Sedis iussione, & imperiali conuocarione, sicut Sardicensis Synodus, &c. & in Africanis Synodis cum Legatis Apostolicæ Sedis celebratis.]

Et rursùs: [Sic igitur voiuersales Synodi specialiter Apostolicæ Sedis auctoritate conuocanrur, & æquè Proninciales canonicæ Synodi, decreto Sedis Apostolicæ à Metropoliranis, & Prouinciarum Primatibus conuocanrur. Sicur de conlaris clauibus Regni Cælorum, idest, ligandi, & soluendi Pontificio specialirer sancto Petro dato, & simul omnibus Apostolis, & in eis Catholicis Episcopis conlato,sancta, & voiuersalis rener Ecclesia.] Quæ omninò apposirè dieuntur ad nostrum hoc institutum. Nempè non solùm iussione, & auctorirare Apostolicæ Sedis conuocari generales Synodos, sed & prouinciales, & quascnmque demùm Synodos, congregari à Præsidibus quidem suis, siue Metropolitaois, siue Primaribus, sed istas etiam decreto Sedis Apostolicæ. Itàque vt Metropolitanis Prouioeiales, ità Summo Pootifiei Generales conuocare; Synodos proprium, & adnatum ius est. Sed prætereà, nec Prouiociales possunt coire Synodi,sine decrero Sedis Apostolicæ, tacito oimirùm, vel expresso, quia portio hæc est priuilegij Petri. Omnis enim potestas clauium Apostolis, & per Apostolos Episcopis concessa, Petro tamen, & Petri successoribos specialirer collata est, ideòque ab illis non est, sine horum consensu admioistranda.

19 Et idem rursùm Hincmarus opusc.44. tomo 2. num. 28. [Si nos frarerna charitas iouitauerit; potiùsque iussio Apostolicæ Sedis, & præceptis Domioi Caroli Imperaeoris Augusti, nos ad Synodum, sicot præcipiunt regulæ, vocare decreuerit, pro talibus,quę fortè Prouinciali nequiuerint examine definiri, &c. Quoniam Imperatorum auctoritate conuocaras geoerales Syoodos, & in historijs Ecclesiastieis, & in epistolis Apostolicæ Sedis Pontificum reperimus. Er sanctus Gregorius Reges Francorum Synodos in Gallicis, & Belgicis Prouincijs conuocare sæpè commoouit.] Iussio Sedis Apostolicæ primas semper rener, rùm sequirur præceptio, & conoocario Imperatoris, hoc est, executio. Itàque duplex hæc Pontificis, & Imperaroris potestas oequaquam sibi collidi suspicanda est,cùm altera alteri obsequator.

20 At vbi postea principes in ipsam Ecclesiam arma strinxere, pro qua induerant, tum necessuoi fuit ad solos Ponrifices omnem hanc reuolui potestatem. Accipe, quæ disserar Fridericus I. Imperaror ad Conciliabulum Papiense à se congregatum anoo 1160.apud Radeuicum,lib.2. cap.64. 65.[Quamuis nouerim officio, ac dignitate Imperij peoès nos esse potestatem congregandorum Coociliorum, præsertim in rantis Ecclesiæ periculis; hoc enim, & Constantinus, & Theodosius, necnon Iustinianos, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otho Imperarores fecisse memorantur: auctoritatem rameo definieodi hulus maximi, & summi oegotij vestræ prudentiæ, vestręque potestari committo. Deus enim coostiruit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicaodi.] Vbi secernas velim, quid iactantia extundat, de potestate cogendæ Synodi; quid exeulpat, vel iouiro veritas, de potestare Syoodorum in Imperatorts ipsos. Si enim Sacerdotibus dedit Deus potestarē iudicandi, oum potestatem non dedir ijsdē conueniendi ad iudicium? Num mendicare hanc facultatem iussit ab ijs, de quibus iudicaruri sunt? Quid demenrius in mentem venire cuiqoam potest, quàm vr iudiees à Deo constiruti, non possinr, nisi conuocati ab ijs, quos iudicaturi sunt, conueoire? Cùm præfatus ergo, cùm alij complures deioceps Principes aburerenrur priore illa potestate, cœpere soli Pontifices, & iubere, & coonocare Synodos Oecnmeuicas, Consilio & consensu priocipum, & optimatum vtriusque ordinis priùs exploeato, Quæ disciplina à veteri in speciem plurimum,reipsa perparum distat. Iiuariatum id enim, & constantissimis æternę legis regulis coaptatum sempet viguit: vt Ecclesiæ siue Orbem effusę, siue synodaliter io vnum aliquem locum congregatæ præesset summus Sacerdos, Chtisti Vicatius, Capur Sacerdorum omnium, præesset ioquam, vt caput membris: membra colligare, membra colligaret, & adunaret. Ad id vbi opus foret, vteretur etiam ministerio priocipatus ciuilis, qui noo alitee Sacerdotio,quàm vt corpus aminæ,vt membra capiri coaptatue. Id & olim valuit, & etiamounc viget; id in medolla ipsa fixum, & immutabile est, etsi extima rerum species, & veluti cortex aliàs aliter se habere videatur.

Gregorius X. io Conc. Lugdun. [Nos cum fratribus nostris, alijsque viris prudentibos, exacto,& frequenti tractatu præhabito, de ipsorum coosilio geoerale Coocilium, sicut imitatione digna sanctoeum Pattum consuetudo laudabilis, lon-

gæque

gæque obſeruationis exemplum nos inſtruit, decteuimus connregandum.

21 In Florentina Synodo diù altercatum eſt, cùm Romanus Pontifex Eccleſiaſticam libertatem ſuæ ipſios amplitudinis comitem iodiuulſam retentatet: Græcus Imperator veteres reſricearet Synodos, imperatorum, à quibus conuocaræ eſſent, nomina præfereores. Alibi de ea Synodo copioſius. Voum hic aduerto, in actis Synodi præceptum non Imperatoris, ſed Patriarchæ extare, quo eius qoaſi nomine Synodus iterùm indicitur, à Romano Pontifice iam iodicta. Quod pacis, eui tunc laborabatur, ſtudio diſpenſatum eſt.

Nec tamen Imperatori ea poteſtas communicata. Ioſeriùs autem ſemel iterumque teſtificarur Marcus Epheſinus Metropolita, canonum intet Græcos ſcieutiſſimus: [Secutum ſe Oeumenicum Patriarcham, & diuinitùs datum Imperatorem ad Synodum.] At Act. 25. hæc aiunt Greci: [Admiſimus priuilegia Papæ, prærerquam duo; Ne conuocet Synodum Oecumenicam abſque Imperatore, & Patriarchis, ſi veniant: quòd ſi aduocentur, & non veniant, ne propterea impedimento ſint, quò minùs Synodus fiat, &c.] At Pontifex reſpondit:] Auctoritatem ſibi eſſe, ac ſacultatem conuocaodi Synodum Oecumenicum, cùm opus ſuerit, & omnes Patriarchas parere eius voluntari.] Quin ille ipſe nuper editus ſcriptor hiſtoriæ huius Synodi Græcus Epiſcopus, hatum teſtis concertationum Imperatoris Græci, pro ſuo ſcilicet iure tuendo: ſexcenris locis obtritam ab Imperatore lamentatur Eccleſiæ libertatem, obrutamqoe poteſtatem omoem Patriarchæ, & Epiſcoporum, eaque de refrequentes Patriarchæ, & Epiſcoporum querelas non ſilet. Qua de re aliàs.

22 Vmbram aliquam rei eiuſdem ſuſpicari quis poſſet ad Carolum vſque eius nominis quintum defluxiſſe, ex præſatione Synodi Auguſtanæ anno 1548. [Cæſareæ maieſtati hanc Synodorum congregandarum ſaculratem Germanorum Eccleſiæ veluti olim Conſtantioo Imperatori totus ferè orbis acceptam ferunt.] Sed ad conſentionem meram hæc ſpectate, & ad particulares Germaniæ Synodos, non ad totius Eccleſiæ vniuerſales, quis non videt? Tridentinam quippè Synodum ſolus coouocauit, rametſi de Imperatorum, Regumque, maximè Chriſtianiſſimorum Galliæ, conſilio, Pontifex ſolus conuocare potuit. Quota enim Chriſtianæ Reipob. portio à mulris iam ſeculis parerer iſtiuſmodi Imperatorijs iuſſionibus? Ideò cùm Philippus Pulcher, & vterque optimarū ordo ad Synodum Oecumenicam prouocaſſet à Boniſacio Papa, non ſuam, non Imperatoris poteſtarem conuocandę Synodo parem auguratus eſt, ſed ad Cardioales, vt Romanæ Eccleſiæ cardines conſugiendum eſſe ſenſit, ad eoſque ſcripſit: [Chriſtus Eccleſiam in Petri vocabulo fundauit ſupra Pettam, voſque ipſius columnas Eccleſiæ, fidei cardines, & Apoſtolorum conſtitute ſucceſſores. Quapropter venerabilem ecetum veſtrum attente requirimus, & rogamus, quatenus ad conuocationem, & congregationem prędicti Concilij generalis, prout ad vos pertinet, intendatis.]

Multa hic preter ius commiſſa non neſcio, voum id aduerto, tecurrendum fuiſſe ad ipſam Romanam Eccleſiam, & poſtea ad Clementem V. vt Synodus cogeretur, quam à ſeculari principe quouis colligi poſſe deſperabatur.

23 Cuſanus autem lib. 2. de Concor. cap. 2. ſupra delibato idem aſtruit argumento. [Habet quiſque præſidens in ſuo gradu ſibi vnitos conuocate, ſine quo aut eius vices gerente, Concilium, nec plenum, nec ritè adunatum cenſetur. Vode cùm Romaous Ponlifex ſupremus Capitaneus militantis hnius Eccleſiæ, & princeps in Epiſcopatu fidei exiſtat; vniuerſalia Concilia ſine eo ritè, eiusve auctoritate regulariter non celebrautur, ſicut nec ſine metropolitano prouincialis, aut ſine Patriarcha vniuerſalis patriarchalis, aut ſine Epiſcopo diœceſana.]

Et ne in ornamentis Imperatorij apicis obmuteſcere poſſe putes Cuſanum, rursùs ille lib. 3. cap. 13. Ex ſuperioribus habetur, Impetatores ſanctos congregationes Synodales voiuerſalium Conciliorum totius Eccleſię ſemper feciſſe. Ità ego perluſtrans geſta omnium vniuerſalium Conciliorum vſque ad octauum, verum eſſe reperi.

Refert mox Helię Presbyteri, & Syncelli Throni Hierosolymitani verba in eadem octaua Synodo, hęc nempè: [Scitote, quia io prętetitis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos ex toto Orbe terrarom.] Addit Cuſanus: [Et legi in gloſſula Anaſtaſij Bibliothecarij Apoſtolicę Sedis: qui eandem Synodum de Gręco tranſtulit, ſuper eodem dicto, quòd voiuerſales Synodos de omni terra Imperatores colligere ſoliti fuerant; locales verò nunquam eos legitur colligiſſe.]

Sedandę denique huius inter Pontificeoi, & Imperatorem conflictationis rationem idem ipſe infrà extricat cap. 15. [Ad illud diſcutiendum dicamus, quòd hoc intereſt inter vtriuſque coouocationem, quooiam Papa vt primus, & habens pręceptiuam poteſtatem ex principatu Sacerdotij ſui in omnes alios Epiſcopos, quò ad eam congregationem reſpicientem vniuerſalem Eccleſię ſtatum, io qua ipſe primam curam gerit. Ex qua credita poteſtate, pręcipere habet Chriſti fidelibus vt conueniant, maximè ſubiectis omoibus Sacerdotibus. Imperator verò exortatur, & ſuadet Epiſcopis, ac præcipit laicis.]

24 In eandem ſenteotiam conceſſit, & Almanius, lib. de dominio nat. ciu. & Eccleſ. [Dico primò, quòd iure diuino Summo Pontifici competit auctoritas ordinaria, & regularis Concilium generale conuocandi, & nulli alteri. Summo enim Pontifici iure diuino obligatur quilibet fidelis obtemperare, & nulli alteri. Ergo iure diuino ſoli Summo Pontifici regulariter, & ordinariè ſubijciuntur cęteri Prelati, vt ad eius præceptum teneantur pro vtilitate

litate Ecclesiæ ad certum conuenire locum.]

Et idem deouò lib. de auctoritate Ecclesiæ cap. vlt. [Ad nullum auctoritatiuè spectat congregare Concilium, præterquam ad Summum Pontificem ex iure diuino. Probatur sic. Auctoritatiuè congregare Concilium est, ijs, qui interesse habent, præcipere, vt ad certum locum conueniant. Sed nullus præter Summum Pontificem singulis, qui habent interesse, auctoritatiuè præcipere potest, vt ad certum conueniant locum ex iure diuino. Ergo nullus præter ipsum auctoritatiuè congregare potest.]

25 Similiter Ioannes Gerson libello de Auferib. Papæ: [Fateantur priùs, quòd regulariter Concilium generale non est celebrandum, de iure etiam diuino, non vocante, vel approbante Papa, si est vnicus, nec aduersùs eum allegatio, legitima.] Eòdem pertinent, quæ ille disserit tomo eodem primo pag. 179. 263. 264. 291. 371. Item tom. 4. pag. 105. 106. nempè regulariter iure diuino conuocandas à Summo Pontifice Synodos vniuersales, etsi extraordinariè aliter quandoque congregatę fine. Quo postremò loco hęc habentur cæteris intertexta: [Post incremata nascentis Ecclesiæ primitię, præmissa auctoritas, & potestas congregandi generalia Concilia, rationabiliter limitata fuit, & restricta, sic scilicet, quòd sine auctoritate Papæ nulli liceret huiusmodi Concilia congregare. Ratio fuit, vt honoraretur Sedes Apostolica, & vt obuiaretur hęreticis, vel schismaticis, qui quandoque ad libitum pro potentia Principum secularium Concilia vocari, & congregari procurabant, ad suorum errorum fulcimentum.]

Extraordinariè verò posse coire Concilia Oecumenica Romano Pontifice non conuocante, sępicule quidem clamitat Gersonius, nec nos dissimulamus, quin optimo viro acquiescimus Magistro Duuallio, par. 4. quęst. 2. vbi ait: [Quę diximus, regulariter, & per se sunt accipienda. Nam si contingeret Concilium Oecumenicum Ecclesię esse prorsùs necessarium, ità vt eius defectu omnia retrò sublapsa ferrentur in Ecclesia, neque induci posset Pontifex, vt illud indiceret: in hoc casu Cardinales possent illud indicere: qui si etiam nollent, primates diuersorum regnorum possent iure se conuenire, & Episcopos sibi subiectos in vnum locum conuocare: quibus etiam renuentibus, Episcopi ipsi mutuo hortatu in vnum locum ad Ecclesię rebus prouidendum legitimè inter se conuenire possent, &c.]

Hæc eadem locis suprà citatis vrget Gersonius, eadem Almainus, ità tamen vt hanc conuocandę Synodi extraordinariam potestatem neuter eorum adsignet tunc Imperatori, vt propriam, & singularē, sed communem esse iubeat vniuersę Ecclesię, Episcopis, principibus, denique fidelium omnibus, nempè in extremo discrimine suos fines exilientibus, & publicas curas induentibus, maximè autem Romanę Ecclesię Cardinalibus.

26 Quibus consentaneus est Petrus de Alliaco lib. de Eccles. auctor. cap. 3. [Vbi necessitas, aut vtilitas eminet, pro conseruanda fide, vel bono regimine Ecclesię, ad Papam, vel in eius defectu, ad Cardinales pertinet generale Concilium conuocare. Et hoc eis conuenit non tam humana, quàm diuina institutione, vice & nomine totius vniuersalis Ecclesiæ, quia ipsi Cardinales succedentes Apostolis in ministerio generali Verbi Dei, &c.]

Quæ hactenùs, & eo tantùm consilio à me promuntur, vt liquescat hinc lucidissimè, quàm conspirante adimatur Imperatori preceptiua Episcopos ad Oecumenicas Synodos conuocandi potestas: & quàm inserta, inuiscerataque ea sit Sedis Apostolicæ Pręsuli, quando ab eo in eius optimates refunditur quodam modo.

27 Nec Græci recentiores ab hac sententia recesserant, etsi penè obruti mole imperatoriæ potestatis, ipsa tantùm non altaria inuadentis. Congregandę enim Synodi potestatem quantamcumque adeptus esset Imperator: precariam, & obnoxiam tantùm, atque ab Ecclesia indultam fuisse, declarat Symeon Thessalonicensis de Ordinat. par. 2. cap. 9. [Imperator ea de causa sacram Episcoporum Synodum conuocat, ea vtens auctoritate, sibi antiquitùs à diuinis patribus, vt Ecclesię defensori, concessa.]

Patrum ergo, atque Episcoporum propria est hæc auctoritas. Romani autem Pontificis peculiarem esse, etsi iamdiù dissimulant Græci, non dissimulabat tamen olim Chrysostomus, cùm Innocentium; non Eutyches, cùm Leonem; non Flauianus, cum eumdem Leonem, & Oecumenicum Concilium appellabat. Vnà cum, atque eadem opera Romanos Pontifices, & Oecumenicas Synodos ab illis congregandas appellabant, vt infrà accuratiùs suo loco demonstrabitur.

Non dissimulabat Cyrillus, qui Concilium Ephesinum conuocauit illicò, vt personam induit, & vices Romani Antistitis, teste Liberato cap. 5. [Porrò Cyrillus cum suis, habens vices Sedis Apostolicę, Concilio euocato ducentorum Episcoporum, Nestorium vocauerunt.] Non dissimulabant Patres Synodi CP. primæ, cùm ad Damasum scriberent, [Concilium voluntate, ac nutu Dei Romæ conuocantes, nos velut propria membra per epistolas Deo amatissimi Imperatoris accersiuistis.] Non dissimulabant Patres sextę Synodi, cùm, vt suprà relatum est, Imperatori ad conuocandas Synodos Romanum præ cæteris omnibus Ecclesiæ principibus consociabant.

Non dissimulabat denique Socrates lib. 2. cap. 13. cùm ex Iulij Papæ sententia ait, [vetari Ecclesiastico Canone, absque sententia Romani Antistitis, Ecclesijs Canones sancire:] siue vt Cassiodorus vertit hist. tripart. lib. 4. cap. 9. Concilia celebrare.

28 Finem dicendi facio, & reliqua, de Synodorum maximè particularium conuocatione, in proprias singularium concilio-


lio-

liorum obseruationes differo; vnum hoc ante professus, magnam nostris, & superioris æui principibus gratiam habere eos omnes, quibus Ecclesię Christi sponsę maiestas cordi est, & libertas. Conuocant enim illi etiamnum Synodos, seu generales, seu particulares, sed tanta pietatis, & modestię luce, vt discreta Sacerdotij, atque Imperij iura effulgescant. Vbi Synodum enim indixit, conuocauitque Pontifex, tum illi suę quisque ditionis Episcopos, eò conuolare vrgent. Quòd autem rarissimas hinc quidam mussant Synodos colligi, aut imperitè, aut inconsideratè faciunt. Veniat in mentem innumerabilium Synodorum, quas inconsultis, & inuitis Pontificibus Imperatores olim coegere in perniciem fidei Catholicæ. Recurrat animo, quàm multa olim maximi momenti sine Synodis profligata sint. Vbi maximè opus erat, tunc persæpè negatus à principibus Synodos pensitent; vbi importunum erat, acceleratas.

Augustinum meminerint Pelagianis Oecumenicam Synodum petentibus, os obturasse, atque ostendisse complurimas hæreses sine congregatione Synodi oppressas.

Gregorium Nazianzenum, & Martinum Turonensem recordentur, quàm alieni fuerint à frequentia Synodorum.

Quamquam ergo saluberrima sit Conciliorum congregatio ex Augustino; si Pontifices tamen incumbentem quancumque difficultatem aliter, & commodiùs, & compendiosiùs explicari posse arbitrabuntur, sanctissimorum, antiquissimorumque, & prædecessorum, & aliorum patrum iudicio, moribusque accommodatè facient. Libertas autem si quibus minor sub Pontifice, quàm sub Imperatore fuisse videtur, næ illi nimiùm somniculosi in euoluendis priscarum Synodorum monumentis fuere, aut eas nec summis fortè digitis attigere. Principes gentium dominantur earum, Pontifices non dominantur in Clero: & vt dominari fingantur, mitiùs vtique, quà inermes. Postquam enim magnificentia etiam, & pompa conuocationis Synodorum penès Pontifices ferè solos fuit, num prædatoria vsquam grassata est Synodus in fidem Ecclesiæ, in vitam Pontificum? Numquam Tyriæ similis, aut Mediolanẽsi, aut Ariminensi, aut Ephesinæ secundę, aut vt cæteras taceam innumeras, tot Constantinopolitanis aduersùs duas Christi voluntates, aduersùs sacras Imagines? Nusquam cubi carceres, aut vincula crepuere? num exilia, aut neces? Num Cyrillus quispiam carceratus, num interemptus Flauianus, ne Martinos, ne Stephanos, ne Theodoros commemorem? Denique decreta ipsa Synodica improbè quidem, sed tamen imperatoria potestate extorqueri cauillabantur hæretici. Vide Epiphanium in Audianis, qui statutam de Paschæ die legem Nicænam, ab Imperatore non, à Synodo mentiebantur conscriptam. At decreta Synodica scribere, Pontificum est.



DIS-

DISSERTATIO IV.

In Synodum Gangrensem.

SYNOPSIS.

Vnanimi Patrum Latinorum, Græcorumque suffragatione euincitur, longè plurimas hæreses iam indè ab incunabilis Ecclesiæ consectas, obtritasque fuisse sine Synodis, solo Episcoporum consensu; vel Synodis localibus, firmitatis consensione Episcoporum, & Ecclesiarum totius Orbis. Synodos œcumenicas, nec ipsis hæreticis in mentem venisse: aut si venerint, & ad has prouocauerint, plerumque has velut tergiuersationes explosas fuisse. Ad num. vsque 23.

Idem efficitur ex recentioribus Theologis. Ad num. vsque 29.

Consensio ista vniuersalis Ecclesiæ, qua auctorantur Synodi particulares, vel Ecclesiarum sententiæ sine Synodis, ad nutum, & consensionem Sedis Apostolicæ religata fuisse ostenditur, eam enim in definienda fide semper ducem præisse. Ad num. vsque 37.

Deinceps declaratur qualescumque Episcoporum conuentus, vel sine conuentu concentus Synodicam auctoritatem obtinuisse.

1 Complura secantur hæresum capita in hac Synodo, vt ex singulis eius liquebit Canonibus, etsi illa particularis tantum, & paucorum fuerit Episcoporum. Nec vllo tamen posteà maiore, aut œcumenico Concilio opus fuit, vt quasi decretorio iudicio res finiretur. Sexcentæ quippè hęreses ante Nicęnam Synodum exhortæ, oppressæque sunt, aut particularibus tantùm Synodis, aut sola Ecclesiarum sine Synodis consensione.

Consule Eusebium lib.3.cap.26.27.28. & 29. Menandrum, Ebionem, Cerinthum, Nicolaum cum gregalibus suis perspicies proscriptos citra Synodos, sola Apostolicę fidei in Ecclesijs conscientia.

Et lib.4. cap.7. aduersùs Saturnini, & Basilidis, aliorumque in dies pullulascentium impietatem, nullæ coalescunt Synodi, [sed Ecclesiæ per vniuersum Orbem instar clarissimorum siderum fulgent, & viget in omne genus humanum, fides Christi, &c. Plurimi Ecclesiastici viri patrocinium veritatis suscipiunt, & pro Ecclesiastica, Apostolicaque doctrina disertissimè decertant, &c. Et aduersariorum quidem inuenta à semetipsis confutata, confestim extincta sunt, alijs super alias exorientibus sectis, cùm priores assiduè diffluerent, & in multiplices, ac multiformes errorum species vario quoque modo euanescerent. Catholica autem Ecclesia, quæ sola vera est, semperque sui humilis, & constans, nouis quotidiè incrementis augebatur, &c. omnium oculos nonmodò Græcorum, verùm etiam Barbarorum perstringens, &c. Mansitque eamdem disciplina nostra sola, omnium consensu superior, & victrix.

Et cap.11. Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci præstigias, & mendacia memorat; & solo Ecclesiæ sole dissipata fuisse innuit.

Et cap. 29. Tatianum ab Ecclesia defecisse monet.

Eodem, & sequente quinto libro, complures hæreses, nullas Synodos memorat, donec ad Montanistas, & Cataphrygas cap.16. perlapsus: [Hi perpauci, inquit, erant Phryges, huiusmodi fraude decepti. Vniuersam verò, quæ per Orbem terrarum sparsa est, Ecclesiam, idem ille arrogantissimus spiritus maledictis appetere eos docebat, eò quòd nec honorem, nec aditum vllum ad ipsam Pseudo-propheticus spiritus reperiret. Nam cùm fideles, qui in Asia erant, sæpiùs, & in plurimis Asiæ locis conuenissent, nouamque illam doctrinam examinassent, & prophanam, atque impiam iudicassent, damnata hæresi, isti ab Ecclesia, & fidelium communione expulsi sunt.]

Hæc ibi ex Apollinari Hierapolytano, vbi primùm audis Synodos in Asia aduersùs Montanum coactas, sed præ cęteris, vniuersæ per Orbem omnem terrarum sparsæ Ecclesiæ aduersùs illum conspirationem.

Et cap. 18. de Montani assecla, *ex* Apollonio: [Ausus est in Dominum, in Apostolos, & in sanctam Ecclesiam impiè loqui.]

Et cap.20. Irenęus aduersùs Florinum hęreseos nouæ signiferum scribens: [Hęc dogmata, inquit, dissentiunt ab Ecclesia, &c. Hęc dogmata, hi, qui ante nos vixere

Presbyteri, qui etiam Apostolorum Discipuli extiterunt, nequaquam tibi tradidere.

Et cap. 19. Seraphion Antiochenus Episcopus aduersùs Cataphrygas scribens epistolam: [Atque vt sciatis, inquit, qualiter vniuersa, quæ in terris est, fraternitas operationem illam simulatæ factionis, quæ noua prophetia nominatur, auersata, atque abominata est. Addit Eusebius: Aliorum complurium Episcoporum idem sentientium proprijs ipsorum manibus appositæ subscriptiones in illa Seraphionis epistola leguntur.] Synodi itàque instar habebat hęc subscribentium Episcoporum consensio.

Et cap. 21. lib. eiusdem 5. Artemonis discipuli, Christum merum hominem blaterantes, affirmant priscos quidem omnes, & ipsos Apostolos ea, quæ ab ipsis nunc dicuntur, & accepisse, & docuisse, vsque ad Victoris Papæ tempora: Zephrini autem temporibus adulteratam esse veritatem:] aduersùs quæ statim excipitur à Victore ipso Theodotum Coriarium, qui nudum hominem Christum esse asseruit, ab Ecclesia eiectum esse.

Meminit idem lib. 6. cap. 33. Synodi aduersùs Beryllum Bostrorum Episcopum, & cap. 37. aduersùs Arabas in fide similiter aliquid nouantes.

Et cap. 43. aduersùs Nouatum, & Catharos: [Cùm Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri verò, ac Diaconi multò plures conuenerunt. Cumque in prouincijs Antistites, quid agendum esset, singuli consultassent, huiusmodi decretum cunctis promulgatum est, &c. Extant epistolæ Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, in quibus, & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliosque locorum illorum prouincias sententiæ declarantur.]

Mox ait Cornelium epistolæ suæ subiunxisse, non eorum tantùm Episcoporum nomina, qui in Vrbem Romam conuenientes, Nouati amentiam damnauerant; sed eorum etiam, qui Romæ quidem minimè affuerant, superiorum tamen Episcoporum sententiam literis approbauerunt; vocabula simul, & ciuitates vndè singuli literas dederant, accuratè commemorantem.

Et lib. 7. cap. 24. Nepotis in Ægypto Episcopi Iudaica quędam somnia, Dionysius Alexandrinus conuocatis Presbyteris, & Doctoribus, qui fratribus per vicos prę erant, examinat opprimitque.

Et cap. 27. 28. 29. aduersùs Paulum Samosatenum conuenit Antiochiæ Synodus prior, & postrema plurimorum valdè Episcoporum.

2 Ex his autem dilucidum fit, rariora, ac penè nulla, nisi senescente secundo seculo, coacta memorari Episcoporum Concilia: exindè autem sensim crebescere ea cœpisse, nulla tamen, nisi prouincialia, vel localia ante Nicænum coisse. Et interim tamen emersere multò plures, & atrociores sopitæque, & compressæ sunt hęreses nihilo difficiliùs, quàm posteà. Igitur fidei regula non penès Synodos tantùm est, sed penès Episcopos, & Ecclesias etiam singulas, sedesque maximè Apostolicas.

Et cùm regulæ fidei assertrices, hæresumque auerruncatrices laudantur, non vniuersales tantùm, aut generales, sed prouinciales etiam, & locales intelliguntur Ecclesiarum consensiones, & coitiones.

Secundò, sine Synodis instar quoddam Synodorum erat, ipsa Episcoporum inter sese per epistolas communio, dogmatumque communicatio, & vltrò, citròque disceptata deliberatio; & complurium Pontificum in vnius alicuius Principis dogmaticam epistolam subscribentium coniuratio Ecclesiastica.

Tertiò, sine Synodis instar habebat Synodi consultatio tum vsitatissima singulis Episcopis; in Presbyterorum, Diaconorum, & Doctorum parœciæ suæ conuenientu, de quolibet incursante fidei, vel disciplinæ capite ambiguo.

Quartò, sine Synodis generalibus, instar quoddam Concilij œcumenici habebat, plurium per omnes Orbis Christiani plagas particularium Synodorum pertractatio, & consiliorum communicatio, vltrò, citròque commeans, & in idem fidei vinculum conspiratio.

Quintò, denique sine Synodis generalibus instar erat Synodi œcumenicæ, quælibet particularis Synodus, cum actis, & decretis eius reliqua Ecclesiæ per Orbem totum crescentis vniuersitas, vel per Synodos alias prouinciales, vel per epistolas, vel tacito consensu per indissociabile communionis vinculum suffragabatur. Vniuersim enim ex scripturarum, Patrumque concentu liquidissimum est, Ecclesiæ ipsi desponsam, oppigneratamque esse à Christo fidei veritatem inconcussam, siue illa in Synodos confluat, siue per epistolas consultet, siue silentio antiquitatis, & traditionis retinentissimo nouitates diluat. Nec enim ante Synodos errat Ecclesia, & in Synodis canit palinodiam: Neque si prohibeantur Synodi hostili vi aliqua, in errorem vnquam delabetur columna veritatis: Nec Synodus tantùm, sed Ecclesia ipsa ante Synodos, & sine Synodis in nomine Christi congregata est, & in medio sui habet Christum, & Spiritus sancti Oraculum. Ad hæc expende quæcumque suprà ex Eusebio aceruata sunt, hæreses cum primùm nascentes conterebant, vel Episcopi, vel Ecclesiæ singulares sine Synodis, vel Synodi particulares: & ità irreuocabiliter prorsùs damnatæ, contritæque toto Orbe habebantur. Adeò quorumlibet Episcoporum sigillatim, & quarumlibet Episcopalium Synodorum particularium erat hæreses proscribere, & vbi vel expressus, vel tacitus reliquarum Ecclesiarum consensus accessisset, iam prouocandi, aut diutiùs tergiuersandi locus nullus supererat. Tacitus autem ille Ecclesiarum reliquarum consensus, non alio significabatur argumento, quàm ipso silentio, & continuato Ecclesiasticæ communionis fœdere cum Romano Sedis Apostolicæ Præsule, vt infrà dicetur.

Atque

3 Atque vt Ensebio ipsn antiquiores accersamus fideiussores, aderit primùm Irenæus lib. 1. cap. 2. & 3. [Ecclesia enim per per vniuersum Orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & discipulis eorum, accepit eam fidem, quæ est, &c. Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem Ecclesia, & quidem in vniuersum Orbem disseminara, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans; & similiter credit his, videlicet qnasi vnam habens animam, & vnum cor: & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quasi vnum possidens os. Nam etsi in Mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna, & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania snnt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Hiberis snnt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, &c. Sed sicut Sol creaturæ Dei in vniuerso Mundo vnus, & idem est; sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.

Hoc ille ariete euertit omnes hæreses: non Synodum allegat, sed vniuersalis Ecclesiæ vbique terrarũ consentientis doctrinam, quæ instar habet iugis, & indesinentis, & Oecumenicæ Synodij ità vt Nicæna Synodus nihil aliud possit edicere, quàm Ecclesia Catholica credit.

Et lib. 3. cap. 40. [Fidem inquit, perceptam ab Ecclesia custodimus, & quæ semper à Spiritu Dei qnasi in vase bono eximium quoddam depositum, iuuenescens, & iuuenescere faciens ipsum vas, in quo est. Vbi Ecclesia, ibi Spiritus Dei. Et vbi Spiritus Dei, illic Ecclesia, & omnis gratia. Spiritus autem veritas.

Et idem lib. 3. cap. 2. ait: oppugnari hereticos bifariam, vel Scripturis, vel cùm ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, &c.

Et cap. 3. [Traditionem itaque Apostolorum, inquit, in toto Mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus numerare eos, qni ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos, qni nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur.] Successionem mox recenset Ecclesiæ Romanæ fundatæ à Petro, & Paulo, & traditionem ibi seruatam, in qua sempee ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio: & cùm Episcopos omnes Romanos ad sua vsque tempora numerasset: [Hac ordinatione, inquit, & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio, peruenit vsque ad nos.

Et infrà: [Sed & quæ est Ephesi Ecclesia, à Paulo quidem fundata, Ioanne autem permanenee apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis.

Et cap. 4. [Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium diues, plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vt omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ.

Et paulò post: [Quid enim, & si qua de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt; ab eis de præsenti qnæstione sumere, quod certum, & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam reliquerunt ijs, quibus comittebant Ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum, qui in Christum credunt, sine charactere, & atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, &c.

Et lib. 4. cap. 43. [Quapropter inquit, eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt.

Et cap. 63. [Agnitio, inqnit, vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso Mundo, & charactere corporis Christi, secundùm successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est; Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos.

Et lib. 5. cap. 1. [Perfecit Christus, inquit, Apostoli verò tradiderunt, à quibus Ecclesia accipiens, per vniuersum Mundum sola benè custodiens, tradidit filijs suis.

Et eodem lib. infrà cap. 20. [Eorum, qui ab Ecclesia sunt, semita, circuiens Mundum vniuersum, quippè firmam habens ab Apostolis traditionem, & videre nobis donans omnium vnam, & eamdem esse fidem.

Et mox: [Qui ergo relinqnunt Ecclesiæ præconium, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quantò pluris sit idiota religiosus, à blasphemo, & impudente Sophista.]

Ex his, vt opinor, luminis, & præsidij plus satis accedit ijs, quæ suprà præstruximus. Quibus concinit Clemens Alexandr. lib. 6. Stromat. [Cognitio ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita peruenit.

Et lib. 7. Homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersùs Ecclesiasticam recalcitrauit traditionem: & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.

Et infrà; Clarum est ex antiquissima, & verissima Ecclesia has recentiores, & quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innouatas adulterinæ notæ hereses. Vna est vera Ecclesia, ea, quæ est antiqua. Ecclesiæ eminentia, sicut initium constructionis, est ex vnitate, omnia alia superans, & nihil habens sibi simile, vel æquale.] Vbique Ecclesiam, nusquam Synodos obiectat hereticis. Summa capita annotabo. vbi & Tertullianum his adprimè consentaneum ostendero.

4 Tertullianus ergo concinit per omnia

Irenæo lib. de præscript. Deinc in Orbem, inquit, profecti Apostoli, eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina Doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc, & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originē suam censeatur necesse est. Itaque tot, & tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam, & omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalis, quæ iura non alia ratio regit, quàm einsdem Sacramenti vna traditio.

Et paucis interiectis: Quid prędicauerint, inquit Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua voce, quàm per epistolas postea. Si hęc ità sunt, constat proindè omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenenrem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio preiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, Christi, & Dei.

Et infrà: Age nunc, inquit, omnes errauerint Ecclesiæ, nullam respexerit Spiritus sanctus, vt eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prędicabat. Ecquid verisimile est, vt tot, & tantæ in vnam fidem errauerint, variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cęterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.

Et infrà singulares recitat Ecclesias Apostolicas, de doctrina fidei percontandas, Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, Romam præ cęteris, videam, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesijs contesserarit.

Et libro 1. contra Marcionem, [Non alia agnoscenda] erit traditio Apostolorum, quàm quæ hodie apud ipsorum Ecclesias editur.

Et libro 4. aduersùs eundem: [Constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctum. Videamus, quòd lac à Paulo Corinthij hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti, quid legant Thessalonicenses, Philippenses, Ephesij, quid etiam Romani, &c. Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nàm etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit auctorem. Sic & cæterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas iàm Apostolicas, sed apud vniuersas, quæ illis de societate Sacramenti confœderantur, &c.]

Et lib. 5. contra Marcionem: [Hoc probabit Apostolus dicens, &c. veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in totum Mundum. Nàm si iàm tunc traditio Euangelica vbique manauerat, quantò magis nunc? Porrò si nostra est, quæ vbique manauit, &c.]

5 Pluribus tempero. Ex hiş autem; in quibus tam bellè conuenit Irenæo, & Tertulliano, aduerte:

Primò, de Synodis vbique apud vtrumque altum in his esse silentium, præscribi aduersùs hæreticos sola auctoritate Ecclesiæ, ad hanc illos conueniri, ad hanc prouocari, quòd in eam quasi in depositorium diues plenissimè omnia contulerit Apostoli, quæ sunt veritatis; vt omnis quicumque vidit, sumat ex ea potum vitæ.] Quòd doctrinam suam Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christo à Deo susceperit.

Secundò, Ecclesiæm porrò istam, à qua scitanda, hauriendaque sint oracula veritatis, esse illam vniuersalem, quæ totum Orbem occupauerat iàm indè ab Apostolorum æuo; quantò magis nunc? Cui Spiritus sanctus à Christo missus, de Patre postulatus Doctor veritatis. Quàm Spiritus sanctus Christi Vicarius non potuit, nisi negligere officium suum, sinere aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat. Quæ tot, & tantis Ecclesijs cùm constet, non potuit [in vnam fidem errare. Variasse enim debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cęterùm, quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.] Quæ denique toto Orbe vnam animam habens, & cor, vnum os possidens, vnam fidem, & traditionem prædicans, instar habens Solis, qui vnus in vniuerso Orbe lucet, & omnes illuminat, nullius potest hominis esse figmentum.

Tertiò, sed & singulares quaslibet Ecclesias, sedesque Episcopales consulendas in omni lubrica quæstione, & audiendas esse, quia traditio, quæ est ab Apostolis per successiones Presbyterorum in Ecclesijs, custoditur, & ad hanc prouocantur omnes hæretici. Quia habemus numerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt. Quia ordinem traditionis reliquerunt Apostoli, in quibus committebant Ecclesias. Quia multæ gentes Barbarorum sine scripturis Christo credunt, sanamque fidem ex traditione Ecclesiæ suæ custodiunt. Quia Presbyteri Ecclesię, cum Episcopatus successione charisma veritatis certum exceperunt. Quia Ecclesiæ omnes Apostolicæ sunt, idest, vel ipsæ ab Apostolis prognatæ primùm, vel ab Apostolicis Ecclesijs seminatæ; & ità originaliter Apostolicæ, sicut Episcopi omnes Apostolorum sunt successores. Quia denique omnes Ecclesiæ, fraternitate, communione, & contesseratione vnius Sacramenti, vna Ecclesia est.

Quartò, sed præsertim tamen ad antiquissi-

quissimas Ecclesias, vt ait Irenæus, ad Apostolicas matrices, & originales, vt docet Tertullianus, recurrendum esse: ad eas, quas viua voce Apostoli, quas per literas, quæ leguntur illic etiamnum, seminarunt. Et antè cæteras ad Ecclesiam Romanam, vt ait idem Irenæus, ob potentiorem eius principalitatem: & vt ait Tertullianus, cui Euangelium Petrus, & Paulus sanguinem quoque suo signatum reliquerunt.

Quintò, sed ità particulares Ecclesias, sedesque Episcopales, vel percontandas, vel incontanter audiendas, quamdiu sua cum alijs omnibus Ecclesijs communione, vnum fidei sacramentum contesserant. Hac enim communione, [tot, & tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dùm vnam omnes probant vnitatem.] Sic omnes vna, sic extremæ prima, sic singulæ, & particulares tota, & vniuersa. Omnes enim in singulis, & vniuersa in quibuslibet est, dùm vbique in vnum corpus conspiratur, & in vnum spiritum.

Sextò, Concilia autem laudantur à Tertulliano, [per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.] Illis ergo maiestas, veneratio, veracitas, & nescia erroris fides indè conciliatur, quòd sint repræsentatio totius nominis Christiani: hoc est, quòd quæ vbique locorum, & priùs, semperque in singulis Ecclesijs ab omnibus Episcopis Catholica communione fruentibus fides tenebatur: ea in Concilio retineatur, & pompaticè, vnoque veluti ex ore vniuersi generis humani promulgetur.

6 His addes, si voles, Cyprianum, qui libro 1. epistola 3. [Neque enim, inquit, aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm Diuina magisteria obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùm Sacerdotum collegium quidquam moueret, &c. nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, & tumens seorsum foris nouam hæresin conderet, &c.]

Et lib. 3. epistola 13. [Quàm vanum est, vt Nouatiano nuper retuso, & refutato, & per totum Orbem à Sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhùc nobis patiamur illudere, & de maiestate, ac dignitate Ecclesiæ iudicare.]

Et rursùm libro 1. epistola 3. ait: [Priuatum veterem hæreticum in Lambesitana Prouincia, antè multos annos nonaginta Episcoporum sententia condemnatum.] Quibus si addas, quæ in præfatione Ancyranæ Synodi supra, ex eodem Cypriano decerpsimus, manifestè perspicies:

Primò, quæ Irenæi, & Tertulliani æuo rariora erant Concilia, passim iàm, & numerosa temporibus Cypriani congregata fuisse.

Secundò, quæ ab vno, vel paucis Episcopis alicubi in hæreses nouas decreta fuerant, ea protinùs cæteris communicata fuisse Ecclesijs, & approbata, & in auctoritatem vniuersalis Ecclesiæ recepta: quia vnus toto Orbe Episcopatus indissociabili collegio, & fidei vinculo sibi cohærebat.

Tertiò, vice Concilij Oecumenici id fuisse tunc, quòd nouellus quisque hæreticus [refutaretur, & retunderetur, & abstineretur per totum Orbem à Sacerdotibus Dei.] Quid enim oberat locorum intercapedo, cùm omnes vbique gentium Episcopi, velut vno spiritu, vnoque ore, ad hæresin, hæreticumque damnandum conuenirent, conspirarentque?

Quartò, nulli Prouinciali Concilio nouellam hæresin damnanti obtrectari, vel detrogari poterat, cui nimirùm summa statim, & ineluctabilis auctoritas vniuersæ Ecclesiæ conciliabatur, cæterarum omnium Ecclesiarum, & Episcopalium sedium, vel tacita, vel expressa consensione.

7 Atque vt cæteros quoque vnà conglobem in vnum veluti cuneum, Pacianus epistola 1. ad Sympronium: [Parua uobis de Apostolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de beatissimo Cypriano martyre, atque doctore currit auctoritas? An volumus docere doctorem? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum Orbem cum eodem Cypriano pax vna solidauit? Quid tot annosi Episcopi, tot Martyres, tot Confessores?]

Et epistola 3. aduersùs eosdem Nouatianos: [Age, inquies, certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego huc vsque secutus, ipsa Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsiui. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, &c.] Cùmque Nouatianus obiectaret, [Ecclesiam esse virginem, sanctam, castissimis sensibus, &c.] reponit ipse esse etiam Ecclesiam, [fœcundam vitem in lateribus domus Domini, matrem adolescentularum, quarum non est numerus, vnam speciosam columbam, &c. Ecclesia plenum est corpus, & solidum, & toto iàm Orbe diffusum, non vt vos estis Nouatiani, quædam insolens portiuncula, tuberque collectum, à reliquo corpore separatum. Ecclesia est templum Dei, templum amplificum, domus magnæ, &c. Multus huic virgini partus, & proles innumera, qua totus Orbis impletur, &c.] Quamquam in Nouatianos collectæ fuerant Synodi particulares multæ, nullius earum meminit Pacianus, sed eos validissimè impetit, conteritque vniuersalis Episcopatus toto Orbe sparsi, & sibi cohærentis, vniuersali, & ineluctabili auctoritate Ecclesiæ Catholicæ Orbem vniuersum occupantis, & paucitatem hæreseos cuiuslibet obruentis. Huic enim auctoritati vniuersali particulares illæ Synodi implicabantur.

Optatus Mileuitanus libro 1. [Videndum est quis in radice cum toto Orbe manserit, quis foras exierit.

Et libro 2. [Ergo quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum Orbe diffusa, &c.

Et

Et mox: [Cathedra vnica sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c. Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cùm quo nobis totus Orbis commercio formatarum, in vera communionis societate concordat.

Identidem inculcat, Catholicos esse, qui communicant memorijs sanctorum Apostolorum, & Ecclesias, quas fundauerant Apostoli: at hæreticos, [vnitatem cum toto Orbe terrarum, & cum memorijs Apostolorum habere noluisse.] Nusquam Concilia hæreticis intentat, semper vnitatem, consensionem, communionem Episcoporum vniuersalis Ecclesiæ.

8 Hieronymus aduersùs Vigilantium sic insurgit: [Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli, secundùm nos, ossa veneranda: secundùm te, vilem puluisculum, offert Domino sacrificia: & tumulos eorum, Christi arbitratur altaria? Et non solùm vnius vrbis, sed totius Orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, &c.] Viden vt Romani Episcopi sententiam, & cæterorum Orbis Episcoporum consensionem etiam sine Synodis, satis præsidij esse putet, vt nouitati hæreseos os obstruatur? Et adu. Lucifer. paulò ante finem, [Poteram, inquit, diem istiusmodi eloquio ducere, & omnes propositionum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare. Verùm breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat.] Et superiùs acriter exarserat in eos, qui Ecclesiam à sua vniuersitate in angulum contruderent; [Allocutio Patris impleta est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. In sole posuit tabernaculum suum, &c. Et vbi isti sunt nimiùm prophani, qui plures Synagogas asserunt esse, quàm Ecclesias? &c. Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantùm habet, nimiùm pauper factus est, &c.] Quæ ille pertonat in Luciferianos Alexandrinæ Synodo, & dispensationi ibi constitutæ non acquiescentes, ideòque ab Ecclesiæ vniuersæ vinculo desciscentes. Et in Epitaphio Paulæ, [Igitur iuxta Ecclesiarum traditiones, & Apostolum Paulum, &c.] Et in epist. ad Demetriadem, [Vt sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & supradicti viri successor, & filius est, teneas fidem, &c.] Et paulò antè, Anastasius [vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis statim noxium perculit caput, & sibilantia Hydræ ora compescuit.] Ita ille sine Oecumenicis Synodis, & Pelagianos ab Innocentio, & Origenistas ab Anastasio damnatos testatur. Et in Apolog. aduer. Ruff. [Et tamen miror quomodò probauerit Italia, quod Roma contempsit? Episcopi susceperint, quod fides Apostolica condemnauit? Et in epist. ad Theophilum: [Scito nihil nobis esse antiquiùs, quàm Christi iura seruare, nec patrum transire terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur. Et in Apologia adu. Ruff. [Non valet, inquit, apud eos Origenis defensores, super Origenis damnatione, Episcoporum auctoritas. Quid facient epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasij in toto Orbe hæreticum persequentes?] Et idem infrà decerpit aliqua ex epistola Origenis, [qua tota Demetrium Alexandrinæ vrbis Pontificem lacerat, & in totius Orbis Episcopos, & clericos inuehitur, & frustrà ab Ecclesijs excommunicatum esse se dicit.] Et rursus in Apologia adu. Ruffinum, cùm illum à Theophilo, & Anastasio damnatum sæpius oggessisset: [Si vel paruam, inquit, schedulam contra me Romani Episcopi, aut alterius Ecclesiæ protuleris, omnia, quæ in te scripta sunt, mea crimina confitebor.] Inserta est, & eidem tomo epistola Theophili ad Epiphanium, hortantis, vt coactis vbique Synodis damnentur Origenistæ, [vt omnes vno spiritu congregati cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradamus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ possidet eos.] Et epist. ad Marcum presbyt. aduersùs eos, qui ei vt hæretico obtrectabant. [Aut si eis placet, hęreticum me cum Occidente, hęreticum cum Aegypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent. Et infrà: Pudet dicere de cauernis cellularum, damnamus Orbem. In sacco, & cinere volutati, de Episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus?] Quibus quid inuictius, vt liqueat, non semper allegandas Synodos, sed Catholicæ fidei indubiam tesseram esse consensionem, communionemque cum Episcopis, cum Ecclesijs per Orbem, maximè cum Apostolicis Cathedris, & inter istas maximè cum Romana? Et epist. ad Pammachium, & Marcellam, [Prædicationem quoque Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.]

9 Augustinus lib. 4. ad Bonifac. c. vlt. cùm Cypriani, & Ambrosij testimonia aduersùs Pelagianorum deliramenta protulisset: [Quid ergo, inquit, quod iactant rabiosa nunc mentis cæcitate, toto penitùs Occidente, non minùs stultum, quàm impium dogma susceptum? Quandoquidem Domino miserante, suamque Ecclesiam misericorditer gubernante, sic vigilauit Catholica fides: vt non minùs stultum, quàm impium dogma, quemadmodum Manichæorum, sic etiam non susciperet istorum.] En vndè auctoritatem accersit vniuersalem, & inconcussam Synodis localibus, vbi hæresis Pelagiana explosa fuerat. Et infrà: Quid est ergo quod dicunt: De simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est? Numquid beatissimis, & in fide Catholica excellentissimis viris Cypriano, & Ambrosio ante istos, aduersùs istos extorta subscriptio est? &c. Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi congre-

gatio-

gatione damnata sit. Cùm potius rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit: multóque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnatique meruerunt, atque indè per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit aduersùs Deum, vt non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente, peruertere nequeunt, saltem commouere conantur: cùm potiùs vigilantia, & diligentia pastorali, post factum illis competens, sufficiensque iudicium, vbicumque lupi isti apparuerint, conterendi sint.

Perspicuè patres isti, & ante cæteros Augustinus, non errandi prærogatiuam Ecclesiæ vendicant vniuersæ, & singulis Ecclesijs Episcopalibus, quandiu vniuersæ consentiunt, sibi quoque ipsis consentienti. Perspicuè nullas, vt ea non errandi dos constet, flagitant Synodos. Perspicuè complurimas hæreses sine Synodi congregatione illic improbatas, damnatasque docent fuisse, vbi eruperant; vt indè per cæteras terras deuitandæ innotescerent. Perspicuè id Catholicæ Episcoporum inter se communioni tribuunt, vt quod alicubi, id vbique: quod ab aliquo eorum, id ab omnibus iuratur censura Ecclesiastica. Perspicuè particularibus Synodis sufficienter iudicari, damnatique hæreses definiunt, nec opus esse totam fatigari Ecclesiam, vt Synodus generalis habeatur. Perspicuè nec ipsi hæretici ab Episcopalibus Concilijs localibus prouocabant ad vniuersale Concilium, etsi de illis quærebantur, quòd solent mali litigatores, & quicumque causa ceciderunt; & ad maiorem Synodum suspirabant, non prouocabant tunc quidem: aut si prouocabant, hæc non vt legitima prouocatio, sed vt frustratoria tergiuersatio contemnebatur. Et ne semel Augustino hæc placuisse quis sibi fingat, eadem penè leges lib. eodem 4. ad Bonifacium c.8. Et serm.2. de verbis Apost. vbi de Pelagianis: [Prorsùs vbi tales, inquit, inueneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Iam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam rescripta venerunt. Causa finita est: vtinam aliquando finiatur error.] Et l. 2. operis vlt. aduers. Iulian. num.103. [Quid adhuc, inquit, quæris examen, quod apud Apostolicam Sedem iam factum est? Quod denique iam factum est in Episcopali iudicio Palæstino. Ergo hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.] Et suprà num.2. cauillante Iuliano, [quia rerum est maxima confusio, & stolidorum maxima multitudo; eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationis, vt erecto cornu velificetur dogma populare.] Respondet Augustinus. [Tales populos non fecit, sed inuenit Ambrosius: non fecit, sed inuenit etiam ipse Cyprianus: tales populos in Ecclesia etiam Pater tuus, quando baptizatus est, inuenit: postremò Catholicos populos inuenistis & vos, compescite vos, fatemur, quia dogma nostrum est populare, quia populus Dei sumus, &c. Numquid Manichæus pluribus placet? Nonne sicut parricidæ, & pauci, & pessimi sunt? Nolite ergo de paucitate gloriari, &c.]

10 Et idem rursum Augustinus Pelagianos sin minùs in Synodo, saltem in collatione aliqua nouum examen flagitantes, & exemplo Donatistarum se tuentes, quibus non ita pridem collatio esset indulta: ita retundit. [Absit à Christianis potestatibus terrenæ reipub. vt de antiqua Catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus eius locum, & tempus examinis præbeant; ac non potiùs in ea certi, atque fundati, talibus, quales vos estis, inimicis eius disciplinam coercitionis imponant. Quod enim propter Donatistas factum est, eorum violentissimæ turbæ fieri coegerunt, ignorantes quid antè sit gestum, quod eis fuerat ostendendum: quales vos turbas Deus auertat vt habeatis: Deo tamen propitio non habetis.] Ita lib. 1. oper. vlt. con. Iul. num. 9. Cui gemellus est locus altet ille ex l. 2. operis prioris adu. eumdem cap. 1. [Iam vos ergo totius pœniteat huius erroris, ne argumento miserrimo vtamini, quo vniuersi vtuntur hæretici, quos à perniciosa licentia leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippè huiusmodi dicunt, laborare illam partem rationis inopia, quæ in differendo, cùm terrorem surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum. Noui denique hæretici vos estis, sed istam pene omnium hæreticorum veterem vocem cum cæteris agnouistis, atque tenuistis. Nec vos, & alios decipiatis velut talem vocem habentes aduersùs nos, qualem nos aduersùs Donatistas, quos ad collationem nobiscum venire per imperialia iussa compulimus. Illorum enim furor occupauerat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum patiebatur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, &c. Quod verò ante centum fermè annos, maiores nostri cum eis egerant, iam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, vt saltem gestis nostra collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam, & reprimeremus audaciam. Vestra verò apud competens iudicium communium Episcoporum modò causa finita est. Nec ampliùs vobiscum agendum est, quantum ad ius examinis pertinet, nisi vt prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quòd si nolueritis, à turbulenta, vel insidiosa inquietudine cohibeamini.] Confert eos mox Donatistarum surculo, Maximianistis, quibus cuixè petentibus collationem, negarunt Catholici: [Cupiebant enim exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant.] Post prouinciales ergo

ergo Synodos, & Apostolica rescripta, semel damnatis hæreticis, ad nouum examen ne collatio quidem, nedum Synodus debetur. Ex dispensatione concessa, aut inflicta potiùs est Donatistis collatio, necessitate id præter ordinem vsitatum extundente, ob eorum multitudinem, & turbulentissimas infestationes.

11 Et epist. 157. [Hætesis nouæ vel auctores, vel certè acerrimi notissimique suasores cùm Pelagius, & Cœlestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantia, in adiutorio Saluatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zozymo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano Orbe damnati sint.] Et rursus lib. 1. opusc. vlt. in Iul. [Quasi verò in Concilio Episcoporum, quod non salubriter, sed iactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, &c.] Nusquam, vt vides, vel tantisper in spem vlterioris examinis, vel Synodi generalis respirare eos sinit.

12 Præmittendæ his fuerant Ambrosij, & Siricij aduersùs Iouinianum Synodi, & epistolæ. Siricius enim ait: [Facto presbyterio constitit doctrinæ nostræ, idest Christianæ legi esse contraria.] Vndè ait, Iouinianum cum socijs sua, & totius cleri sententia in perpetuum damnatos extra Ecclesiam remanere. Quòd custoditurum sanctitatem vestram non ambigens, scripta direxi, &c. Cui cum Synodo sua rescribit Ambrosius. [Quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundùm iudicium tuum esse damnatos.] Nec vltrà progressa est ad alias Synodos illa disceptatio.

13 Leo Magnus epist. 17. damnato semel Eutychete in Synodo Constantinopolitana à Flauiano, supersedendum putabat à conuocatione Synodi generalis, [Cùm tam euidens fidei causa sit, vt rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum.] Idem posteà Chalcedonensem colligi Synodum laborauit, vt non tam damnandæ Eutychetis hæresi, quàm proscribendæ Ephesinæ Pseudosynodo necessariam. Et epist. 86. aduersùs Pelagianos scribens, qui, vt suprà vidimus, Oecumenicam Synodum flagitauerant, [Damnent apertis professionibus sui superbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ Sedis confirmauit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis, & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.] Et epist. 93. aduersùs Priscillianistas, particularibus tantùm Synodis, & tacito Ecclesiarum omnium concentu damnatos: [Meritò patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur. Quando etiam principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent?] Vide & ibidem cap. 16. 17.

14 Sulpitius Seuerus Dialog. 1. cap. 2. [Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter Episcopos, atque Monachos certamina gerebuntur; ex ea occasione, quia congregati in vnum sæpius sacerdotes, frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet; qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant: quæ adsertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potiùs fraudulenter inserta dicebant, &c. Aduersum hæc Episcopi obstinatiùs renitentes pro potestate cogebant, recta etiam vniuersa cum prauis, & cum ipso auctore damnare; quia satis superque sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset, &c. Et infrà: Etsi fortassè videantur parere Episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam, multitudinem tantam sub Christi confessione viuentem, præsertim ab Episcopis oportuisse affligi.] Ad proscriptiones enim monachorum ventum est. Vides autem, vt nunc Origenes vir tantus, & de Ecclesia tam benè meritus, inustus sit censura Episcopali in particularibus tantùm Synodis. Ex hoc eodem, & ex Idacij Chronico adde, si voles, quæ de Priscilliano narrantur, particularibus tantùm Synodis damnato, ad Cæsarem prouocante, & capite luente.

15 Adde Prosperum l. adu. Collat. c. 41. Quando bonæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit. Quando Pelagium, ad proferendam in se, suosque sententiam, Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctauit. Quando Africanorum Conciliorum decretis bonæ recordationis Papa Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit: & ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum, &c. Et ibidem: Cœlestiuus sciens damnatis non examen iudicij, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi.] Vides Synodis localibus, & Apostolicis rescriptis, etsi non acquiescant hæretici, acquiescere Ecclesiam vniuersam; & nouam audientiam postulantes in longinqua deportari exilia. Et carm. de ingratis idem prosequitur.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri. Non segnior indè Orientis
Rectorum cura enituit.
Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostra
Exequeris; tecumq; suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, &c. Geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

Et Ephesina quidem Synodo damnati rursus

fus

sùs fuere Pelagiani, sed citrà nouum examen, sola prioris damnationis memoria renouata, vt infrà dicetur.

15 Et l.4. de prom. & præd.seu de dimidio temporis, cap.5. vniuersalem regulam figit, vt fine Synodis dignoscantur hæretici, sicubi non allubeat Ecclesiæ Synodos colligere, aut non expediat: [Ab Apostolorum consortio alieni inueniuntur omnes hæretici,qui relicta pace communionis, & panis vnius Dei, & Apostolorum, in suis non Ecclesijs, sed plateis prædicant, & eorum memorijs non communicant: separati à toto Catholicum sibi nomen ascíscunt. Cùm in ipsa Hierusalem Iacobus, & Stephanus primus martir, Ioãnes apud Ephesum, Andreas, & cęteri per totam Asiam, Petrus, & Paulus Apostoli in Vrbe Roma Gentium Ecclesiam, in qua Christi Domini doctrinam erudierunt, pacatam, vnamque posteris tradentes, sanguine memorijsque suis ex dominica passione sacrarunt. Huic generali Ecclesiæ communicans Christianus Catholicus est: ab hac segregatus, hæreticus est, & Antichristus.

17 Cassianus quoque l.1. de Incarn. cap. vlt.cùm Leporij presbyteri confessionem fidei. seu libellum emendationis recitasset, addit, [Hanc eius confessionem, id est, Catholicorum omnium fidem, & omnes Africani Episcopi vndè scribebat, & omnes Gallicani, ad quos scribebat, comprobarunt. Sufficere ergo solus nunc ad confutandum hæresin deberet consensus omnium. Quia indubitatæ veritatis manifestatio est, auctoritas vniuersorum: & perfecta ratio facta est, vbi nemo dissensit. Ità vt qui contrà hoc sentire nitatur,huius prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quàm damnanda peruersitas: quia præiudicium secum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuersitatis impugnat, & audientiæ locum non habet, qui à cunctis statuta conuellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quidquid contra hoc venit, hoc ipso statim falsitas esse noscendum est, quòd à veritate dissentit.] Consensisse præfatus Africanos, & Gallicanos Episcopos, iactabundus illico vniuersitatem consensisse, & inconcussæ veritatis documentum id esse prædicat. Nec vlla ibi Synodorum mentio.

Instar ergo habet Synodi illa Episcoporum spiritalis compaginatio,in vnum quid consentientium, & totius Ecclesiæ consensum præ se ferentium, quod nusquam sibi intercedatur, nusquam sibi intercedatur, nusquam pax, & communio abrogetur.

Et l.6.c.10.Nestorium ità obiurgat:[Videlicet pro arbitrio, ac libidine tua, cùm vis, discipulus es: & Ecclesiæ, cum vis, hostis: Cùm vis, Catholicus: cùm vis,Apostata. Dignus nimirùm auctor, qui in quamlibet partem te conuerteris, Ecclesias post te trahas. Cuius voluntas, lex vitæ nostræ sit: qui mutabilitate tua humanum genus mutes: & quia tu esse nolis, quod omnes sunt; omnes sint, quod tu velis. Preclara videlicet authoritas: vt quia tu,quod eras, non es: esse mundus desinat, quod fuit. Vide lib. 7. capit. 30.

18 Vincentius Lirinensis commonitorio vtroque fusissimè hoc vnum persequitur argumentum. In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè, proprièque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia ferè vniuersaliter defendit. Sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem.]

Ità com.1.c.3. Et c.32.vsum Conciliorũ describere ingressus ait: [Christi Ecclesia sedula, & cauta depositorum apud se dogmatum custos,nihil in his vnquam permutat,nihil minuit, nihil addit, &c.Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentiùs crederetur. Quod anteà lentiùs prædicabatur,hoc idem posteà instantiùs prædicaretur. Quod antea securiùs colebatur, hoc idem posteà sollicitiùs excoleretur. Hoc, inquam, semper, neque quidquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod priùs à maioribus sola traditione susceperat, hoc idem posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret;magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando.] Solo igitur Ecclesiasticæ fidei sole, siue Synodorum præsidio complurium discussæ sunt hæresum tenebræ; si quando accessere Synodi, non noua, sed eadem, ac priùs fides, ac doctrina sese explicuit.

19 Ferrandus Diaconus epist. ad Seuerum Scholasticum: [Interroga,vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire,principaliter Apostolicæ sedis Antistitem, cuius sana doctrina constat iudicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diuersa terrarum loca Pontifices, quibus scientia cælestium præceptorum diuinitùs inspirata, famam grandem sui cum veneratione collegit: Hos sine dubio, & ad disputandum idoneos, & ad suadendum frequenti exercitatione paratos, nec vituperaueris, si consulas; adhuc incertus; & laudaberis, si sequaris, veraciter doctus. A me autem sic expete debitum charitatis,ne incurrere suadeas culpam temeritatis. Aspice quos consuli iubeat,quos audiri. Nimirum Pontifices, maximè sedis Apostolicæ. Vt peuès quos affluat,non doctrinæ tantùm, sed, & auctoritatis copia]. Reliquos autem præter Episcopos, consuli quidem posse, & audiri, sed hæsitantiùs. De Synodo autem flagitanda ibi non meminis.

At in epistola ad Pelagios, & Anotol.Conciliorum vniuersalium auctoritatem dominari ait, quibus [sufficere iudicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ nullum offendiculum moueant,vel scandalum fratribus, sed Apostolicæ fidei conuenire firmentur, Apostolicæ sedis roborata consen-

fu. Vbi palàm fit, orbis Christiani consensum tunc Synodis accessisse interpretandum esse, cùm nemo intercedit, cum silentio omnes orbis Episcopi fauent, cùm in notitiam totius Ecclesiæ perducta nullum offendiculum mouent, vel scandalum fratribus. Et Florus Magister cum Ecclesia Lugdun.cap.4. adu. Ioannem Scotum: [Qui si aliquid tam periculosum contrà fidem Catholicam docere præsumpsit, vt necessario Synodali iudicio plecteretur: profectò dignum fuerat, iuxtà antiquum Ecclesiæ morem, vt tantus error propter cauthelæ studium, ne plures eo inficerentur, cæteris Ecclesijs in diuersis regni partibus constitutis per literas Synodicas, & Ecclesiasticas ad omnium Coepiscoporum notitiam perferretur.] Et posterioribus, vnum addo Petrum Cluniacensem adu. Petrobrusian. Non debet credi testimonijs Ecclesiæ, cui indiuisibiliter Christus cohabitat, vsq; ad consummationem sæculi? cum qua Spiritus Sanctus inseparabiliter permanet, non hìc tantùm, sed in æternum? Quæ vnū cum Patre, & filio est, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre? Cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam accepit à Patre? Quomodo potuit falli, vel fallere Ecclesia, cum qua veritas Filius, cum qua veritatis Spiritus perpetuò mansit?

20 Atque vt ad Græcos iter reflectam denuò, ex Alexandri Alexandrini Episcopi aduersùs Arium scripta epistola testimonium profero, vt videas ad hæreseos condemnationem corrogata plurium Episcoporum per varias prouincias sparsorum suffragia: & qui hac auctoritate fracti non sunt, eos nec œcumenicis Concilijs si quando indulta sunt, postea cessisse. Ità ergo ille aduersùs Arium apud Theodoretum l.1.c.4. [Primùm epistolas collegarum, qui sunt in Ægypto, & Thebaide, deinde eorum, qui Libyam, Pentapolin, Syriam, lyciam, Pamphiliam, Asiam, Cappadociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt, ad vos misi. Quorum exemplum vos imitantes, persuasum habeo ad nos itidem daturos literas. Et cùm multæ aliæ curationes ad eos sanandos, qui hoc errore vulnerati sunt, suppetebant: tum istud etiam remedium ad medicinam populo ab istis decepto faciendam, inuentum est, si modò obtemperare voluerint: & cùm consensum collegarum nostrorum intelligant, eorum hortatu ad pœnitentiam se seriò recipere. Quorum peruicaciam non edomuit iste collegarum consensus, ij nec Nicænæ Synodo obaudire: Et Origenes in proœm. l.periarch. Cùm multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant: seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens; illa sola credenda. Et tract.29. in Matth. Nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem, Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis, &c. Quodcumque professi fuerint de scripturis, & de mysterijs, quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere, quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti vsque ad Occidentem. Qualis est veritas Ecclesiæ Dei. Ab ea enim sola sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum & velociter currit sola verè veritas Dei. Et Cyrillus Hierosolym.catech.18. hanc Symboli partem ità exponit. Et in vnam Catholicam Ecclesiam. Catholica vocatur, qui in vniuersum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ vsque ad extrema, & quia docet catholicè, ac sine vllo defectu omnia dogmata, quæ debent venire in cognitionem hominum. Antequam inolesceret mos fidei Synodorum generalium profitendæ, initiatus ab Apostolis, & ipso Apostolico Symbolo confirmatus fuerat ritus subscribendi fidei Ecclesiæ, vt quæ vtroque sensu indiscretè Catholica sit, hoc est, & orbe toto sparsa sit, & intaminatorum omnium dogmatum sit magistra. Idem apertè insinuabat suprà Origenes, sacrorum librorum delectum, & à spurijs suppositijsque discriminationem, ab vna repetens Ecclesia. Quem, & Augustinus ea in re secutus est l.2. de Doct. Christ. cap.8. [In canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum complurium auctoritatem sequatur, vt eas, quę ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioresque accipiunt, &c.] Vbi nulla Synodorum memoria. Atque vt ad Græcos me referam: Athanasius in disp. contra Arium: [Ego incompositum numen veneror, cùm id didicerim ex sacris literis, & ab ijs, qui per successionem susceperūt Episcopatum.

Gregorius Nyssenus orat. 3. contrà Eunomium, Nullus, inquit, mihi subrepet, quòd illud etiam, quod à nobis pro confesso habetur, rationibus, & argumentis indigeat confirmari. Sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quòd habeamus à patribus venientē ad nos traditionem, veluti hæreditatem quandam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam. Basilius epist.64. ad Neocesarienses: hoc, inquit, studiosè agitur apud vos, vt fides subuertatur, subuersione inimica Apostolicis, & Euangelicis doctrinis; inimica quoque traditioni magni reuerà Gregorij, & eorum, qui illum ex ordine subsecuti sunt ab beatum vsque Musonium. Idem habet epist.75. Et epist. 72. Ipsum orbem circumspicite, & videte quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat: reliqua verò vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus vsque ad fines Euangelium recipit, sanam hanc, & incorruptam doctrinam sectatur.] Vides, quas fidei regulas consuli iubeat, vel vniuersalem Ecclesiam, vel singulares etiam Episcopos vniuersali Ecclesię consentaneos.

Et rursùs denique Alexander idem Alex.Episc.epist.eadem, Arianos ità describit: [Qui nec vllos secum ex antiquis comparari sinunt: nec eos, quibus ab ineunte nos ætate magistris vsi sumus, pares dici patiuntur. Quin immò nec vllum collega-

rum

rum nostrorum, qui vbique gentium sunt, ad mediocrem scientiam perueniſſe censent: ſolos ſe ſapientes iactant, ſolos egestatem ſectantes, ſolos dogmatum inuentores, ſibique ſolis ea eſſe patefacta, quæ in nullius vnquam ſub Sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, &c. Non illis diuina veterum Scripturarum claritas pudorem incuſſit: non conſentiens collegarum de Chriſto pia doctrina, horum aduersùs illum audaciam repreſſit. Et Athanaſius l. de Synodis: Nicæni Patres de fide ità ſcripſerunt: Credit Eccleſia Catholica. Et ſtatim confeſſio ipſa adiuncta eſt: vt oſtenderent eam non eſſe nouam ſententiam, ſed Apoſtolicam; & quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed Apoſtolorum documenta. Suggillat mox Euſebianos, qui nouas in dies Synodos poſtularent, quaſi dicerent: Nos, qui maioribus noſtris contradicimus, & præuaricamur patrum traditiones, poſtulamus Synodum congregari. Quæ pluribus deinceps vrget.

21 Epiphanius aduersùs omnes hæreſes expoſitionem fidei non à Synodis repetit, ſed ab Eccleſia Catholica: [Ad ipſam properemus ſanctam Hieruſalem, Chriſti virginem, & ſponſam; baſim, & petram ſolidiſſimam, venerandamque matrem noſtram, & Chriſti ſponſam, &c. Siquidem Eccleſia ab vna fide genita, ac per Spiritum Sanctum in lucem edita, vnica eſt vni, genitricique ſuæ. Tum verò quotcumque poſt illam, vel ante prodiere, pellices nominantur.] Tum ità ingreſſus, Eccleſiaſticæ fidei, & diſciplinæ capita omnia perluſtrat.

22 Chryſoſtomus hom. 52. tom. 5. eos, qui alieno tempore Paſcha celebrarent, ità obiurgat: [Tu non Nicænos Patres tantùm, ſed & Orbem terrarum vniuerſum condemnas, qui ſententiam illorum comprobauit. Et in Epiſt. 1. ad Corint. hom. 43. Sicut conſtitui Eccleſijs Galatiæ, ità & vos facite. Non adducit vnam, aut duas, aut tres ciuitates, ſed totam gentem. Quod quidem facit, etiam in dogmatibus, dicens: Sicut & in omnibus Eccleſijs Sanctorum. Si hoc enim eſt validum ad fidem faciendam dogmatum, multò magis ad facta æmulanda.]

23 Maximus Martyr in diſput. cum Pyrrho. Arguente Pyrrho: [Satis ſint nobis ea, quæ à Synodis dicta ſunt, & ne dicamus vnam, neque duas voluntates. Contrà ex aduerſo dicit: Si ea tantùm confiteri oportet, quæ à Synodis dicta ſunt, nec vnam Verbi Dei naturam incarnatam, quę totam pietatem myſterij complectitur, dicere oportebit, quia non eſt dicta ſynodicè.] Longè plura ergo ſine Synodis definit Eccleſia. Et quamquam & tunc, & ſæpè aliàs ad iugulanda hæreſum monſtra côierint poſtea Synodi vniuerſales: vel tunc nihiloſeciùs hæreticæ infamiæ, & damnationis laqueo implicati fuere, qui ante Synodos priùs animam, quàm errores exuerant.

24 Operæ prętium erit, ſi recentiores quoque è Catholicis aſtipulatores accerſi-gio Tomo XV.

uerimus huius doctrinæ, quæ in omni Theologica re dominatur; atque vna ſufficit, ſi animo penitùs inhæſerit, ad omnes nouellarum hæreſum protelandos, nulloque, vel minimo conatu, propulſandos aſſultus. Familiam ducent Sirmundus, & Petrus Aurelius. Ille quidem: [Ea olim fuit Eccleſiarum inter ſe concordia, & reuerentia, canonumque apud omnes tanta auctoritas, & religio, vt quod Synodo aliqua conſtitutum vſpiam eſſet, idem aliæ ſibi pro re nata imitandum, ſtatuendumque eſſe ducerent, nec facilè quicquam aſpernandum cenſerent.] Quæ non ad morum tantùm, ſed etiam ad fidei regulas ampliandum eſt. Quin immò canones priſcos innouari à recentioribus Synodis, Canones Prouincialium Synodorum à Chalcedonenſibus Patribus commendari, & in arcem œcumenicæ auctoritatis recipi inuenies. At damnatas vel nullis, vel particularibus Synodis hæreſes veteſtas, vel in Nicæna, vel in Conſtantinopolitana, Epheſina, Calcedonenſi, ſexta, ſeptimaue Synodo, rursùm damnari, nuſquam ferè reperire eſt. Otioſum id enim videbatur, eùm Eccleſia toto Orbe diffuſa eam in damnando, vel probando dogmate auctoritatem, qua nulla maior Synodis adeſt, aſſecuta ſit.

25 Porrò ſuprapoſita doctiſſimi viri verba admiratus Petrus Aurelius par. 3. p. 304. addit: [Quod tamen tuum dictum, ſi ego non intra ſolos canones conſtrinxero, ſed ad decreta de fide protendero, & tantum Epiſcopalibus definitionibus honoris habitum affirmaro, vt pleræque hæreſes ſola ipſarum ope, patriarumque Synodorum auctoritate perculſæ, per totum deinceps Orbem, aſſenſu omnium reprobatæ euanuerint, quantumuis multis antea, validiſque propugnatoribus niterentur: reprehenſionem, qua me particularibus Synodis detraxiſſe arguiſti, abundè, ni fallor, obtriuero. Hoc autem & dictum, & probatum habet Sanctiſſimis Patrum teſtimonijs non vno loco, nec paucis verbis.]

Et idem rursùs parr. 1. pag. 33. [Etſi quantum inter generales Synodos, & particulares interſit, numquam neſcierit Eccleſia, Superiorumque temporum Chriſtiani; eas tamen ſummo ſemper iudiſcreto, tantumque non pari honore habitas fuiſſe, quamdiu Eccleſia palàm non intercederet, ex perpetua Eccleſiæ obſeruatione manifeſtum eſt.

26 Quàm fruſtratoria ſit illa alia quorumdam cauillatio, non omnem Epiſcoporum cœtum Synodi nomine dignandum eſſe, nec eius decreta eo loco auctoritatis, & religionis habenda, quo Synodica: alibi operoſiùs demonſtrabitur. Interim idem ibidem Aurelius Epiſtolam defendens conſcriptam à conuentu Gallicanorum Epiſcoporum hæc habet: [Quis vnquam hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo nomine eluſit, quòd diceret, non eſſe infallibilis auctoritatis? Quando ità argumentati ſunt Nouatus, Pelagius, Arius, tot alij hæretici, quos Epiſcopi in Prouincijs primùm damnarunt? Nemo hoc effugio

gio vsus est. Omnes vel obreptum Episcopis, vel sibi calumnias inflictas, vel alias causationes, quibus non particulares solùm, sed generales eriam Synodos ludificari solebant, protulerunt, vel exerto ore, & hæretica petulanria reclamarunt. Non quærebatur illis temporibus, quænam Episcoporum Concilia errori obooxia, quænam certæ veritatis essent. Omnes omnia colebant, omnia venerabantur, vt pastorum vocem, vt magistrorum Ecclesiæ doctrinam, vt eorum, quibus dictum esset; Qui nos audit, me audit. Itàque Priscillianam doctrinam, postquàm à Synodo Cæsaraugustana damnata est; Origenisticam, postquam ab Alexandrina; Eutychianam, postquam à Constantinopolitana sub Flauiano habita; Arianam denique postquam ab Alexandrina, vt alias prætercam, nemo Catholicus hæreses esse negauit, eorumue susceptores hæreticos, etiamsi solis Episcoporum Prouincialium iudicijs damnati essent.

Quod egregiè confirmat Hieronymus in Epist. ad Pamm. Origenis defensores aientes; [Quomodo damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Arium, damnasset vtique & Origenem, si illius dogmata reprobasset: repercutieos hoc responso: Hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Syoodus Nicæna eos non nomioat, quos certè aote Synodum fuisse non dubium est.

27 Et idem rursùs parte eadem, pag. 127. vt particularibus Episcoporum Prouincialium iudicijs subscribat silentio suo Summus Pontifex, subscribat Episcoporum totius Orbis, seu Ecclesiæ Catholicæ vniuersitas, ità declarat: [Ad publicam veritatis proculcationem Ecclesia Catholica, atque io primis Apostolica Sedes silere ooo possee. Noo enim falsum esse vuqnam potest illud de Ecclesia Dei Augustini præconium: (ep. 119. c. 29.) Ecclesia Dei, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, oec approbat, nec tacet, nec facit. Nec verum esse non potest illud verbum Apostoli; Non solùm qni ista faciunt, digni sunt morte, sed etiam qui conseotiunt facientibus. Consentionr autem, dum publicè laboranti, atque oppressæ veritati non succurrunt, qui debet, & qui ad hoc poeissimùm in Ecclesiæ tribunalibus collocati sunt. Ergo cùm quiescunt, probant: cùm patiuntur, decernunt: cùm tacent, clamant. Noo hæresum pleratumque damnationes oon semper expressa, & perscripta Ecclesiæ totius consensione firmatas, & auctoratas fuisse suprà ostendimus. Satis cõsensu tacito clamat Ecclesia, cùm reclamare deberet, si dissentiret. Officio enim deesse, & veritatem prodere vniuersa noo potest.

28 Quibus concinit Melchior Canus de loc. Theol. lib. 5. c. 4. [Nec expedie, nec rolerabile est, singulis hæreticis condemnandis singulas generales Synodos cogere. Cùm ergo Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in oecessarijs, nimirùm ad hæreses priuatas in Pronincijs refutandas, Concilia Prouincialia satis erunt, si erunt modò Summi Pontificis auctorirate roborata. Præterea quoscumque eiusmodi Concilia damnauere, Ecclesia eos semper explosit; errare igitur illa in fide nequeunt. Et infrà: Atque certè nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ, vel silentio, vel etiã implicito conseosu commendantur, si ad Ecclesiæ communem ootitiam perueoerint. Non enim fit aliquo pacto verosimile, vt Concilij Prouincialis toto Orbe vulgati hæresim Ecclesia diu dissimulauerit. Error enim, cui noo resistitur, approbatur.

29 Accedat, & doctissimus vir Duuallus, splendidissimæ toto Orbe Academiæ sidus eximium, part. 2. q. 2. [Plurimi Pontifices varios errores absque vllo generali Coocilio condemnarunt, quorum condemnatio à tota Ecclesia acceptata fuit, vt patet ex primis treceutis annis, quibus nulla vnquam Concilia generalia, propter iugrueotes persecutiones coacta leguntur: cùm tamen multæ in fide quæstiones toto hoc eempore feliciter sopitæ, & deteroiinatæ fuerint per Pontificem definitiones. Nec dicant aduersarij hos errores pro hæresibus habitos non fuisse, donec his defiuitionibus Conciliorum generalium calculus accederet. Falsum enim est, omnibus quotquot fuerunt erroribus à Sede Apostolica damnatis, & qui iam pro hæresibus in Ecclesia habentur, semper accessisse Concilij cuiusdam generalis coodemoatiooem. Quod enim, quæso, Coocilium generale Pelagianos damnauit? &c. Et paucis interdictis: Diligeotissimè itàque obseruandum est, vt aliquod dogma tamquam hæreticum habeatur, non esse necessariam Concilij generalis celebrationem, sed sufficere Summi Pontificis condemnationem, vna cum acceptatione totius Ecclesiæ per Orbem diffusæ. Licèt enim decretum Pontificis, quatenùs ab eo solo promanet, de fide oon sit: cùm eius in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè constet: nihilominùs si hæc condemnatio ab vniuersali Ecclesia, licèt diffusa, & non coacta in Concilio, approbetur, iam nemo citrà fidei detrimentum ei potest contradicere. Est enim de fide, Ecclesiam non tantùm vt congregatam in œcumenico Concilio, sed vt diffusam per Orbem errare non posse.] Multò similiora veri hæc sunt, & antiquitati Ecclesiasticæ consooantiora, quàm quæ suadere nititur Ioannes Gersonios tom. 1. pag. 431. & seq. 585. & seq.

30 Quod autem semel, iteromque iuniores isti Theologi monuere, eum demùm vniuersalem, & infallibilem adsequi auctoritatem Prouinciales Episcoporum Synodos, synodicasque definitiones, cùm Romani Pontificis calculo fuerint approbatæ; id periodè est, ac si dicereot, cùm Ecclesiæ vniuersalis approbatio eis fuerit accumulata. A Romano eoim Pootifice, & ab Ecclesia vniuersali auctorari, vnum, idemque est. Vnus corporis, & capitis outus, vnus assensus. Anouente capite, annuisse voiuersa corporis compago existimatur.

matur. Quod ne leuiter, & persunctoriè dictum, videri queat, ad vetustiores rursùs Theologos deuolui non pœnitebit, & Ecclesiæ adolescentis primæuam quasi iuuentutem explorare: vt tota hæc de rebus fidei definiendi auctoritas iam tum intelligatur, ità vniuersis per Orbem Episcopis communis fuisse, vt & in eos à vertice suo, seu à Romano Antistite defflueret, & in ipso suo fonte principaliter resideret.

31 Et suprà quidem abundè constitit, in Paschæ, Baptismique quæstionibus summam potestatem statuendi, & Ecclesias gubernandi, Victori, & Stephano Romanis Pontificibus vendicatam esse. Illi Synodos toto Orbe haberi iussere; illi antiquitatem, & vniuersitatem in Ecclesijs tueri contra nouitatem, & singularitatem præ cæteris enixi; illi vel territando, vel fulminando, vel dispensando vnitatem, & veritatem inter vniuersos Orbis Episcopos illæsam seruare studuerunt: illis, vt veritatis, & vnitatis cardini, omnes, & spectatissimi maximè Orbis Episcopi, vel benè sentientes adhæsere, vel aberrantes errorem suum excusare conati sunt: illi denique vel tunc, vel postea, Ecclesiam vniuersam ad se pertraxere. Victori suffectus est Zephirinus. Is de mœchis pandenda pœnitentiæ, & reconciliationis ianua sanxit. Reclamatum est à Tertulliano, & alijs delirantibus. Sed tandem omnis Ecclesia obsecuta est. Romano Antistiti, seu Zephirino, seu Victori, siue etiam Eleutherio, alternant enim eruditorum ea in re sententiæ, vt vertici fidei se approbare præ cæteris studuerant Montanistæ, quasi vniuersæ Ecclesiæ ab eo indiuiduæ pace simul potiturí. Ideò Tertull. adu. Prax. de Praxea ipso conqueritur, quòd Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem, coegit literas pacis reuocare iam emissas.

Et antè Marcion, vt ait Epiphan. hær. 42. à Patre suo Episcopo eiectus Ecclesia, vt communionem furaretur; [Romam post Hygini Papæ obitum se contulit, qui à Petro, Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat. Eò statim atque Marcion peruenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant; vt in communionem admitteretur, ab eis frustrà petijt.

Origenes, vt auctor est Eusebius lib. 6. c. 14. [Zephirino Romanam Ecclesiam gubernante se in Vrbem Romam venisse scribit, cùm sibi in votis fuisset, sicut ipsemet alicubi dicit, Romanam Ecclesiam videre omniũ antiquissimam, vel principalissimã.

Idem apud eundem lib. 6. c. 36. Ad Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum, & ad complures alios Ecclesiarum Antistites scribit de rectà fidei suæ ratione, nempè cùm obliquis suspicionibus suam fidem exagitari sentiret.

Vndè Hieronymus in epist. ad Pam. & Ocean. de error. Orig. [Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit.]

Apud Athanasium in epistola de sententia Dionysij Alexandrini Episcopi, quem Sabellio insultantem in aduersum errorem titubasse quidam criminabantur: [Cùm Dionysius Episcopus contra Sabellij hæresim scripsisset, quidem ex Ecclesia rectè sentientes, sed ignari eius causæ, cur ab eo scriptum esset: Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Episcopum accusauerunt. Re comperta Alexandrinus, postulauit à Romano præsule, vt obiecta sibi indicarent, quibus acceptis, opus edidit sub nomine Elenchi, & Apologiæ.

Et mox Athanasius, [Porrò ex Dionysij Romani Episcopi voluminibus contra eos, qui Filium Dei opus, vel creaturam asseuerant, scriptis clarè ostenditur, hæresim Christo rebellium Arianorum non nunc primùm, sed olim iam ab omnibus damnatam fuisse.

Et idem rursùs Athanasius lib. de Synodis, [Duo Dionysij fuere, qui Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præsul erat. Ibi cùm quidam Alexandrinum Episcopum, apud Romanum accusarent, quasi qui Filium opus, & non consubstantialem Patri diceret: Synodus quidem Romæ coacta indignè tulit, Romanus autem omnium sententiam scripsit ad cognominem suum. Ac iam indè ille se ad defensionem parans, libello suo titulum refutationis, & apologiæ indidit. Quis hic non videt Romanum Præsulem in Episcopatu fidei Principem sedere; quoslibet vel Pontificia dignitate, vel eruditionis fama præclariores apud illum accusari, apud illum defendi: in eius communionem adrepere, qui paci Ecclesiarum restitui se cupiunt: Romanam Ecclesiam vt in vertice, & summa luce fidei radiantem, spectaculo esse, & miraculo omnibus Christianis: denique prædamnatum à Dionysio Papa Arij dogma, iam tum detestationi fuisse Orbi Christiano.

32 Synodi illius magnæ aduersùs Paulum Samosatenum Synodica epistola apud Eusebium lib. 7. c. 25. inscripta est Dionysio eidem Papæ, & Maximo, & alijs per Orbem vniuersum Episcopis: & domus ipsa, qua Samosatenus post depositionem suam decedere detrectabat, ab Aureliano Imperatore illis dari iussa, quibus Italiæ, & Romanæ Vrbis Episcopi scriberent. Vbi rursùs Orientales Synodos vides Romano Antistiti communicatas, & per eum Occidentalibus omnibus. Ratum est enim de omnibus Occidentis Episcopis, quod de Carthaginensi ait Augustinus l. 3. contra Crescon. c. 34. [Ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet. Ità non communionis tantùm, sed fidei communis, & Synodicarum definitionum inter Orientis, & Occidentis Episcopos arbiter erat Romanus Præsul; vt nulla decreta Synodica vniuersalem consequerentur Ecclesiæ consensionem, nisi eo auctorante.

33 Sed quid Irenæo illustrius, homine, Græco, & Latinam illustrante Ecclesiam Orientis, Occidentisque concentus intelligatur?

garut? Ille ergo l. 3.c. 3. quamquam illi-nem fidei fontem in omnibus scatere putet, non tantùm Synodis, sed & Ecclesijs, vniuersali Ecclesiæ cohærentibus: vberiùs tamen & magnificentiùs à Romana Sede exundare eam ità prædicant. [Sed quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.] Vides Romanam Ecclesiam, ceu fidei Catholicæ solem ostentari omnibus toto Christiano Orbe conspicabilem, & hanc eius prærogatiuam ex eo accersi, quòd à Principibus Apostolorum Petro, & Paulo sit fundata. Ità & Tertullianus lib. de Præscript. complures Ecclesias enumerat, à quibus sincera fides hauriatur, sed præ cæteris Romanam extollit. [Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas præsto est. Fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.] Ab hac ergo principaliter Cathedra, non Synodo tantùm fidei amussim mutuandam hortatur. Quibus ità accommodata sunt, quæ Augustinus lib. 1. oper. primi contra Iul. c. 2. habet, vt ab ijs diutiùs, nec tanto temporis interstitio quærant. [Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primùm Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? Ità cæteris per Orbem Ecclesijs, Synodisque sua adscribitur elucidandæ fidei auctoritas, vt omnibus Romana superponatur, vt ad quam cæteræ velut tum Carthaginenses, tamquam ad magistrum fidei referantur.

34 Ità & Optatus fidem, voitatemque ab vniuersali Ecclesia repeti suadebat, sed omnibus tamen alijs Cathedram anteponebat Petri, eiusque successorum, quos enumerabat vsque ad Siricum hodie, cum quo nobis totus Orbis, commercio formatarum, in vna communionis societate concordat.]

Itàque consensio cum Romana Cathedra, & consensio cum vniuersali Ecclesia, vna, eademque est: sed quia omnes percurrere longum est, compendio res agitur, vbi vni, cui omnes inhærent, inhæretur.

Ità & Hieronymus suprà Vigilantio opprobrabat consensum Orbis totius Episcoporum, ante alios, & instar omnium Romani.

In epistola ad Demetr. ab Anastasio, ab Innocentio Apostolicam Cathedram tenentibus, fidem defensatam, fidem aiebat ediscendam.

In Apolog. aduersùs Ruffinum, non posse Episcopos Orbis suscipere, quod Roma, quod fides Apostolica condemnasse.

Et rursùm alijs locis suprà allatis, damnatum ab Episcopis cæteris Origenem, sed Anastasij Papæ literas hæreticum toto Orbe persequi: de sua in fide concentu cum Cathedra Petri Alexandrinam Ecclesiam gloriari.

Et Theophilus Episcopus Alexandrinus in sermone ad Monachos, vt refertur in Edicto fidei à Iustiniano Imperatore. [Quare, inquit, anathematizantes Origenem, cæterosque hæreticos, sicut nos, & Anastasius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobilissimi Populi Dux creatus est: quem & vniuersa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur Synodus, quæ accepit, ac probauit Alexandrinæ Ecclesiæ sententiam in impium latam.

Ità Augustinus, ità Prosper in testimonijs suprà aceruatis, Synodos quidem in Oriente, & in Africa habitas non tacebant: sed summam victoriam, & gloriæ palmam de Pelagianis reportatam vni Apostolicæ Cathedræ adsignabant. Ambrosij, & Ferrandi suffragia erant lucidissima pro Romanæ Ecclesiæ principatu in fide dictanda.

35 Rursùm Augustinus epist. 157. laudat epistolas, siue quæ specialiter ad Afros, siue quæ vniuersaliter ad omnes Episcopos de memorata Sede manarunt. Ad omnes Episcopos enim fidem dictare, non Africanarū erat quamuis vniuersalium Synodorum, sed Sedis Apostolicæ. Itàque consensus ille, quo vniuersalis Ecclesia Synodis particularibus subscribit, aptus, religatusque est ab assensu Sedis Apostolicæ, ab eoque indiuiduus.

Vndè Innocentius ad PP. Conc. Mileu. [Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio: quod per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.] Cui subiunge Facundum, vel Græcorum potiùs Antistitum ipsos apices, qui in dubio tum adhuc de tribus capitulis conflictu, hoc vno se patrocinio tutos putabant, ne Chalcedonensi Synodo, fideique, quid derogasse viderentur, quòd Sedem Apostolicam, quòd Vigilium consuluissent.

Lib. 2. cap. 6. [Et adhuc dicunt, quòd de tanta ſua præſumptione Eccleſiam quoque Romanam conſuluerunt, & nunc ſententiam B. Vigilij Præſulis eius expectent.]

Nec dubitat Facundus Vigilium prædeceſſoris ſui Leonis decreta firmaturum, & ità fidei, atque Eccleſiæ vniuerſali conſulturum. [Experientur quantùm illos ſua ſuſpicio fefellerit. Quia ille non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potiùs in defenſionem, atque vltionem, primam accepit, & maximam poteſtatem: nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus cæteris ſuis conſacerdotibus poteſt.

Vide & lib. 4. c. 3. Vbi perſpicis primã, maximamque poteſtatem, & præ cæteris Conſacerdotibus in veritatis defenſionem, & vltionem, quà in Oriente, quà in Occidente, datam Romanæ Sedi, & Græcos, & Latinos eum conſenſiſſe. Similiter penè alibi ſuprà Vincentius Lirenſis teſtabatur Stephanum Papam errori cum cæteris, ſed tamen pre cęteris reſtitiſſe; dignum enim exiſtimaſſe, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci auctoritate ſuperabat. Itàque ipſum ſanxiſſe, ne quid nouaretur. Totam enim Eccleſię perſonam, vt potè eius caput ſuſtinebat: & velut os Eccleſię, ſanciebat. Et rursùm Sozomenus lib. 6. c. 21. flagrante apud Orientales controuerſia de SpiritusSancti Deitate; & in dies magis, magiſque adoleſcente: Athanaſio, Baſilio, Gregorio rectam fidem contra Macedonianos ſtrenuè propugnantibus: [Epiſcopus Romanus de ea contentione certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, vt vnà cum ſacerdotibus, & Epiſcopis Occidentis Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto, ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, & hæc controuerſia finem habere viſa eſt.] Et Euagrius lib. 3. cap. 18. geſta ſynodi Chalcedonenſis breuiſſimo perſtringens compendio, inter cætera hæc habet: [In vnum rursùs congregati Epiſcopi primùm reſponderunt ad rogatum Principum, de vera, rectaque fide doceri cupientium. Deindè dixerunt, non debere quidquam amplius de cauſa Eutychis ſemel ab Epiſcopo Romano concluſa, definitaque ſtatui. In quam ſententiam omnes quaſi pedibus ierunt.] Et rurſum Arnobius in conflictu cum Serapione: [Apoſtolicæ recordationis vir ſanctus Cyrillus Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus, cùm cognouiſſet Neſtorianum dogma contrarium fidei pullulare, ſcripſit per totam Ægyptum: & ad ſanctum Cæleſtinum Apoſtolicæ recordationis Antiſtitem ſcripſit, dicens, ad laudem ſuam pertinere, ſi ab eo, qui Pontificatus arcem tenebat, fuiſſet aliquid emendatum. Sanctus verò Cæleſtinus ità encomiaſtes eius extitit, vt in Neſtorium damnationis dictaret ſententiam.] Et Synodi Mopſueſtenæ patres teſtantur, ſynodica geſta ſe Imperatori [nota facturos, & in omnibus ſanctiſſimo, beatiſſimoque antiquioris Romæ Papæ.] Vt refertur ſynodi 5. act. 5. Et in eorum ſuggeſt. ad Vigilium Papam: [Decebat, cùm primam inter ſacerdotes dignitatem ſortiti eſtis, ſanctiſſimè, ea quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ diuinitùs honoratæ beatitudini fieri.]

36 Quibus hæc teſtium copia non ſatis eſt, neſcio quid ſatis ſit. Conſtat enim abundè tot teſtimonijs, Eccleſijs, Epiſcopiſque omnibus ſiue ſynodicè, ſiue extrà ſynodos, ſola execratione nouitatis hæreſes exorientes damnantibus, vel præiſſe, vel acceſſiſſe, vel ſucceſſiſſe Sedem Apoſtolicam, & ſummum auctoritatis pondus, & vim ineluctabilem, atque vniuerſalem adiecíſſe. Si quid aliæ Eccleſiæ, ſynodiue perficere non poterant, ipſa afficiebat: ſi quid effecerant, perficiebat: ſi quid priuatim ſanxerant, id ipſa toto orbe Catholico authorabat. Nihil inuidiæ, nihil contentionis ſtrepebat. Nunc quod cæteræ ſequerentur, ipſa dictare occupabat, certa de membrorum ſuorum conſenſu, & obſequio. Nunc reliquas in impietatis apud ſe exortæ damnationem præcurrentes, ipſa lubens ſequebatur, confirmabat, & ſin minùs tempore, certè conſenſu, dignitate, auctoritate antecedebat. Ità ſiue præfinirent alię ſynodi, quod, vt aiebat Proſper, regna ſequerentur, tum demùm, cùm Roma probaſſet; ſiue præciperet Romana Eccleſia fidem omnibus amplectendam ſcribere; plerumque temporis, ſemper auctoritatis ordine caput membris anteibat. Cùmque fides commune ſit Eccleſiarum omnium decus, non poterat illa à priuatis, vel Eccleſijs, vel Concilijs ſanciri, niſi præſumpto, vel adhibito conſenſu, ſuffragioque Principis Eccleſiæ, cuius vnius ius erat confirmare, & promulgare, quod omnes Eccleſiæ ſequerentur.

37 Quod ergo hodiè quidam mirantur, inaniter mirantur, in definiendis fidei quęſtionibus ſolam nunc ferè conſuli, ſolam audiri Romanam Eccleſiam. Nihil noui, nihil inuſitati eſt in re iſta. Etſi enim variatum aliquid ſit in cortice, in receſſu tamen ſimillima erat vetus diſciplina. In cauſa Paſchatis ſolus emicat Victor. In cauſa baptiſmi hæreticorũ ſolus Stephanus. In cauſa mœchorum, ſolus Zephirinus. In cauſa Dionyſij Alexandrini, ſolus Dionyſius Romanus. In cauſa Donatiſtarum, ſolus præ cæteris Miltiades. In cauſa Athanaſij, ſolus Iulius. In cauſa Arianæ hæreſeos, ſoli Romani Præſules Occidentem in fide retinent, Orientem ad fidem reuocant. In cauſa Macedonij, ſolus ante cæteros Damaſus coruſcat. Iouinianum, vnus Siricius confodit, eius iudicium ſequitur cum alijs Ambroſius. Origenem, primus Anaſtaſius toto orbe hæreticum perſequitur, Theophilus, alijque Petri Cathedræ ſe hærere geſtiunt. Pelagium, præ Concilijs Africanis, Pontifices Romani Innocentius, Zozymus, Bonifacius, Cæleſtinus, Sixtus confecere, teſte Auguſtino, & Proſphero. Neſtorium, primus impetiuit Cyrillus, ſed ille ipſe Cæleſtino proſternendum reſeruauit. Cæleſtino Neſtorium, Leoni Eutychetem damnanti, Epheſina & Chalcedonenſis ſynodi, nihil aliud, quàm ſubſcribere ſe teſtificatæ ſunt. Eodem ergo

go

go res redit, siue Romanam Ecclesiam alię præeuntem sequantur, siue eius securæ, & assensuræ fiducia præeant, nisi quod illud securius. Atque vt vno verbo absoluam, siue Ecclesia vniuersalis, siue synodus œcumenica, cùm hæc illius repræsentatio sit: afficiuntur, & reguntur eodem prorsùs modo; vtrique fidem suam propinat, vtriusque vel consensionem tacitam, vel confessionem expressam confirmat Sedes Apostolica, vtrobique vt caput membris anteire censenda.

38 In dubijs tamen, & implicatioribus quibusque de nouo emergentibus causis Apostolicam primùm sedem consuli moris antiqui fuit. Innocentius I. epist. 4. [Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta maiorum; omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus, referre: vt consulta videlicet Sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubijs certum aliquid faciendum pronunciet.] Leo I. epist. 84. [Si fortè inter ipsos, qui præsunt, de maioribus, quod absit, peccatis, causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere: & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.] Hæc ille ad Anast. Epis. Thessalon. Et Ioann. VIII. epist. 93. ad Episc. Arelat. [Si qua inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ difficiliùs discerni possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur, atque decidatur. Sin autem decidi nequiuerit, discussa veritate, ad nostrum iudicium referatur.] Idem & alij sanxere Pontifices. Et illæ sanè synodicæ consultationes, quarum fidem facit Hieronymus, quæ ex Oriente, & Occidente Romam missitabantur, argumento sunt, quam toto ex orbe non Episcopi singulares modò, sed synodi amarent de rebus vtique dubijs Sedem Apostolicam percontari. Consule Siricij, & Innocentij, aliorumque deinceps Pontificum epistolas, istiusmodi percontatoribus rescriptas, & ex ijs coniectura fit de anteriorum etiam literis Pontificum. Constautém vbique, & inueteratum morem animaduertes, non in fidei modò, sed in disciplinæ ambiguis Cathedram Petri interrogari. Quod ex veteri quoque instrumento mendicatum videri potest. Deuteron. cap. 17. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore. Quęresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, &c. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto Iudicis, morietur homo ille &c.]

39 Postremò denique ex congestione tot suprà testium illud liquidò fulgebat, quàm esset maioribus nostris persuasissimum, quibuscumque Episcoporum cœtibus, & decretis synodicam, & inuiolabilem inesse auctoritatem, quamdiu prima sedes, siue Ecclesia vniuersa non intercederet. Quid enim attinet anxiè rimari, an conuentus illi Episcopales synodaliter se gesserint, synodique nomine donandi sint, cùm etiam synodi nullæ ad complures hæreses proterendas sint coactæ? Num sine synodis, non idem est Ecclesiarum, & Episcoporum sensus, & consensus, eadem cum ipsis collegarum omnium conspiratio? Cùm apud Eusebium vnius Episcopi literis, vel paucorum Episcoporum synodo longè plurimi subscribunt alij per orbem Antistites, num ibi aliud, quàm Episcoporum sententiæ conspirantes spectabuntur? Item apud eumdem cùm Dionysius Alexan. Nepotis deliria refellebat, [conuocatis presbyteris, & Doctoribus, qui fratribus per vicos præerant?] Vtcumque Episcopi conueniant, vel non conueniant, nisi Spiritu, num Apostolorum successores, num Apostolicæ traditionis propagatores, num ipsorum Ecclesiæ Apostolicæ, vel ab Apostolicis matricibus deriuatæ, ac per hoc, & ipsæ Apostolicæ non sunt, vt iure meritissimo illorum, & illarum fidei incumbatur, iuxta Irenęum & Tertullianum? Apud Cyprianum: Romanæ Ecclesię viduatę Clerus Synodicis consultationibus respondet; & causas vniuersales Ecclesiarum administrat. Cyprianus ipse hinc augurattur labascere omnia, & retro sublapsa referri, quòd sacerdoti Dei, quòd collegio sacerdotum mos non geratur: hinc hæreses, hinc schismata. Pacianus, & Optatus similiter non synodos crepant, non collectiones Episcoporum ad legum amussim accuratas, sed sacerdotes, sed annosos Episcopos, sed Ecclesiæ castitatem, sed concentum omnium inter se sacerdotum per orbem, & cum radice vnitatis, Cathedra Petri.

40 Hieronymus omnibus hæreticis, non Romanas, non alias Synodos obiectat, non synodorum gesta rimatur, sed Præsulis Romani, & aliorum Episcoporum mores imitandos suadet, qui martyrum reliquias venerantur: Innocentij fidem tenendam, qui Apostolicam Cathedram tenet: Anastasium sequendum, qui Apostolica sollicitudine sibilantia Hydræ ora compescuit, qui literis suis hæreticum toto orbe persequitur: si vel Romani, vel alterius cuiuslibet Episcopi, vel parua schedula aduersùm se proferretur, omnia illicò à se recantatum iri: & id genus alia complura. Num Episcoporum sententias, nisi synodicè proferantur: num synodos, nisi ad solemnes regulas sint elimatæ: num definitiones, nisi communibus votis conscriptas aspernaturum se, vel aspernari quemquam Catholicum posse innuit? Num examinatorum, & gesta, & vota singula examinaturum, ponderaturum, numeraturum, & subductis calculis huc, vel illuc inclinaturum se, vel quemquam alium sobrium virum significat? Quid Augustinus aduersùs Pelagianos quasi non discusso negotio audientiam postulantes, & œcumenicam Synodum? Respondet synodis opus non esse, examen Episcopale sufficiens datum esse, cum quatuordecim Orientales Episcopi, & plures Africani sen-

ten-

tentiam dixissent: sedem Apostolicam rescripsisse, litem proindè finitam esse. Synodi Romanæ rarus, aut nullus meminit, suffragia consultorum nusquam numerat, epistolas Pontificum Innocentij, Zozymi solas ostentat, etiam ad omnes orbis Episcopos datas. Quid Iouinianum Siricius? [Facto presbyterio illum damnatum ait, nam omnium nostrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri, vna suscitata sententia est, &c.] Et protinùs rescribit Ambrosius, quos sanctitas eius damnasset, secundùm eius iudicium à se quoque, suaque synodo damnatos. Procul exultabant, vt vides, cauillationes, procul tricandi libido, procul morositas. Episcopali auctoritati, & sententiæ inconstanter à Catholicis subscribebatur; nec id sibi sumebant fideles, vt de iudicibus suis iudicarent. Ex superiori aggere auctorum, plura huc referes & coaptabis; genus ipsum indigitasse sufficiet.



DISSERTATIO V.

In Synodum Ariminensem Ann. 359.

SYNOPSIS.

Illud Hieronymi, Ingemuit Orbis, & se esse Arianum miratus est: *nihil officere Ecclesiæ Catholicæ vniuersalitati: nec enim posteriorem etiam illam Ariminensem Synodum, vel synodi partem hæresi consensisse, sed dispensationi seruisse, ex Athanasio, Hieronymo, alijsque Patribus palàm fit aduersùs hæreses antiquas, & nuperas. Vsque ad num. 11.*

Illo ipso tempore ostenditur mira fuisse paucitas Arianorum, præ multitudine Ecclesiæ Catholicæ. De consubstantialis voce differitur, quæ quandoque aberat à confessionibus Catholicis: item de communione Ecclesiæ Catholicæ, cui perdiu Ariani intermixti fuere. Ad num. vsque 12.

Deinceps de Lucifero Calaritano Episcopo pauca disceptantur. Ecqui illum à schismatis infamia absoluere fas sit. Regulæ dispensationis ex Iuone Carnotensi promuntur: iuxtà quas eadem quandoque facta, vel easdem personas, putà Ariminenses Patres, nunc alij, & alij, nunc ijdem ipsi ex Patribus accusant, & excusant: vituperant & laudant: citrà rerum, & sententiarum, etsi non citrà verborum conflictum.

1 DE ea parte priore Ariminensis Concilij, quæ strenuè Nicænam fidem, & cõsubstantiale propugnauit, quamdiù incolumis ei libertas constitit: nec verbum vllum faciam, quòd nihil de ea ambigatur. At posteriorem, de qua Hieronymus Dial. aduers. Lucifer. dixit, [Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est:] paucis hîc perstringam, quod eo velut ariete soleant Nouatores Ecclesiæ toto Orbe diffusæ vniuersitatem impetere; nec omnibus Catholicis satis expeditę sint rationes huius machinæ retundendæ. Atque vt ab Hieronymo ipso exordiar, sic ille rem ab ouo, vt ità dicam, orditur. [Sub Rege Constantio, Eusebio, & Hippatio Consulibus, nomine vnitatis, & fidei infidelitas scripta est, vt nunc agnoscitur. Nam illo tempore, nihil tam pium, nihil tam conueniens seruo Dei videbatur, quàm vnitatem sequi, & à totius Mundi communione non scindi. Præsertim cùm superficies expositionis nihil iam sacrilegum præferret?] Itaque is erat scopus piorum omnium, vnitatem sequi, & à totius Mundi communione non scindi. Ideò amplexi sunt tandem Ariminenses Patres confessionem, cuius superficies nihil sacrilegum præferebat, in cuius medulla nihil veneni suspicabantur. Quid non hîc orthodoxum?

2 Pergit porrò confessionem ipsam Ariminensem expendere. [Credimus, aiebant, in vnum verum Deum, Patrem omnipotentem. Hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, & ante omne principium natus est ex Deo. Natum autem vnigenitum solùm ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suò secundùm scripturas, &c. Numquid hîc insertum est, erat tempus, quando non erat? vel, de nullis extantibus creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum aiebant vnigenitum, solum ex solo Patre. Quid est natum? Certè non factum. Natiuitas suspicionem auferebat creaturæ. Addebant prætereà, qui de Cœlo descendit, &c. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat.] Sonabant hæc omnia pietatem, & Catholicum dogma sapiebant, Arianicum iugulabant.

Et rursùm ibidem Hieronymus: [De vsiæ verò nomine abijciendo, verisimilis ratio præbebatur. Quia in scripturis, aiebant, non inuenitur: & multos simpliciores nouitate sua scandalizat. Placuit auferri. Non erat curæ Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto.] Quid apertiùs? Sola vox abiecta, probabili de causa: nec curæ fuit de vocabulo, cùm fides esset in tuto. Ergo Episcopi à fide Catholica non vnquam delirarunt.

3 Sed cùm fraudem fuisse in expositione rumor populi ventilaret, iterùm, iterùmque Valens applaudente synodo anathemata complurima ingeminauit in eos, qui dicerent Filium non esse æternum, Patri similem, esse de nullis extantibus, esse creaturam, vt sunt cęteræ creaturæ, & id genus alia: professusque est, se Arianum non esse, & penitùs ab eorum blasphemijs abhorrere:] Hæc Hieronymus ex actis ipsius Concilij, qui & addit: [Supersunt homines, qui illi synodo interfuere.] Et tandem. [His ità gestis Concilium soluitur. Lęti omnes ad Prouincias reuertuntur. Id enim Regi, & bonis omnibus curæ fuerat, vt Oriens, atque Occidens communionis

sibi

sibi vinculo nectenerentur.] Patet nullam synodo placuisse perfidiam. Si quid autem Valens fraudulenter reconderet, id Patribus minimè suspicantibus affingi non posse.

4 Pergit rursùs: [Sed diù scelera non latent. Et cicatrix malè obducta, incocto purè dirumpitur. Cœperunt postea Valens, & Vrsacius, ceterique nequitiæ eorum socij, egregij videlicet Christi sacerdotes, palmas suas iactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cęteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen abolitum est. Tunc Nicęnæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est. Igitur alij intrà suam communionem remanere. Alij ad eos confessores, qui sub nomine Athanasij exulabant, cœperunt literas mittere. Nonnulli initam societatem meliorum desperatione planxerunt. Pauci verò, vt se natura hominum habet, errorem pro consilio defensauere. Periclitabatur nauicula Apostolorum, &c.] Scelera plangit Hieronymus, sed Valentis, & Vrsacij, & sociorum, qui recondita fraudulentia imposuerant synodo. Non vulnus ait à synodo inflictum Ecclesiæ, sed vulneri priori cicatricem malè obductam, quòd latentem sub innocuis vocibus fraudem non essent odorati. Ingemuisse Orbem ait, & miratum se esse Arianum, nempè quòd id nouum, id præter mentem, & voluntatem suam esset; imò quòd impossibile id esset, & tamen ità esse specie tenùs videretur, ob fascinationes Arianorum, quibus ità synodum excantauerant, non vt ipsa Arianæ perfidiæ assentiretur, sed vt eos ab Arianismo resipuisse existimaret. Ideò hac fraude periclitabatur Nauicula Apostolorum, non mergebatur; mergeretur autem, si quadringenti Occidentales Episcopi à fide desciuissent, à qua permagna Orientis pars iam defecerat.

5 Et perspicuè Ariminenses Episcopos à Catholica fide, nec transuersum vnguem deuiasse, idem mox docet. Post mortem enim Constantij, restituto in suam Sedem sub Iuliano cum cœteris Confessoribus Athanasio; [Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia, hęretici ferebantur: contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putauimus, aiebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, vbi simplicitas, vbi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labijs proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati sacerdotes Christi aduersùs Christum pugnare. Multaque alia, quæ breuitatis studio prætereo, flentes asserebant: parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.] Quid his verbis eliquatius? Vbique elucet non Arianorum partibus suffragatos Episcopos, sed ab ijs resilire Valentem cum socijs, arbitratos esse: eorumque verba confessionis, vt sonabant, ingenuè, & simpliciter interpretatos esse, latitantes autem eorum erroris sinus, nec deprehendere potuisse, nedum approbare.

6 Et rursùs: [Quid à Confessoribus agendum putauerint? Depositis, inquit, veteribus Episcopis, nouos ordinassent. Tentatum est. Sed quotusquisque benè sibi conscius patitur se deponi? Præsertim cùm omnes populi, sacerdotes suos diligentes, penè ad lapides, & ad interemptionem deponentium eos conuolauerint. Mansissent, aiunt, intrà suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate totum Orbem diabolo condonassent. Cur damnassent eos, qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes benè, obstinatione sua facerent Arianos?] Et infrà: [Post reditum Confessorum, in Alexandrina postea Synodo constitutum est, vt exceptis auctoribus hęreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur. Non quò Episcopi possent esse, qui hæretici fuerant: sed quòd constaret eos, qui reciperentur, hæreticos non fuisse. Assensus est huic sententiæ Occidens: & per tam necessarium Concilium, sathanæ faucibus Mundus ereptus est.] En quàm inculcatè asserat, Episcopos Ariminensis Concilij hæreseos conscios non fuisse, benè credidisse, in concordia fidei permansisse, Arianos non fuisse, hæreticos non fuisse. Ergo cùm Orbis miratus est se esse Arianum, rem inauditam, & impossibilem miratus est, fuco, & astu Arianorum illusam, quasi esset, cum reapse non esset.

7 Non suam tantùm sententiam Hieronymus ibi profert, sed Athanasij, sed Alexandrinæ sub eo synodi, sed Occidentis, & Orientis vniuersi, qui synodo illi suffragatus est, vbi Episcopi suis sedibus reddiri sunt, quòd constaret eos hæreticos non fuisse. Sed audiatur Athanasius ipse ad Ruffinianum ità scribens: [Scias, quòd in principio quidem, cùm vis, quæ facta est, cessasset, facta est synodus, præsentibus ex partibus externis Episcopis. Facta est autem, & apud sacrorum comministros, qui habitant in Græcia: nihilosecius autem, & apud eos, qui habitant in Hispania, & in Gallia. Et placuit hoc, quod hic, & vbique: vt ijs quidem, qui lapsi sunt, impietati autem præsunt, venia quidem detur pœnitentibus, ac resipiscentibus, locus autem cleri non detur. Illis autem, qui impietatis auctores non fuerunt, sed vi, & necessitate tracti sunt, visum est dari veniam, habere autem etiam locum in clero: maximè quia probabilem defensionem attulerunt: & visum est hoc quodammodo, œconomico consilio factum esse. Affirmarunt enim, se non fuisse ad impietatem traductos; ne autem quidam à pietate longè alienissimi Ecclesias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere. Hoc autem dicentes, visi sunt etiam nobis probabiliter dicere; quod ipsi in excusationem adducerent, Aaronem Moysis fratrem in deserto prænaricationi populi consensisse; se autem hac ratione defendisse, ne populus in Ægyptum reuersus in idololatria permaneat. Probabile enim

enim videbatur, quòd in deserto manentes, possent ab impietate desistere: Aegyptum autem ingressi, perpetuarent, & augerent impietatem.] Hæc Athanasius, qui & ipse defensioni patrocinatur, qua se tuebantur Episcopi Ariminenses, prouida scilicet dispensatione Arianis se tum communicasse, ne si id pertinaciùs recusarent, exturbarentur suis Ecclesijs, & in eas Ariani irrumperent, virusque suum impunè deinceps, & latissimè disseminarent. Porrò Gallicanis, Hispaniensibus, & Græcanicis Synodis idem visum testatur. Ergo probabilis hæc fuit dispensatio, non Arianica perfidia, qua Orbis ingemuerit se esse Arianum. Vt enim notat Balsamon in hanc epistolam, exterior tantùm hæc fuit Catholicorum, & œconomica cum Arianis communicatio, non consensio in eorum vesaniam. Extat, & apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. epistola Damasi Papæ, Synodique Romanæ Episcoporum nonaginta, qua perhibetur contestatos esse Ariminenses Patres, se vim passos esse, nec se cogitasse suam fidei formulam sententiæ Nicæni Concilij aduersari.

8 Vbi ergo sancti Patres Ariminensibus Episcopis defectionem à fide videntur affingere, pingui loquuntur minerua; & communionem pro fide accipiunt, reique non veritatem, sed speciem ab Arianis iactatam prosequuntur. Augustinus epist. 50. dispensationis Ecclesiasticæ preconia ingeminans; [Sic multitudinibus per schismata, & hæreses pereuntibus subuenire consueuit. Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis, atque sanandis, qui veneno perierant Ariano.] Ambrosius in cap. 6. Lucæ: [Nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in Ariminensi Concilio perfidę præuaricationis auctores, dum Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt?] Liberius epist. 11. ad Orientales; [Omnes illi ferè Episcopi, qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus, inescati illecebris, vel vi compulsi, à fide tum quidem desciuerant: nunc tamen ad sanam mentem reuersi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini congregatis editæ anathema denunciarunt, & fidei Catholicæ, & Apostolicæ Nicęæ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum iam vnà communicant.] Façundus Hermian. lib. 5. cap. 3. [Multò plures apud Ariminum in Arianum dogma fuerunt subacti, opprimente Constantio, & in Ariminensi Concilio multi Ariano dogmati cohibentes, tres diuersas eiusdem sanctæ Trinitatis mentiri sunt esse naturas.] Et lib. 12. cap. 2. [Nusquam coactum Concilium, nisi falsitati subscripsit, sicut in Arimino factum est, Constantio compellente: & apud Ephesum opprimente Dioscoro.] Et Basilius epist. 52. [Omnia secum habentes, quæ in Arimino gesta sunt, ad ea dissoluenda, quæ illic per vim facta sunt.] Patres alios, synodosque parco accumulare, à quibus anathema illisum est posterioribus Synodi Ariminensis gestis.

9 Hos tamen Patres, has synodos haud equidem prioribus Patribus, Synodisque conflictari existimarim. Nam vnus sanè secum consentit saltem Athanasius. At is lib. de Synodis Ariminensi, & Seleuciensi, & in epistolis compluribus, posteriora Ariminensis Synodi, vt Nicęnæ Synodo aduersantia repudiat, conspuitque. Et idem tamen probabilem dispensationem hanc fuisse supra interpretatus est cum Synodo sua Alexandrina. Ergo inter hæc nulla conflictatio imaginanda est. Etenim si sententiam animi, si fidei medullam, si sensum Episcoporum Ariminensium introspicias, omnia hæc Catholici dogmatis tenacissima semper fuere. Si speciem rerum extimam, si fucum ab Arianis factum, si rumores ab illis sparsos, si communionem exteriùs initam, Arianicum his omnibus venenum erat superfusum. Itaque Catholici Episcopi tam clementer excipiendi fuere, quàm qui à Nicæna fide numquam descissent, & probabili vsi essent dispensatione. At decreta Ariminensia per fraudem, & ludibrium Arianorum expressa, ità fulminanda fuere, vt quæ Arianicæ perfidiæ virus clam alerent. Vtque fides, vel ab inuitis extorqueatur, audi rursùm pauca ista ex epist. Parisiensis Synodi sub Hilario ad Orientales Episcopos scripta: [Nam plures numero, qui Arimini affuerunt, sub auctoritate vestri nominis, ad Vsiæ silentium sunt coacti: quod verbum à vobis quondam contra Ariomanitarum hęresim inuentum, nobis semper sanctè, fideliterque susceptum est.] Et infrà: [Itaque charissimi, cùm ex literis vestris fraudem se passam in Vsiæ silentio simplicitas nostra cognoscat, &c. nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam perperàm gesta sunt, referimus, &c.] Itaque non hæresi se consensisse, sed fraudem se passos testantur; verba enim sibi data, quasi Orientales Catholici in Vsiæ vocabuli silentium, dispensationis ergo, assensi essent; ideòque & se per simplicitatem, & ignorantiam in idem annuisse. Quin & ipse Hilarius ibidem in fragmentis paulò ante, suo more illud, quod Valens Arimini confessus erat, & quo Catholicos Episcopos pertraxerat, Filium non esse creaturam, vt ceteras creaturas, illud inquam Catholicè dici vendicat. [Respondistis sanctis Ariminensibus non Christum creaturam negatum fuisse, sed dissimilem ceteris creaturis, &c. Quasi verò vlla creatura alijs sit similis, vt Angelus homini, homo aui, auis pecudi, &c.]

10 Audiendus rursùm Sulpitius Seuerus lib. 2. hist. [Legatos Ariminensis Concilij ex parte nostrorum compellit Imperator vniri hæreticorum communioni: eisdemque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus inuolutam; quæ Catholicam disciplinam, perfidiâ latente loqueretur. Namque Vsiæ verbum, tamquam ambiguum, & temerè à Patribus vsurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne vnius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium fatebatur. Sed interiùs aderat fraus parata, vt esset similis, non esset æqualis.] Fidei subscriptum vides, non hæreticæ, [sed ver-

verbis fallentibus inuolutæ, quæ Catholicam disciplinam, perfidia latente, loqueretur.] Itàque hæresi non consenserunt, quam nec suspicati sunt. Et mox: [Valens, & Vrsatius affirmantes præsentem fidem Catholica ratione conceptam, ab Orientalibus Imperàtore auctore prolatam, cum piaculo repudiari: Et quis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret. Postremò si quid minus plenè præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent; præbituros se in his, quæ essent adiecta, consensum. Fauorabilis professio pronis omnium animis excepta: nec vltrà nostri repugnare ausi, iam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptæ à Fægadio, & Sernatione professiones edi cœpere: in queis primùm Arius, totaque eius perfidia damnatur: cæterùm non etiam Patri æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius pronunciatur. Tum Valens tanquam nostros adiuuans, subiecit sententiam, cui inerat occultus dolus, Filium Dei non esse creaturam sicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantùm cæteris pronunciabatur. Ità neutra pars vicisse se penitùs, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arianis, professiones verò postea adiectæ pro nostris erant: præter illam, quam Valens subiunxerat, quę tum non intellecta, serò demùm animaduersa est. Hoc verò modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum.] Vbique elucet circumuentos fuisse Catholicos Episcopos, non vt hæresi annuerent, sed vt ab ea Arianos resipuisse crederent: vt latentes in eorum professionibus insidias serò nimis animaduerterent: denique non vt fidem, sed vt communionem cum versipellibus consociarent. Tuncque ingemuit orbis se esse Arianum, non fide, aut perfidia potiùs, sed vt ipse Nouatorum primipilus concinit, lingua & communione.

11 Quàm non inaniter autem desudatum à nobis sit in hac parte, tum intelliges, cùm audieris, quantum sibi præsidij olim Pelagiani, Donatistæ, alijque hæretici collocatum esse putauerint in hac Ariminensi defectione, & germanorum nunc Catholicorum mira, vt ipsi somniant, paucitate. Huc enim sexcenties confugere, cùm suam illis paucitatem exprobraret Ecclesiæ Catholicæ Orbem vniuersum implens maiestas. Ideò Iulianus lib. 1. num. 7. apud August. in vlt. opere aduersùs eum edito, ait: [In synodo Ariminensi vehementiùs claruisse, quid apud plumbeos animos, vel ambiguitas verbi, vel comminatio noui vocabuli possit sceleris obtinere. Nam cùm sub Ariano Principe vir magnæ constantię, fideique sanctissimæ Athanasius Alexandrinus Episcopus, dilapso à fide Apostolorum omni penè mundo, & impietatis temporibus obstitisset, atque ob hoc in exilia coactus esset: de sexcentis, & quinquaginta vt fertur, Episcopis, vix septem inuenti sunt, quibus chariora essent Dei pręcepta; quàm Regis: videlicèt vt nec in Athanasij damnationem conuenirent, nec Trinitatis confessionem negarent. Illa verò omnis deiectorum pectorum multitudo, extra iniuriarum metum, hac est potissimùm vel nominis comminatione, ne Athanasiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta.] Ouat in his verbis, & hinc suis partibus supplaudit Iulianus, quòd & olim dilapsus à fide Apstolorum esset omnis penè mundus, & de sexcentis, & quinquaginta Episcopis vix septem defectionis immunes fuissent. Similiter & Donatistæ, vt docet Augustinus epist. 48. paucitati suę hinc patrocinia captabant, & Hilarij ipsius verba prætexebant sibi, qui in suorum temporum calamitatem ità destomachabatur, quasi fides, & Ecclesia de terris perisset.

12 Vt ergo & antiquis, & nuperis hæreticis ora obstruantur, præter superiùs de Concilio Ariminensi disceptata, quæ longè aliter sanè habent, atque illi ineptire solent: & abundè produnt, ne tunc quidem corruisse fidem multitudinis Episcoporum: operæ prætium est, vniuersalitatem Ecclesię Catholicę illis ipsis temporibus demonstrare, & præ ea Arianorum paucitatem. In primis autem Augustinus offusas popularibus præiudicijs nebulas difflabit epistola suprà laudata, in hunc modum. [Si aliqua in his verbis diuinis distributio facienda est, fortassè non frustrà dictum sit de semine Abrahæ, sicut stellæ cæli, & sicut arena, quæ est in litore maris: vt in stellis cæli pauciores, firmiores, clarioresque intelligantur: in arena autem maritimi litoris magna multitudo infirmorum, atque carnalium. Quæ aliquando tranquillitate temporis quieta, & libera apparet: aliquando autem tribulationum, & tentationum fluctibus operitur, atque turbatur. Tale tunc erat tempus de quo scripsit Hilarius, vnde putasti insidiandum contra testimonia tot diuina, tamquam perierit Ecclesia de Orbe terrarum. Potest hoc modo dicere, nec tot Ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quando dicebat Apostolus, O stulti Galatæ, &c. Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parui sensus fuisse delusos, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant. Alios autem timore cessisse, & simulatè consensisse, non rectè ingredientes ad veritatem Euangelij, quibus tu posteà correctis, sic quemadmodum ignotum est, nolles ignosci, &c. Quamquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione ceterorum: sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto Orbe latitabant. Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conseruata est, & vsque in finem, donec omninò gentes omnes etiam barbaras teneat, conseruabitur, &c. Hilarius ergo decem Prouinciarum Asianarum, aut zizania, non triticum arguebat: aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quantò

ve-

vehementiùs, tantò vtiliùs arguendum putabat. Habent enim etiam Scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perueniat.]

Quadrant hæc Augustini omnia in Ariminensia tempora: sed & in omnes Arianorum procellas. Obserua autem 1. etiamtum in semine Abrahæ, seu in sinu Ecclesiæ Catholicæ fuisse non stellas tantùm Cœli, sed & arenam maris; idest, non paucos tantùm fortes, & lucidos, sed & innumeros carnales, atque infirmos. Nam si à fide hi exorbitassent, non infirmi tantùm, & carnales, non in semine Abrahæ, sed in zizanijs computarentur. Et eos sanè ait tribulationum fluctibus operiri, & turbari, non demergi. 2. Hieronymo, Seuero, alijsque suprà laudatis assentiri Augustinum, & cladem Ariminensem imputare simplicitati eorum, qui [parui sensus, quòd essent, delusi sunt obscuris verbis, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant, &c. verba hæreticorum insidiosa intelligere non potuisse.] Quo quid euidentius? Alios addit timore cessisse, & simularè consensisse, ac statim redisse. Non ergo vnquam à fide orthodoxa, non ab Ecclesia vnquam desciuit multitudo Episcoporum, numquam ad illam paucitatem Ecclesia perducta est. 3. Ab Hilario docet non omnes, sed Asianas tantùm prouincias increpitas esse, & ipsas quidem non quòd penitùs defecissent, sed quòd quidam in eis: more in Scriptoris vsitatissimo, vt obiurgatio ad omnes concrepet, quæ ad quorumdam tamen dumtaxat insaniam coercendam pertinet.

13 Quod autem de Episcopis post Hieronymum, & Athanasium, affirmauit Augustinus, id multò æquiùs est de populis arbitrari. *Illos* nempè etiam per Orientem totum fidei Catholicæ retinentissimos fuisse; & in dubijs Eusebianorum confessionibus, non fucata eorum deliramenta, sed quam ementiebantur, Nicænam fidem cogitasse, & collaudasse. Vndè scitissimè Hilarius l. con. Auxentium: [Et huius quidem vsque adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur, vt iam sub Antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum, putant esse, quod dicunt. Audiunt Filium Dei, putant in Dei natiuitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora, putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quàm corda sunt sacerdotum.] His nihil absolutiùs, vt plebes Ecclesiarum toto tunc orbe Nicęnam fidem retentasse constet: vt quæ sanctiores haberent aures cordibus Eusebianorum Antistitum: & in vocibus ambiguis eorum simplicitatem fidei antiquæ contineri interpretarentur. Similiter Hieronymus in alio argumento, nempè aduersùs errores Ioannis Hierosol. [Hæc audiens indoctum vulgus nullam stropham, nullas insidias suspicatur. Credit esse, quod dicitur. Sanctiores enim sunt aures populi, quàm sacerdotis animus.

14 His consentiunt, quicumque illorum temporum historiam literis mandarunt. Socrates l. 2. c. 22. [Ciuitates autem Græciæ, Illyrij, & cæterarum orbis partium ad Occidentem vergentium, tumultu & perturbatione propterea caruere, quòd inter se ipsæ concordarunt, decisioque de fide in Concilio Nicęno tradita apud ipsas semper dominata sit.] Et l. eodem cap. 31. de Concilio Seleuciæ agens, quò soli conuenerant Orientales, quos in fide Nicæna magis titubasse indubium est: [Postquam illa vicerat sententia, quæ primùm de fide quæri voluit; qui à partibus Acacij stabant, fidem Nicęnam abrogandam, aliam nouam describendam significarunt: qui autem parti alteri adhærescebant, qui & numero plures erant, alia omnia Nicænæ Synodi placita receperunt: solam repudiarunt vocem Consubstantialis.] Vides ergo inconcussam in toto Occidente vigere Nicænam fidem; vigere eamdem in pluribus Orientis Episcopis; & eorum, qui ab illa desciuerant, Episcoporum plebes, harum argutiarum insolentes, plerasque simplicitatem antiquæ fidei retinuisse. Et lib. eodem cap. 34. in vrbe Orientis principe, duo agmina Catholicorum describit, Eusthatianorum, & Meletianorum: quæ secum mutuò vix communicabant, Consubstantiali tamen subscribebant. Et l. 3. cap. 4. post mortem Constantij statim Athanasium Alexandrinæ Sedi restitutum narrat. [Arianos ab Ecclesijs exturbatos, ædes sacras Athanasij gubernationi redditas, Arianos in domibus obscuris conuenisse.] Ex vtraque hac vrbe principe, de toto Oriente conijcere fas est. Idem l. 4. c. 27. ait Gotthos à Vulphila Episcopo Christiana primùm fide imbutos, & Arianico simul perfusos veneno: aliquos ex ipsis strenuò perfunctos martyrio, quòd Arij argutiarum rudes [Barbari animo simplici religionem Christianam amplexi, pro fide Christi vitam, qua hìc fruebantur, profundere non dubitarunt.] Quod eo tantùm consilio retuli, vt monerem multò similius veri esse, populos à teneris vnguiculis innutritos fidei Nicænæ, ab ea per Episcoporum suorum cauillatorias disceptationes diuelli non potuisse. Et l. 5. cap. 4. idem ostendit, Antiochiæ, quàm Consubstantialis vindices præpollerent. Et cap. 10. Cùm Theodosius hęreticorum omnium conuentus exegisset Constantinopoli, de hæreticis ait: [Suos per literas consolari cœperunt, hortatique vt ne animos contraherent, quòd multi opinione ipsorum derelicta ad fidem Consubstantialis transissent: nam multos esse vocatos, paucos verò electos. Quam quidem tum nunquam protulere sententiam, cùm maxima populi pars ex Imperatorum nutu pendens, ipsis adhærescebat.] Quæ perspicuum est de sola vrbe Constantinopoli intelligenda.

15 Accedat Theodoretus, qui lib. 2. hist. Eccl. cap. 3. ait presbyterum illum Arianici furoris fomitem, etsi gratia aulica multùm floreret, [tamen cùm videret Constantini Imperatoris animum in reli-

gio-

gionis doctrina confirmatum, morbum ſuum aperire auſum non eſſe.] Et cap.22. Romanæ Synodi ſub Damaſo poſt Concilium Ariminenſe habitæ epiſtolam refere, vbi dicitur: [Itaque veſtra integritas manifeſtò videt, hanc fidem ſolam, quæ auctoritate Apoſtolica Nicæa ſtabilita eſt, firmiter perpetuò tuendam eſſe: & de ea tum Epiſcopos Orientis, qui ſe de Catholica Eccleſia eſſe profitentur, tum Occidentis etiam Epiſcopos gloriari nobiſcum. Et cap.24. de vrbe, & Eccleſia Antiochena, eiuſque Epiſcopo Leontio Ariano hæc ſcribit, vel exſcribit ex Athanaſio; [Tametſi ſordibus erat Arianæ blaſphemiæ inquinatus, tamen eas callidè admodum diſſimulare ſtudebat. Etenim cùm Clerum, & laicam etiam multitudinem in duas partes diuiſam cerneret: & alteram, quo laudes Filij magis celebrarent, hanc coniunctionem (&) adhibere: alteram autem hanc præpoſitionem (per) ponere: & cùm ad Spiritum Sanctum ventum eſſet, præpoſitionem (in) addere: ipſe coram glorificationem tacitus ſecum recitauit, adeò vt qui propè eum erant, ſolam hanc particulam audirent, in ſecula ſeculorum.] Ergo in ea ipſa vrbe vbi maximè Ariana impietas principabatur, præter illa Catholicorum examina, quæ ſeorſim ſuos agitabant conuentus, conueniebant, & complures orthodoxi promiſcuè cum Arianis, & illi quidem tam numeroſi, vt Arianus Epiſcopus morbum ſuum diſſimulare cogeretur. Quo rurſùs exemplo conſtat, quàm multæ ſub Arianis etiam Epiſcopis, ſed virus ſuum præmentibus, Nicęnam fidem plebes retentarent. Et cap. 31. Antiochiæ electum Epiſcopum Meletium narrat non à Catholicis tantùm, ſed ab Arianis, qui ſuæ ſectæ ducem quærentes non potuerunt non incidere in Catholicum hominem. Moxque cùm duo alij Epiſcopi de Filio impiè concionati eſſent. [Tertius ſurrexit magnus ille Meletius, qui quæ ſit recta Verbi Dei prædicandi regula, oſtendit: nam ad veritatem omnia, velut ad amuſſim, dirigens, nimium & parum facilè deuitauit. Quæ cùm ei à multitudine tribueretur permagna laus, &c.] Audin multitudinem Catholico dogmati adplaudentem? Sed euidentiſſimè l. 3. c. 3. ſub Iuliano Apoſtata ſtatim docet milites omnes non Chriſtianam tantùm, ſed Catholicam fidem mordicus ſeruaſſe. Itaque Iulianus Chriſtianum ſe primò ſimulare cogebatur. [Imperium nactus, diu ſuam occultauit impietatem. Nam milites diſciplina veræ pietatis imbutos, præter cæteros extimuit. Si quidem primùm numquam ſatis laudatus Conſtantinus, & eorum animos vetere liberauerat errore, & doctrina veritatis accuratè erudierat. Deindè eius filij diſciplinam, quam pater in eorum animis inſeuerat, multò magis confirmabant. Etenim tametſi Conſtantius quorumdam ſuaſu in fraudem inductus, verbum *omoyſion* non approbauit: tamen ipſam rem, quæ verbo ſignificabatur, ſincerè & ex animo confeſſus eſt. Quippè ingenuè Filium ante ſecula à Patre genitum Deum Verbum nominauit: eoſque honore potiùs abdicauit Eccleſiaſtico, qui auderent eum creaturam nuncupare.] Quod magno argumento vniuerſim eſt, de ſola voce pleroſque Conſubſtantialis digladiatos eſſe, Catholicæ alioqui veritatis retinentes. Quod autem de militibus, idem ſentiendum de plebibus, quarum milites portio quędam ſunt. Vide & l. 4. c. 1. vbi Iouiniano Imperatori creato vtique ex Catholicis, Catholicos ſe profitentur milites, nempè vel à Conſtantino, vel à Conſtantio imbuti. At infrà cap. 32. de Vulphila Gotthorum Epiſcopo ait: [Cùm illum Eudoxius, & verborum lenocinijs, & pecunijs ineſcaſſet, perfecit, vt Barbaros illos ad communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adiecit præterea, quo faciliùs ei perſuaderet, contentionem illam ex ambitione ſolùm ortam, nullamque omninò doctrinæ eſſe differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gotthi Patrem maiorem eſſe Filio dicunt illi quidem: ſed Filium creaturam appellari, licèt cum his, qui illud dicunt, communicent, neutiquam ferre poſſunt. Quin immò ab auita doctrina non penitùs deſtiterunt. Etenim Vulphilas cùm eis communionem Eudoxij, & Valentis perſuadere conaretur, dixit nullam eſſe doctrinæ diſcrepantiam, ſed ex inani, & leui contentione, eam in Eccleſiam inuectam eſſe diſcordiam.] Conſimiliter ergo, & populorum turbæ complurium, communione, non fide fœderabantur Epiſcopis Arianis; nec ſe illorum adaptabant fidei, ſed ſuæ, & auitæ illos doctrinæ adhæreſcere opinabantur. Et l.5. c.3. de Apollinariſtis. [Qui poſtea cùm ſuam ipſorum perſpicerent tenuitatem, & Eccleſiæ ſplendorem, omnes paucis exceptis ad Eccleſiæ communionem ſe contulerunt, &c.] cap. 6. inculcat in Occidente toto ſanam fidem ſemper floruiſſe.

16 At Sozomenus prẹclariſſimè lib. 3. cap.12. poſt Concilium Antiochenum, & Sardicenſe, Eccleſiæ ſtatum ſubijciens oculis, & conſequentium temporum; [Eccleſia versùs ſolem obeuntem ſita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omninò à contentione, & captioſis verborum argutijs, quæ indè naſci ſolent, libera & vacua fuit. Nam quamuis Auxentius Epiſcopus Mediolani, & Valens, & Vrſacius ex Pannonia oriundi, impensè laborarent, opinionem Arij in illam imperij partem traducere: tamen eorũ conatus haudquaquam ſucceſſit ex animi eorum ſententia; quandoquidem Sedis Romanæ Antiſtes, & alij Epiſcopi, ac ſacerdotes ſtudioſè precauerunt, & illius hęreſis germina amputarunt. Pars verò Imperij ad ſolem Orientem porrecta, etſi poſt Concilium Antiochenum diſſidere, & à fide Concilij Nicęni palàm iam diſſentire cœpit; tamen meo quidem iudicio, ſi complurium mentem ſpectes, in eandem reuera ſententiam, quaſi pedibus itum eſt; conceſſumque Filium ex Patris eſſentia conſtare. At verò quidam contentionis ſtudio adducti, contra vocem Conſubſtantialis depugnarunt.] Subdit multos pudore

retra-

retractandæ sententiæ prioris, aliquos aliis affectibus implicatos, circa eam vocem beligeratos esse; [Multi, qui ridiculum putarent in eiusmodi contentionibus tempus terere, in sententia Concilii Niceni acquieuere. Ac præter cæteros omnes, qui in Oriente ætatem degebant, visi sunt decretis Concilii Niceni mordicùs adhærescere Paulus Episcopus Constantinopolitanus, Athanasius Alexandriæ, & tota monachorum multitudo. Quin etiam Antonius magnus, qui adhuc in vita manebat, & qui cum eo versabantur omnes; alii denique quamplurimi tum in Ægypto, tum in aliis Romanorum prouinciis.] Perspicuè in Oriente ipso vides longè plurimos fidem Nicęnam irreuocabiliter amplexatos, & plerosque aduersantium, fidei ipsi consensisse, in solam vocis Consubstantialis insolentiam bacchatos esse. Et lib. 3. cap. 29. declarat idem Antiochiæ, etsi Ariani Ecclesias occupassent, magnam tamen Cleri, populique partem Catholicæ fidei adhæsisse; Alexandriæ autem ne vna quidem Ecclesia Arianos, etsi suffragante Constantio, potiri potuisse. Et l. 6. c. 19. post obitum Athanasii, inuadente Alexandrinam Ecclesiam Lucio Ariano. [Multi, & diuini viri id temporis monasteriis illius regionis præerant, & omnes opinionem Arii detestabantur. Quorum testimoniis etiam populus obsecutus, eamdem, quam illi, doctrinam amplexatus est; qui de dogmatibus disserere, & garrire neque voluit, neque nouit; sed veritatem credidit penès illos esse, qui virtutem factis declarabant, quales tunc ex monachis Aegyptiis, &c.] Et infrà cap. 27. cùm prouincias aliquas ab Eunomianis, & Apollinaristis peruasas dixisset, ait: [Sed idem ferè istis, quod antè Arianis acciderat. Nam populus in hisce regionibus, monachos propter virtutem, & rectè facta admiratus, eos verè de fide sentire credebat; & qui aliter sentirent, illos vtpotè doctrinis adulterinis corruptos detestabatur: non aliter sanè, atque Aegyptii, qui monachorum suorum doctrinam secuti, Arianis strenuè restiterunt.] Vbique terrarum ergo examina numerosissima populorum antiquam fidem constantissimè retinuerunt.

17 Sed expugnabit, vt spero, vel ab inuitis assensum Athanasius, occultus ipse omnium testis, & fidei signifer primarius. Ille ergo apud Theodoretum lib. 4. cap. 3. in epist. Synodica ad Iouianum Imperat. paucissimis post Ariminensem Synodum annis scripta: [Pro certo scias, velimus, Auguste Sanctissime, hanc ipsam fidem ab omni seculorum memoria prędicatam fuisse: hanc confessi sunt, qui in Nicęa conuenerunt Patres, huic omnes vbique Ecclesiæ consentientes sunt, vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Isauriæ, & Ecclesiæ Aegypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, & finitimarum regionum, Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis, quæ sectæ fauent Arianæ. Istarum enim omnium Ecclesiarum sententiam experimento cognouimus, & literas accipimus, & certò scimus, quòd etsi pauci contradicant huic fidei, non possunt præiudicium facere Orbi vniuerso.

Quid his, quæso, expressiùs, aut vehementiùs optari potuit? Nicęnæ fidei omnes Orientis, Occidentisque Ecclesias consentaneas esse docet, omnes pernumerat, paucos contradicere iterùm, iterumque monet, sed per eos non posse præiudicari *pasi ti oicoymeni*.

Et rursùs Athanasius epistola ad Orthodoxos: [Indicamus vobis etsi longo iam tempore hæc pestis incubuit, nihilominùs tamen in plerisque populis, & in plerisque Episcopis decus Apostolicę fidei remanere. Quamquam nonnulli vi, verbisque fallacibus detineant populum, & multitudinem Episcoporum, partim formidine illustrium virorum in Vrbibus, partim gloriæ ambitu: at ij ea, quæ sentiunt, dissimulant: & quæ non sentiunt, præferunt.]

Et initio Apologiæ omnes penè Orbis Prouincias enumerat, in Sardicensi Synodo sibi suffragatas; cùm in Antiocheno Concilio triginta sex tantùm Ariani essent, vndè ad eos Iulius, [Audio paucos esse istorum malorum auctores.]

Et Athanasius ipse infrà: subscripsisse absolutioni suæ, ait, Episcopos per Orbem vniuersum trecentos quadragintaquatuor.

Et epistola ad Solitarios ex Prouincijs trigintaquinque conflatam fuisse Sardicensem Synodum docet, in qua purgatus est.

Et infrà rursùs: [Cùm viderent Ariani tantùm cum Athanasio animorum consensum, & pacem agitari, erant enim in hoc numero plures, quàm quadringenti, tùm è magna Roma, atque vniuersa Italia, &c. Creta, Lycia, Palęstina, Isauria, &c. hæc videntes, metu, inuidiaque anxiabantur. Inuidia quidem, propter tantorum conspirationem: metu autem, ne eorum hęresis traduceretur, & de ea vbique gentium triumphus ageretur.]

Mox Arianos ad Constantium ità loquentes induxit: [Quidquid terrarum est, scriptis suis, quibus nos impetit, adimpleuit Athanasius: & plurimi quidem cum eo communionem habent: eorum autem, qui videntur nobiscum esse, hi quidem adiunxerunt se illi; cæteri idem facturi sunt, nos autem remansimus soli, &c.]

Et paulò post, minis, & exilijs coactos, ait, à Constantio Episcopos eiurare Athanasij communionem: [Idque ideò faciebat, quòd animaduerteret hæresin ab omnibus odio haberi. Quæ res in causa fuit, cur tam multos compelleret, hæreticorum paucitati se, vt adiungerent, &c.].

Et infrà: [Omnia quidem illi pro hæresi sua moliti sunt; at per Ecclesiam vnamquamque seruantes, quam didicerant fidē, magistros quidem expectant, Christi verò inimicam hæresin deprehenderunt, & non aliter, quàm serpentem detestantur.]

Et infrà: [Sicubi pius, & Christianus aliquis est, sunt enim vbique multi tales, sicut Prophetæ, & Elias absconduntur, &c.] Et in-

infrà: [istc verò, quoniam omnes hæresim fugiunt, & sana fides in Christum confessionibus celebratur, Episcopos in exilium eijcit, populos verò dùm prohibet conuentus celebrare, &c.]

Et epistola ad Afros post Ariminense Concilium scripta: [Huic Nicænæ Synodo, & olim vniuersus Orbis assensus est, & nunc cùm multæ factæ sint Synodi, omnes eamen eius memores sunt, tum per Dalmatiam, Dardaniam, Epirum, &c. Et subscriptione approbarunt, adeò vt si quis relictus apud eos sit ex radice Arianorum, sursùm germinans amaritudinem (loquimur autem de Vrsacio, Valente, cæterisque qui idem sentiunt) per ista ipsa scripta abscinduntur, & reijciuntur.]

18 Postremò vt ad Hieronymum à quo exorsi sumus, reuoluamur, sic ille aduersùs Luciferianos Ecclesiæ Catholicæ inexpugnabilem vniuersitatem ostentat: [Absit, vt frustrà Deus mortuus sit. Allocutio Patris impleta est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatam tuam: & possessionem tuam terminos terræ. In sole posuit tabernaculum suum, nec est, qui se abscondat à calore eius. Et vbi, quæso, isti sunt nimiùm religiosi, immò nimiùm prophani, qui plures Synagogas asserunt esse, quàm Ecclesias? Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantùm habet, nimiùm pauper factus est, &c.]

Ambrosius epist. 32. [Maior numerus Arimini Nicæni Concilij fidem probauit, Ariana decreta damnauit.]

Et Basilius epist. 72. [Ipsum, inquit, orbem circumspicite, & videte quàm modica sit ea portio, quę hoc morbo laborat: reliqua verò vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus, ad fines vsque recipit Euangelium, sanam hanc, & incorruptam doctrinam sectetur.]

Et epist. 75. ad Neocæs. [Fuerat, inquit, iustius, res nostras æstimare, non ex vno, aut altero eorum, qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, sed ex multitedine totius Orbis Episcoporum, qui gratia Christi coniuncti nobis sunt. Requirantur verò Pisidæ, Lycaones, Isauri, Phryges, & qui vtriusque sunt Armeniæ, quorquot vicini vobis sunt, Macedones, Achæi, Illyrij, Galli, Hispani, tota simul Italia, Siculi, Afri, & qui in Ægypto adhùc sani sunt, & quæ reliqua est portio Syriæ. Qui quidem literas ad nos mittunt, & vicissim à nobis recipiunt.]

19 Vtque minùs abhorreat animus ab hac Ariminensium Patrum defensione, conducet cum doctissimo Petauio obseruasse, recenti adhùc Nicæno Concilio, non semper in fidei Catholicæ confessionibus, tesseram illam fidei; ac *toy omoysioy* claram, disertamque confessionem solitam fuisse exigi. Quod ille probat his documentis, & verbis in notis Epiphan. [Exemplo sit Vrsacij, & Valentis Arianę factionis principum libellus, quem Iulio Papæ obtulerunt, quo & erroris sui veniam deprecati sunt, & Ario damnato Catholicam fidem professi. Extat apud Athanasium Apologia secunda. In eò verò de *omouysio* verbum nullum. Nam & in Concilio Aquileiensi, in quo adnitente Ambrosio, Palladius, & Secundianus Episcopi damnati sunt, cùm tam studiosè id ageret Ambrosius, vt ab ijs indicium aliquod Arianæ professionis eliceret, ideòque varijs interrogationibus lacesseret, nullam Consubstantialis mentionem attigit: sed hæc tantùm communia. Ecquid Filius immortalis, bonus, ac verus esset, & reliqua generis eiusdem. Quin etiam Athanasij Symbolum cùm sit quædam fidei expositio ab eo edita, qui *to omoysion* acerrimè propugnaret, eiusdem vocabuli mentionem omisit.]

His si subtexas, quæ Marcus Ephesius in Synodo Florentina sess. 5. attigit, lux aliqua exorietur nostro huic instituto opportuna. Sic ergo ille: [Post factam à prima Synodo fidei expositionem, transactis non paucis annis vsque ad secundam, medio illo tempore diuersis in locis à prouincialibus Concilijs factæ sunt supra triginta expositiones; in quibus sublata voce illa Consubstantialis, reliqua sunt valdè similia primæ illi expositioni]. Constat ratio non improbabilis sententiæ Marci, si de Semiarianorum agat formulis, quæ simile substantia retinebant. Nam Anomœorum impietas longiùs exorbitabat. Quid ex his porrò nascatur in Ariminensis Synodi purgationem, satis lucet, si quid vsquam lucet.

His adde Theopanem in Chronogr. vbi eos quibus suspectus erat, Arianæ opinionis Cyrillus Hierosol. [Quòd Consubstantialis vocem in Catechesibus conticuerit, ità infellit: Oportebat Consubstantialis vocem silere, quæ plurimos offendebat, & aduersariorum controuersijs à sacro baptismate multos deterritura erat: Consubstantialis autem notitiam, paris significationis vocibus clariùs exprimere: quod à Cyrillo præstitum est.]

20 His adde Theodoretum lib. 3. cap. 3. & Sozomenum lib. 3. cap. 12. suprà relatos, disertè affirmantes, Catholica ipsa dogmata animo complexos esse eos, qui sola Consubstantialis voce abstinebant, aut eam duntaxat oppugnabant.

Sed audiatur præ cæteris Athanasius lib. de Synodis, vbi multa in Arianos stomachatus, addit: [Cæterùm qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem Consubstantiali ambigunt, non vt aduersùs inimicos affici nos decet. Neque enim veluti aduersùs Ariomanitas, aut quasi aduersùs bellantes cum Patribus contradicimus: sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, vt cum quibus nobis eadem sit sententia, controuersia autem de verbis. Nam cùm profiteantur Filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse, &c. non longè absunt ab hac voce, Consubstantiali, recipienda. Talis est Basilius ex Ancyra, &c.] Quinimò non Athanasius tantùm, sed Basilius, Nazianzenus, Theodoretus, Sozomenus, Hilarius laudibus prosequuntur, non Basilium tantùm Ancyranum, sed Dianœum Cæsariensem, Marcum Arethusium, aliosque nonnullos, quos alij Semiarianorum choro solent in-

cludere. Deoiqne illas ipsas, quas Semiarianorum vulgò appelliramus, fidei formulas, varijs post Nicænam Synodis causas & recusas, vt ad Catholicum sensum traducere enixus sit Hilarius, neminem fallit. Istiusmodi saltem erat, quæ Arimini per fraudem subscripta est.

Facundus Hermian. Episc. lib. 10. cap. 6. in laudem Hilarij hæc disserit. [Illud est multò amplius, quod idem sanctus Hilarius, æquè defendit Syrmiense Concilium, in cuius decretis dictum est: Si quis, &c.] Subijcit durissima Syrmiensis Concilij dicta, Christum obsecutum Patri in creatione omoium, oon exæquari, vel comparari Filium Patri, sed subiectum intelligi; & alia id genus: [Quæ omnia memoratum Syrmiense Concilium, sanctus Hilarius, necessariè contra Photinum, & Orientales asserit decreuisse. Quorum sufficieotem excusationem faciens, quomodò sint accipienda demonstrant.]

Et lib. 11. cap. 8. de eodem Hilario disserens excusaote Syrmiensem confessionem fidei: [Fas non est omninò de taotæ pietatis viris malè sentire, qui ex semetipsis alios æstimantes, excusare studuerunt dicta maiorum. Et qualiter à se dici possent, taliter ab illis prolata, & ab Ecclesia suscepta crediderunt, vt in ea permanerent Episcopi.] Igitur in Syrmiensi Synodo, etiam Ariminensi patrocinium parauit Hilarius, & multò quidem magis, Ariminenses enim Episcopi, non illis componendi veniunt, quos excusat Hilarius; sed ipsi propemodum Hilario, ex semetipsis alios æstimantes, & qualiter à se dici possent, taliter ab illis prolata credentes.

21 Iam verò, quod ad Communionem quoque spectat, quam Catholici Ariminenses Patres cum Arianis ioierunt, hæc quoque eorum culpa extenuabitur, si io mentem veniat eorum, quæ ex Epiphanio suprà retulimus. Nempè improbè à quibusdam irritarum, iteratumque fuisse Arianorum baptismum, cùm necdum ea de re Concilium Oecumenicū coaluisset: [quod adhùc populi promiscuè ad hodiernum vsque tempus habeantur; inter quos multi quidem sunt Catholici, sed fictè, ac per simulationem Sacerdotum auctoritatem sequuntur, donec execranda illa secta ab Ecclesiæ consortio segregetur, vt tunc aliquid de illa statuatur.] Vbi vides eorum, qui Arianis Episcopis adglutinati erant, multos fuisse orthodoxos. Tunc quippè necdum corporali diuortio secesserant Ariani ab Catholica.

Et Theodoretus epist. 112. [Nam & in magna Synodi Nicæna suffragati quidem suot orthodoxis illi, qui Arij partium erant, & Apostolicæ fidei expositioois manibus suis assensere. Perrexerunt tamen veritati bellum inferre, quò ad Ecclesię corpus discerplere. Et trigiota quidem per annos inter se communicantes perstitere, tum qui Apostolicis dogmatibus inhærebant, tum qui Arij blasphemia laborabant.] Hilarium compluribus Orientalium communicasse, quorum formulas fidei excusabant, indubium est. His pensis, etsi non omninò aboletur, extenuatur tamen culpa communionis Ariminensium Patrum, eaque euincitur oihil imminutas fuisse partes Catholicæ multitudinis.

22 Id magis, magisque eliquescet ex Luciferianorum querelis, suam paucitatem à multitudine Catholicorum opprimi expostulantium.

Ita enim in libello precum Marcellini & Faustini ad Imperatores habetur. [Nec in exiguis hominibus despicitis veritatem, nec io multis, vel potentibus roboratis mendacium. Siquidem ius seculi ideò scriptum est, ne contra verum, ęquum, vt potentia, vel multitudo præualeat, etiamsi ab exiguis vendicetur, &c. Quomodò in negotijs diuinis sanctæ fidei veritas impiorum caterua, & fraudulentissimis eorum circumuentionibus offuscatur, & premitur?] Et infrà: [Sed quia apud quosdam multitudo præponitur veritati, eò quòd pauculos habeat sectatores: & ob hoc affligimur, quòd in paucis sequimur inuiolabilem fidem, &c. Vna est pars, in qua sunt multi Episcopi. Sed vbi sunt multi, illic per præuaricationem sacra Christi fides violatā est, semper antè defensa. Illic metu Regis, Arij suscepta impietas est, semper antè damnata. Vbi verò paucissimi sunt, illic per exilia, per cruciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem fides Christi vendicatur; & Arij impietas, atque omnis hæresis, vt summum malum execrabiles sunt. Sed etsi non est dubitaodum paucos Episcopos esse pretiosos de merito confessionis, & inuiolabilis fidei: multos verò nullificari merito hęreseos, vel præuaricationis: quia in causa veri, maximè in causa religionis, & sacræ fidei, noo numerus numero comparandus est, sed pura illa Apostolica fides, probata exilijs, probata cruciatibus, licèt vnius, multorum infidelitatibus præponenda est]. Igitur etiam post Ariminensem labem, cuius occasione Luciferiani ab Ecclesia Catholica diuulserunt sese, inuidiam faciebat Ecclesiæ paucitas schismaticorum, vt multitudinem, & potentiam suam ostentanti, & ea vna potiùs, quàm veritatis præsidio vincenti.

23 Quouiam autem in Luciferianos incurrimus, mirari succurrit, quæ Sulpitius Seuerus lib. 2. hist. de Lucifero eorum principe scribit. [Cæterùm Lucifer tum Antiochiæ longè diuersa sententia fuit. Nam in tantùm eos, qui Arimini fuerant, condemnauit, vt se etiam ab eorum communione secreuerit, qui eos sub satisfatione, vel pœnitentia recipissent. Id rectè, an perperam constituerit, dicere non ausim.] Itane verò dubium est, rectè, an perperam secreuerit se à communione vniuersalis Ecclesiæ? Orientem enim, atque Occidentem conspirasse in illam cum Ariminensibus Patribus dispensatiooem suprà Hieronymus, & Athanasius non docuere.

Paulò explicatior Hieronymus in Dialog. aduers. Lucifer. [Ventum est ad asperrimum locum, inquo aduersùs voluntatem, & propositum meum cogor de beato

to Lucifero secùs quidquam, quàm & meritum illius, & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas, & os referat, & inuitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segregatis paucis ouibus, reliquum gregem dereruit. Bonus quidem ipse Pastor, sed multam prædam bestijs relinquens. Præterea illa, quæ quidam ex maledicis, quasi satis firma defendunt: hoc illum amore gloriæ, & nominis in posteros transmittendi fecisse: nec non & pro simultate, quam aduersùs Eusebium propter Antiochenam dissentionem susceperat. Nihil istorum de tali viro credo. Vnum est, quod etiam in præsenti constanter loquar, verbis eum à nobis dissentire, non rebus, siquidem recipiat, qui ab Arianis baptisma consecuti sunt.] Deindè prolixè exagitat Hilarium, qui ne baptizatos quidem ab Arianis recipiebat.

Culpat Hieronymus Luciferum, sed leniusculè, & inclementiæ tantùm ergo, seu asperitatis, quòd dispensationi, & veniæ à reliquis Catholicis præsulibus auctoratæ non acquieuerit. Denique verbis illum magis, quàm rebus à nobis discrepate confitetur.

Paulò acerbiùs Innocentius I. epist. 13. ad Episcopos Hispaniæ, quorum aliqui, nempè Bætici, & Carthaginenses, diffidebant à pace collegarum, ob receptos ab hæresi Priscillianorum conuersos. [Nam quæ alia causa, & superioribus temporibus illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit à concordia illorum, qui Arianorum hæresim prudenti conuersione damnauerant? Eodem studio post Priscilliani detestabilem sectam omnium meritò detestatione damnatam, receptos in Catholicam fidem eos, qui saniore consilio conuersi sunt, ægerrimè aliquos tulisse cognouimus. Quibus factum vtile, & ipsam Ecclesiarum pacem displicuisse deregitur.] Itàque pertinacia Lucifero crimini datur, non ita tamen, vt Hispanis his Episcopis. Hos enim frangere debuerat prioris exempli, & in mores iam recepit auctoritas. At Lucifer veterem, & hactenùs nulla dispensatione perstrictum canonum rigorem retinebat, nouæque, & antea inanditæ remissioni aduersabatur, eò vtique excusatior.

Multò asperior Ambrosius in Luciferum, De obitu Satyri fratris, qui baptismi auidus, [Aduncauit ad se Episcopum, nec vlla veram putauit, nisi veræ fidei gratiam; percuntatusque ex eo est, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Et fortè ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat: & quanquam fide exulasset, & fidei suæ reliquisset heredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiã non tenerent, &c.]

Asperrimè denique Augustinus lib. de agone Christ. cap. 30. [Post persecutionem, quæ per Arianos hæreticos facta est, Episcopi, qui perfidiæ Arianorum in illa perturbatione consenserant, multi correcti, redire in Catholicam delegerunt, damnantes, siue quod crediderant, siue quod credidisse se simulauerant. Hos Ecclesia Catholica materno recipit sinu, tanquam Petrum, post fletum, negationis per Galli cantum admonitum: aut tanquam eundem, post prauam simulationem, Pauli voce correctum. Hanc illi matris charitatem superbè accipientes, & impiè reprehedentes, quia Petro post Galli cantum surgenti, non gratulari sunt; cum Lucifero, qui manè oriebatur, cadere meruerunt.] Et antea fusè inuehebatur in eos, qui etsi non rebaptizarent, & Luciferiani tamen, quàm Catholici dici, & præcidi voluerant à radice.

34 Adijciamus nunc animum, atque aures ad eos, qui historiam illorum temporum literis mandauerunt.

Theodoretus lib. 3. cap. 5. [Lucifer rediit Sardiniam, & alia quædam Ecclesiasticis dogmatibus addidit. Qui ea autem sunt amplexati, ex eius nomine nomen mutuati, Luciferiani perdiu dicti sunt. Extinctus est autem & hoc dogma, obliuionique traditum.] Pinguiùs hæc sanè dicta sunt, nisi dogma nouum capias ipsum schisma, quod & suprà Ambrosius, & antiqui Patres non ità valdè satagebant ab hæresi discriminare, vt quò hæresis aduersùs Ecclesiam, symbolo & ipiam quoque implicatam, sin minùs contra Christum contineatur.

Ruffinus aliquantò clementiùs lib. 1. cap. 30. [Reuersus ad Sardiniæ partes, siue quia cita morte præuentus, tempus sententiæ mutandæ non habuit, etenim temerè cœpta, spatio corrigi solent: siue hoc animo immobiliter sederat, parùm firmauerim. Ex ipso interim Luciferianorum schisma, quod licèt per paucos, adhùc voluitur, sumpsit exordium.

Multò etiam humaniùs Socrates libro tertio cap. 7. [Recusauit Lucifer cum Eusebio communicare, studioque contentionis inductus, Concilij decreta reiecit. Ista quidem tristibus, & afflictis Ecclesiæ rebus obuenientia, multos ad deficiendum ab Ecclesia impulere, vndè alia rursùm nascitur Luciferianorum hæresis. Sed Lucifer iram suam adimplere non potuit. Obstrictus enim tenebatur suis ipsius responsis, quibus per Diaconum missis pollicitus fuerat, se decretis Concilij consensurum. Quapropter ipse quidem, idem cùm Ecclesia sapiens, ad propriam Sedem in Sardiniam reuersus est: quorum autem animi non minùs exulcerati erant, hi adhùc etiam ab Ecclesia segregati manent.]

Et verbum à verbo penè reddens Sozomenus lib. 5. cap. 12. [Lucifer decreta Concilij Alexandrini insimulare aggreditur: quæ causa fuit hæreseos eorum, qui ab eo appellati sunt Luciferiani. Nam qui vnà cum illo his de rebus grauiter offendebantur, se ab Ecclesia separarunt. At ille ipse licèt animo alienato, & cum primis offenso esset, tamen cùm per Diaco-

num, quem vnà cum Euſebio miſerat, confeſſus fuiſſet ſe decretis Concilij Alexandrini ſtatutum, Catholicę Eccleſię conſentiens, Sardiniam reuertitur.]

25 Ex hac farragine teſtimoniorum liquet, quàm ſcitè, & ſapienter dictum ſit à Bellarmino, Luciferum ità zelo fidei arſiſſe, [vt à ſanctis Patribus etiam poſt ſchiſma factum, & ſectam Luciferianam poſt ſe relictam nonniſi timidè, & dubitanter arguatur.]

Ex hiſtoricis Socrates, & Sozomenus apertiſſimè illi patrocinantur, nec ab ipſo, ſed ab eius ſectatoribus ſchiſma conflatum docent. Ex Patribus Hieronymus, & Seuerus aſperitatem eius, & ſeceſſionem non diſſimulant, ſed hanc eius culpam reliqua ſanctitate redimi, & compenſari penè innuunt. Euidentiùs illum in crimen vocant Innocentius, Ambroſius, & Auguſtinus; ſed hæc criminatio ad nomen eius, vel ad ſectam eius nomine palliatam magis pertinet fortaſſe, quàm ad perſonam. Vt Nicolaum enim infamarunt diſcipuli immerentem, prout nec pauci, nec obſcuri cenſent Scriptores: ità Luciferum Luciferiani. Nec Socrates tantùm, & Sozomenus, ſed & Hieronymus cauſam Luciferi à Luciferianis longo interuallo diſpeſcuit. Toto enim Dialogo Hilarium Diaconum magis inſectatur, & Luciferianos, Lucifero ipſi ferè parcit. In libro ſimiliter de Scriptoribus Eccleſiaſticis, nulla illum accuſatione onerat. Sed illud validiſſimum, quòd idem Hieronymus in Chronico, Luciferi obitum his verbis cohoneſtat, & tantùm non conſecrat: [Lucifer Calaritanus Epiſcopus moritur, qui cum Gregorio Epiſcopo Hiſpaniarum, & Philone Lybiæ, numquam ſe Arianæ miſcuit prauitati.] Epiphanius, & Philaſtrius nec Luciferum, nec Luciferianos in ſua hæreſeon enumeratione locauerunt, vt adnotat Auguſtinus libro de hæreſibus, qui eos cæteris permiſcet. Itàque ſiue non deſciuit ab Eccleſia Lucifer, ſed paulò effuſiùs iræ indulgens, abruptèque in ſuam ſecedens Eccleſiam, ſciſſionis ſpeciem magis, quàm rem exhibuit, ſiue deſciuit, & reſipiſcens poſteà in Matris Eccleſiæ ſinum ſe recollegit.

Idem illi contigerit, quòd Cypriano, de quo Vincentius Lyrin. Common. lib. 1. cap. 11. [Abſoluuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli. Si deſciuit autem, nec reſipuit, idque Seuerus, & Hieronymus ſignificant, tunc ſanè timidè quidem ab illis arguitur, ſed multò timidiùs debet defendi.

Cyprianus errorem ſuum charitate vnitatis Catholicæ diluit: at error, quo vnitas ipſa Eccleſiæ ſoluitur, quo, precor, alio medicamine diluetur? An idem Lucifero contigit, quod Paſchaſio? Hunc enim in ſchiſmate exceſſiſſe, & tamen ignorantiæ patrocinio excuſari docebit nos infrà Gregorius magnus.

An idem, quòd de ſanctis viris ſchiſmaticum Paſcha ſectantibus, teſtatus eſt Beda ſuperiùs?

26 An potiùs, quòd de ſeipſis teſtati ſunt Confeſſores apud Cyprianum epiſtola 46. qui Nouato ſchiſmatico aduersùs Cornelium primò adhæſerant, mox ſe Eccleſiæ reddiderunt? [Nos errorem noſtrum confitemur: nos impoſturam paſſi ſumus, circumuenti ſumus perfidia, & loquacitate captioſa. Nàm etſi videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico, & hæretico homine habuiſſe; ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Ità ingenti populi ſuffragio recepti ſunt, quos errantes, & palabundos tamdiu, & videbat, & dolebat Eccleſia: ex quo ſpes fiebat Cornelio Papæ, vt ipſe ait: [Cæteros quoque, qui in errore hoc ſunt conſtituti, in Eccleſiam breui reuerſuros, cùm auctores ſuos viderint nobiſcum agere.] Vbi vides duces ſchiſmatis maturiùs, ſequaces tardiùs reſipuiſſe: & illorum non tam ſchiſma, quàm repentinam eruptionem, & efferueſcentiam fuiſſe, illicò caſtigatam; horum autem diuturnam pertinaciam in ſchiſma degenerare potuiſſe.

Ità propiùs à vero abeſt, & ea via eſt compugnantiæ Patrum, & Hiſtoricorum in concordiam reuocandæ: Luciferum impotentiùs primùm, & zelo veteris auſteritatis, & iracundia excanduiſſe, vt quandam ſciſſionis ſpeciem præſeferret; poſteà in ſuam Eccleſiam reuectum detumuiſſe, & Catholicæ ſe reddidiſſe paci: etſi ſeceſſum eius, ſeceſſionem interpretati diſcipuli, irreuocabili pertinacia Catholicam ipſi quidem refugerint deinceps communionem. Quocirca permagna illis habenda gratia eſt huius æui, & Epiſcopis non paucis, & alijs, qui Luciferi memoriam purgare ſtuduerunt, Calaritanæ, & Vercellenſis Eccleſiæ vetuſta in eum Religione, Templorum dedicatione, miraculorum etiam nuperà perpetratione ad eius tumulum permoti.

Huius autem ex Cypriano deprompti exempli aliud non multùm diſſimile ſuppeditat epiſtola 13. Innocentij Papæ ad Epiſcopos Synodi Toletanæ, cùm ob receptos in ſuis ordinibus ſectarios quoſdam Priſcilliani, à communi vnitate aliqui reſilirent.

27 Atque vt ne fruſtrà nos ad Luciferum ab Ariminenſi Synodo deflexiſſe putes: quamquam apta, contextaque vtriuſque cauſa eſt; illud quoque ab exemplo Luciferi perficimus, quàm non temerè ſtatim proſiliendum ſit ad eorum condemnationem, quorum aliqua, vel ignauè, vel imprudenter facta vituperantur. Si enim Luciferum penè abſoluimus, quem timidè Patres arguerunt: quid Ariminenſes Epiſcopos, quorum apologiam Hieronymus, & Athanaſius ex inſtituto conſcripſere? Vt & alios ſupra relatos taceam, atque Auguſtinum ipſum, qui loco ſuprà allegato, quo Luciferum acriùs vellicat, ſatis innuit, non perfidia, ſed ſimulatione peccatum eſſe apud Ariminum. Ità enim & Petrum peccaſſe ait, cùm ſimulationem eius Paulus reprehendit. [Conuerſationis fuit id vitium, non prædicationis;] vt ait Tertullianus libro de præſcript.

28 Illud quoque ex ſuperioribus colligemus, vſui futurum ad hiſtoriæ, & diſciplinæ nodos complures extricandos. Non ſemper

ſemper ſibi pognare, qni eadem,vel eoſdem damnant, & abſoluune: laudibus, & vituperio afficiunt. Ariminenſis Synodi Præſules, & ipſam eorum confeſſionem poſteriorem, alij ex ſanctis Patribus perfidiæ, alij ſimulationis tantùm incuſarunt.

Athanaſius alicubi inſimulauit, alias tationabilis diſpenſationis ergo laudauit.

Hieronymus apertè eulpam ſupra vel extenuauit, vel eleuauit prorsùs, & idem in Chronico, eandem atroeitet exaggerat: [Synodus apud Ariminum, & Seleuciam Iſauriæ facta, in qna antiqua Patrum fides, deeem primùm Legatorum, debine omnium proditione damnata eſt.]

Et infrà: [Omnes toto Orbe penè Eccleſiæ ſub nomine pacis, & Regis, Arianorum conſortio polluuntur.]

Et rursùs: [Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat.]

Quin Alexandrina ipſa Synodus lapſos Arimini exauctorare primùm meditabatur: vbi id ex animi ſententia haud ceſſurnm coniectura fuit, eoſdem ſuis ſedibus frui iuſſit, vt qni benè eredentes, vt qui numquam Atiani fuiſſent.

Ità enim apertiſſimè Hieronymus aduersùs Luciferum: [Quid à confeſſoribus agendum putauerint? Depoſitis, inquit, veteribus Epiſeopis, nouos ordinaſſent. Teneatum eſt. Sed quotuſquiſque benè ſibi conſeius patitur ſe deponi? Præſertim cùm omnes populi, Sacerdotes ſuos diligentes, penè ad lapides, & ad interemptionem deponentinm eos conuolauerint. Cur damnaſſent eos, qui Ariani non erant? Cur eredentes benè, obſtinatione ſua facerent Arianos?] Tam nulla eſt ioter diuerſos Patres, quàm nulla inter ipſos ſecum ſingulares Athanaſium, Hieronymum, Alexandtinum Concilium conflictatio.

39 Similiter Aatonem alij accuſant paſſim, excuſabat ſupra Athanaſius prudenti diſpenſatione vſum.

Ità Honorium Papam, plerique Monotheleticæ veſaniç contagio quodam perfuſum, alij diſpenſatione fortaſſis minùs prouida, non tamen hæretiea vſum diſſerunt.


Ità Paſehalem Papam indultis Teutonico Principi inueſtituris, alij hæreſeos mscula aſperſum, alij ſalubri diſpenſationi obſecutum cenſuere.

Ità, vt vno verbo abſoluam, Iuo Carnutenſis ſuadet epiſtola 162. pro ſuarum quemque virium modo, fortes rigido, infirmos temperato iuri ſe dedere: [In qua diſceptatione, cùm ipſi, & ratione, & auctoritate ſeiatis, quid ſit veriùs, quid honeſtiùs: tamen pro temporum opportonitate ſequi vos oportebit, qnod infirmitati veſtræ erit tolerabilius. Si autem ſciremus vos eſſe paratos, vt cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, extermioationes corporum, rapinas bonorum veſtrorum: poſſemus vos exhortari, vt ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegie in manus hominum ineidere, quàm Dei legem derelinquere. Sed qnia in donis ſpiritalibus conſilium, & fortitudo coniuncta ſunt: conſilium aliud, niſi quod patientia veſtra tolerare poſſit, dare non audemus: quia qualis veſtra ſit fortitudo, ignoramus.]

Et epiſtola 195. [Qua in re ſi adeſſet nobis ſpiritus fortitudinis, ſicut adeſt ſpiritus conſilij, ſeueritatem diſciplinæ eſſe ſeruandam cenſeremus. Sed quia in hoc rigore, grauium diſſenſionum periculum imminere ſentitis, rem diſpenſatione egere intelligimus.] Hine igitor iiſdem perſonis, & factis, alia tamen, & alia contemplatione criminatio, & excuſatio, laudes, & vituperia eitrà inconſtantiam ingeruntur. Fortitudine enim deſieri, quæ ius ſtrictum tueretur, in culpa eſt: conſilij ſaltem ſpiritu non deſtitui, & viribus ſe ſuis metiri, id laudatur. Infirmari Epiſcopos, id crimini datur: At infirmitati ſuæ prudenter obſequi, & aliquo ſuo vulnere publieam ſtragem redimere, hoc verò approbatur.



DIS-



DISSERTATIO VI.

In Synodum Oecumenicam II. seu Constantinopolitanam I.

SYNOPSIS.

Ius confirmandi Synodos Oecumenicas est penès Sedem Petri. Approbatio, & confirmatio etiam aliqua à cæteris Episcopis, à sanctissimis Monachis, à Catholicis plebibus exprimebatur. Sed hi omnes subscribebant confessionis magis suæ, quàm confirmationis testimonium; quo firmitatem proderent suam, non adijcerent Synodo. Id efficitur ad num. vsque 14.

Deindè prouinciales quoque, & locales quaslibet Synodos à prima Sede confirmandas fuisse docetur, vt auctoritatem Certam, Irretractabilem, & vniuersalem consequerentur.

1 DE hac Synodo Gregorius Magnus lib. 6. epist. 31. pauca hæc habet: [Et Canones quidem Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnāt, sed quis fuerit eorum Auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quòd est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses, quæ ibi memoratæ sunt, ab alijs iam Patribus damnatas reprobat.] Et idem tamen Gregorius lib. 1. epist. 24. dixerat: [Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur. Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur. Ephesinum, &c.] Ergo instar Euangelij venerabatur secundam hanc etiam Oecumenicam Synodum Gregorius, sed hactenùs tamen, qua illam Romana Ecclesia receperat, in Macedoniani erroris damnatione.

2 Sexta autem Synodus act. 18. in prosphon. ad Imperatorem: [Macedonius Deitatem Spiritus sancti denegabat, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus adamas fidei, cuius solida mens aggressionibus, atque conflictibus alienarum sectarum, nullatenùs erat sauciabilis, Gregorius, & Nectarius illam in hac Regia Vrbe Synodum congregabant. Et sacrilegam quidem linguam à Sacerdotio abscindebāt, &c.] Quę paulò explanatiùs Photius lib. de Synodis: [Secunda Synodus, &c. eò cōgregati sunt centum quinquaginta Episcopi, &c. Principes erant Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, &c. Nectarius, &c. Quibus non multò post tempore etiam Damasus Romanus Antistes, eadem confirmans agnoscebatur, consentaneus decretis factus.] Reapse enim non ipse, non per Legatos affuit Damasus, non Occidentalium quisquam Episcoporum: vt Oecumenica dici non possit hæc Synodus, nisi ex posteriore Romani Pontificis, & Occidentalium consensione, vt notat Photius. At Patres sextæ Synodi, spreta ratione temporum, & ipsam in se se Synodum Oecumenicam intuentes, omnium Episcoporum Principem Damasum ante cęteros admirantur, vt fidei adamantem, vt Macedonij debellatorem.

3 Hinc porrò elucescit maximè prærogatiua Romanæ Sedis, in confirmandis Ocumenicis etiam Concilijs, vt non aliter Ocumenica, vel dici, vel esse queant.

Ità Arelatensis Synodus ad Syluestrum, ità Sardicensis ad Iulium, idque ex officio retulerat: [Hoc enim optimum, & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque prouincijs Domini referant Sacerdotes.]

Ità Orientales Episcopi hi ipsi, qui secundam hanc Ocumenicam Synodum conflarunt, de Apollinari à se damnato ad Damasum retulerant, quibus & Damasus rescribit, apud Theodoretum libro 5. cap. 10. [Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit, vobis ipsis quoque maximo honori est.] Et Synodus in ipsa centum quinquaginta Patrum, in epistola Synodica ad Damasum, & Occidentales omnes Episcopos missa, cùm damnatum Macedonium, creatum Constantinopoli Nectarium, Antiochiæ Flauianum Episcopum narrassent, subdunt; [Quibus velut legitimè à nobis

& se-

& secundùm Canones constitutis, vestram pietatem hortamur, vt congratuletur: spiritali charitate nos mutuò deuincięte, &c. Sic enim doctrina fidei concorditer stabilita, & Christiana charitate in uobis confirmata: cessabimus illud dicere, quod ab Apostolis damnatum est, ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego autem Cephæ. Omnes autem cùm simus Christi, qui in nobis non est diuisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratia, indiuisum conseruabimus.] Non ergo vniuersali auctoritate munita fuissent acta illius Synodi, nisi ad Occidentales Episcopos missa, & ab ijs à Damaso maximè eorum capite, & Ecclesiæ totius Principe confirmata fuissent. Omnia enim illo æuo Synodicè fiebant, sed in Synodo penès eius præsidem erat *tò cyros caì authentia* rerum omnium.

Itaque Orientalis Synodi statuta communi, & Synodica Occidentalium consensione firmabantur, vt in Oecumenicæ Synodi auctoritatem inualescerent, sed huius confirmationis auctoritas, & vis potissima penès præsidem Synodi, & totius Ecclesiæ residebat.

Ideò suprà aiebat Gregorius reliqua huius Synodi statuta non recipi à Romana Ecclesia, & sexta Synodus debellatum à Damaso Macedonium, & Photius Orientalium placita à Damaso posteà fuisse roborata eadem decernente, & Sardicensis Synodus ad Petri Sedem omnia referenda monuit, & Iulio ipsi adscribi solent, quæ Synodicè ab ipso pro Athanasio decreta sunt. Non quòd à rerum istarum laude eliminentur Episcopi Synodum constantes; sed quòd à vertice suo non secernatur Synodus, & tota corporis maiestas, & Principatus gloria, non dematur membris, cum capiti vendicatur.

4 Et quidem non me fugit, omni quodammodo Ecclesiæ communicari posse ius illud Synodos confirmandi. Antiquæ enim pleræque hæreses non aliter omni ex Orbe Christiano explosæ sunt, quàm quòd Synodo proximæ, quæ eam proscripserat, reliqua fine Synodis ferè assentiebatur Ecclesia vniuersa. Ea de re Concilij Gangrensis pręfatione prolixè disputatum est.

Vndè Petrus Aurelius: [Id hæresibus non paucis similiter contigit, vt nimirùm ab vnius Prouinciæ, aut Regni Episcopis damnatæ sint, cæteris consensu solùm tacito, non Synodalium decretorum auctoritate suffragantibus. Sic enim Eustathianos, quos Synodus Gangrensis damnauit, non legimus ab aliarum prouinciarum Concilijs apertè deindè damnatos. Idem Arrianis, Collyridianis, alijsque accidit, quos pręter locorum, vbi exorti sunt, Episcopos, non constat ab aliarum regionum Synodis reiectos esse: sed vniuersali Ecclesiæ consensione, quæ sensim, sine sensu inoleuit, exauctoratos; quemadmodum singulorum postmodum Patrum scriptis declaratum est. Itaque vniuersali Ecclesiæ consensione, eaque sensim, sine sensu inolescente, vel damnationes hęresum, vel Synodi particulares earum peremptrices ità confirmantur, vt in Oecumenicæ Synodi auctoritatem semper, etsi non semper in eiusdem nominis gloriam consurgant.

Ideò ergo Chrysostomus, vel ipsi Nicęnæ Synodo robur accessisse ex consensione Orbis vniuersi docet eo sensu, qui infrà exponetur: [At tu non illos tantùm condemnas Nicęnos Patres, sed & Orbem terrarum vniuersum, qui illorum sententiam comprobauit.

Ideò & Facundus Herm. lib. 5. p. 216. de prima, secunda, quarta, omnique penitùs generali Synodo verba faciens, ait: [Et ideò non idem modus esse debet, atque ordo quærendi post definitionem Concilij, totius Ecclesiæ consensione, qui fuit ante definitionem.]

Et lib. 7. p. 297. Ephesinam Synodum recens habitam non tantæ fuisse auctoritatis ait, atque posteà: [Nam & ipsa multùm roboris ad auctoritatē addit antiquitas.] Quod & nos experimento quotidiano probamus, reuerentiam antiquitati vtique maiorem, & lubentiùs impendi. Nec id frustrà in Ecclesiasticis saltem causis. Plures enim, & noui subindè exurgunt sanctitatis, & doctrinæ copia locupletes, qui priora statuta versando priuatim, & retractando, admirandoque, nouum auctoritatis pondus adijciant.

5 Nec inficias, ibit quisquam tamen, hanc consensionem, seu tacitam, seu loquacem Ecclesiæ vniuersæ, non plebibus, non clericis minoribus, sed Episcopis adscribendam. Episcoporum est enim, ceu Apostolis succedentium, & Ecclesiæ magistrorum pręire discipulis suis, & Synodalia statuta condere, auctorare, promulgare. Iraque Chalcedonensem etiam Synodum numero Episcoporum, concordia, & auctoritate, longè maximam, Leo tamen Imperator posteà omnium Orientis Episcoporum subscriptionibus, fecit roborari.

Liberatus cap. 14. [Direxit per totum Orientem, &c. rescribunt Chalcedonensem Synodum vsque ad sanguinem vindicandam, &c. Et hæ epistolæ, vel relationes Episcoporum omnium, in vno Codicis corpore vocantur Encyclicæ.] Extant ad Chalcedonensis Concilij calcem epistolæ illæ Metropolitanorum triginta septem, cum suis Synodis ad confirmationem Chalcedonensis Concilij conspirantium.

Sed audiendus hìc est Facundus Hermian. lib. 12. pag. 541. [Volens hęreticos Leo Imperator, non tantùm, sed communi Ecclesiæ voce confundere, hoc & ipse fecit, quod Imperatorem decuit Christianum, vt per Metropolitanos Episcopos literas generales mitteret, consulens de Timothęo Alexandrino Episcopo parricida, vel de Concilio Chalcedonensi, vt conuenientibus secum Coepiscopis suis, & Clericis, sua responsione signarent, quid eis videretur. His ergo acceptis ijdem Metropolitani cum suis collegis, sicut erant commoniti de sua quisque prouincia responderunt, tàm concordi, atque constanti sententia, quàm solet multos vnire spiritus veritatis. Nàm licèt è diuersis, longèque distantibus locis data, nihil tamen habuerunt

runt

runt omnium responsa diuersum: quibus decreuerunt irretractabiliter esse custodienda Chalcedonen. decreta Concilij: protestantes, atque dicentes, neque iota, vel vnum apicem possumus, aut commouere, aut commutare eorum, quę apud illam definita sunt. Et iterum: Quoniam sicut soli nihil minus est, ad demonstrandum quia Sol est: sic & mangna, & sancta, & vniuersali Synodo Chalcedonensi minùs quidem bonorum nihil omninò est; neque addicamento aliquo eget, neque detractatione; ab Spiritu sancto veluti diuino quodam Sole condita.]

Hęc tot Episcoporum tam mirifica confirmatio instar habuit Synodi alterius, quam in confirmationem Synodi Chalcedonensis Leo ante meditatus fuerat, vt narrat Liberatus.

Adde Rusticum disput. con. Acephal. [Licèt sufficeret tibi vnica auctoritas Synodi vniuersalis, quæ numero superat vniuersas, quæ toties cunctarum Ecclesiarum consona sententia, tam per encyclicas epistolas regnante Leone, quàm per libellos Sacerdotum forsan duorum millium, & quingentorum imperante Iustino confirmata est.]

Idem & in quintæ Synodi negotio factitatum, si quid fidei sit epistolæ Pelagij Papæ, qua Cusanus ad Valerianum Patritium scriptam exscripsit lib. 2. Concord. cap. 20. [Quod celsitudo vestra dicit, vbi conuenire debeamus, & quasi Synodum facere, istud Canones nulli permittunt, post vniuersalem Synodum, & post iudicium, quod tamquam vno ore propè quatuor millia Episcoporum, tam in Metropolitanis suis, quàm singulares Constantinopoli protulerunt, iterum contentionem ad medium reuocare.]

Sardicensi Synodo subscripsisse Episcopos saltem trecentos quadraginta, supra ab Athanasio didicimus; quorum videlicet plerique posteà, & seorsim, non in ipsa Synodo consensionem suam adscripserunt. Sextæ Synodo, vt auctoritatem suam adiungerent, rogati à Leone Papa Hispaniarum Episcopi, in Concilio Toletano XIV. hæc definiunt can. 2. & 3. [Per Romani Prǽsulis baiulum, gesta Synodalia societati nostræ adnecta sunt, &c. Leonis quoque antiquæ Romæ Episcopi inuitatoria epistolaris gratiæ consulta suscepimus, &c. In cuius etiam gratioso epistolæ tractatu, ad hoc omnes Præsules Hispaniæ inuitati sunt, vt prædicta Synodalia instituta, quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta: omnibusque per nos sub Regno Hispaniæ consistentibus patescerent diuulgata, &c.]

Et mox: [Licèt in vnum generaliter colligi per idem tempus Hispanorum omnium Præsulum societas nequiuisset, sparsis tamen sedibus, atque locis, præfatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his de vtrarumque Iesu Christi Filij Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas, & operatio prędicatur, recti dogmatis sensum, inculpandæ disputationis edictum, Apostolicæ traditionis stylum.] Vides gesta Synodi Oecumenicæ ab Hispanis Episcopis perlecta, pertractata, approbata. Multò id expeditiùs esset in septima Synodo demonstrare.

Sed quia prolixiùs id enucleari postulat, proprio seorsim loco expendetur.

6 Sed quamquam vniuersis Orbis Christianus, quamquam prouinciales Synodi seiunctim, quamquam singulares seorsim Episcopi generalium Synodorum acta approbare, & confirmare vtcumque perhibeantur, quando assentiuntur, & subscribunt: non infringitur tamen singulare Petri, & Apostolicæ Sedis in confirmandis Synodis priuilegium. Quinimmò maiestas, & prærogatiua capitis ex membrorum præcellentia exaggeratur. Nam quod ad minores Synodos attinet, cùm ab ijs ad Pontificem prouocari possit, sine eius consensu, & auctoritate, minùs ratæ illæ sunt. Quod ad Oecumenicas verò spectat, cùm earum caput, & pręses sit Romanus Pontifex, illarum *tò cyros*, & principalis auctoritas penès ipsum est, non aliter, quàm Prouincialium Synodorum penès Metropolitanum.

Vndè Cusanus lib. 2. de Concordantia Catholica, cap. 15. [Et verum est nullum iudicium cuiuscumque Synodi, vbi non est auctoritas Apostolicæ Sedis, firmum esse; quia semper appellari potest à iudicio illius Synodi ad Apostolicam Sedem, &c. Propter appellationem, quæ ab ea interponi potest ad Apostolicam Sedem, absque confirmatione eiusdem Sedis, rata non est.] Hæc de Synodis minoribus.

De Oecumenicis verò paulò post: [Fortè diceres, etiam hęc regula de vniuersali Concilio vniuersæ Ecclesiæ vera est, quoniam nec illius Synodi etiam constitutiones, absque Apostolicæ Sedis, immò Romani Pontificis auctoritate ratæ non subsistunt. Fateor de constitutionibus fidem tangentibus verum esse, quòd si Sedis Apostolicæ auctoritas non interueniat, ratæ non sunt. Immò, & ipsius Pontificis consensus interuenire debet, cùm sit princeps in Episcopatu fidei. Sic & in alijs omnibus constitutionibus, quoniam ipsæ robur à concordia Synodica recipiunt. Nam etiam minimus suffraganeus in prouinciali, aut Canonicus in Episcopali, aut Metropolitanus in patriarchali Synodo, est ideò de suæ Synodi essentia, quia robur ex omni concordia dependet. Sicut Damasus Papa Concilium Ariminense ex hoc multùm arguit; quia Vincentius, qui longo tempore fuit Episcopus, & alij Episcopi consensum non dederunt.] Ergo statutis Oecumenicæ Synodi robur, & firmitatem gradatim accumulant singuli Episcopi, prouinciales, aut regionales Synodi, Sedes Apostolica, pro suo quique gradu. Ex communi enim omnium consensione roborantur decreta. Si minusculis ergo membris sua est, tamen vis, suumque pondus in consentiendo: quanto maior, & longè maxima eius est auctoritas, qui Princeps in Episcopatu fidei est, qui caput, qui Occidentales omnes maximè Episcopos, strictiùs sibi deuinctos, suo nutu circum-

cumagebat, sibi semper consentaneos, & secum gestæ in Oriente Synodo, vel consentientes, vel dissentientes?

7 Et quidem si non cortici rerum inhæreas, sed in ipsam introspicias medullam, non latebit, quò illæ pertinuerint subscriptiones Episcoporum, post quartam, quintam, sextamque Synodos corrogatæ. An Chalcedonensis enim Synodus à sexcentis ampliùs Episcopis habita, à Leone Papa confirmata, Occidenti, Orientique vniuerso approbata, in suspendio tamen adhuc per aliquot annos fuit, donec Leo Imperator Orientalium Episcoporum nouis sciunctim subscriptionibus confirmari curaret? Cui nisi vehementer insano tam deliria in mentem venient? Quæ enim posthac Synodus Oecumenica non nutabit, si retractari à posteris, si nouis semper suffragiorum corrogationibus confirmari indigeat? Idem de sexta Synodo, & alijs id genus pronunciandum. Ergo peractæ semel Synodo cæteri per Orbem Episcopi suæ magis confessionis, quàm approbationis, vel confirmationis testimonium subscribebant. Id liquet ex verbis Metropolitanorum Chalcedonensi posteà Synodo succinentium, quæ suprà ex Facundo retulimus. Profitentur enim, quod vniuersaliter valet in omnes receptas semel in auctoritatem Synodos: nihil ijs, vel addi, vel demi posse; nihil ibi constitutorum retractari debere. Idem patet ex epist. Martini Papæ I. ad Episc. Gall. post Monotheleticam hæresin Romana in Synodo Apostolico mucrone, Patrumque definitionibus vno ore, vnoque spiritu condemnatam. Idcircò studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, vt tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, & Synodali conuentione, scripta vnà cum subscriptionibus vestris, nobismet destinanda concelebrent; confirmantes, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide statuta sunt.] Subscribi, & subscribendo confirmari hortatur Lateranen. Synodi statuta, sed citra nouum examen. Id magis liquebit ex Leonis II. epistola secunda ad Episcopos Hispaniæ, quos sextæ Synodo hortatur subscribere, vt sibi consulant, non Synodo: [Ab omnibus Reuerendis Episcopis vnà vobiscum subscriptiones in eadem definitione venerandi Concilij subnectantur, ac sit profectò in libro vitæ properans vnusquisque Christi Ecclesiarum Antistes suum nomen adscribere; vt in vnius Euangelicæ, atque Apostolicæ fidei consonantia, nobiscum, & cum vniuersali sancta Synodo per suæ subscriptionis confessionem, tamquam præsens spiritu conueniat: quatenus Christo cùm ad iudicandum venerit, cum titulo orthodoxæ confessionis occurrens consortem se traditionis Apostolicæ per manus suæ demonstret signaculum. Quamquam ergo Hispaniarum Episcopi suprà dixerint, gesta sextæ Synodi nostri vigoris auctoritate suffulciri, & posteà, approbari: sed Leo tamen iterum, iterumque ab ijs non postulat, nisi suæ subscriptionis confessionem, titulum orthodoxæ confessionis, non vt nouo auctoritatis pondere Synodum quasi alloqui vacillantem confirmarent: sed vt ipsi in libro vitæ scribi, & consortes se traditionis Apostolicæ per manus suæ signaculum demonstrare properarent.

Et infrà idem Leo: [Cùm vestrarum subscriptionum paginas susceperimus, has apud beati Petri Apostolorum Principis confessionem deponemus, vt eo mediante, atque intercedente, à quo Christianæ fidei descendit vera traditio, offeratur Domino nostro Iesu Christo ad testimonium, & gloriam, eius mysterium fideliter cõfitentium, ac subscribentium. Audi non approbantium, aut confirmantium, sed confitentium, ac subscribentium testimonium?

Et epistola 4. [Hortati sumus omnium Ecclesiarum reuerendissimos Præsules, vt subscriptiones suas eidem Apostolicæ Synodali definitioni subnectant, & vtpote pro filijs, atque cum filijs Patres sua nomina in huiusmodi libro vitæ describant.]

Et rursùm, vt ad quartam Synodum redeam, accipe, quæ Euagrius scribit lib. 2. cap. 9. & 10. Leonem, non ad Episcopos tantùm, sed & ad Monachos sanctitatis laude spectabiliores scripsisse, ac præ cæteris ad Simeonem Stylitam. Num etiam Monachis ius superest confirmandæ Synodi? Sed quid rescribunt Episcopi? [Decretis Chalcedonen. Concilij inhærere: *enemeinan.*] Quid Simeon? [Ego abiectus, & vilis, & abortiuus Monachorum, Imperatori significaui meum propositum circa fidem Chalcedonensium Patrum sexcentorum triginta, inhærens, & confirmatus ab ea fide, &c.] Inhærere se, & confirmari, non confirmare profitetur. Consule & auctorem vitæ sancti Auxentij Abbatis, à quo similiter Marcianus confirmationem petijt Synodi Chalcedonensis.

8 Vtcumque tamen hæc singularium etiam Episcoporum, immò & Monachorum, adeòque & laicorum fidelium confessio, & expressa ad confessionis, non ad confirmationis necessitatem subscriptio, confirmationis aliquam non inanem præsefert imaginem. Hæc enim est Ecclesia Catholica toto Orbe diffusa, hoc semen Abrahæ stellis Cæli, & arenis Pelagi numerosiùs, huic Christus inconcussam stabilitatem, puramque ab errorum sordibus fidem pollicitus est. Ergo consensus ille Ecclesiæ Catholicæ explicatissimus, & à Monachis etiã, laicisque velut ad redundantiam quamdam veritatis elicitus, non aspernandæ confirmationis instar habet.

Ità Chrysostomus aduersùs Quartadecimanorum reliquias supra vrgebat consensum Orbis vniuersi.

Ità Leo Imperator per sanctissimorum etiam Monachorum subscriptiones sperabat suffundi posse Chalcedonensis Synodi allatratores.

Ità Augustinus libro contra epist. Fund. cap. 4. ea enumerans, quibus in gremio Ecclesiæ Catholicæ contineretur, ità orditur: [Tenet consensu populorum, atque gentium.]

Ità Vincentius Lirinensis Comm. 1. cap. 33. [Quæ dogmatum nouitates si reci-

piantur, necesse est, vt fides beatorum Patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violetur. Necesse est, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes virgines, omnes Clerici, Leuitæ, & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta Vrbium, tanta populorum celebritas, & multitudo, tot insulæ, Prouinciæ, Reges, Regna, Nationes, totus postremò iàm penè terrarum Orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nesciisse quid crederet, pronuncietur.]

Ità Ferrandus Carthagin. Diaconus epistola ad Seuerum: [Vtinam mihi fide simplici, quam Catholica per vniuersum Mundum docet Ecclesia, sic donec Deus esse contentum, &c. Loquantur, & prædicent, quibus honor Sacerdotij docendi auctoritatem tribuit, &c. Interroga si quid veritatis cupis audire principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cuius sana doctrina constat iudicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diuersa terrarum loca Pontifices, quibus scientia cælestium præceptorum diuinitùs inspirata, &c.]

Vbi primas Apostolicæ Sedi, secundas partes tribuit reliquis Episcopis, compendio fidem tenendam monet, [quam Catholica per vniuersum Mundum docet Ecclesia.]

Et infrà ad calcem eius opusculi, ait: [Patienter hanc dubitationem ferendam, donec vniuersalis Ecclesiæ auctoritate, vel pronuncietur suscipienda, vel prodatur abijcienda.]

Ità Ioannes II. epistola ad Senatores, ait: [Postquam epistolæ, vel dogmatis tenorem, cuncta Ecclesia, hoc est, Sacerdotum, Senatus, & Populi probauit adsensus.]

Nimirùm in ipsa populorum toto Orbe disseminatorum obedientia vnanimi, & consensione ad vnum fidei per Episcopos trutinatæ iugum subeundum, specimen Diuinæ Omnipotentiæ, & pignus elucet luculentissimum eius promissionis, qua Christo subiugandum Orbem omnem prisca vaticinia cecinerunt.

Ità ergo confirmatur, & auctoratur fides ab ijs, qui auctoritatis expertes cùm sint, contestantur tamen hanc esse auitam, & sibi à maioribus instillatam fidem.

Basilius libro de Spiritu sancto cap. 7. glorificandum Patrem non tantùm per Filium, sed etiam cum Filio docens, ait: [Videas & à rusticanis hodie hanc vocem more veterum pronunciari.]

9 Sed principalem, & legitimam potestatem confirmandarum Synodorum, etiam generalium penès sedem Petri esse, multis argumentis euincitur. Ideò enim Iulius Papa apud Socratem lib. 2. cap. 13. ad Episcopos Concilij Antiocheni scribit [eos contra canonem Ecclesiæ egisse, quia ipsum ad Concilium non vocauerunt, Ecclesiastico canone iubente non oportere præter sententiam Episcopi Romani, canones condere Ecclesijs. Aut vt apud Sozomenum lib. 3. cap. 9. Contra leges Ecclesiæ esse, quòd ipsum ad Synodum non vocassent. Esse enim legem sacerdotalem, quòd irrita declarentur, quæcumque fiunt præter sententiam Romani Episcopi.] Ideò & apud Theodoretum lib. 2. c. 22. Synodica Episcoporum nonaginta Romæ congregatorum cum Damaso Papa Epistola de Synodo Ariminensi, ait: [Si quidem numerus Episcoporum, qui Arimini congregati fuerunt, præiudicij vim habere non debet. Quandoquidem factum illud est, neque Romanorum Episcopo, cuius ante, alios oportebat sententiam expectare: neque alijs in res tales consentientibus.] Vbi vides ante alios omnes necessariam Romani Episcopi consensionem, & ex eius deliquio irritari Synodum. Vndè, & Siricius epist. 1. cap. 1. [Post cassatum Ariminense Concilium, missa ad prouincias à venerandę memorię Liberio generalia decreta, &c.] De confirmata secunda hac œcumenica Synodo à Damaso Papa, suprà dixi.

10 De quartæ Synodi confirmatione Facundus Hermianensis lib. 5. cap. 4. Cùm Leo dicat: Et fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum vnisse sententiam. Non ergo solam fidei definitionem, sed ipsa gesta Synodalia se pronunciat approbasse.] Vbi obserua primùm, non per legatos tantùm suos assuisse, & consensisse Synodo Chalcedonensi Leonem, sed postea etiam gesta Synodalia approbasse: quod posterius propriam eius actoritatem contineт, nulli prætereà Episcoporum concessam. Item Facundum aduersùs eos efferuescere, qui fidem tantùm Concilij approbatam à Leone Papa iactabant, non reliqua omnia, non illa maximè famosa tria capitula: ideòque irretractabilem illam solam esse, de his verò redintegrari posse iudicium. Quibus validè resistitur à Facundo, ostenditurque omnia prorsùs Concilij Chalcedonensis decreta à Leone confirmata, ideòque omnia perindè irretractabilia. Vtriusque ergo conueniebat, accessione, vel decessione approbationis sedis Apostolicæ fieri, vt acta œcumenicæ alioqui Synodi retractari possint, vel non possint; adeòque vt nomen, & pondus œcumenicæ Synodi obtineant, vel non obtineant in hac parte.

Allegat mox Facundus Gelasium quoq; Papam in epist. ad Episcopos per Dardaniam constitutos, vbi ait: Beatum Papam Leonem sedis Apostolicæ Præsulem, cuius Synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid vltrà quàm ab eodem pro fide, & communione Catholica, atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius præter Nicænos canones, noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacasse.] Omnibus ergo id præsumptum animo, & præiudicatum erat tunc orthodoxis, ea demùm rata, & fixa, nec ad nouæ disputationis incudem reuocanda esse Synodi Calcedonensis decreta,

quæ

quæ Leo Pontifex confirmasset. A quibus non abludit Ferrandus Eccl. Carthag. Diaconus ad Pelag. & Anathol. pro tribus similiter capitulis scribens, & maximè pro epistola Ibæ: [Si quis tunc accusator epistolæ, cuius catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia prouocaret, accusationi forsitan secundùm consuetudinem locus pateret. Sed quò iret? aut vbi maiores in Eclesia reperiret iudices? Ante se habens in legatis suis Apostolicam sedem: qua consentiente, quidquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum. Et infrà: Si retractentur Chalcedonensis decreta Concilij, de Nicæna Synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur. Vniuersalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros habent.

Vtque Scripturas nemo ad examen, quasi emendandos, vocat: [Sic omninò Concilia, quæ vetustas firmauit, & custodiuit deuota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, &c. Et statim: quæ finiuntur iudicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.] Vides quàm iuridica, & auctoritatis summæ insignibus ornata sit sententia Sedis Apostolicæ, decreta Conciliorum generalium confirmantis, quandoquidem ea diligentiùs examinat, & firmat: & illud adijcit momentum, ex quo id consequuntur, vt deinceps irretractabilia sint. Denique idem Ferrandus infrà. [Audi, fili, legem Patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ. Lex enim Patris fulget quantùm mihi videtur in canonicis libris, consilium matris in vniuersalibus Concilijs continetur, &c. Sufficere iudicatur ad plenam confirmationem, si perducta ad notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moueant, vel scandalum fratribus, sed Apostolicæ fidei conuenire firmentur, Apostolicæ sedis roborata consensu.] Vbi consensu quidem totius Ecclesiæ roborari generalia Concilia annuit, sed eo vno, quòd nemo offendatur, nemo auitæ fidei ea obstrepere clamitet: sed singulariter, & nouo examinis, atque auctoritatis pondere à sede Apostolica confirmari.

Aduersùs Facundi autē, & Ferrandi sententiam prolixè disputat Pelagius II. Papa epist. 5. ad Episc. Istriæ, nonnisi, quæ ad fidem pertinent Chalcedonensis statuta Concilij, à Leone confirmata contendens; ideòque illis tantùm, non alijs irretractabilem firmitatem adsignans. Leonis enim Papæ verba eadem, quæ suprà Facundus cùm excripsisset: subdit. In sola scilicet fidei causa, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum principum, & ex consensu Apostolicæ sedis placuit congregari. Et mox ex epistola Leonis ad Maximum Antiochenum hæc excerpit; Si quid sanè ab ijs fratribus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apostolica sede directi sunt, vt excisis heræsibus, Catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest diiudicandi habere rationem, &c. Hæc Leo: tum Pelagius. Priuatas causas, quæ ibi post definitionem fidei actæ sunt, non solùm minimè confirmauit, sed, & retractari, atque dijudicari concessit.] Denique Leo ipse Papa pondus auctoritatis suæ in confirmando Chalcedonensi Concilio non obscurè declarauit. Nam epist. 59. ad Marcianum Augustum, ait; [Cùm vestro præcipuè opere sit effectum, vt per Synodale Concilium, damnatis impij dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret, ad eiusdem deuotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquijs deleatur. Quod faciliùs clementia vestra arbitretur implendum, si per vniuersas Ecclesias, definitiones sanctæ Synodi Chalcedonensis Apostolicæ sedi placuisse doceantur.

Et epistola 60. ad Pulcheriam Augustam, Quod verò pijssimus Imperator ad omnes Episcopos, qui Chalcedonensi Synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus, quæ illi sunt de fidei regula definita, firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio sententiam meam haberi vellet incertam.] Ingens prorsùm momentum auctoritatis habitura erat Leonis Papæ confirmatio, quā Imperator postulabat, quam pij omnes expectabant, de qua fallaces erroris defensores dubitare se malè simulabant. Quanquam ergo Christiani orbis conspiratione firmetur plurimùm Concilij placitum, vt idem Leo docet epist. 52. [Non vltrà iam excusationis refugium conceditur, cùm sexcentorum ferè fratrum, & Coepiscoporum nostrorum Synodus congregata, &c. Non solùm sacerdotibus Christi, sed etiam principibus, & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus plenè, atque euidenter apparuit hanc esse verè Apostolicam fidem ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram, & ab omni fæce totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, & vniuerso iam mundo consentiente defendimus.] Consensu orbis auita hæc esse fides proditur. Numquam enim in vnum vniuersi aberrant.

Erroris enim plura semper diuerticula, simplex, & vna veritas est. Quidquid ergo vnum est vbique, non erratum, sed traditum est. Sed confirmandæ Synodi ius tamen speciale Petri sedi vendicat idem Leo rursùs epist. 66. ad Nicetam Aquil. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmauit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis, & apertis,

ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Et epist. 77. ad Anatol. Ità vt Chalcedonensis Synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicæ sedis firmauit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum.] Sed euidentissimè idem Leo canonem Chalcedonensis Concilij 28. irritum esse decreuit, & peruicit, expungique fecit.

Audi quid epist. ad Pulcheriam Aug. scribat; [Consensiones verò Episcoporum, sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsùs definitione cassamus, in omnibus, Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum per 318. Antistites Spiritus Sanctus instituit: ità vt si multò plures aliud, quàm illi statuere, decreuerent, in nulla reuerentia sit habendum, quidquid fuerit à prædictorum constitutione diuersum.] Tamquam vindex canonum Nicænorum, aduersantem illis canonem Chalcedonensem extremum non quomodocumq; suggillat, & respuit, sed [in irritum mittit, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsùs definitione cassat. Et cessit tandem Imperator, cessit Anatolius, cuius dignitas vertebatur, & erasus ex albo est, ille rescissus canon à Leone, vt infrà dicemus. Summa ergo, & propria vni Romano Pontifici competit hæc auctoritas.

11 Et hanc sanè Romani Pontificis, vt Synodorum generalium Custodis, Viudicis, executoris potestatem ad easdem confirmandas, vel irritandas Synodos singularem, luculentè Gelasius Papa profitetur epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ: [Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliâ magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam; quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit; pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequente, & tenuit semper, & retinet.] Si odiorum nebulas, si iurgiorum procellas, vel ad momentum abigere, & veritatis serenum hauríre Nouatores induceret in animum; quid æquius, quid ad Ecclesiæ tranquillitatem, canonumque vim tuendam opportuniùs, quàm vt Petri tot priuilegijs à Christo decorati sedes perpetua, Synodorum, Canonumque vindex, & defensatrix sit? Et pro iure suo, quidquid nouæ in dies Synodi, priscis Synodis, regulisque aduersùm statuent, id rescindat: quidquid consonum, id confirmet? Ità Ephesinam secundam synodum refutauit, Chalcedonensem approbauit Leo, eodem ibidem Gelasio auctore. [Dioscorum secundæ sedis Præsulem sua auctoritate damnauit Sedes Apostolica: & impiam synodum non consentiendo submouit: ac pro veritate, vt Chalcedonensis synodus fieret, sola decreuit, &c. Sicut id, quod prima sedes non probauerat, stare non potuit: sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit. Vbi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probauit; per benè gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas, pro fide Catholica, & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica approbauit, vt debuerit, & potuerit immutari.] Inuidiosa videri non debent priuilegia primæ sedis, eo vno nomine impetrata, quòd prima sit, cùm primam aliquam esse iusserit schismatis præuertendi necessitas. Est enim primæ sedis præ cæteris canones, Synodosque vt publicæ salutis propugnacula tueri, aduersa refellere, consentanea approbare.

12 Nec minùs perspicuè id efficitur ex quintæ Synodi exemplo, cui vix, aut nec vix quidem œcumenicum pondus auctoritatis antè affuit, quàm à Sede Apostolica reciperetur. Dissentiebat enim primò Occidentalis prorsùs Ecclesia, & nisi Vigilij demùm, aut certè Pelagij, Gregorijque Romanorum Pontificum consensio, & auctoritas perfregisset reclamantium pertinaciam, numquam illa synodus in vniuersam Ecclesiam, sed in Orientalem dumtaxat conualuisset. Pelagius II. epist. 7. cap. 7. ad Episcopos Istriæ adhuc bellantes aduersùs quintam synodum: [Rursùm per epistolam vestram dicitur, à Sede Apostolica vos doctos, atque ab scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsumus, confirmatos: ne huic rei, quæ sub piæ memoriæ Iustiniano Principe gesta est, consentire debeatis. Atque hanc opitulationem excusationi vestræ adiungitis, dicentes, quòd in causæ principio, & Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum prouinciarum Principes damnationi trium capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res, quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippè homines, & Græcitatis ignati, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognouerunt: & tantò eis celeriùs credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quieuit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent.] Ergo postquam consensit exploratæ iam veritati Sedes Apostolica, tunc necesse fuit omnes quintæ synodo assentiri: & ab hoc assensu Istriæ priùs abhorrebant Episcopi, quòd & Vigilium abhorruisse sentirent. Et cap. 8. [Si in trium capitulorum negotio aliud, cùm veritas quæreretur, aliud autem inuenta veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic sedi in crimine obijcitur, &c.] Et epist. 5. ad eosdem, eos hortatur, vt ad Ecclesiam redeant, quæ vna est, & Apostolicis

licis Sedibus superfulta: [In his namque ait Augustinus esse Dei Ecclesiam constitutam, qui Sedibus Apostolicis per successionem Præsulum præsidere noscuntur, &c. Et Cyprianus: Exordium ab vnitate proficiscitur, & primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra monstretur.] Sed lux plurima & his, & superioribus omnibus affundetur ex epistola Leonis II. qua sextam synodum confirmauit, ex ea planè auctoritate, quæ Petri sedem, quæ primam Ecclesiæ Cathedram, quæ fidei, & disciplinæ paternæ defensorem, quæ Occidentalis maximè orbis patronum decet, cuius nutu, & supercilio Occidentalis omnis agebatur Ecclesia, & suo assensu, vel dissensu, vel addebat, vel demebat Synodis Orientalibus œcumenicum nomen, & momentum. [Igitur gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia, singula quæ gesta sunt, flagitantes, eadem, quę Apostolicæ Sedis legati narrauerant, scriptis consonantibus conuenire reperimus. Cognouimus enim, quòd sancta, & vniuersalis, & sexta synodus, eadem, quæ vniuersa Synodus sanctæ, & Apostolicæ huic Sedi adiacens, senserit, atque decreuerit, sub orthodoxæ fidei integritate, regulisque maiorum; atque concorditer nobis confessa est, vnum esse de Trinitate Christum, &c. Per quæ reuera probauimus hanc sanctam sextam Synodum, Apostolicam prædicationem in ossenso pede suisse secutam, sanctorumque, & vniuersalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus consentientem, &c.] Et infrà: [Hanc rectæ & Apostolicæ traditionis normam prædecessor meus Agatho cum sua synodo prædicauit: hanc scriptis percurrentibus in suæ suggestionis pagina vestræ pietati per suos legatos misit, &c. quam sancta Synodus nunc suscepit, & nobiscum amplexa est, &c. Idcircò & nos, & per nostrum officium, hęc veneranda Sedes Apostolica concorditer, & vnanimiter, his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & beati Petri auctoritate confirmat.] Confirmat, & quidem ex auctoritate Petri sextam synodum, post examinata eius decreta, vt consentaneam fidei regulis ab Agathone Papa prælineatis, prioribus Conciliis generalibus, Occidentalisque totius Ecclesiæ, seu synodi sententiæ.

13 Parco septimam hic synodum excurrere, quòd prolixiorem operam, & alibi ideò seponendam res ea desideret. Octauæ synodo non subscripsere legati Apostolici, nisi vsque ad voluntatem Papæ. Et synodus ipsa confirmari se petens ab Hadriano Papa, [Prædica hanc Synodum, veluti propriam, & sollicitiùs confirma coeuangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris: vt per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis vniuersis Ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum, & iustitiæ decretum.] Abundè ex superioribus patet id, quod ait Gelasius Papa l. de anathemate, [Totum in Sedis Apostolicæ positum est potestate. Ità quod firmauit in synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutauit, habere non potuit firmitatem: & sola rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putauerat vsurpandum.] Nempè quia Sedes Apostolica tum, [Non promulgatrix est iteratæ sententiæ, sed veteris executrix:] vt ibidem subditur. Et epist. 13. [Quòd Sedes Apostolica sicut decuit antiquam traditionem custodiens, non synodum duxit iterandam: sed in eius præuaricatore pellendo, hanc eandem synodum potiùs exequendam.] Et infrà ait Leonem à Marciano Imperatore laudatum, quòd improbando, irritandoque extrema Chalcedonensis Synodi statuta, [canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Leonem enim quod præter Nicænos canones noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse.] Et infrà de Romana Synodo agens, quæ cum ipso Acacium damnauerat, ait, [Non tamquam noua synodus veterem, primamque cognouit, sed potiùs secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est.] His adde Leonis primi, & secundi verba superiùs relata, clarebit omninò non ambiosè in vniuersam Synodum insolescere Romanos Pontifices, sed synodorum potiùs vindices, custodes, & executores esse; ideòque intercedere necessariò, ne antiquis synodis per nouas derogetur, id est, ipsos maximè synodorum maiestatem defensare. Hallucinantur ergo mirum in modum, qui fœdam hinc Concilii œcumenici seruitutem augurantur. Quin ex aduerso inconcussam, æternamque illius auctoritatem, & gloriam iodè certò ominamur, quod inuictissima eius custos Sedes Apostolica, excubias actura sit, ne vllis posthac nouellis Synodis ei detrahatur.

14 Et rursùm quòd non sola, sed Italico, vel Occidentali Concilio succincta Sedes Apostolica, Orientales confirmaret, vel refutaret Synodos, non eius indè infringitur eximia prærogatiua, sed roboratur. Numquam enim sola, numquam filiorum clientumque suorum numeroso agmine nuda, potest Sedes Apostolica videri. Numquam caput à membrorum compage, numquam membrorum conspiratio à capite deficit: nec in iniuriam capitis, sed in eius gloriam redundat, quòd membrorum suorum venustate, & ope semper valletur. Facessant impiarum rixarum commenta. Ne caput hioc, indè membra præter caput omnia, & aduersùm caput velut in acie constituantur ac collidantur. Longè aliter Ecclesia Christi à Christo ipso imbuta olim est: quæ capitis, & membrorum omnium suorum opes viresque prorsùs communes, & indiscretas semper habere sibi visa est, & indiniduo vnitatis, charitatisque vinculo connexas; ità vt seu capitis, seu membrorum quorumlibet gloria in totum corpus refunderetur. Hincmarus l. 55. cap. c. 20. [Iulius Romæ Synodum celebrauit, & eamdem Nicęnam Synodum Apostolicæ Sedis auctoritate per se, sicut prædecessor illius Sylnester per legatos suos firmauit. Capitula quoque in eodem Concilio constituta, ipse omnibus validior antiquitatis vsua, & antiqua maiorum

iorum traditio; reuerendiſſimo vigore tenenda corroborauir.] Confirmat Nicæna ſtatuta omnibus validior antiquitatis vſus, hoc eſt, conſenſio, & conſuetudo Eccleſiarum, mores ſuos illis coaptantium. Sed confirmat eadem, confirmat ſynodicam de fide definitionem Romanus Pręſul Apoſtolicæ Sedis auctoritate: confirmat iſte imperio, illi obſequio. Vide & eumdem Hincmarum ibidem cap. 23. & 24. vbi Concilij ipſius Chalcedonenſis can. 9. & 28. item canonem huius Conſtantinopolitanæ Synodi de priuilegijs Sedis Conſtantinopolitanæ editum, à Sede Apoſtolica receptum fuiſſe negat, ideòque miſſum eſſe in irritum ex Gelaſio Papa contendit, cuius prolixè verba deſcribit. Nempè procuſi fuerant illi canones [in abſentia legatorum Sedis Apoſtolicæ, quibuſdam non conſentientibus; & pòſt reclamantibus, de ſacrorum canonum, & priuilegij Apoſtolicæ, ac primæ ſedis iniuria, & præiudicio eiſdem legatis.]

Quę ergo confirmata non ſunt à Sede Apoſtolica, ne ſtatuta quidem fuerant ab œcumenica Synodo, ſed tumultuariè, aut fraudulenter obrepiſſe. Etenim is eſt capitis, & membrorum, Pontificis, Synodique concentus, vt quæ ſynodicè ſtatuuntur, indubiè confirmentur: quæ non confirmantur, ea in Synodo magis, quàm à ſynodo, & præter ſynodicas leges ſubrepſiſſe, aut extorta fuiſſe æſtimentur. Vnde idem Hincmarus lib. de diuorc. Loth. & Tetber. pagina 686. tom. 2. [Quibus omnibus demonſtratur, quia ſynodus comprouincialium Epiſcoporum iudicia; generalis autem Synodus comprouincialium dijudicationes, ſiue diſſenſiones, vel probet, vel corrigat. Apoſtolica verò Sedes, & comprouincialium, & generalium retractet, reſricet, vel confirmet iudicia; ſicut epiſtolæ Leonis, atque Gelaſij, cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicenſis ſynodus euidenter oſtendunt. Et Epiſcoporum rectè iudicantium confirmatur, & ſecus iudicantium corrigitur, & interim ſundiens non perit auctoritas.]

15 Vbi & illud perſpicitur, prouinciales quoque ſynodos, ſiue regionales, non aliter, quàm Sedi Apoſtolicæ approbatas, inuictum robur aſſequi. Ratio ipſa Hincmari id reuincebat. Vt ſingulorum Epiſcoporum iudicia à Synodis prouinciæ, ità harum à ſuperioribus ſedibus, & omnium denique definitiones à ſumma, & prima ſede retractari, firmarique neceſſum eſſe. Vnde idem in epiſt. ad Carolum Regem operi de prædeſt. præfixa, [Synodus pro cognita infidelitate Felicis eſt habita, & ad Romanam Eccleſiam, velut ad apicem Eccleſiarum tranſmiſſa.] Et idem tom. 1. p. 266. Concilia quædam à ſe habita, à Sede Apoſtolica firmitatem inexpugnabilem conſecuta eſſe ſic narrat, ſiue fingit: vtcumque id habeat, elucebit tamen Pontificiam confirmationem quantùm ambierit, quanti fecerit: [Quæ Domni Apoſtolici Benedicti priuilegio ſub anathematis interpoſitione, vt indè quæſtio nullis aliquando temporibus otiaeur, ſunt confirmata: & demùm Domni Nicolai Papæ confirmatione, ſicut ſanctæ recordationis Benedictus Pontifex illam confirmauit: ſaluo Romanæ Sedis in omnibus iuſſu, atque iudicio, ſub terribili anathemate, vt quæcumque perſona magna, vel parua, temerario auſu contra hoc ſuum Apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, anathematis vinculo ſit innodatus, ſunt roborata. Et quia Sedes Apoſtolica in hoc prorsùs ſua ſibi magnopere iura conſeruat, & aliena cuſtodit, immò ſua propria facit, vt omnis quæſtio ad eam relata, iudicio, & ſuæ confirmationis deciſione finem accipiat.]

Id affectabant ergò Epiſcopi, vt irretractabilem auctoritatem ſuis decretis confirmatio primæ ſedis impartiretur. Æquitatem non raró eadem conciliabat, ſi quid peccatum eſſet, vt in Synodo de Lotharij Regis coniugio habita. Ideò Nicolaus epiſt. 23. ad Epiſcopos Synodi Metenſis, [Statuimus, vt cuncta, quæ fuerint definita, noſtro Præſulatui ſignificetis; vt ſi ea iuſtitiæ pulchritudine, probabilique ſanctione definita perſpexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus. Si autem iniuſtitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renouare ſummopere iubeamus.] Irà & Gregorius Magnus libro 7. epiſt. 111. ad Epiſcopos Galliarum, Synodi acta ſibi renunciari iubet, [vt ſubtiliter agnoſcentes, quid & cum qua cautela, vel qualiter ſit decretum, omnipotenti Deo de vita veſtra, vel moribus gratias perſoluamus.] Vide & epiſt. 112. Item epiſt. 70. [Quamuis ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate nullas, quęcumque acta fuerint, vires habeant.] Vbi de Conſtantinopolitanæ cuiuſdam ſynodi actis agit. Et l. 2. epiſt. 47. & 48. ad Epiſc. Numidiæ, [De vnitate, ac pace Concilij, quod Deo auctore congregare diſponitis, charitas tua animos noſtros ſubtiliter omnia iudicando lętificet.]

Hunc enim fructum vnum decerpit ex hac ſua in Eccleſias omnes indefeſſa vigilantia Sedes Apoſtolica, vt de vnitate, & ſanctimonia ipſarum ipſis gratuletur, ſibi gaudeat, Deo gratias referat: hunc autem fructum longè vberrimum illis affundit, vt quod decreuerint, id ad æquitatis normam expenſum, id irretractabile, id vniuerſali quadam auctoritate ornatum ſit. Ideò Poſsidius in vita Auguſt. cap. 18. poſt laudata Africana aduersùs Pelagianos Concilia, [At illi tantæ ſedis Antiſtites Innocentius, & Zozimus, ſuis diuerſis temporibus eoſdem notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt.] De Carthaginenſibus Concilijs à Sede Petri confirmatis, & indè nactis indubitatam, irreuocabilem, vniuerſalem definitionum ſuarum vim prolixiùs infrà ſuo loco, ſicut & de Synodo Arauſicana. Penè ſuffugerat eximius locus epiſtolæ Flauiani Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Leonem, ſuam, qua Eutychetem damnarat, ſynodum con-

fir-

firmari enixiùs petentis.[Propriam faciens communem causam, & sanctatum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare: confortare autem, & pijssimi Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem,& pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenùs nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.]

Vbi roboratam assensu Sedis Apostolicæ synodum, toto in Orbe Catholico ad illud perspicis auctoritatis fastigium euolaturam, vt iam otiosa futura sit synodus œcumenica. Siue quòd œcumenicæ instar habeat synodi Sedes Apostolica sola; siue quòd eius in omnes Ecclesias sententia promulgata, subscriptaque, œcumenicæ Synodi pondus obtineat illa omnium Ecclesiarum suffragario; siue vtrumque, quia vtrumque sibi conifictum est,& indiuulsum. Victor Tununensis in Chronic. à Romano Antistite Apostolica auctoritate firmatam ait, Flauiani definitionem aduersùs Entychetem.

16 Et rursùm Ennodius in Apologetico pro Romana Synodo,qui prouinciales omnes Synodi à Petri successore singulari confirmentur, ità declarat: obiectionem secùs sentientium proferens, & exufflans: [Ergo Concilia Sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias, quia præsentiam Papæ non habent,valetudinem perdiderunt? Legite, insanissimi,aliquando in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de maioribus negotijsad collationem siquid occurrit, præsatæ sedis arbitrio fuisse seruatum. Sic enim habes: Si quis Episcoporum iudicio prouinciali depositus fuerit, Romanum Papam, si placet, rursùs appellet; & ipse, si videtur, reparet iudicia in opitulatione damnati. Ecce enode est, quod ad laqueum præparastis.]

Adde his synodicas consultationes, teste Hieronymo, ab Oriente & Occidente Romam destinari solitas. Adde Synodos toto Orbe habitas de Paschæ die, & de baptismo hæreticorum: à nutu, & consensu primæ sedis omnium definitionum robur, omnium infirmationem manasse, vbique perspicuum. Hieronymus aduersùs Luciser. [Cyprianus hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit; sed conatus eius frustrà fuit.] Et Vincentius Lirinensis suprà laudatus, aiebat Cypriano nouanti, & eius Synodo Stephanum tantò plus ceteris restitisse, quantò loci dignitate superabat. Denique in epistola, quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: Nisi quod traditum est. Et quamquam obcalluisse tunc visa sit contumacia, [Quis tunc vniuersi negotij exitus? Quis vtique nisi vsitatus, & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa nouitas.] Et mox: [Quid postremò ipsius Africani Concilij, siue decreti, quæ vires? Donante Deo, nullæ: sed vniuersa tamquam somnia, tamquam fabulæ, tamquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.] Ad Romanæ enim, & Ecclesiæ auctoritatem, & disciplinæ imitationem ipsi se Afri contulere, tametsi Græcos sequi possent à rebaptizandorum hæreticorum more numquam satis, numquam penitùs expiatos. De Paschæ die autem superiùs Beda nos docuit missam à Victore Papa auctoritatem, & formam, quam omnes Orientis Ecclesiæ sequerentur. Valet ergo illud Ratherij Veronensis Episcopi in itinerario, [Qua ignorantia, quo meliùs exui, quo aptiùs possum, quàm Romæ doceri? Quid enim de ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romæ ignoretur? Illic summi illi totius Orbis Doctores. Illic præstantiores enituerunt vniuersalis Ecclesiæ principes. Illic decreta Pontificum vniuersorum congregatio, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremò nusquam ratum, quod illic irritum: nusquam irritum, quòd illic ratum fuerit visum. Vbinam ergo meliùs insipientiæ consulitur mez, quàm vbi fons sapientiæ certnlrur esse?] Et Ratramnus lib. 4. aduers. opposita Græcorum: [Si quidem omne Concilium, vel quod in Oriente, vel quod in Africa gestum esse dignoscitur: vel Romani Pontificis Vicarios semper habuit præsidentes, vel eius auctoritate literarum, quæ fuerunt decreta, firmitudinem acceperunt.] Et mox: [Et reuerà omnes Orientales Ecclesiæ, simul & Occidentales, Romanæ Ecclesiæ Præsulem semper quasi Caput Episcoporum venerati sunt, & ad eius sententiam respexerunt: & de rebus dubijs quæcumque decreuit, eius iudicium susti-nuerunt, ipsiusque decreto paruerunt. Quæcumque Concilia eius sententia roborata sunt, rata manserunt: quæ verò damnauit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem vllam habere potuerunt.]

17 Vbique enim valebat, quod suprà Hieronymus de Ecclesiæ Alexandrinæ in Romanam veneratione, huius in illam magisterio effatus est. [Scito me semper meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam: cuius se esse participem, Alexandrina Ecclesia gloriatur.] Et idem rursùs: [Prædicationem Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet. [Si Alexandrina,& Synodus, & Ecclesia, vtique alia quæcumque multò magis,fidem & decreta Romanæ se sequi gloriabitur; Romana, eius statuta confirmabit. Hos enim officij numeros implere debet magistra, & discipula, Petri & Marci Cathedra. Vt Ecclesias enim, ità synodos, Ecclesiarum repræsentationes, regit, docet, confirmat, quæ prima, & princeps est. Vnde Tertullianus lib. de præscriptionibus: [Constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis,Matricibus, & Originalibus fidei conspiret, veritati deputandam.] Et lib.4. aduer-

uersùs Marcionem: [Constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctum.] Et quamquam tunc quidem multæ numerarentur Ecclesiæ Matrices, Originales, Apostolicæ, vna tamen cęteris Apostolicis Petri Cathedra eminebat, vt vnus Apostolis Petrus; cui quantò tutiùs, quàm cęteris incumberetur, vt cętera nunc taceam, ipsa rerum euidentia,ipsa potiùs Numinis prouidentia perspicuum fecit: cęteras omnes à vinculo fidei, & vnitatis diuelli passa; hanc vnam inexpugnabilem, in arce veritatis, & in Ecclesiarum principatu consetuans.

18 A Petri enim priuilegio deriuari hanc Synodorum firmandarum dotem, insinuarunt supra relati testes. Leo II. [Sedes Apostolica consentit, & beati Petri auctoritate confirmat.] Synodus IV. Romana sub Symmacho: [Præsul Apostolicæ Sedis prærogatiua, & meritis B.Petri Apostoli, per vniuersum Orbem primatum obtinens sacerdotij, statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem.] Gelasius, [Synodum vnamquamque Sedes Apostolica confirmat, & custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Domini vocem perceptum tenuit semper, & retinet.] Leo primus, [Per auctoritatem beati Petri Apostoli cassamus.] Hieronymus, [Cathedra Petri confirmet.] Verùm, vt aiebat suprà Tertullianus: [Tot, & tantæ Ecclesiæ vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.] Itá omnes Ecclesiæ, Synodique Romano inhærentes magisterio, eius priuilegio decorantur; & indubiam veritatem, inconcussam firmitatem, vniuersalem ipsæ quoque auctoritatem consequuntur. Itá quod iam præmonuimus, nihil inuidiæ, nihil rixæ inter caput, & membra inferendum est. Caput enim non aliter præesse se gaudet, quàm vt profit: membra non illibenter obsequuntur, quæ hoc suo obsequio, ipsam capitis priuilegiorum communionem consequi se intelligunt.



DISSER-

DISSERTATIO VII.

De Synodo ad Quercum, & de tota causa Chrysostomi.

SYNOPSIS.

Prouocatio Chrysostomi ad Synodum Oecumenicam demonstratur perindè interpretanda, ac si ad Romanum Pontificem prouocasset: cuius erat eam conuocare, qui ei conuocandæ incubuit, qui eius non conuocatæ vices suppleuit, Chrysostomumque restituit. Item quid de illa tunc sanctorum inter se virorum conflictatione sentiendum.

1 NON calamitosæ huius historiæ lacinias omnes consectari aggredior: sed pauca meo more carpere, ex quibus inuictissimè id efficiatur, quod ad illustrationem priscæ disciplinæ conducat: nimirùm cùm ad Concilium œcumenicum prouocabatur, perindè esse, ac si ad eius Præsidem, seu Romanum Pontificem prouocaretur: eius muneris fuisse Concilium œcumenicum tunc congregare: interim dum in suspenso res erat, rectè, aut temerè iudicata ab alijs, confirmare, vel irritare.

2 Palladium ergo primò excutiamus, qui vitam, causamque hanc maximè Chrysostomi, luculento Dialogo complexus est. [Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ lector, cum Papæ Theophili literis, quibus indicabat Ioannem à se fuisse depositum. Eas literas cùm legisset B. Innocentius Romanæ Sedis Antistes, exhorruit temeritatem, fastumque Theophili; ægrè ferens, & quòd solus scripserat, & quòd rei totius seriem referre omiserat; cuius scilicet rei gratia, quibusue adiunctis sibi socijs illum deponere ausus fuisset. Inter hæc mansit admirans, nihilque rescribere voluit, rei indignitate commotus, &c. Post triduum aduenerunt Episcopi quatuor à Ioanne missi, tres Innocentio epistolas deferentes, vnam quidem Ioannis Episcopi, secundam Episcoporum quadraginta de communione Ioannis, tertiam scripserat Ioannis clerus: omnes indisciplinatum tumultum, & seditionem pariter significantes.] Hìc vides necesse fuisse, maiores causas ad primam Sedem referri: & certatim ad Innocentium retulisse, tum Theophilum, tum Chrysostomum: sed illum præfractè, & abruptè, vt facinoris totius architectum: hunc suppliciter, vt canonum gnarum, & opis indigum.

3 Ibidem subijcitur epistola Chrysostomi, ex qua pauca libabo. Ait se Episcopos hos misisse, [qui ad charitatem vestram currerent, omnibusque lucidè expositis, maturè tantæ cladi remedium dari salubre postularent.] Mox ait se Theophili iudicium recusasse, vt aduersarij, vt Aegyptum solam curare iussi: [nobis asserentibus, paratos nos esse præsentibus, & centum, & mille Episcopis crimina obiecta refellere, &c. Violenter abductus, iniectusque in nauim, noctu nauigabam, quia Synodum ad iustum iudicium vocare volueram. Restitutum se ait orasse Imperatorem, vt ad vlciscenda facinora Synodum cogeret, &c. Nos nihilo segniùs institimus, vt Imperator Concilium congregaret, &c.] Rursùm denique eiectum se in exilium: [Ne igitur immanis ista confusio cuncta percurrat, & vbique dominetur; scribite, precor, & auctoritate vestra decernite, huiusmodi iniquè gesta nobis absentibus, & iudicium non declinantibus, nullius esse roboris, sicut per suam naturam sunt profectò irrita, & nulla. Porrò qui talia gessere, eos ecclesiasticæ censuræ subijcite. Nos autem insontes, neque conuictos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos, Ecclesijs nostris iubete restitui, vt charitate frui, ac pace cum fratribus nostris consueta, possimus.] Qui ergo ad Synodum prouocarat Chrysostomus, eò tandem rem intelligit redire, vt per Papam Innocentium, & Occidentales Episcopos ei cohæreutes restituatur suæ Sedi, rescissa latrocinalis ad Quercum Synodi sententia.

4 Subiungit Palladius: [Ad hæc rescripsit beatus P. Innocentius, communioque vtriusque partis admissa: Theophili iudicium cassum, atque irritum esse decreuit, dicens oportet conflari aliam irreprehensibilem Synodum Orientalium, & Occidentalium Sacerdotum, &c.]

Subtexitur mox epistola Innocentij ad Theophilum, vbi hæc habentur: [Et te, & fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse decreuimus, &c. Possibile non est, nos à Ioannis communione discedere. Itàque si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum pro-

proximè in Christo celebrandæ.]

Et paulò post rursùm Palladius narrat: [Post istos venit secundò Demetrius Episcopus Pisinuntis, qui peragrato Oriente, prædicauerat communionem Ecclesiæ Romanæ cum Episcopo Ioanne, testibus Innocentij Papæ literis, afferens epistolas ab Episcopis curiæ, in quibus Ioannis amplectuntur communionem.]

Tùm Innocentius scribit ad Honorium Imperatorem, [quibus literis motus princeps, iubet Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & eùm in vnam sententiam concurrisset, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, vt scriberet Arcadio fratri suo, vt iuberet Thessaloniceæ Concilium fieri, quo faciliùs possent vtræque partes Orientis, Occidentisque concurrere.]

Tùm Episcopi mittuntur legati Constantinopolim, cum epistolis Honorij, Innocentij, & cæterorum Episcoporum, & hoc præ cæteris instructi commonitorio: [Non oportere Ioannem iudicium ingredi, nisi priùs Ecclesia illi, communioque redderetur.]

Sententia ergo cæterorum cum Theophilo Episcoporum, in Chrysostomum vibrata, ab Innocentio rescissa est, retenta eius communio, ei fama toto Orbe didita, toto Oriente applausum Innocentio: interim ab eodem vocatur ad ampliorem Synodum Theophilus causam dicturus, Synodus Oecumenica ab Imperatoribus postulatur, ea lege præscripta, vt Chrysostomus antè Ecclesiæ suæ restitueretur iuxtà sententiam Innocentij, quàm eius causa in Oecumenica Synodo retractaretur. est ergo Sedes Romana vnitatis, & communionis Ecclesiasticæ, summus vertex, maiorumque causarum iudex: quæ solo dissensu Synodos, & conatus Theophili irritauit: solo communionis suæ beneficio Chrysostomum redintegrauit: Synodi Oecumenicæ interim vicem suppleuit, dum ea impetraretur ab Imperatore: & quia ab Arcadio expugnati ea non potuit, vim eius, & auctoritatem sola impleuit. In eoque Ecclesiæ salus alioqui nutabunda, eum constitit.

5 Et infrà rursùs eadem fusiùs retexuntur, ex quibus hæc paucissima carptim stringam.

Testabatur Chrysostomus se paratum venire ad vniuersalem Synodum. Cumque præualerent aduersarij Chrysostomi, [Theodotus Thyaneus Episcopus vir summæ grauitatis, ne Theophili temeritatem sequeretur, relictis omnibus ad suam remeauit Ecclesiam, valefaciens comitatui, suamque prouinciam vallans pietatis muro, & ad finem vsque in communione persistens fidelium Romanorum: de quibus Paulus testatur, Fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.]

Et infrà post subrogatum Chrysostomo Arsacium, Arsacio Atticum: [Hic cùm animaduerteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius Ciuitatis populum, &c.] Et deniquè eandem: [Et autem hæc Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem vsque Orientalibus Episcopis, maximèque Theophilo, donec Dominus vniuersalis Synodi tribuat locum: ac per eam curet putrida membra eorum, qui hæc gessere. Etsi enim dormit B. Ioannes, vigilat tamen veritas, de qua est facienda discussio.] Apertum est Sedem Petri communionis suæ, vel confessione, vel inficiatione, momenta, & inchoationem rebus indidisse: & quamquam tum non potuerit infringere imperatoriæ potestatis vim indomitam: in ipso tamen Oriente sanos quosque Episcopos, & fideles, in officio, & amore Chrysostomi retinuisse: totum Occidentem ei adiunxisse, & tandem peruicisse, vt vel post mortem, & ab ipso Imperatore Chrysostomus reuocaretur.

6 Innocentius ipse Papa epist. 16. negat se Attico communionem suam restiturum, nisi quæ Chrysostomum spectabant impositas conditiones impleset, vt impleuerat Alexander Antiochenus Episcopus, cui ea de re copiam fecerat suæ communionis. [Communio enim suspensa restituitur, demonstrati causas, quibus id acciderat, iam esse detersas, & profiteori conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos Attiens missis aliquibus suorum, vel dicere voluit, vel demonstrare completum: quemadmodum Antiochenæ Ecclesiæ frater, & Coepiscopus noster Alexander, digna legatione, & prosecutus est, & probauit. Quibus omnibus vtique interesse dignatus, cognouisti quemadmodum singulatim omnia scriptorum nostrorum antehac de causa beatissimi Ioannis quondam Episcopi nostri discusserim, &c.]

Et epist. 17. Alexandro ipsi Antiocheno gratulatur, quod [tota virtute pacis amator existens, eam inquisitam inueneris, & repertam summa charitate retinueris, &c. Multùm in gestis sollicitus inquisiui, vtrùm omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati, & verè Deo digni Sacerdotis Ioannis, &c. Scripta autem Attici Episcopi, quoniam eum vestris sunt porrecta, suscepimus, &c.] Communionis, & literarum gratiam Attico quoque se præstiturum concludit, si eadem impleat conditiones. In decretis eadem habetur.

Et rursùs idem epist. 14. [Antiochena Ecclesia velut germana Romanæ Ecclesiæ, diù ab eadem alienam se esse passa non est. Nam missis Legatis ità pacem postulauit, & meruit, vt Ioannis sanctæ memoriæ, vel clericos, vel laicos, in vnum colligeret, atque congregaret.]

Et epist. 19. ad Acacium Betoeæ Episcopum. [Vel serò receptæ pacis gratiam te fouitte, postposita omni contentione peruidimus. Vndè has ad præstantissimum fratrem, & Coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisimus vnanimitati, videlicet vt si omnes inimicitiæ, omnis æmulatio tam de nomine sancti Ioannis mirandi Episcopi, quàm de omnibus eiusdem communionis participibus, à tua animositate discessit; has nostræ societatis recipias literas, frater charissime: modò vt omnia, quæ de his actis firmata sunt,

sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum, ore proprio, vt communicantem conuenit, fatearis.] Ergo Innocentius, vt Chrysostomi restitutor, vt innocentiæ eius, & suæ in eius gratiam sententiæ vindex, eo tandem adegit Constantinopolitanum, Antiochenum, Berœensem, aliosque Orientales Episcopos, Chrysostomi priùs aduersarios, vt Romanæ Ecclesiæ communionem ea de causa abscissam peterent, nec impetrarent, nisi conditionibus omnibus satisfecissent, restituto, & diptychis reddito Ioannis nomine; omnibusque eius communionis tenacibus in suam communionem recollectis. Ergo sine Synodo Oecumenica, parem vim & auctoritatem obtinuit sola Innocentij sententia.

7. Iam verò Socrates lib. 6. cap. 14. [Vbi verò Ioannes eos, qui eum accersiuernat, tanquam inimicos à suæ causæ disceptatione exceperat, & ad Oecumenicum Concilium prouocatar, illi absque mora quater illum accersiuerunt.]

Et Sozomenus lib. 8. cap. 17. [Cùm quater vocatus, ad Oecumenicam Synodum prouocasset, illi nihil aliud causati, quàm quòd vocatus non obtemperasset, eum deposuerunt.]

Et cap. 26. [Certior factus Innocentius Romanorum Episcopus, eorum, quæ aduersùs Ioannem acta erant: indignè tulit; atque vt ea damnauit, ità etiam Oecumenicum Concilium conuocare studuit; scripsitque tum ad Ionnem, tum ad Clericos Constantinopolitanos.]

Refertur mox epistola Innocentij ad Clerum Constantinopolitanum: vbi solos vigere debere decernit Nicænos Canones; alios nempè Antiochenos, quibus impugnatus fuerat Chrysostomus, respuit; in Sardicensi Synodo repudiatos testatur, & tandem, cogendæ Synodi Oecumenicę curam sibi imminere agnoscit, si per Imperatores liceat: [Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multò iam antea congregandam diximus. ea quippè sola est, quæ huiusmodi procellarum impetum retundere possit, &c. At nos quidem multùm deliberamus, quomodò Oecumenica Synodus cougregetur, per quam diuina voluntate turbulenti isti motus sopiantur.] Narrat infrà ab aduersarijs Chrysostomi prohibitam esse Synodum.

Denique Theodoretus lib. 5. histor. cap. 34. [Istud iniquum facinus contra Ioannem admissum, Episcopi Europæ præter cæteros detestati sunt. Nam se à communione illorum, qui illud consciuerant, separauere. Quibus totius Illyrici cuncti se adiunxere Episcopi. Porrò autem quamplurimi Episcopi ciuitatum, versùs Orientem sitarum, à facinoris communione se seiunxerunt quidem, sed corpus Ecclesiæ minimè distraxerunt. Quinimò isto excellenti totius Orbis terræ Doctore mortuo, Episcopi Occidentis non priùs cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ, communicare voluerunt, quàm nomen illius sanctissimi viri in tabulas retulissent, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur.]

Vbi quamquam prouocasse dicatur Chrysostomus, liquidum tamen est, quod ad nauseam, vsque iam inculcauimus, huiusmodi eam fuisse prouocationem, vt cùm infestos sibi iudices recusasset, ad maiorem, seu ad Oecumenicam Synodum causam ill suam reseruarit. Rursùs vtcumque ad Synodum Oecumenicam prouocasse, perindè est, ac ad eius prouocasse Præsidem, Antistitem Romanum.

Ideò enim & legati, & epistolæ Ioannis, & omnes eius partium patroni Romam diriguntur.

Ideò Innocentius suam Ioanni communionem imparrire persistit.

Ideò acta Theophili, & canones, quibus nitebatur, fuggillat.

Ideò in curam colligendæ Oecumenicæ Synodi totus incumbit.

Ideò desperata Synodi congregatione, eius vicem interim supplet, & tandem implet, collaborante secum Occidente toto: tandemque Chrysostomum, licèt huius vitæ vinculis iam absolutum, omnesque eius communicatores, pristinis honoribus, & Ecclesijs restituit.

8 Quòd autem capitale est rei totius momentum, nempè sine Synodo Oecumenica, quando eius copia non facilè datur, parem, idest, summam & ineluctabilem adesse primæ sedi auctoritatem; vt solo dissensu quascumque Synodos temerè grassatas rescindat, damnatos absoluat, eiectos restituat; & communionis suæ cum innocentibus continuatione, à grassatoribus dissociatione, in integrum omnia restituat; & quamuis aliquandiù contemni videatur, peruincat tandem, & omnes obices victrix perfringat: id tum alijs, tum hoc maximè Chrysostomi exemplo efficit Gelasius Papa epist. 13. ad Episc. Dardan. [Quòd Apostolica Sedes frequenter more maiorum etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodos iniquè damnauerat; & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Ioanem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat; quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit.]

Cui succinit Vigilius Papa in Constituto: Hanc autem regulam, & in sanctorum Ioannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysostomum vocant, atque Flauiani eiusdem Ciuitatis Episcopi veneranda memoria constat esse seruatam. Qui licèt violenter exclusi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eò quòd semper inuiolatam eorum communionem Romani Pontifices seruauerunt: nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, quos sibi inconuulsè vnitos Apostolica indicauit auctoritas.]

Similiter, & in Concillio Constanti-

nopolitano sub Mena Act. 5. [Secundùm quod sanctæ memoriæ Paulus, & Ioannes, & Flauianus, Patres huius regiæ Vrbis reuocati fuerunt; sic & ipsi Euphemius, & Macedonius eiusdem honoris in sacris libris participes fiant.]

Et Iustinianus Imperator in edicto fidei pro quinta Synodo, [Quantum autem ad insipientiam dicentium, non oportere anathematizari post mortem eos, qui in sua impietate mortui sunt; Oportebat nec eos, qui iniustè condemnati sunt Patres, post mortem reuocari: quale contigit in Ioanne sanctę recordationis Episcopo Constantinopolitano, à Catholica Ecclesia post mortem reuocato, & in Flauiano sanctæ memoriæ Constantinopolitano Episcopo, iniustè quidem in vita damnato, iustè autem post mortem reuocato, tam à sanctę memorię Leone Papa, quàm à sancta Chalcedonensi Synodo.] Siue ergo synodicè, siue vt plurimùm sine Synodis generalibus, rescissæ sunt Synodi, Synodicęque Episcoporum innocentium damnationes, ab vna maximè Apostolica Sede; dissensu eius solo, & communionis cum damnatis perpetuatione. Et perinde est, siue superstites, siue post mortem reuocati sint: par enim emicat in reuocante auctoritas, nisi si tantò maiorem illam iure interpretemur, quantò maiores, & diuturniores aduersariorum conatus perfregerit. Vbi non facilè omittenda, quæ habet Prosper in Chronico. [Ioannes CPolitanus, & Theophilus Alex. illustres Episcopi habentur. Sed vtrumque obscurauit discordia; quæ eò vsque processit, vt Ioannes à Theophilo oppressus Pontum in exilium pergere cogeretur. Cum tamen communionem eius maxima pars Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, seruauerit.]

9 His accedat Facundus Hermianensis lib. 4. cap. 1. breui summam huius negotij complexus. [Qui Ioannes Chrysostomus pro vnitate seruãda Ecclesiæ, quam dilexit, maluit suæ causę ferre iacturam. Nam si eam vellet asserere, sicut erat vitæ probabilis, & facundiæ singularis; habens etiam magnam gratiam populi Christiani, cui pro maioribus suis meritis erat acceptus: & defensionem Sedis Apostolicæ, sine cuius erat iudicio condemnatus, facilè posset obtinere victoriam: quæ illum etiam fugientem est persecuta post mortem. Sed metuens ne absolutus aliorum iudicio, per obstinationem aduersariorum suorum non reciperetur ab alijs: atque ità quibusdam ei communicantibus, quibusdam verò auersantibus eius communionem, Ecclesia scinderetur, pro cuius vtilitate sciebat se Episcopum factum; elegit consultissimè, & admodum mirabili pietate, Cathedram Episcopatus sui relinquere, quàm vt per eius defensionem vnica Christi diuideretur hæreditas.] Quibus nihil elegantius fieri potuit.

Itàque Chrysostomo parata, & ad manum erat victoria, tum ob alia pręsidia, tum ob Sedis Apostolicæ defensionem, sine cuius erat iudicio condemnatus. Nam approbanda semper fuere primæ sedi maiorum causarum iudicia, vbicumque, & à quibuscumque, etiam à secunda sede discussa: alioqui irrita futura.

Illud prorsus cum Gelasio consentit, ingeminante sępius, talium Antistitum damnationes Sedem Apostolicam, quia non consensit, irritasse.

Addit Facundus, [Victoria illum etiam post mortem persecuta est fugientem.] Peręquè enim vicit Chrysostomus, acsi superstes sedem suam rursùm insedisset. Vicit enim causa, vicit æquitas. Et vt suprà aiebat Palladius, [Etsi dormit Ioannes, vigilat veritas.]

Denique idem Facundus libro sexto cap. vltimo, apertissimè: [Theophili sui successoris Cyrillus sententiam sequens, ipse etiam postea contra iudicium quoque Sedis Apostolicæ, quæ per beatissimum Papam Innocentium, prædicti sancti Ioannis in exilio constituti damnationem soluerat; nomen eius post mortem inter Dei Sacerdotes, in sacrificio recitari prohibuit.]

Qua in re non laudat, immò vehementer Cyrillum aberrasse affirmat Facundus: vt qui Sedis Apostolicæ iudicio, potiùs, quàm Theophili obtemperare debuerat.

10 Cæterùm abundè ex antedictis refellitur vecordia Nouatorum, qui nec à Chrysostomo appellatum Innocentium garrire solent, & nihil ab Innocentio gestum, quòd non cum Occidentis Episcopis communicandum sit, & complurimis Orientalibus: denique non excommunicatos fuisse ab Innocentio Orientales Episcopos Chrysostomi insidiatores, sed ipsum se ab eorum communione disiunxisse, mutuumque fuisse illud diuortium. Perperam ab illis hæc omnia blatterantur. Nam frequentissimè iam euicimus, neque dum tritas adeò, & vsitatas in Ecclesia fuisse appellationum formulas forenses, sed eodem in loco fuisse, causæ ad maiorem Synodum reseruationes: nec aliud esse ad Synodum, quàm ad Synodi præsidem recurrir: nec enim Synodi sine præside, nec præsides tunc sine Synodo quidquam moliebantur: & cùm ad Occidentales potissimùm respectaret Chrysostomus, vt causę suę restauratores, non poterat non ad Occidentalium singulare caput intueri. Ideò & Legati & defensores eius omnes Romam confluxere: epist. eius ad Innocentium maximè inscribuntur: solius Innocentij epistolę ad Chrysostomum, & ad clerum eius, à Latinis, Græcisque scriptoribus memorantur. Solus Innocentius curam induit Synodi cogendæ; solus Legatos cum suis, & Honorij epistolis Constantinopolim mittit; solus Theophilum increpat per epistolas: solus ad Synodum vocat, solus vrget, & euincit in sacra diptycha referri nomen Chrysostomi; solus Attici Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Acacij Berœensis, aliorum Episcoporum precibus, & literis ambitur, vt pacem, & communionis gratiam illis reddat: solus non antè assentitur, quàm omnibus ad Chrysostomi nomen

grege

gregemque Ioannitarum redintegrandum, conditionibus fecerint satis: solus apud Palladium Photij ipsius suffragio laudatissimum scriptorem, vtramque implet paginam. Non possunt hæc omnia peræquè alijs communicari Occidentalibus Episcopis, vel omnibus, vel eminentioribus, quę soli nominatim Innocentio vendicant omnia antiquitatis monumenta. Deindè primæ sedis singularis hæc erat gloria, non Mediolanensis, non Aquileiensis, de Theophili, seu de secundæ sedis iudicio cognoscere: Constantinopolitani Episcopi innocentiam tutari: eius damnationem cassare: Occidentis communione frustare Orientales: citrà Oecumenicam Synodum id perficere, & expugnare, quod ab Oecumenica Synodo expectandum fuisset.

Ideò Gelasius, Vigilius, Facundus, non aliorum Occidentis Episcoporum, sed solius Apostolicæ Sedis dissensu: solutas affirmant Orientalium machinationes.

41 Quod verò ad abruptam communionem attinet, nihil pensi habent Nouatores, quid veritas, quid æquitas clamet: nil satagunt prima secundis, & anteriora posterioribus tempora connectere, & rationis iudicio temporum lapsibus superuolitare, & dominari. Illic enim erat pax, & gratia communionis Catholicæ, vbi defensabatur veritas, non vbi conculcabatur: vbi innocentiæ præsidium, non exitium. Nil dolebant coniuratores aliquandiù de Romanæ Ecclesiæ intercisa societate, sed ea facta erant, non iura: latrocinia, non iuris documenta. Itàque in pretio habendum, non quidquid gesserint, sed quidquid piè, rectèque gesserint: & ad dogmatum regulas trahendum, non quòd Ecclesiæ hostes, sed quòd vindices patrarint. Aut si & aliqua grassantium ratio habenda est; eorum non audacia, sed pœnitentia est contemplanda. Itàque Romanę Ecclesię communionem ambierunt postea saniores, qui per insaniam respuerant. Non ergo reciproca hæc sunt iura.

Nam vbi Chrysostomum diptychis, sese æquitati reddidere Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus Episcopi; tunc non suam Innocentio, & Romanæ Ecclesiæ reddiderunt: sed eius sibi communionem reddi postulauere, & impositis, impletisque conditionibus impetrauere. Et hic rursùm, quod alibi semper concurrit: vt maiestas primæ sedis, & eius potestatis amplificatio coniunctissima sit cum ea æquitatis luce, & Chrysostomi defensione, cui nec ipsi ausint aduersarij refragari.

42 Quò se vsque autem porrigeret illa communionis inter Orientem, Occidentemque dissociatio, seu potiùs excommunicatio, ab Innocentio, & Occidentalibus Episcopis in Orientale vibrata, operosum est definire. Et quidem non iniuria videri potest, vel solam, vel maximè literarum, seu formatarum, & legatorum missitationem desitam esse. Id colligitur ex epistolis Innocentij, & decretis antè relatis.

Epist. 14. de Episcopo Antiocheno ait, [Missis Legatis ità pacem postulauit, &c.]

Et epist. 15. ad eundem, [Quàm necessaria legatio tua, &c. hanc amicitiarum nostrarum paginulam quasi primitias pacis nostræ conscribi, &c.]

Et epist. 17. [Scripta Attici Episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta suscepimus.]

Et epist. 19. ad Acacium Berœens. Episc. [Vndè has ad præstantissimum Alexandrinum Coepiscopum reddendas tuæ transmisimus vnanimitati, vt si omnis æmulatio à tua animositate discessit, has nostræ societatis recipias literas, frater charissime.]

Et apud Palladium in Dialog. Porphyrius Antiochiæ scelestissimus Episcopus [Romanæ scripsit Ecclesiæ, neque rescripta accipere meruit.]

Et Theodoretus lib. 5. cap. 34. cùm vt suprà excripsimus, Occidentales dixisset Episcopos suam ab Orientalibus communionem abrupisse, addit: [Atque Arsacium eius successorem ne salutare quidem dignati sunt: Atticum autem, qui succedebat Arsacio, quique sæpè legatos ad eos miserat, sæpèque pacem postulauerat, tandem cùm Ioannis nomen in tabulis inscripsisset, receperunt.]

Et Hieronymus in Dial. aduers. Lucif. post Ariminense flagitium, ait, [alios intra suam communionem remansisse, alios ad eus confessores, qui sub nomine Athanasij exulabant, cœpisse literas mittere:] communionem sola ibi literarum missitatione describens. Ergo hæc erat externæ saltem societatis, & legatorum, literarum, eulogiarum, & aliorum istiusmodi reciprocationis intercisio; non anathematis forsan illisio, non extremarum imprecatio dirarum, non participandorum sacramentorum interdictio, non faciendarum ordinationum, non celebrandorum mysteriorum, non regendarum Ecclesiarum suspensa, aut execta potestas.

Ideò enim ante pacem initam Episcopi, & fratres habebantur.

Ideò cum eorum communicatoribus communicabatur.

Ideò Theophili, Arsacij, aliorumque ante pacem renouatam præmortuorum nomina sacris diptychis non sunt expungi iussa, vt postea Acacij, & consortum.

Ideò toti Ecclesiarum, & Sacramentorum per eos factæ administrationi, nihil post eiectas animo simultates derogatum est.

Ideò Theodoretus loco citato, ait, [Porrò autem quamplurimi Episcopi ciuitatum versùs Orientem sitarum à facinoris communione se seiunxerunt quidem, sed Corpus Ecclesiæ minimè distraxerunt.] Et in hos nihil querelarum effuderé Romani, vel Occidui Episcopi.

Ideò & apud Palladium Chrysostomus ipse Episcopis suarum partium quiritantibus in hunc modum, [Si Ecclesias tenuerimus, communicare cogemur, atque subscribere:] Respondit ipse, edixitque in hæc verba: [Communicate quidem, ne scindatis Ecclesiam: verùm nolite subscribere: nihil enim mihi conscius sum, pro-

pter

pter quod deponi, aut deijci merear.] Et infrà idem Chrysostomus ad Olympiadem, Pentadiam, aliasque pientissimas fœminas præcipit: [Venite huc, filiæ: quæ de me sunt, finem habent, ne qua vltrà fortè videbitis faciem meam. Hoc vnum rogo, hoc deprecor, ne qua ex vobis solitam ad Ecclesiam beneuolentiam deserat; & quicumque non spontè fuerint ordinatus, neque id vllo quæsierit ambitu, sed de consensu omnium, ei caput vestrum incliuate, vt Ioanni, per omnia. Non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest.]

Ergo non scindendam funditus hac de causa communionem idoneus fideiussor erat ipse Chrysostomus. Sic ergo illa forsan Occidentaliu Episcoporum secessio interpretanda est, vt ne sententiæ obstrepat Chrysostomi.

13 Nec sum nescius plures Chrysostomo non obtemperasse. Nam infrà Palladius, [Substituitur Arsacio Atticus, qui cùm animaduerteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius Ciuitatis populum; agit vt qui non communicarent, rescriptis conuenti cogerentur. Habebat autem rescriptum aduersùs Episcopos huiusce minas; Si quis Episcopo Theophilo, & Porphyrio, & Attico non communicat, Ecclesia pellatur, & à suis facultatibus proijciatur. Continebat autem rescriptum contra laicos, qui in dignitatibus erant constituti, vt magistratu, & dignitate omni priuarentur: milites vt baltheum amitterent: populares,& artifices reliqui, vt persoluto graui auri pondere, subijcerentur exilio.]

Et infrà: [Clerus Antiochenæ Ecclesiæ insignior occultè conueniens, ne ipsis quidem Ecclesiæ parietibus propinquat: vnà & illustrium matronarum multitudo clam conueuit: Quid verò de Constantinopoli dicam? Quanta illic multitudo deserta Ecclesia sub dio congregatur ad preces.] Facta ista sunt, & piæ imperitiæ facta, non iuta.

Absoluta est autem Chrysostomi sententia, & iterùm, iterumque inculcata, vt damnationi suæ ne subscriberent, damnatoribus communicarent Episcopi: laici verò omninò communicarent. Paruere non pauci Episcopi Orientales, vt testatus est suprà Theodoretus. Ergo qui his, qui Chrysostomo non paruere: vereor, vt satis à contumaciæ, aut imperitiæ labe expiari corum zelus possit. Si qua sanè excusatione obumbrari possit eorum error, tota illa repetenda est ab Innocentij, & Occidentalium successione: quibus illi se adglutinabant animo toto, dum ab Episcopis, & Ecclesijs suis resiliebant. Sed cautiùs alij intelligebant, damnatoribus Chrysostomi Episcopis, suam cuique plebem communicare, subijcique debere, ne fœda labe vexarentur Ecclesiæ: & Occidentalium societatem debere interim denegari, vt hac sua contumelia, & iactura, ad resipiscentiam tandem aliquando inclinarentur. Et vtriusque sanè auctor fuerat Chrysostomus. Quinimò à prioris sententiæ temperamento Chrysostomus ipse discessisse videtur postea, recrudescentibus in fautores suos grassationibus commotus.

Vnde epist. 115. ad Cyriacum Episc. [Allatum est ad me de Arsacio illo deliro, quem Imperatrix in throno collocauit; eum fratres eos omnes, qui cum eo communicare recusabant, afflixisse: atque etiam permultos ex ipsis mea causa in vinculis diem extremum vitæ clausisse.]

Et Photius in Bibl. num. 277. [In epist. ad Cyriacum Episcopum laudat eos, qui Arsacij communionem auersantur: vt qui propter Deum, & impietatem in Archiepiscopum admissam ab illo declinent. Quamuis in alijs videatur hortari, ne ab Ecclesia recedant. Id autem postea, vt apparet, voluit; cùm illi, qui eum iniustè eiecerant, facto non acquieuerunt, sed moliti sunt etiam incursum, & insidias, exiliumque, ijs, qui illi erant addicti.]

14 Ne quis autem flocci faciat illam interruptæ societatis, seu communionis lacturam. Nam eius cladis auctores, etsi suarum communione, & regimine Ecclesiarum non arcerentur, ingentis tamen noxæ piaculo sese obstringebant, dum fraterna se charitate interdici patiebantur.

Ideò Innocentius epist. 14. ait: [Cui rei nos noueris tradidisse manus: & eos in nostra viscera recepisse, ne diù membra, quæ requisierant sanitatem, ab vnitate corporis haberentur aliena.] Illo ergo societatis dissidio, membra erant sanitatis inania, & a corporis vnitate aliena.

Et Palladius: [Est autem hæc Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem vsque Orientalibus Episcopis, maximèque Theophilo, donec dominus vniuersalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui ista gessere.] Putrida erant membra, etsi intra suas Ecclesias communicarent, quorum sanione vniuersalis Ecclesiæ communio dissecabatur.

Eò pertinet illud Hieronymi in dial. aduersùs Lucifer. vbi patrocinatur eorum clementiæ: qui Ariminensi defectioni ignorauerant: [Quid à confessoribus agendum putauerint? Mansissent, aiunt, intra suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate totum Orbem Diabolo condonassent. Cur damnassent eos, qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem?]

Et infrà de Lucifero, qui suæ se intra communionem Ecclesiæ recondiderat: [Bonus quidem pastor, sed multam prædam bestijs relinquens.] Vbi liquet, auctores abruptæ quomodocumque vnitatis, & societatis Ecclesiasticæ, velut obiectæ Diabolo prædæ reos agi. Missitatam quandoque, in communionis pignus, ipsam Eucharistiam, ex Eusebio, & alijs alibi trademus. Iudè id elicitur: non otiosa, non ieiuna, non externæ tantùm pompæ accommodata fuisse illa communionis monumenta, quæ vltrò, citròque per epistolas, Legatos, eulogiasque commeabant: sed sub his inuolucris deliruisse, vt in Ecclesia Christi assolet, ingentia quædam spiritalis vnitatis, & charitatis beneficia: quibus

bos suo viro defraudari, perniciale esset.

Optatus sanè lib. 2. [Commercio formatarum totum Orbem in vna communionis societate concordare] testatur.

Et Epiphanius hær. 70. docet [Polycarpi, & Victoris ætate Orientales ab Occidentalibus diuulsos fuisse, pacificasque à se inuicem literas nullas accepisse.] Ad quod referri possent vtcumque forsitan illa excommunicationis species, in sacris Synodorum regulis passim obuia; qua Episcopi plectebantur quandoque, cum fraterna charitate carere, seque Ecclesiæ communione contenti esse iubebantur aliquandiu, vel donec resipuissent. Quæ omnia de communione, & excommunicatione trepidanter, & ambiguè à me dici profiteor, animoque ad canendam palinodiam paratissimo, sic vndè dilucidiùs, certiusque aliquid affulgescat.

15 Hæc autem, quæ ex Palladio postrema verba descripsimus, permultum habent momenti, & in illis hæc obiter adnotabo.

Primò: Occidentalis Synodi sententiam vno Romanæ Ecclesiæ oraculo explicari.

Secondò: Ideò non per Oecumenicam Synodum debilitari potestatem illam eximiam Sedis Apostolicæ; vt ex aduerso Innocentius in finem vsque perstiterit, omnemque lapidem mouerit, quo Synodus Oecumenica cogeretur.

Tertiò: Quòd citrà Synodum perfecerit Romanus Pontifex, quidquid à Synodo expectandum fuerat: illud esse culmen auctoritatis summæ, quod non ipse affectauit, non inuasit, sed Ecclesiæ ipsa pax, & causa æquitatis vltrò obtulit.

Quartò: Denique quia tunc vsurpauerat Imperator cogendæ Synodi potestatem Oecumenicæ, ideò tunc cogi non potuit, etsi tum, vel maximè Chrysostomus, Innocentius, Ecclesia, æquitas postularet. Erat ergo damnosa quandoque, & inuisa Ecclesijs ea vsurpatio, sed necessaria tunc dispensatione tolerabatur.

16 Atque vt ad communionis scissionem redeam, & Arcadius ipse Imperator ea saltem implicatus est excommunicatione, qua Constantinopolitana, & Orientalis penè omnis Ecclesia à primæ sedis, & Occidentalium omnium pace abiecta coërcebatur.

Ità postea Symmachus Anastasium Imperatorem excommunicauit: epist. 7. ad Anastasium ipsum: [Dicis quod mecum conspirante senatu excommunicauerim te. Ità quidem ego, sed rationabiliter factum à decessoribus meis sine dubio subsequor. Nos non te excommunicauimus Imperator, sed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. To te noli miscere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis si te misces, non à nobis, sed à teipso excommunicatus es.]


Et longè alia quidem erat excommunicationis species, qua Romani Pontifices Theophilum, & Orientales, alia, qua Acacium, & consortes eius perfidiæ percutierunt. Sed ipsa ratio, qua Imperator ei implicabatur, forsan vna, & eadem est.

17 Postremò denique, quia horret plerumque pietas tenerior non paucorum, cùm non Theophilum tantùm, sed Cyrillum, Hieronymum, Epiphanium, viros omni exceptione maiores, & sanctitatis laude florentissimos, audiunt in Chrysostomum, tam impotenter debacchatos: pauca hic assuam ex Facundo Hermianensi, in hanc rem præclarissima, & solatio, vt reor, futura.

Veniam ergo, præfatus lib. 6. cap. vlt. cùm plaustra conuitiorum à Theophilo in Chrysostomum iactam retulisset, subdit: [Si quis experiri voluerit, quòd non sententias tantùm, verùm etiam ipsa verba posuimus, & nosse quoties hæc ab illo replicata sunt: legat innormem librum, non solùm contumelijs, sed ipsa quoque sæpè repetita maledictorum recapitulatione nimis horribilem ab Hieronymo Presbytero translatum. De quo idem beatus Theophilus expectauit, vt per eius eloquium, qualis Ioannes fuerit, Latini cognoscerent. Nos autem in illo libro, non qualis Ioannes, qui nihil horum merebatur: nec qualis Theophilus, cuius virtus in multis probata, non ex isto accedenti morbo iudicanda est; sed potiùs, qualis sit miserabilis humana vita, cognoscimus; de qua scriptum est, Quia tentatio est super terram. Nam si talia talibus acciderunt: quis nobis metuendum non sit, nostrique similibus?]

Et infrà: [Hæc autem scandala, vel quælibet meritò nos offendunt in Patribus, quos tanquam luminaria Deus in Ecclesia sua constituit, vt eorum desuper illuminemur excellenti scientia, atque doctrina: sic habenda mihi videtur, sicut ipsorum quoque luminarium cœli defectus. Quæ licèt nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt. Et crebrò quidem accidit, vt ista quoque Ecclesiæ luminaria, quoniam multa à nobis celsitudine separantur, pro quodam nostræ ignorantiæ nubilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura. Habeatur itàque velut eclipsis quædam luminarium Theophili, & Cyrilli, quod tam horribilia de magno luminari Ioanne Constantinopolitano locuti sunt.]

Adde luculenta Theodoreti verba lib. 5. histor. cap. 34. in hunc eundem sensum.



DISSERTATIO VIII.

In Concilium Diospolitanum in causa Pelagij, Anno Christi 415.

SYNOPSIS.

Vt leuiter à quibusdam perstricta, vt ab alijs accurratè defensa sit hæc Synodus: Summa Synodorum, etiam localium dignitas: summa in rebus tum fidei, & iuris, tum factorum, & personarum auctoritas.

1 DE huius Synodi gestis ità Innocentius Papa I. epistola 26. [Cùm sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ obiecta, partim ille vitando suppressit: partim multa in se verba retorquendo, tota obscuritate confudit: aliqua magis falsis argumentis, quàm vera ratione, vt ad tempus videri poterat, purgauit: alia negando, alia falsa interpretatione vertendo.] Et mox: [Vnde non possumus illorum nec approbare, nec culpare iudicium: cùm nesciamus, vtrùm vera sint gesta: aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quàm se tota veritate purgasse.] Hieronymus autem epist. 79. [Quidquid in illa miserabili Synodo Diospolitana dixisse se denegat Pelagius, in hoc opere confitetur.] Augustinus denique lib. de peccato origin. tum suprapposita laudae Innocentij verba, tum hæc succinit cap. 8. 9. 10. [Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam verò Ecclesiam, vbi eum esse notissimum scitis, fallere vsquequaque non potuit: quamuis & hoc fuerit vtcumque conatus: sed vt dixi, minimè valuit.] Et infrà: [Videtis qualem tulerit Papa Innocentius de illius purgatione sententiam, &c. Iam nunc diligenter attendite, vnde monstretur, quòd Palæstinos Pelagius fefellerit iudices.] Prosper denique carm. de Ingratis:

Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Iudicium.

2 Subinfesta hæc in speciem videntur esse de hoc Palæstino iudicio iudicia magnorum virorum. Ab his tamen ipsis fas est eiusdem accersere purgationem. Augustinus enim lib 1. aduersùs Iulianum cap. 2. reliquis orthodoxis Patribus accenset hos [Orientales Episcopos quatuordecim, qui Pelagio iudices præsederunt, eumque vt homines, nullo ex altera parte vrgente aduersario, putantes Catholicum, tamquam Catholicum pronunciarunt.] Et mox: [Ac per hoc Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos, qui sentiunt ista, damnauit; cum eis, quos damnauit, profectò damnandus, quia id, quod damnauit ore, corde seruauit.] Et lib. 2. Retract. cap. 47. [Eis absentibus, qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Episcopis quatuordecim auditus est Pelagius; vbi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei aduersùs eum de libello legebantur, catholicum pronunciauerunt. Sed cùm in manus nostras eadem gesta venissent, scripsi de his librum: ne illo velut absoluto, eadem quoque dogmata putarentur iudices approbasse; quæ ille, nisi damnasset, nullo modo ab eis indemnis exisset.] Atque adeò totus huc pertinet, vt vides, Augustini liber de gestis Palæstinis, vt Synodum Diospolitanam, synodique auctores Episcopos ab obliquis absoluat, seu criminationibus, seu suspicionibus. Cui suffragatur & Prosper carm. de Ingratis:

Non segnior indè Orientis
Rectorum cura enituit; captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abiungi, & sancto mallet grege dissociari:

3 Nequaquam igitur à vero aberrarunt Palæstini iudices, 1. Quia hæresin ipsam Pelagianam confixere: Pelagium nonnisi ea eiurata Catholicum pronunciauere. Id suprà relatis testimonijs compertissimum est, 2. Quia Pelagij anteriora dicta, scrip-

taque

taque venenata, nonnisi sub alio, & orthodoxo sensu, quem tum præsens allegabat ipse, approbauere. Augustinus de gestis Pelagij cap. 1. [Responsiones eius non immeritò approbauerunt, non curantes quomodò ea, quæ obijciebantur, in opusculis suis posuerit; sed quid de his in præsenti examinatione responderit. Alia est enim causa fidei non sanæ, alia locutionis incautæ.] Et infrà, synodus dixit: [Tu hoc edixisti, Pelagi? At ille respondit: Ego quidem dixi, Sed non sicut illi intelligunt, &c.] Et Photius in Bibl. num. 54. [Absolutus est, cum alia quidem obiectorum capitum, vt stulta omninò abnegasset, atque damnasset; alia verò à se quidem dicta confessus esset, non tamen eo sensu, quo accusatores illa interpretarentur.] Idem significabat Innocentius suprà laudatus, 3. Quia Cælestium quidem cum dogmate suo antè perculerant Africani Patres, at Palæstini Episcopi non Cælestium, sed Pelagium: & Cælestij sententias, sed alio longè, & Catholico protsùs sensu à Pelagio simulatas, & velut incrustatas approbauere. Augustinus lib. de gest. Pelag. cap. 35. [Cælestius talia sentiens, ad iudicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus, Episcoporum sententia condemnatus est. Deindè post aliquot annos Pelagio, qui magister eius perhiberetur, cùm ista hæresis fuisset obiecta; ad Episcopale iudicium etiam ipse peruenit, &c. Quatuordecim Episcopi secundùm responsiones eius alienum à peruersitate huius hæresis pronunciarunt; eam tamen hæresin sine vlla dubitatione damnantes.] Et infrà: [Has ex nomine Cælestij quatuor sententias, non sic approbauerunt Episcopi iudices, sicut eas Cælestius sensisse dicebatur, sed sicut de his respondit Pelagius, 4.] Denique quia diuinitùs id agebatur, vt simulatio Pelagij non ad ipsum purgandum, sed ad eius hæresin proprio ipsius ore perimendam proficeret. Prosper molliùs hoc Episcopale iudicium, non tam excusans, quàm collaudans, ait:

Et tunc quidem, nimiumque malos tolerasse videtur.
Iudicium; sed sancta fides examen in illo
Vicit obortum diro de semine prolem.
Prospectum namque est, diuino & munere cautum,
Vt licèt instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secùm sensus ieuisset eosdem,
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Postremò tamdem accepti in hac Synodo vulneris sensum Pelagiani plus satis sacrilego vlciscendi ausu testati sunt. Augustinus idem ibidem cap. vlt. [De his autem, quæ post hoc iudicium ibi nescio, quo cuneo perditorum, qui valdè in peruersum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur: vt Dei serui, & ancillæ ad curã sancti Hieronymi Presbyteri pertinentes, sceleratissima cæde afficerentur: Diaconus occideretur, ædificia monasteriorum inciderentur, &c.] Vide & de his epistolam Innocentij.

4 Liquet hinc porrò quàm non temerè prosiliendum sit ad vllius Synodi etiam particularis suggillationem. Quamuis enim tergiuersatione sua Pelagius imposuisse Episcopis Palæstinis videretur, nec id Innocentius, Augustinus, Hieronymus, Prosper dissimularent: quamuis hæresin ipsam ex approbato Pelagio approbatam multi garrirent: non ramen continuò sancti Patres auctoritatem detrectant particularis Synodi, non errare illam potuisse regerunt, non saltem in re facti hallucinaram confitentur, sed eius statuta, & rationes vsquequaque propugnant. In fide enim sanum sapuisse, & definisse constantissimè tuentur. In facto etiam, seu in persona Pelagij absoluenda obtendunt, absuisse accusatores, per interpretem Græcos homines de Latino iudicasse, præsentis Pelagij responsiones non immeritò approbasse; nec examinasse quid olim scripserit, sed quid in præsenti confiteretur; diuinitùs actos denique, vt clementiùs cum eo agerent, vt hæresis ipso ore eius, ex quo ebullierat, extingueretur. Denique Augustinus lib. de gest. Pelag. cap. 14. [Nunc certè post hoc iudicium, quando contra huiusmodi sententias disputamus, aduersùs damnatam hæresin disputamus.] Summæ ergo auctoritatis in arcem recipitur particularis hæc Synodus.

5 Liquet rursùs cum Romano, & Africano iudicio obstrepere Palæstinum iactaretur, non statim Occidentales Orientalium auctoritatem repudiasse, in gratiæ præsertim negotio. Quin ex aduerso cùm Pelagiani ab Occidentalibus se exagitari quiritarentur, Orientales autem Patres suo dogmati consentaneos esse venditarent: Augustinus, Prosper, alijque tunc orthodoxi Episcopi, perpetua & inexpugnabili Græcorum cum Latinis, & Orientalium Patrum cum Occidentalibus consensione, & vnanimi Catholicæ Ecclesiæ traditione fulciri Ecclesiasticam fidem excepere, & vel ex hac Synodo Palæstina approbauere. Augustinus lib. 1. contra Iulianum capit. 2. [Ac per hoc Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos, qui sentiunt ista, damnauit, &c. Tu interim habes in conspectu non solùm Occidentis, verùm etiam Orientis Episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientis inuenimus. Omnes vno, eodemque modo credunt, &c.] Et lib. de gestis Pelagij capit. 11. [Hæc sunt, quæ nonnullis fratribus quidam talia sentientes, ità persuadere conabantur, vt de Orientalibus comminarentur Ecclesijs, quòd qui hæc tenerent, earum possent iudicio condemnari. Ecce quatuordecim Antistites Orientalis Ecclesiæ, in ea terra, cui Dominus præsentiam suæ carnis exhibuit, Pelagium non absoluerent, nisi ea tamquam fidei Catholicæ aduersa damnaret.] Et Prosper paulò suprà relatus: [Non segnior indè Orientis Rectorum cura enituit, &c.] Quò magis eli-

eliminanda nunc quorumdam animis illa præpostere hausta opinatio, in gratiæ Christi doctrina Græcos à Latinis, Chrysostomum ab Augustino dissidere mussantium: qua de re prolixiùs aliàs. Sed rursùm Prosper eandem ostentans Græcorum cum Latinis concordiam in Pelagianis explodendis, Attico Constantinopolitano Episcopo ità gratulatur;

Quid loquar & curam, magna, quam gessit in vrbe
Constantinopoli, docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide: de qua tunc impia corda
Quamuis se obducta tegerent velamine forma,
Iudicij, & tacita tulerunt tormenta repulsa.

At Cęlestinus Papa in epist. ad Nestorium, & Attico, & eius successori Sisinnio eadem de causa meritas laudes accumulat: [Post impium illud, prophanumque, ac sæpenumerò condemnatum Pelagij, ac Cœlestij dogma, Catholica fides aliquot vitæ nostræ diebus pacem obtinuit. Etenim vt primùm Oriens, & Occidens concordi sententia, veluti telo quodam, illos, illorumque sectatores semel percussit: è vestigio sanctæ memoriæ Atticus, egregius sanè orthodoxæ fidei doctor, vtrusque ea in re B. Ioannis successor: ità eos communis omnium Regis causa est insectatus, vt ne consistendi quidem spatium eo in loco reliquum illis faceret. Post illins verò è vita discessum, non vulgaris cura nos tenuit, anxiè spectantes, vnumne, eundemque ille & muneris, & fidei quoque successorem ex æquo sortiretur. Verùm post illius obitum Sanctus Sisinnius nobis obtigit, vir profectò & vitæ sanctimonia, & fidei simplicitate clarus; eiusque, quam compererat, religionis præco insignis.] Et mox Nestorium longè à prædecessorum vestigijs deuiantem, & Pelagianis adhærescentem obiurgans: [Cur iterum in ea inquiris, quę iam olim contra illos acta, decretaque sunt? Ignoras forsan ab Attico, Catholico per id tempus Episcopo, commentarios de illorum condemnatione indè ad nos fuisse transmissos. Cur sanctæ memoriæ Sisinnius eadem retractari non quæsiuit? Ob id nimirùm, quia iustè illos à Præcessore suo condemnatos intelligebat.] Ad quæ allusisse videri potest Augustinus ipse lib. 3. aduersùs Iulianum cap. 1. [Ego autem absit vt ad monomachiam vos prouocem, quos, vbicumque apparueritis, vbique diffusus debellat Christi exercitus: qui debellauit apud Carthaginem Cœlestium, quando illic ipse non eram: & rursùs Constantinopoli, tam longè à regionibus Africanis: qui debellauit in Palæstina Pelagium.] Quin & in Ephesina Oecumenica Synodo incontanter proscripti sunt Pelagiani, & errores, & auctores. Vnde in synodica ad Cœlestinum Papam: [Perlectis in sancta Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum, Cœlestij, Pelagij, Iuliani, &c. reliquorumque eadem cum illis sentientium depositione à pietate tua istic decreta, constitutaque sunt: indicauimus, & nos quoque ea solida, firmaque permanere debere. Quare idem omnes vobiscum sentientes, & nos itidem eos pro depositis habemus.] Et Prosper in Chron. [Congregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi iuuabant dogma, damnatur.] Et carm. de Ingratis:

Præterea, quanto fuerit benè nota tumultu
Clara Ephesus, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis.


Facessant ergo, qui nescio, quæ dissidia sibi somniant Græcorum, & Latinorum in doctrina de auxilijs gratiæ Christi. Vtriusque gentis Patres, & Synodi summam semper concordiam præ se tulerunt.


6 Liquet tertiò, cum synodi orthodoxæ in factorum, & personarum iudicijs aberrare posse dictitantur; non temerè effundendam esse extra lineas hanc opinandi licentiam. Disertè suprà Augustinus aiebat, [Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, &c.] Et tamen ex eodem ipso Palæstina synodus [responsiones Pelagij non immeritò approbauit:] Et lib. de gestis Pelag. cap. 1. [Synodus dixit, Non sunt aliena ab Ecclesia, quæ dicta sunt à Pelagio. Planè aliena non sunt, quæ respondit. Illud verò, quod de libro eius prolatum est, aliud sonat. Sed hoc Episcopi Græci homines, & ea verba per interpretem audientes, discutere non curarunt: hoc tantùm intuentes, quid ille, qui interrogabatur, sensisse diceret: non quibus verbis eadem sententia in eius libro scripta diceretur.] Ergo ne in facto quidem errauit hæc synodus, quæ curauit discutere, non quid antè scripsisset, sed quid tunc confiteretur Pelagius: & laudauit sonantem ex eius ore veritatem, non perfidiam in corde latitantem. Fefellit Pelagius, sed synodus falli non potuit, quæ de his vbi falli potuit, nil iudicauit. Hac via elui possunt, & ab alijs forsan Synodis iniquæ suscipiones.

7 Liquet quartò, etsi scriptis, dictisque suis prioribus alium longè, & orthodoxum sensum affingeret Pelagius: nec vel sic tamen censorium cauterium declinari ab eo potuisse. Aliqua enim falsa interpretatione vertit, vt aiebat suprà Innocentius: [Alia à se quidem dicta confessus est, non tamen eo sensu, quo accusatores illa interpretarentur:] vt narrabat Photius: [Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt:] aiebat ipse Pelagius apud Augustinum. Licuit tamen Innocentio, licuit Augustino, licuit Ecclesiæ Catholicę aliter, & sinceriùs dicta, scriptaque Pelagij, quàm ipse exponeret, exponere, & ità inurere. Vnde suprà Augustinus: [Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, propterea videtur ibi esse purgatus: Romanam vero Ecclesiam, vbi eum notissimum esse scitis, fallere vsquequaque non potuit.] Et lib. de gestis Palæst.

læst. cap. 21. [Nos de ista eius purgatione, quæ magis creditur, quam liquidò demonstratur, gaudere temerè non debemus. Neque hoc dicens, Iudicum arguo, vel negligentiam, vel conniuentiam, vel quod ab eis abhorrere certissimum est, impiorum dogmatum conscientiam: sed eorum iudicio pro meritò approbato, atque laudato, Pelagius tamen apud eos, quibus ampliùs, certiùsque notus est, non mihi videtur esse purgatus.] Et inf. à cap. 29. [Proindè Pelagius de quotumlibet sanctorum amicitia se iactauerit, quorumlibet de suis laudibus literas legerit, qualibet purgationis suæ gesta protulerit: nisi ea, quæ contra Dei gratiam, qua vocamur, & iustificamur, posuisse in libris suis idoneorum testium fide probatur, confessus anathematizauerit; ac deindè contra hæc ipsa scripserit, & disputauerit; nequaquam his, quibus pleniùs notus est, videbitur esse correctus.] Tametsi ergo suæ ipse mentis conscius, & interpres, verba sua in sanum caperet sensum, tametsi eius Innocentiæ patrocinata videretur Synodus orthodoxa: Catholicis tamen Patribus consultissimum visum est, vt quæ in libris suis posuerat, confessus anathematizare adigeretur, ac deindè contra hæc ipsa scriberet, ac disputaret: alioqui tota eius purgatio, nec flocci fieret.

8 Nec illud effugiet, quod in ea quæstione, an aliquis reapse ab infantia ad exitum vsque mortalis vitæ perstitisset immunis, & purus ab omni sorde peccati: [Synodus dixit, Quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas illos, qui sic tenent? Pelagius dixit, Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos, siquidem non est dogma. Deinde indicauerunt Episcopi dicentes: Nunc quoniam anathematizauit Pelagius insertum stultiloquium, &c.] Ad quæ hæc animaduertit Augustinus lib. de gest. Pelag. capit. 6. [An & illud fortasse tractandum est, vtrum rectè dictum sit, Non tamquam hæreticos, sed tamquam stultos anathematizandos, qui ità sentirent, quoniam dogma non esset? Sed ab hac quæstione non leui, vbi quæritur, quatenus sit definiendus hæreticus, rectè se in præsentia iudices abstinuerunt.] Et infrà, cum stultiloquia bipartitus esset, in ea, quæ ad fidem nihil attinent, & ea, quæ fidei furtiuè, & per cuniculos officiunt, subdit: Cum igitur omnis hæreticus, consequenter, & stultus sit: non autem omnis stultus continuò sit appellandus hæreticus: rectè Iudices insertum stultiloquium propria voce Pelagium anathematizasse dixerunt. Quia etsi hæresis esset, proculdubio stultiloquium est. Proindè quidquid illud sit, generalis vitij nomine appellauerunt.] Quoniam ergo salebrosa, implicataque illa quæstio est, quatenus sit definiendus hæreticus: non conducit plerumque pertinaciùs disceptari, quid hæresi, quid stultitiæ adscribendum sit: sed indiscriminatim vtrique anathema illidendum, vtrumque ex animo expuendum est.





DISSERTATIO IX.

In Concilia Carthaginense, & Mileuitanum, Anni 416.

Aduersùs Pelagianos sub Innocentio, & Carthaginense posterius Anni 417. & 418, sub Zozymo.

SYNOPSIS.

Particulares Synodos à Romano Pontifice confirmari debere: & tunc demùm in summæ auctoritatis arcem eas inuadere.

1 DVO hic quædam Catholicæ doctrinæ capita, & si dilucidè satis enitescant, paulò copiosiùs tamen illa elucidari operæ pretium erit, Nimirùm prouinciales Synodos ab Apostolica Sede confirmandas esse, & vbi confirmatæ fuerint, tunc in auctoritatis summum columen eas recipi, nec posse ab eis citrà hęreseos discrimen prouocari. Ac primum quidem Carthaginenses huius Synodi Patres, damnatum à se Cęlestianum, dogma præfati, ad Innocentium Papam ità scribere pergunt: [Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiam peruersitate corrigenda.] Et post aliquantula de gratia Christi disputata: [Et veremur ne apud te ista ipsa commemorando, qui maiore gratia de Sede Apostolica prædicas, inconuenienter facere videamur. Sed ideò facimus, quia in eo, quòd infirmiores sumus, crebriùs eos patimur, & audaciùs insurgentes. Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi iustè visus fuerit absolutus; error tamen ipse, & impietas, quæ iam multos habet assertores per diuersa dispersos, etiam Apostolicæ Sedis auctoritate anathematizanda est.] Et post exustatos errores aliqnot Cęlestij, sic tandem concludunt: [Quæcumque autem alia eis obijciuntur, non dubium venerationem tuam, cùm gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam; vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus.] Perpende ergo 1. ex Africanis his Patribus, id iuris esse Sedi Apostolicæ, vt de Synodo Diospolitana id iudicet, vnde omoes gaudeant: iudicet, iustè absolutus sit Pelagius, nec ne: iudicet ergo post synodum, & de ipsa synodo, eiusque iudicium, velut nutabundum, aut figat, aut diffingat. 2. Id eos orare similiter, vt statutis suæ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas: etenim se infirmiores esse, ideòque in se audaciùs insolescere hæreticos: ac Innocentium maiore gratia de Sede Apostolica prædicare: & quia error multos habet iam assertores, qui non facilè morem geraot Synodis Episcopalibus, vtpotè per diuersa dispersi; hæresim etiam Sedis Apostolicæ configendam auctoritate, quæ vbique pollet. 3. Et Diospolitanæ ergo, & suæ synodi statuta minùs ponderis habitura confitentur, nisi accedat confirmatio Innocentij, tum quòd Apostolicæ Sedis auctoritas, & gratia emioeat, tum quòd latissimè, & vbique se exporrigat.

2 . Nec minùs id liquidò patet ex epistola Innocentij ad eamdem Synodum Carthaginensem: [Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio; antiqnæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem, non minùs nunc in consulendo, quàm anteà cùm pronunciaretis, vera ratione firmatis: qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium: scientes, quid Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit.] Subdit, [Patres non humana, sed diuina decreuisse sententia, vt quidquid quamuis de disiunctis, remotisque ageretur Prouincijs, non priùs ducerent huiendum, nisi ad

hu-

huius Sedis notitiam perueniret: vt tota huius auctoritate, iusta, quæ fuerit, pronnnciatio firmaretur: indéque sumerent cæteræ Ecclesiæ; velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent, &c. Et mox: Per cunctas totius Orbis terrarum Ecclesias, omnibus vnà quod prosit, decernendum esse deposcitis.] Perpende hic primo decreta Synodorum Prouincialium ad Sedem Apostolicam referenda esse, & de his eam consulendam: & quæ ad Episcopos alios decreta sunt, ad Episcoporum apicem relationes, & consultationes Synodicas esse, vt ab hac Synodo, & ab Hieronymo, alijsque Scriptoribus antiquis vocitantur: & hanc esse antiquam traditionem, & Ecclesiasticam disciplinam; non aliquid nune nouatum. 2. Idque quia Sedes Apostolica est, seù Sedes Petri, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emersit: quia caput istud est, & velnti fons natalis, à quo velue aqnæ illimes, Ecclesiæ omnes promanane. 3. Cum Episcopi, synodique particulares vim suam in aliquo tantùm terrarum tractu exerant, nec œcumenicas toties Synodos cogi fas sit, quoties insanire nouatoribus allubuerit: id consultissimum, id compendiosissimum, id denique necessarium esse, vt accedente localibus Synodis vniuersali Sedis summæ, & capitis auctoritate, id decerneretur, quod per cunctas totius Orbis Ecclesias omnibus prodesset: atque ità in disiunctis Prouincijs agitari possent multa, non tamen finiri, antequam ad huius Sedis notitiam peruenirent, & ab ea firmarentur.

3 Idipsum rursùs ex Concilij Milenitani Epistola ad eundem Innocentium patebit: [Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo mnnere in Sede Apostolica collocauit; talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, taceuerimus, quam ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam qnæsumns adhibere digneris.]

Et paucis, commemorato errore pestifero: [Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantā impietatem verbis exaggerate; cum procuidubio te ita permoueant, vt ab cis corrigendis, ne latiùs serpant, multosque contaminent, omninò dissimulare non possis.]

In Asia mox, & Hierosolymis grassari horum errorum satores dolent, subdnntque: [Sed arbitramur auctoritati Sanctitatis tuæ de Sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos, qui tam peruersa, & perniciosa sentiunt, esse cessuros: vt de correctione potiùs eorum congratulemur, quàm contristemur interitu. Quodlibet autem ipsi eligant; certè vel alijs, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua instantet, & celeritet prouidendum.]

Perpendis & hic similiter 1. ad auctoritatem, quæ toto Orbe dominetur, necessariò referri, recurrique à Synodis particularibus, ne malum latiùs serpat, multosque contaminet, ne plures his laqueis implicētur, vt in Asia, vt Hierosolymis sistarut virus, vbi parum, aut nihil momenti habent Africana Concilia. 2. Id totum tribui Apostolicæ Sedi, Apostolico pectori, auctoritati de Sanctarum Scripturarnm auctoritate depromptæ. 3. Quòd enim nuperus Nouator auctoritatem, ideft, lucubrationem interpretatur scripturarum testimonijs constipatam, nihil insicetiùs, nihil alieniùs in mentem venire potuit.

Nam 1. Ecquid toties vtriusque Synodi Patres Apostolicam Sedem, Apostolicum pectus ingeminant, & extollunt, nisi vt insinnent Apostoli Petri in ea Sede perennanrem Principatum, Euangelicis literis consignatum? 2. Illa verba: [Vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam, etiam peruersitate corrigenda: his protsùs concinunt, arbitramur auctoritati sanctitatis tuæ de Scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos, qni tam peruersa, & perniciosa sentiunt, esse cessuros. Vtrobique potestas magis, quàm doctrina intentatur. 3. Veraque Synodus profitetur suam mediocritatem; se infirmiores esse aiunt Episcopi, non indoctiores, crebriùs se pati hæreticos, & andaciùs insurgentes queruntur: in tam multos vbique dispersos, etiam in Asia, & Hierosolymis, nihil sibi esse virium, nihil potestatis, non autem nihil doctrinæ. At Innocentium maiore gratia de Sede Apostolica prædicare, & ab eo omnes vbique terrarum faciliùs comprimi posse sectarios. 4. Oraculis scripturarum per Innocentium, qnàm per Augustinum prolatis, eccur faciliùs cessuti conijciuntur Pelagiani? Sed vbi Augustinus, vbi Alypius, vbi tot alia Episcoporum lumina confluxerant? quid opus erat ad Innocentij doctrinam confugere Scripturarum scatentem fluentis, & in ea salutis, & fidei Catholicæ summam collocare? 5. Et in his, & in alijs Augustini scriptis, auctoritas non scriptum aliquod, sed pondus potestatis sonat. Denique frequentissima sunt Augustini loca, vbi Sedes Apostolica alijs longè anteponit, Ecclesias nempè illas, quarum in Scripturis Sanctis memoria, & maiestas commendatur. Harum ergo Ecclesiarum prærogatiua suprà alias de Scripturis depromitur.

4 Sed huius insania veteratoris manifestatissimè reuincetur ex responsione Innocentij ad Concilium Mileuitanum: [Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diuersorum consulta, fideli, ac medica disceptatione tractamus, &c. Diligenter, & congruè Apostolico consultis honori, honori inquam illius, qnem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab Orbe

mecum

mecum nostis esse seruatam, &c. Scientes, quòd per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest, sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.]

Et infrà: Quare Pelagium, Cælestiumque inuentores vocum nouarum, Ecclesiastica communione priuati, Apostolici vigoris auctoritate censemus.

Perperdis hic 1. Apostolici vigoris auctoritate, non scripto, non doctrina scilicet sola, sed potestate, inuentores vocum nouarum Ecclesiastica communione priuati: & vbique prætendi Apostolicam Sedem, Apostolicum fontem, Petrum Episcopalis nominis, & honoris auctorem. Illa ergo est auctoritas de scripturis deprompta.

2. Quæ definitiones fuere Synodorum, eas ad Romanam Sedem missitari, vt relationes, & consultationes.

3. Quod ab ea Sede manarit, id valere iam per omnes Prouincias, id per totum mundum in commune prodesse.

4. Antiquam illam esse formam, toto Orbe seruatam.

5. Non aliter constare potuisse Ecclesiæ Catholicæ salutem, cum Africanis Synodis damnati errores, auctoresque errorum, alijs in Ecclesijs impunè, vel delirescerent, vel baccharentur, & Diospolitanæ Synodi auctoritate simplicioribus illuderent. Necessum vtique tum erat ad maiorem auctoritatem apicem recurri, & eas vbique conualescere Synodorum definitiones, quæ illi approbarentur.

5 Nec prætermittenda Augustini Epistola 95. ad eundem Innocentium, suo & aliorum quatuor Episcoporum nomine scripta: vbi post Synodum Diospolitanam acciri Romam Pelagium, & diligentiùs interrogari suaderur: & si faciat satis, tunc reuera de eius purgatione gaudendum. Et infrà: [Si cognouerint eundem librum, quem illius, vel putant esse, vel norunt, Episcoporum Catholicorum auctoritate, & maximè sanctitatis tuæ, quam apud eum esse maioris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipso anathematum, atque damnatum, non eos vlteriùs existimamus ausuros loquendo contra gratiam Dei, &c. Ad ipsum scriptam ab vno nostrum Epistolam, tuæ beatitudini potiùs credimus dirigendam; meliùs iudicantes, & petentes, vt eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potiùs non dedignabitur, magis in illa eum, qui misit, quàm qui scripsit, attendens.] Vbi claret, quæ illa sit de scripturis deprompta auctoritas Romani Antistitis, quæ maioris ponderis est, quàm aliorum Episcoporum, etiam synodicè congregatorum.

6 His planè astipulatur Prosper carmine de Ingratis:

Pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit, &c.
Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostra
Exequeris, tecumque suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Conuenire tui de cunctis Vrbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis, quod Roma probet, quod regni sequantur.

Appositè prorsùs vtroque Africæ Concilio, ait decreta fuisse, quæ Roma probaret: & approbatum Romæ dogma Synodicum, vniuersi Orbis regna sequerentur. Nempè quia Roma Sedes Petri est, & Pastoralis honoris caput mundo, & Iuris Apostolici solium. Nam quod ad scientiam scripturarum attinet, longè vberrimam illam featurisse ab Africanis Synodis, & ab Augustino maximè, perelegantèr ibidem Prosper persequitur: [Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat, quem Christi gratia cornu vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo, accensum verò de lumine, &c. Et in Sancto regnat sapientia templo, &c. Illius ore flumina librorum mundum effluxere per omnem. Et infrà rursùs Prosper:

Ergo Petri solium Romam, & Carthaginis alta
Concilium repetant humiles.

Et iterum Prosper contra Collat. cap. 41. [Tunc istorum machinæ fractæ sunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit: quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam, Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctauit: quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit: & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum.] Constantissimè Prosper Romanam, ceu Petri Sedem ad profligandas hæreses, & ductricem præire, & confirmatricem accedere Episcopalibus Synodis demonstrat; nec vlli deinceps Catholicos fas esse, istiusmodi decretis obluctari.

7 Quàm non temerè autem coniecissent Africani Episcopi, Pelagianos lubentiùs Apostolicæ Sedis, quàm Episcopalium Conciliorum decretis cessuros: liquet ex ipsius Pelagij confessionis libello post superiores Synodos conscripto, & ad Innocentium Papam misso, cuius hæc sunt extrema penè verba. [Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus. In qua si minùs peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & Sedem tenes.

Adde si voles, & hæc ex Gennadio lib.

lib. de viris illustribus, cap. 43. [Innocentius Vrbis Romanæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium Ecclesiarum, & Orientalium, aduersùs Pelagianos datum: quod postea successor eius Papa Zoaymus latiùs promulgauit.] Quasi dicat Innocentium velut os, & Oraculum Ecclesiæ, confirmasse, atque edixisse per Orbem vniuersum, quæ particulares Synodi in Palæstina & in Africa decreuerant. Quod paucissimis verbis tangitur in lib. de Romanis Pontificibus. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia.

8 Verùm nihil expressiùs illo Augustini testimonio, alibi iam descripto ex lib 4. ad Bonifac. cap. 8. [Iam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicā: indè etiam rescripta venerunt. Causa finita est, vtinam aliquando finiatur error. Quid manifestiùs, vt pateat, & ad Apostolicam Sedem mittendas Synodorum localium definitiones, & ab ea confirmandas; tumque eas ineluctabili demùm auctoritate pollere?

Et rursùm lib. 2. operis extremi adu. Iulian. num. 103. [Quid adhuc quæris examen, quod apud Apostolicam Sedem iam factum est? Quod denique iam factum est in Episcopali iudicio Palæstino. Ergo hæresis ab Episcopis, non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.]

Et denique lib. 4. contra Bonifacium cap. vlt. Pelagianos deridet, qui œcumenicam Synodum flagitabant, cum multò, & incomparabiliter plures hęreses sine Synodi congregatione damnatæ sint: subditque, post factum illis competens, sufficiensque iudicium, vbicumque lupi isti apparuerint, conterendi sunt.

9 Totam autem, eamque summam Synodorum particularium auctoritatem ab Apostolicę Sedis confirmatione deriuatam fuisse, indè efficitur, quòd vtrumque istud quod tractamus, Carthaginense, & Mileuitanum Concilium, solo Innocentij decreto, quo rata illa facta sunt, complexus est Prosper, & ante eum Augustinus. Prosper enim ijs verbis: Pestem subeuntem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris facta caput mundo, &c. vtramque hanc Synodum insinuauit, & ità ad Diospolitanam, vt alibi solet, & ad Africanas duas sub Zozimo portexit: quod apertissimum fit ex verbis suprà relatis libri contra Collatorem, & ex eiusdem lib. cap. 1.

Id ipsum emicat in illis Augustini verbis suprà allatis: [Quid adhùc quæris examen, quod apud Apostolicam Sedem iàm factum est? Quod denique factum iam est in Episcopali iudicio Palæstino?] Similiter & Gennadius dixit scriptum fuisse ab Innocentio decretum Occidentalium, & Orientalium Ecclesiarum.

Adde Posidium in vita August. c. 18. [At illi tantæ Sedis Antistites suis diuersis temporibus eosdem Pelagianos notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas Orientis, & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt.

10 Iam verò duobus quidem Africanis Concilijs sub Zoaymo Papa habitis, vt aiebat suprà Prosper; [Papa Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum. Tumque, vt idem canit, Africa gemino senum celeberrima cœtu, decreuit, quæ regna sequantur.

Etenim vt ait Augustinus lib. de peccato originali cap. 7. [Papa Zoaymus egit cum Cœlestio, quem falsæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea, quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta, damnaret; atque vt Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ præcessore suo manauerant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare, sed Beati Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere: immò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit. Vbi rursùs perspicis, quàm inclinato animo ad Sedis Apostolicæ decreta potiùs, quàm ad Synodos assurgerent, vel Nouatores: quamquam confirmatis à Sede Apostolica Synodis sigillatim subscribere iusserit Zozymus, vt idem ibidem testatur. Denique Zoaymi promulgatione pondus accreuisse his posterioribus Africæ Synodis, & Orbis terrarum vniuersi reuerentiam, perhibet Augustinus epist. 47. Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ Vrbis Episcopum, de Concilio Prouinciæ Carthaginensis, & de Concilio Numidiæ: & aliquantò diligentiùs à quinque Episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: Item quod Papæ Zoaymo de Africano Concilio scriptum est, eiusque rescriptum ad vniuersos totius Orbis Episcopos missum, &c.] Vt Innocentius ergo, ità & Zozymus particularium Synodorū decreta toto Orbe Christiano valere, & dominari sanxit. Quibus addatur Prosper in Chronico: [Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem, & septem Episcoporum, ad Pontificem Zozymum Synodalia decreta perlata sunt: quibus probatis, per totum mundum hęresis Pelagiana damnata est.

11 Atque vt ne dissuamus, quæ eiusdem materiæ contextu coalita sunt. Ità Cælestinus in decretis cap. 3. [Sequi, & probare confitentur, quæ sacratissima B. Apostoli Sedes Petri contra inimicos gratiæ Dei, per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit. Necessarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta est, iudicarint: ità vt etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas vtique suas fecerunt Apostolici Antistites, cùm probarent.

Ità rursùm Prosper de Cælestino Papa scribit contra Collat. cap. 41. 42. [Cælestinus sciens damnatis non examen iudicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi: adeò & Prædecessorum suorum statuta, & decreta Syноda-

nodalia inuiolabiliter seruanda censebat, vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Subijcit per hunc virum etiam Orientales Ecclesias gemina peste purgatas: & Apostolico eius gladio confœderatos Pelagij, & Nestorij errores prostratos fuisse. Iterum per hunc virum maleloquentiæ Gallorum quorumdam in Augustini scripta sæuienti libertatem ademptam: vtpotè quod Augustinus inter optimos magistros, etiam ab eius Prædecessoribus haberetur. Vt hinc intelligas Synodorum, fideique defensionem ab Apostolicæ Sedis arce semper profectam fuisse; vt rursùm testatur Prosper his verbis contra Collat. sub finem: [Confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Cælestino; operetur & in Sixto: & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata Pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ità hic depellat occultos.] Gloriam fidei vendicatæ, vt vides, Romanis Præsulibus totam adscrit.

32 His denique attexatur Arausicana Synodus secunda, cuius luculentissimis de gratia, & libero arbitrio placitis, Romana Sedes, & Dux præiuit, & confirmatrix, vindexque post affuit. Præfatio ipsa Synodi sic habet: [Peruenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio, per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm fidei Catholicæ regulam sentire velint. Vndè id nobis secundùm admonitionem, & auctoritatem Sedis Apostolicæ, iustum, ac rationabile visum est, vt pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa: quæ ab antiquis Patribus de Sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt; ad docendos eos, qui aliter quàm oportet, sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus.] Synodi huius decretorum confirmationem à Felice Papa postularat Cæsarius Arelatensis eius auctor, & signifer primarius, quam, eo præmortuo, impetrauit à Bonifacio II. Ex huius Epistola ad Cæsarium pauca hæc delibo: [Postulans vt pro ambiguitate tollenda confessionem vestram, &c. Auctoritate Sedis Apostolicæ firmaremus, &c. Quapropter affectu congrua salutantes, suprascriptam confessionem vestram, consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus.] Ergo Sedes Apostolica Gallicanis Episcopis per transmissa capitula, quasi in verba præiuit: & eorum confessioni adprobatione sua summum pondus adiecit, & omnem sustulit ambiguitatem.



DISSERTATIO X.

In Concilium Ephesinum I. seu Oecumenicum III. Anno Christi 431.

S Y N O P S I S.

Romani Præsulis ius est, præsidere Synodis œcumenicis. Perlustratis omnibus Synodis id ostenditur, vsque ad num. 13.

Præsidebat etiam suo quodam modo, & iure Imperator: sed ea præsidendi prærogatiua longè dispar, & decolor à Pontificia: vsque ad num. 18.

Exeutitur alia potestas Principis in numero, loco, tempore, ordine Synodis præscribendo. Et ea probatur fuisse legitima potestas Ecclesiæ Defensoris, & Custodis Canonum: præter quos si quid Princeps moliretur, eam iniuriam, vel non silebant Episcopi, vel dispensatiuè silebant. Vsque ad num. 25.

Ius aliud expenditur Principum, confirmandi Synodos. Nihil id officit Synodicis definitionibus, per sese valituris: immò prodest mirum quantum. Hæc principalis potestas ostenditur non imminere, & dominari Ecclesiæ Sponsæ Christi, sed inuigilare, & obsequi. Ad num. vsque 39.

Summa damnati Nestorij potestas, & laus penès primam Sedem.

Quàm multi tum Cyrillo, Synodoque detraxerint. Vt in quæstione facti diutiùs quidam altercati sint: ideòque & in fide claudicare suspecti fuerint, at tandem coacti sint, vtrique Synodicæ definitioni consentire. Quanta in his humanitate, & dispensatione vsus sit Cyrillus immò & vniuersa Ecclesia, vt illi recolligerentur, qui suum Synodo assensum, non tam negasse, quàm suspendisse postea deprehensi sunt. Vsque ad calcem.

1 Ræfuisse huic Synodo Cyrillum Alexandrinũ Episcopum, non suo, sed Cælestini nomine Romani Præsulis: adeóque Cælestinum ipsum per Cyrillum, ceù Legatum, & Vicarium suum præfuisse: & inter primæ Sedis eximia priuilegia istud quoque numerari, vt Synodis generalibus, seu per se, seù per Legatos suos præsit: id sanè hoc loco aduersùs insanas Nouatorũ tergiuersationes astruere adgredimur. Et quidem passim in hac Synodo dicitur Cyrillus, qui primas tenet, Cælestini *tòn topon diepein*, locum tenere, vices implere: dicitur Cælestinus Cyrillo commisisse, vt locum suum impleret, *epi trepsas tòn aytoy topon epecbein.*

Vbi vt Cyrillo longè anteponi, & antistate Cælestinum ne ambigas, audi quid lectis Cælestini Epistolis Synodus tota succinat act. 2. [Hoc iustum iudicium. Nouo Paulo Cælestino. Nouo Paulo Cyrillo. Cælestino custodi fidei, Cælestino cum Synodo concordi. Cælestino vniuersa Synodus gratias agit. Vnus Cælestinus, vnus Cyrillus. Vna fides Synodi, vna fides Orbis terrarum.] Cumque eidem Synodo affuerint Legati alij Sedis Apostolicæ, Romana ex Vrbe Ephesum ablegati, nihil aliud illi, quàm similiter dicuntur implere locum Cælestini Papæ.

2 Idem profitentur Apocrisarij Alexandrinæ Ecclesiæ in libello, quem dederunt Legatis ex Vrbe Roma missis ab Anastasio Papa II. vbi vtriusque Ecclesiæ, Romanæ, & Alexandrinæ, concordiam laudant, deriuantque ex eo quòd, [ab vno fuerit in vtrisque iactum fidei fundamentum. Petrum memoramus Beatum Apostolum, cuius per omnia Sanctus Euangelista Marcus extitit imitator. Ità vt si quando contigerit in rebus ambiguis quædã Episcoporum Concilia celebrari, Sanctissimus is, qui Romanæ præsideret Ecclesiæ reuerendissimum Alexandrinæ Ciuitatis Archiepiscopum deligeret, vt sui curam loci susciperet.] Cyrillus ergo ad Cœlestinum, Ecclesia Alexandrina ad Romanam eum induit animum, quem Marcus ad Petrum, hoc est ad fidei suæ auctorem, & magistrum. Similiter, & sexta Synodus in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem, Act. 18. [Iterum Nestorius, & iterum Cœlestinus, & Cyrillus: ille quidem Christum diuidebat, hi verò diuisorem deijciebant, vt Ephesius, & ibidem gestorum tabulæ loquuntur.] Et Nicolaus Papa I. epist. 9. [Cyrillus idcireò in præfata Synodo ante omnes sedit, quia & ipse locum iam memorati Papæ ibidem, sicut ge-

sta eiusdem Synodi testantur, obtinuit.] Et Synodi Florentinæ Act. 5. dicitur Cyrillus, [Princeps fuisse hujus Synodi, locumque obtinuisse, & sensum, *ton topon cai tin gnomin*, Cœlestiui.] Missos facio Euagrium, Phorium, aliosque; vnum profero è Græcis Balsamonem, qui in Photij Nomocan. tit. 8. [Habuit hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cœlestino, quando facta est Ephesina Synodus contra Nestorium. Cùm non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium: visum est, vt sancto Cyrillo à Cœlestino permitteretur, præsidere huic Synodo, Vt itaque constaret eum habere ius, & auctoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit Nestorium.

3 Coniuncta sunt enim hęc duo, quæ copulauit Balsamon, vt non in præsidendo tantùm, sed & in iudicando Cyrillus, non tam suam, quàm vicariam Cœlestini personam, & potestatem exerceret. Vndè Arnobius in conflictu cum Serapione: [Apostolicæ recordationis vir sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus, cùm cognouisset Nestorianum dogma contrarium fidei pullulare; scripsit per totam Aegyptum, & ad sanctum Cœlestinum Apostolicæ recordationis Antistitem misit, dicens, ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui Pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum. Sanctus verò Cœlestinus ita *egcomiastis*, eius extitit, vt in Nestorij damnationem dictasset sententiam, &c.] Vides vt summa iudicij huius potestas, vel ab ipso Cyrillo ad Cœlestinum delata sit, tamquam ad Pontificatus arcem. Cui consentit Marcellinus Comes in Chronico: [Cœlestinus Romanæ arcis Pontifex Nestorio prauitatis Episcopo, per epistolam suam datis eidem decem dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denunciat. Idem Nestorius apud Ephesum ducentorum sanctorum Patrum Synodo condemnatus est, Cœlestino Cyrillum Alexandrinæ Ciuitatis Episcopum pro tempore Vicarium denunciante.] Vides quò spectaret Cœlestini vices demandari Cyrillo.

4 Sed nusquam maior lux affulgebit, quàm ex ipsis Cœlestini, & Cyrilli epistolis. Cyrillus ergo epist. 9. ad Cœlestinum, ita habet: [Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, vt eiusmodi res sanctitati tuæ communicentur: necessariò rursùm scribo, illud significans, quòd Satanas etiamnunc omnia miscet, &c.] Cumque mox Nestorij intemperias, & effutitos errores memorasset, subdit: [At quamuis res ita se habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter abiecimus, quàm hęc ipsa pietati tuæ communicemus. Digneris proinde sententiam declarare; & vtrum communicare cum illo oporteat, an liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet, ac pręedicat. Porrò tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, & pijssimis Macedoniæ Episcopis, & omnibus Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, vt omnes vno animo in vna sententia persistant, rectęque fidei, quæ iam impugnatur, opem ferant.] Principatus sanè fidei, & Episcopatus Cœlestino hic tribuitur, cui longa Ecclesiarum consuetudo communicari iubet maiora vbique terrarum momenta causarum; cuius primùm sententia de Nestorio, & in Nestorium vel à Cyrillo expectatur; cuius est vt communionem Ecclesiæ toto Orbe diffusæ Nestorio donet, vel interdicat: cuius est ad Episcopos etiam Orientis omnes perscribere, & regulam dictare fidei, & communionis. Cœlestinus verò hæc ad Cyrillum: [Quamobrem nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, *sinafstheisis soi toinin tis aythentias toy imeteroy tgronoy, caì ti imetera toy topoy schadochi, epexoysia chrysamenos*, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris: nempè vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet; eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio pręedicat, illicò sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.] Audin vt prima sedes ad secundam fidenter scribat, & sententiam decretoriam ferat, eiusque executionem illi mandet, suamque ad id muneris auctoritatem, & vicem concredat?

5 Et rursùs idem Cyrillus ad Ioannem Antiochenum prosecutus, vt se Nestorius, suumque dogma Cœlestino insinuare molitus sit per epistolas, eoque adactus, & ipse sit, rem totam, vt habebat, eidem Cœlestino pandere; subdit: [Porrò expositionibus illius, epistolisque lectis, sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit: qua de te, & ad tuam quoque pietatem scripsit. Horum itaque decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint. Scripserunt & ad Macedoniæ Episcopos, &c. & ad Æliæ Episcopum Iuuenalem, Iam tuæ pietatis fuerit, quid in rem futurum sit, diligenter expendere: Nos enim quæ illi iudicauerunt, sequi omninò constituimus; veremur namque ne à tantorum virorum communione excidamus.] Et hic patet, vt fidei, communionisque Catholicæ dux, moderatorque summus sit Romanus Pontifex; & ab Alexandrino, ac Constantinopolitano ambiatur; hunc cum suo errore damnet, illum sententiæ executorem constituat; summam iudicij sui ad Antiochenum, & Hierosolymitanum perscribat: omnibus, etiste Cyrillo, parendi necessitatem imponat. Cyrillus ergo etiam ante Synodum iam vices, & personam sustinens Cœlestini, hæc ad Nestorium scribit: [Ecce igitur vnà cùm sancta Synodo, quæ in magna Romanorum Ciuitate, sanctissimo Cœlestino præ-

præsidente connenit, iam tertiò his te literis contestamur: &c. Quod sanè, nisi iuxta tempus in literis sacrarissimi comministri Cœlestini præscriptum præstiteris, certò scias nullam tibi deinceps cum Episcopis, & sacerdotibus Dei sortem, nullum sermonem, nullum denique inter eos locum futurum esse.] Non suam ergo, sed Cœlestini sententiam exequitur Cyrillus, & ante Synodum, iam Christiano Orbi præerat, nomine, & vice Cœlestini. Assurgebat & Ioannes Antiochenus auctoritati, & sententiæ Cœlestini, & ad obsequium inuitabat Nestorium, ei in hunc modum scribens: [Licèt Dominus meus Cœlestinus decem tantùm dierum internallum, terminum vsque responsioni præfinitum valdè angustum literis suis interposuerit: tamen res ea eiusmodi est, vt non dico decem diebus, sed vno, immò verò paucis horis tota confici posse videatur. Nam quid faciliùs, quàm nomine commodo, multisque sanctis Patribus vsitato vti, &c.]

6 Quas enim antè Synodum Cœlestini vices obietat, easdem in ipsa Synodo consequenter sustinuisse Cyrillum, ità eradit Liberatus in breuiario cap. 5. [Cœlestinus Papa Romanus scripsit Nestorio increpationis epistolam, tribuens ei decem dierum spatium; vt si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, cognosceret se ab eius collegio, & omnium sanctorum Episcoporum consortio esse separatum; insinuans, dedisse vicem suam in Concilio Cyrillo per epistolam suam, &c.] Et mox [Porrò Cyrillus cum suis habens vices Sedis Apostolicæ, &c.] Quibus non discordat Prosper cap. 41. cont. Collat. [Per hunc vitum, Cœlestinnm Papam, etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt; quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio.

7 Primas denique auctoritatis partes, & principatum in hac Synodo obtinuisse Cœlestinum, palàm fit ex ipsa Synodi relatione ad Imperatores: [Huius rei causa, Nestorium quidem à sacerdotio, & pestilente doctrina cessare iussimus, canonicam in eum depositionis sententiam proferentes, & collaudantes sanctissimum Episcopum magnæ Romæ Cœlestinum, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorij dogmata damnauit, & ante nos sententiam in ipsum tulit, prospiciens securitati Ecclesiarum, & piæ, sanctæque fidei, &c.] Ità continetur Act. 1. Concil. Ephes. At Act. 3. eadem Oecumenica Synodus in alia ad Imperatores refert. [Licèt maximum itineris spatium vniuersam illam Episcoporum Occidentalium multitudinem ad nos peruenire prohibuerit: attamen illis in locis simul congregati, Cœlestino sanctissimo Romæ Episcopo præsente, & nunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt: eosque, qui diuersa sentiunt, ab omni protsùs sacerdotij sorte, graduque alienos esse definierunt. Et hæc quidam antequam etiam sanctissima hæc Synodus conueniret, Cœlestinus per literas suas indicauerat: Cyrilloque, vt suas vices subiret, commiserat. Sed & nunc denuò alijs etiam epistolis sanctæ Synodo hæc significauit, &c.] In hereseos profligationem præiisse sibi Cœlestinum gratulantur, nec potuisse se ab eius sententia deuiare, nisi si communionem Occidentalium abijcerent, & Ecclesiæ vnitatem dilacerarent. Denique illa maximi sunt ponderis verba, quæ adnotauit Nicolaus I. epist. 9. nempè in sententia depositionis aduersùs Nestorium, Act. 1. [Necessitate adacti, *anascaios catepeichthentes*, per sacros canones, & epistolam sanctissimi comministri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subindè perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus.

8 Petinsulsum est autem, quod excipit Nouatorum quidam, æquè Africanorum vices implesse Cyrillum, nec illis tamen subesse ideò augurandum. Etenim in relat. ad Imp. per Candidianum Kalend. Iulijs missa. [Synodus omnes totius Orbis Episcopos vnum, idemque sentientes habet. Nam & magnæ Romæ Episcopus Synodo simul interest: adsunt & Africani per pijssimum Archiepiscopum Cyrillum, cui & suam sententiam coniunxerunt, sola locorum intercapedine coniuncti, &c.] Et infrà in alia relatione per Ioannem Comitem missa, [Oecumenica Synodus, quæ vniuersum Occidentem, cum magna vestra Roma, & Apostolico throno, totam item Africam, & totum Illyricum in consessu suo habet.] Quibus simillima alia habentur in alia relatione per Iuuenalem, & Legatos Romanos missa. Nihil vecordius obiectari poterat. Nam 1. nusquam legitur Africanos Episcopos vices suas Cyrillo mandasse, centies legitur Cœlestinum. 2. Expressè dicitur ideò per Cyrillum adesse Afros, quia suam illi sententiam coniunxerunt, non quia suas illi vices delegarunt. 3. Quis ferret Africanos Episcopos imponere Cyrillo, *tin aythentian* sui throni, hortarique exindè vt fidenter agat, & cum seueritate damnet Nestorium? 4. Aderant Africani per Diaconum ad id missum, cui vices suas iniunxerant. 5. Capreolus ipse ad Synodum per Besulam Diaconum scribens, nec verbum facit de legatione suæ Carthaginensis, vel Africanæ totius Ecclesiæ Cyrillo mandata. 6. Nusquam Cyrillus subscribitur, vt vices Afrorum gerens, vbique vt Cœlestini. 7. Quantum interstitij sit Africanam inter, & Romanam Ecclesiam Capreolus ipse Carthag. Episcopus in epistola ad Ephesinam hanc Synodum testatum facit: adhortans [ne secundæ disputationis prętextu renouari videantur errores, quos pridem impugnauit Ecclesia; hisque temporibus repullulantes, Apostolicæ Sedis anctoritas, sacerdotumque in vnum consonans sententia oppressit.] Vbi vides, quàm extollat *tin aythentian tis apostolicis cathedras*. 8. Cæteræ quidem omnes Ecclesiæ laudantur, vt suo singulæ concentu momenti aliquid addentes ad Catholicæ Ecclesiæ consonantiam testificandam, sed ante omnes

vbique magna Roma, & Apoſtolicus rhronus prædicatur. Denique non xb Afris, ſed à Cœleſtino damnari ſe exhorruit Neſtorius, apud illum purgare ſe enixus eſt, apud illum à Cyrillo accuſatus eſt, ille damnationis ſententiam primus tulit, ille diem, & limitem recantandi erroris peſtiferi præſtitnit, ille ſententiæ ſuæ executionem Cyrillo mandauit, ille ipſius hortatu Cyrilli excommunicationem Neſtorii Antiocheno, Hieroſolymitano, alijſque Orientis Epiſcopis ſignificauit, illius nomine Cyrillus legem, & neceſſitatem canendæ palinodiæ, vel incurrendi anathematis denunciauit, illius denique non Afrorum ſententiam pridem in Neſtorium intortam ſe conteſtata iterum, iterumque eſt vniuerſa Synodus ſequi, & ex neceſſitate ſequi. Denique quam in rem Cyrilli fuerit, vices & perſonam vnius maximè geſtare Cœleſtini, clarebit ex Leontio de ſect. Act. 4. [Imperator Epheſi Synodum haberi iubet; iudicemque conſtitui tam Cyrillo, quàm Neſtorio Ioannem Antiochenum Epiſcopum.] Quin Cyrillus ipſe epiſtola 8. reformidauerat, ne Iudex ſibi Neſtorius deſignaretur: [Ne miſer ille ſperet, ſe tetum noſtrarum iudicem fore. Nos eius iudicium recuſabimus.] Has ille minas, & iniurias obtentu Cęleſtini nomine facilè propulſauit.

9 Atque vt ad reliquas iàm Synodos proficiſcamur, in ijſque præſidendi ius euincamus Apoſtolicæ Sedis proprium, & peculiare fuiſſe: à Pſeudoſynodo Epheſina ordiamur, quæ paucis poſt annis in Eccleſiæ excidium confluxit. Præfuit ergo huic quidem Dioſcorus, ſed quo iure, & quo exitu, id verò iudsgandum impræſentiarum eſt.

Faſcinatus à Dioſcoro Theodoſius Imperator, dedit illi per epiſtolam, quæ lecta eſt in hac Synodo, & relecta Chalcedone, *tin aythentian, cai proteia*.

Et infrà rogant Iudices in hunc modum: [Reuerendiſſimi Epiſcopi, quibus *i aythentia tote ton praotomenon*, ab Imperiali vertice data eſt, dicant, &c.] Non ſuo ergo, vel Sedis ſuæ iure, ſed ſubreptirio Imperatoris reſcripto præfuit Dioſcorus.

Audi Liberatum expit. 12. [Eutyches petit Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, vt quæreret, quæ de illo acta ſunt, & cauſam examinaret. Agebat apud Principem, vniuerſalem fieri Synodum, vt probarerur iudicium Flauiani. Scripſit ergo Dioſcorus Theodoſio Imperatori, quia aliam fieri Synodum generalem oporter; & vt fierer, perſuaſit Eutyches. Annuit Imperator, & dirigens ſacram Dioſcoro, &c.] Ex his auſpicijs de re tota ominandum.

Et infrà: [Sedentibus in Baſilica Dei Genitricis Mariæ illis Epiſcopis, Eccleſiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis aſſidere non paſſi ſunt, eò quòd non fuerit data præſeſſio ſanctæ Sedi eorum.]

Actione autem 1. Concil. Chalcedon. Apoſtolicæ Sedis Legati protinùs conqueruntur de Dioſcoro, [Iudicij ſui neceſſe eſt eum dare rationem, quia cùm perſonam iudicandi non haberet, præripuit: & Synodum auſus eſt facere ſine permiſſione Sedis Apoſtolicæ, numquam factum eſt, nec fieri licet.]

Vide & Enagrium libro 2. cap. 4. & 18. Et idem lib. 1. cap. 10. [Huius Concilij Præſes fuit Dioſcorus, quo odium in Flauianum incenderetur: Chryſaphius enim, qui tunc Præfectus Palatij fuit, hanc rem callidè molitus eſt.] Quantam porrò illa Dioſcori audacia Eccleſiæ vniuerſæ cladem importarit, nemini incompertum eſt: vt quia tunc non præfuit Sedes Apoſtolica, hinc inuictiſſimè conſtet præeſſe debere Synodis: & quod præſit, Eccleſijs, Synodiſque præſtari, non ipſi.

Vodè Proſper in Chron. [In quo Concilio Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus primatum ſibi vendicans, abſoluto Eutyche, in Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum damnationis ſententiam tulit.]

Et Victor Tunun. in Chron. [Synodus generalis 11. congregatur in Epheſo: in qua Dioſcorus Principatum vſurpans Imperiali fauore, Eutychen, poſt legitimam damnationem, abſoluit.

10 Chalcedonenſi Synodo præfuit vtique Leo Papa per Legatos. Id quoque Imperatores ei conceſſere, vel cælitùs potiùs conceſſum agnouere.

Valentinianus, & Marcianus ad Leonem: [Tuam ſanctitatem Principatum in Epiſcopatu fidei poſſidentem ſacris literis in principio credimus alloquendum, inuitantes, atque rogantes, &c. quatenùs ſublato omni errore per Synodum celebrandam te auctore, *ſoy aythentonytos*, &c.]

Er Pulcheria ad eumdem Leonem, priùs profeſſa, ſe, & coniugem, & Anatolium Apoſtolicæ ipſius literarum confeſſioni adhæreſcere, eius ad Flauianum epiſtolæ ſubſcripſiſſe etiam Anatolium, demùm orat [facto Concilio, & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui antè hoc ſegregati ſunt, ſicut fides, & Chriſtiana pietas exigit, te auctore, *ſoy aythentonytos* decernant.] Longo hæc interuallo diſtant ab illa Theodoſij ſacra in gratiam Dioſcori: illic enim ſola ſpirat Imperatoris gratia, & voluntas: hìc autem non Principis beneficium, ſed Sedis Ius, & prærogatiua effulget. Præeſſe enim Synodo iubetur is, [qui Principatum in Epiſcopatu Diuinæ fidei poſſidet, cuius Apoſtolica confeſſio, cuius epiſtola ad Flauianum.] Ceu fidei fax, & communionis Catholicæ teſſera, vniuerſum iàm Orbem occuparat, & Pſeudo-ſynodi Epheſinæ vulneribus medebatur.

Et in ipſo Synodi exordio Paſchaſinus irà orditur: [Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, &c.]

Et Leo Papa in epiſtola ad Synodum Chalcedonen. [In his fratribus Paſchaſino, &c. qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo fraternitas veſtra exiſtimet præſidere.]

Et

Et Synodus ipsa Chalcedonensis in epistola ad Leonem Papam, ipsum sibi præfuisse ità testatur: [Quibus tu quidem sicut membris caput præeras, *os cefali melon igemoneyes* : in his, qui tuas vices obibant.]

Et Ferrandus Diaconus in epistola ad Pelag. & Anat. num. 5. [Ibi fuit in Legatis suis Sedes Apostolica, primatum tenens vniuersalis Ecclesiæ.]

11 Quintæ Synodo non affuit, ideò nec præfuit; sed vt adesse, ità & præesse inuitatus est Vigilius ab Eutychio: [Ideò petimus Præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate, & Sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Euangelijs, communi tractatu, eadem capitula in medio proponenda, &c.]

Rescripsit Vigilius: [Poposcit vestra fraternitas, vt nobis Præsidentibus, de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, conferatur, &c.] Si affuisset autem, fore vt præsideret, vel ex eo rursùs liquebit, quòd ad eum inuitandum delegati sint tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, cum septemdecim Metropolitis.

Liquebit & ex eo, quòd collat. 5. agens hæc ipsa vniuersalis Synodus de Synodo Mopsuestena, ait: [Facta est verò suggestio ad sanctissimum Papam antiquioris Romæ Vigilium ab ijsdem Episcopis, ità habens: Decebat verè, cùm primam inter Sacerdotes dignitatem sortiti estis, sanctissimi; ea, quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ Diuinitùs honoratæ beatitudini fieri.]

Liquebit & ex eo, quòd Iustinianus Nou. 131. ità statuit: [Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus. Ideòque sancimus secundùm earum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotum: beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolis nouæ Romæ, secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem, alijs autem Sedibus omnibus præponatur.]

Primatum ergo Romanæ Sedis ex quatuor Concilijs generalibus iàm conspicuum profitetur, non Imperiali sanctioni obnoxium.

Liquebit denique ex eo, quòd iàm antè cùm ad aliquid nefarium Anastasius [Imperator Macedonium Episcopum Constantinopolitanum vrgeret vehementer, ille nihil se facturum dixit, siue Oecumenica Synodo, Præsidem habente magnæ Romæ Episcopum.]

12 Otiosum ferè iàm est de sexta Synodo verba facere. Pauca libabo ex prosphonetico sermone ad Imperat. act. 18. [Vestris diualibus præceptis acquiescentes, tam *o tis presbytatis romis, cai apostolicis acropoleos archierati cotatos proedros*, antiquæ Romæ, & Apostolicæ summitatis Summus Pontificum Antistes, quam nos humiles, Christi tamen Sacerdotes, atque ministri, &c.]

Et infrà: [Proindè inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & summi Papę dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, necnon & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est Synodi 125. Patrum concordantes, prædicamus Christum, &c.]

Et infrà rursùs: [Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps. Illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & Diuini Sacramenti mysterium illustrantem per literas, &c. Per Agathonem Petrus loquebatur, & cum omnipotenti conregnatore pius Imperator tu simul decernebas, &c.]

Principatum Synodi, fidei, & totius rei Christianæ Romano Pontifici, vt Petri successori adscribunt. Quin & paulò antè ijdem Patres superiora Concilia Oecumenica pernumerantes, primas vbique partes Synodi, fideique adsignauerant Romano Antistiti, & Imperatori; quod vterque vniuersalis sit Episcopus, ille in ipsis Ecclesiæ visceribus, hic exteriùs excubias agens: [Arius diuisor, atque partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & laudabilis Siluester magnam in Nicæa Synodum congregabant, &c. Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt, &c. Iterùm Nestorius, & iterùm Cœlestinus, & Cyrillus, vt Ephesus loquitur, &c. Deindè Eutychetis insania delirante, Leonis tuba tamquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma Archimandritam bestiam perterruit, &c. Sicut & Vigilius post hæc Iustiniano pijssimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est, &c.] Vbi ergo & congregandæ, & moderandæ, & inclinandæ in sana fidei dogmata Synodi Oecumenicæ potestatem primariam Romanis Præsulibus vendicauit, quippè, [qui sunt Petri Apostolorum Principis Sedis successores, & imitatores.]

13 Atque vt retrò flectamus vestigia, nec intactam elabi sinamus Nicænam Synodum: huic quoque Osium Cordubensem Episcopum cum Vito, & Vincentio præfuisse nomine, & vice Siluestri, iàm vt reor, sextæ Synodi auctoritas persuasit. Item ex aliarum generalium post Synodorum præiudicio idipsum astruitur, quæ Nicænam Synodum ad vnguem exprimere enixæ sunt. Deindè quo alio iure præfuisset Osius, supra secundam, & tertiam Sedem, nisi velut primæ Sedis Legatus?

Adde Gelasium Cyzicenum, qui lib. 2. cap. 5. [Ipse etiam Osius ex Hispanijs nominis, & famæ celebritate insignis, qui Siluestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, vnà cum Romanis Presbyteris Bitone, & Vincentio aderat.]

Quæ ille ex Eusebio refert, etsi nunc aliter apud Eusebium legatur.

Eadem repetit cap. 12.

Eadem refert ex Gelasio Cyziceno Photius in Biblioth. cod. 88. Quin & lib. de Synodis idem Photius Vito, & Vincentio Osium consociat, in vice Siluestri obeunda.

Hincmarus quoque lib. 55. cap. 20. [Sil-

[Siluestri tempore celebrata est sacra Nicæna Synodus, cui ad vicem Siluestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Vrbis Romæ.] Adde, quod ea inoleuerit deinceps consuetudo, vt ad Synodos generales non Presbyteros tantùm, sed & Episcopos sua vice legaret Romanus Antistes, vt ex Sardicensi, Ephesina, alijsque Oecumenicis Concilijs patebit. Denique nulla se tantùm iactanere Synodo Romani Pontifices, quantùm Nicæna, & quidem ij ipsi, qui eadem penè ætate rexerunt Ecclesiam, Iulius, Innocentius, Leo,&c. Maiestatem ergo suæ sedis in ea Synodo amplissimis honoribus cumulatam non ambigebant. De secunda Synodo Oecumenica nihil attinet disputare, cùm ei nullus affueret Occidentalium. Sed cùm Oecumenicæ auctoritatis culmen non sit adepta, nisi consensione Damasi Papæ, & Occidentalis cum eo Synodi; ne hic quidem primatus sui insignia Romanæ Sedi decerpi potuere. Vndè & sexta Synodus non terum corticem lambens, sed medullam inuadens, primariam laudem oppressi Macedonij peræquè Theodosio, & Damaso tribuebat.

Et Marcellinus Comes in Chronico: [Sanctis Constantinopol. Patribus Vrbe Augusta congregatis, &c. Sancta Synodus confirmata est; Damaso videlicet sedem beati Petri tenente: Constantinopoli verò per Timotheum Alexandrinum, Meletium Antiochenum, & Cyrillum Hierosolymitanum Episcopos. Nectario,&c] Scite prorsùs. Etsi enim non affuit, præfuit tamen Oecumenicæ Synodo, quisquis Petri Sedem tenuit. Præfuit nimirùm auctoritate, consensu, principatu.

14 Non abs re erit autem, Imperatorium quoque Synodis præsidendi ius cuiusmodi sit, vna, & eadem opera vestigare. In Ecclesiasticia ergo, & historiæ, & Synodorum monumentis legitur subindè Imperator & affuisse,& præfuisse Concilijs, nimirùm velut exterior Episcopus, vt Ecclesiæ, ità & Synodi defensor; tumultuariorum propulsator, pacis, & ordinis vindex. Præfuit autem Summus Pontifex, vt Episcopus interior, vt Episcopatus, & fidei Princeps, vt Apostolicæ Cathedræ hæres, vt Petri successor.

Id nos docent Chalcedonenses Patres in relat. ad Leonem Papam: [Tu vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, &c. Tu sicut membris caput præeras, in his,qui tuum locum tenebant,beneuolentiam tuam præferens: Imperatores verò Fideles ad ornatum præerant: sicut Zorobabel, & Iesus, Ecclesiæ tamquam Hierosolymæ ædificationem renouare circa dogmata enitentes.] Ergo Synodo præerat Leo, præerat Marcianus; ille vt Iesus, hic vt Zorobabel: alter Summi Pontificatus,Imperij alter apice præfulgens: vterque ad Ecclesiæ instaurationem conspirans. Quòd autem præesset Imperator ad *eycosmian*, vt ait Synodus, vel potiùs adesset: vt seditiones præuerteret, & ordinem, pacemque Synodo adferetet, ipsemet Marcianus testatur.

In sacra enim ad Episcopos missa, vt Nicæam conuenirent: [Nostra pietas aderit in ipso Concilio, &c.]

Et ad eosdem Nicææ congregatos: [Vt nostra pietate præsente decernantur, quæ omnem discordiam, quæstionemque summoueant.]

Nempè post Ephesinum latrocinium, vbi cœdibus, & vinculis grassatus erat Dioscorus, vix, ac nec vix poterat pax Synodo, nisi præsentia Imperatoris conciliati: cùm vel maximè Nicææ Monachi turbâ cœpissent furiari.

Indè ergo Episcopos Chalcedonem euocans Marcianus, scribit: [Nàm & Episcopi, qui vice Leonis Archiepiscopi Vrbis Romæ venerunt, à nostra tranquillitate petierunt, quatenùs omninò nos adesse debeamus sancto Concilio; affirmantes quoniam non paterentur illic absente nostra pietate venire.]

Denique act. 4. eiusdem Chalcedon. Synodi Marcianus Synodum alloquitur: [Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, interesse Synodo voluimus.]

15 Explorandum ergo est, quo consilio, & quo schemate affuerit Constantinus Synodo Nicænæ.

Id narrat Eusebius lib. 3. de vita eius cap. 10. [Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius stetit. Positaque ante eum humili sella, ex auro fabrefacta; non priùs assedit, quàm Episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere.] Nihil hic iactantiæ spirat, nusquam præsidere, sed sedere in humili sella describitur Imperator, idque annuentibus demùm Episcopis.

Et præsidere quidem sextæ Synodo scribitur Constantinus Pogonatus in ipso actorum vestibulo, & in epist. Leonis Papæ ad eumdem: [Sancta vniuersalis sexta Synodus, quam nutu Dei studiosè vestra clementia conuocauit, & cui pro Dei ministerio præfuit.] Quin actione 12. & sequentibus, cùm abesset Imperator, habitæ tamen illæ sunt, *procathmenoy toy featoy* eius.

Sed ne quis hinc offendatur, audi quid de ea re scribat Gregorius Papa Romanus in epist. 1. quæ prælegitur in anteactis septimæ Synodi: [Interposito iureiurando scripsit ad nos, & nobiscum egit, vt ad vniuersalem Synodum congregandam viros vtiles mitteremus. Neque cum illis, inquit, tamquam Imperator sedebo, aut imperiosè loquar, sed tamquam vnus ex illis: & prout statuerint Pontifices, ego exequar; & eos, qui rectè loquuntur, admittimus: eos qui malè loquuntur, expellemus, & exilijs relegabimus. Si pater meus quidquam ex intemerata fide peruerterit; ego primus illum anathematizabo. Tum nos Deo beneuolente misimus,& cum pace sexta Synodus celebrata est.] En quo animo præfuerit Synodo sextæ cognominis imitator Constantini; En quo Constantinus ipse primæ.

Nam vt ibidem illico Gregorius: [Scis, Imperator, sacra Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ

quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesijs præpositi sunt Pontifices, à reipub. negotijs abstinentes; vt Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant.] Multò magis ad eum sensum trahetur illud, quod act. 8. Synodi 7. Græcæ legitur Irene Imperatrix cum filio præfuisse.

Nec enim liber hic ea persequi, quæ Galli in hanc Irenes Synodo præsidentis licentiam bacchati sunt, libri Carolini par. 3. cap. 13. [Sicut caput viri Christus est, ità nimirùm caput mulieris vir: ac per hoc si mulier viris præesse debet, iam eorum caput est, & si illa eorum caput est, illi necessariò caput Christi erunt.] Parco pluribus. Inuidiam eleuauit Hadrianus in sua ad illud caput responsione, exemplo Helenæ, & Pulcheriæ in medium prolato.

Octauæ quoque Synodo præsidere dicitur Basilius Imperator act. 7. Sed refricanda eorum quoque memoria est, quæ ibidem referuntur act. 10. [Sanctissimi Vicarij senioris Romæ dixerunt, volumus vt subscribant primitùs Christi amatores Imperatores, & deindè secundùm ordinem sancta hæc Synodus. Basilius pijssimus, & Christi amicus Imperator dixit: Tranquilissimum Imperium nostrum sequutum præcedentes, & iustissimos Imperatores, Constantinum videlicet magnum, & Theodosium, & Marcianum, ac cæteros, vult subscribere post subscriptionem omnium sanctissimorum Vicariorum. Edocti enim sumus à Christo vero Deo nostro habere exaltantem humilitatem.] Et reapse post Vicarios Patriarchalium omnium Sedium subscripsere Imperatores.

Quocirca ibidem infrà Hadrianus Papa ad Imperatores hæc gratulabundus scribit: [In quo illud mirabiliùs, & laudabiliùs sublimitatis vestræ prædicatur insigne, quòd non iudicium, vel assertorum, sed consciorum tantùm, & obsecundatorum persona vsi fuisse dignoscimini: itaut per humilitatis arcem ad culmen virtutum peruenire dilexeritis potiùs, quàm per imperialis altitudinis fastum ad inanis gloriæ ima delabi consenseritis.] Semel posthac præfuit Concilio Constantiensi Sigismundus Imperator sess. 14. sed extraordinaria prorsùs, & inusitatissima de causa, & ad momentum penè temporis. Posterioribus Græcorum Synodis præfuere Imperatores, cum Patriarchis.

Vide Cantacuzenum lib. 2. cap. 40. Nicetam Choniatem in Manuele Comneno. Sed & de fide sancire ijdem præsumpsere, & Ecclesiam illam fœdissima seruitute afflixere.

16 Quoniam autem, qui singulas Imperij Romani plagas discerpsere, atque occupauere Reges, Imperatorias quoque iure suo inuasere prærogatiuas: Synodis hi quoque, sed ad eumdem etiam modum præfuere. Toletano 3. Recaredus Rex affuisse scribitur. Toletano 4. Sisenandus cum magnificentissimis viris ingressus, primùm coram Sacerdotibus Dei humo prostratus, cum lacrymis, & gemitibus pro se interueniendum Domino postulauit. Toletano 12. Eruigius affuit humilitatis gratia plenus, & claro pietatis cultu conspicuus, qui nostro se cœtui recliuem exibens, ac deuotum, in primis omnium Sacerdotum se commisit precibus adiuuandum. Toletano 13. Cùm vnusquisque nostrum debitis locaretur in sedibus, adfuit idem Princeps, pleno fidei ardore subnixus, & humilitatis gratia decoratus, &c.] Et infrà Rex ipse Eruigius ità Synodum affatur: Ego sanctissimi Pontifices, coràm cœtus vestri reuerentia humilis, deuotusque prosternor, recliuis adsisto, &c. Toletano 15. Egica Princeps placida deuotionis arce sublimis, & strenua culminis reclinatione laudabilis, quippè in medio Pontificum positus: humoque prostratus, Sacerdotum Dei se commendat orationibus. Toletano 16. Idem Princeps in medio nostri consistens, inclytum caput reclinans, sese à nobis benedici poposcit. Ità ergo regium culmen Sacerdotali apici, & Synodorum maiestati sese inclinabant, nec præesse, sed subesse ambibat.

17 Nec Francorum Regum pietas, aut reuerentia in Sacerdotes minùs enituit. Francofordiensis Synodus sub præsentia Caroli Magni habita est, vt fertur in sacrosyllabo: præcipiente, ac præsidente Carolo, vt habet epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ.

Sed *oipenomipos* indultum id fuisse Elipandi importunis suspicionibus, qui Episcopos præsides vt suspectos detrectabat, ex ipsa Caroli ad Elipandum epistola docemur: [Scriptam itaque in epistola vestra huiusmodi precationem inuenimus: Poscentes vt per te arbiter sedeas. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi Sacerdotum auditor, & arbiter adsedi.] Insolentiùs id ergo fuerat, quòd Elipando vt os quomodocumque obstrueretur, ità dispensatum est. Similiter interpretandus est Alcuinus lib. 1. contra Elipandum, vbi Synodo Ratisponensi eodem glorioso principe præsidente Felicem præsentem damnatum fuisse ait, Synodali auctoritate Sacerdotum Christi. Certè Carolus Caluus auitæ æmulator pietatis anno 853. Synodo Suessionensi: Posthabitis secularibus curis, ipse quoque adesse dignatus est, vt non solùm deuotione Ecclesiæ se filium esse ostenderet, verùm etiam, sicubi opus esset, protectorem regia potestate monstraret. Et ibidem act. 1. Pio Rege multa humiliter, & prudenter proponente, &c. Et infrà: Iam Rex absque vlla ambitione Synodum ingressus, simpliciter cum Episcopis residebat. Consule si vacat, & Synodi Triburiensis sub Formoso Papa epistolam prælocutiuam, Arnulphum Regem spectabis pompaticè præsidentem, sed in palatio: at interim Synodum in Ecclesia collectam: optimates denique inter Regem, & Synodum commeantes vltrò, citròque.

18 Vt quæ nè Britannia penitùs obmutescat, audiamus Bedam in vita sancti Cutberti cap. 24. Congregata Synodo non parua sub præsentia pijssimi, ac Deo dilecti Regis Egfridi, cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiscopus præsidebat, &c.]

Adest

Adest Rex, præest, præsidetque tamen Episcopus.

19 Atque vt paulò altiùs demergamur in has imperatorij, regijque iuris disceptationes, duo hic alia quasi superioribus conserta, se potestatis in Synodos exertæ capita obtrudunt. Alterum in materia, serieque rerum in Synodo pertractandarum præscribenda; alterum verò in confirmandis regio diplomate Synodalibus statutis versatur. Quæ autem nos ratio adduxerit, vt has quæstiones ex Ephesina maximè Synodo illustrandas adgrederemur, obscurum esse non potest ei, qui huius Synodi gesta voluta uerit. Indè enim potissima earum effulgebunt elucidamenta.

20 Theodosius ergo in sacra ad Cyrillum, & ad Metropolitanos missa, hæc habet: [Tua pietas operam dabit, vt sacrosancto Paschate proximo elapso, sub sacræ Pentecostes diem ad Ephesiorum Asiæ ciuitatem accurrat; nonnullosque, quos nimirùm idoneos iudicabit, suæ Prouinciæ Episcopos eodem secum adducat, &c. Cæterùm ante sanctissimam coactam Synodum, communemque eiusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in vlla prorsùs re à quoquam innouetur, &c. Nos nullum impunè abesse finemus; nec vllã, vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus est excusationem, qui statim impigrè secundùm præfinitum tempus; ad destinatum locum præsto non fuerit.]

Et in sacra ad Synodum per Candidianum Comitem missa: [Candidianum, &c. Ad vestram Synodum abire iussimus, &c. vt monachos, & seculares, qui huius spectaculi causa, eò nunc confluent, ab illa ciuitate summoueat, &c. Prospiciat, ne qua grauior dissensio ex mutuo repugnandi studio cohorta, Synodi consultationem, & veritatis indagationem obturbet, &c. Ante omnia seuerè eidem mandatum est, ne quem ex sanctissima vestra Synodo, aut reditum molientem, aut iter ad exercitium nostrum affectantem, priùs indè abire permittat, quàm ea omnia diligenter definita fuerint, quæ in disquisitionem venerant. Hinc ne vllam omninò, aut Ecclesiasticam, aut aliam quamcumque controuersiam, quæ ad sancti dogmatis propositam considerationem non pertinent, ante moueri sinat, quàm eorum, omniumque nunc in quæstionem venere, ambiguitas soluta sit, &c.] Itàque non turbas abigit tantùm, sed diem, & locum Synodo indicit, edicit, qui adesse debeant, comminatur, ni adsint; vetat abire quemquam è Synodo priùs, vel quamcumque aliam ventilari controuersiam, quàm proposita fidei quæstio fidem, lucemque Synodali consensione nacta sit. Iam verò act. 1. Synodi statim Iuuenalis Hierosol. Episc. ait: [Legatur pium pijssimorum Imperatorum edictum ad omnes Metropolitanos destinatum, rebusque, quas nunc tractare incipimus, veluti fax præluceat. Cyrillus epist. ad Clerum Constant. post depositum à Synodo Nestorium, se præfinitum ab Imperatore Concilij diem anteuertisse, & Ephesi præsto fuisse ait, neque enim contemnere fas erat dominica mandata. Et Synodus ipsa in relatione ad Imperatores de Orientalibus act. 5. de aduersario Ioannis Antiocheni, & Nestorij Conciliabulo ità conqueritur: Quasi verò vestra pietas duas, & non vnam Synodum, quæ & Euangelicam fidem confirmaret, & eos, qui peruersa sentirent, ab Ecclesiasticis ministerijs amoueret, fieri iussisset.

Et mox in relat. ad Cœlestinum: Cùm pia Imperatorum edicta, per quæ fuimus euocati, tempus sanctæ Synodi consessui præscriberent, diem sanctæ Pentecostes, omnesque concurrissent, ideò maximè, quod Imperatorum literis expressum erat, si quis ad præstitutum terminum non veniret, eum mala conscientia deesse, & apud Deum, hominesque esse inexcusabilem. Theodosius Orientalium epistolis delusus, per Palladium Magistrianum rescripsit, vtrimque gesta rescindens: [Neque enim quæ de fide sunt modo, quo oportebat, vel prout continebatur sacris literis nostris, quas subindè misimus, examinarunt: proindè placuit sacræ maiestati nostræ, talem procedendi modum nullum habere locum, aut momentum: his verò, quæ ineptè, & citrà ordinem gesta sunt, cessantibus, doctrinam de pietate priùs, sicuti decretum fuit, discuti, eamque iuxta communem totius Synodi sententiam obtinere.

Ergo, quòd præter diualia præcepta sua, nec omnes Episcopi cum Cyrillo affuissent, nec Candidianus Comes interfuisset Synodo, eius quoque aduersùs Nestorium depositionis, aduersùs Ioannẽ, & asseclas suspensionis sententiam rescidit Imperator: rursùmque ea dcrt à plenaria Synodo decerni statuit. Synodus in relatione per Palladium missa kal. Iulijs, non expostulat cum Imperatore de vsurpata iurisdictione, sed ei obreptũ fuisse à Candidiano, Nestorianis partibus addicto conqueritur; secum & Romanũ, & Afros, & totius Orbis Episcopos consentire docet; orat cum Candidiano euocari quinque Episcopos, qui omnia canonicè gesta ei approbent: [Etiam, atque, etiam maiestatem vestram rogamus, vt sanctæ Synodi studium erga Deum agnoscat, magnificentissimumque Candidianum accersat: & quinque è dicta Synodo, qui ea, quæ gesta sunt, coram vestra pietate exponant, ac defendant.]

Theodosius Ioannem sacrarum largitionum Comitem Ephesum mittit, qui rebus omnibus accuratè examinatis, Orientalium calumnias retexit; & Synodo, Orientalibusque concessit, vt septem hinc, & indè Episcopos ad Comitatum delegarent. Deinque, vt fertur Ephes. syn. par. 3. c. 14. [Cùm septem, & septem Episcopi ex vtraque parte Constantinopolin venissent, Imperator certò comperit sanctam, & Oecumenicam Synodum omnia *canonicos cai acolythos*, cannnico, legitimoque ordine fecisse: ac Nestorium deposuisse. Itaque legatorum Synodi sententia approbata, Orientales condemnauit.]

Vbi autem illa esset discutienda de ordine canonico seruato, vel interuerso controuersia, indicauerant Orientales in mandato,

dato, quo Legatos suos instruxerant: [Sine coram sanctissimo Imperatore, siue in consistorio, siue coram sacro senatu, siue in Patrum Synodo.]

Ordinem ergo iudiciorum præfinit Synodo Imperator, cui religiosè obsequendū Episcopi sibi profitentur; tota de eo seruato, aut conculcato ordine inter ipsos concertatio est iudicem, & arbitrum huius controuersiæ Imperatorem non detrectant, sed ambiunt: eius sententiæ omnes acquiescunt vltrò, aut certè subiugantur.

21 Nec vlla hic Imperatoris potestas in Episcopos, aut Synodos alia sublucet, quàm executoris, & defensoris canonum: non auctoris.

Itàque cùm auctores cannnum sint Episcopi, ac velut legum latores Ecclesiæ, Imperator verò horum vindex, & executor Regiæ semper potestati in Synodis antistat Pontificia.

Idque hac ipsa in Synodo Theodosius testificatur in sacra ad Cyrillum,& Metrop. par.1.cap.32. [Reipub. nostræ constitutio, ea, quæ in Deum est, pietate præcipuè nititur; multaque inter hanc, & illam cognatio intercedere solet. Nam & ex se inuicem pendent, & vtraque prosperis alteriùs successibus incrementa sumit: quandoquidem, vt vera religio iusta actione perficitur, ità respub. vtriusque ope nixa efflorescit. Cùm itàque Deus imperij habenas nobis tradiderit, iisque, qui imperio nostro parent, pietatis, & securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit; harum inter se societatem indiuulsam seruare perpetuò enixi sumus.]

Et infrà: [Ante omnia autem in id operam damus, vt Ecclesiasticus status, & eiusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris, quàm maximè congruat: iìdemque ex omnium concordia, & consensione suam tranquillitatem obtineat: tum per Ecclesiasticarum controuersiarum pacem, à turbis, & seditionibus liber existat: tum demùm vt pia religio ab omni reprehensione immunis existat: eorumque vita, qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsùs næuo, & culpa vacet.]

Imperio adnata, & amplissima sanè est hæc potestas in Ecclesiam, sed sub Ecclesia: subdit enim ipsemet ibidem, id esse ti se: [Vt turbæ ritè secundùm Ecclesiasticos canones consopiantur.]

Et idem ipse in sacra priore ad Cyrillum: [Etenim religionem iam indè à primis vsque temporibus, non imperantis cuiusquam, aut certè imperium vsurpantis interminationes, vel proteruiæ, sed sanctorum Patrum, sacrarumque Synodorum decreta nobis constituerunt.]

Et idem ipse extremo, quo suprà confirmauit Synodum iudicio, omnia peracta esse *canonicos* iudicauit. Itàque non præest, sed subest Ecclesiæ: non imperat, sed obtemperat Episcopis Princeps, cùm leges Ecclesiæ à Patribus dictatas defensat, cum Canones ab Episcopis conditos executioni mandari cogit.

Et vbi ordinem iudiciorum dictat Synodis, vbi de eo seruato, vel euerso iudicat, nihil aliud, quàm Canones seruari præcipit, seruatos agnoscit, calcatos vlciscitur, legibus per Episcopos, Synodosque constitutis, & morem gerit ipse, & ab omnibus morem geri compellit.

22 Nam in ea potestate defungenda si quid Princeps Canonibus inimicum, vel surripi sibi, vel excidere, vel extorqueri sinat: tum verò infractos in ipsum animos exertant Episcopi, clerici, & religiosi omnes. Cùm obreptum Theodosio, Catholicos Ephesi detineri, vexarique, per epistolas à mendico in arundine perlatas Episcopis Constantinopoli versantibus innotuisset, statim, vt ipsi rescribunt, omnes Archimandritæ Monachorum cateruis stipati exurgunt, hymnosque, & psalmos alternantes ad regiam contendunt.

Plebs vniuersa cum cœtu solitariorum cereos præferentium, & psallentium, Duce Delmatio, qui annos iam 48. reclusus, septis è suis excitus est, Imperatorem adit, Nestorij fautorum artes denudat, addit, sex millia ne Episcoporum audire mauis, an vnum hominem, eumque impium?

Quo animo autem Cyrillus, quo Synodus fuerit, discimus ex Cyrilli epist. ad Theopemptum. [Postquam religiosorum Imperatorum literæ, quibus trium depositiones confirmabantur, lectæ fuerunt, custodiæ traditi sumus, & adhuc custodimur, ignari prorsùs, quo res hęc sit euasura. Verumtamen gratias agimus Deo, quòd digni habeamur, non solum vinculis constringi, sed cætera quoque omnia perpeti; neque enim ista præmijs suis carebunt. Non potuit autem sancta Synodus induci, vt cum Ioanne communicaret, sed restitit dicens, ecce corpora, ecce Ecclesias, ecce ciuitates, potestatem habetis. Nos autem vt priùs cum Orientalibus communicemus quàm ea dissoluantur, quæ per illorum calumniam contra comministros nostros comparata sunt, ac rectam fidem confiteantur, id fieri nullo modo potest. Dignoscuntur enim Nestorij dogmata loquè, sentire, & confiteri.]

Et infrà Clerus Constantinopolitanus in supplice libello ad Imperatorem sic contestatur: [Nostræ professionis scopus potestatibus obediendum esse suadet, dummodo tamen eiusmodi obedientia animæ conferat. Quòd si illa vtilitatis limites transiliat, tunc etiam aduersùs vestrum apicem cum libertate audendum esse diuinarum legum interpretes monent: loquebar in conspectu Regum, & non confundebar, &c.]

Si pergat Imperator assentiri perperàm tentatæ ab Orientalibus Cyrilli, & Memnonis depositioni: [Nos omnes prompti, paratique sumus ea animi alacritate, quæ Christianos homines decet, quoduis periculum cum memoratis sanctissimis viris subire, &c. Quamobrem Christi amantes Imperatores sedulò curate, ne Ecclesia, quæ more nutricis vos educauit, ac tropbæa aduersùs hostes citrà difficultatem maiestati vestræ erigit, in posterum diffi-

petur : neue regni veſtri tempore martyrum ſerulum ſpectandum exhibeatis. Quin potiùs maiorum veſtrorum erga Eccleſiam amorem, ac ſtudium memoria repetentes; & quemadmodum vnuſquiſque eorum imperij ſui tempore ſanctorum Patrum Synodis celebratis paruerit , Patrumque ſanctiones legibus ſuis muniendo, quàm illis deſerrent obſeruantiam , ſatis oſtenderunt: ità & vos quoque parem affectum erga ſanctam Synodum , quam modò conuenire iuſſiſtis , alacriter ſuſcipite ,]

Animoſè aduersùs ipſum Imperatorem inſurgunt , obuia martyrio pectora obiectant , priſtinos Imperatores Synodis ſuorum temporum obtemperaſſe , & ità eas confirmaſſe: vt planè tota hæc Imperatoris poteſtas , eius in canones, Synodoſque obſeruantiæ , obſeruantiæ, & obedientiæ ſpecimen ſit .

Subindè & Synodus ipſa in mandato Legatis Conſtantinopolin miſſis dato : [Si qua fortè neceſſitas ab Imperatore afferatur, nam piæ,religioſæque Auguſti ſanctioni quantùm fieri poteſt , obediendum eſt) ſiquidem prędicti Neſtorij, &c.] leges pręſcribit ab Orientalibus ſubeundas antè, quàm pateatur Imperatori cum eis communicare iubenti : [Non priùs autem illis communionem ſpondeatis, quàm præſides ſuos recipiat ſancta Synodus .]

His ex omnibus efficitur non dominari, ſed ſubeſſe Eccleſiæ Principem; dum Canonibus non ſuperuolitat iudicando de ipſis, ſed ſubijcitur , ſecundùm ipſos , vel iudicando, vel iudicare compellendo .

23 Conſimili poteſtate vſus eſt idem Theodoſius ad Epheſinam ſecundam Synodum cogendam. Nam & Dioſcorum præeſſe iuſſit , vt ſuprà oſtenſum eſt : & in ſacra ad Dioſcorum ſcripta, iuſſit vt decem non ampliùs Metropolitanos , alioſque item decē Epiſcopos ad Synodum ſecum adduceret Epheſum, Theodoretum vetuit Synodo adeſſe , niſi ab vniuerſo Concilio accerſeretur . Sacra item alia Barſumam Archimandritam , ſuo & aliorum Orientalium Archimandritarum nomine intereſſe ſanxit Synodo: Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum , vt à quo appellatum eſſet, vetuit in Concilio Epheſino ſuffragium ferre, immò non iudicem , ſed iudicandum adeſſe pręcepit , quaſi , ſi pręter Canones Eutychen deieciſſet , ſimili pœna retaliandum : quod Elpidius grauiter vrgebat, his verbis: [Imperator adimplens ipſe primus ordinem legum , cujus eſt conditor , & cuſtos, iuſſit eos , qui ſemel iudicarunt , iudicandorum locum obtinere .]

24 Sed quanta hìc præter Canones auſus ſit Theodoſius, fari pudet . Nec præeſſe enim Dioſcorus Concilio Oecumenico poterat, nec Flauianus inter reos deijci, nec Archimandritarum cateruæ irrumpere in Synodum , nec damnatus Eutyches ouare. Ergo fœdiſſimus , & exitialis fuit eius Synodi exitus, vt vel hinc iſta Principum poteſtas in Synodos temperanda potiùs,quàm exageranda conijciatur . Parcius in Chalcedonenſi Synodo celebranda Marcianus hanc ſuam poteſtatem exercuit:ideò & prior ibi labes reſarta eſt , & ingens fidei propugnaculum excitatum . Quinta in Synodo plura ſibi licere voluit Iuſtinianus, indè calamitatum examina ebulliere . Sextam , & ſeptimam Legati Pontificij pręponentiùs moderati ſunt, & deinceps in Occidente potiſſimùm imperatoria in Synodos poteſtas elanguit , efflotuit in dies magis, magiſque Pontificia . Ex quo id quoque perfectum eſt , vt conticeſcerent turbæ illæ, & tumultuariooes , quæ Tyriam , Antiochenam , Ariminenſem , Epheſinam ſecundam , & ſi quæ ſint aliæ , vbi poteſtas imperatoria latiùs ſeſe effudit , ſunt conſecutæ .

25 Vt enim paulò altiùs rem ab origine ſua repetam , hanc poſteris Imperatoribus poteſtatem auſpicatus erat Conſtantinus ipſe . Nam à Donatiſtis interpellatus , tres Gallos Epiſcopos iudices ipſe delegauerat: vt cùm Romano Antiſtite , & certò Italorum Epiſcoporum numero iudicarent, mandauerat , numerum item Donatiſtis Epiſcopis pręſcripſerat : ijſdem poſt conquerentibus aliud Arelatenſe iudicium dederat . Nicææ item Synodum indixit ipſe, in palatio Epiſcopos coegit ; Tyriam Synodum, vt de Athanaſio cognoſceret, congregauit, tumultuatos ibi Epiſcopos ad ſe accerſiuit , vt rationem redderent iudicij. Effuſiùs huic ſuæ poteſtati velificatus eſt Conſtantins, eo exitu, qui cordatis omnibus inhibendam , non effundendam hanc Principum auctoritatem abundè comprobauit .

26 Vt ad alteram denique , & poſtremam regij priuilegij partem accedam , confirmantur etiam , & à Principibus Synodi ; nec enim aliter , vel defenſari ab ipſis , vel executioni mandari poſſent . Itaque Conſtantinus ipſe Nicœnam confirmauit Synodum epiſt. ad omnes vbique Eccleſias ſcripta apud Euſeb.l.de vita eius 3. cap.17. & ſeq. quam tandem ità claudit , [Planè diuinum mandatum libenter ſuſcipite : quidquid enim in ſanctis Epiſcoporum Concilijs geritur, id omne ad diuinam referendum eſt voluntatem .] Ad Epiſcopos autem Tyrię Synodi hæc idem ſcribit apud Socratem lib.1. cap.22. Opus eſt, vt omnes vos ad me properè accedatis , quo ratio rerum à vobis geſtarum per vos ipſos accuratè reddatur .] Et infrà : Athanaſius vehementer à nobis poſtulabat , vt vos eò accederitis , vt nobis præſentibus de iniuria, quam paſſus fuerat , neceſſitate coactus poſſet expoſtulare , &c. Non inuitus iſta ad vos perſcribenda curaui , vt omnes, qui ad Concilium Tyrium conueniſtis , è veſtigio ad caſtra noſtra maturaretis , reque ipſa veſtrum iudicium æquum eſſe commonſtraretis , me audiente , quem ingenuum Dei famulum eſſe , vos ipſi non inficias iueritis . Nam mea religioſa erga Deum obſeruantia pax vbique viget .] Suum eſſe itaque ducit, Synodi decreta , vel firmare , vel infirmare, prout in ea Canones viguerint , aut iacuerint . Nam in Tyria Synodo geſta erant omnia *meta thoribu cai cheimonos* . A quibus non abludunt hæc ſecundæ Synodi Oecumen. verba ad Theo-

Theodosium, vbi à se gesta, & ad eum referri, & ab eo confirmari debere profitentur. [Necessariò ad tuam pietatem referimus, quæ in Synodo sunt gesta, &c. Rogamus tuam clementiam, vt per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilij decretum.

27 Ità & Ephesinæ Synodi, vt suprà ostendimus, vtrimque gesta irritare, vel firmare Theodosius integrum sibi esse duxit, pro spreto, vel seruato Canonum ordine. Et quidem ab vtriusque partis Episcopis certatim ambiebatur, vt germana Synodus ea esset, cui Princeps suffragaretur.

Sacra Synodus act. 1. in relat. de depositione Nestorij; [Vestram maiestatem iterum, atque iterum rogatam cupimus, vt vniuersam illius doctrinam à sanctissimis Ecclesijs submoueri, eiusque libros flammis tradi iubeat, &c. Quòd si quis vestras sanctiones spreuerit, ille vestræ dominationis indignationem formidet.

Et act. 3. in relat. de Legatis Romanis, cùm Romanam, cùm vniuersas Ecclesias suis decretis consonare præfati essent, [Supplicamus, vt caueatur, & vt comminatoriæ literę ad singulorum locorum præsides celeriter mittantur, ne aliqua rursum difficultas Ecclesijs ingeratur.

Et Act. 5. in relat. de Oriental. Hæc nostra decreta ad vestram pietatem necessariò perscripsimus, quam obnixè rogamus, ne hominum criminosorum conuenticulum, Synodus esse iudicetur. Nam & in sancto olim 318. apud Nicæam Concilio, nonnulli se à sancta, & magna illa Synodo separauerunt, nec tamen illi à magno, & sancto Imperatore Constantino Synodi loco habiti sunt; quin meritas pœnas subire iussi sunt, &c. & Imperator ipse in sacra per Ioannem Comitem missa: Hoc fecimus, vt pius serenitatis nostræ, & sanctæ vestræ Synodi scopus expeditè concurrat, & ad effectum perducatur. Quapropter Nestorij, & Cyrilli, & Memnonis exauthorationemà sanctitate vestra nobis indicatam, approbauimus, *edexamethà*. At Synodus in alia relatione per 7. Episcopos missa: Porrectis manibus pietatis vestræ genua attingentes, supplicamus, vt quæ per subreptionem contra Cyrillum, & Memnonem acta sunt, cùm nullam ex sacris canonibus vim obtineant, omninò irrita declarentur, ne sacra nostra Synodus suo destituatur capite.] Denique cùm septem ex vtraque parte legati Constantinopolim venissent, & cognouisset Imperator Synodum [omnia canonicè peregisse, ipsam approbauit, Orientales condemnauit, Nestorium exilio multat: Catholicis iniungit, vt Nestorio successorem sufficerent.

28 Nec minùs perspicua res in Ephesina secunda Synodo, quam à Theodosio ipso irritari postulat Leo Papa: [Ecce ego, Christianissime Imperator cum consacerdotibus meis, obsecramus coram vnius Trinitatis inseparabili Deitate, quæ tali facto læditur; vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Romana in Synodo cassauit illud latrocinale Conciliabulum, ipse Leo, vt ipsemet declarat epist. 33. ad Theodos. [Sin aliqui à puritate nostrę fidei, atq; Patrum authoritate dissentiunt, Concilium vniuersale intra Italiã, sicut synodus quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat: vt in vnum conuenientibus omnibus, his, qui aut ignorantia, aut timore prolapsi sunt, correctionis remedijs consulatur.]

Et manifestiùs Hilarius Diaconus in epist. ad Pulcheriam: [Vestra itaque veneranda clementia cognoscat, à præfato Papa Leone, cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contrà Canones per tumultos, & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt: & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quia per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præiudicio sanctissimi viri, innoxijq; Flauiani commissa sunt.] Sed cum Theodosius confirmasset edicto suam hanc Pseudosinodum, & serò resipuisset, eius edicti retractationem à Marciano postulauit Leo epist. 43. [Sequens verò in prædicta ciuitate non potest vocari Concilium, quod in euersionem fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis affutura, aliud statuendo cassabit.] Similiter & act. 10. Concil. Chalced. Paschasinus, aliique Romanæ sedis legati fidenter pronunciant [Synodum dici non posse, in qua illa nefaria delicta, relecta sunt, &c. A beatissimo, & Apostolo Romanæ sedis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana esse habita, &c. Rursùs adeundum Christianissimum Principem, quatenùs illud Concilium sacra, & propria lege neque nominari præcipiat.] Et mox Anatolius excipit, tunc abundè destructa fuisse Ephesi sub Dioscoro gesta, cùm emendata sunt: nihil illorum valere, nisi maximi Antiocheni ordinationem à Leone Papa approbatam; deprecandum Imperatorem, [vt pia lege sanciat, neque Synodum illam nominari, neq; quidquam ibi gestorum valere.]

Denique rescidit edicto Marcianus edictum Theodosij; [Aboleatur illa constitutio, quæ sceleratorum subreptione post obitum sanctæ memoriæ Flauiani aduersùs cum lata cognoscitur, cessentque in totum ea, quorum initium fuit iniquum, &c. Quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum ornat decretum.] Ità ille Chalcedonensibus Patribus obsecundans. Vbi liquidò claret. Primò à Leone Papa, & Occidentali Synodo cassatam esse confestim Ephesinam secundam Synodum, idque fidenter ad Theodosium perscriptum esse, vt & ipse edicto suo eandem reuocaret.

Secundò. Cùm Theodosius è viuis antè abiisset, quàm confirmatam à se Synodum dissolueret; nihilosecius Chalcedonenses Patres, & illam detestatos esse, & Flauianum ibi damnatum absoluisse, & euexisse laudibus, & denique postulandum ab Imperatore decreuisse, vt eius Synodi memoriam edicto aboleret.

Tertiò. Marcianum Synodi precibus annuentem reuocasse non Synodum Ephesinam secundam, sed constitutionem Theodosij, qno ea firmabatur.

Qnartò. Ipsum profiteri Marcianum, in reuocanda Synodo Ephesina, necessariò sibi præire debuisse Synodum orthodoxam; [non posse enim sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum otuat decretum.

Quintò. Rescinduntur ergo psendosynodi priùs ab Episcopis, tum à Principe Episcoporum decreta exequente: & tunc Princeps nouam auctoritatem episcopalibus statutis accumulauir, quando iniuriosos obices à snperiori Principe circũiect o propulsauit. Denique Prosper in Chronico: [Mareiani edictis Apostolicæ sedis auctoritatem secutis, Synodus Ephesina damnatur.]

29 Idque ipsum dilucidiùs fiet, ex Chalcedonensis Concilij act. 16. vbi Lucentius Vicarius Apostolicæ Sedis aduersùs Canonem 28. Anatholij Constantinopolitani fraude adiectum, ità iudices compellat; [Sedes Apostolica præcepit nobis præsentibus omnia fieri. Et ideò quæcumque in præiudicium Canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, vt iubeatis circumduci. Sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, vt nouerimus, quid Apostolico, & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus: vt ipse, aut de suæ sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam.] Suffragati erant iudices Canoni illi inuidioso, orant legati vt circumducant, & contumeliam sedi Apostolicæ, regulisque Nicœnis illinere desinant.

Sed etsi Iudicum, Principisque potestate Canon ille defensetur, non defuturum sibi Apostolicum, & totius Ecclesiæ præcipuum Episcnpum, quin suam, canonumque iniuriam vlciscatur. Quo etsi sacerdotalis potestas imperatoriæ anteponitur, non huic tamen abrogatur ius Synodos confirmaudi. Nam edicto suo Marcianus hanc ipsam confirmauit; [Sacro serenitatis nostræ edicto venerandam Synodum confirmante, *Bebaiosantes*; admunuimus vniuersos, vt de religione disputare desinerent.] Sanè de Canone illo 28. & legarorum contradictione Liberatus hæc habet cap. 13. breuiar. [Licèt sedes Apostolica nunc vsq; contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.

30 In quinta Synodo Iustinianus imperatoriæ potestatis limites plùs æquo amplificauit. Nec nescius tamen ipse fuit regiam auctoritatem in rebns istiusmodi pedissequam tantùm pontificiæ esse, & exteriùs executricem. Nouella enim 42. plurium Pontificum synodicas deiectiones ità confirmare orditur: [Rem non insolitam imperio, & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quotiens enim sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio ad sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutyehen, Arium, Macedonium, & Eunnmium, & quosdam nnn minores alijs; toties Imperium eiusdem sententiæ, & ordin ationis cum sacerdotum auctoritate fuit. Sicque diuina paritet, & humana concurrentia, vnam consonantiam rectis sententijs fecere.] Præire ergo pontificia, subsequi regia debent edicta; illa enim diuina, hæc humana sunt; & Pontificia regijs, vt diuina humanis ità confirmautur.

31 Sexta Synodus suis decretis subscriptione Principis robur preberi, *to cyros paraschesthai*, orat. sess. 18. Et Leo II. Papa epist. 2. ad Pogonatum, confirmatam à se eam Synodum vt priori Occidentali Synodo consentaneam præfatus, quòd regio quoqne confirmata sit diplomate, gratulatur; [Synodali igitur sententia, & imperialis edicti censura, tamquam ancipiti Spiritus gladio error expunctus est. Et infra fontem huius officij regij aperiens, ait: [O sancta matet Ecclesia, exurge, depone pallium mœroris, Ecce filius tuus, defensor tuus, adiutor tnus, accinctus est gladium, verdum Dei, &c.] Trullanos Canones, & confirmarunt Imperatores, & à Romanis Pontificibus confirmari etiam, atq; etiam flagitauere. Sed his constantèr abnuentibus, œcumenicæ authoritatis gradu exturbati illi penitùs sunt.

Septimæ Synodi decreta, ipsamet postulante, Irene, & Constantinus subscriptione sua munire.

Octauam Basilius Imperator, & subscriptione sua, & edicto firmauit, sed his idem verbis act. 10. Christiani Principis officium delineauit; [De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid ampliùs dicam, non habeo; quàm quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitùs resistere integritati Ecclesię, & vniuersali Synodo aduersari. Hoc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, & soluendi potestatem habent: qui Ecclesiasticas, & cælestes adepti sunt claues: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Ita ergo Synodorum decreta confirmat Princeps, dum, & illis sese obtemperare, & reliquns ad idem obsequium; vel volentes inlicere, vel renitentes impellere debere intelligit.

32 Sic enim interpretandns est textus ille Iustiniani Nouellæ 131. [Sancimus vicem legum obtinere sanctos Ecclesiasticos Canones, qui à sanctis quatuor Concilijs expositi sunt, & confirmati:] Vt regiæ amplitudinis nihil deterat pia seruitus, quam matri, & dominæ suæ debent, & dependunt Ecclesiæ. Quippè tametsi placita Ecclesiæ, vtpotè diuina, & à Spiritu Sancto dictata, plùs satis per sese virium habeant; conducit tamen humano generi, & domandæ contumaeium superbiæ, Principum terrenorum confirmatione illa fuleiri, vt diuinis humana seruiant, vt cœlestibus obsecundent terrena, vt reges regi Christo, & reginæ Ecclesiæ se obnoxios agnoscant, vt cor-

corpus famuletur animæ, brachium capiti obaudiat: vt denique quos diuinæ legis charitas non illectat, eos humanę potestatis terror frangat.

Assentiantur Principes Valentiniano III. & quod ille de Romani Præsulis, ipsi de Synodorum statutis à se confirmandis sentiant. [Et erat quidem ipsa sententia per Gallias, etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne rursùs, &c. Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis liceat obuiare.] Ariminensem, & tot alia synodorum ludibria protriuit sola Pontificum auctoritas, etsi illa Principes tuerentur. Antiochenum aduersùs Samosatenum, & tot alia Concilia citrà Principum confirmationem conualuere. Antiochenæ aduersùs Samosatenum sententiæ penè executor fuit ethnicus Imperator. Sicubi ergo prioribus Ecclesiæ sæculis posteriora in ea re consentiant, vt Ecclesiasticæ Synodorum auctoritati totum tribuant, nec Principum potestatem, ad obsequium se expectene inflecti: gratulandum vtique est, quod non Principum auctoritati decreuerit quid, sed accreuerit fidelium pietati: & sine imperiali sanctione ità valeant, vt valituræ ipsis Imperatoribus visæ fuerant, Pontificum, Synodorumque sententiæ. Addes, si voles, in eandem sententiam illud Ludouici Pij Imperatoris ratum habentis priuilegium ab Aldrico Senonensi Archiepiscopo concessum anno 835. [Verùm licet Ecclesiastica, atque Pontificalis constitutio, sua, imòque diuina auctoritate esse præuideat: tamen non indecens, atque incongruum iudicauit, si imperiali nostra auctoritate sua constitutio firma esse perpetuò sanciretur.] Quod innuebat, ni fallor, Iustinianus cùm Nouel. 131. cap. 1. aiebat Ecclesiasticos Canones à sanctis Synodis, non tantùm expositos, sed etiam confirmatos: & synodorum dogmata velut sacras Scripturas à se suscipi: & Canones, tamquam leges obseruari.] Nec enim confirmari egent, quæ in loco, & fastigio Scripturarum sunt.

33 Imperatoriæ huius potestatis Collegium, in sua quisque regione Reges, deinceps Catholici vendicauere. Itàque Recaredus in Concilio Tolet. 3. ità præfatur: [Non incognitum reor esse vobis, reuerendissimi Sacerdotes, quòd propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam, ad nostræ vos serenitatis pręsentiam deuocauerim, &c. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide, atque spe nostra, quam gerimus, in hunc tomum conscripta atque alligata notescimus. Relegatur enim in medio vestri, & iudicio synodali examinatus, per omne succesiuum tempus gloria nostra eiusdem fidei testimonio decorata clarescat.] Susceptus est ab omnibus Dei sacerdotibus [offerente rege sacrosanctæ fidei tomus:] eoque perlecto, acclamatum est ab vniuerso clero, in laudes Dei, & in fauorem Principis, & inter cætera: [Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum impleuit officium.] Tum Rex proponit synodo, vt deinceps Symbolum clara voce cantandam à populo omni sacrificij tempore statuatur: [Omnibus capitulis, quæ per vestram sanctitatem adijcienda sunt, hoc pro fidei sanctæ reuerentia & firmitate proponite, quod de proferendo Symbolo nostra, Deo docente, decreuit serenitas.] Toletano 5. sistit se cum optimatibus suis Cinthilla Rex, [atque hanc institutionem, quam ex præcepto eius & decreto nostro sancimus, diuina inspiratione præmisit;] aiunt Patres. Tum Canones subtexuntur. Toletana 6. synodus can. 2. [Sua assensione firmat Principis deuotionem, & Episcoporum constitutionem] de litanijs. Toletanæ 8. synodo Reccesuinthes hæc effatus, [Quia regendorum membrorum causa, salus est capitis: & felicitas populorum, nonnisi mansuetudo est Principum, votiuè decreui, vobis coram positis, & votorum meorum deliberationem sanctione patula reserare, & studiorum acta, sincera exhibitione deferre:] tunc tomum obtulit, orans, [vt quæcumque illic detinentur ascripta, valido attendatis intuitu, sagaci perscrutemini studio: ac de his quæcumque extiterint placita Deo, vestri oris ad nos sacro referantur oraculo.] Eo perlecto, Patres [glorificant Deum de fidei principalis auditu, & de bonæ voluntatis eius affectu.] Toletanam 12. ità alloquitur Rex Eruigius: [Ecce in breui complexa, vel exarata deuotionis meæ negotia, in huius tomi complicatione agnoscenda perlegite, perlecta discutite, discussa elimatis, ac decretis titulorum sententijs definite: vt pura, & placens Deo vestrarum definitionum valitura discretio, regni nostri primodia decoret exundatione iustitiæ.] Similiter idem Rex Eruigius Toletanæ 13. [Religiosa vota suæ clementiæ, quibus subueniendum miseris definiuit, synodali conuentui confirmanda commisit: offerens videlicet sacris Pontificibus tomum, obsecrans pariter, & obtestans, vt quidquid illic vetustioris calami respersione congestum esset, synodalis potentię conderetur ordine titulorum.] Toletanę 15. Egica Rex [Innexa tomo sui culminis vota Dei sacerdotibus tradidit relegenda: aiens, & orans: [Hæc pertractate, his deliberationis ferte inconuulsibilem sanctionem.] Toletanæ 16. idem Egica Rex vota sua tomo illigata offerens ait, [Ea pertractate, & tam ea, quæ hìc sunt insita, quàm etiam quæque se reuerendissimo vestro cœtui ingesserint audienda, æquissimis iudiciorum vestrorum definitionibus terminate; & firmissimo sententiarum vestrarum stylo esse permansura decernite.] Quibus gemina leguntur in fronte synodi Toletanæ 17.

34 Quæ copiosiùs huc congessi, vt ex his emineat, primò non imperiosè Reges quidquam hìc aggressos, sed vt suprà ostendi, acclines, cernuos, humiles, & solo humilitatis fastigio gloriosos.

Secundò. Animi sui vota, seu regiæ potestatis placita Reges obtulisse synodis

non

non subscribenda protinus, sed deliberanda, excutienda, & ità definienda.

Tertiò. Palàm ipsos esse professos, ità hæc pertractanda offerri Episcopis, [ve & alia queque se eorum cœtui ingererent,] pariter agitarent.

Quartò. Non tam ipsos synodis legem, ordinemque præfinire ausos esse Reges, quàm suis ipsorum votis, & decretis optasse à synodis addi firmitatem, & inconuulsibilem sanctionem; denique quæ placita Deo essent, Episcopalis oris sacro oraculo ad se referri postulasse.

Quintò. Sed nihil religiosius hac Eruigij Regis in Tolet. 12. contestatione: [Nam & hoc generaliter obsecro, vt quidquid in nostræ gloriæ legibus absurdum, quidquid iustitiæ videtur esse contrarium, vnanimitatis vestræ iudicio corrigatur. De cæteris autem causis, atque negotijs, quæ nouella competunt institutione formari, euidentium sententiarum titulis exaranda conscribite: vt quia præstò sunt religiosi prouinciarum rectores, & clarissimorum ordinum totius Hispaniæ duces, promulgationis vestræ sententias coram positi prænoscentes, eo illas in commissas sibi terrarum latitudines inoffensibili exetant iudiciorum instantia; quo præsentialiter, ac sistentes perspicua oris vestri conceperunt instituta.]

35 Ergo, & vbi confirmantur postea à Regibus statuta synodalia, ne id quidem tum effugiet animum, suis ipsos priùs votis & decretis inconuulsibilem firmitatem à synodis exorasse. Toletanum 3. confirmat Recaredus Rex in hunc modum: [Nostra proindè auctoritas iubet, vt si quæ definita sunt in hoc sancto Concilio, nulli contemnere liceat, nullus præterire præsumat:] tum transgressoribus pœnas designat, excommunicationes à Concilio, mulctas pecuniarias, exilia. Nec aliter Toletanæ 12. decreta Rex Eruigius, [inconuulsibilis legis valido oraculo confirmat, legis suæ edicto ab æmulis defendit:] violatoribus indicit excommunicationes, multas, verbera. Similiter & Toletanæ 13. statuta sacræ legis oraculo idem Eruigius per omnes sui regni prouincias decernit obseruanda. Sed quàm inconuulsam per sese synodorum auctoritatem admiretur, & profiteatur idem Rex, ex ipsius edicti vestibulo perdisces: [Eximia synodalis auctoritas, & veneranda est pariter, & tremenda: quæ in tantum per donum sancti Spiritus agit, vt ex diuersitate multorum animorum, & cordium, vnum cor, vnamque animam fecisse monstretur: dum numerositas aggregata Pontificum non per sententiam discrepat, non per stimulum diuersa obiectat, nec per iudicium aliud vnus, quàm vniuersitas format. Ee ideò reuerendum mihi conuentum synodalis Concilij, in cuius medio præsentia sancti Spiritus se habitare promisit, deuotè venerans, instanterque honorans, illa, quæ eorum ore, nostræque gloriæ hortatu digesta sunt, in notitiam deducimus singulorum.] Diuinam synodi auctoritatem, indè destuentem, [Ibi sum in medio eorum, vltum est Spiritui sancto, & nobis:] regia tametsi, humana tamen auctoritas deuotè veneratur, instanter honorat: & ità confirmat, id est, eius contemptores, aut deterret, aut punit.

36 Idem animi fuit, & Christianissimis Galliæ Regibus. In confirmatione Concilij Matisconensis 2. Gunthramnus Rex ità concludit: [Cuncta ergo, quæ huius edicti tenore decreuimus, perpetualiter volumus custodiri, quia in sancta Synodo Matisconensi hæc omnia, sicut nostis, studuimus definire, quæ præsenti auctoritate vulgamus.] Et paulò antè indigitans rationem regiæ confirmationis syoodorum, [Conuenit, vt districtingat legalis vltio iudicium, quos non corrigit canonica prædicatio sacerdotum.] Summa est enim in Christianos omnes synodorum auctoritas, sed inermis: illi ergo necessum est opituletur aduersùs contumaces vltrix Regum, legumque potentia. Magnificentiora sunt hæc verba Concilij Moguntini anno 813. ad Carolum Magnum in præfat. [De his omnibus valdè indigemus vestro adiutorio, atque sana doctrina, quæ & nos iugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenùs ea, quæ paucis subter perstrinximus capitulis, à vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ità dignum esse iudicauerit: & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas iubeat emendare: vt ità emendata, nobis omnibus, & cunctę Christianæ plebi, ac posteris nostris proficiant ad vitam, & salutem, & gloriam sempiternam.] Quibus finitima sunt illa Cabilonensis 2. anno eiusdem in præfat. ad eundem: Quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem Domino Imperatori præsentanda, & ad sacratissimum eius iudicium referenda adnotauimus: quatenùs eius prudente examine, ea, quæ rationabiliter decreuimus, confirmentur: sicubi minùs aliquid egimus, illius sapientia suppleatur.] Vltra metas, modumque regiæ potestatis hæc luxuriare viderentur, nisi recurreret animo, quid de Carolo Magno pronunciet Alcuinus l. 1. aduersus Elipandum: [Impossibile est vt corrumpatur à quoquam, quia Catholicus est in fide, Rex in potestate, Pontifex in prædicatione, Iudex in æquitate, Philosophus in liberalibus studijs, &c.] Et epist. 97. [Beatus populus tali rectore exaltatus, & tali prædicatione munitus. Et vtrumque, & gladius triumphalis potentiæ vibrat in dextera: & Catholicæ prædicationis tuba resonat in lingua, &c. Istis temporibus Deus, eiusdem nominis, virtutis, & fidei Dauid Regem populo suo concessit Rectorem, & Doctorem.] Et epist. 106. ad Carolum ipsum: [Patenter agnosci poterit, non tantùm imperatoriam vestræ prudentiæ potestatem à Deo ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, & sapientiæ decorem coolatam, &c. Siquidem præter imperiales, & publicas curas, Euangelicas quæstiones academicis vestris à nobis concleandas inquiritis. Quamquam vestræ prudentiæ easdem quæstiones notissimas

esse

esse sciamus, &c. Nam sapienter interrogare, docere est.] Et epist. 15. libellum à se lucubratum, à Carolo Magno castigatum ità adgaudet: [Gratias agimus venerandæ pietati vestræ, quòd libellum auribus sapientiæ vestræ recitari fecistis, & quòd notari fecistis errata illius, & remisistis ad corrigendum. Quamquam à vobis meliùs emendari potuisset, &c. Nullum magis idoneum meę paruitatis dicta habere possunt defensorem, vel emendatorem, quàm vosmetipsos.] Non ergò Regi, sed Doctori Carolo emendanda destinabantur synodorum statuta: eoque priuilegio Reges tam abstinere debent, quàm à Caroli doctrina procul sunt, & vel Doctorum libros emendare minùs idonei. Vnde nulli prætetea Principi olim ea potestas à synodis permissa est: nec nisi veterano iam, & emerito in Ecclesiasticis peræquè, ac imperialibus munijs Carolo permissa: & à synodis ei permissa, non ab ipso admissa, nedum vsurpata.

37 Nec abhorrere ab his potuit Anglicanæ Ecclesiæ disciplina. Vnum profero exemplum Concilij Londoniensis 2. anno 1127. de quo prolixè Matthæus Paris: & tandem: [Rex auditis Concilij gestis consensum præbuit, auctoritate regia, & potestate concessit, & confirmauit statuta Concilij, à Guillelmo Cantuariensi Archiepiscopo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ legato, apud Westmonasterium celebrati.]

38 Postremò, vt funditùs excidatur illa conflictatio Regiæ, & Ecclesiasticæ potestatis, quæ res humanas, quæ peritorum ingenia sæpè vexauit: vt ne Regibus indecorum existimetur, si legum synodicarum non auctores, sed Custodes, Executores, Defensores; si pedissequi Canonum, non duces: si Ecclesiæ administri, non Domini vocitentur: ne Pontificibus ipsis sua videatur fuscari dignitas, si synodica ipsorum statuta à Regibus confirmentur: hæc duo paucis admoneo. Primùm quidem, seruire Reges Christo, & indiscretæ quodammodo ab eo eius Sponsæ Ecclesiæ, & indiscriminatim ab ipsis tam diuinas, quàm Ecclesiasticas leges, vtrasque suo modo diuinas, quia Christi, & Spiritus sancti vtrasque, confirmari regijs edictis, spretasque vindicari: & hanc seruitutem nequaquam ingloriam, sed summæ gloriæ fastigium obtinere. August. epist. 48. [Immò verò seruiant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo.] Et epist. 50. [Et nunc Reges intelligite, &c. Seruite Domino in timore. Quomodo ergo Reges seruiunt Domino in timore, nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo. Aliter enim seruit, quia homo est, aliter quia etiam & Rex est, &c. Sicut seruiuit Ezechias, &c. Sicut seruiuit Iosias, &c.] Et paucis interpositis: [Quis mente sobrius Regibus dicat, Nolite curare in Regno vestro, à quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in Regno vestro, quis velit esse, siue religiosus, siue sacrilegus: quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in Regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus?] Ergo quàm indiscretæ sunt leges diuinæ, atque ecclesiasticæ, quàm vtrarumque perindè Reges defensores sunt: quàm indiscreta, vnaque est Christi, & Ecclesiæ persona, tam indiscreta est seruitus omni regali apice sublimior, tam vna, eademque seruitus est, qua Reges Christo, & Ecclesiæ famulantur, dum vt leges à Deo inuariabiliter sancitas, ità regulas à Spiritu sancto ad variam tempoum medicinam temperatas defendunt. Ex quo fit, vt onus istud sit, & officium magis regium, quàm priuilegium; illoque adeò non lasciuire, sed contremiscere debeant.

39 Alterum est, quàm animam, & corpus, tam non debere Ecclesiam, & Imperium, Antistites, & Reges digladiari. Omnia enim in commune prosunt vtrimque priuilegia. Vt homo enim, ità Episcopatus interior, & exterior, vnus, idemque est, alia, & alia sui parte, sibi dux, & pedissequus, sibi imperans, & seruiens, sibi iubens, & exequens: animo rector, corpore executor: interiùs sanciens, exteriùs promulgans. Itaque & tota imperandi gloria penès exequentem est, & tota exequendi sedulitas imperanti incumbit; quia vnus, idemque, & imperat executor, & exequitur Imperator. Prosper contra Collat. capit. 41. [Quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius pijssimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, sed etiam regijs vtebatur edictis.] Et infrà: [Cœlestinus Cœlestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi.] Et Bernardus epist. 256. ad Eugenium Papam: [Exerendus est nunc vterque gladius in passione Domini, &c. Per quem autem, nisi per vos? Petri vterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, euaginandus. Et quidem de quo minùs videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: Conuerte gladium tuum in vaginam. Ergo suos erat, & ille; sed non sua manu vtique educendus.] Ne ergo discerpatur, ne secum ipsa committatur Ecclesia; ipsa vna est, quæ Apostolicis, regijsque vtitur edictis: ipsa est, cuius est vterque gladius; ipsa est, quæ temporalem etiam gladium, vt potè suum quoque rotat, nutu Pontificio, manu Regia.

40 Vt vnde huc exieramus, illuc gradum referamus tandem, id postremò loco adnotabo ad primæ Sedis decus eximium pertinere, quod cùm in Oriente Sedes Constantinopolitana, post œcumenicum secundum Concilium furtiuis, sed amplis suffarcinata priuilegijs, esset iudicanda, eius iudicij summa ad Præsulem Romanum refertur. Id suprà iam commonstratum est, vt iterùm, iterùmque Synodus, necessariò Cœlestini sententiæ sibi subscribendum fuisse profiteatur. Adde quod Act. 2. Philippus Apostolicæ Sedis Legatus dicit, [Dudùm sanctissimus Cœlestinus Apostolicæ Sedis Episcopus per suas epistolas ad Cyrillum, &c. de præsenti hac causa, ac negotio definiuit.] Tum illas epistolas

legi

legi orat : itemque Arcadius, [ex quibus vestra beatitudo agnoscere poterit, qualem omnium Ecclesiarum curam gerat.] Tum legitur Cœlestini epistola ad Synodum, quæ ità desinit : [Direximos pro nostra sollicitudine sanctos fratres, & consacerdotes nostros, &c. qui ijs, qoæ agnntur, intersint: & quæ à oobis anteà statuta sunt, exeqnantur. Quibus præstandum à sanctitate vestra non dubitamus assensum : quando id, quod agitur, videatur pro vniuersalis Ecclesiæ securitate decretum.] Tum in laudes Cœlestioi erumpit, & exclamat Synodus. Excipit Proiectus Legatus, scripsisse Cœlestinum, [vt ea, qoæ ante definiuit, & nunc in memoriam reuocare dignatus est, iuxtà communis fidei canonem, & Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem, ad fioem perfectum deduci iubeatis.] Deindè Philippus gratias agit synodo, quòd recitatis Papæ literis, [quasi sancta membra, vel sanctos cantus, sancto capiti, sanctis etiam exclamationibus exhibuerit. Non enim ignorat vestra beatitudo totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse beatum Petrum.] Et infrà idem Philippus : [Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, quòd sanctus Petrus Apostolorum Princeps, & Caput, fideique Columna, & Ecclesiæ Cathulicæ Fundamentum, &c. Huius successor, & locum tenens Cœlestinus, &c.] At Act. 5. Synodus relatione sua ad Cœlestinum, Ioannis Antiocheoi causam ad eum remittit: [Indignitate rei meritò commoti, eiusmodi in illum, & in alios sententiam legitimè proferre deliberauimus, cuiusmodi ipse tulerat illegitimè contra eos, qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verùm quo illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam legitimè, iustissimèque subiuisset, pietatis tuæ iudicio hoc reseruauimus: interim illos excommuoicationi subijcientes, omnique sacerdotali potestate exueutes, ità vt nullum suis seotentijs lædere queant.]

Suspendit itaque Syoodus Ioannem, deponendum reseruat Cœlestino. Et quidem his accommodatè, Iuueoalis Hierosol. Episcopus act. 4. ait, ad Apostolicam magnæ Romæ Sedem, morem esse ex Apostolico ordine, & traditione, vt ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & ab ea iudicetur. Iam euim Pauli Samosateni causa in Concilio Romano olim recisa extremo iudicio fuerat : iam Iunocentius decretis suis Antiochenum Episcopum Orientali Diœcesi adsreoerat. Et act. eadem Cyrillus se à Ioanne, hoc est, Alexandrioum ab Antiocheuo, maiorem videlicet à minore depositum ità expostulat : [Et quidem nec per leges ecclesiasticas, nec per imperiale decretum potestatem habuit, qua fultus, vel quempiam ex oobis iudicare, vel omninò simile quidpiam attentare posset, præsertim verò contra maiorem Sedem.] Et rursùs idem Cyrillus in Apolog. ad Theod. [Ad hæc quomodo sit ordine, & ritè factum, maioribus pœnas irrogare, & in homines sublimiorem ordinem sortitos imprudenter iosilire, & ecclesiasticarum legum disciplinam pacis conciliatricem deserere; & ne eorum quidem, qui in seculo versantur, prudentiam imitari ?] Et Synodus vniuersa act. 5. in relat. ad Cœlest. omnia, susdeque verti ait, [Si quibuslibet potestas fiat, maioribus Sedibus contumeliam inferendi.] Ergo inter primarias Ecclesiarum Sedes ordo aliquis iam ratus, fixusque erat, vt maiores à minoribus citrà ingens piaculum iudicari noo possent : non tum, non nuper cœptus, sed aote Constantinopolitanam primam Synodum, quæ Constantinopolitanum Episcopum non Alexandrioo, sed Romano æquare molita est: ante etiam Nicænam, quæ olitanæ consuetudini illum ordinem adsignauit. Ergo omnium Princeps Romana Sedes est, quæ Nestorium Constantinopolitanum deposuit, cuius est Antiochenam iudicare, quæ vices suas, & sententiæ suæ executionem Cyrillo Alexandrino demandauit: cui Hierosolymitana, quæ tum Antiochenæ Sedi suberat, Antiochenæ ipsius iudicandæ, & dirigendæ potestatem vendicauit. Priuilegij autem huius auctor, & origo est Petrus, Princeps Apostolorum, Caput fidei, & Episcopatus, cuius Cœlestinus erat *diadochos, cai topotiritis*.

41 Iam verò nec vtilitatis, nec volnptatis inanem ponemus operam, si calumnias quoque, vel suspiciones hominum aliquas circà hanc Nestorij damnationem proferamus in medium. Ordinem ducet Liberatus Breuiarij cap. 5. [Ioanne Antiocheno remorante, quæstionem mouebant præsentes Episcopi de B. Maria Dei Genitrice. Cyrillus autem deflorationes quasdam librorum Nestorij faciebat, eum perturbare volens. Erat enim, vt dicitur, eius inimicus.] Et cap. 6. memorata Ioannis Antiocheni insania, & depositionis senteotia in Cyrillum, & Memnonem vibrata : [Igitur Cyrillus cum Memnone volentes se vlcisci, Ioanoem damnaoeruut, & omnes, qui cum eo conuenerant, & multa alia pari fastu vtrique Ephesi pertulerunt.] Cumque septenis vtrimque Episcopis accitis, Imperator Catholicis palmam addixisset, [Ioannes cnm suis Antiochiam profectus est, vbi colligeos plurimos Episcopos, damnauit iterùm Cyrillum, cùm iam esset Alexandriæ, Et sicut Socrates dicit, cognoscens Nestorius per contentionem ad quamdam perniciem peruenisse partes, Dei Genitricem Mariam vocabat, dicens : Dicatur etiam Dei Genitrix : & ea, quæ fecerunt tristitiam, conquiescant. Sed nullus eum ex pœnitentia talia dicentem suscepit. Quapropter hactenùs damoatus, & in exilium Oasin missus est. Post damnationem autem eius dura Constantinopoli turba contra Ecclesiam mota est, diuisusque est populus, propter tepidum eius, sicut dictum est, tractatum. Clerici verò communi decreto eum anathematizarunt.]

Audiendus nunc Socrates lib. 7. hist. cap. 32. [Nestorius apud complures venit in opinionem, quòd Dominum hominem solum esse assereret ; quòdque Pauli Samosateni, & Photini opinionem in Ecclesiam iotroducere niteretur. Atque de hac re tanta certatio, & tumultus ciebatur, vt generali

nerali Concilio ad eum sedandum opus esse videretur. Ego verò dum libros à Nestorio editos lego, hominem reperio imperitum, & doctrinæ penitùs expertem, hocque verè, & ex animo dico. Nam neque odio in illum incensus, eius vitia recordarione renouare: neque vt quibusdam gratificer, pauciora quàm reperi commemorare decreui: Nestorius meo quidem iudicio, neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque denique Dominum hominem solum esse dicit; sed vocem dumtaxàt, Deiparam, tamquam laruam reformidans, declinat. Hocque illi præ insigni ignoratione contigit.]

Quod nèpè veteres Interpretes, & Patres contemneret, apud quos crebrum Deiparæ vocabulum occurrere cùm docuisset, tum ità pergit Socrates: [Itaque Nestorius videtur veterum lucubrationes penitùs ignorare, & ob eam causam, hanc vocem Deiparam, vt dixi, insectatur. Nam quòd non dicit Christum hominem solum esse, sicut Photinus, & Paulus Samosatenus: quodque non subsistentem Dei Verbi personam tollit, sed eum in Trinitate subsistere, & in eius essentia inesse confitetur: quòd denique ei extantiam non adimit, sicut Photinus, & Samosatenus, (idem etiam Manichæi, & Montanistæ asserere non dubitant) ex concionibus ab ipso editis satis constare poterit. Verùm quamquam Nestorium, partim ex libris eius, quos legerim, partim ex amicorum eius sermone ità sensisse comperio: non parùm tamen vniuersum Orbem perturbauit eius *psychrologia*: idest tepidus sermo: vt vertit Liberatus. Capite sequenti idem Socrates: Cyrillus, quo Nestorij animum perturbaret, infenso enim in eum erat animo, &c.] Quibus reliqua subiungit, quæ suprà ex eo Liberatus excerpsit. His adde Isidorum Pelusiotam, qui lib. primo epist. 310. Cyrillum quasi priuatas cum Nestorio inimicitias exercentem, & ad hoc Synodi maiestate abutentē increpat, [Multi eorum, qui Ephesi coacti sunt, te traducunt, vt tuas inimicitias persequentem, & non ea, quæ Iesu Christi sunt, orthodoxè quærentem. Theophili, inquiunt, ex sorore nepos est, illiusque mentem, & sententiam imitatur. Vt enim ille aduersùs diuinum virum Ioannem furorem effudit, sic etiam iste, &c.] Vide & ep. 370. lib. eiusdem.

42 Et has quidem obliquas posteà Isidorus excussit animo suspiciones de Cyrillo, & Ephesina Synodo; sed ex his tamen eius, & Socratis, Liberatique verbis, abundè demonstratur, quàm multi ex Catholicis, & dum Synodus ipsa ferueret Ephesi, & perdiù posteà, in eam, in Cyrillum licentiosè, & futiliter multa blatterarent, pro Nestorio plura effutirent, quæ temporum diuturnitate, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritate oppressa, atque obliterata sunt. Catholicos hos dixi homines, qui errorem ipsum Ephesi damnatum detestabantur, Synodumque eatenùs suscipiebant, at Nestorium ità sensisse inficiabantur, tum sermonibus eius, tum scriptis sedulò peruolutatis persuasi. Itàque in iuris, & fidei quæstione conueniebat eis, & Ecclesiæ: in facti, & personæ negotio dissidebant. Elucet hinc primò, nec Cyrillum Ecclesiæ lumen eximium, nec Ephesinam œcumenicam Synodum, euangelicæ veritati finitimam, declinare potuisse hominum non dico heterodoxorum, sed Catholicorū innatæ temeritati, & loquacitati plus æquo indulgentiū maledicentiā.

Sed hæc nubilia perrupit, & tandem aboleuit ecclesiasticæ auctoritatis, & veritatis splendor. Itaque quandocumque ventilantur in Ecclesia nouæ quęstiones, non suspicionibus, non rumoribus ipsorum orthodoxorum auscultandum est; sed ecclesiasticæ auctoritatis pondus, quò inclinet, obseruandum est, & eò indeclinabiliter incumbendum. Elucet secundò quamlibet Cyrillus priuatis affectibus obsecundasse in exagitando Nestorio: quamlibet Nestorius vocem magis ipsam, quàm doctrinam de Maria Deipara exhorruisse videretur ne deitati ipsi initiū à partu virgineo ineptus, quis affingeret, quamibet deniq; vocem ipsam Deiparę Nestorius approbasse tandem iactaretur: vt nihil ampliùs posset ad Nestorij personę, & doctrinæ purgationem desiderari: nihilo tamen seciès inualuisse sententiam, & auctoritatem Synodi, & temerarios illos, aut si clementiùs interpretari voles, humaniores conatus purgandi Nestorij euanuisse. Nusquam non enim deinceps pari cum cœteris hæreseon architectis iacet ruina, & infamia obrutus Nestorius. Nam huius Ephesinę Synodi act. 1. [Omnes Episcopi simul exclamauerunt, Quicumq; Nestorium non anathematizat anathema sit. Omnes Nestorij epistolam, & dogmata anathematizamus, impiam fidem Nestorij anathematimus? Quicumque hunc non anathematizat, anathema sit.] Ibi indiscriminatim, & error, & auctor erroris Nestorius, & anathematizatur, & ab orthodoxis omnibus anathematizari iubetur.

Et Cœlestinus in epist. ad Synodum Ephes. [Eijciantur è ciuitatibus suis, & se in nostro collegio nouerint non futuros, nisi secundùm ecclesiasticum, & Christianorum Principum constitutum, damnata cum auctoribus, socijsque damnantes, se profiteantur Catholicos sacerdotes. Et in Synodo Chalcedonensi Theodoretus diù quidem tergiuersatus, sed non antè tamen plenissimè admissus est, quàm non errorem tantùm, sed Nestorium quoque ipsum detestatus est, vrgentibus quidem maximè Ægyptijs, sed silentibus, eòq; consentientibus omnibus Episcopis cæteris. Intercedere enim debuerant cœteri, si iniqua Theodoreto cōditio à paucis quibusdā infligebatur.

43 Meliusculè de Cyrillo posteà sensisse Isidorum Pelusiotam dubium facit, aut certè dissimulat Facundus Hermianensis, lib. 2. cap. 4. At ibidem Gennadium Constantinopolitanum Episcopum beatæ memoriæ, idem inducit multis debaccantem in Cyrilli non tantùm æstuantia aduersùs Nestorium odia, sed etiam dogmata anathematismis duodecim comprehensa. Vnde Facundus, [Talia Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minùs intellexisset, &c. Potuit enim, & ipse,

se, de Christiana Religione, quæ recta sunt, credens, non intellectum B. Cyrillum bona intentione culpare.] Sed vt habeat de Cyrillo: quid de Synodo Ephesina Gennadius, quæ anathematismos, & doctrinam Cyrilli consecrauit? Sed vt ne vni adhæream, vel pauculis, quid Orientales? Ioannes enim Antiochenus, & Theodoretus, & Orientales Episcopi alij Ephesina Synodo absoluta, & dimissa, deinceps aliquandiu Cyrillum concerpere, & anathematismis eius Apollinaris, aliorumque hereticorum errores affingere perseuerarunt. Cyrillo ipsi impacta necessitas est suos retractandi anathematismos, eosque ad rectam fidem, quam, & ipsi Orientales prædicabant, contorquendi: quasi minor œcumenicæ Synodi auctoritas fuerit, quàm vt abstergere maledicorum calumnias possit.

Vndè Facundus Hermian. lib. 7. c. 6. [Si quis autem dicit, quòd Orientales, & aliarum prouinciarum Episcopi, vna quippè horum omnium causa est, etiam in his, quæ non intelligebant, auctoritatem Ephesini Concilij sequi debuerint: ipse quoque primùm considerare debet, quod etiam Synodus Chalcedonensis considerasse credenda est, quoniam tantis dissentionibus, qui moniti fuerant, simul in ipsum Concilium conuenire; non tanta illo tempore, quanta nunc est, eius esse possit auctoritas, cùm necdom etiam iudicio magnæ Chalcedonensis Synodi firmaretur. Nam & ipsa multùm roboris ad auctoritatem addit antiquitas.] Innuere videtur Facundus Pontificis Antiocheni, & tot aliorum Metropolitarum, magna ex parte Orientalium, intercessione, & dissensu, potuisse Ephesinæ Synodi Oecumenicum nomen, & robur suspendi, quod Oecumenicū non esset Concilium, à quo permagna, & vna ex præcipuis tribus Ecclesiæ portio, & absuisset, & dissentiret; donec, & ab ijsdem ipsis desitum est intercedi, & Chalcedonensis Synodus, atque ipsa maximè antiquitas summum robur, & pondus accumulauit. Et ipsa quidem Synodus Ephesina, quà Episcoporum suorum numero, qua Orbis Christiani consensu supremam suam ostentabat auctoritatem, eamque, cui Ioannis, & asseclarum eius paucitas frustrà obstreperet.

Act. 3. in relat. ad Imperatores: [Quia ergo viri isti, qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, &c. vt pietati vestræ constet indicium, quod paulò antè à nobis exijt, esse vnam, communemque totius orbis terrarum sententiam, &c. Toto orbe terrarum consonam sententiam proferente, paucis exceptis, qui Nestorij amicitiā pietate potiorem ducunt.

Et act. 5. in alia relat. ad Imper. [Rogamus ne hominum criminibus obnoxiorum conuenticulum, Synodus iudicetur. Nam, & olim in sancto Nicæno Concilio nonnulli reperti sunt, qui se ab eo separauerunt, nec tamen illi à magno Imperatore Constantino pro Synodo habiti sunt, &c. Perabsurdum est enim ducentorum, & decem Episcoporum Synodo, quibus, & vniuersa Occidentalium Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantùm numero se opponere.

Et Clerus Constantinopolitanus in libello supplice ad Imperatores: [Exposcimus, vt apud vos illorum sententia confirmetur, qui & numero plures sunt, & sedium auctoritate, &c. Neque pacis obtentu, aut ne parua quædam Orientalium portio separari videatur, quę tamē si Canonibus obsequi vellet, coniuncta maneret, vniuersum terrarum orbem simul misceri patiatur.

Et suprà relatus Delmatius inclusus; [Sex millia ne Episcoporum audire mauis, an vnum hominem, eumque impium?]

Et in relat. per septem Episcopos missa, [Sancta proindè, & Oecumenica Synodus, cuius consessui adest, & Cælestinus, & vniuersa Occidentalis Synodus, totaque Africa, & Illyricum, &c.

44 Oecumenicam ergo Synodum Ephesinam Chalcedonensis Synodus, & ipsa post antiquitas, non fecit, sed agnouit. Cum Ioanne autem, & Orientalibus frustrà obnitentibus, dispensatum est, vt ne vi adhibita, in præceps forsan agerentur, sed pellicerentur indulgentia.

Elucet hinc primò ne tantam quidem, quanta Antiochena, seu Orientalis erat Diœcesis, Ecclesiæ Catholicæ portionem, & Episcoporum triginta, immò quadraginta, & ampliùs multitudinem, dissensione sua œcumenicum pondus, & nomen Ephesinæ Synodo detrahere potuisse. Vt vbi in Ecclesia agitatur, & definitur aliquid nouæ quæstionis, contemnatur semper paucitas dissonantium, sola superet numerositas Episcoporum, & authoritas sedium, & consensus orbis terrarum.

Elucet secundò tunc saltem locum esse vtili, & necessariæ dispensationi, cùm portio Ecclesiæ, & turba Episcoporum, quæ violento impetu ad obsequium Synodi non flecteretur, sed resiliret, exiliretque forsan è claustris Ecclesiæ; mora temporis mansuescere sinitur, & remissione, veniaque iuris plurima mitigatur. Quòd ergo Orientales in Cyrilli anathematismos, & in Synodum Ephesinam moliti sunt, non iura, sed facta sunt: nec in exemplum trahenda, sed damnanda prorsùs: etsi tunc ex indulgentia ea dissimulari ab Ecclesia Catholica necessum fuerit. Nemo ergo Ioannis, nemo Orientalium abutatur exemplo. Nam quod remisso tunc iure toleratum est, id aliàs forsan ex iuris rigore perculleretur. Dispensationis quippè non necessitas, sed potestas, & arbitrium penès Ecclesiam est, aut non alia saltem, quàm ex sua ipsius charitate profecta necessitas.

45 Atque vt ista erga Ioannem Cyrilli, & Ecclesiæ dispensatio penitiùs parescat, audiatur primò de his Liberatus breuiarij cap. 8. [Videns Imperator Cyrilli, & Ioannis permansisse discordiam, Maximianum, & alios Constantinopoli repertos Episcopos vocans, quomodo tolleretur Ecclesiarum dissensio, cogitabat. At illi dixerunt, quia non aliter hoc fieri posset, nisi priùs iretur, & præferretur vnius fidei vinculum, & Io-

& Ioannes Antiochenus Episcopus anathematizaret Nestorium, & improbata dogmata eius. Et gauiso valdè super hoc Imperatore, missus est hoc ipsum agere Aristolaus Tribunus, sacram Principis deferens Ioanni, & Cyrillo, in qua comminatus est vtrisque Nicomediam exilium, nisi pacem haberent ad inuicem. Scripserunt autem & Episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum,& pacem Ecclesiarum sanctarum, non aliter fieri conueniret, nisi omnia, quæ ab eo in causa scripta sunt, epistolis, & tomis, & libris euacuarentur. Cyrillo verò hoc facere importabile visum est. Verùm Ioannes Antiochenus Cyrillo mandauit, propter illa ipsius capitula fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suspiciens subscripserit, communicabo ei; alioqui pacificus cum eo esse non potero. Et congregans iterum Ioannes Antiochiam Concilium, dictauit fidem, ità se habentem, &c. Quam tradidit Paulo Episcopo Emeseno, & direxit Alexandriam Cyrillo. Cyrillus sine difficultate, vel contentione, vt à multis putabatur, memoratam fidem Orientalium suscepit Episcoporum, &c. Post hæc Cyrillus satisfaciens aliquorum tumoribus, qui de illo habiti sunt, quoniam non assereret, de cælo corpus Christum sumpsisse, neque fermentationem, aut commixtionem sentiret naturarum eius, scripsit præfatam fidem, & Orientalibus direxit Episcopis.

Tunc Orientales pacem fecerunt cum Cyrillo, & Concilio eius, [damnantes Nestorium, & suscipientes Maximianum; qui pro illo factus fuerat Episcopus. Dubitantibus adhuc ex eis aliquibus Cyrillo communicare, putantibus eum errasse, & postea veritatem agnouisse, & culpantes Ioannem, cur ab eo non experierit capitulorum eius damnationem. Ex altera autem parte quidam de palatio culpauerunt Cyrillum, cur suscepit ab Orientalibus Episcopis duarum confessionem naturarum, quod Nestorius dixit, & docuit. Scripsit ergo Cyrillus in defensionem Orientalium pro duabus Christi naturis.

Et cap. 9. cum Theodoretus aduersùs 12. capitula Cyrilli scripsisset, [Cyrillus fecit interpretationem capitulorum suorum, duodecim addens expositiones, quo videretur plenam pro eis reddere rationẽ. Itaque Cyrillo suscipiente, & defendente fidem Orientalium Episcoporum, & sua capitula exponente, pax, & vnitas Ecclesijs reddita est,] Vides quàm multa contumeliosè aduersùs Cyrillum, immò aduersùs Synodum OecumenicamEphesinam machinatus sit cum Orientalibus Episcopis Ioannes.

Nempè quòd Nestorium anathematizare cunctaretur, quòd anathematismos Cyrilli ab Ephesina Synodo cum epistola eius probatos reprobaret, & recantari iuberet; quòd non Cyrilli, qui Synodo præfuerat, fidem ipse subscriberet, sed suam, qui aduersarius fuerat Synodo, à Cyrillo subscribi extorqueret: quòd Cyrillum sua capitula retractare compulerit, & retractationes non aliter, quàm eiurationes interpretatus sit. Et assensus his tamen omnibus est Cyrillus, his acquieuit Ecclesia, pacis cõpensatione inenarrabilis cuiusdam dispensationis documentum edens.

46 Nec pigebit pauca ex epistolis, tunc vltrò, citròque scriptitatis deliberare, in huius ipsius rei vberiorem elucidationem: Ioannes Antiochenus ad Sixtum Papam Cœlestini successorem inter alia id quoque scribit: memorato, vt se absente Ephesi damnatus sit Nestorius: [Cùm ergo ea de causa, non parua inter nos, & Synodum controuersia intercessisset, multaque vtrimque, & facta, & dicta essent, ad nostras tandem Ecclesias, & Ciuitates reuersi sumus, neque quod ad Nestorij depositionem attinebat, Synodi sententiæ per id tempus subscripsimus.]

Ait mox missum ab Imperatore Aristolaum Tribunum, [vt omnis contentio facesseret, sanctaque sanctarum Dei Ecclesiarum pax vbique vigeret. Placuit & nobis quoque in sacra Synodi sententia, quæ Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere, ac blasphemam illius doctrinam anathematizare: eò quòd & nostræ quoque Ecclesiæ, perindè ac vestra sanctitas, rectam semper inculpatamque fidem tenuerint, eandemque populo assiduè commendarint. Assentimur & Maximiani ordinationi, &c. Denique cum omnibus terrarum Orbis Episcopis, si modò rectam, sinceramque fidem habuerint, eandemque seruauerint, communicamus.] Vides vt factum à fide, & personam à iure secernat; & fidem se mordicus semper illibatam renuisse, Nestorij depositioni se non consensisse etiam post Synodum fateatur: sed adigatur tandem imperatoria saltem potestate, & communionis cum totius Orbis Episcopis ineundæ necessitate, in facti quoque quæstione Synodo assentiri. Sed interim tamen dum in facto dissideret, vacillare quoque in fide, vtpotè tam contumax Synodi Oecumenicæ aduersarius existimabatur.

Ideò Cyrillus epist. 38. [Antiochiam Aristolaus venit, afferens secum regias literas, quæ religiosissimo Antiochenæ Ecclesiæ Episcopo mandarunt, vt scelesta Nestorij dogmata anathematizaret, & depositionem eius pro conformitate sanctæ Synodi decerneret: & ità communionem à nobis quæreret. Cæterùm quidam ex Orientalibus Episcopis, qui fortè Nestorium nondum condemnarunt, & illis patrocinantur, qui rectam nostram fidem sollicitant, &c.]

Et infrà: [Cùm ergo Ioannes subscripsisset, & qui eum eo erant, Nestorij dogmata manifestiùs anathematizassent, confessique essent, illum se pro deposito habere, communionem illis reddidimus. Hæc namque illis, & Ephesi à sancta Synodo proponebantur.]

Et Imperator ergo & Cyrillus, adeòque & alij assertores Synodi, Ioannem, & Orientales non in facto tantùm, sed & in fide claudicare suspiciabantur, & vtrique Synodi definitioni subscribere compellebant,

47 Sed lucentissimè Sixtus Papa ad Cyrillum scribens, & Ioannis, Orientaliumque vacillationem, & Ecclesiæ dispensationem in ijs recolligendis prosequitur. [Non se exuli vestro Nestorio sanctus frater noster Ioannes addiderat. Non eius est blasphema prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negauit, &c. Nunquam se à nostro numero separasset, in quem potuit, & reuerti. Exulta, frater charissime, & ad nos recollectis fratribus victor exulta. Quærebat Ecclesia, quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quantò magis gaudendum nobis est de sanitate Rectorum? Legimus, vna ouis quantum gaudij reportata præstiterit. Et ideireò intelligendum est, quid laudis habeat, tantos reuocasse pastores. Greges aspiciuntur in singulis: nec vnius hic causa tractatur, quoties agitur de sanitate multorum. Sustinuimus fratres, certi eos non spinas, sed vuas esse facturos, &c. De reuersis ad nos fratribus conuenit dicere, quia non potuit à Diabolo eradicari plantatio, quam plantauerat Pater, &c. Meritò Ioannes Dominus à te vocatur, qui communem Dominum recognouit, qui incarnationis eius mysterium voce Catholica nobiscum confitetur. Ergo Ioannes consensionem Synodo accommodandam, suspenderat, etsi non negarat: sed suspendisse, non negasse, exitus docuit: ante enim & negare putabatur. A numero Episcoporum ille non se separauit, sed tamen reuersus est, non aberrauit, sed recollectus est. Non vsquequaque perierat, sed illum tamen Ecclesia recepit. Ità ab Ecclesia Catholica non defecerat, vt tamen reuocatus sit. A fratribus ità discesserat, vt ad eos reuersus sit. Ità non negauerat Christum, vt tamen illum recognouerit, & incarnationis mysterium voce Catholica confessus sit. Ioannis autem, ità sustinendi, & postquam resipuit, eius insaniæ, tam clementer, & tam *oiconomicos* interpretandæ causa fuit, quia tanti reuocandi erant pastores. Et: [Greges aspiciuntur in singulis: nec vnius hic causa tractatur, quoties agitur de sanitate Rectorum.]

Et rursùs idem Sixtus ad Ioannem ipsum scribens, tamquam reduci gratulatur: [Non est certandi iam tempus, hoste prostrato, transeundum nobis est ab his, quæ bella mouerunt. Importunum est victoriæ tempore de prælijs disputare, &c. Hæc sanctitatem tuam volumus prædicare, quæ scribis. Expertus es negotij præsentia euentu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit, &c. Ergo quia vna fides est, quæ euidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil vltrà liceat nouitati, quia nihil adijci conuenit vetustati.] Præsenti Ioannis confessioni pristinas eius intemporia donat, dum ne simulata sit hæc eius conciliatio.

48 Sed huius concordiæ, & temperatæ à Cyrillo dispensationis admirator præcipuus, Facundus Hermanien. lib. 6. cap. 5. ità disserit: [Vndè nec aliud credidit Chalcedonensis Synodus, nec credere debuit, nisi quia Patres Orientales, inter quos fuit etiam ipse Ibas, aliarumque prouinciarum Episcopi, intentionem capitulorum B. Cyrilli, minùs animaduerterant: vt ea etiam à Concilio Ephesino suscepta culparent. Sicut aliquando in diuina Trinitate Catholici quidam tres hypostases accipere noluerunt, quamuis tres personas acceperint: nec ideò sunt à viris sapientibus hæretici iudicati, quoniam comperti sunt non in re, quæ illo nomine significabatur; sed potiùs in ipso nomine, quo significabatur, offendi.]

Et paulò post: [Hinc autem creditus est idem beatus Cyrillus non rectam priùs in suis capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione Orientalium postea esse correptus: quoniam cum ipsa vnitas Ecclesiarum fieret: non Orientales Patres eius capitulis subscribere compulsi sunt; sed ipse potiùs expetitus est, directæ sibi ab eis confessioni subscribere, &c. Hinc ergo contigit, vt conuersione beati Cyrilli facta vnitas crederetur. Et reuera, cui non surriperet ista suspicio (de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus) cùm nihil Orientales Patres, qui hæc capitula corrigenda iudicauerunt, corrigere cogerentur: Beatus autem Cyrillus non solùm fidei confessioni, quam sicut necessarium crediderunt, illi dictauerant, expetitus antè subscriberet: sed etiam ipsa sua capitula retractaret?]

Et lib. eodem cap. 4. Hoc quoque Cyrillo laudi vertit, quod qua pacis cupiditate æstuabat, sua exponere, & approbare Orientalibus capitula initio minùs curarit: [Sanè, quoniam Cyrillus Orientalium legatione suscepta, magis quod à consacerdotibus suis expectabatur, festinauit implere, quàm dictorum suorum in quibus offensi fuerant, sufficientem purgationem facere: ideò putatus est, veluti pristino errore damnato, Orientalium admonitione conuersus. Cùm ille recuperandæ vnitatis cupidus, in defensione dictorum suorum noluerit immorari, ne cùm probare diù contendit, quod non vt putabatur, ab eo fuerint dicta, de quibus minùs intelligentes, aliter sentiebant, controuersiæ hac dissensione terminus non daretur.]

Ità ille Cyrillus dispensationem extollit, simul quantum potest, Orientalium culpam eleuans, vt nos postremis ex eorum grege, Theodoreto, & Ibæ aduersùs Iuliani, & Quintæ Synodi minas patrocinetur. Et idem tamen inferiùs cap. 5. lib. 6. Orientalium Episcoporum, velut luminarium hos esse confitetur defectus, eius simillimos, quo Ægyptij ante Episcopi in proscribendo Chrysostomo caligauerunt. [Habeatur itàque velut eclipsis quædam luminarium, Theopili, & Cyrilli, quòd tam horribilia de magno luminari Ioanne Constantinopolitano locuti sunt. Habeatur etiam altera eclipsis, velut luminarium Orientalium, siue aliorum Patrum, qui cum eis ex diuersis prouincijs conuenerant, quod intelligentiæ defectu paulu-

lùm

ſùm obscurati, aliter quàm res habuit de luminari Cyrillo æstimauerunt.]

49 Sed ista tamen ad propositum sibi scopum paulisper inclinauit Facundus, vtque Cyrilli clementiam, & dispensationem sui æui hominibus persuaderet, prudentiam eius penè obliterauit. Rem gestam ergo ipsius ex Cyrilli calamo ediscamus. Ità ille epist. 38. ait, missas per Aristolaum Ioanni regias literas, [vt scelesta Nestorij dogmata anathematizaret, depositionem Nestorij pro conformitate sanctæ Synodi decerneret, & ità communionem à nobis quæreret.]

Tum Orientales per Acacium Berrœæ Episcopum ad Cyrillum scripsisse, & petisse, [vt quæ contra Nestorium à nobis sunt scripta, deleantur: & tamquam irrita abijciantur omnia, & paciscamur in solo fidei Symbolo à sanctis Patribus Nicææ determinatæ. Nouit autem sanctitas tua, quòd tales olim in Ephesina Synodo positiones ipsorum fuerint. Ego verò ad ista rescripsi petere eos impossibilia, eò quòd quæ scripsimus, rectè scripserimus, &c. Oportere eos secundùm id, quod Imperatori, & Synodo rectum videtur, Nestorij blasphemias anathematizare, & ordinationi Maximiani consentire. Cùm istas literas misissem: & considerarent fieri non posse, vt communionem reciperent, nisi ad finem perductis, quæ ipsis facienda erant: miserunt Alexandriam Paulum Emesenum Episcopum, afferentem quidem ad me communionem concernentia, verùm talia, quæ non admodum decentia quædam narrarent. Nam & querimonias habere se simulabant, tamquam in sancta Synodo quædam non sint rectè dicta, & facta. Et huiusmodi quidem epistolas non acceptaui, & respondi, quomodo qui præteritorum gestorum gratia veniam petere debeant, iam denuò iniuriam nobis inferunt?] Cùm hæc excusaret Paulus, non ad communionem tamen admissum est, [nisi vbi scripto Nestorij dogmata anathematizauit, illum pro deposito habuit, & Maximiani ordinationi consensit.]

Cùmque peteret Paulus, vt Orientalium Episcoporum nomine hæc scripsisse putaretur, nec ab illis quidquam amplius exigeretur: [nequaquam acquieui, sed Tribuno chartam exibui, significans ei, si Ioannes illi subscripserit, tum demùm communionem illis esse reddendam. Cunctationem autem eorum Aristolaus Tribunus molestè tulit. Cùm itàque pientissimus Episcopus Ioannes subscripsisset; & qui cum eo erant, Nestorij dogmata manifestiùs anathematizassent, confessique essent, illum se pro deposito habere, & ordinationi Maximiani consensissent, communionem illis reddidimus. Hæc namque illis, & Ephesi à sancta Synodo proponebantur.]

Causæ suæ ingenio obsecundans Facundus, hanc ingentem Cyrilli sapientiam, constantiamque penè dissimulauerat, vt qui clementiæ velificaretur. Hallucinantur ergo vehementer, qui Ioannis exemplo sibi blandiuntur, vt Catholicorum inter se hominum ciuiles disceptationes esse persuadeant, quas alij ad fidem attingere arbitrantur. Apertè Ioannes & Orientales Episcopi Synodo Ephesinæ aduersabantur, cõsecratos eius auctoritate Cyrilli anathematismos impetebant, Nestorio fauebant, dogmati ipsi eius consentire non immerito suspecti erant, tergiuersationibus tam tædiosis has alebant aduersùm se suspiciones, ad communionem denique admissi non sunt, nisi anathema indixissent dogmati Nestoriano, & Synodo, tàm quò ad facti, quàm quò ad fidei definitionem subscripsissent. Rursùs Cyrillus epist. ad Acacium eadem ferè omnia prosequitur, & inter cætera: [Quia sanctissimi Orientales Episcopi à nobis dissidebant, ob Ephesinam Synodum, eaque de causa quasi blasphemiarum Nestorij laqueis irretiti essent, suspecti erant; vt eo se crimine liberarent, inculpatæque fidei amatoribus per omnia satisfacerent, ac Nestorianæ impietatis expertes se esse ostenderent, apologiam composuerunt.]

Dispensationi denique totum hoc assignat Cyrillus epist. ad Maximum, & Gennadium: [Quòd si iam videas eos in recta fide, malorum te oportet præteritorum obliuionem inducere. Malumus enim eos videre negantes, quàm inuerecondo animo laudantes Nestorij improbitatem. Igitur ne contentiones dicamur amare, religiosissimi Episcopi Ioannis familiaritatem amplectamur, hoc illi indulgentes, & Ecclesiasticæ œconomiæ causa. Ne simus tam exacti exploratores in eos, qui ad mentem redierunt.]

50 Conciliatricula autem pacis fuit illa confessionis formula, quam postremò Ioannes sepeis tergiuersationibus à Cyrillo conclusus scripsit, post Cyrillus subscripsit. Suppalpabatur enim sibi, suisque Ioannes, quòd formulam fidei prior scriberet, & quasi præscriberet Cyrillo, cui post Cyrillus subscriberet, quasi palinodiam canens. Æquiùs autem Cyrillus videbatur sibi legem dixisse Ioanni, & imperasse, atque expugnasse, vt libellum fidei, & quasi emendationis sibi porrigeret; & quod hactenùs recusauerat, Ephesinæ Synodi vtrique definitioni, ad dogma, & ad personam Nestorij pertinenti assentiretur. Itàque diuersis vtrimque rumoribus in vulgus sparsis, victoriam vnaquæque pars suam venditabat: & post fidei pacata prælia, adhùc de gloria certabatur. Sed palmam Cyrillo iam tum, & causa fidei, & Synodi defensio, & Imperatoris suffragium, & Sixti Papæ conspiratio, & Orbis Catholici consensus largiebatur, posteritas confirmauit. Orientalibus multa ob vnitatis compensationem condonari oportuit, & illud quoque postremò non silendum, quód in fidei dogmate profitendo, non elimatam vsquequaque verborum formam sectari iussi sunt, vndè & iniquiores postea in Cyrillum suspiciones excitatæ ab ijs sunt, qui non satis pensitabant, quid stricto iure agendum, quid studio colligendæ fraternitatis dispensandum sit.

Indè Cyrillus epist. ad Aciaciũ, [Etiam si di-

si dictionum structura, sententiarumque enunciatio eiusmodi sit, vt à subtiliore illa diligentia nonnihil recedere quibusdam videri queat, non est valdè mirum. Etenim non parum difficile est, hæc aptè explicare.] Conc. Ephes. par.3.cap.35.

51 Quoniam autem Ioanni Antiocheno patrocinati plùs æquo quidam affectarunt: aures rursùm conuerte ad ea, quæ Cœlestinus intonat in epist.ad Synodum Ephesinã: [Antiochenum verò si habet spem correctionis, epistolis à vestra fraternitate volumus conueniri; vt nisi, quæ sentimus, senserit, nouellam blasphemiam eodem exemplo scripta sua professione condemnans; intelligat de se quoque Ecclesiam, quod fidei nostræ respectus imperat, ordinare.]

Et Cyrillus Monachus in vita sancti Euthymij Abbatis cap. 39. [Cùm didicisset Euthymius, quæ facta fuerant ab Episcopis Orientis; & quòd Ioannes, qui præerat Antiochiæ, cùm esset Orthodoxus; inductus esset, vt eadem sentiret, quæ Nestorius: fuit graui tristitia cor eius sauciatum. Eodē modo affectus fuit etiam Domnus illius consobrinus. Rogauit itaque Euthymium, vt ei permitteret abire Antiochiam, vt auunculum suum, qui supplantatus fuerat, restitueret: & iam veluti iacentem erigeret.]

Ille autem: [Nequaquam, inquit, ò fili. Sed etsi paululùm à recta fide declinauit; Deus tamen, qui nouit cor illius rectè se habere, ipse ipsum conuertet; & reducet ad id, quòd benè erit.]

Quæ Euthymij quasi cælitùs afflata sententia ipsissimæ rerum veritati adprimè præ cæteris concinit.

Titubauit enim tevera Ioannes cum suis Orientalibus quasi fallente vestigio, etsi non penitùs corruit: declinauit paululùm à recta fide, etsi non prorsùs defecit. Itaque non immeritò alij diù lapsantem dolore, & lacrymis: alij non lapsum, gaudio, & plausu prosecuti sunt.

Leontius libro de sect. act.4. Ioanni, & Theodoreto apertè gratulatur, quòd Nestorium non admiserint; quòd eandem auersati sint.

At idem act. 6. aduersariorum Chalcedonensis Synodi hanc soluit obiectionem: [Quòd homines sectatios receperit, Theodoretum, & Ibam, &c. Nestorij dogmata probantes, &c. Nos verò Theodoreti dogma, quod attinet, dicimus non priùs à Synodo receptum fuisse, quàm Nestorium, & eius sententiam anathemati subiecisset.]

Idem de Iba mox respondet: Vtriusque verò conscripta ideò non compulsos à Synodo esse damnare: quòd ad id eos non compulisset antè Cyrillus, à Theodori ipsius damnatione supersedendum ex venia ratus. Itàque etsi Nestoriani medullitùs non essent Orientales, commiserant tamen vel grassando, vel scriptitando, vt esse viderentur: & iure, meritòque viderentur, nempè Cyrillo, Cælestino, Sixto, Ephesinæ, Chalcedonensi, quintæ Synodo.

Nàm, vt auctores idonei sunt Patres quintæ Synodi collat. 6. in Concilio Calcedonensi somnes coegerunt Ibam anathematizare Nestorium, quem vindicabat impia epistola, & insuper impia eius dogmata, &c. Ibam susceperunt, cùm pœnitentiam egisset, & Nestorium anathematizasset, &c.]

Et collat.8. [Inuenimus, quòd Patres Chalcedonenses non aliter passi sunt prædictum Ibam suscipere, priusquam exegissent eum, Nestorium,& impia eius dogmata, quæ in epistola vendicantur, anathematizare.]

Et similiter de Theodoreto collat. 5. [Ex his, quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilij. Sciens enim eius blasphemias, priùs quidem multis sæpiùs vsa est contra eum exclamationibus. Posteà verò non aliter eum suscepisset, nisi priùs anathematizasset Nestorium, & eius blasphemias, pro quibus anteà scripsit defensiens.]

Et Vigilius in Constituto, ait scripta Theodoreti in Cyrillum ab ipsomet fuisse sine dubitatione damnata, cùm in Synodo Chalcedonensi, Nestorio, & eius dogmati dixit anathema.

Et infrà: [Quæcumque scripta, vel dogmata eius, cuiuslibet nomine prolata, scelestorum Nestorij, & Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus, atque damnamus.]

His tot Pontificibus, Synodisque causam Ecclesiæ, & totam circumgestantibus maiestatem, pluseulum, vt arbitror, fidei adijciendum est; quàm vel Liberato, vel Facundo, ob pertinacem, cui se deuouerant, trium capitulorum defensionem, ab Iba, & Theodoreto, adeòque & ab Orientalibus omnibus, eorumque antesignano Ioanne, hæteseos propugnatæ dedecus amoliri certantibus. Denique totam & Cyrilli, & Romanorum Præsulum, & Chalcedonen. Synodi humanitatem erga Ioannem, Theodoretum, Ibam, aliosque Orientales, veniæ, & dispensationi accepto ferendam suprà ostensum: vt hinc quidem consimilis clementiæ erga eorum similes quoslibet exemplum pro arbitrio suo trahat Ecclesia: non vllam autem impingi sibi patiatur necessitatem. Ea est enim dispensationis conditio. Ei, qui dispensat, laudem, non necessitatem inuehit. Eius, qui cum dispensatur, fœlicitatem magis prodit, quàm innocentiam. Et ex Ioannis seu morositate, seu contumacia non sum nescius, emolumenei aliquid,& elucidamenti accessisse dogmati Catholico; sed ità forsan, vt ex Thomæ hæsitatione:

De eo enim sapienter Gregorius homilia 26. in Euangelio: [Plùs nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium Discipulorum profuit. Quia dùm ille ad fidem palpando reducitur, nostra mena omni dubitatione postpósita, in fide solidatur.]

Quibus mirificè consonant hæc Facundi lib. 1. cap. 5. [Cùm sanctus Ioannes Antiochenus, & cæteri Orientales, licèt probabili zelo fidei, tamen improbè iudicarent

carent hæreticum: Omnipotens Deus, cuius sapiens, & mirabilis bonitas, humanæ ignorantiæ malum potest in vsum doctrinæ conuertere: talem dedit exitum causæ, vt illa Orientalium, aliarumque Prouinciarum Antistitum falsa de beato Cyrillo suspicio nihil nobis relinqueret suspicandum.]

Itàque improbè faciebant Orientales; sed illud, vt & mala quælibet alia benè vertit Deus. Alioqui insanum est, Oecumenicæ Synodo à Cœlestino, & rursùm à Sixto Pontifice Romano confirmatæ reluctari Ioannem; sed insaniùs penè est, eius rei ergo commendari; aut exempla hinc aliqua posteritati sanciri. Quòd postremò Orientales in gratiam cum Cyrillo, & Ecclesia redeuntes, nec anathematismis Cyrilli subscribere, nec sua in eum scripta recantare adacti sunt: id quidem tùm Oeconomiæ gratia indultum est tertiæ Sedis Antistiti, Orientalibus, seu Diœceseos Orientalis Episcopis, & vt suprà, atque alibi sæpè ait Facundus, aliarum Prouinciarum Antistitibus. Quid enim non horum dignitas, & numerus dispensari extunderet? Testes dispensationis huius locupletissimos suprà protulimus. Sed etsi cessare videatur aliquando, vigilat tamen æquitas: etenim dilapso œconomiæ tempore, vt aiunt Patres quintæ Synodi, fulminantur Orientalium scriptiunculæ in Cyrillum, anathematismi Cyrilli in adyta ipsa fidei recipiuntur; & priuata licentia in angulis ad libitum suum garriente, æternum in monumentis Ecclesiasticis aduersùs Theodoreti, & Ibæ scriptiones anathema personat: æternum, non quidem Ioanni, sed prioribus illis Ioannis, & Theodoreti, & aliorum Orientalium machinationibus dedecus imprimitur.

52 Atque, vt testis est Cyrillus, vanis tunc rumoribus confictum, iactatumque est, ab occultis Nestorij fautoribus, eius depositionem à Sixto Papa improbatam: conscriptamque à Cyrillo ipso epistolam, qua Ephesinæ Synodi pudebat ipsum, pœnitebatque.

Denique, vt ait Liberatus breu. c. 10. [Nestorij sectatores, videntes libros eius blasphemos non posse proferri in publicum, eò quòd Synodo Ephesina anathematizante fuerant condemnati, & Imperiali lege: tunc cœperunt Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuesteni Episcopi, qui contra Eunomium, & Apollinarem vnius naturæ assertores, libros composuerunt, duas in Christo ostendentes naturas in vna persona; circumferre volumina: & simplicissimos quosque decipere cupientes, aiebant, non sapuisse noua Nestorium, sed antiquorum Patrum prosecutum fuisse doctrinam.]

Verùm præter animi sui sententiam res cecidit. Non enim horum obtentu sese laqueis exuerunt anathematis, sed hos hactenùs latitantes induerunt. Quo constet damnatos semel non errores tantùm, sed auctores, librosque, anteriorum aliquot sibi consentaneorum, & tamen indemnatorum patrocinio non expediri ab anathematis vinculo; sed magis, magisque cum suis ipsis patronis implicari.

Theodoro enim Mopsuesteno veniam hactenùs Ecclesia fecerat, ne eum Nestorio damnaretur; vbi ea dispensatio officere post visa est, illi ipsi anathema illisum. Cessante enim vtilitate, vel necessitate, reuocatur dispensatio.


Monuerat iàm Cyrillus epistola ad Ioannem: [Infames opiniones Diodori, ac Theodori, & aliorum quorumdam, quos non laudare satius erat, ne quid grauiùs dicam, propterea quod plenis quodammodò velis aduersùs Christi gloriam feruntur, nemo sanctis Patribus nostris Athanasio, Basilio, Gregorio, Theophilo, & reliquis tribuat, ne res ista scandali fiat occasio, &c.] Concilio Ephesino parte 3. cap. 44.

Si quæris autem, quinam illi essent Theodori nomine Nestorium prætexentes, declarat Cyrillus epistola ad Acacium: [Scripserunt ad me Orientales, quòd non oportet, quæ Theodori sunt, accusari: ne sicut dicunt & beati Athanasij, & Theophili, & Gregorij, & Basilij dicta accensentur. Quæ enim locutus est Theodorus, eadem & illi.]

Et idem epistola ad Proclum, Ecclesiæ tùm necessariam declarat dispensationem in Theodori damnando errore, non nomine: [Sicut Sanctitas tua, quòd prolata apud Synodum expositione ab eo composita, sicut dicebant, qui protulerunt, nihil sanum habente: reprobauit quidem eam sancta Synodus, vtpotè peruersis intellectibus plenam, & Nestorianam impietatem quasi effluentem. His verò condemnatis, qui se sapiunt, nullam viri memoriam fecit dispensatiuè: nec ipsum nominatim anathemati subiecit, propter dispensationem; ne quidam ad existimationem viri respicientes, seipsos ab Ecclesijs separarent. Dispensatio verò in his optima res est, & sapiens.]

At vbi hanc non dispensationem, sed rei æquitatem interpretari perstiterunt vitiligatores, id consecuti sunt videlicet, vt noxia iàm dispensatio reuocaretur, & damnaretur in quinta Synodo Theodorus, quo de alibi. Ità enim vsu venit, vt amicos vel errores, vel homines pertinaciùs defensitando, pluribus illos anathematum iaculis configendos obiectemus.

DIS-



DISSERTATIO XI.

In Concilium Constantinopolitanum sub Flauiano, & Concilium Ephesinum II.

SYNOPSIS.

Ab Eutyehete primùm, post à Flauiano prouocatum esse ad Concilium Oecumenicum, idest ad Leonem Papam; vnam esse Pontificis, & Concilij auctoritatem: ad vtrumque indifferenter prouocari: penès Pontificem esse arbitrium, iusque, vt ex re visum fuerit, Concilium tunc colligere, vel sine Concilio rem profligare. Si Imperator tunc præter Pontificis consilium Synodos colligeret, vel colligi vetaret: exitialia ea erant plerumque facta, nedum iura: nedum idonea sanciendæ discipinæ exempla. Theodoretus similiter à Leone Papa restitutus fuisse ostenditur.

1 HÆc duo copulari à nobis Concilia mirari desines, vbi rescieris, vnam hìc illam pertractatum iri quæstionem, de appellatione primùm Eutyehetis, deindè Flauiani ad Concilium, & ad Pontificem Romanum. Vna enim, vt vides, vtrobique causa vertitur, vnus nobis scopus ob oculos positus est, vt has promiscuè, & ad Concilium Oecumenicum, & ad Pontificem Romanum appellationes interpositas esse demonstremus; nec Concilij rationes à Pontifice, nec Pontificis maiestatem à Concilio dispescere, aut sequestrare tunc cuiquam in mentem venisse: sed Concilium Pontifici, Pontificem Concilio inesse, vt gregem pastori, pastorem gregi: capiti membra, membris caput, persuasissimum, & ex fidei præiudicijs, quasi anticipatum omnibus fuisse.

2 Commodemus ergo primùm aures, animosque nostros Leoni, qui epist. 7. ad Theodosium Augustum de Eutyehetis appellatione sic differit:] Quid Flauianum potuerit commouere, vt Eutychen presbyterum communione priuaret, nondum potuimus euidenter cognoscere. Quamuis enim prædictus presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit; breuiter tamen aliqua prælibauit; asserens se Nicænæ Synodi constituta seruantem, frustrà in fidei diuersitate culpatum. Eusebij autem Episcopi accusatoris eius libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus presbyter misit, de obiectionis euidentia nihil habebat, &c. Priùs de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet, vt possit de benè cognitis, congruè iudicari. Ad prędictum autem Episcopum dedi literas, quibus mihi displicere cognosceret, quòd ea, quæ in tanta causa gesta fuerant, etiamnunc silentio reticeret: cũ studere debuerit primitus nobis cuncta reserare. Quē credimus vel post admonitionē, omnia ad nostram notitiam relaturum; vt in lucem ductis his, quæ adhuc videntur occulta, id, quod Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ conuenit, iudicetur.] Quid his euidentius? Appellationis libellos dedit, & misit Eutyches ad Leonem, pariterque libellum accusationis, quo illum Eusebius pulsauerat. Leo fidenter ad Imperatorem, & ad Flauianum scribit, se de omnibus instrui, ad suam notitiam omnia perferri, sibi primitùs cuncta reserari oportere, vt possit de benè cognitis, congruè iudicari: quia nempè tanta causa, & fidei ratio controuertebatur. Et idem Leo epist. 8. ad Flauianum ipsum: [Adeò vt in ipso iudicio Eutyches libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, &c. Facti tui nosse volumus rationem, & vsque ad nostram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquam partis pręiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.] Et appellatum esse, & à se decretoria sententia rem definiendam esse profitetur.

3 Nec minùs liquidò idem ex epistolis Flauiani ad Leonem clarescet. Ità enim ille priùs ad Leonem scripsit: [Olim quidquid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus literis docuimus, & presbyterio illum esse nudatum, &c. vt sanctitas vestra cognoscens hoc, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem; ne nescientes aliqui quid ille senserit, quasi

ad

ad orthodoxum vel per literas, vel per aliquam coniunctionem loquantur.] Gesta ergo sua & iudicia ad Leonem miserat Flauianus, etsi nondum Leoni reddita fuerant. Et planissimum hic est, vt reijceretur aliquorum communio in Occidente, necessum fuisse, vt eorum facta in Oriente excommunicatio ad Pontificem Romanum referretur, ab eoque comprobata, vel refutata valeret, aut euanesceret. At rursus Flauianus acceptis Leonis epistolis ita rescribit: [Literæ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis, per quas edocti sumus, quia idem Eutyches libellos direxit vobis, plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens, iudicij tempore libellos se dedisse appellationis, & nobis, & hic conuenienti sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem. Quod neqnaquam ab eo factum est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans.] Negat Flauianus appellasse Entychetem, non negat appellare potuisse. Quin ex aduerso satis innuit, in culpa se futurum, si post appellationem damnatus fuisset Eutyches. Denique appellationis clypeo non malè defendi Eutychetem, si non mendaciter conficta, sed verè interposita fuisset. Denique quantum momenti esset in summi Pontificis iudicio ad confirmandam, vel infirmandam Flauiani sententiam, ipsemet mox testatum facit: [Propriam faciens communem causam, & Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare confortare autem, & pijssimi Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenùs nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.] Suæ Synodi, sententiæque confirmationem Flauianus, & Imperatoris fidem, hæreseos profligationem, pacem turbatæ Ecclesiæ, Concilij prorogationem à solius Leonis consensu, literisque suspendit.

4 Abstiueri ab indicenda Oecumenica Synodo debere censuit, non tantùm Flauianus, sed Leo ipse. Vndè epist. 17. ad Theodosium Aug. [Præsertim cùm tam euidens fidei causa sit, vt rationabilibus de causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum: tamen vt clementiæ vestræ statutis aliquatenùs pareatur, &c.] Et epist. 12. ad eumdem: [Licèt Eutyches, quantum gestorum episcopalium ordo patefecit, imperitè, atque imprudenter errare detectus sit, debueritque à sua meritò reprobabili persuasione discedere: quoniam tamen pietas vestra apud Ephesum constituit synodale Concilium, &c.] Itaque vt Flauianus flagitauerat, Leo gesta Constantinopolitanæ Synodi aduersùs Eutychetem vbi perlegit, ita ea confirmauit, vt Synodo supersedendum duceret. Quin & Eutyches ipse in id consensisse videbatur, vt idoneus fideiussor est idem Leo epist. 12. [Cùm in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reseruauerit, vt correcturum se esse promitteret, quidquid nostra sententia de his, quæ malè senserat, improbasset.] Ad Leonem ergo ita prouocarat Eutyches, vt correcturum se promitteret, quidquid eius sententia foret improbatum, nulla Concilij facta mentione: quod canonicè in arbitrio esset prouocati Pontificis, vel conuocare Synodum, vel eo supersedere, prout rei ambiguitas, aut perspicuitas suaderet. Sed cùm conquestus esset de Flauiani sententia etiam ad Imperatorem Eutyches: vltrò prosilijt ad conuocationem Concilij Imperator.

5 Nec abnuerim tamen optatissimam, immò & imploratam, appellatamque Eutycheti Synodum. Ita enim ipse in libello Confessionis suæ, qui Ephesi lectus, Chalcedone act. 1. relectus est: [Rogabam innotescere sancto vestro Concilio, vt his, quæ à vobis approbarentur, acquiescerem, præparatus in his manere. Et hæc dicenti subitò contra me damnatio legebatur, &c. Nullum verbum faciente de appellatione mea ad vestram sanctitatem Reuerendiss. Episcopo Flauiano, &c. Sicut potestatem habens, omnia de fide solus agere, & nihil vestræ sanctitati de talis æquitate iudicij reseruare, &c. In diuersis Oratorijs fecit post appellationem in me prolatam legi sententiam, &c.] Et in Actione Constantinopolitana, post Concilium Constantinopolitanum facta, relecta autem Chalced. act. 1. [Constantius Diaconus dixit: Eutyches dum legeretur damnatio, appellauit sanctum Concilium sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis: & hæc in gestis non sunt inserta. Magnificus Patritius dixit: Turba facta, & dissoluto conuentu dixit ad me silenter appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium, &c. Basilius Episcopus dixit: Iam in veritate dico, adhuc ipso conuentu sedente, & proponente hoc sancta Synodo, vt diceret duas naturas inseparabiles, & inconfusas in vno Domino, idque post adnationem: scio quia dixit religiosissimus archimandrita Eutyches, si præceperint mihi Patres Romanus, & Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans dixit: sed dicens, Non sum ausus dicere, propter Patres.] Denique in libello rursus suo Eutyches in Ephesina pseudosynodo præproperè se à Flauiano conqueritur damnatum, [cùm magis oporteret antè omnia Pontificibus scribere, quos & appellaueram.

6 Ex his omnibus patet altercatum fuisse, an appellasset Eutyches: appellare autem illum potuisse, & causam, si appellasset, reseruandam fuisse iudicio, ad quod prouocasset, id verò à nemine tunc, & ne à Flauiano quidem ipso in controuersiam vocatum fuisse. Patet 2. promiscuum quid, & indiscretum fuisse, ad Romanum Pontificem, vel ad Concilium vniuersale pro-

prouocate. Appellasse enim se iactabat Eutyches ad Concilium Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis Episcopi. Quod quid aliud est, quàm ad Concilium prouocare, cui præsit Romanus, adsint, & cæteri saltem insigniores Orbis Episcopi? Itaque Pontificis, & Concilij vna, & indiscreta auctoritas est, ad hoc, & illum pariter prouocatur. Patet 3. etsi Romano Præsuli alios quoque Eutyches Episcopos consocier, & ad omnes pariter prouocet: longo tamen cæteros internallo à Romano superari. Nam Romanus cæteros semper antecedit. 2. Cũ quatuor primò appellasset nominatim, postea Thessalonicensem omisit, rursus Hierosolymitanum: denique suprà audiuimus libellos appellationis dantem ad Leonem, & Leonem rei incumbentem, & acta Synodalia ad se discutienda mitti postulantem, & impetrantem .. 3. Flauianus ipse suprà solo Leonis nutu, & assensu turbas illas omnes citrà Concilium componi posse sentiebat. 4. Imperator quoque Theodosius summam rei totius à Leonis maximè auctoritate pendere confitebatur.

Vndè Leo ad ipsum Epist. [Quia causæ meritum, & fidei ratio, & laudabilis sollicitudo vestræ pietatis exegit, necesse est iàm locum subreptionibus non patere, sed priùs de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet, &c.]

Et Epist. 15. ad Synodum Ephes. 2. [Religiosissima clementissimi Principis fides hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectum, auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet: tamquam ab ipso B. Petro cuperet declarari, &c.] 5. Non iniuria ergo Leo totam ad se pertraxit causam ante Synodum vllam, Flauiani sententiam firmauit, Eutychetem damnauit; si errorem recantaret, restituendum censuit; Synodo nihil opus esse declarauit: dispensatiuè tamen Principi Synodum conuocanti assensus est, non vt quasi resdubia ventilaretur, sed vt pleniore iudicio omnis posset error aboleri, &c. vt primitùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter errauit, restitutione tractetur. Horum nihil à Thessalonicensi, nihil ab Hierosolymitano, nihil ante Synodum ab Alexandrino tentatũ fuerat. Ergo non ex æquo ad hos prouocarat Eutyches. 6. Eutyches ipse, vt suprà ex Leonis Epistola retuli, imò vt ex ipsis eius verbis probaui, sententiæ Leonis se professus fuerat manus daturum,

Et rursùs Leo Epist. 15. [Si sensus hæreticos damnauerit, quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram secuturum se esse sententiam. Denique Chalcedonensis ipsa Synodus in relat. ad Leonem, vni illi damnati, & exauctorati Eutychetis palmam, Principemque auctoritatem adscribit, dum ità Dioscorum incusat: [Eutychetem pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innoxium statuit: & dignitatem .quæ à vestra illi ablata sanctitate fuerat, restituit.] At extra Synodum Leo abstulerat Eutycheti dignitatem, & post Flauiani sententiam. Vndè non Flauiani sententia in Eutychetem lata profertur, sed Leonis. Nimirùm vt tantò inuidia maiòr Dioscoro conflctur, qui non post Flauianum, sed post Leonem, & contrà iudicare sit ausus.

7 Ità & Cælestius ab Africanis Concilijs ad Sedem Apostolicam appellarat antè, & coràm Zosimo Papa causam rursùs dixerat, si qua fides Facundo Hermian. cap.3.lib.7. [Zosimus fidem ipsius Pelagij, eiusque complicis Cælestij, quem in Ecclesia Carthaginensi conuictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat. In Oriente, & Occidente damnatis delirijs suis Pelagiani, Apostolicam Sedem appellarant. Et ibi rursùm damnati, Synodum generalem ex Oriente, & Occidente sui causa conuocari gestiebant, vt suprà ex Augustino didicimus: quasi non discusso negotio audientiam postulabant, vt ait Prosper adu. Collat.c.41. sed non impetrarunt. Coactæ alijs de causis Ephesinæ Synodo se intruserunt, sed à Nestorianis absoluti, ab orthodoxis Episcopis non rursùm cognita causa, sed ex solo Pontificiæ sententiæ præiudicio condemnati sunt.

8 Coniuncta est Eutychetis causæ appellatio Flauiani ipsius in Ephesina Pseudo-synodo ad Leonem Papam. Ex hac enim apertiùs etiam fiet, cùm ad Synodum œcumenicam prouocatur, nihil aliud quàm ad Papam prouocari, in cuius potestate est, vel rem totam sine Synodo redintegrare, si qua possit fieri: vel ad eam redintegrandam, Synodum conuocare. Prodeat primùm Leo Ep. 24. & 25. ad Theodosium scripta de appellatione Flauiani. [Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes supplicant Sacerdotes, vt quia, & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, &c. Quàm autem post appellationem interpositam, hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta. A Flauiano Legatis suis datos appellationis libellos testatur, ideò Synodum congregari postulat. Ergo ad eum vt Synodi conuocandæ antesignanum, & congregatæ Præsidem prouocabatur,

9 Idem patet ex literis Valentiniani, Placidæ, & Eudoxiæ ad Theodosium Aug. [Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare. Quatenùs Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij, super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare. Huius enim rei gratia secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quæ orta est de fide. Orant mox, vt prædictus Sacerdos congregatis mox ex omni Orbe, etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præiudicio sublato, omnem causam, quæ vertitur,

titur, cognoscat, senteotiam ferat, &c.] ErguFlauianus Leonem per libellos appellauit, idque secundum morem Conciliorū, nempè vt coacta Synodo, Pontifex Romanus de tota causa rursùm cognosceret, & seotiam ferret.

Et in Epist. Gallæ Placidiæ ad eundem Theodos. filium: [Odium, & contentiones narratur exercuisse Dioscorus, impetens CP. Ciuitatis Flauianum Episcopum, eò quòd libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, &c. Præcipiat tua mansuetudo, vt io statu Sacerdotij illæso maoente per omnia Flauiano, ad Cooeilium Apostolicæ Sedis iudicium traosmittatur, in qua primus ille, qui cælestes claues dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinauit. Vides vt promiscuè hæc habeantur, dare libellos ad Sedem Apostolicam, & ad omnes Occideotis Episcopos: itemque istam rem totam à Pontifice maximo iudicari de integro, & rei iudicium ad Concilium Sedis Apostolicæ transmitti: deoique quamquam iu Coocilio Sedis Apostolicæ, seu in Synodo Episcoporum agitetur iudicium: tameu Romanus Sacerdos, omnem causam cognoscet, sententiam feret, intemerata veneratio conseruabitur Apostolo Petro. Etenim iu redintegraodo iudicio Flauiani, nun Concilij auctoritas Romanum Antistitem sustollet, & illustrabit; sed Coucilio ipsi ea auctoritas defertur, quia Petro Apostolo iotemerata veoeratio cooseruanda est: quia Romano Præsuli Principatum antiquitas contulit Sacerdotij super omnes: quia eius est de fide, & Sacerdotibus iudicare: quia iu Romana Sede primus ille, qui cælestes claues dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinauit. Cùm ergo causam Pontificis, & Coneilij indiuulsè conglutinamus, Coneilio magis à Poutifice, quàm vicissim auctoritatem aggeramus.

Has Epistolas olim in hanc rem laudauit Rattaoioos cont. opposita Græc. l.4. cap.8. vbi præfatus Leonem Chalcedonensi Syoodo præisse, & præfuisse, dictasseque omoia, statuenda, quæ essent de Eutychete, & Flauiano, addit: [Quibus omnibus euideoter instruimur, non solùm Coostantinopolitano, verùm cunctis Orieotalibus Episcopis Romanum Pootificem honore Prælatum, veluti qui cuoctorum sollicitudinem plenam habere debeat Episcoporū, & cui specialiter iucumbat pro cunctis Ecclesijs excubare.

10 Et his consentaneus Marciauus postea, auctoritate Leonis, auctore Leooe Synodum Chalcedoneosem haberi coufeosit, quòd ille Principatum in Episcopatu diuinæ fidei possideret: vt alibi demonstratum. Vbi illud operæ pretium est aoimaduerti; Leooem in causa Eutychetis supersedendum Concilio existimasse, in causa Flauiani Synodum postulasse ipsum, etiā atque etiam, tamdem expugnasse. Prouidentiæ ergo, & iudicio Romani Pontificis appellati id permittebatur, tanti res esset, vel oon esset, quæ Syoodum postularet.

Quàm prouida autem vtrobique, quàmque salutaria Ecclesiæ essent Sedis Apostolicæ iudicia, ipso rerum exitu comprobatum est. Consultissimum enim fuisset abstinere ab illa Synodo prędatoria Ephesina; consultissimum fuit inflicta Ecclesijs illo latrocinio vulnera per Chalcedonensem Synodum obduci. Itàque cùm supersedendum Synodis iudicat Sedes Apostolica, non sibi honoris cumulum, sed pacem Ecclesię parat: cum indici Synodos hortatur, non honori suo quidquam detrahit, sed adijcit plurimòm. Eccunde enim plus accreuit honoris Sedi Apostolicæ, quàm ex Synodo Chalcedoneosi?

11 Liberatus quoque in Breuiario c. 12. paululùm prosequutus Dioscori grassationes in Ephesino latrocinio, addit: [Porrò locum obtinentes Papæ Leonis, omnibus, quæ fiunt gesta, cootradixerant. Flauianus autem contra se prolata sententia, per eius Legatos Sedem Apostolicam appellauit libello. Et hunc terminum illa Syoodus habuit.] Quæ cùm ità constent ex Leonis, ex Valentiniani Imperatoris, ex Reginarum, ex Liberati testimonio: oe pudorem omnem decoxerint, necesse est, qui appellatum à Flauiano esse ad Leonem, ambigere se fiogunt. Nam quòd in Ephesinæ Synodi actis non referatur aliud, quàm quòd cùm in Flauianum, & Eusebium depositionis senteñtiam protulisset Dioscorus, Flauiaous Episcopus dixit: Appello à te. Ità enim antiquissimus interpres reddidit, cùm Græcè scriptum sit, *paraitoymai se*: idest; Recuso te. Hilarius Diacoous Ecclesię Romanæ dixit, contradicitur: *contradicitoyr* Noo hinc appellatam Sedem Romanam esse prohibetur: cùm tam disertè id testificentur supradicti omni exceptioue maiores; & qui primùm recusauit Dioscorum, consequenter prouocare potuerit ad Leonem. Act. 1. Ideò & Chalcedonensis Synodus cùm hæc legerentur, exclamauit illicò, Leoni multos annos, Patriarchæ multos annos. Et restitui Flauiani post mortem suam, Iustiniaous Imperator in Edicto fidei, primariam laudem Leoni tribuit: [Et in Flauiano Episcopo Constantinopolitanæ Ciuitatis, iniustè quidem io vita damnato, iustè autem post mortem reuocato, tam à sancta memoriæ Papa Leoue, quàm à sancta Chalcedoonensi Syoodo.

12 Eadem Pontificis Romani, & œcumenici Concilij auctoritatis communio, & iudiuidua societas liquebit rursùs ex Theodori Lectoris Synopsi lib. 2. [Cùm hæc gererentur, Imperator Anastasius Macedonium Episcopom CP. vehementer vrsit; vt Chalcedonensem Syoodum anathemate damnaret. Ille verò fine vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præsideret, nihil se facturum dixit. Vides non aliter ad Synodum œcumenicam, quàm vt præside suo infestam prouocari. Et huius porrò potestatis esse, non tantùm præsidete Synodo, sed & io totum abstioere à congreganda œcumenica Syoodo: manifestum ex eo est, quòd cui potestas adoata est congregandæ, & regendæ Syoodi, insit eidem prouidentia, quando ea vtendum sit,

sit, vel temperandum. Cùm vel maximè generales Synodos conuocari toties, in Ecclesiarum dispendium vergat.

Denique id nos luculento, & causæ Flauiani accommodatissimo docebit exẽplo Theodorus Studita lib. 2. Epist. 129. ad Leonem Sacellarium, vbi agit de restituendo Nicæphoro Patriarcha Constantinopolitano. [Fieri nulla ratione potest, vt seculari iudicio diuinum iudicium comparetur, aut vt coalescat hæc Ecclesia, non cõsentiẽntibus quinque Patriarchis. Quòd si roget quispiam, quo pacto id fieri possit; Si excedant, inquam, Ecclesijs Dei heterodoxi, & propriam Sedem recipiat Nicephorus Sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conuentu, cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, vt ab alijs Patriarchis adsint Vicarij: (quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas summa defertur Synodi œcumenicæ) attamen pacem conficit, & coniunctionem, synodicas suas ad primæ Sedis Præsulem mittendo. Quòd si hoc minimè probet Imperator, deflexitque, vt ipse ait, à veritate Nicephorus Antistes: mittenda est ad Romanum ex vtraque parte legatio, & indè fidei accipienda certitudo. Etenim sic res se habet, vt si aberret vnus ex Patriarchis, à cæteris eiusdem ordinis, quemadmodum diuinus Dionysius tradit, correctionem admittat, non ab Imperatoribus iudicetur, licèt omnes quotquot vnquam fuerunt Imperatores orthodoxi. Causam Episcopi Constantinopolitani, & omnium adeò Patriarcharum agitandam esse docet in Synodo œcumenica, cuius summa potestas defertur Romano Præsuli. Si non possit conuocari Synodus œcumenica, eius vices implebit prima Sedes, fidei certitudinem mittet, Patriarcharum correptionem faciet.

Venio nunc ad Theodoreti quoque Cyrensis Episcopi appellationem. Restitutam illi Sedem propriam à Leone Papa in Chalcedonensi Synodo probatum est. Vnum addo ex Liberati breuiario testimonium, vt colligendæ Synodi auctoritatem, quæ sauciatis mederetur Ecclesijs, penès Leonem vnum fuisse clareat, & si nunc nisi consensio accederet Imperatoris, irriti vanescerene conatus. Sic ergo ille cap. 12. narrata prolixiùs strage Ephesina: Quos secutus Theodoritus Episc. Papæ suggessit, quanta mala pertulerit ex insidijs Dioscori: rogans vt celeriùs tali causæ subueniretur per alium conuentum Episcoporum, ne hæretica Eutychetis dogmata permanerẽt, à Dioscoro confirmata. Vtrumque Ecclesiæ exitiale fuit, quod extundi omninò à Theodosio Imperatore precibus Leonis nõ potuerit, vt ne conuocaretur Ephesina Synodus; & semel congregata, immaniterque grassata, per aliam Synodum emendaretur. Saluberrimum Ecclesiæ vtrumque fuit Leonis consilium, vt priùs supersederetur, vt postea instaretur Synodo cogendæ.

13 Summam autem rei circa Theodoretum, narrat Facundus Hermian. lib. 5. cap. 3. vbi acerbè inuehitur in eos, qui nõ nisi act. 8. Concilij Chalcedon. eum admissum cauillabantur. [Quid ergo non sedit cum sancta Synodo Theodoretus Episcopus, nisi in actione 8., postquam factum est de Eutyche, & Dioscoro iudicium, & disposita sunt à sancta Synodo recta Patrũ constituta? Et quomodo refertur in eiusdem Synodi gestis, quòd in ipsa prima actione Theodoretus inter alios Episcopos sedit, consolatu Marciani Augusti, 8. Idus Octobris? Nonnè ibi continentur hæc verba: Gloriosissimi Iudices, & amplissimus Senatus dixerunt: Ingrediatur Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi: quia & restituit ei Episcopatum Sãctissimus Archiepiscopus Leo: & sacratissimus, ac pijssimus Imperator sanxit, eum adesse sanctæ Synodo. Theodoretus reu. Episcopus transiens in medium, dixit: Preces obtuli sacratissimis, & Christianissimis Orbis dominis, & narraui, quæ in me acta sunt vulnera, & precor has perlegi. Et post hanc eiusdem Reuerendissimi Theodoreti prosecutionem, interloquentibus iterum gloriosissimis Iudicibus, & Senatu, quòd & à Sanctissimo Episcopo inclytæ Vrbis Romæ proprium locum recepisset idem Theodoretus, & testimonium haberet Maximi Antiocheni Episcopi, quòd Catholicæ fidei esset, sicut ibi scriptum est: sedit in medio, ipsoque præsente, & inter alios Episcopos considente, recitata sunt, quæ sub Dioscoro Ephesi fuerant gesta. Itàque & Imperatoris, & Iudicum, & Synodi, si paucos demas, assensu, Theodoretus Synodo interesse iussus est, quòd illum Sedi suę Leo restituisset: quamquam pleniore iudicio, vt sępè aliàs, actione 8. idem admissus absolutissimè sit.


14 Quòd autem non synodicè restitutũ à Leone Theodoretum garriunt, sed sola communionis non interruptę consociatione, & irritatis solo dissensu actis Ephesiois, hæreticæ vertiginis, & imperitię id quidem argumentum est. Synodicè enim, & iudicialiter proindè Leo resciderat acta Ephesini latrocinij, vt alibi ostendimus, & vt liquet ex sæpiùs allegatis Valentiniani Augusti, & Augustarum Epistolis ad Theodosium. Accurrisse enim sibi Leonem Sacerdotum agmine, pro loci sui dignitate, cinctum testantur. Synodicè ergo, adtòque ex auctoritate cassatis Ephesinis decretis, irritabatur & Theodoreti depositio. Sed esto, solo dissensu Sedis Romanæ soluta sine acta illa, ac præ cæteris exauctoratio Theodoreti; idipsum est, quo Principatus illius Sedis illustratur. Hoc ipsum est enim, quod Gelasius Papa contendit, à prima Sede in irritum missas Pseudosynodorum complurium sententias, quia non consensit. Eòdem rèdit, quod de communione iactatur. Nam & Cæcilianum, & Athanasium, & Chrysostomum. & Flauianum, adde & Theodoretum, & complures alios nefarijs machinationibus damnatos, prima Sedes ideò restituit, quia communionis suæ sinu continuit: Synodos illis aduersatas cassauit, quia non consensit. Gelasius Epist. 13. ad Ephes. Dardan.

[Apo-

[Apostolica Sedes frequenter more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat: & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Ioannem Constantinopolitanum Synodus, etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat: quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque sanctæ memoriæ Flauianum Pontificum Congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit: potiùsq; qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem, sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo, submouit.] Ergo summum est auctoritatis Ecclesiasticæ pondus in primæ Sedis consensu, vel dissensu, quo synodica gesta omnia, vel irritantur, vel confirmantur. Et quis non videat, vel tantisper in annalibus Ecclesiæ exercitatus, indè suspensam à Deo omnibus seculis fuisse, & religatam fidei, Ecclesiæque incolumitatem? Liquet exemplis à Gelasio congestis, & sexcentis alijs Episcoporum, & Synodorum, quibus auctoritatem, quia prima Sedes, vel ademit, vel restituit, ità labefactatæ Reipublicæ Christianæ consultum fuit. Et omnium quidem Episcoporum erat non consentire sceleστis molitionibus, sed suo dissensu eas irritare, & omnibus seculis irritasse, & solam irritasse plerumque sine Oecumenica Synodo, & in omnibus Ecclesiarum monumentis hanc vni sibi laudem vendicasse, id proprium, & singulare decus est primæ Sedis.



DIS-



DISSERTATIO XII.

In Concilium Chalcedonense, siue Oecumenicum IV. Anno Christi 451.

SYNOPSIS.

Aate œcumenicas Synodos fidem prædefiniijt Sedes maximè Romana, & quasi Synodis præiuit, dictauitque, quod sequerentur. Ex Synodorum generalium enumeratione id perficitur vsque ad num. 11.

Nec synodorum œcumenicarum auctoritas hinc extenuatur, nec vlla Pontificis, & synodi conflictatio olim, vel in suspicionem venit: quin alteri ex altero lucis, & maiestatis fiebat accessio, siue decreta Pontificia rursùs in synodo examinarentur, siue citrà nouum examen subscriberentur: quod in Pontifitis erat potestate, priori examini acquiesceret, an pleniùs ipsemet in synodo, & cum synodo rem examinaret. Vsque ad num. 25.

Pontifici aliquando supplicatum, numquam ab ipso ad synodum prouocatum: vt cuius cum synodo vna, & indiscreta potestas sit, itemque eum Ecclesia vniuersa per Orbem effusa, cuius ipse Caput, Cor, Os vnus est. Id antiquissimis, id nouissimis Pontificibus exploratissimum fuit; ita denique nuperæ hæresis à Pontifice simul, simul ab vniuersa Ecclesia protritæ sunt, etiam sine synodis, vel ante synodos. Vsque ad num. 34.

De Dioscori in Leonem Papam ausu nefario. De Theodoreto per Leonem restituto. De eodem, & alijs quibusdam fidei assentientibus, in facto, & persona nutabundis, plenissimè synodo assentiri compulsis. Vsque ad num. 39.

Imperator idem Sacerdos dicitur: quo sensu? synodis adest, dum de fide quæritur, non vt fidei Dictator, sed vt Auditor & Custas. Vsque ad num. 45.

Iudicijs canocicis abstinuere Imperatores, multò magis à ferendis legibus Ecclesiasticis. Quin leges Canonibus inimicæ, & irritæ, & irritatæ sunt, tum à Principe, tum ab Ecclesia. Vsque ad num. 51.

In causis canonicis sæpè iudices Ecclesiastici ab Imperatore petebantur, dabantur, eorum ab illo potestas sæpè extra territorium prorogabatur: non semel Princeps ipse de ijs cognoscebat. Hæc omnia non iuris, sed dispensationis fuisse ostenduntur; vt indè elucescat, longè consultiùs, & iuri, libertatique Ecclesiasticæ accommodatiùs fuisse, vt hæc omnis Ecclesiasticorum iudiciarum potestas ad legitimum iudicem, ad Episcopum Episcoporum reuocaretur. Vsque ad num. 62.

1 Pistolę Leonis ad Flauianum, Catholicæ fidei summam quò ad duas Christi naturas complectenti, iam Episcopale Collegium, iam Christianus Orbis consenserat, cùm ad idem Catholicum dogma corroborandum coacta est synodus Chalcedonensis. Itàque duo hìc illustris controuersiæ capita elucidare adgredimuc, fidei decretum præisse, ac dictasse quodammodo Synodis etiam generalibus Romanam Sedem: & illibato tamen illo Primatus prærogatiuæ iure, cogi vniuersalem Synodum & in ea, excitam controuersiam splendidè, & pomparicè definiri potuisse.

2 Atque vt ex ipsis generalibus Synodis initium faciam, ità perspicuè Ephesinæ primæ Synodi Patres act. 1. testificantuc se damnare, & exauthorare Nestorium, [coactos per sacros Canones, & epistolam sanctissimi Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi.] Ec ibidem in relat. ad Imper. [Nestorium à sacerdotio, peruersaque doctcina cessare fecimus, Cælestinum magnæ Romæ Episcopum collaudantes, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorij dogmata condemnarat, nosque in ferenda contra ipsum sententia anteuerterat, prospiciens securitati Ecclesiarum.] Et act. 2. legitur epistola Cælestini, qua non velut rem controuersam, paribus hinc, & indè momentis in synodo trutinandam, sed vt indubiam, & constantem de vna in Christo persona doctrinam præscribit, & legatos à se missos ait, [qui ijs, quæ aguntur, intersint: & ea, quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur: quibus præstandum à sanctitate vestra non dubiramus assensum, quando id, quod agitur, videatur pro vniuersalis Ecclesiæ securitate decretum.] Et mox Proiectus legatus air, per literas suas Cælestinus [sanctitatem vestram hor-

ratus

tatus est, non quasi ignaram docens, sed velut gnatam commonefaciens, vt ea, quæ dudùm antè definijt, & nunc in memoriam reuocare dignatus est, ad finem plenissimum iubeatis perduci, iuxta Canonem communis fidei, & Catholicæ Ecclesię vtilitatem.] Philippus item legatus paulò post, gratias agit synodo, quòd epistolis Cælestini succinuerit: [non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum.] Et act. 3. in relat. ad Imp. testantur Ephesini Patres Occidentalem Ecclesiam Romæ confluxisse in synodum, [sententiam de fide prædicasse, eos, qui diuersa sentiunt, ab omni protsùs sacerdotij sorte, graduque deiecisse. Et hæc quidem etiam antequam sanctissima hæc Synodus conueniret, Cælestinus per literas indicauerat, Cyrilloque suas vices commiserat, &c. Quia ergo viri isti, qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic synodo per literas exposuerunt, &c.] Itaque vt alibi aiunt, nisi vellent ab Occidentalium communione sese dissociare, necessum erat, vt in Cælestini prælucentem sententiam Ephesini Episcopi conuenirent. Audi & Cyrillum in epist. ad Ioan. Antioch. [Misit Nestorius quosdam suarum Exegeseon quaterniones Romam: quos cùm pijssimi Episcopi, qui in magna Romanorum vrbe inuenti sunt, legissent, multisque consessibus, & consultationibus habitis, examinassent, illorum auctorem non absque indignatione exibilarunt: palàm asserentes nouam illum, eamque perniciosissimam, & à nullo veterum hæreticorum antea vmquam excogitatam hæresin moliri.]

Addit à se quoque Romam missos alios Nestorij commentarios, cum eius subscriptione: [Tunc sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit: qua de te & ad tuam quoque pietatem perscripsit. Quibus parere necessitas, *anagei*, illis incumbit, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint.] Et idem Cyrillus, Synodusque Alexand. in epistola ad Nestorium de excommunicatione: [Nisi iuxta tempus in literis Cælestini Romani Episcopi expressum à stolidis dogmatibus desistas; certò scias nullam tibi cum Episcopis, & sacerdotibus Dei sortem, nullum sermonem, nullum denique locum futurum.] Itàque Sixtus Cælestini successor ad Ioannem Antiochenum Ecclesiasticæ paci redditum, ità scribit: [Expertus es negotij præsentis euentu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradit. Quis ab eius se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit.] Denique audiendus Capreolus Carthagin. Episc. in epist. ad Synodum Ephesinam: [Tanta constantia, & virtute, quibuscumque nouis erroribus resistatis, ne hos, quos pridem impugnauit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes, Apostolicæ Sedis auctoritas, sacerdotumque in vnum consonans sententia oppressit, secundæ disputationis prætextu vox iam dudùm ablata renouare videatur, &c. Si quis ea, quæ iam olim diiudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censebitur, quàm de fide, quæ hactenùs valuit, ipsemet dubitare.]

Quæ ille, vel de Pelagianis, vel de Nestorianis delirijs antè profligatis intelligere potuit. Nam & Pelagiani spe œcumenicæ Synodi cristas erigebant, quasi disputationem restauraturi: & Nestoriani olim in Paulo Samosateno præfocati fuerant, & in Photino, Ebione, alijsque istiusmodi portentis pridem iugulatis. Quoquo modo Capreolum interpretemur, perindè est: nam nulla adhuc cognati hi errores œcumenica synodo damnati fuerant: sed cum particularibus Synodis, vel Apostolicæ Sedis maximè auctoritate elisi fuissent, negat Capreolus in œcumenica Synodo locum illis instaurandæ disputationis concedi debere. Cuius rei ineluctabilem suggerit illicò rationem. Nam vetustus error veterum Patrum auctoritate etiam in synodo œcumenica damnandus est. Quorsum autem nisi eorum, qui olim superstites illum ebullientem compressserunt? [Deindè ad posteritatis exemplum, vt ea, quæ nunc pro Catholica fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa, immotaque conseruare, quæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quæ de Catholicæ fidei ratione statuerit; is non propria auctoritate, sed antiquorum Patrum iudicio sententiam suam corroborare debet: ità vt ea ratione, partim veterum, partim recentiorum decretis, & sententijs placita sua comprobans, vnicam Ecclesiæ veritatem iam indè ab initio ad pręsens vsque tempus simplici puritate, inuictaque constantia, & auctoritate decurrentem se asserere, docere, & tenere ostendat. Hæc ille. Et quia dominari videtur quibusdam in damnatione Nestorij auctoritas, & doctrina Cyrilli; vnde huic pondus accederet, docebit nos Rusticus Ecclesiæ Romanæ Diaconus in disput. contra Acephal. [Epistolæ Cyrilli ad Nestorium, quas & sanctissimus Cælestinus Papa magnæ Romæ, vt proprias suscepit. Et infrà: Istas epistolas, id est, suas & Orientalium de pace, transmittens Cyrillus Romanæ Ecclesiæ Sedi, à Sanctissimo Xisto confirmari fatetur. Et infrà: [Cyrillus in epistola, quam & Sedes Apostolica, & sancta Ephesina Synodus confirmauit.]

3 Ergo id Capreolus, id Cælestinus, id Cælestini ad Synodum legati profitentur, integrum iam non esse rem veluti dubiam hinc, & hinc versare, aut eruditæ disputationis campum aperire fidei aduersarijs, cùm eorum deliramenta iam petriuerit [Apostolicæ Sedis auctoritas, sacerdotumque in vnum consonans sententia.] Vnde sententiæ à Cælestino latę executionē synodo iam incumbere promouendam, Cælestini ipsius, & literæ, & legati inculcant.

Secundò. Synodus ipsa œcumenica con-

confitetur se ad damnationem Nestorij cogi literis Cælestini, & præiudicio Romanæ sub Cælestino Synodi se coartari; nec ab Occidentalium sententia, & communione posse Orientalem Ecclesiam citra sui excidium dissilire.

Tertiò, Ideò & prima statim actione Ephesinæ Synodi Nestorius cum suo errore percellitur. Damnatur & in hac Synodo Cœlestianus, seu Pelagianus error citra nouam eius ventilationem, ex solo Apostolicæ Sedis, sententiæque indè vibratæ præiudicio.

Quartò, vnitas ipsa Ecclesiæ, fideique indissociabile vinculum ità iubet. Nam cùm Cœlestinus Occidentalis Ecclesiæ suffragatione succinctus Nestorianam, Pelagianamque insaniam proscripsisset, iam Orientalibus, & exitiale, & scelestum fuisset ab illorum fide, & communione diuelli. Cùm item dudùm in Occidente Apostolica maximè Sedes Pelagianos, & errores, & auctores oppressisset: fas non erat posteà Orientali etiam Oecumenicæ Synodo, rem illam velut ancipitem iterato examine librare, nisi corpus Ecclesiæ Catholicæ discerpere auderet.

Quintò, denique cum, nec in Synodis Oecumenicis fides astruatur, nisi ex auctoritate, & consensione, tum eorum, qui superiores ætates illustrauere, tum eorum etiam Patrum, & Pastorum, qui diffusæ toto Orbe Ecclesię tractus diuersos regunt: hinc patet, vbi præfinitum quid est in Apostolica Sede, & Romana, atque Occidentali Synodo, iam non vllum ambigendi locum, aut disputandi superesse, nisi fortè ex redundantia iuris.

Sextò, & postremò, etsi Oecumenicæ Synodi olim omnes in Oriente congregatæ sint, pondus tamen, & momentum rebus addebat Romana Ecclesia, & prælucens Occidentalium Synodus.

Cui dogmati illustrando accomodatissima sunt, quæ disputat Nilus de Primatu Papæ lib. 1. Causam enim Græcos inter, & Romanos exciti dissidij, hanc vnam esse ait: [Quòd quæstio controuersa communi Oecumenicæ Synodi decreto nō sit confirmata: quòd eius solutio, explicatioque non fiat ex veteri Patrum in eiusmodi negotijs consuetudine. Sed quòd Romani quidem magistrorum in hac quæstione partes sibi sumunt; alios verò instar discipulorum dicto audientes habere velint.]

Mox declarat, quo se scuto tueantur Latini: [At Papa, inquiunt, Summus est Sacerdotum Princeps, & Pastor, ac Pater, cui & vniuersale Synodum conuocare, & priuatim absque alijs de Ecclesiasticis negotijs statuere licet.]

Contrà ipse exipit: [Cæterùm, & Iulius Papa erat, & Damasus, & Cœlestinus, & Leo, & Agathon, neque tamen vnquam hæc dixerunt: sed vnà cùm alijs fratribus conuenientes, & dogmata stabiliebant, & pacem Ecclesijs conciliabant, &c. Et Agathonem, & Cœlestinum, & Leonem priuatim quidem de rebus controuersis Synodum conuocasse videmus: ità tamen, vt quæ illic particulariter disceptata fuissent, ad vniuersalem Synodum referrentur, & communi sententia veritatem stabiliri postularent. Alioquin si Papa priuatim Synodum cogente, reliquos eius decretis assentiri necesse esset, nemine contradicente supernacaneum planè foret Oecumenicum tribunal. Si verò multi, immò verò innumeri sunt, qui contradicant; quo pacto æquum fuerit medicinam, qua salus obtineri potest, repudiare? Ad hæc si è vulgo tantùm hominum aliqui dissiderent: prætextum aliquem haberet eorum oratio, atque adeò iniquum censeri posset, tanti quosdam facere, vt ipsorum causa totum Orbem concutere velimus. Nunc verò cum capita Orbis terrarum propemodum inter se dissentiant; annon valdè absurdum fuerit, de vniuersali fide aliter, quàm cum vniuerso Orbe simul statuere, atque decernere.]

Et infrà rursùs exceptionem Latinorum constantissimam iterum inculcat, & diluere conatur: [At, inquiunt, vniuersalibus Concilijs nequaquam proposita fuit inquisitio veritatis; sed conuenerunt, vt eam confirmarent: ideòque etiam nunc non in dubium vocari hoc dogma iustum esse, sed stabiliri. Quo verò pacto hoc ais? Siquidem nulla vniuersalium Ecclesiarum contradicat, aut alioqui vna sola, aut pauci aliquot, assentior, & ego. Si verò cum quinque sint Ecclesiæ vniuersales, vna reliquis contradicit; annon iustum sit omnes conuenire, & infinitis votis, summaque disquisitione habita, dogma stabiliri?] Vbi aduerte:

Primò, quid Græculi alendo schismati, quid Latini opprimendo contendant: & quàm disertè isti nostram hanc sententiam profiteantur, ad Concilia Oecumenica conuolare Patres, non quasi ad veritatem, quæ latuerat, venandam; sed ad eamdem Romana ex arce splendidiùs radiantem, maiore pompa ornandam.

Secundò, Nilum ipsum plura ferè largiri, quàm è nostratibus aliquos, quotum adeò error perspicuus est. Nam si modò nulla Patriarchalium Ecclesiarum contradicat, aut vna tantùm, vel pauci aliquot annuit, & ipse, standum definitione Cathedræ Petri; nec Oecumenica Synodo opus esse.

Tertiò, qui contrà nobis hac in parte dicent, non alijs poterunt nos, quàm à Nilo, seu à schismaticis officina depromptis lacessere telis: non poterunt non totam Latinæ Ecclesiæ causam aduersùs Græcos in dogmate de processione Spiritus sancti labefactare. Ibi enim Latini decretis Apostolicæ Sedis ità inhæsere, vt ea veluti dubia deinceps in controuersiam vocari ne in Oecumenicis quidem Concilijs passi sunt.

Quartò, passim autem cœspitat Nilus in veteri Pontificum, & Synodorum historia: nam vt Iulius, Cœlestinus, Leo, Agatho, à Synodis Oecumenicis haudquaquam abhorruere: sed quæ ipsi iam præfinierant, ea velut nutantia in disceptationem trahi, omninò vetuere: vt hic propalabitur: ità & posteriores Romani Pontifices ad Synodos

dos Oecumenicas etiam prouocauere Grecos: aditum de processione Spiritus sancti decretum velut anceps, & dubium vexari intercessere.

4 Ad Ephesinam nunc venio secundam Synodum, cui Oecumenicum quoque nomen, & pondus accessisset, nisi consilia Ecclesiæ Dioscorus seculari ausu interuertisset.

Affirmat ergo Leo Papa epist. 12. ad Theod. Eutychetem quidem [imperitè, & imprudenter errare detectum, debuisse à sua meritò reprobabili persuasione discedere:] sed quoniam Imperator Synodum Ephesi indixisset, Legatos eò à se mitti, [vt quia dubitari non potest,quæ sit Christianæ confessionis integritas, & totius erroris prauitas damnaretur, & resipiscens, qui deuiauerat, si pro venia supplicaret, Sacerdotalis ei beneuolentia subueniret, cùm in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reseruauerit, vt correcturum se esse promitteret, quidquid nostra sententia de his, quæ malè senserat, improbasset. Quid autem Catholica Ecclesia vniuersaliter de sacramento dominicæ incarnationis credat, & doceat, ad fratrem, & Coepiscopum nostrum Flauianum pleniùs continent, scripta, quæ misi.

Præcipit ergo Pontifex definire, & de dogmate, & de persona Eutychetis, nec rem veluti dubiam ad Synodum transmittit. Eiusdem tenoris est epist. 13. ad Pulcheriam: at epist. 15. ad ipsam Ephesinam Synodum, peræquè rem extra dubium collocat, Legatosque à se mitti ait: [Qui communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant: hoc est vt primitùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter errauit, restitutione tractetur, si tamen veritatis doctrinam complectens, sensus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, damnauerit.

Et epist. 16. ad Flauianum ait Imperatoris prolixiori sollicitudine congregari iussam Synodum, quamuis euidenter appareat, rem, de qua agitur; nequaquam Synodali indigere tractatu:] missos tamen à se Legatos cum scriptis, quibus de his, quæ causæ conueniunt, pleniùs instruatur.

Et epist. 17. ad Theodosium Imperat. [Cùm tam euidens fidei causa sit, vt rationalibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum, &c. quia non talis quæstio orta est, vndè aut possit, aut debeat dubitari.] Vides quàm non ancipitem patiatur haberi quæstionem, nec vllum ambigendi, vel disputandi locum permittat Synodo; quin antè ipsemet omnia definita, & inconuulsa fidei dogmata ostendat,& epistolæ suæ commendata ostentent: Denique quòd à priori definitione Leonis dissensisset Ephesina pseudosynodus,à Leone ipso, & Romana Synodo protinùs rescissa est ante aliam Oecumenicam Synodum.

Idem Leo epist. ad Theodosium de Anatholio scribens, non antè assensurum se ait eius Episcopatui, quàm consentanea scripserit suæ epistolæ.

At Pulcheria Augusta ad Leonem de Anatolio scribit; [Anatolius in eadem fide permansit, atque religione, & tuarum literarum Apostolicarum confessionem complectitur, &c. epistolæ similiter Catholicæ fidei, quam ad sanctæ memoriæ Flauianum Episcopum tua beatitudo direxit, sine aliqua dilatione subscripsit.]

5 Iam verò ad Chalcedonensem Synodum hæc scribit Leo, Legatos à se mitti: vndè [nunc in Vicarijs meis adsum, qui dudùm in fidei Catholicæ prædicatione non desum; vt qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Vodè fratres charissimi, reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem Diuinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cùm secundùm euangelicas auctoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissimè, & lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flauianum Episcopi misimus,fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia: & sincera confessio.] En quàm expressè declarata per suam ad Flauianum epistolam fide, vetet deinceps etiam in Synodo œcumenica dubitari, aut disputari quidquam, vel defendi.

Et quidem in ipsa statim act. 1. Concilij Chalcedonen. erumpunt apertissima Episcoporum studia in Flauianum, odia in Eutychetem, & Dioscorum.

Act. 2. statim Cecroplus Episcopus ait: [Emerserunt, quæ ad Eutychetem pertinebant, & super ijs forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romanæ Vrbis, & sequimur eum, & epistolæ, omnes subscripsimus.] Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: [Ista omnes dicimus.]

Et statim recitato Niceno Symbolo, inter alia quæpiam exclamant Episcopi omnes: [Omnes ità credimus, Papa Leo sic credit, Cyrillus ità credidit, Papa Leo ità interpretatus est.]

Perlecta deindè Leonis bractearia illa ad Flauianum epistola, Episcopi clamauerunt: [Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ità credimus. Petrus per Leonem ità locutus est. Apostoli ità docuerunt, &c. Catholici ità sapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occultauit.]

Et hæc quidem ante vllam disputationem, ante nonum Eutychianæ insaniæ examen, ante accumulatas antiquorum Patrum pro Catholico dogmate sententias.

Denique latrocinij Ephesini labes indè indicatur profecta, quòd artibus Dioscori euictum sit, ne Leonis epist. legeretur.

Sed nihil in hanc rem vehementiùs epistola Synodi ipsius Chalced. ad Marcianum Imper. sub calcem act.3. [Nos igitur considerantes, & vniuerso Orbi factæ tempestatis causam inquirentes, huius rei auctorem comperimus Dioscorum quondam Alexandr. Episcopum. Primùm quidem quia

quia epistolam à sanctissimo Archiepiscopo senioris Romæ Leone directam ad Flauianum, recitari prohibuic Reuerendissimis Episcopis Ephesi congregatis, & hoc post promissiones suas, & iuramenta plurima, &c. Secundò, quia Eutychi ægrotanti impietate Manichæi, & legitimè abdicato tam Sacerdotium, quàm Monachorum Principatum ante decretum Synodale irregulariter reddidit: & hæc cùm sanctissimus, & beatissimus magnæ Romæ Archiepiscopus Leo per easdem literas conuenientia decreuisset, & scelestam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam.]

Et mox rursùs in epist. ad Pulcheriam August. [Qui dispergebat, extinctus est. Sopitus est persecutor. Princeps tempestatis Dioscorus explosus est. Ipsique naues suas in cursu repetiere Rectores, Christo ad intelligentiam prosperè dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia sicut sapiente Petro, ità & isto vtitur assertore. &c. Dioscorum Sacerdotij dignitate definiuimus alienum. Fratribus enim scandala ponebat, vt nequam, & in ore suo abundauit nequitia, fallacia sua literarum Romani Pontificis abnuens lectionem.

Act. autem 4. è vestigio Legati Leonis pronunciant, amplectendam omnibus fidem esse Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ Synodorum, & epistolæ Leonis aduersùs Nestorium, & Eutychetem.

Tum illicò exclamant Episcopi: [Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus.]

Tum sigillatim omnes huic Leonis epistolæ subscribunt, vt consentaneæ anterioribus Synodis Oecumenicis.

Tum excandescit Synodus aduersùs Ægyptios, cunctantes, & comperendinantes, etsi non respuentes omninò subscribere epistolæ Leonis: passimque inclamatur: [Qui non subscribit epistolæ, cui omnis sancta Synodus consensit, hæreticus est.]

Actione 5. [Iudices dixerunt: Dioscorus dicebat: Ex duabus naturis suscipio: duas non suscipio. Sanctissimus autem Archiepiscopus Leo duas naturas esse dicit in Christo, &c. Quem igitur sequimini sanctissimum Leonem, an Dioscorum? Reuerendissimi clamauerunt: Vt Leo, sic & credimus. Qui contradicunt, Eutychianistæ sunt, Leo rectè exposuit.]

Denique eadem sacra Synodus in prosphonetico ad Marcianum ità de Leonis epist. [Vndè nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & ad victoriam præparauit Romanæ Ecclesiæ Papam, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, vt quemadmodum feruens affectu Petrus, omnem ad Deum sensum, intelligentiamque perducat.]

Tum prolixè tuetur epistolam hanc Leonis à circumlatrantibus hæreticis: & in relatione demùm ad Leonem Papam, ità habet: [Tu vocis beati Petri omnibus constitutus interpres. Vndè, & nos tamquam tanti boni duce, & auctore ad communem vtilitatem vtentes, Ecclesiæ filijs hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus, &c. Et eramus in communi chorea gaudij, quasi in imperialibus cœnis, delicijs spiritualibus epulantes, quas per tuas literas Christus præparauerat inuitatis, & super cœlestem Sponsum inter nos conuersantem cernere putabamus.]

Toto denique Synodi huius tractatu exploratissimum fit, non veluti lubrica in quæstione aliqua, disputandi, altercandique licentiam se effudisse: sed velut in re præiudicata, Leonis epistolæ subscribere compulsos omnes, vel diris Ecclesiasticis, qui obluctati sint, implicatos.

6 Pergo ad quintam Synodum, illud vnum proloquutus, cùm antè aliquandiù de trium capitulorum damnatione controuerteretur, in eam consensisse Menam Constantinopolitanum Episcopum, sed ità demùm, si Romanus Antistes consentiret.

Facundus lib. 4. cap. 4. [Conuentus Menas cur priori sententię suæ contrarius, acquieuisset his, quæ antè culpauerat, & de quibus se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat; sub ea se conditione cessisse, & iuratum sibi fuisse respondit, quòd chirographum suum reciperet, si hęc Romanus Episcopus non probaret.]

In vestibulo autem Synodi ipso, act. 1. Iustinianus in epistola ad Synodum, exemplum Vigilij Papæ, ceu facem splendidissimam omnibus præfert: [Ipse Vigilius non semel, nec bis, sed etiam sæpiùs in scriptis, & sine scriptis, anathematizauit impia tria capitula. Quod verò eiusdem voluntatis semper fuit, de condemnatione trium capitulorum, & per plurima alia demonstrauit, & per condemnationem Rustici, & Sebastiani, &c.]

Et rursùs Collat. 7. [Sæpiùs in scriptis Vigilius suam manifestauit voluntatem condemnans tria capitula, &c. Vt igitur etiam ea, quæ sæpiùs ab ipso facta sunt ad condemnationem trium capitulorum vos audientes, alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, &c.]

Tum epistolæ Vigilij variæ subnectuntur, quibus tria inurit capitula. Idem inculcatur Collat. 8. & ità demùm anathematum iacula in tria illa capitula euibrantur. Occidentalis sanè Ecclesia in Synodum ipsam, & damnationem trium capitulorum non consensit, vt exploratum est, non duce, & auspice Pontifice Romano, seu Vigilio, seu Pelagio.

7 Iam verò in sexta Synodo meridianos etiam Solis radios vincit tanta rei euidentia.

Actione 4. legitur Agathonis Papæ ad Imperatores epistola: [Quæ regulariter à sanctis, atque Apostolicis prædecessoribus, & venerabilibus quinque Concilijs definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate à Patribus traditæ fidei conseruamus, vnum, ac præcipuum bonum habere semper orantes, atque studentes, vt nihil de ijs, quę regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem, & verbis, & sensibus illibata custodiantur.

Tum Legatos à se ad Synodum mitti ait, quibus [Licentiam, siue auctorita-

tem

tem dedimus apud tranquillissimum eius imperium, dum iusserit eius clementia, similiter satisfaciendi, inquantum dumtaxat eis iniunctum est, vt nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius Apostolicæ Sedis, vt à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, simpliciter enarrare.

Et infrà: ne inusitatum quid arrogare sibi videatur, qui fidem Synodo dictet: [Petrus spiritales oues Ecclesiæ ab ipso redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit. Cuius adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia, numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cuius auctoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt.]

Vetat ergo rem disputationum lubrico committi, anitam Apostolicæ Sedis traditionem, & fidem Synodo iudicit, illam Synodos vniuersales amplexas semper esse contextatur. Singulæ enim Ecclesiæ Catholicæ particulares traditam ab Apostolis fidem illibatam per seculorum lapsus custodiunt, hanc Ecclesiarum Præsules Synodis inferunt; sed ante omnes minores Ecclesias, & Præsules, Sedes Apostolica, vt earum matrix, & origo, vt principalitatem nacta, & arcem fidei tenens, traditionis Apostolicæ facem multò splendidiorem, & inextinctam præfert.

Eiusdem sunt saliuæ Agathonis, & Occidentalis Synodi aliæ literæ ad Synodum sextam: [Lumen Apostolicæ fidei splendidissimum, quod ex veri luminis fonte, tamquam de radio viuifici fulgoris, per ministros beatum Petrum, & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione seruatum est, nulla hæretici erroris terra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confœdatum.]

Tùm negant eloquentiæ, & dialecticæ copiam sibi vllam suppetere: [Sola nostra substantia fides nostra: cum qua nobis viuere, summa est gloria: pro qua mori, lucrum æternum est. Hæc est perfecta nostra scientia, vt terminos Catholicæ, atque Apostolicæ fidei, quos vsque adhùc Apostolica Sedes nobiscum & tenet, & tradit, tota mentis custodia conseruemus.]

Tùm aiunt Legatos à se ad Synodum missos, qui ei offerant Apostolicæ fidei suæ confessionem, (non tamen tamquam de incertis contendere, sed vt certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre.]

Et ad calcem epistolæ abruptè ità edicunt: [Quicumque proindè Sacerdotum hæc, quæ in hac nostræ humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter prædicare desiderant, vt nostræ Apostolicæ fidei concordes, vt consacerdotes, & comministros eiusdem fidei, vt spiritales fratres, & Coepiscopos nostros suscipimus. Qui verò hæc confiteri noluerint, vt infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus. Nec aliquando tales in nostræ humilitatis collegio, nisi correctos suscipere patimur.]

Non incerto disceptationum se, vel Ecclesiam credunt, sed præfinitam fidei formulam Synodo Oecumenicæ offerunt indeclinabiter subscribendam ab omnibus, nisi si qui malint à Sacerdotali collegio resecari.

Et Synodus ipsa Oecumenica in prosphon. ad Imper. act.18. [Proindè inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patriarchæ, & Summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis consentientes, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est, Synodi centum viginti quinque Patrum concordantes, vnum de sancta Trinitate Dominum nostrum Iesum Christum etiam Incarnatum prædicamus in duabus perfectis naturis, indiuisè, inconfusè laudandum.]

8 Sed in eodem prosphonetico ad Imperatorem sermone, Synodorum vniuersalium omnium summa auctoritas vni ferè Pontifici Romano, & Imperatori vendicatur; quòd hic velut externus, ille interior: alter executioni, alter definitioni præsit, vniuersalis vterque Episcopus. Itaque [Arius insurgebat, &c. Constantinus, & Siluester in Nicæa congregabant Synodum, per quam, &c. Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, &c. Theodosius, & Damasus fidei adamas protinùs obstiterunt, &c. Iterum Nestorius, & iterum Cœlestinus, & Cyrillus, &c. Deindè Eutychetis insania, &c. Leonis igitur tabula, tamquam Leonis rugitus viriliter vociferaus ex Roma, interim Archimandritam bestiam perterruit, & à monachico grege proiecit; eiusque phantasiam reprobauit, & euanescere fecit. Hanc igitur diuinitùs scriptam tabulam Marcianus, & Anatholius cum omni Chalcedonensi Synodo amplexi sunt, atque manu, & lingua consentiebant, & pariter subscribebant, & per eam, consonam Eutychetis, & Dioscori intelligentiam euacuarunt. Sicut, & Vigilius post hæc Iustiniano pijssimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est.]

His exemplis maiorum, & documentis adprimè obsecuta sexta hæc Synodus, hæc paulò post de seipsa confitetur: [Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps. Illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti mysterium illustrantem per illustrantem per literas. Confessionem tibi à Deo scriptam, illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem ex vespertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.]

Et infrà eadem Synodus ad Agathonem scribens: [Literas à vestra beatitudine ad pijssimum Imperatorem missas, vt à Summo Apostolorum verticè diuinè perscriptas agnoscimus, per quas exortam nu-

per multiplicis erroris hereticam sectam depulimus.]

Et in epistola ad Leonem Agathonis successorem ab Imperatore scripta: [Velut ipsum Principem Apostolici chori, primęque Cathedræ Antistitem Petrum contuiti sumus, mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium Diuinitùs eloquentem, &c. Nam ipsum totum Christum nobis sacræ eius literæ differendo exprimebant, quas omnes libentibus animis, sincerèque accepimus, velut ipsum Petrum vlnis animi suscepimus.]

Subditque mox: [Solus Macarius à Sacerdotali conuentu exilijt, renuit enim omninò sacratissimis Agathonis literis assentiri, velut in ipsum coryphæum Petrum insaniens.]

9 In septima Synodo nihilo obscuriora edidit Pontifex Romanus sui in doctrina fidei Principatus documenta. Sed prolixiùs id infrà demonstrabitur dissertatione 21. Quoniam autem semel, iterumque iam innuimus, vno Pontif. Romani nutu Occidentales omnes Ecclesias circumagi solitas fuisse, eoque Orientalibus quantiscumque Synodis particularem tantùm, non Oecumenicam affuisse auctoritatem, donec istam Romana Sedes impartiretur assensu, quo Occidentalium quoque omnium consensio inclinabatur. Ne hinc tricandi ansam arripiat quis, quasi in Occidentalium conspiratione illa moles auctoritatis, non in primæ Sedis principatu fuerit: paucis necessum est exemplis demonstrari, quàm securæ, & salebrosiorum controuersiarum penè incuriosæ in vnius Petri Sedis auctoritate, & fide acquieuerint omnes Ecclesiæ Occidentis. Et de Paschæ die quidem, ac baptismo hæreticorum, exploratū est, quàm Romanæ consuetudini incontanter adhæserint, eique ipsi tandem cesserint Afri rebaptizatores, cùm vix satis Græca vlla Synodo ad id adductos euinci queat. Nicænæ Synodi acta numquam per Occidentem vulgata fuisse magis conijcitur, quàm perisse fraude Arianorum, qui hoc in Orbis tractu minùs grassati sunt. Nicænos Canones, nec Augustinus, dum Episcopus crearetur, nouerat. Constantinopolitanæ Synodi Canones repudiabat, teste Gregorio, Romana Ecclesia: decretum de fide confirmauit Damasus, vt Græcorum defectioni mederetur, non vt Occiduis consuleret, à Macedoniana lue protsùs intactis, illiusque Synodi promulgatione, vel nulla, vel obscurissima perfusis. Ephesinæ, & Chalcedonensis Synodi quàm tenuis Occidentales aura afflauerit, claret ex Aurel. Concil. 5. anno 549. can. 1. [Eutychetis, & Nestorij sectas, quas Sedes Apostolica sancta condemnat, similiter, & nos easdem cum suis auctoribus, & sectatoribus execrantes, &c.]

Et ex epist. Auiti Vienn. Episcop. ad Hormisdam Papam: [Eutychetis igitur, Nestorijque damnatio, quos iamdudùm per beatissimos prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcauit auctoritas, ad notitiam iam pridem nostram, Apostolicæ ad nos diligentiæ prouisione perlata est.]

Liquet & ex epistola Leonis 52. ad Episcopos Galliæ post Concilium Chalcedonense: [Optassemus fraternitatis vestræ literas eo tempore, quo promiseratis accipere; vt profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam Synodum vice nostra dereximus, etiam vestræ sententiæ professio iungeretur.]

Incumbebant, vt vides, omninò fidei, & sententiæ Romani Præsulis, nec de Orientalibus Synodis, nisi leuiter, & eius magisterio imbuebantur.

De Hispaniensibus Ecclesijs compertissimum idem est ex Idatij Episcopi Chronico: vbi ait, [Germani Presbyteri Arabicæ regionis ad Gallæciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, contracto Episcoporum Concilio sub præsentia Theodosij Augusti destructam Hebionitarum hæresim, quam Nestorius resuscitabat.]

Et infrà: [Vno, eodemque tempore Constantinopoli Nestorium Hebionæum, Cyrilli ad eū epistola, & hæresim destruentis, & regulam fidei exponentis ostendit. Hæc cum alijs habentur allata.]

Et infrà rursùs: [De Gallijs epistolæ deferuntur Flauiani Episcopi ad Leonem Episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli Episcopi Alexādrini ad Nestorium CP. de Eutychete Hebionita hæretico, & Leonis Episcopi ad eundem responsa. Quæ cum aliorum Episcoporum & gestis, & scriptis, per Ecclesias diriguntur.]

Quantam ista, oro, non Idatij, sed Hispanorum omnium ignorationem confitentur de tertiæ, quartæque Synodi gestis?

De Acaciani schismatis exitu vide suprà laudatam Auiti epistolam, & perspicies, quàm incerti, quàm suspensi, quàm super statu fidei omnes Galliæ Episcopi sententiam captarent Pontificis Romani.

Quintam Synodum à Chalcedonensis notitia aptam, pendulamque, cum Romana Sede Occidentales omnes, repudiauere primùm, vt Græcitatis ignari, post recepere. De ea Regino in chron. nihil aliud, quàm Mariam Deiparam assertam ait.

Sextam Synodum nescisse prorsùs Hispanos faciè conijcitur ex Leonis ad eos, & eorum ad ipsum vicissim Synodicis.

Galli autem iam Martini Papæ Concilio adhæserant: nec nisi vt ad rei iam definitæ promulgationē Occidentales omnes passi sunt sextam Synodum congregari. Monotheleticas autem calliditates, quàm fœliter Galli nostri nescirent, docet nos sanctus Audoenus in vita sancti Eligij lib. 1. cap. 33. non aliter eorum dogma describens, quàm quòd asserant [Christum minimè habere formam serui: & neque eum ex Maria veram assumpsisse carnem.]

Septimam Synodum, quam auersati fuerint diù longè plures Occidentis Episcopi, & soli se Apostolicæ Sedi deuouerit, prolixiùs infrà pandetur. Cùm ergo solius Romani Præsulis voto, nutuque actos, impulsosque fuisse diximus Occidentis Episcopos; cùm honor, & illius vnam semper indi-

indiuiduamque fuisse sententiam, fidem, communionem: cum hoc auctoritatis pondere, Oecumenicas in Oriente habitas Synodos necessariò ad fidem, disciplinamque condendam adductas fuisse: amplitudini primæ Sedis nihil detraximus ex Occidentalium consociatione, sed addidimus plurimum.

10 Suo hìc quasi loco, & iure collocanda Nicolai I. epistola 9. ad Michaelem Imp. ad hoc ipsum argumentum penè dedita opera connitens: [In Synodis prisco tempore collectis, Apostolicæ Sedis scripta, non sub occultationis medio tegebantur: sed vt omnibus, qui in domo Dei erant, lucerent, in propatulo ponebantur: & vt si qua turpitudo, vel macula in fidei pulcritudine à quolibet tentaretur induci, facilè pateceret, ac si specula in omnibus habebantur: & quasi quædam rectitudinis formula, quà imprimi cæteri possent, posita colebantur, &c. Sancta Synodus apud Ephesum congregata sanctæ memoriæ Cœlestini Papæ priùs epistolam legit, &c. vt ex eius potissimùm specialis iudicij tenore sit perfidus Nestorius expulsus, dum eadem Synodus in sententia contra eum prolata tali modo prosequitur: Necessariò coacti, tàm ex Canonibus, quàm ex epistola Cœlestini, &c. Epistola quoque sancti Leonis Papæ adeò apud omnes Orientales Episcopos extitit venerabilis, vt hanc columnam Orthodoxiæ vocarent, & omnes in ea Præsule Constantinopoleos Anatolio præcedente subscriberent: ità vt Chalcedonen. magna Synodus nil diffinisse, nil respuisse, nil suscepisse, nisi quod illa, vel vices Apostolicæ Sedis ibi seruantes diffinierunt, proiecerunt, vel admiserunt, agnoscatur.]

Tum ex eiusdem Synodi actis probat, Dioscori labem non alio ex capite manasse, quàm ex contemptu epistolæ Leonis, vt & nos suprà ostendimus, indè Pseudo-Synodi Ephesinæ perfidiam effluxisse.

Et epist. 10. rursùs idem: [Hæc sunt, quæ de his Sedes Apostolica statuit. Hæc sunt, quæ synodicè, regulariterque decreuit. Hæc sunt, quæ nos tantò studiosiùs oportet amplecti, tantò sollicitiùs obseruare, quantò certiùs nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc vniuersalem semper Ecclesiam tenuisse. Ità vt contra singulos errores in Ecclesia exortos, prior hæc secundùm primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit. Et ità demùm vniuersalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probauit, quandoque probauerit: & quæ illa refutauit, ipsa refutauerit.] Quibus nihil verius, nihil sapientius dici potuit.

Etenim Nicænæ Synodo in condemnationem Quartadecimanorum centum amplius annis præuit Ecclesia Romana.

Vniuersali quoque illi, de qua Augustinus, Synodo, quæ iterùm baptizati ab hæreticis semel tinctos vetuit, longo temporis interuallo Sedes Apostolica facem prætulit. Reluctati sunt aliquàm multi aliquamdiu, sed tandem capiti suo vniuersa acquieuit Ecclesia. Apollinarem certè Damasus, Macedonium ante secundam Oecumenicam Synodum, ità Romana Ecclesia, Occidensque prædamnauerat, vt nulla sibi opus Synodo duxerint, & Constantinopolitano Concilio præluxerint potiùs, quàm obsecuti sint.

Quod autem legitur apud Gelasium Cyz. lib. 2. cap. 11. Nicænos Patres [multo tempore permulta inter se fide communicasse, ratos nihil citò, aut temerè de re tanta statui debere, &c.] Caue, ne fidei dubios, vel ignaros pridem fuisse tantos Patres, & Confessores suspiceris, ante generalis Synodi constitutionē. Certius enim est, quod alij testantur, cùm primùm Arij fides cœpit legi, aures obturasse: auitæ scilicet fidei satis memores.

Vndè & Theodoretus lib. 1. cap. 7. de Eusebianis, [Fidei, inquit, formulam, quam composuerant, Concilio proposuerunt: quæ vt primùm perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam, & commentitiam esse vociferabantur, illicò discerpta est.]

Illa ergo disceptandi sedulitas, non velut incerti dogmatis ambiguum diluere, sed certissimæ fidei caliginem, & spinas detergere laborabat. Vide Athanas. orat. 1. contra Arianos.

11 Otiosum penè est Octauæ Synodi meminisse, tum quòd in ea conticuerint fidei disceptationes, tum quòd vel tyrunculis prima historiæ limina saltem ingressis, compertum sit, omnia ibi nutu, & imperio Romanæ Sedis actitata fuisse.

Actione 2. recitatur epistola Basilij Imperatoris ad Nicolaum Papam, vbi omnia in Synodo pertractanda, ab eo antè definiri postulat, dè medicina Ecclesiæ Constantinopolitanæ, diutina iam morbi tempestate iactatæ.

Epistola item Ignatij Patriarchæ ad ad eundem, [Eorum vulnerum, atque liuorum, qui in membris hominis consistunt, multos medicos protulit ars. [Eorum verò, qui in membris sunt Christi, omnium nostrorum capitis, & sponsæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ, vnum, & singularem præcellentem, atque catholicissimum medicum, ipse princeps summus, & fortissimus sermo, & ordinator, & creator, & solus ex toto magister, Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem, & paternam almitatem. Propter quę dixit Petro magno, & summo Apostolorum, Tu es Petrus, &c. Tales enim beatas voces, non secundùm quandam vtique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & definiuit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant summi Pastores, & diuinissimi, sacrique Pontifices senioris Romæ transmisit.]

Tum eius literis, iam Ecclesiæ suæ pacem, & sanitatem cœptam restitui gratulatur: [Sategisti, atque scripsisti, vtpotè Apostolicæ, & summæ potestatis susceptor, dignè, ac rationabiliter restituisti, & fluctū, qui hìc inerat, dissipasti: & tranquillitatem Ecclesijs contulisti.]

Tum varia denudat vti medico vulnera Ecclesiæ suæ adhùc incurata, [de huiusmodi

modi implaramus dari dispositionem.]

Subnectuntur literæ Hadriani, qui in defuncti Nicolai vicem adscitus in Apostolicum thronum fuerat, quibus legem, & & medicinam temperat multiplici morbo, in Synodo Oecumenica octaua exequendam.

Et Act. 4. cùm ageretur de Photianis Episcopis, in quos iam censura Nicolai Papæ sæuierat, contestantur Legati Apostolici: [Nobis non licet rescindere iudicium sanctorum Romanorum Pontificum. Hoc enim contrarium est canonicis institutis.]

Nec patiuntur Photianos ingredi, nisi vt qua damnati fuerant: [Beatissimi Papæ Nicolai epistolam audiant.]

Nec Photiani tunc Episcopi illi aliud contendebant, quàm se vt Sacerdotes Nicolao Papæ Romæ comministrasse; quod Legati vehementer infìciati sunt.

Act. 7. erumpit Ignatius in laudes Imperatoris, qui Ecclesiam Constantinopolitanam restaurauit, definitiones, & regulas sequens beatissimi Papæ Nicolai Senioris Romæ, quas ille synodicè promulgauit, & per proprias epistolas Constantinopolim destinauit. Tum exclamatur inter complura alia: [Nicolai Papæ Romani æterna memoria, &c. Hadriano multos annos. Interemptoris oui Simonis multos annos. Percutientis nonum mendacem Ananiam, multos annos.]

Postremò referam, vndè fortassis exordium fuerat, paucissima hæc ex epist. Hadriani ad Imp. quæ Act. 1. recitata est: [Intellexisti, quibus vulneribus sauciata, quæ apud vos est, manebat Ecclesia; & quòd hæc Sedes eiusmodi mederi posse vulneribus, magistris fidei nostræ scrutatis, liquidò didicisti. Atque ideò hæc curare cupiens, Apostolicæ Sedis decreti remedium sanissimè requisisti, &c. Porrò de Sacerdotibus, vel cæteris, qui contra pacem Ecclesiæ facientes, vnitatem eius scindere præsumpserunt; super quibus etiam decretum ab Apostolica Sede, clementia tua more priscorum Principum postulat; sciat dilectio tua, quia sicut diuerso modo deliquisse referuntur, ità diuersis eos definitionibus subiici non inconuenienter oportere perpendimus, &c. Insuper exhortamur, vt sententiarum capitula, quæ synodicè in Ecclesia Dei, vbi sanctum Corpus Apostolorum Principis Petri requiescit, communi sententia promulgauimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur, &c.]

Ex quibus promptum, exploratumque est, octauam hanc habitam Synodum Oecumenicam, non vt anceps aliquis, & implicatus, extricaretur nodus, sed vt regula disciplinæ ab Apostolica Petri Sede per ipsos Imperatorem Basilium, & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum flagitata, & per Legatos directa, in Synodo executioni mandaretur. idque Nicetas in vita Ignatij non obscurè tradit his verbis: [Non erat Ignatio auctoritas agendi, quæ vellet. Romanis enim pro Ecclesiastica antiqua consuetudine, iudicandi potestatem permittebat.]

12 Posteriores his Synodos vniuersales non abs re intactas prætereo, vt in quibus persuasissimum sit Romanæ Sedis Apostolicum apicem splendidiùs radiasse. Gradum facio ad posteriorem, & non minùs luculentam huius controuersiæ partem, priori specie tenùs infestam, reapse amicam, & coniunctissimam. Nimirùm etsi occupasset Apostolica Sedes definire, seu fidei decreta, seu capita disciplinæ, consentaneum tamen fuisse confluere Oecumenicas Synodos, ibique Christianæ Ecclesiæ vniuersitatem, capitis sui oraculo concinere.

Ità Cœlestinus Papa epist. 14. [Nulla suo vitio languenti medica arte defuimus. Scimus qualiter, & quoties hos Scriptura iubeat conueniri, &c. Frater fratrem admonuit. Dehinc pertinax vno, & altero; immò & multis testibus conuentus est, Consequenter ab vniuersali Ecclesia; nostro quoque sermone correptus. Nihil præcox cum eo, nihil in hoc egimus immaturum; quæ diuturnæ constitutionis seruatus ordo damnauit.] Sic ibi de damnato Nestorio.

Ità Philippus Apostolicæ Sedis Legatus in Ephesina prima Synodo, Act. 3. Petrum Caput, & Columnam fidei esse prælocutos, & successoribus suis viuere adhùc, & iudicium exercere: etsi iam in Nestorium sententiam tulisset Cœlestinus, se tamen ad hanc Synodum ab eodem missum testatur Legatum; & in ea canonicè citatum Nestorium, venire contempsisse, ideòque: [Firmum esse, quod in ipsum pronunciatum est, iuxtà omnium Ecclesiarum decretum; omnes namque Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ Sacerdotes, vel per se, vel certè per suos Legatos Sacerdotali huic consessui intersunt.]

Et paulò infrà Synodus ipsa in relat. ad Imp. de Romana aduersùs Nestorium Synodo, eiusque, & Cœlestini Legatis, prælocuta, addit: [Quia ergo viri isti, qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensumque de fide, & pietate nobis consonum declararunt; necessariò de consensu illorum nobiscum ad maiestatem vestram retulimus. Vt pietati vestræ constet, iudicium, quod paulò antè à nobis exijt, esse vnam communem totius Orbis terrarum sententiam.]

Et in relatione alia Kal. Iul. missa; [Synodus omnes totius Orbis Episcopos vnum, idemque sentientes habet. Nam & magnæ Romæ Episcopus Synodo simul interest, neque desunt Africani per Cyrillum repræsentati, &c.]

Et in relat. alia per Ioannem missa: [Synodus vniuersum Occidentem cum magna vestra Roma, & Apostolica Sede, coram item Africam, & totum Illyricum in consessu suo habet.]

Et in relat. alia per septem Episcopos missa: [Sancta, & Oecumenica Synodus, cuius consessui adest, & Cœlestinus, & vniuersa Occidentalis Synodus, totaque Africa, & Illyricum.]

Et Cyrillus in Apolog. ad Theodos. [Fidei

[Fidei meæ rectitudini testimonium perhibuit, & Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus ex vniuerso Orbe congregata .]

13 Obserua hic ergo, nequaquam prouocasse Nestorium à Papa ad Concilium, à Cælestino ad Oecumenicam Ephesi Synodum; sed causam eius à Cœlestino primùm cognitam, in Ephesina Synodo retractatam fuisse, citrà vllam appellationis, vel leuissimam suspiciunculam.

Secundò, aduersa hic esse omnia prouocationum iudicijs. Nàm Cælestinus, qui Romæ iàm iudicauerat, Ephesino quoque iudicio per Legatos interfuit, præfuitque, & ad eum Synodus Oecumenica totam iudicij auctoritatem refundit. Nihil alieniùs autem, vel intempestiuiùs foret, quàm Cœlestini in Synodo præsentiam, principalemque dominationem iactare passim, si ab eo prouocari ad Synodum, & lata ab eo sententia in Synodo examinari potuisset.

Tertiò, nec dissociatur in his, & huiusmodi alijs compluribus testimonijs Cœlestini, & Occidentalis cum eo Synodi auctoritas, atque sententia. Atqui ab Occidentalis Synodi decreto non poterat ad Ephesinam Synodum appellari. Nec enim Oecumenica fuerit Ephesina Synodus, si Occidentalem Synodum ab ea reuulseris, vt reuelli necessum est, si ab hac ad illam prouocari potuisse existimes. Particularis vtraque Synodus est, si seponatur vtraque; ideòque ab altera ad alteram, ceu Oecumenicam prouocari posse, nec inter somniandum imaginaberis: nisi si æquiùs ducas esse, prout est, ab Ephesina, & Orientali ad Occidentalem, vbi Capitis fidei, & verticis Apostolici præsens dominatur auctoritas, appellari, non vicissim.

Quartò, ergo vt vtraque Synodus vna est, sicut Ecclesia vna est, Occidentem, Orientemque, præterita, & futura secula inexplicabilibus Diuini Spiritus vinculis constringens: ità vna auctoritas, vna cognitio, vna sententia est, quam Caput præcinit, succinit corpus; quam in Occidente Caput ipsum pertonat, quam per Legatos suos in Orientali Synodo ingeminat, cui totum Ecclesiæ corpus in Oecumenica Synodo assonat. Ergo sicut ab vno, & eodem ad ipsummet, ità à capite ad corpus, ab Occidentali Synodo ad Oecumenicam prouocari non potest, nisi vt causa à summo iudiciorum Principe cum paucioribus Adsessoribus cognita, & definita, ab eodem rursùs in frequentiori iudicum Senatu cognoscatur, & terminetur. Quæ non prouocatio est, sed supplicatio; nec in rei potestate, sed in libertate summi Iudicis posita.

Quintò, ideò nulli suspicionum, aut inuidiæ stimuli, vel Cœlestinum, vel Synodum exagitabant. Neutri alterius detrimento auctoritatis plusculum existimabatur accumulandum. Quin ex aduerso per Vicarios suos regnabat, & radiabat in Synodo Cœlestinus; Cœlestini maiestate, & & iudicio antegresso gloriabatur, sesque aduersùs hostium latratus Synodus tuebatur.

14 Non ità Eutyches. A Flauiani enim sententia non supplicauit, sed prouocauit, vt alibi dictum. Cùmque Romæ Leo confirmasset sententiam Flauiani, & Eutychetis doctrinam proscripsisset: non excusauit tamen eamdem causam in Ephesina secunda Synodo, quam Imperatori conuocauerat, instaurari.

Etenim epistola 15. ad hanc ipsam Synodum scripta, in Eutychetis deliria detonat, cùm addit: [Verùm quia etiam talium non est negligenda curatio, & piè, ac religiosè Christianus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis possit error aboleri; fratres nostros Iulianum, &c. misi, qui vice mea sancto conuentui vestræ fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant.]

Minimè necessariam fuisse Synodum in re tam dilucida, idem alibi scribit. Sed confitetur hic tamen pleniore iudicio Ecclesiam rursùs vti posse: non quasi ancipitem consilij, & fidei incertam suæ, non quasi Flauiani, nedum Leonis sententiam fortassis recantatura sit; sed pleniore iudicum numero, & pompa maiore, eamdem suam fidem, sententiamque inuariabilem, & irretractabilem promulgatura.

15 At cùm fœdissima tempestate Dioscorus Synodum illam laniasset, dissipassetque, eius quidem nefaria decreta cassauit in Synodo Romana Leo Papa, sed Oecumenicam tamen ad hoc ipsum colligendam esse Synodum idem sensit, flagitauit, peruicit. Scripsit ergo ad Theodosium in hæc verba: [Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei, atque Patrum auctoritate dissentiunt, Concilium vniuersale intrà Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat: vt in vnum conuenientibus omnibus, his, qui aut ignorantia, aut timore prolapsi sunt, correctionis remedijs consulatur.] Concilio Chalcedonen. parte 1. cap. 32.

Non prouocat Leo, & Romana Synodus à Pseudo-synodo Ephesina ad aliā germanam, & liberam, & verè Oecumenicam Synodum; sed illam suo iure cassat, & euacuat. Nec rursùm à Synodi Romanæ, & Leonis sententia hac ad vniuersalem Synodum quisquam appellat; sed Leo ipsemet cum sua Synodo pleniorem, & Oecumenicam efflagitat Synodum, non quasi rem ambiguam aliquam, & vtrimque versatilem trutinari oporteat, sed vt Leo ipsissimus, & ipsissimi Romanæ illius Synodi Antistites cum numerosiore collegarum agmine pleniùs, & magnificentiùs rem eamdem conficiant. Nec dissimulat Leo cessuros fursan vniuersali Synodo, qui sibi, & Romanæ Synodo adhùc reluctantur; sed illos demùm, qui à puritate fidei, & Patrum auctoritate dissentiunt. Nec hinc seiungenda, sibique collidenda Leonis, & Synodi vniuersalis auctoritas. Nec enim insanientium palato seruiendum. Qui tamen ipsi nihilo magis vniuersali post Synodo, quàm priùs Leoni obaudiere. Nec vniuersalis fuerit Synodus, quæ à Leone, & Romano

mano

mano Concilio dissenserit. Denique non aliter aliqui Leoni immorigeri, Synodo Oecumenicæ obsequentur, si qui obsequantur; quàm quia illorum contumacem surditatem, quam peruadere non potuit solitaria Capitis vox, perrumpet ingeminata, & vehementior totius Corporis connitentis, non alia tamen, quàm Capitis vox.

Et præstantissimè rursùs idem Leo epistola 52. quid emolumenti ex Chalcedonensi Synodo accreuerit, post damnatas, & Constantinopoli, & Romæ, & vbique ferè terrarum per particularia Concilia, Eutychetis insanias, ità declarat: [Non enim vltrà iàm cuiquam excusationis refugium de ignorantia, & inscientia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur: cum hoc ipso sexcentorum ferè Fratrum, Coepiscoporumque nostrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium disserendi contra fundamentum fidei inspirare permiserit. Quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei Fratribus Vicarijs nostris, quorum plenissima extitit in omni actione deuotio, non solùm Sacerdotibus Christi, sed etiam Principibus, & potestatibus Christianis, cunctisque Clericis, plebibus, Ordinibus, plenè, atque euidenter apparuit hanc esse verè Apostolicam fidem, ex Diuinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram, & ab omni fœce totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, & vniuerso iàm Mundo consentiente defendimus.]

Non à sua ergo sententia prouocatum esse ait ad Synodum Chalcedonensem, aut vel vllam eius rei vmbram somniari posse: quin immò Eutychianos ne hiscere quidem, nedum disputare permissos in Synodo Chalcedonensi, sed adnitentibus Legatis Romanis dictata à Leone epistola, & fides vniuersæ Synodo, Principi, populoque adprobata protinùs est, & citra noui examinis recidiuas pugnas, ab omnibus subscripta. Ex quibus vanescunt appellationis ludibria, & iurgiorum inter Concilium, & Pontificem inaudita tunc somnia. Nec nulla intereà est Synodi Oecumenicæ gratia, & vtilitas. Nam fide per illam semel promulgata, non suppetit [vltra cuiquam excusationis refugium de ignorantia, & inscientia, & intelligentiæ difficultate.]

Non ergo omnibus in particulari Synodo, vel etiam ab Apostolica Sede damnatis, integrum rursùs est vniuersales Synodos postulare. Nam vt omnibus compertum, qui fastos Ecclesiæ, vel a limine salutarunt, longè plurimæ hæresum pestes sine vniuersalis Synodi strepitu compressæ sunt: paucæ sunt, quibus Synodus Oecumenica conficiendis affluxerit; hoc ipso æuo Pelagiani longè famosissimi, vt ex Augustino, & Prospero suprà docui, quasi non satis discusso negotio, audientiam postulantes, & Orientis, Occidentisque Synodum flagitantes, exhibilati sunt: Ephesinæ Synodo inseruere se quidem illi, sed inauditi, ex prioris damnationis præiudicio condemnati rursùs sunt. Quibusdam tamen opprimendis Ecclesia in Synodos Oecumenicas coaluit, non ipsorum hæreticorum arbitrio, sed suo: nec quia necesse erat, sed quia sibi expedire videbatur: nec iuris rigore constricta, sed dispensatione tunc vti volens; nec quasi in dubio doctrinæ anfractu alternatura, aut iteratæ dispensationis solus periclitatura; sed præiudicatam firmatura fidem, & eam totius corporis sui, & singulorum membrorum, quasi linguarum totidem vocibus personatura, vt iam longè inexcusabiliores sint, qui anteà miserabile quidem, sed qualecumque tamen sibi de ignorantia patrocinium accersebant. Post Ephesinum certè latrocinium, Oecumenica Synodus tempestiuior, & propè necessaria erat, ne illius Synodi larua aliquibus imponeret.

16 Sed aduertamus rursùs aures, animosque ad eumdem Leonem, qui epist. 63. & Sedis suæ, & Oecumenicæ Synodi maiestatem consocians, alteri ab altera præsidium, & gloriam conciliat. [Quæ nostro Dominus priùs ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodisse ostenderit, quod priùs à prima omnium Sede firmatum, totius Christiani Orbis iudicium recepisset; vt in hoc quoque capiti membra concordent. In quo ampliùs nobis accrescit gaudendi materia, dum & tantò magis se perculit inimicus, quantò contra Christi ministros sæuius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quàm cæteris omnium Dominus instituit præsidem, consensus assentatio videretur: aut ne alia quælibet subrepere posset aduersa suspicio: inuenti priùs sunt, qui de iudicijs nostris ambigerent. Et dum nonnulli ad dissensiones incitati ab auctore contradictionis, ad insana bella prosiliunt: ad maius bonum, malũ eius auctore totius bonitatis dispensante, peruentũ est. Dulciùs siquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minùs bonum videri solet pax continuata per otium, quàm reddita post laborem. Ipsa quoque veritas, & clariùs renitescit, & fortiùs retinetur: dum quæ fides priùs docuerit, hæc posteà examinatio confirmarit. Multum denique Sacerdotalis officij meritum splendescit, vbi sic Summorum seruatur auctoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exercendi fiducia, vt vincatur aduersitas; ne quod per se probatur reprobum, silentij præiudicio videatur oppressum.]

Quæ sunt oppidò, quàm pulcherrima, Adgaudet enim post promulgatam toto Orbe epistola sua fidei definitionem, nihilò seciùs collectam fuisse Synodum Oecumenicam; & hoc amplitudinis suæ non dispendium, sed augmentum interpretatur. Nec enim eò Synodus coijt, vt quasi ignara hactenùs, vel dubia rectæ fidei, Leonis ad Flauianum epistolam excuteret, & libratis vltrà, citràque rationum momentis, vel absolueret, vel damnaret.

Non id Leo, non id apex eius vllus

innuit,

innuit . sed ex aduerso indubitatissimum fidei decretum à se euulgatum, & à singulis sparsim orthodoxis antè Episcopis subscriptum fuisse, & eum posteà ab vniuersis coiectim in Synodo collaudatum.

Profuit ergo Synodus:

Primò, vt capiti membra concordarent, & succinerent: vtque fidei dogma, non à capite tantùm promulgatum, sed ab vniuerso Ecclesiæ corpore palàm approbatum aduersariorum ora prorsùs obturaret, impetus retunderet.

Secundò, vt ne assentationi magis, quàm veritatis conscientiæ adscriberetur illa consensio, qua singuli prìùs seorsim Episcopi epistolam Leonis amplexati erãt. Sparsos enim, & singulares incessere metus, aut adulatio vtcumque poterat, non in vnum, & tam numerosum agmen conglobatos.

Tertiò, vt non summorum tantùm auctoritati, sed & inferiorum libertati consultum sit. Romanus enim Pontifex controuersiarum fidei index, & arbiter est summus, non solus: & Catholici dogmatis magister primus, ideò, quia non vnicus. Doctorum doctor, magistrorum Magister est, & Parens. Nec Summus quippè ipse, nec Primus, nec Magister esset doctorum, & Parens, nisi & singuli Doctorum nomine, & munere clarerent Episcopi. Itàque postquàm fidei dogma debuccinauit Primus, & Summus Magister, id ad illius quoque gloriæ incrementum pertinet, vt idem ipsum in Synodo ab Episcopalis collegij vniuersitate promulgetur.

17 Cæterùm facessant hinc illæ contentionum næniæ, emineat, & antistet Capiti Corpus, an Caput Corpori? Eminet enim Caput cum Corpore, Corpus cum Capite indissociabiliter copulatum. Laudi sibi vertebat, & Synodus, quòd Leo fidem occupasset definire; & Leo quòd Synodus definitionem suam examinaret, & approbaret. Exulabant hinc, & indè, tunc indecoræ illæ de gloriæ principatu concertationes.

Vni certabatur charitati, claritatique Capitis, & Corporis indiuiduæ. Examen autem illud, quo, & Cyrilli in Ephesina prima, & Leonis literæ in Chalcedonensi Synodo discussæ sunt: ne tibi fingas inusitatum quid, & alienum à moribus Ecclesiæ: non aliud fuit, quàm quòd, ijs perlectis, omnes professi sunt, eam fidem se, & dum tingerentur, imbibisse; & dum tingerẽt, infudisse. Consule sis acta ipsa. Nec sanè poterant Episcopi, qui ante Synodum applauserant epistolæ, illam in Synodo explodere, vel in dubium saltem vocare. Vide apud Leonem ipsum insertas Galliæ, itemque Mediolanensis prouinciç Episcoporum geminas literas, quibus epistolæ eius ad Flauianum subscipsisse se testantur, [quia omnia maiorum fidei nobis antiquitus traditæ, tota puritate conueniunt, &c. Exultantes recognouerunt fidei suæ sensum, & ità se semper ex traditione paterna tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lætantur.] Nec tamen hæ particulares Synodi, vel Leone, vel Romana Synodo maiorem obtinere se gradum potestatis nugabantur.

Ità sextæ Synodi acta in Toletano Concilio probata sunt.

Ità alibi ex Chrisostomo auctoritatem Nicœnæ Synodo ipsi ex consensu totius orbis accessisse monebamus.

Ità ex Facundo, & Ephesiuæ, & omnibus Synodis pondus, & pretium amplificauit ipsa maximè antiquitas. Nec in in his vlli somniandi gradus amplioris auctoritatis. Sed vna occursare animo debet Ecclesia, quæ vnicam suam, & incorruptam fidem incorruptibiliter nunc solo capitis oraculo effatur, nunc toto corporis consensu, concentuque promulgat: nunc per dispersos suis in sedibus Episcopos, nunc per eosdem synodicè collectos, nunc per prçsentis, nunc per posteri æui homines eandem ingeminat. Vbique par fidei constantia, & incorruptibilitas, par, & vna Ecclesiæ maiestas: sed hominum imbecillitati seruiendum quandoque, qui antiquitati lubentiùs assurgunt, etsi veritas & maiestas fidei, Ecclesiæque, semper, cana sit; qui plùs mouentur Episcoporum aduoarorum agmine, quàm suis è sedibus consentientium pari concentu: qui deuique capitis effata, si accedat etiam corporis totius applausus, & eloquentia, pronioribus auribus, animisque bibunt, cùm non aliud corpus, quàm capiti succinere, caput corpori precinere possit.

18 Subdubitasse nonnullos tamen circà Leonis epistolam primò, nec nisi elucidatis ambiguis consensisse, docet nos apud ipsummet Leonem epistola Gallicanorum Præsulum. Multi in ea gaudentes pariter, & exultantes, recognouerunt fidei suç sensum, & ità se semper ex traditione paterna tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, quà liberè, & fiducialitèr, suffragante etiam Apostolicæ Sedis auctoritate, eloquantur, & asserat vnusquisque quod credit.]

Ità, & act. 4. Chalced. nonnulli Episcopi ingenuè fatentur se orthodoxum semper indubitatissimè habuisse Leonem, sed de eius epistola dubitasse, ne diuisionem quandam mỳsterio Christi inueheret: per vicarios eius Synodo præsidentes, ad expellendam omnem dubitationem paratissimos, sibi satisfactum esse, ideòque se subscripsisse.

Verùm hi de orthodoxa Pontificis fide, nec vel tantillum dubitant de intelligentia, & sensu eius epistola tantisper ambigunt, dum verborum vim minus assecuntur. Non efficitur hinc ergo fas esse, circa Pontificia decreta ambigere, nisi quia fas est, seu veniale potiùs homuncionibus est, verba, & sensa oraculi non statim capere.

Secundò. Et hi siuè in Oriente, siuè in Occidente fluctuantes circà Leonis epistolam, non ab alio, quàm ab ipso Leone, vel eius vicarijs instruuntur, admonentur, & ità acquiescunt. Non de eius inerrantia altercantur, non ab eo ad Synodum pre-

prouocant, non plùs Synodo quàm ipsi assensuros se iactitant, sed ab ipsissimo se instrui petunt, instructi subscribunt. Cæteri autem hæsitatores, quorum causationibus elidendis Synodus indicta est, à Leone suprà hoc elogio notabantur, vt inimici, ad dissentiones incitati ab auctore contradictionis, ad insana bella prosilientes: Et mali auctores, quod tamen Deus benè vertisset.

19 In Synodo rursùs quinta, Collat. 7. eminent eiusdem rei vestigia. Iussit enim Imperator conuenire Synodum [non tamquam ignorans in dogmatibus rectitudinem vestræ sanctitatis, & voluntatem, quam de his, quæ mouentur, habetis: sed vt etiam synodicè de his tribus capitulis definitio constituatur.]

Et elegantissimè Collat. 8. ità pronunciat Synodus. Vt definitio communiter ab omnibus præbeatur, fidei rectæ conueniens, pijssimus Imperator, secundùm quod inter nos placuit, tam ipsum Vigiliũ, quàm nos hortatus est communiter conuenire, eò quòd sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere.]

Quodque recusasse Vigilius Synodo interesse, sed suam priuatim sententiam mandare literis decreuisset, ait Synodus: [Pro his ad memoriam eius perduximus magna illa Apostolorum exempla, & Patrum traditiones. Licèt enim sancti Spiritus gratia, & circà singulos Apostolos abundaret, vt non indigeret alieno consilio circà ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod mouebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, diuinarum Scripturarum testimonijs vnusquisque dicta sua confirmauerunt. Vndè communiter de eo sententiam protulerunt, ad Gentes scribentes, Visum est Spiritui Sancto, & nobis, &c.

Inerrantiæ prærogatiuam apertè tribuunt Apostolis, [circà quos abundabat gratia Spiritus sancti: & qui alieno non indigebant consilio, circa ea, quæ agenda erant.] Et ipsos tamen iure conuolasse ad Synodum, vt communiter sententiam ferrent, nempè de communibus quæstionibus. Porrò neć Vigilius, nec Synodus mutuò sibi insidiabantur, vt primas auctoritatis inuaderent: nõ inerrantiam sibi seorsim tantùm rapiebant; non prouocationum iura increpabant hinc illinc, sed cœlestia fidei, & disciplinæ dogmata ille solitariè scribere, ista in communi conuentu tractare gestiebat. Nec Apostolis singulis omnes, vel omnibus vnus aliquis anteponitur, ita vt vnum quemlibet labi seorsim potuisse venditetur; sed simpliciter obtenditur, communes causas in communi tractandas. Quod verò subditur, [Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm vnusque proximi adiutorio indiget, &c.] Clementer interpretandum vtique est, ne, & superiori de Apostolis effato officiat, & Augustino, immò Ecclesiæ obsit, tam exitiales, & tam multiplices errorum infitiatores, citrà Synodorum generalium

congregationem, condemnanti frequentissimè.

20 Quoniam autem illud argumentum prælibatum hìc iam est, à Petro profectum, qui Apostolica Synodo nihil principatui suo decerpi sentiebat; audiendus in eandem rem Chrysostomus homil. 3. in act. Apost. [Surgens Petrus in medio discipulorum, &c. Quàm est feruidus? Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Quã in hoc choro Princeps est? & vbique primus omnium incipit loqui, &c. Iam, & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate sua, nihil cum imperio. *oyden authenticos, oyden archicos*. Cumque duo constituti essent. [Non ipse eos statuit, sed omnes. Cæterùm sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans suam non esse, sed è superius profectam iuxtà Prophetiam, &c. Meritò primus omnem auctoritatem vsurpat in negotio *protos toy pragmatos authentei*. Vt qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Christus, Et tu aliquando conuersùs; confirma fratres tuos.

Et hom 33. latè prosequitur Apostolicum de amoliendo à gentilibus legis onere Concilium: non quòd post Petri de admittendis in Ecclesiam gentibus visionem, & decretum hæsitarent Apostoli; non quòd singulis Apostolis ea esset Spiritus penuria, quæ non sufficeret istiusmodi ambagibus extricandis: non deniq; quòd à sentẽtia Apostoli cuiuspiã prouocari tunc posset ad Concilium: sed quòd cum hominum natura ità comparatum sit, vt causæ communes communibus suffragijs sine tergiuersatione transigende, & istiusmodi definitionibus inexcusabiliùs obsistatur.

Quibus adde hæc perpauca ex lib. 2. Etherij, & Beati adu. Elipan. [Vt fides firma daretur Ecclesijs, duodecim Apostoli sunt à Christo electi. Quorum Petrus cùm esset eorum primus, solus non est ausus componere Symbolum, sed duodenario numero Apostolorum cum magna est cautela collectum, & credentibus assignatum, &c. Qui cùm omnes, vnum essent, vnum etiam composuerunt communiter Symbolum.] Itaque quòd in commune consulere, & definire omnia Apostolos ipsos oportuerit, non indè, vel singulorum, vel Petri inopiam gratiæ, aut lucis penuriam, aut labendi periculum augurabantur antiqui Scriptores, aut ambitiosè quis eorum videretur esse maior, disceptabant, sed solam inde communionis necessitatem, & charitatis consibulationem philosophabãtur.

21 Ad eundem Elipandum Carolus Magnus scribit [ter, quaterque se misisse ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.]

Subdit se Britannos, quoque, Italos, & Galliæ, Aquitaniæ, Germaniæ Episcopos percontatum esse, eorum eliciusse definitionem, his suam se quoque suffragatio-

non em adiunxisse, [post hanc verò correptionem, siue admonitinnem Apostolicæ auctoritatis, & synodalis vnanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestrn, scitote omninò vos pro hæreticis haberi. Post Romanæ Sedis definitionem, recurritur adhuc ad aliorum Episcorum particularea Synndos, non prouocando, non barum suprà Pontificem eminere fastigium iactitando: quis enim ità desipiat? sed iurantibus, sententias sententijs accumulando, vtporè qui pondere iudicium non patiuntur suam pertinaciam frangi, numero obruantur.

Hanc porrò particularium toto Christiano orbe Synodorum conspirationem quis non videat Oecumenicę Synodo ęquiparari? Nec sanè vlla generali Synodo Elipandus obrutus est. Ergn hic sententia Romanæ Sedis non prnuocando, non in integrum restituendo in alijs ventilatur rursùs Synodis, sed aliarum quoque Synodorum consensione corroboratur.

Eòdem collimat, quod contra eumdem scribens Paulinus Aquilei. lib 7. nihil admodùm laborat Romanam, & vniuersalem Ecclesiam discriminare: cùm nusquam tunc vniuersalis Ecclesia in Oecumenicam Synodum affluxisset. [Nos Romana plus auctoritate, quàm Hispana veritate assertionis, & fidei nostræ fulciri desideramus. Licèt nec illa reprobemus, in his tamen, quæ catholicè dicuntur. Vnusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab vniuersali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ à Catholicis, & rectè credentibus sequenda esse probatur, &c.

Ità & Albinus Flaccus aduersùs Felicem Vrgel. disputans l. 1. Ecclesiæ Romanæ, & vniuersalis vnam, indiscretamqne anctoritatem citrà Oecumenicę Synndi conuocationem, demonstrat: [Elegantissimè Felix præcipuam sanctæ Dei Ecclesiæ vnitatem toto orbe diffusam asserit, sed minùs seipsum, suosque sequaces considerat, qui in vno terrarnm angulo, &c. Porrò nns intrà terminos Apostolicę doctrinæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus; illorum probatissimam sequentes auctoritatem, &c.] Cuiusmodi ariete Felicem subindè pulsat Albinus.

Quin, & apud eumdem Felix ipse aliquando resipiscens, tandem in Synndo coram Leone Papa confessionem edit rectæ fidei profiteturque se [auctoritate veritatis & totius Ecclesiæ vniuersalis consensu conuictum, ad vniuersalem Ecclesiam reuerti, &c. Se cum vniuersali Ecclesia, quæ toto mundo dilatata noscitur, similiter sentire &c.] Nec suam Leo Romanus Pontifex iniuriam interpretabatur, quòd non Romanæ, sed vniuersali Felix subscriberet Ecclesiæ, gnarus capitis, & corporis, Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ fidem, maiestatemque vnam, & indiuiduam esse.

22 Sextam, & septimam Synodum consultò prætermisi, vt in quibus nemini non exploratissimum est, anteriora Romanæ Sedis iudicia, & de fidei quæstionibus decreta rettactari hand sanè, quasi re integra, potuisse, Venio ad Octauam, vbi iudicium Nicolai Papæ I. contra Photium, & eius asseclas instaurari pertinaciter flagitauere Proceres à Basilio delegati, alioqui subscribere se, vt moris erat, non posse interminantes. Quns suffragio etiam suo iuuit Metrophanes Smyrnæ metropolita, aiens: [Diuinus Apostolus ita inquit, Prophetias nolite spernere, omnia autem probantes, quod bonum est, retinete. Sanctissimos itaque vicarios senioris Romæ, tamquam Prophetas nequaquam spernimus. Probantes autem verba magnificentissimorum Principum, inuenimus ea iusta, & congruentia: & propterea etiam Episcopi omnes, & sancta hęc Synndus fauemus postulationi magnificnrum Principum, &c.] Et nequicquam obluctantibus legatis, renouata in Photium, eiusque gregales damnationis, & anathematis sententia. Verùm multa hìc pensiculanda se offerunt. Nam 1., iudices ipsi dispensationi magis, quàm iuri largiendam esse hanc Apostolici iudicij innuationem contestantur, [vt in cnnspectu nostro obstruantur ora ipsorum, ex canonicis, & Synodicis pręceptionibus, &c. Rngamus, vt hi, qui languent, sanentur; & corrigamus, qui non habent certitudinem veritatis: vt erigamus, qui deorsùm iacent.] Se enim sententiæ Romanorum Pontificum prorsùs acquieuisse, sed eorum, qui se inauditns damnari, vel indemnatos eiici quiritabantur, langunri, & ruinæ medendum esse.

23 Et infrà iidem Iudices: [Duodecim discipulos habuit Dnminus nnster Iesus Christus. Thomas verò, qui dubitauit, & incredulus, & infidelis, damnatur? Non. Ad multorum enim certitudinem facta est incredulitas eius. Veniant, & isti, si fortè magis per infidelitatem impinrum, & verorum impugnationem, lucrum multum per duos multis efficiatur.] Perspicuè remittendam iuris asperitatem, & ex indulgentia rursùm audiendos postulant, quos incredulos, infideles, languentes, iacentes, impios, veri impugnatores confitentur. 2. A iudicio Nicolai, nec prnuocauerant, nec supplicauerant Photiani isti, nec quomndocumque causam suam restitui in hac Synodo expetierant. Id ipsi hìc clamant: [Nec volebamus huc venire, iussit Imperator, vt inueniremur in Palatio, & coram præsentia eius reperti sumus illic hnc modo. [Ergn ex iuris venia, non rei. sed proceres postulabant renonari iudicium. Nam & ex mera venia renouatum olim est petentibus Donatistis iudicium, seu post Romanam Synodum in Arelatensi, seu post Arelatense Concilium in consistorio Principis, vt alibi dictum. Sed si Donatistæ non cesserunt instaurato iudicio, quod flagitauerant: multò minùs acquieuere Photiani Synodo octauæ, à qua perindè, vt à Nicolai sententia abhorruerant. 3. Fingebant illi, de quibus agitur, se ignorare Nicolai Papæ sententiam, nedum ab ea prouocabant, aut supplicabant. Id ergo proceres vnum orant, vt hęc eorum causatio elidatur. [Vicarij senioris Romæ dixerunt: Et quos dicitis introduci, ignorant, quid iudicauit sancta Romana Ecclesia?

Bahanes dixit: Ignorant. Cùm enim non essent ibidem, nec audissent opus vestrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex auditu vultis ad suam ipsorum condemnationem? Et Vicarij dixerunt: Excusationem quærunt. Totus mundus, Oriens, Occidens, & Constantinopolitana Ecclesia nouit: quia iudicium datum est aduersòs eos. Magn. & glor. Principes dixerunt: Quod per multum temporis per voces, & sermones absolutos creaturã omnis audiuit, volunt per opus, & ipsa gesta certificari.] Fingebant duo aliqui se Romæ comministrasse Papæ Nicolao, tantùm abest, vt censura eius vlla afflatos confiterentur se fuisse, vt ibidem habetur. 4. Assentiuntur Vicarij Apostolici, sed quid? id ipsi edicunt. [Ingrediantur, & stent illic deorsùm in vltimo loco, & audiant epistolam, quam misit ad Imperatorem Nicolaus Papa, &c.] Et rursum pauló post: [Ingrediantur, sed nos non propter contentionem aduocamus eos, sed vt tantùm B. Papæ Nicolai epistolam audiant. 5. Tota concertatio exardescit ibidẽ, Photius, & Photiani à Nicolao Papa admissi aliquando an essent? negantibus Vicariis, aientibus, & mentientibus Photianis. Tum Nicolai literæ leguntur, & ita profligata quæstio est, exclamantque Proceres ad Vicarios: [Ex his, quæ nunc audiuimus, satisfacti sumus, quia veritatem dixistis. Epistola enim repellit illos, & innotuit nobis, quia Photium, & manus impositionem eius sanctissimus Papa Nicolaus non recepit. 6. At act. 6. eiusdem Synodi, cauillantibus Photianis. Canones, & Nicolao, & Patriarchis omnibus superiores esse; multos à Romano Antistitẽ damnatos, alibi absolutos fuisse: excipit Basilius Imperator, neminem ab omnibus Patriarchis damnatum, restitui vnquam potuisse: Vicarii Romani abruptiùs respondant, damnati ab Antistite Romano, non pati se, vt vel cum Imperatore, vel secum amplius colloquantur: sed cùm illi repudient, quæ exposita sunt à sanctis Patriarchis: [Nos nihil aliud facimus, neque subuertimus, neque reiudicamus iudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, factum contrà Photium, & sequaces eius.] Et Metrophanes multò peritior, vt par erat, arcanorum Ecclesiasticæ disciplinæ, quàm Basilius Imperator, respondet: [Quod dixisti, multos Romanorum Ecclesia iustificante, damnatos arbitramur: & rursùs damnante, iustificatos habemus: falsum est, & procul à veritate.] Quod ibidẽ prolixè, & validè demonstrat, per singula excurrens argumenta, quibus innixi aduersarij ferociebant. Et concluditur illa tamdem Actio hac legatorum contestatione, damnatum cum suis Photium à Nicolao, & ab Adriano, ab isto se missos [ad manifestationem, & certitudinem veri, & iusti iudicij ipsorum, in conspectu iusti imperij vestri, & huius sanctæ, ac magnæ vniuersalis Synodi,ità vt non habeant vocem repedationis, vel appellationis: sed quemadmodum iam iudicati sunt, & deiecti, in æternum maneant. Et Ecclesiæ Orientalium gratia Dei nobiscum sentiunt, stabiliunt, damnant, &c. Ex quibus videtur constare nequaquam id sibi sumpsisse hanc Synodum, vt de iudicio Romanorum Pontificum iudicaret, quasi supplicatum fuisset, sin minùs appellatum ab ipsis, & res tota in integrum restituta esset. Sed vt dicitur infrà, act. 10. in epist. Synod. cùm damnatum Nicolai sententia Photium extrusisset Basilius, & Ignatium restituisset, vniuersalem tamen is ipse Synodum coegit, [ad manifestiorem veritatis satisfactionem, & certitudinem.] Nempè quia damnatos se Romæ Photiani quidam pernegabant. Quod ergo subditur; [cum multo scrutinio, & probatione, quæ acta sunt, examinantes; reperimus, &c.] ad illum sensum retorquendum est. Aut si quid aliud sapiat, eò quoque referendum est, quòd legati non subscripsere Synodo, nisi vsque ad voluntatem Romani Præsulis. Connixi erant enim ipsi summa semper ope, ne semel iudicata Romæ, rursùs hìc iudicarentur.

24 Sed illud præ cæteris ratum, fixumque esse cupimus, Romanæ Sedis Antistites sua de fide, vel de personis iudicia in Oecumenica Synodo retractari, examinataque iterum causa confirmari, non semper concessisse, non semper intercessissẽ: vbi intercesserunt, suo id iure fecisse, & nihilosequius semel ab ipsis damnatos, irretractabili infamiæ succubuisse: vbi concesserunt, sua sponte & quadam iuris venia facta indulgenter, concessissẽ, nec aliud vnquam, quàm confirmatas ipsorum sententias: nec ex Concilij Oecumenici auctoritate mitigatam, aut fractã fuisse perduellium contumaciam: quinĩ plerumque in abrupta desperationis præcipitatam. Ita Pelagianis, & Celestianis negata Oecumenica Synodus. Ita Acacianis, & Orientalibus restitui causã Acacij, & in Synodo generali retractari postulantibus, strenuè restitit Gelasius; & [non putantes iure damnatum, quòd non speciali Synodo videatur esse deiectus,] suggillauit. Nempè vt epist. 13. ait ipse: [Quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apostoli ius habet resoluendi, vtpotè quòd de omni Ecclesia ius habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat appellare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus. Et mox: Sed nec illud præterimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat; & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.] Itaque ille, & Chalcedonensi Synodo abundè damnatũ Acacium, vt Eutychianis adulantem, interpretabatur, & citra vllius Synodi, nempè generalis, operam, damnari posse quoslibet ab Apostolica Sede sperabat. Quod, & peruicit tamdem. Nam sola Romanæ Ecclesiæ, & Pontificiæ sententiæ auctoritate fractus Oriens, & Iustinus in primis Imperator, in gratiam rediit cum Roma-

na

na Ecclesia, expuncto sacris fastis Acacii nomine. Denique tot ferè huius rei sunt exempla, quot hæresum, quæ pleræque, teste Augustino, particularibus Synodis, & consensu vniuersalis Ecclesiæ, ad sui capitis vnitatem religatæ, & conspirantis, ita proscriptæ sunt, vt nulla, vel petentibus Oecumenica Synodus concessa sit. Annuere rursùs quandoque Romani Pontifices post primæ Sedis iudicia, Oecumenicas cogi Synodos, sed ex quadam veniæ redundantia. Ità Leo negabat Eutychetis errori sopiendo opus esse Synodo generali, quam Theodosius Ephesi conuocarat, & suos tamen eò legatos misit. Denique si non est necesse, ex indulgentia ergo condonatur, vt erroris sui tenaciores, per Oecumenicam Synodum omni excusationis patrocinio spolientur. Et quamquam videri posset inuitis id expugnatum fuisse Pontificibus, vt post ipsorum iudicia Synodi coalescerent; nequaquam tamen ita habet.

25 Nam etsi Synodum Oecumenicam aduersùs Eutychetem coire dehostaretur primùm Leo, assensus est tamen posteà. Priùs enim iuris rigorem, post indulgentiam sectabatur. Ita Cœlestinus intra decem dies Nestorium, aut receptui canere, aut extrudi sacerdotio sanxerat, nec de generali Synodo tunc, vel ipse, vel Cyrillus cogitabat: sed Imperatori tamen ità cupienti vterque assensus est. Ità Quintæ Synodo Romani Pontifices obluctati primò fuerant, post acquieuerunt. Non id ergo nouum, sed antiquissimis, & sanctissimis Pontificibus, tum Romanis, tum alijs Augustini sententiæ consentaneis solemne fuit, Oecumenicas Synodos deprecari, santa Ecclesiæ fatigatione, Episcoporum discursatione, Ecclesiarum spoliatione supersedendum clamitare; hæreticos, & in prouincia quemque sua, & Romæ semel damnatos, comprimendos, nec tumultuasionibus suis Orbem vniuersum miscere permittendos vociferari; & tamen vbi æqua dispensandi necessitas, vel vtilitas allucebat, acquiescere.

26 Vbi ergo posteris seculis, quod infrà monebimus, & fusiùs elucidabimus, à Pontifice prouocatum est ad Concilium: vel ludificatoriæ, & peruersæ illæ fuere prouocationes: vel certè ad morem supplicationum interpretandæ sunt, & vel sic tamen nouitatem quandam inuidiosissimam præseferebant. Nusquam enim olim prouocatum à Pontifice ad Concilium: nusquam ferè etiam supplicatum: nusquam inuito Pontifici id extortum. Sed cùm Concilium ratum illud sit tantummodò, quod à Pontifice colligatur, & cui ipse, vel per se, vel per Legatos præsit; ab ipso vtique ad ipsum prouocabatur, idest, ipsi supplicabatur. Et has ipsas prouocationes, vt melioribus Ecclesiæ seculis inauditas, vt ludificandis omnibus Ecclesiæ legibus, opportunissimas vetuere iure meritò Pontifices, non nescij præcessores suos inter aurea Ecclesiæ primordia, Synodis Oecumenicis abstinendum, quantum fieri potest, censuisse: sæpius efficacissimè obstitisse: vt fierent, nonnunquam, sed raro indulsisse.

27 Atque vt ex postremò hoc æuo nostro intelligas Ecclesiam à seipsa nil desciuisse, tametsi confragosæ illæ non ita pridem infremuerint, & adhuc inter scholarum pulpita crepitent concertationes, de Pontificis, vel Concilij prærogatiua, & principatu potestatis; obiter seferam, vt Pontifices, vt Ecclesia aduersùs nuperrimæ hæreseos contagia consuluerint. Lutherum enim ità Leonis X. censura prostrauit, vt Ecclesiæ vniuersalis auctoritas Pontificiæ indiuiduis nexibus copulata ostenderetur. Ait enim Leo, [Exurgat denique omnis cœtus sanctorum, ac reliqua vniuersalis Ecclesia, &c.] Ità ille cùm Petrum, & Paulum anteà compellasset. Laudat mox Coloniensem, & Louaniensem Vniuersitatem, quæ istiusmodi errores iam inurere præceperant. Nec omittam, quòd inter Lutheri deliramenta Pontificio hoc diplomate contrita, istud quoque legitur: [Si Papa cum magna parte Ecclesiæ, sic vel sic sentiret, nec etiam erraret: adhuc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire. Præsertim in re non necessaria ad salutem: donec fuerit per Concilium vniuersale, alterum reprobatum, alterum approbatum.] Quod delirium vides quantis hic argumentis exufflauerimus. Sed vt Pontifices, ità hæreticos præcessorum suorum fuisse imitatores, ex alia, quæ statim ibi subijcitur, & feritur, Lutheri vecordia patebit. [Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, siue probatum fuerit, siue reprobatum à quocumque Concilio.] Inolitum ergo hæreticis est, Concilij obtentu decreta Pontificia ludificare: & ipsa mox Concilia de ridiculo habere. Vsque adeò qui Pontificum anterioribus definitionibus illuserant, Concilia Oecumenica flocci fecere semper. Vt indè magis eluceat, non necesse fuisse plerumque coire Concilia; & vbi coaluere, indulgenter id datum, vt vel sic causationibus aduersariorum occurreretur. Ibidem Leo Lutherum dolet [in vocem temerariæ appellationis prorupisse ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pij II., ac Iulij II. prædecessorum nostrorum, qua cauetur, taliter appellantes, hæreticorum pœna plectendos. Frustrà etiam Concilij auctoritatem implorauit, qui illi se non credere professus.] Vides hinc, quàm iure merito appellationes istiusmodi prohibitæ sint, vt quæ patentissimam tergiuersationibus ianuam pandant, & plerumque ab ijs vsurpentur, qui tempus lucrari student, Concilio nihilo plùs, quàm Pontifici morem gesturi. Denique summam errorum Lutheri hanc esse Leo concludit, quòd indè sequeretur, [Ecclesiam, quæ Spiritu sancto regitur, errare, & semper errasse.] Ibid. pag. 176. Suam ergo, & Ecclesiæ auctoritatem indiuulsè cohærere sentit. Adrianus VI. similiter in Breui ad Fred. Sax. Ducem, obiurgat acerrimè plùs credentes vni homun-

ciu-

cioni, quàm [tot sanctissimis ab initio Patribus, tot vniuersalibus Concilijs, sanctæ denique Ecclesiæ Catholicæ, &c. quàm reliquo Orbi vniuerso, &c. Vnus apostata tibi potuit persuadere, fefellisse priores vniuersos, errare posteros, & in solum se, & quos decepit, perueniisse regnum Dei.] Vniuersalis, vt paret, Ecclesiæ inexpugnabilem auctoritatem vbique intentat Pontifex, vt cuius consensus vicem gerat Concilij generalis. Nec aliter Concilium Senonense an. 1528. cùm sola Pontificum diplomata hactenùs detonuissent, fidenter Ecclesiæ vniuersæ consensionem, vt veritatis facem inextinctam nouellis hæreticis obiectat. Nempè Pontificio decreto assentiente Ecclesia, stultum est prætereà Concilium generale expetere hæreticos, qui in Ecclesiæ vniuersalis consensu inesse Concilij vim perspicere debuerant. [Voluit Deus tantam esse Ecclesiæ suæ stabilitatem, & potestatem, vt per eam veluti per infallibilem quandam regulam, ad salutem mortales dirigerentur, &c. Nec gloriari possunt hæretici, quasi apud illos resideat Ecclesia Catholica. Nam cùm illa sit vniuersalis, omnesque fideles amplectatur, alioqui Catholica non esset, angulis, aut latibulis hæreticorum nequit circumscribi. Et infrà: Cùm sciant hæretici, sicut baculo canes, ita vniuersas suas hæreses Ecclesiæ repelli auctoritate.] Et inferiùs, vt non de fidei regulis confligatur, sed regulæ regulis, & iura iuribus accumulentur, & tantò certiùs conficiantur hæretici:] Quasi verò magis sit paucis, iisdemque temerariis errorum satoribus credendum, quàm omnibus doctoribus, sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, summis Pontificibus, generalibus Conciliis, quo stultius dici nil potest, aut furiosius.] Ità ibi in præfat. Et in generali decreto: [Ecclesia quippè vniuersa errare non potest, vtporè quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum.] Et infrà in decreto 1. [Vna igitur sancta, & infallibilis Ecclesia, quæ nec à charitate decidere potest, nec ab orthodoxa fide deuiare.] Quæ in eo Concilio sexcenties ingeminantur contra serpentem Lutheri perfidiam, cùm necdum de Concilio generali quidquam sonaret, cùm sola Pontificum decreta irradiassent orbi, & Christianæ Ecclesiæ silentio, velut indubitato assensu confirmata, vicem Concilii Oecumenici obtinerent in antecessum.

28 Sed audiendus ipse Paulus III. in Bulla indictionis Concilij Trident. [Animo repetentes maiores nostros sapientia admirabili, & sanctitate præditos, sæpè in summis Christianæ Reipub. periculis, remedium optimum, atque opportunissimum, œcumenica Concilia, & Episcoporum generales conuentus adhibuisse: ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adiecimus.] Vides quàm suæ non infestam Concilij potestatem ducat? At infrà, quo fine Concilium post diplomata primæ Sedis, habendum sit, ita declarat. [Cùm peteretur à nobis, vt ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quò ad per œcumenicum Concilium illi excuterentur, & decernerentur: idque nobis, vt concederemus, neque Christiana, & Catholica veritas, neque nostra, & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palàm potiùs Concilium, vt quamprimùm fieret, mandanimus.] Et ante Concilium ergo dissentiebant ab Ecclesia Nouatores, nec eorum toleranda videbantur placita, solo nimirùm Apostolicæ Sedis oraculo fulminata: nec ità in Concilio discuti, & decidi permissa sunt, quasi dubia antè, vel tolerabilia fuissent, sed vt pluribus fulminibus obruerentur. Ità sess. 14. Pius IV. ait: [Cùm intelligeremus ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consueuisset, œcumenici, generalisque Concilij, eius congregandi, & Deo iuuante, celebrandi consilium cæpimus.] Et tota illa tamen sessione claret, nouellos tunc Euangelij, & Ecclesiæ desertores, etiam ante Concilium albo hæreticorum adscriptos fuisse, & per saluos conductus scrupulosissimè trutinatos, tutum sibi ad Concilium iter munire quæsisse, & nec ea ratione plerosque ipsorum in tantum discrimen conijcere se voluisse; adeò suo ipsi iudicio implacatas cum Ecclesia simultates susceperant. Nec anteriori ergo Pontificum decreto, & auctoritati Apostolicæ Sedis derogat quidquam œcumenicum Concilium: nec superuacanea sunt Concilia, quibus confecta iam hæresum portenta pleniùs conficiuntur, & irreparabili strage conteruntur.

29 Ad id pertinet illud Arnulphi Sagiensis Archidiaconi, post Episcopi Lexouiensis, tractatus in Girardum Engolism. Episcop. cap. 2. [Ad hoc enim Concilia celebrari sanctorum Patrum sanxit auctoritas, vt indè virtutum doctrina, malorumque correctio prouenirét; & velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se pleniùs Ecclesia mater cognosceret; vt aduersùm vicia feueriùs insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentiùs auspicari.]

A quibus non abludunt verba Tertulliani l. de Ieiun. [Per Concilia, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum fide auspicante, congregari vndique ad Christum.] Apage ergo putidas illas, & inauditas beatioribus sæculis lites, à Christo ipso prædamnatas, [quis eorum videretur esse maior.] Ne digladiemur, maior Synodo Pontifex, vel Pontifice Synodus œcumenica sit. Sed agnoscamus succenturiatum Synodo Pontificem, seipso maiorem esse: truncatam Pontifice Synodum, seipsa esse minorem. Ità non exercitus maior est duce, sed succinctus exercitu suo dux, seipso maior est; diuulsus à duce exercitus, seipso minor, & nec exercitus est, sed palantium dissipatus grex, vel grassatorum cuneus. Ità Ecclesia velut castrorum acies ordinata in Synodo, [exercitus sui facultate conspecta, ipsam se pleniùs cognoscit,] quæ si se capiti suo ab-
scin-

scindat, & collidat, vtique minor, & capite minuta decrescet.

30 Nec obiter prætereundus est Cusanus lib. 2. de Concord. cap. 17. vbi sic habet. [In plenarijs Concilijs gesta, & iudicata per Romanos Pontifices, etiam synodicè inueniuntur repetita, & examinata, vt in Chalcedonensi Concilio iudicium Leonis contra Dioscorum. Et in sexta Synodo iudicium synodicum Martini Papæ contra Pyrrhum, & Sergium. Et in octaua vniuersali iudicium Nicolai, & Hadriani contra Photium.] Addit ex August. epist. 162. de iudicio Melchiadis aduersùs Donatistas, [Ecce, putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos iudices fuisse; restabat adhuc plenarium vniuersę Ecclesię Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.] De octaua Synodo copiosè suprà disseruimus. De Dioscoro infrà dicetur. De sexta Synodo alibi suo loco. Quod ad iudicium Melchiadis de Donatistis, indidem validissimum arcessitur præsidium nostræ sententiæ. Nam refricanda hic omninò sunt illa Augustini verba epist. 162. [Dedit Constantinus aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum. Non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omninò cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ iudicauerant, ipse iudicaret. Sed alios, vt dixi, dedit Episcopos, à quibus tamen illi ad ipsum rursùs Imperatorem prouocare maluerunt.]

Vides post Melchiadis iudicium, restaurari aliud in Synodo Arelatensi iudicium, non necesse iam fuisse, & ex venia, ac remissione iuris id factum. Vides id relaxatum fuisse, quia Donatistarum peruersitatibus cedebat Imperator, & omninò cupiebat tantam impudentiam cohibere. Vides quos Romani iudicij auctoritas non inflexit, nullius post Synodi pondere frangi potuisse. Ergo quod dixerat Augustinus, post Romani Pontificis iudicium superfuisse Concilium vniuersale, id veniæ temperamentum erat, non iuris præsidium. Adde quòd expressè mouet Augustinus in vniuersali Concilio interesse priores iudices debuisse. Ergo non appellationis, sed supplicationis via panditur ab Augustino, quę Principis maiestati nihil officit. Principi enim supplicatur, qui sua sponte abnuit, vel annuit, iudicium ipsemet suum in frequentiori Senatorum cœtu redintegrare.

31 Nec aliter Pontifex, quàm vt totius Ecclesiæ caput, mens, vox, eloquitur, vel à fidelibus auditur, siue in Concilio, siue extrà Concilium fundat oracula. Et Synodi ergo voces, ac definitiones Pontifex suas esse interpretatur: & Pontificis decreta Synodus ad se pertinere existimat. Luculentè prorsùs in Concil. Basil. responsione synodali de Romano Præsule: [Quidquid in sacris statuitur Concilijs, sua etiam auctoritate statuitur: quæ semper ibi refulget, vt prima, & præcipua omnibus, caput & directrix. Et cùm, aut personaliter, aut auctoritatiuè semper in Synodis vniuersalibus intersit, ipseque Ecclesiæ rector sit, & pastor, decreta Conciliorum, etiam sua, & Sedis Apostolicæ non immeritò dici possunt. Nos enim vnum Ecclesiæ corpus sumus, & ipse huius corporis caput, sub capite Christo. Quidquid igitur fit ab hoc corpore Ecclesiastico, etiamsi omnia membra in idem concurrant, sicut in corpore naturali accidit: magis tamen, ac præcipuè operatio quęuis capiti appropriatur, & ascribitur: ab ipsoque magis, quàm ab alio corporis membro procedere censetur, &c. Dum ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit, & sub nomine suo, ac persona eius decernuntur. Dum abest, sui præsidentes, qui vice eius funguntur, per sacrum Concilium deliberata concludunt.]

Ergo vt ibi efficitur, cum Conciliorum decretis morigeratur Pontifex, non maiori alicui potestati, sed sibi morem gerit. Ipsemet enim ea decreuit. Ità quæcumque, seu primò, seu iterum re in integrum restituta, à Concilio iudicantur, ipse iudicat, ipse in integrum restituit, ipse sua iudicia retractat. Sicut & de Conciliorum decretis cùm dispensat, de suis ipse dispensat, vt ibidem subijcitur: [Per Concilium statuta, in nullo derogant suæ potestati, quin pro tempore, loco, causisque, & personis, vtilitate, vel necessitate suadente, moderari, dispensareque possit, atque vti summi Principis *epieiceia*, quæ ab eo auferri nequit.] Auferri igitur non potest à Pontifice Summi Principis potestas dispensandi, iudicandi, extrà synodum, & in synodo. Quia quidquid à corpore, seu Concilio geritur, Capiti præcipuè adscribitur.

32 Non pigebit, & illud obiter hic aduertere, quod confitetur Petrus de Alliaco lib. de auctoritate Eccl. par. 3. cap. 2. [Quęrere an errores contra fidem debeant in Concilio per summum Pontificem damnari sub hac forma. Nos, hoc sacro approbante Concilio, damnamus, &c. aut damnari debeant sub ista forma, sacrosanctum Concilium damnat, &c. non est quæstio inutilis, quia vtraque forma in decretis generalium Conciliorum reperitur. Vtra tempestiuior sit, non litigo. Vtramque malim opportunissimam profiteri, si vtraque in Concilijs generalibus reperitur. Si instar enim habeant Euangeliorum Concilia: quid ibi minùs tempestiuum suspicabimur? Sed quia antiquiorum Conciliorum morem posteritas sui fastidiosa, antiquitatis miratrix magis suspicit, ad Chalcedonensem Synodum recurramus. Eam auctoritate Leonis, auctore Leone celebrandam semel, iterumque rescripsere Imperatores. Ei porrigitur act. 3. & recitatur libellus Theodori Alexandri Diaconi, inscriptus [sanctissimo, ac Dei aman. & vniuersali Archiepisc. & Patriarchæ magnę Romæ Leoni, & sanctæ vniuersali Chalcedonensi Synodo.] Alius item Ischyrionis Diaconi, item tertius Athanasij Presbyteri, quartus itidem Sophronij eadem inscriptione insignes. Actione 3. Iulianus Episcopus ità fatur:

Nunc

Nunc vestra sanctitas auctoritatem habet sanctissimi Archiepiscopi Leonis, & omnis sancta Synodus cognouit singula, &c. Petimus ergo sanctitatem vestram, qui habetis locum sanctissimi Papę Leonis, promulgate sententiam in Dioscorum, &c.]

Tunc Paschasinus, & cæteri Leonis Vicarij, sententiam proferunt depositionis in Dioscorum, qua tum flagitia eius varia pernumerant, tum denique ità concludunt: [Vnde sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam Synodum, vnà cum ter beatissimo Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Episcopatus dignitate, quàm, &c.] Vbique perspicis primas tenere Leonem ante Concilium, non quo illa iam tum animos incessisset altercatio, emineat Papa Concilio, an ex aduerso. Sed quòd vtriusque vna, & indiscreta maiestas esse intelligeretur, dependeretur autem capiti is honor à membris, qui in membra ipsa illicò redundaret. Nam & in relat. ad Leonem sacra Synodus ait, illum sibi vt caput membris præfuisse. Et ipsum enixè orant, vt concessam à se ampliationem honoris Episcopo Constantinopolitano confirmet, [lucente apud nos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanam Ecclesiam illum spargentes, &c.] Et infrà: [Rogamus, tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis impendimus consonantiam, sic & summitas tua filijs, quod decet, adimpleat.] Nulla recentissima Synodus pluribus, & illustrioribus documentis, suam in Apostolicum Pontificem venerationem insigniuit.

33 Atque, vt postremò hoc argumento rem conficiam, agnato materiæ, quam tractamus, Marciano succedens Leo Imperator, & quomodocumque mederi cupiens sauciatæ Eutychianorum furoribus Ecclesiæ, prout narrat Facundus lib. 12. cap. 3. [Per Metropolitanos Episcopos literas generales misit, consulens de Chalcedonensi Concilio, vt conuenientibus secum coepiscopis suis, & clericis sua responsione significarent, quid eis videretur. His acceptis ijdem Metropolitani cum suis collegis, sicut erant commoniti, de sua quisque prouincia responderunt, tam concordi, atque constanti sententia, quàm solet multos vnire spiritus veritatis. Nam licet è diuersis, longèque distantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium responsa diuersum, quibus decreuerunt irretractabiliter esse custodienda Chalcedonensis decreta Concilij.] Tum luculenta hæc præ cęteris eorum verba hæc ascribit: [Quoniam sicut Soli nihil minus est, ad demonstrandum, quia Sol est; sic & magna, sancta, & vniuersali Synodo Chalcedonensi minùs quidem bonorum nihil omninò est: neque additamento aliquo eget, neque detractione, à Spiritu sancto, velut diuino quodam Sole condita.]

Extraordinaria prorsùs hæc fuit examinatio Concilij Chalcedonensis, aut fidei potiùs ibi definitæ, sed necessitati tamen, vel vtilitati compensationis ex dispensatione donata; vt eorum calumniæ retunderentur, qui sola Imperatoris Marciani potestate, actam esse pręcipitem Episcoporum turbam in errorum deuia blatterabant. Vt nemo autem Metropolitanos istos, Synodosue Prouinciales, seu disiunctim, seu collectim, vniuersali Synodo maiores argutabitur, etsi per eas extraordinariè retractata sit, & confirmata Chalcedonensium decretorum ratio. Ità nec Pontificis dedecori vertet, aut maior illo Synodus efficietur, quòd eius iudicia in Synodo rursùs extraordinariè ad incudem reuocata sint. Vtrobique enim supersedetur protinùs illa futili vitilitigatione, quis eorum videretur esse maior, Vtrobique nemo alterius decremento sibi quid decrescere, imò vt in vnius compage corporis, alterius amplitudinem sibi accrescere nemo non retur. Vtrobique de humilitate magis, quàm de principatu certatur. Vtrobique extraordinarias inire vias, & inusitatas adhibere medicinas cogit mali vis, & dispensandi necessitas, & sui immemor Christi charitas. Vtrobique iura iuribus non colliduntur, sed accumulantur: auctoritas auctoritati non insidiatur, sed conspirat, Vtrumque demùm ideò rarum est, quia extraordinarium, quia sola vtilitatis compensatione præter commune ius dispensandum.

34 Si autem, vel ex Leone ipso oggeras, Pontificis decreta de fide irretractabilia tum demùm esse post Synodum: respondebo, nec inde quidquam, quod nobis officiat, exprimi. Nam post Pontificem, extraordinariè Synodus causam eamdem retractare potest. Post synodum, ne extraordinariè quidem. Quamquam, vt modò referebamus, Leo Imperator extraordinariam quoque post synodum effusiore quadam dispensandi licentia, aut potiùs charitate, cognitionem concesserit. Tametsi videri non iniuria possit, à Metropolitanis, quos Leo consuluit, non tam retractatam esse Chalcedonensem Synodum, quàm retractari non posse pronunciatum. Vnde Victor Tunon. in Chron. [Leo Aug. supplicationibus Aegyptiorum permotus, vt Synodus fieret, quæ de gestis Synodi Chalcedonensis iudicium ferret: ad cognoscendam singulorum fidem, Ecclesiarum Præsulibus vnicuique semotim scripsit: à singulis epistolas tamquam ex vna collatione consonas suscepit, id fieri nullatenùs posse: sed magis, ac magis in sua perpetuitate Synodi gesta Chalcedonensis manere.]

Porrò manifestissimè alibi commonstrauimus, nec synodi decreta irretractabilem vim assequi, nisi postquam ea Pontifex primæ Sedis approbauit, & quatenùs sui examinis trutina approbauit. Idque ex hoc ipso Chalcedonensi Concilio dilucidum est. Nam quæ de Anatolij Constantinopolitani Episcopi amplificanda dignitate decreta fuerant, ea Leo irrita decreuit, & tunc peruicit. Quæ item de tribus capitulis ibi obiter perstricta fuerant, ea Pelagius posteà, & quinta Synodus, vtpotè à Leone non confirmata, reuo-

cauit

cauit ad examen. Denique Ferrandus epistola ad Pelag. num. 6. & 7. retractari non posse depugnabat, quæ Leo Papa confirmasset. [Vbi maiores reperiri in Ecclesia iudices stante se habens in Legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum.] Et infrà: [Vniuersalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros tenent, &c. Quæ finiuntur iudicantibus Episcopis sanctis, & ad beati Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione, teneri non debent.] Ergo vt ex hoc nil decerpitur summæ Concilij potestati, ità nec Pontifici derogabitur quid, etsi eius iudicia, non prouocationis, sed reuisionis iudicio; non necessitate, sed ex venia; & ex ipsius Pontificis concessu, & cum ipso, ac sub ipso Pontifice, Synodus Oecumenica rursùm cognoscat.

35 Pauca iam, & quasi perfunctoriè de Dioscoro dicenda sunt, vtque fidem nostram liberemus. De eius ergo depositione, propter iurortam maximè ab eo excommunicationem in Leonem Pontificem, irà Synodus differit in relat. ad Leonem ipsum. Qui multa priùs pessimè operatus, priora sequentibus superauit. Tum depositos ab eo Flauianum, & Eusebium, restitutum Eutychetem commemorant. [Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, idest, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem: & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.] Non de iniusta, sed de qualicumque excommunicatione in primæ Sedis Antistitem lata conqueritur Synodus, nempè contra Apostolicam, & primam Sedem, contra eum, cui iure diuino vineæ totius, seu Ecclesiæ vniuersæ principatus competit, qui adeò pro capitis officio, membra totius corporis sui lacera sibi recolligere laborabat. Ideò hoc eius facinore cætera obrui, & oblitterari ait Synodus. Et in epist. ad Marcianum Imperatorem post act. 3. depositionis iaculo confixum testatur Dioscorum, quòd Leonis epistolam in Ephesina Synodo secunda legi vetuisset; quòd Eutychetem à Leone damnatum restituisset; tertiò denique, quoniam super alias suas nequitias, & aduersùs ipsam Sedem Apostolicam latrauit, & excommunicationis literas aduersùs sanctum, & beatum Papam Leonem facere conatus est. Et act. 3. in ipsa aduersùs Dioscorum sententia; [Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit, præsumpsit enim & excommunicationem dictare aduersùs sanctum, & beatum Archiepiscopum magnę Romæ Leonem.] Et ibidem ex libello Theodori Diaconi: [Excommunicationem faciens contra sanctum, & beatum Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum Leonem, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Aegypto exierunt sanctissimis Episcopis, plùs minùs numero decem: aliquoties comminans, aliquoties decipiens, &c.]

Anatolius denique ipsemet ibidem testis locupletissimus est, Act. 5. [Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni:] Et quia ter vocatus non accessit ad Synodum. Ergo hæc summa flagitij fuit, constitutum diuino iure caput Ecclesiæ impetere, & ideò Ecclesiam ipsam obtruncare voluisse. Nam si humano tantùm ex instituto dominatur cęteris Romanus Pontifex, eccur hęc Dioscori procaciras atrocior, & inexpiabilior iactatur, quàm Flauiani iniquissima depositio, & immanissima cędes? quàm Eutychetis restitutio, quàm Eutychianæ perfidiæ approbatio, quàm Synodi Ephesinæ grassatio, & tyrannis, quàm fidei Catholicæ, quantum in ipso fuit, constupratio? Ad hæc cùm Apostolicam Sedem, cùm vineæ Custodem à Christo institutum loquitur Synodus, diuini iuris primatum fauè astruit. Cùm toties Legati Romanæ Sedis, in ipsa etiam sententiæ synodicæ promulgatione, Petrum Petram, & Crepidinem Ecclesiæ, & rectæ fidei Fundamentum crepant; cùm relatio ipsa synodi ad Leonem, semel, iterùmque vt caput membris, ità Pontificem synodo præesse, & Leonem Petri interpretem fuisse: cum Apostolico eius radio cęteras illuminari Ecclesias vociferatur, apertissimè his omnibus diuina primatus Romani prædicatur institutio. Adde & illud ex epistola Valentiniani, & Placidiæ ad Theodosium, vt iuberet in partibus Italiæ celebrari synodum: [Beatissimus Romanæ Sedis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit.] Et ne secùs detorqueas hanc vocem antiquitatis, accipe paucula hæc ex epistola Gallæ Placidiæ ad eumdem: [Ad Concilium Apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claues dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinauit. Quando scilicet decet nos huic maximæ ciuitati, quæ maxima est omnium, in omnibus reuerentiam conseruare.] Non tacet Vrbis maiestatem, sed principatum sacerdotij à Petro repetit.

36 Porrò ex his constat hallucinatum vehementer Cusanum, qui Dioscori à Leone iam damnati iudicium in hac synodo innouatum fuisse existimabat. Nusquam enim, vel apex exiftit vllus, quo liqueat Leonem in Dioscorum censuræ mucronem strinxisse. Nec id siluisset Synodus, quæ priora de Anatolio, de Maximo, de Theodoreto iudicia Leonis tam reuerenter amplexata est. Cùm enim Anatolius Dioscori ante in Vrbe Regia Apocrisarius, eiusdem Episcopus ordinatus fuisset in Ephesina illa latrocinali Synodo: eiecto per summum nefas Flauiano: cùm Domno per eiusdem Pseudosynodi grassationes depulso, suffectus fuisset Maximus, & præter Canones ab Anatolio ordinatus: atq; ità vtriusque claudicaret ordinatio: vtramque tamen ratam habuit Synodus, Leonis senten-

ciam, & factam ab eo Canonum veniam amplexa, citrà noui examinis scrutinium. De Anatolio audi Leonem scribentem ad Marcianum, [Nos vestræ fidei, & interuentionis habeutes intuitum, cùm secundùm suæ consecrationis auctores, eius inicia tirubarent, benigniores citca ipsum, quàm iustiores esse voluimus: quo perturbariones omnes, quæ, operante diabolo, fuerant excitatæ, adhibitis remedijs leniremus.] Nec alia in Chalced. Synodo occurrit vsquam vitiosæ Anatolij ordinationis expiatio, aut venia. Id enim post Synodum Leo scribebat, addebatque: [Satis sit prædicto; quòd vestræ pietaris auxilio, & mei fauoris assensu, Episcoparum tantæ Vrbis obtinuit.] De Maximo autem, idem Leo in eadem ad Marcianum epistola, ità restatur, Anatolium obiurgare pergens: [Neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine vllo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit. Quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio retractare cessauimus.] Et disertissimè Synodi Chalced. act. 10. Legati Romanæ Sedis dicunt: [Si ergo & à beatissimo, & Apostolico Romanæ Vrbis Episcopo, omnia, quæ ibi, Ephesi, gesta sunt, vana sunt habita: claret, quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ Ciuitatis extrà hæc est, quem post hæc beatissimus Episcopus in propria communione suscepit.]

Quæ postrema verba, etsi desint in Græco textu nunc quidem, olim non defuisse liquet, tum ex fide vetustissimi interpretis, tum ex ipsa sententiæ consequentia, tum denique ex eo, quòd mox Anatolius succinit in eamdem sententiam, irrita esse prostibuli Ephesini decreta, [Nisi illud circa Maximum, &c. Quoniam sanctissimus Romanæ Vrbis Archiepiscopus Leo in communionem illum recipiens, præesse eum Antiochensium Ecclesiæ iudicauit: quam formam sequens, & ipse approbaui, & præsens omne sanctum Concilium.] Quibus, & reliqui Episcopi suffragati sunt. De Theodoreto denique apertè Iudices in act. 1. interloquuntur: [Ingrediatur, & reuerendissimus Theodoretus, vt sit particeps synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo.] Cùmque Aegyptiorum aduersùs Theodoretum, Orientalium Episcoporum pro Theodoreto pugnantium vociferatio ingens, & penè insana aliquandiù infremuisset, & hi illis Eutychianam, illi his Nestorianam perfidiam opprobrassent, Iudices de tumultuosis, & episcopali grauitati minimùm consentaneis acclamationibus conquesti, hanc pacis conciliatricem, & quasi mediam iniere viam, [Theodoretus reuerendissimus Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo inclytæ Vrbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est.] At act. tandem 8. vehementiùs Episcopi omnes incaluere, & expressere tandem à Theodoreto id vnum, vt apertè Nestorio diceret anathema. Quo perfecto Iudices dixere, [Omnis iam dubitatio de Theodoreto est soluta; quippè & Nestorium coram nobis anathematizauit, & à sanctiss. Leone susceptus est, & epistolæ sanctiss. Leonis subscripsit. Superest igitur, vt sententia proferatur à Reuerentia vestra, vt Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctus Leo Archiepiscopus iudicauit. Omnes reuerendissimi Episcopi clamauerunt, Theodoretus dignus est Sede. Ecclesiæ orthodoxum. Ecclesia Pastorem recipiat. Archiepiscopo Leoni multos annos. Cum Deo Leo iudicauit.] Vt in Anatolio, & Maximo, ità & in Theodoreto supersederi potuisset hac scrupulositate. Nec iniquum tamen fuit subdubitantibus de fide Theodoreti satisfieri. Porrò hoc vnum verbulum à Theodoreto expugnatum, seu anathema Nestorio dici, non eam ego, non cordatus quisquam sententiæ Leonis reuisionem, non totius causæ retractationem dixerimus, sed restitutionis à Leone decretæ executionem. Executores enim Episcopi non iniuria flagitant, vnica vocula eximi sibi scrupulum dubitationis, tumque Leonis sententiæ applaudunt.

37 Atque vt ad Dioscorum redeam, eadem fermè nobiscum Synodi verba, & argumenta inculcauit Nicolaus Papa Primus epist. 8. [Numquid ibi legitur inquisitionem fuisse factam, vtrùm iustè, an iniustè ipsam iam fatus Dioscorus excommunicationem dictasset? Non planè, sed absque omni controuersia hoc in eo vlti sunt, quia cùm esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere contumelijs: reste Anatolio, &c.] Et Hadrianus II. in epist. ad Ignatium, quæ habetur in act. 3. Synodi 8. illa Patrum Chalcedonensium verba perpendens, vbi aiunt Dioscorum, secundis excessibus priorem iniquitatem transcendisse, hæc addit: [Vnde nota, quòd Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patrauit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse refertur.] Et act. 7. legitur allocutio eiusdem Pontificis, & suggestio Synodi Romanæ ad eumdem in eamdem omninò sententiam: [Quarta magna, & vniuersalis Synodus adeò hanc temeritatem execrata est, vt Dioscorum Alexandrinum sine restitutione damnauerit. Præsumpserat enim, & ipse contra primæ Sedis priuilegium, contraque iam memoratam regulam agens, cùm esset posterior, se anteriori proferre.] Quibus permirum est obstrepere, & nebulas offundere ausos Nouatores, cùm in Ephesina prima Synodo iam supra aduerterimus suo loco, Ioannem Antiochenum à Cyrillo, & Synodo in crimen vocatum esse, quòd in maiorem Sedem, videlicet Alexandrinam, ferre sententiam ausus esset. Quod & Hadrianus, & Romana Synodus paulò ante citato loco aduerterunt: [Saltem Ioannem Antiochenum Episcopum in Ephesina Synodo recolere voluisset Photius, idcircò damnatum, quia Cyrillum anterioris, idest, Alexandrinæ Sedis Antistitem damnare non meruit, &c. Tertia generalis Synodus Antiochenum damnauit Ioannem, quoniam aduersùs potioris Sedis, idest, Ale-

xan-

xandrinæ Pontificem, prima Sede non consentiente, ausus est proferre sententiam.] Quod probant verbis ipsis Synodi ad Cælestinum scriptis, Quæ de Dioscoro disputata, & ipsa maximè de eo verba Anatolij relata superiùs, nequaquam pugnant Leontio, libro de Sect. act. 6. qui Hæsitantibus obijcientibus, [Si non propter fidem hæc Synodus Dioscorum depositum dixit, cur nos reijcit? sic enim credimus, vt ille credebat: respondet: Non propter fidem abdicatum esse Dioscorum, nec illam fuisse depositionis eius causam: quippè nec adijt propterea synodum,vt hoc nomine de ipso iudicaretur: sed quoniam reapse tertiò vocatus venire recusauit. Si tamen venisset, etiam propter fidem fuisset abdicatus.

38 Perpensis iam Pontificis, & Synodi Oecumenicæ iuribus, ad Imperatoriam etiam dignitatem proficisci, & eius prærogatiuas, si quæ ex hac Synodo radient, ponderare animus est, & res ipsa iubet. Vnum hoc interseram,quod ad Theodoretum magis pertinet, de quo non ità pridem verba fecimus. Nutasse.videlicet illum videri,non in fidei,sed in personæ, & facti controuersia, & tandem extricare se coactum ab illis tergiuersationum spiris. Abruptè enim Episcopi hoc vnum flagitabant, Modò anathematiza Nestorium. At ille diuerticula alia, aliaque subindè comminiscebatur, fideique orthodoxæ palàm confessionem edens, Nestorio anathema nominatim indicere, & absolutè fugitabat. Preces nempè se obtulisse Imperatori, & Vicarijs Romanæ Sedis libellos, &c. Se ab orthodoxis genitum, orthodoxè prædicasse, &c. Se neque de Episcopatu retinendo cogitare, &c. Se non posse aliud, quàm fidem suam profiteri, &c. Has cauillationes toties iteratas, toties Episcopi protelauere, & anathema Nestorio, Nestorianisque amantibus dici vrgentissimè præcepere. Acutiores etiam cauillos Theodoretus hos excogitauit, non solùm Nestorium, & Eutychem, sed & omnem hominem, qui rectè non sapit, auersor, & alienum existimo. Cùmque non acquiesceret Synodus, rursùm ille: [Veni satisfacere me esse orthodoxum, & quia Nestorium, & Eutychem, & omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios, anathematizo.] At Episcopi subodorati latitantia forsan fraudum semina, nec his contenti vrgebant præterea, dic apertè, anathema Nestorio, & his, qui cum eo sapiunt.

Cùmque ille renueret,nisi fidem priùs suam palàm edissereret; nempè vt coniectura est,ea spe fretus, quòd sanæ fidei confessione placaretur Synodus, nec vlterius quidquam expeteret: Episcopi clamauerunt, [Ille hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte.] Tunc demùm apertè Theodoretus dixit, anathema Nestorio. Quamuis subscripsisset epistolæ Leonis, quamuis orthodoxam de Deipara, & vna Christi persona fidem professus esset ante Theodoretus; hæreticus tamen à Synodo, & Nestorianus proclamabatur, nisi Nestorio nominatim anathema diceret. Ergo & suis de rebus facti, & personarum

definitionibus subscribere iubent Synodi, iubet Ecclesia, vbi adlubescit sibi.

Secundò: Et qui tergiuersatur, vrgetur: qui parere pernegat, quantumuis fidem Catholicam se sectari clamitet, hæreticus iudicatur, Synodoque expellitur. Nempè hæresim ipsam hac simulatione celari, & retineri interpretatur Ecclesia.

Tertiò: Nec pauci nunc Episcopi,aut Aegyptij solùm, sed omnes prorsùs Theodoreto hanc necessitatem imposuere, vniuersi inquam,post fidem suam subscriptione Leonis epistolæ,& damnationis Dioscori, approbatam.

Quartò:Theodoretum ante Leo Papa Ecclesiæ, & Sedi suæ restituerat, nec nominatim ob eo expresserat Nestorij damnationem, vt simile veri est. Nam si id ante ab eo impetrasset Leo, non tam instanter Synodus hoc iterùm flagitasset,non Theodoretus tam morosè renisus esset. Videlicet potuerat Leoni non obrepere ea suspicio. Poterat Leo simpliciùs fidei acquiescere confessioni,nec de personis negotium facessere. Poterat dispensatione hic quoque vti, quam plurimam, post Ephesinæ grassationis scandalum, à se adhibendam fuisse supra ipsemet testabatur.

Quintò: Etsi id à Theodoreto non extorserat Leo, extorquere potuerunt Episcopi. Et quamuis non imperasset Pontifex primæ Sedis, imperantibus alijs Pontificibus obtemperandum sanè fuit.

Sextò: Denique nec cuicumque, sed Episcopo impacta hæc necessitas est à Synodo.

39 Non dissimilem versutiam Anatolij videntur sibi aliqui olfecisse, cùm tam fidenter pronunciauit, non esse damnatum Dioscorum ob fidem, sed ob Apostolicæ Sedi irrogatam contumeliam. Patentissima enim erat Dioscori in Eutychianam hæresim ruina. Sed de Anatolio iudicium esto aliorum. Explicatior est Aegyptiorum Episcoporum morositas act. 4. Cùm enim clamassent, [Si quis præter ista sapit, Eutyches, siue alter aliquis, anathema sit. Nec sic quidem quieuit Synodus. Episcopi clamauerunt: Manifestè anathematizate dogma Eutychis.] Restitantibus adhuc Aegyptijs. Episcopi clamauerunt, qui non anathematizat Eutychem, hæreticus est. Tunc denique paruerunt Aegyptij, clamaueruntque, anathema Eutychi, & credentibus ei. Vide inferiùs in eadem sessione tergiuersationes Carosi Monachi: Eutycheti anathema dicere detrectabat, aut ità dicebat, [Si non credit Eutyches, sicut credit vniuersalis Ecclesia, anathema sit.

40 Ad regias nunc expendendas in rebus Ecclesiasticis vires, concretaque Imperio sacra priuilegia, & penè sacerdotalia iura, animum,calamumque conuertamus. Marciano acclamatur act. 6. [Sacerdoti, Imperatori, multos annos. Ecclesias tu erexisti hostium Victor, Doctor fidei.] Et aliquantò suprà, [Marciano, nouo Constantino, nouo Paulo, nouo Dauid, &c. Orthodoxam fidem tu roborasti. Sicut Apostoli, ità creditis.] Iam enim actio-

ne prima eiusdem Chalced. Synodi recitarum fuerat illud ex act. 7. Concilij Constantinopolitani sub Flauiano, vbi Theodosio similiter acclamabatur. [Orthodoxo, Pio Imperatori, Pontifici Imperatori.] Parte quoque tertia huius Chalced. Synodi legitur epistola Agapiti Rhodi Episcopi, ad Leonem Imperatorem, hæc habens, Verè namque Sacerdos, & natura Imperator existis. Actione 18. sextæ Synodi Leo Pontifex Constantino Imperatori gratulatur, [quòd regali fastigio deposito, vnum se de Collegio Sacerdotum pro zelo Dei adnumerari concupisceret.]

At in anteactis septimæ Synodi Gregorius Papa Romanus Leonem Iconomachum epistola secunda ità obiurgat: [Scripsisti, Imperator sum & Sacerdos. Enimuerò qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere, & sermone demonstrarunt, qui curam gesserunt Ecclesiarum, vnà cum Pontificibus, cupiditate, zeloque incensi, rectæque fidei veritatem peruestigantes, Constantinus magnus, Theodosius magnus, Valentinianus magnus, & Constantinus Iustiniani Pater, qui sextæ Synodo interfuit. Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus vno Concilio, ac sententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt, & ornarunt. Hi sunt Sacerdotes, & Imperatores, qui id opere demonstrarunt.] Quibus nihil luculentiùs dici potuit.

41 Cuius Sacerdotij imperatorio omnini agnati, coalitique origo, vt conijcio, repetenda est à Constantino, qui se quoque Episcopum, exteriorem se Ecclesiæ Episcopum inter Episcopos gloriabatur. Cui alludens Carolus Magnus lib. 6. Capit. c. 306. [Quod & nos, qui ministri Domini sumus, nec sine causa Dei gladium portamus, Episcopali in vice omnium Episcoporum, atque regali auctoritate pro viribus cunctos agere iubemus.] Vbi notandum, quòd cùm interiores Ecclesiæ innumeri sint Episcopi, vnum se exteriorem Episcopum venditat, vice omnium Episcoporum, exequentem videlicet inermes alioqui leges spirituales. Leo quoque I. epist. 59. ad Marcianum Augustum, sacerdotio imperium quasi consecrat. [Ineffabiliter Deo gratias ago, qui temporibus, quibus oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in imperij fastigio collocauit, in quibus ad totius mundi salutem, & regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria.]

Et epistola 75. ad Leonem Augustum: [Apud Christianissimum igitur Principem, & inter Christi prædicatores digno honore numerandum, vtor Catholicæ fidei libertate, & ad consortium te Apostolorum, & Prophetarum securus exhortor, vt constanter repellas eos, qui se Christiano nomine priuauere, &c.] Et confestim ibidem, [Debes incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, &c.]

Et infrà: [Sacerdotalem namque, & Apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere, &c.] Non multùm ab his abluere Græci, qui *isoapostolon*, æqualem Apostolis Constantinum Magnum prædicauere.

Iustinianus certè Nouel. 7. capit. 2. ait: [Cùm nec multùm differant ab alterutro Sacerdotium, & Imperium; & res sacræ à communibus, & publicis.]

Et Gregorius Turon. lib. 9. capit. 21. de Gunthranno rege: [Rex acsi bonus sacerdos, prouidens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, &c. Vt iam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur, &c.]

Et Fortunatus lib. 2. Carm. 11. de Childeberto Francorum Rege:

Melchisedec noster, meritò Rex, atque sacerdos,
Compleuit laicus religionis opus.

Et Guillelmus Carnot. in vita sancti Ludouici: [De salute etiam animarum vltrà quàm credi possit, pia vsurpatione permotus, sic de ipsa curabat attentè, quòd etiam quodammodò regale factitiorium, aut sacerdotale regimen videretur pariter exercere.]

42 Magnifica, & penè inuidiosa hæc sunt, nec his tamen lineis cohiberi potuit posteriorum Græcorum assentatio. Accipe enim, quæ scribat Demetrius Chomatenus Archiepiscopus Bulgariæ ad Constantinum Cabasilam rom. 1. Iuris Orient. Respons. lib. 1. par. 317. [Imperator vt communis Ecclesiarum *epistimonarchis* existens, & nominatus, synodalibus præest sententijs, & robur tribuit, Ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitę, politiæque eorum, qui altari seruiunt: hoc amplius, iudicijs Episcoporum, Clericorumque & vacantium Ecclesiarum electionibus, &c. Et vt vno verbo dicam, solo sacrificandi excepto ministerio, reliqua pontificalia priuilegia Imperator repræsentat, quando legitimè, canonicèque facit.]

Tum ex Iosepho refert Tiberium, potestat, & cæteros Imperatores Romanos dicere, & ipsos etiam perdiu postquam Christiano nomine claruerunt, Pontificis maximi nomen, & potestatem obtinuisse. Denique vt Christus in Sacerdotem simul, & Regem inauguratus est, ità & Imperatores Christianos regia simul, & sacerdotali gloria iungi ominatur. [Quòd igitur, & Vnctus Domini sit, qui pro tempore est Imperator propter vnctionem Imperij: Christus autem Deus noster, præ cæteris etiam Pontifex factus est, & prædicatur. Meritò ergo, & ipse Pontificalibus decoratur gratijs.]

His prætulerat Theodorus Balsamon ibid. lib. 7. par. 444. [Audiant hi, tam ad amplitudinem Imperatoriam, quàm patriarchalem officia docendi pertinere, propter vnctionis sacræ vim, atque potestatem. Hinc enim vsu venit, vt fideles Principes, atque potestates catechetico more cum populo Christiano colloquantur: aut suffitum faciant more sacerdotum, & cum cera duplici obsignent.]

Ad-

Addic, non ob docendi tantum munus, faces argeoteis,aureisque veluti corollis cio&as prælucere, & præferri Imperatoribus: cùm Imperatrici, cui vt muljerculæ docere nefas, præferantur: [Sed quòd instar cælestis illius gigantis, hoe eentrum orthodoxæ doctrinæ radijs collustreur; quòdque lucear eorum egressio ab extremo cælo: & oceursus ipsorum ad alteram cæli. tendat extremiratem, cùm interim nemo sit, qui ab eorum ealore se possit abdere.] Subijcit denique Imperatricis, quòd sola curet eorpora subditorum: Patriarchæ, quòd solas ferè animas, vnicis: at Imperatoris faces, geminis decorari corollis; quòd eius auxilium ad illuminationem, & stabilimenrum sese tam animi, qnàm corporis porrigat. Et ne extremas rantùm Græciæ faces hac adulandi inuerecundia laborasse putes, iam olim temporibus Maximi Martyris Monothelitarum debellatoris, sin minùs sacerdotes, eertè Principes iam ineesserat ea pestis.

Nam in collatione eorum cum Maximo, vrgenre Maximo esse sacerdotum, quærere, ac desinire de salutaribus Ecclesiæ dogmatibus, insurgunr illi ex aduerso, vt Typum à Constante editum tueantur, ergo noo est omnis Christianus Imperator, etiam sacerdos? Ita & in epistola Gregotij Papæ secunda ad Leonem Isauricum superiùs laudata, coostabat Imperatorem sacerdotale, & nomen, & priuilegium sibi vendicanrem, & vltrà metas lasciuieotem, sperasse suis decretis posse Christianam fidem moderari, ac suo nutu verrere susdeque. Prior ergo procerum adulatio, tum ipsorum de se Imperatorum amabilis insania, denique lapsu tempurum, gliscens in Episcopos etiam, & Clericos assentandi libido, Chalcedonensium Patrum insueata simplicitate in perniciem ecclesiasticæ diseiplioæ aburebatur. Castigatiùs è recencioribus Græcis Simeon Thessalonicensis Archiep. lib. de sacr. Ordin. cap. 7. [Imperator, quæ sunt sacerdotij, non habet: neque Apostolorum, Prophetarum, aue Doctorum dooa. Solùm reounciatur Pontifex vnctione Chrismatis, &c. Christus solus Rex, & Episcopus est.]

43 Nec enim Oecumenica hæc Synodus Pontifici Imperatori gratulabunda, doctorem propriè fidei illum, sed Custodem, & Defeusorem prædicabar: nec disciplinæ viscera starim illi aperiebat, sed solis fidei tractatibus, oon causarum, non iudiciorom interesse pariebarur. Quæ duo hìc cursim perlustranda: vt Græculorum palponum leuitas eoidenriùs patear. Nam affuisse Imperatorem, Proceresue laicos Oecumeoicis Synodis, vbi fidei, quæ Ipsis etiam communis est, causa ventilabatur, planum est ex orat. Marciani Imperatoris ad Synodum Chalced. act. 4. [Nos eoim ad fidem confirmandam,non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini Synodo interesse voluimus,ne vel vlteriùs populi prauis suasionibus separentur.] Ee eiusdem Synodi act. 1. recitaotor Constantinopolitani sub Flauiano Coneilij aduersùs Eutychem gesta, cui interesse Theohosius Imperator Florentium Patritium iusserat rescripto suo, quoniam de fide sermo erat. Vnde & Nicolaus I. epist. 8. ad Michaelem Imperatorem: [Dicite, quæso, vbinam legistis, Imperatores antecessores vestros syoodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractarum est, quæ vniuersalis est,quæ omoium commuois est, quæ nou solùm ad clericos, verùm etiam ad laicos, & ad omnes omninò pertinet Christianos?

44 Sed synodis fidei arcana disceptantibus aderant Imperarores, & Imperatorij Optimates,nō vt dicereot, sed vt discerent: non vt dictarent, sed, vt dictatam ab Episcopis fidem confirmarent, defendereneque aduersùs obtrectatores, & impacaros contentionum satores. Itá Constantinus, ersi ad populum quandoque concionabatur de pietatis officijs, & præibat principibus, de quibus suprà Ballamoo, catechetico more peroraotibus; uon tamen, vel Donatistas, vel Arium vllo suo diplomate aggressus est percellere, oisi postquam Episcopales Synodi in illiusmodi hæresum architectos detoouerant. Denique exteriorem se professus Episcopum, penerralia fidei saociendæ sibi sepsit ipse, toruinque ad Episcopos retulit,de quibus ait ipse:[Quidquid in sanctis Episcoporum Concilijs geritur, id omne ad diuinam referendum est voluntatem.

Irà Valentinianus, teste Sozomeoo lib.6.eap.7. Orieotalibus Episcopis fidem consubstanrialis restaurare sollicirantibus, respondit; [Sibi, qui vnus è laicorum numero erat, oon licere se eiusmodi oegotijs interponere. Et ideò Saeerdotes, & Episcopi, ioquie, quibus hæc curæ sunr, seorsùm per se vbicumque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant.

Sed oihil vehementiùs Ambrosio, epistola 32.vbi de fide cum Auxentio disputare in Consistorio Principis reeusabat:[Nec quisquam eontumaeem me iudicare debet, hoc eùm asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus, non solùm sermore respondir, sed etiam legibus suis sanxit:In causa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impat sit, nee iure dissimilis. Hæc enioi verba rescripti sunt; hoc est, sacerdotes de sacetdotibus voluit iudicare.

Vnde docemur Valentinianum responsum suum suprà relatum, etiam lege lata firmasse. Pergit autem Ambrosius animosè: [Quando audisti, Imperator clementissime, in causa fidei laicos de Episcopis iudicasse? Itá ergò quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores: & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum Si docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo dispuret, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certè si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora rerractemus, qois est, qui abnuat,in causa fidei,in causa,inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperàtores de Episcopis iudieare? Et infrà: Si conferendum est de

fide,

fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus.]

Idem porrò Ambrosius in Concilio Aquilei. aduersùs Palladium ad laicos iudices prouocantem in fidei negotio, hæc increpat: [In hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant iudicare.

Concinens anteriorum Principum pietati Theodosius Iunior, ad Ephesinam Synodum hæc scribit: [Candidianum Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus: sed ea lege, & conditione, vt cum quæstionibus, & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas est enim, qui sanctissimorū Episcoporum catalogo ascriptus non est, illum ecclesiasticis negotijs, & consultationibus se immiscere.]

Et Agapetus Papa ad Iustinianum: [Pietatis tuæ epistolam de fidei vestræ expositione, à prædecessore nostro Ioanne roboratam, nostra quoque auctoritate firmamus, laudamus, amplectimur. Non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus: sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conueniens cōfirmamus, atque roboramus.]

Et Gregorius Papa ad Leonem Isaurum nouæ hæreseos fabricatorem, epist. 1. [Scis, Imperator, sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tutò debent dogmatizari. Idcircò Ecclesijs præpositi sunt Pontifices, à reipubl. negotijs abstinentes: vt Imperatores similiter ab ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant. Et epist. 2. ferociùs adhuc: non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum. Quoniam Christi sensum nos habemus. Alia est Ecclesiasticarum constitutionum institutio, alius sensus sæcularium. In administrationibus sæculi militarem, & ineptum, quem habes sensum, & crassum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non potes.

In eandem sententiam præclara sunt, & ista Damasceni orat. 2. de Imagin. [Regum partes non sunt, vt Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim, quid dicat Apostolus: Et quosdam quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deindè Prophetas, tum Pastores, & Doctores. Ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges. Et rursùm, Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, &c. Verbum non locuti sunt vobis Reges, sed Apostoli, & Prophetæ, Pastores, atque Doctores. Cùm præcepisset Deus Dauid, vt ædificaret sibi domum, sic allocutus est eum: Non ædificabis mihi domum tu, quoniam vir sanguinum es. Regum est ciuilis administratio, ecclesiastica verò constitutio, Pastorum, atque Doctorum. Iopetus iste Latronum est. Scidit Saul pallium Samuelis, & quid ei contigit?

Totidem penè verbis Theodorus Studita, dux Studitarum: [Ne tentes nunc, ò Imperator Ecclesiasticum statum dissoluere. Ait enim Apostolus, Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deindè Prophetas, tertiò Doctores, & Pastores ad perfectionem sanctorum. Non dixit Reges. Tibi quidem, ò Imperator, ciuilis status, & exercitus commissus est. Hæc igitur cura. Ecclesiam autem Pastoribus, & Doctoribus derelinque.

45 Hoc ergo primùm temperamento, & Chalcedonensium Patrum acclamatio, & Imperatorum quorumdam ea ex occasione turgescens enormiter fastus, & adulatorum procerum infinita quædam insania mitiganda fuit. Quod enim obganniunt Græculi recentiores, innuctos vt regno, ità sacerdotio Reges, & ideò Christos dici: quia Christus Rex idem, & Sacerdos est; contrà totum est. Nam quia vnius Christi id eximium fuit decus, vt & regno, & sacerdotio simul floreret: exindè nusquam Reges sacerdotio, nusquam Sacerdotes regno simul, nisi in speciem, & nomine tenùs, aut perfunctoriè potiri potuere.

Marciani exempla hanc regulam sancit Facundus Hermian. lib. 12. cap. 3. Cogitare, & nosse facillimè potuit Marcianus, Christi solius esse regnum cum sacerdotio simul habere. Quoniam etsi quidam Reges in eius venturi figuram, sacerdotio functi sunt: tamen cùm manifesta lux veniret in mundum, vmbras remouens, futurorum nulli alteri dedit, quod sibi singulare seruauit: sed in diuersos dona sua distribuens, sic, quæ propria sunt sacerdotij, regibus interdixit. Quocircà quemadmodum vir sapiens non prophanum iudicaret, hoc velle videri, quod solus est Christus?

Quem imitatur Papa Nicolaus ep. 8. ad Michael. Imp. [Fuerunt hæc ante aduentum Christi, vt quidam typicè Reges simul, & Sacerdotes existerent. Quòd sanctum Melchisedec fuisse sacra prodit historia: quod quin membris suis Diabolus imitatus, vtpotè qui semper, quæ diuino cultui cōueniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit: vt pagani Imperatores ijdem, & maximi Pontifices dicerentur. Sed cùm ad verum ventum est eundem Regem, atq; Pontificem, vltrà sibi, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium vsurpauit. Quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursùm efferri, non humana superbia rursùs in inferna demergi: vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur.] Quæ verbis totidem leguntur in Gelasij Papæ tomo de anathematis vinculo.

46 Hactenùs de fide ab Imperatoribus non dictanda, sed sancienda à Pontificibus, ità demùm ab illis custodienda, & aduersùs Nouatorum procacitatem vlciscenda: Causis autem alijs ecclesiasticis ne adesse quidem fas erat Principi, dum inter

inter Episcopos tractarentur, nedum se immiscere. Chalcedonensis huius Synodi act.3. Dioscorum sistere se recusantem, nisi adessent cognitioni Iudices, & Senatus, Cecropius Episcopus refutauit his verbis: [Quando canonicæ quæstiones examinantur, neque Iudices, neque alios laicos interesse oportet, nisi tantummodo tuam sanctitatem, quæ in propria accusatur persona.]

Constantinus iam olim à canonicis iudicijs sibi temperandum duxerat, cùm, teste Rufino lib.1. hist. in hunc modum Episcopos alloqueretur: [Deus vos constituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati estis iudices; & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solùm, de quo scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.]

De Cæciliano, quem à traditoribus ordinatum criminabantur Donatistæ, non ipse cognouit, sed iudices dedit Episcopos Romæ cum Melchiade cognituros; & rursùs de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, non ipse cognouit, sed Arelatense indixit Concilium; denique de appellatione Donatistarum ab hac Synodo iudicauit ipse quidem, sed vt vel sic eorum indomitam frangeret contumaciam, & authore Augustino, veniam ab Episcopis petiturus. Athanasium in Concilio Tyrio causam dicere idem iussit, cui ipsi, quòd adesset Dionysius Comes satellitio militũ cinctus, conquerebatur Athanasius, [Si istud iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator?]

Antiocheno rursùm Concilio damnatus, Sardicensi absolutus Athanasius est; cuius extorquendæ damnationi, cùm se impotentiùs insereret Constantius, ira illum increpabat Liberius apud Theodoretum lib.2.cap.16. [Noli per Episcopos tuas vlcisci inimicitias. Nam virorum ecclesiasticorum manus sanctificationi vacare debent, &c.

Nec ipse Constantius enim alio, quàm Episcoporum iudicio, Athanasio exitium moliri se posse sperabat: sed cùm se intemperantiùs insereret episcopalibus Synodis, libertati canonicæ vehementer officiebat.

Et Athasius Apol.2. [Quis non execretur sub externo iudice, &c. quæstionem de Corpore, & sanguine Christi haberi? Nam si omninò delictum aliquod perpetratum esset, oportebat de eo legitimè in Ecclesia inquiri à Clericis.]

Et infrà legitur epistola Concilij Sardicensis, ex qua decerpo hæc pauca: [preces nostras ad Imperatores retulimus, vt illorum humanitas constituat, ne quis Iudicum quorum munus est publica curare, de clericis sententiam ferat, &c.

Et in Epist. ad solitarios, Episcopis ad se vocatis iussit Imperator, vt contrà Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus nouum eius studium, dicentibusq; id non esse ecclesiastici Canonis; ille subiecit, At quod ego volo, pro Canone sit, &c. Denunciabant illi Episcopi diem iudicij, suadebantque, ne ecclesiastica corrumperet, neue Romanum Imperium ecclesiasticis constitutionibus immisceret.]

Intexitur inferiùs epistola Osij ad Constantium, vbi illum sic vrget: [Quid tale à Constante actum est? aut quando iudicijs ecclesiasticis interfuit? &c. Ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ità. & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimi obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis imperium in terris tenere, neque tu thymiamatum, & sacrorum potestatem habes, Imperator.

Et infrà Athanasius: [Obtendit Imperator in speciem Episcoporum iudiciũ, sed interim facit, quod illi volupe est. Si istud est iudicium Episcoporum, quid cõmune cum eo habet Imperator? Sin contrà minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando à condito æuo auditum est? Quando iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam ob Imperatore accepit? Plurimæ ante hac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, non tamen eos in iudicio socios assumpsit.

Et denique inferiùs, Quis videns enim in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs ecclesiasticis, non meritò dicat illum etiam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta?] Et paulò suprà, ne in Athanasium Constantinus ipse sæuisse æstimaretur, & Constantino facem pretulisse: [Siquidem Pater ex calumnia Eusebianorum Athanasium ad tempus in Gallias amandauit, quò liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant. Hoc enim à Beato Constante post mortem Patris scriptum fuit; vt ex literis eius paret.

Similiter Hilarius ad Constantium: [Prouideat, & decernat clementia tua, vt omnes vbique Iudices, quibus Prouinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura, & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se obseruantia abstineant. Neque posthac præsumant, atque vsurpent, & putent se causas cognoscere Clericorum.

47 Theodosius Magnus quam illibatam Episcopis constare concesserit Canonicorum iudiciorum potestatem, fidem facit Constantinopolitanæ Synodi primæ Canon sextus. Honorius ad Arcadium fratrem de exilio Chrysostomi hęc scribit: [Cùm si quid de causa religionis ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos

ad nos religionis pręstat obsequium. Sed esto, sibi de mysticis, & catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura pręsumpserit: itàne vsque ad exilia sacerdotum, vsque ad hominum cędes debuit indignatio concitata procedere?] Octauæ Synodo, eiusque decretis de vitiosa Photij ordinatione, & Ignatij Patriarchæ restitutione, subscripturus Basilius Imperator, hęc permodestè pręfatus est: [Laico cuicumque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi, aut vniuersam Ecclesiam, œcumenicamque Synodum oppugnandi fas esse dico. Hęc enim excutiendi, & in vtramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum, & Doctorum est officium, quibus à Deo ligandi, & soluendi potestas est data. Nam laicus, & si omnis pietatis, & sapientiæ laude pręstet, tamen laicus est, & ouis, non pastor. Assentitur denique Iustinianus, qui Ecclesiasticæ iurisdictionis fines peruasisse omnium maximè infamatus est. Nouella enim 83. ità habet: [Si Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiastica, & multa, Deo amabilis Episcopus hoc discernat: nihil communicantibus clarissimis Prouinciæ Iudicibus. Neque enim volumus talia negotia omninò scire ciuiles Iudices. Cùm oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam multam, secundùm sacras, & diuinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.

48 Si à iudicijs autem Canonicis abstinendum sibi duxere Imperatores, multò æquius sanè fuit, vt à legibus ea de re ferendis sibi temperarent. Multò enim grauiùs est leges ferre iudiciorum moderatrices, quàm consequenter, & conuenienter legibus, ipsa exercere iudicia. Ideò & Marcianus in Chalcedonensi hac Synodo, sanciri aliqua percupiens, de Monachorum in Episcopos obsequio, Monasteriorum exædificatione non sine assensu Episcopi, Clericorum à secularibus negotijs secessione, & iugi, fidaque in proprijs Ecclesijs residentia; non ipse id sibi sumpsit, vt ea statueret, sed statuenda Synodo detulit.

Nam ità ipsemet Synodum alloquitur sess. 6. [Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reuerentiæ, vobis seruauimus, decorum esse iudicantes, à vobis hæc Canonicè potiùs formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri.] Ità Constantinus famosam illam de Paschæ die controuersiam, non sua lege aliqua præcepit finire, sed Canone Niceno priùs definiram, tum legibus suis promulgauit, firmauitque. Sed haece de re operosior alibi instituenda erit disputatio. Vbi de Iustiniano, & Carolo Magno inquiremus, quantum illi hoc in negotio sibi licere voluerint. Marciani sanè verbis superioribus modestiæ fucus solus affingitur, non vera species, si ità arrogarit Synodo, vt sibi non abrogaueritanciendarum istiusmodi regularum facultatem. Satius est, pristinæ Principum moderationis laudem illi quoque fuceram vindicare, qui ea potestate se vtpotè laicos carere profitebantur, nec leges hactenùs vllas Canonum duces, sed pedissequas, & custodes rogauerant.

49 Ex his porrò ità præstructis, consentaneum rursùs est, vt si quæ leges obloquantur Canonibus, eæ conticescant, & tum Regia, tum synodica auctoritate expugnantur. Minùs æquum id quidem esset, si legitima Principi adnasceretur vis ferendi leges de rebus Ecclesiasticis. Ecquid enim per aduersos Canones legibus iure perlatis aduersaretur Ecclesia, & Imperio Sacerdotium collideretur? Præclarissimum in hac Chalcedonensi Synodo eius rei documentum se offert. Phœniciam, quæ Tyrio Metropolitæ priùs tota suberat, Eustathius Beryti Episcopus à Theodosio diuidi impetrauerat, atque ità segmenti sui ipse arripuerat metropoliticum Principatum. Rescriptum Principis ea de re Constantinopolitana sub Anatolio Synodus confirmarat. Photius Tyri Episcopus vi subscribere adactus, Marcianum adit, qui causam Synodo Chalcedonensi delegat, eiusque nomine Iudices Synodum ità alloquuntur act. 4. [Sacratissimo Domino Orbis placuit, non iuxta sacras literas, aut pragmaticos typos tes sanctissimorum Episcoporum procedere, sed iuxtà regulas à sanctis Patribus latas. Omni igitur cessante è sacris pragmaticis definitione, Canones de hoc Capitulo editi legantur. Tum rogant Iudices: Dicat sancta, & vniuersalis Synodus, vtrum ei placeat, ex Canonibus Patrum huius causæ quæstionem examinari, an è sacris pragmaticis, de quibus quid sacro apici visum sit, iam omnibus apertum fecimus.] Sancta Synodus dixit: Contra Canones nihil pragmaticum valebit. Autè Imperator pragmatica sua reuocat, antè videtur copiam facere Synodo, Canones pragmaticis prehabendi. Sed id imperatoriæ magnificentiæ vtique donatur. Cui verecundum, & amarum esset, suas à synodo leges palàm aboleri. Nihilò seciùs tamen conscia sibi Synodus suæ potestatis, & iustitiæ incommutabilis gnata, fidenter proclamat, & absolutè: Contra regulas nihil pragmaticum valebit. Canones Patrum teneant. Quod mox apertiùs fit ex ipsa Iudicum percontatione: Nunc tempus est edoceri nos à sancta Synodo, an liceat ex sacro pragmatico alienæ Ecclesiæ iura ab alijs Episcopis auerti? Quis non videat, non regio tantùm assensu, sed sua sponte inania esse, & irrita hæc rescripta, quibus fulti, præter Canones, immò præter incommutabilem iustitiæ legem, alij in aliorum iura impetum faciunt? Vndè absolutè respondet Synodus: Non licet hoc, hoc est contra Canones. Et infrà rursùs Synodus exclamat: Supplicamus, vt etiam nunc virtus regularum in omnia, & in omnes Prouincias valeat: cessantibus omnibus pragmaticis, quæ ex concussione, & ambitione fiunt: quæque euertérunt ea, quæ spiritualiter, & secundùm Deum à sanctis Patribus sancita sunt. Denique Cecropio Episcopo petente: Petimus vt sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibus-

busdam facta sunt in omni Prouincia. Canones autem per omnia tueantur. Et rogantibus Iudicibus, an Cecropio assentiretur Synodus, omnes tum Episcopi conclamarunt: Omnes eadem dicimus, vniuersa pragmatica cessabunt, Canones teneant: & hoc à vobis fiat. Tunc Iudices dixerunt Ex sententia sanctæ Synodi, in omnibus quoque alijs Prouincijs Canones teneant. Laudarissimum id tunc quidem fuit, vt inexpugnabili pacis vinculo Sacerdotium, & Imperium vinciente, inimica sacris regulis pragmatica, & in fidei, ac disciplinæ ecclesiasticæ exitium instructa, concursatione, & ambitione quorumdam extorta, persuasionem iniquissimâ aliorum in alios fouentia, atque adeò vi sua, & per se se cassa, quatenùs iustitiæ aduersaria, non abrogaret tamen ipsa Synodus, sed à Principe abrogari exoraret, Princeps autem ipse Synodi preces penè anteueniret. Similiter act. 7. lite inter Antiochenum, & Hierosolymitanum Episcopos per transactionem sopita, valere id Iudices sanciunt, communi suo, & Synodi decreto, vacantibus secundùm iussionem diuinissimi Principis omnibus pragmaticis, & quocumque modo sacris ab vtraque parte literis impetratis: insuper & mulctatione, quæ in eis huius rei causa noscitur contineri.

50 Vtque omnis dubitationis nubecula abstergeatur à synodici iuris morosis exploratoribus, audiendus Leo Sapiens Const. 2. [Cùm sacrosancti, diuiniquè Canones, & quicumque alij de sacerdotio, & Episcoporum creatione statuere, in optimum, numerisque omnibus plenum editi sint modum: & quidem quomodo illi non exactè perfectèque editi sint, cùm diuina inspiratio in auctoribus efficaciter operata sit: mirari subit, quomodo non veriti nonnulli sint, sacras, diuinasque leges, tamquam illæ absolutæ non essent, promulgatis alijs legibus abrogare.] Si sacræ, si diuinæ sunt leges Ecclesiasticæ, si à Spiritu Sancto dictatæ, si ità promulgatæ: Visum est Spiritui sancto, & nobis: si Euangeliorum instar habent Synodi vniuersales: cui iàm non dilucet, quàm cassæ, & inutiles sua sponte sint, quæ Principibus surripiuntur pragmaticæ ad illarum perniciem sanctiones?

Idem rursùs Const. 16. Vetus verbum, quod de rebus suis dicenti, aures esse aperiendas monet, cùm in omnibus alijs perbellè sese habeat, tum hic longè esse pulcrius apparet.] Tum memorata compugnantia legum, & Canonum circa Hypodiaconi ætatem: dignum itàque fecimus legem de rebus suis præcipientem audire imperatoria nostra maiestas rata, in eamdem cum illa sententiam descendit. Quo testimonio vox ipsa naturæ videtur exaudiri, iubens vt cuique suæ artis experto auris, & fides adijciatur.

Et rursùs idem Const. 75. [Si sacrorum decretorum sanctio ad res ciuiles trãsiens, in illis sæpè plùs auctoritatis, quàm ipsæ ciuiles de iisdem rebus tractantes leges habeant: quantò magis sacra decreta in suis rebus, ciuilibus legibus præualebunt? Absoluta hęc quoque ratio est. Ità enim natura comparatum est, vt cœlestia mundanis, æterna temporalibus, carnalibus spiritalia, sacra prophanis inuigilent, & imperitent, non vicissim.

Vndè præclarè Iuo Episcop. Carnot. ad Henricum Angl. Regem, epist. 51. [Quia res omnes non aliter benè administrantur, nisi cùm Regnum, & Sacerdotium in vnum conuenerint studium: celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenùs in Regno vobis commisso Verbum Dei currere permittatis: & Regnum terrenum Cœlesti Regno, quod Ecclesiæ commissum est, subditum esse debere semper cogiteris. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ità potestas terrena subdita esse debet Ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur, & regatur Ecclesiastica disciplina. Et sicut pacatum est regnum corporis, cùm iàm non resistit caro spiritui: sic in pace possidetur Regnum mundi, cùm iàm resistere non molitur Regno Dei. Hoc cogitando, seruum seruorum Dei vos esse intelligite, non dominum: protectorem, non possessorem.]

Quòd ipsum Gregorius Magnus Mauritium Imperatorem monuerat, lib. 2. registri ind. 11. epist. 62. ei nempè potestatem cœlitùs datam esse super omnes homines, vt Cœlorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cœlesti regno famuletur.

Et Gelasius epist. 8. ad Anastasium Imperatorem: [Licèt præsideas humano generi, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas suæ salutis expetis; inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque, vt competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs, quàm præesse. Nosti itàque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.

Quibus luculentè consonant Facundus Hermian. lib. 12. cap. 3. Marcianum Imperatorem commendans, vt qui nosset, quibus in causis vteretur Principis potestate, & quibus exiberet obedientiam Christiani. Ideò enim abstinuit non tantùm de fide sancire, sed etiam [nouos constituere Canones, quod nonnisi, & in vnum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itàque vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiasticorum Canonum Executor esse voluit, non Conditor, non Exactor.]

Quibus aliquanto vehementior Lucifer Calaritanus Episcopus lib. 1. ad Constantium Imp. [Quia præceptum sit tibi, non solùm non dominari Episcopis, sed & ità eorum obedire statutis, vt si subuertere eorum decreta tentauetis, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis. Quomodo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, iam quantùm apud Deum mortis pœna fueris mulctatus?] Sic ille Principibus spiritualem intentat gladium.

Et rursùs Cassiodorus lib. 11. epist. 2. ad

ad Ioannem Papam: Monete me, quæ sunt gerenda sollicitè. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus. Sedes illa toto Orbe mirabilis, proprios tegat affectione cultores, &c.]

Et Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 249. [Ex Sacerdotio, & Regno rerum administratio conflata est. Quamuis permagna vtrinsque differentia sit. Illud enim velut anima est, hoc velut corpus. Ad vnum tamen, & eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. Quapropter cùm Iudaicæ res initium sumebant, sacerdotium, vt magis necessarium, institutum est, ac perdiù durauit. Postquàm autem carni addictiores, atque crassiores essent, regnum popościerunt. Illud ipsis concessum fuit, quippè quod vtilissimum esset, atque eorum, qui sacerdotio minimè parebant, peccata coerceret, ac restringeret.]

Quem secutus videri possit Isidorus Hispanensis lib. 3. de summo bono cap. 51. cuius verba Antistites Gallicani transtulere in cap. 2. lib. 2. Concilij 6. Parisiensis: [Sub religionis disciplina seculi Potestates subiectæ sunt, &c. Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, vt quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinę sermonem, potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem.]

Eadem adscripta leges in Capitul. Caroli M. Add. lib. 2. cap. 21. Et eiusdem Caroli Magni progenies Gallorum Rex, apud Lupum Ferrariensem, epist. 81. testatur [se fideliter tenere, quod Rex regum, idemque Sacerdos sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquàm humanitatem suam in Cœlum euexit, semper cum suis futurus dininitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam, in Sacerdotes diuisit, & Reges vt quod Sancti docerent Pontifices, & ipsis implerent, & impleri facerent deuotissimi Reges.] Quæ omnia luculentiora sunt, quàm vt interpretis operam desiderent. Ille ipse autem, qui à Leone carpitur, Iustinianus non alia in sententia fuit, cum lib. 1. Cod. Tit. 2. cap. 12. hanc Marciani retulit constitutionem: [Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interuentu gratiæ, vel ambitionis elicitæ sunt, robore suo, & firmitate vacuatas cessare præcipimus.] Et ipsi ergo obreptum est, quidquid ab eo præter Canones est constitutum. Quæ non eo consilio deprompta à nobis sunt, vt Ecclesiæ, Synodiq; ad infringenda Principum diplomata ipsis inconsultis temerè prosiliant; sed vt Patrum modestiæ tenaces, tantò maiori in admiratione sint.

51 Nec illud omittendum, quod momenti plurimùm habent in hoc negotio. Nempè à Iudicijs merè Ecclesiasticis, & à causis spiritualibus Regios iudices in totum abstinuisse. At si, quæ mixtæ fuere causæ, & temporalibus rebus aliqua ex parte implicatæ, in ijs dijudicandis suas aliquas esse partes voluisse.

Perlustra animo, quæ suprà de Cœciliani, Athanasij, Chrysostomi, Dioscori, Photij causis perstricta sunt, merè Ecclesiasticas illas fuisse liquebit.

Rursus in hac Synodo cùm de Episcopis ageretur à Photio Tyri Metropolita ordinatis in ijs Ciuitatibus, quæ à Tyriorum Ecclesia auulsæ, Ecclesiæ Beryti erant tributæ: & an valerent eorum ordinationes, inquireretur; quia merè canonica erat disceptatio, ea sese abstinuere Iudices, aientes: [De his finaliter decernere, ac definire, sanctæ est Synodi.] At vbi mixta iudicia fuere, illis se inseruere, vt cùm de rescindendo Theodosij rescripto, & de restituenda Tyrio Metropolitæ pristina finium amplitudine actum est.

Item cum de Patriarchatu Hierosolymitano constituendo, eique adiudicanda portione Antiocheni Exarchatus definitum est. Quanquam nec illud dissimulandum, in illis, quæ merè Ecclesiasticæ causæ dicuntur, Athanasij, Dioscori, Photij & alijs id genus, non pauca quoque de temporalium contagio adhæsisse, quæ illas in mixtarum classem reuoluerent, si tricari, & suos ampliare fines voluisset Princeps. Et rursùs vbi in causis mixtis suas interposuere partes Iudices regij, tamparcè id fecisse, vt totum penè Episcopis permiserint. Adeò tunc, & Princeps Ecclesiæ, & Ecclesia Principi, non detrahere quid, sed sua erogare certabat.

At lex Iustiniani superiùs relata, Ecclesiasticas, & mixtas planè discriminat causas. Verùm Ecclesiasticæ iurisdictionis pomœria vndequaque ille coarctauit. Illud penè effugerat nos, minimè aspernandum, quòd cùm ordinationes Episcoporum à Photio factas iampridem in ijs Ciuitatibus, quæ illi rescripto Theodosij ademptæ fuerant, ratas esse statuit Chalcedonensis Synodus; eo argumento plus satis demonstrauit, rescriptum Theodosij non tunc demùm, cùm à Marciano reuocatum est, sed & priùs, atque ab exordio cassum, atque inutile fuisse, vtpotè sacris regulis infestum. Si enim aliquando valuisset rescriptum, irritæ tunc Episcoporum ordinationes in alieno territorio fuissent.

Et caducum spontè, atque ab initio fuisse illud rescriptum, liquet prætereà ex eo; quòd Constantinopolitana Synodo Berythensis Episcopus easdem sibi Ciuitates addici curarit. Vnde ait ipse act. 4. [Nec verò ego Ciuitates diuisi, sed sancta diuisit Synodus.] Itemque Iudices: [Dicat sancta Synodus, licueritne Anatolio iubere, vt Photio certæ Ecclesiæ in prouincia auferrentur.]

Denique ità superiùs ostensum est, Ephesinam secundam Synodum à Leone, & Occidentali Concilio cassatam; & ab eodem tamen interpellatum Marcianum, itemque a Chalcedonensi Synodo, vt eam vnà cum confirmatorio Theodosij rescripto ipse rescinderet.

52 Quamquam autem causis Ecclesiasticis tem-

temperaret Imperator, Iudices tamen Ecclesiastici, qui eas dirimerent, ab illo, & petebantur, & delegabantur. Itàque Imperator, vt Canonum custos, vt ciuium omnium Defensor, vt Clericorum maximè Patronus, ab his vtcumque præter Canones læsis adibatur, non iudex futurus, sed iudices consentaneos daturus.

Concilij Chalcedon. Act. 1. Eusebius Dorylæi Episc. apud Marcianum dato libello conqueritur de ijs, quæ aduersùm se à Dioscoro patrata erant in latrocinio Ephesino: [Intentio, & propositum est maiestatis vestræ, vniuersis quidem sibi subditis prouidere, & manum porrigere omnibus iniustè oppressis, præcipuè tamen fungentibus Sacerdotio: in hoc diuinitati placentes, à qua vobis imperare, & dominari sub hoc Sole donatum est. Ergo quoniam multa, & dira, contra omnem consequentiam, fides, quæ in Christum est, & nos sumus perpessi à reo. Dioscoro Episcopo Alexandrinæ Ciuitatis, adimus vestram pietatem, supplicantes iustitiam promereri.]

Bassianus quoque Ephesi quondam Episcopus, Act. 11. preces offert Marciano, quibus iniquo se iudicio exturbatum Episcopatu expostulat: [Omnis salus violentiam patientium post Deum vestra tranquillitas est, præcipuè autem Sacerdotum Christi. Quapropter, & ego ad has preces veni, prouolutus vestigijs vestris, vt in his mei misereamini.]

Ità & Act. 13. regiam tuitionem implorat Eunomius Episcopus Nicomediensis aduersùs Anastasium Nicænum. Et ab his Episcopis aduersùs Episcopos litigantibus, non subsidium tantùm implorabatur imperatorij patrocinij, sed iudices postulabantur. Eusebius enim Dorylæi Episcopus ait: [Prouoluti præcamur vestram clementiam, vt præcipiatis reuerendissimum Episcopum respondere de his, quæ ei à nobis ingeruntur.]

Et infrà: [Sacrum, & venerabile vestrum mandatum dirigentes sanctæ, & vniuersali Synodo relig. Episcoporum, quo possit inter nos, & præfatum Dioscorum audire, & perferre ad scientiam vestræ pietatis omnia, quæ geruntur.]

Nec aliter Bassianus: [Supplico vestræ pietati, & prouoluor diuinis vestris, sacratisque vestigijs, quatenùs sancire dignetur vestra Cælestis potestas, sacra vestra subnotatione missa ad sanctum Concilium, vt cognitio fiat inter me misserrimum, & eos, qui in me talia perpetrarunt, ac dicunt se aliquid aduersùm me habere.]

52 Regiæ huius potestatis splendidissimum, & omnium antiquissimum emicat monumentum in causa Donatistarum, quibus postulantibus Iudices delegauit Constantinus tres è Gallia Episcopos, qui cum Melchiade Romano Pontifice hanc litem dijudicarent. Apud Eusebium, ità scribit ad Melchiadem Constantinus: [Visum est mihi, vt idem Cæcilianus, cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem alijs, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimauerit, Romam nauigio traijciat. Vt ibi coram vobis, Rhæticio etiam, & Materno, & Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare iusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, vt nostis, postulat.] De hoc iudicio cùm murmurarent Donatistæ, quippè qui causa ceciderant, alios illis iudices dedit Constantinus, nempè Arelatensi Synodo congregata. Cùmque sexcenties Augustinus de hac iudicũ Constantiniana delegatione disseruerit, nec semel conquestus est de vsurpata à Principe præter fas Ecclesiastica iurisdictione.

Quin immò temerè vsurpatam à Melchiade iudicium de Afris quiritantes Donatistas, refellit epist. 162. in hunc modum: [Quid quod, nec ipse vsurpauit? Rogatus quippè Imperator iudices misit Episcopos, qui cum eo viderent, & de tota illa causa, quod iustum videretur, statuerent. Hoc probamus, & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.] Nec minùs insigne eiusdem rei specimen editum est in Athanasio, cui cùm Eusebiani, & Meletiani fabulam illam fracti calicis, altaris euersi, & Arsenij occisi impingerent, Synodum Tyriam cogi ab Imperatore impetrarunt, quę delatorum criminum cognitionem susciperet. Quio non omnes promiscuè, sed delecti ad arbitrium accusatorum Episcopi, Synodo adesse, & causam ventilare iussi sunt.

53 Ab his fontibus illa fluxit regia potestas, iuxtà regulas alibi iam non semel indigitatas nobis interpretanda. Indices enim dedit primùm Constantinus, sed, vt ait Augustinus, Donatistarum precibus: vt Socrates, alijque passim testificantur, Eusebianorum, & Meletianorum artibus delusus. Illic fęliciter res cessit, hic infęliciùs: vt soleot, quæ præter Canones vsurpantur. Itàque perduellibus quomodocumque reuocandis indultum illud est primò, vt Iudices Ecclesiasticos daret Imperator, idque, quod non inauspicatum quandoque sortiretur exitum, ex eodem indulgentiæ tenore probauit, aut tolerauit Ecclesia.

Nam Cæcilianus quidem, vt sæpiùs inculcat Augustinus, poterat causam suam transmarino iudicio Episcoporum integram seruare; vt iudices autem ab Imperatore peteret, nec ipsi, nec Augustino hæc toties narranti in mentem vnquam venit.

Athanasius perindè à petendis ab Imperatore iudicibus alienus fuit.

Et si cui in mentem recurrant ea, quæ paulò antè ex ipso, ex Osio, ex Liberio, ex Hilario corrasimus, ne se Imperator causis Ecclesiasticis inserat, iam ambigua esse non poterit horum hacce de re sententia.

Quibus enim ab exordijs erupit insana illa Constantij licentia, ac tempestas, iudiciorum canonicorum conculcatrix, nisi ab illa, quam à Patres propagatam exceperat, potestate, Episcopos suo nutu ad Synodos, & iudicia congregandi? Si hæc enim ianua pateat Principi, iudices delegandi, iam non potest non irrumpere

tota illa vis, & procella, caosas Ecclesiasticas, susdeque vertens ad Regum, Procerumque libidinem. Posteræ ergo disciplinæ adplaudendum magis est, & Regum pietati, qui libertati Ecclesiasticæ impensiùs suffragati sunt: & in causis Episcopalibus, quales erant ferè superiores omnes, non ipsi dare iudices præsumunt, sed à Romano Pontifice delegari postulaot. Et quidem cùm non semper, eùm earò cogatur Synodus Oecumenica, rerum ipsa necessitas persæpè adigebat interpellari Imperatorem in ijs causis, quæ communes erant, vel summos Epscopos, & Oecumenicæ Synodo propriùs obnoxios attingebant. Quòd vis imperatoria, vt ità dicam, Oecumenica, & ipsa sit, ac vbique terrarum polleat.

Indè præstruebatur Romani Antistitis amplitudo. Multò æquiùs enim, sacris regulis, ac libertati Ecclesiasticæ consonantius est, causas Ecclesiasticas communes, maiores, Episcopales, iudicibus à Sede Apostolica delegatis cōteredi, quàm ab imperatoria maiestate. Orientales ergo, qui vt remotiores, ità alieniores erant à Romani Pontificis vniuersali auctoritate sebeunda, in eius vicem imperatoria premi, & conteri conducebat; vt intelligerent, extundente intellectum vexatione, non posse Ecclesiæ libertatem sine summo aliquo vno iudice Episcopo constare. Nisi enim summus iudex sit Episcopus, erit Imperator.

Denique nemo nescit, & in Florentina Synodo patentissimè eluxit, quàm fœda seruitute Græcam Ecclesiam suus Imperator dehonestasset.

54 Vtque recurramus ad priora secula Ecclesiæ, id quoque sibi sumpserat Imperator, vt extrà territorium iurisdictionem Episcopis prorogaret.

Ideò Cyrillus, & Memnon in Ephesina Synodo prima grauiter expostulant se à Ioanne Antiocheno damnatos, cui nulla in se competeret auctoritas, neque ex legibus Ecclesiæ, neque ex Principis edicto. [Et quidem, nec per leges Ecclesiasticas, nec per imperiale decretum potestatem habuit, qua fultus, vel quempiam ex nobis iudicare, vel omninò simile quippiam attentare posset: præsertim verò contra maiorem Sedem.] Cui finitima est, & illa potestas, iudicium ab vna Prouincia, vel Diœcesi auocandi, & in aliam transferendi, si cui Episcopo suus, vel Metropolita, vel Patriarcha suspectus foret, & recusandus videretur.

Ità Ibas Edessæ Metropolitanus, Ioanoes, & Daniel Episcopi, de hæresi à Clericis accusati, coram Domno Patriarcha Antiocheno: etsi lis contestata fuisset in Synodo Antiochiæ: rescripto tamen, & auctoritate Theodosij Imperatoris, ex sententia Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani, ab Osrhoena Prouincia ad Prouinciam Phœniciæ translati sunt, vt à Photio Episcopo Tyri, Eusthatio Beryti, & Vranio Himeriorum Episcopis iudicibus datis, iudicium de accusatione ferretur.

Iudices commonitorium Principis à Damascio Tribuno prolatum actis inseri iussere, vt constaret de collata sibi à Principe cognitione. [Pium communitorium dignetur tua magnificentia demonstrare, vt per omnia intentionem pijssimi, & Christianissimi Imperatoris nostri sequamur. Præfulgere etenim debet his gestis.] Quod totum refertur Act. 10. Concilij Chalcedonensis.

55 Verùm & hîc quoque non facta tantùm, sed & iura pensitanda sunt. Nàm si suo, & pleno iure Imperator iurisdictionem Episcoporum aliorum in alios prorogat, & proprijs quoslibet subducit, alijsque subiugat Iudicibus, quò euandent Canones? Quò leges synodicæ? Quò sedium prærogatiuæ? Quò prouinciarum, & Diœceseon fines? Quò Nicænis ipsis Patribus venerandæ antiquæ consuetudines Ecclesiarum? Tota hæc regularum, & ordinis pulcritudo, passim, & promiscuè regiorum diplomatum licentia deformabitur.

Adde quòd Cyrillo suus erat Ecclesiasticus iudex, Romanus Præsul. Hoc est, vt secunda Sedes cæteris, ità secundæ prima, Alexandrinæ Romana imminebat. Quorsum ergo primam Sedem suo iure fraudaret, secundam tertiæ subijceret, ordinem Canonum intetuerteret Imperator? Ad hæc, refricanda est eorum memoria, quæ suprà perstrinximus, de Pragmaticorum, & Canonum conflictu. Si nihil enim Pragmaticū tenet, quod Canonicis obuiet institutis; inutilia ergo, & cassa erant illa rescripta Principum, quibus Sedium priuilegia perimebantur; etsi Principum maiestati ad tempus quandoque morigerati cogeret dispensationis necessitas, & pacis inter Regnum, & Sacerdotium alendæ charitas. Quæ omnia operosum non est transferre ad alterum caput, translati videlicet ab vna Prouincia in aliam indicij. Nec sanè species istæ effugerant prouidentiam Synodorum, & Canonum. Sæpiculè enim iusserant sacræ regulæ è vicina Prouincia accersi Episcopos, vel ad Exarchum Diœceseos recurri, vel Iudices eligi, vel ad primam Sedem prouocari. Nusquam autem copiam fecerāt Canones adeundi ad postulandos iudices Principis. Quin immò viam sepserant, quanta maxima fieri poterat diligentia, canones Antiocheni, Sardicenses, alijque, ne Comitatum peterent, ne ad Principem cursitarent Episcopi. Amplitudini regiæ id tributum fuerat, ne pœnæ irrogarentur ei, qui Ecclesiasticos iudices à Priucipe postulasset.] Si Episcopale iudicium ab Imperatore peterit, nihil ei obsit. [ait Canon Africanus. Ex venia id toleratur. Nàm huius rei copiam apertè nulli fecere Canones.

56 Adde quòd Ibas ab Eutychete elaocularijs sæcularis potentiæ machinis exagitatus, & plures expertus carceres, & Synodo prohibitus se sistere, necessariò ad Imperatorem recurrit. Act. 10. Concilij Chalcedonensis, ità fortem suam dolet: [Eutyches aduersùm me pro fide quædam falsa confinxit, nec me in Synodum introire permisit, per quadraginta mansiones, per di-

diuersos ad inuicem succedentes ordines ditexit me, viginti, & ampliùs carceres mutaui, &c. ob hoc adij sacrum, & immortalem verticem, & iussit vestram magnificentiam, Synodumque audire, quæ aduersùs me gesta sunt.] Aduersùs istiusmodi nefaria secularis potentiæ machinamenta necessariò adeundus erat Imperator. Vtque hoc exemplo, ità & superiùs delibatis, & compluribus alijs liquet, non alia magis de causa aditum à Clericis esse Principem, si quando à pijs, & religiosis adiri illum contigit, quàm vt, quæ vel præcessores eius, vel Iudices, Præsidesque imperatoria potestate abutentes, machinati nefariè fuerant, ab ipso reuocarentur.

Ità Theodosij gesta, & rescripta Marcianus rescindere pluries exoratus est.

Ità Constantinus ab Athanasio compellatus magis, quàm appellatus, vt Synodi Tyriæ, & Dionysij Comitis flagitium, regia auctoritate armatum, ipsemet rescinderet.

Ità, & Bassianus Ephesi Episcopus, vt Imperatoris tuitionem imploraret, compulsus est militari incursione in se facta. ait enim ipse: [Postquam mysteriorum sasacrificium absolutum est, apprehendentes me, & abripientes de sancta Ecclesia, plagis afficiebant, ducentes, & portantes in foro, aliquando verò, & recludentes, gladijs me subiecerunt.]

57 Adde rursùm, quòd Edesseni Presbyteri in suo ad Photium, & reliquos Phœniciæ Episcopos libello, Synodis, & Episcopis hanc potiùs tribuunt iudicij translationem: [Consequenter, & secundùm Canones, adeuntes Concilium, tàm Orientale, quàm Occidentale, oportuit nos, & pijssimum, atque Christianissimum Principem nostrum pro his deprecari. Ex hoc ergo, & sanctissimo nostro Archiepiscopo Flauiano pariter decernente, cùm pijssimo nostro Principe, & decernente nostrum à sanctitate vestra exerceri negotium, aduenimus parati nobis adesse.] Transtulit ergo iudicium ab vna Prouincia in aliam, cum Imperatore Flauianus Episcopus Constantinopolitanus. Si roges, quo suo iure? Expedita responsio est, vt iudicia Ecclesiastica à Clericis exerceantur, & secundùm Canones; non à Principe, & secundùm leges. De fide quippè hìc agebatur. At vltrà fines sibi defixos euagabatur hoc prætexto Episcopus Constãtinopolitanus, quòd multa ad eum remitteret Imperator, vndequaque ad se querelis miserabilium quorumcumque relata. Ex quo vno capite potissimùm erupit infinita tandem illa, & regulis antiquis Ecclesiarum infestissima potestas Patriarchæ Constantinopolitani, & reliquorum Orientis Patriarcharum iura absorbuit. Vt & hinc diluxerit, vnum vniuersalem Episcopum, & summum causarum Ecclesiasticarum iudicem opus esse; alioqui fore, vt pleraque iudicia, & ea maximè, quæ diuersis Patriarchatibus implicata sunt, ad secularem magistratum deuoluantur: vel in contumeliam, & exitium antiquorum, & Apostolicis, Nicenisque institutis accommodatorũ, nouus ebulliat Patriarcha, solo Principis patrocinio, & seculari ambitu, omnia peruasurus. Quod in Oriente exitus comprobauit.

58 In Occidente verò, vbi primæ Sedis priuilegio cælitus consignato lubentiùs subscriptum, longè rariora sunt huius rei exempla. Nec nulla sunt tamen.

Nàm Concilium Toletanum 13. Canon. 12. de ijs agit, qui ab Episcopis ad Metropolitanum prouocant, itemque ab vno Metropolitano confugiunt ad alium, & denique ad Regem, si à duobus Metropolitanis abijciantur inauditi. [Si prægrauatus quis à Metropolitano proprio, ad alterius Prouinciæ Metropolitanum molestiam præssuræ suæ agnoscendam detulerit; aut si inauditus à duobus Metropolitanis ad regios auditus negotia sua perlaturus accesserit.] Religiosior hæc disciplina. Nam ab Episcopi iudicio, ad Metropolitanum confugitur. A Metropolitano, non statim ad Regem, sed ad alium Metropolitanum. Priscæ enim consuetudinis fuerat, ad vicinas recurrere Synodos. Si denique à duobus quis Metroplitanis protelatus fuerat, adire Regem poterat, vt qui vel delegare iudices, vel Synodum generalem colligere moris habebat. Quantò pulcriùs alibi à Metropolitani, vel sententia, vel repulsa, ad Vicarium Sedis Apostolicæ, seu Primatem, aut ad ipsam Sedem Apostolicam concurrebatur, & intemerata seruabatur regula non conueniendi secularis magistratus in negotio Ecclesiastico? Denique adiri Principem vsquequaque, & absolutissimè vetuere, & Principes, & Episcopi, nisi de Episcoporum consensu.

Nàm capitul. Caroli Magni lib. 7. cap. 57. ità habetur: [Si quis adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cũ consilio, & tractatu Metropolitani, & cæterorum Episcoporum ipsius Prouinciæ.] Plures alibi eam in rem Canones conglobabuntur.

59 Nec aspernanda in istiusmodi illa etiam suspicio est, hæc omnia à Principibus, non iuris rigore, sed pietatis instinctu, vsurpata fuisse; ideòque non exempla hinc aucupanda legitimæ potestatis, sed charitatis, leges & canones non rarò, nec sine laude prætergredientis. Vno & splendido id efficiam argumento, ab illis deprompto Monachis, quos cùm Theophilus in Alexandrina Synodo, velut Origenis errorum affines damnasset, & perdiù exagitasset, [Regiam ad Vrbem peruenerunt, in qua diuina manu ad curam indigentium Ioannes ordinatus erat Episcopus, procumbentesque ad eius genua, orabant, vt opem ferret animabus calumniam passis, vastatisque hostium odio, &c.] vt ait Palladius in Dialogo de vita Chrysostomi, cap. 7. Vbi & hæc Monachi quinquaginta ad Chrysostomum contestantur: [Sede, Pater, nosque non vtcumque vulneratos Theophili Papæ vesania curare stude, si tamen valueris nostrorum tumoribus vulnerum obducere cicatrices. Nam si ipse quoque nos despicis, aut reuerentia, aut metu Theophili, iuxtà Episcopos reliquos, nihil iam superest nobis, nisi vt proficiscamur ad Imperatorem,

ipsius

ipsius opera pessima ad iniuriam Ecclesiæ publicemus.] Denique vt subdirur cap.8. Monachi ijdem, [Augustis primùm congressi, Reginam deinde adeunt in Ecclesia sancti Ioannis, orantes, vt Theophilus vel inuitus adductus, Ioannis indicio subijceretur, &c.] Aequi, bonique consulenda hæc omnia, non ad iuris elimari amussim trahenda sunt. Nam quòd Monachi à Theophilo damnati ad Palæstinos Episcopos confugiant, quòd rursùs ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, id totum prærer Cannnes fit. Quòd ad Imperatorem denique se profecturos comminentur, eo aperium faciunt, sola iudicij ecclesiastici desperatione, se ad regiam tuitionem implorandam compelli. Quòd denique Ioannis iudicio Theophilum subjici orant, id immane quantùm, & Nicænis, & omnibus prorsùs Canonibus aduersatur. Nusquam hìc ergo legitima, & Cannnibus auctorata potestas à miserabilibus Monachis inuocatur, sed sola, & vbicumque obuia charitas.

60 Eidem prorsùs extraordinaria omnia adgredienti charitati, magis quàm ordinariæ, & legirimæ potestati adserendum illud etiam est, quod causas ecclesiasticas Prrnceps ipse, non per Vicarios vllos definiat. Perinsigne emicat eius rei documentum in epistola Concilij Romani ad Gratianum, & Valentinianum Imperatores, vbi post gratias Imperatori habitas, quòd statuisset, vt de reliquis Ecclesiarum sacerdoribus Episcopus Romanus haberet examen. [Vr & de religione religionis Pontifex cum consorribus iudicaret, nec vlla fieri videretur iniuria sacerdotio, si sacerdos nulli vnquam prophani iudicis, quod plerumque conringere poterat, arbitrio facilè subiaceret.] Posteà gratantur, quòd Imperatoris iudicio probata fit innocentia Damasi Papæ, aduersùs Vrsicini asseclarum criminationes; [Quia igitur vestræ iudicio tranqnillitatis probata est innocentia fratris nostri Damasi, &c.] Orant, vt tantò magis Damasus à forensium iudicum potestate immunis habeatur, à qua absoluti sunt omnes Episcopi: [Quoniam Damasus in sua causa vestri tenet insigne iudicij, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogatiua tamen Apostolicæ Sedis excellit, vt iudicijs publicis videantur esse subiecti, quibus sacerdotale caput lex vestra submouit. Iu quo post seurentiam non videtur declinare indicium, sed delaram à vobis honorificentiam flagitare.] Denique istud præ cæteris memorandum, & admirabile subijcitur: [Accipite aliud quoque, quod vle sanctus vestræ magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat; nec derogare cuiquam, sed Principibus arrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum; vt Episcopus Romanus si Concilio eius causa non creditur, apud Concilium se imperiale defendat. Nam & Siluester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Er de Scripturis similia exempla suppeditant, Quòd cùm à Præside sanctus Apostolus vim pateretur, Cæsarem appellauit, & ad Cæsarem missus est. Certè priùs examinet causam vestra clementia: & si emerserit quæstio, interroganda distinguat. Vr quemadmodum dudùm estis censere dignati, factorum à iudice ratio quæratur, non arbitrium sententiæ vendicetur.] Quæ admirabiliora visum iri intelligo.

Sed aduerte primò: Vt Episcopus, & Episcoporum summus apud imperiale Concilium se defendat, id non ab Imperatore vsurpari, qui immunitatem potiùs omnium Episcoporum sanxerat: sed à Pontifice ipso deferri, sibi nempè derogante, vt Principibus adrogaret.

Secnndò: Apertè innui causas episcopales episcopali Concilio terminandas. Id enim Canones iubent. Si interuertatur ordo legitimus, id saltem postulatur, id dispensariuè remittitur, vt coram solo Imperatore causam dicat Pontifex, non vllo alio iudice sacram vicem fungenre.

Terriò: Sine figura iudicij plerumque Principem, vt nullis forensium legum anfractibus deuinctum, iudicare, & arbitrum magis agere, quàm iudicem.

61 Ar vt habeat de Syluestri apud Constantinum purgarione, vt indubitatiùs, ità splendidiùs est exemplum Athanasij, qui à Tyria latrocinali Synodo ad ipsum Constantinum maturauit, postulauitque ea, quæ Constantinus ipsemet nos docebit in epist. ad eamdem Synodum: [Magna libertate nihil aliud postulauit, quàm vt vos huc euocari iuberem, quò nobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cùm mihi æquum, & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denunciarum volui, vt quotquot Synodum Tyri absoluistis, sine omni tergiuersatione ad prætorium nostræ clementiæ conueniatis. Reipsa quantum seueritatis, integritatisque sit in vestris sententijs, coram metipso declaraturi.]

Appellasse Athanasium velut ab abusu, à Synodi iudicio ad Imperatorem, colligunt aliqui ex epistola synodica Orientalium Sardicæ Episcoporum apud Hilarium in fragmentis: [In præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens, Imperatorem appellat. Audit etiam Imperator, quique interrogatione habita, omnia eius flagitia recognoscens, sua illum sententia, in exilium deportauit.] Verùm mendaciter hæc omnia in Athanasium, & inuidiosè conficta sunt. Nam nec in præsentem Athanasium sententia dicta est, nec Athanasius appellauit. Sed præcipiens Synodo tumultuanti se subducere, recusatoque iudicio Episcoporum sibi suspectorum, causam suam integram Principi reseruauit. Disertè enim in contestatorio libello, quem Dionysio Comiti obtulit, [Cognitionem causarum nostrarum ipsi Augustissimo Imperatori reserues. Æquum est enim, te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum retinere.] Nulla hic appellationis vestigia.

Appellationem Donatistarum nemo ne-

nescit, quibus diris prosecutus sit Constantinus. Quando ergo non dabatur copia, nec spes vlla supererat residua legitimi synodici iudicij, extraordinariam tentat hanc tandem Athanasius, vt & suprà Damasus, viam, vt Princeps cognoscat. Nonne Constantinus idem post Arelatense Concilium appellatus a Donatistis, de re tota rursùm cognouit, veniam petiturus ab Episcopis? Non ergo iuti consentanea, sed dispensandi necessitati opportuna hæc fuit ratio, vt Princeps cognosceret, non vice sacra quisquam alius, de Cæciliano, de Athanasio, de Damaso.

Valet enim in hæc omnia vnice(t)sim, quod de causa Cæciliani tradit Augustinus epist. 48. [Illos magis hinc arguimus, quia cùm apud Imperatorem vltrò Cæcilianum accusassent, quem primò vtique apud collegas transmarinos conuincere debuerunt; ipso autem Imperatore longè ordinatiùs agente, vt Episcoporum causam ad se delatam ad Episcopos mitteret: nec victi pacem cum fratribus habere voluerunt.]

Indignabundus addit, rursùm à Donatistis Episcopos iudices apud terrenum iudicem accusatos. Et epist. 68. ab Arelatensi Concilio, [pertinacissimi, & litigiosissimi ad eundem Imperatorem appellauerunt, postea & ipse coactus, Episcopalem causam inter partes cognitam terminauit, &c.]

62 Quòd ergo, qui appellationem Donatistarum recusabat primò Constantinus, cognitionem Athanasij posteà admiserit, non illud in causa fuit, quòd iste de insidijs, & dolo Synodi Tyriæ conquereretur, illi verò de iniquitate iudicij.

Primò, Nam etiam de Romanæ Synodi insid ijs, & dolo mussitabant Donatistæ, nempè [quòd omnis causa non fuisset audita, sed pauci quidam Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat, iudicassent: à paucis dictas sententias; & hos ipsos, non omnibus, quæ inquiri antè oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum iudicium præpropetè, festinanterque processisse:] vt Auctor est Constantinus ipse in epist. ad Ablauium præfat. Afric. & ad Chrestum Syracus. Epis. Præter Canones iudiciorum moderatores hæc petæquè erant, si ità fuissent gesta.

Secundò, Non ab hac Romana, sed ab Arelatensi post synodo prouocarunt ad Imperatorem Donatistæ, qui protinùs illos exceratus est, quòd quomodocumque ab Episcopis ad Regem, ab ijs inquam, [quorum iudicium ita debet haberi, acsi ipse Dominus residens iudicet: ab ijs, qui nihil aliud sentire, ac iudicare possunt,nisi quòd Christi magisterio sunt edocti:] quòd appellantes, iudicia [perquirerent sæcularia, relinquentes cælestia: quòd denique sicut in causis Gentium fieri solet,appellationem interposuissent.] Quæ latissimè patent, & omnes iudiciorum, atque appellationum species amplectuntur.

Tertiò, Id ergo exhorruit Constantinus in Donatistis, quòd appellassent: id non auersatus est in Athanasio, vt qui nimè appellasset, sed causam suam integram Imperatoris cognitioni reseruasset: sicue Augustinus,Cæcilianum, ait, non appellare, sed causam suam integram transmarinis iudicibus seruare potuisse; etsi in cum absentem Donatistæ, sicut in absentem Athanasium Eusebiani, sententiam dixissent. Inuidiam autem Athanasio conflabant Orientales Episcopi Sardicæ, cùm appellasse eum negabantur.

Quartò, Nec ab Athanasij antem, nec abs Constantini factis, ius vllum condi legitimum potest, vt quæ extremæ, & desperatæ necessitatis telo extorta sint. Nam vt docuit Augustinus, nonnisi à contumacissimis, & litigiosissimis coactus, veque vel extraordinariam hanc viam frangendæ eorum pertinaciæ tentaret, & veniam petiturus ab Episcopis,Constantinus de causa Donatistarum,& Cæciliani cognouit post Episcopos,qui ante Episcopos cognoscere se non posse ordinatiùs agens professus erat. Ità & necessitati obsecundans Athanasius, quando canonicæ cognitionis spes omnis amputabatur, ad Imperatorem recurrit.

Quintò, Quid enim sibi iure liceret in causis Ecclesiasticis, Constantinus ipse Nicænæ Synodi tempore declarauit, cùm accusatorios complures libellos sibi ab Episcopis oblatos, comburi iussit, hæc effatus: [Istæ criminationes tempus sibi præstitutum habent, diem magni iudicij: Iudicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus. Mihi verò non est fas, cùm homo sim, eiusmodi causarum cognitionem arrogare: præsertim cùm, & qui accusant, & qui accusantur, sacerdotes sint. Deus vos constituit sacerdotes,& potestatem dedit de nobis quoque iudicandi. Et idcò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Vos nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos: sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum,&c.] Horum meminere Rufinus, Socrates, Sozomenus, alijque. In tanta libellorum copia, consentaneum est omnis generis querimonias extitisse, quas indiscriminatim summouit Princeps, & omnem istiusmodi potestatem à se abdicauit. Ergo cùm de causis Ecclesiasticis cognoscere recusauit, tum planum fecit, quid iuri conciueret: cùm cognouit, tunc patefecit, quid necessariæ dispensationi, & charitati omnium legum Imperatrici indulgeret.

Sextò, Et postremò, obuijs vlnis amplectendus hic saltem Ioannes Maior, ne parcus alioqui ille imprimis, & illiberalior in Ecclesiastica, prodigus autem propemodum in sæculari potestate dimetienda.

Ergo sic habet ille in lib. 4. sentent. d. 24. [Ex talibus factis singularibus, quæ ex deuotione ad Ecclesiam, & non debito iuris fiunt, non est trahendum aliquid in consequentiam,quemadmodum nec ex multis alijs. Vt vbi Imperatores elegerunt maximos Pontifices: similiter quòd aliqui maximi Pontifices depositi sunt per Imperatores. Et sicut recitat historia Ecclesiastica,

stica, multi sacerdotes apud Constantinum Magnum querelas suas deponebant. Ex quibus nullum sumi potest argumentum.]

63 Quocirca in hocce inter Christiana Christianissimo regno, Priuilegij nomine honestatur, quidquid in Ecclesiasticis causis Iudex publicus aodet. Qua de re aliàs. Adiri autem Principem ipsum, non quoslibet Iudices regios, in istiusmodi causis ad infulatos Præsules attinentibus, monebat Hincmarus Rhemensis Episcopus, nec improbabat, in Rotula Carolo Regi porrecta, si modò non in publico, sed in priuato loco, & veluti de plano, vel à Rege, vel à regijs delegatis res disceptaretur: [Regia igitur sollicitudo à Rege Regum, & æquissimo iudice Deo, vt in directione cordis iudicium iudicetur, constituta, sollicitè prouidere debet, vt tales iudices cum Episcopis ad causam inter Ecclesiasticos, & Sæculares dirimendam eligat, & constituat, qui religiosi sint, & Dominum timeant, &c. Et iudicent non in publico iudicij loco, sed in priuato. Quia Episcopi non in Consistorio Regum, non in Prætorio Iudicum, nec nisi ab Episcopis, aut in Synodo, aut in priuato loco à Primatibus Deputatorum, aut à se electorum Iudicum iudicio, debent, aut possunt regulariter iudicari.] Et in Quaternionibus: ad eundem. [Si laica persona Episcopale abnuerit iudicium eligere, quod Episcopo non licet refugere: ratio est, & non obsistit auctoritati, vt cum Coepiscopis Episcopi, contra quem ad vos quis reclamat, quia indignum est vos ipsum indè laborare, missos vestros ab eo petitos, vel à vobis deputatos mittatis, qui vtriusque partis rationem audiant, & secundùm humanas, & diuinas leges discernant, &c. Et hoc non in publico, sed in priuato loco fiat.]

Et paulò antè: damni quidpiam passus ab Episcopo, [Et à vicini Episcopi monitis, & precibus, vel cuius alterius iustitiam obtinere si nequiuerit: non abhorreat à ratione, si non accuset Episcopum ad publicos iudices, quod non licet: sed ad vos se reclamet.]

Rei eiusdem exempla sub tertia Regum nostrorum Dynastia vide in Collect. Quercetana tom. 4. pag. 584. 634. &c.



APPENDIX

Ad Synodum Chalcedonensem de Subscriptionibus.

SYNOPSIS.

Moris olim fuit, Romanorum Pontificum literis fidem præscribi. Quantùm eæ cæterorum Antistitum scriptis etiam de fide literis antecellerent. Duplici occurritur obiectioni, aduersùs Leonis epistolam gannienti, quasi illi, nonnisi ob suum cum Scripturis, Synodisque prioribus concentum, subscriptum sit, & ob accumulata Patrum testimonia. Cyrilli quoque epistolis subscriptum, & cur? Num. 1. 2. 3. Episcopalibus quoque definitionibus subscriptum est. Num. 4. 5. 6. 7. Subscribere solos Episcopos, solemnius fuit: quicumque tamen obliquis suspicionibus perstringebantur, subscribere & ipsi compulsi sunt, Clerici, Monachi, Laici. Num. 8. 9. 10. Quanta obsequendi necessitas immineret. Vbi & illud Chrysostomi elucidatur, Communicate quidem, sed nolite subscribere. Illud item Augustini, Viros quandoque bonos ab Ecclesiæ communione eijci. Num. 11. Imperator sicubi Episcopis præcurreret, si aduersùs fidem, restitum est: si pro fide, restitum quandoque tamen pro libertate, sæpiùs ex dispensatione obtemperatum est. Num. 12. 13. 15. Summa Romani Præsulis auctoritas in subscriptionum negotio. Num. 14. Post subscriptiones, nihil ampliùs suspicionum penès quemquam residere debet. Num. 16. Subscriptiones, vel fidei confessiones plenæ, apertæ, puræ, & simplices esse debent, atque ità vt ex animo saltem Episcoporum, ceu fidei Magistrorum suspicio infesta expungatur. Num. 17.

1 Anon 30. apod Balsamonem, non Canon est, sed deeretum act. 4. Planum hinc est autem, in more positum fuisse, vt & fidem epistolis suis definirent Romani Antistites, & ei subseriberent reliqui per Orbem Episeopi. Id vel ex hac maximè Leoois epistola patet ad Flauianum data, quæ exindè velut Catholiee fidei tessera Eeelesias omnes peruagata est. Id ante cætera Dioscoro erimini datum, quòd io Ephesina secunda Synodo eam vetuerit legi: inde prædatoriæ illius synodi labem profectam esse omnes contestati sunt, vt suprà osteusum: Chalcedonensis ipsa Synodus in id ante omoia ineubuit, vt huie epistolæ omnes subseriberent. Terginersantibus Aegyptijs act. 4. iterùm, iterùmque Episeopi omnes, & ad rauim vsque intonuere, [Epistolæ Leonis subscribant, Anathematizantes Eutychem, & dogma eius. Consentiant epistolæ Leonis. Eludere nos volunt, & discedete, &c. Subseribant epistolæ Leonis. Qui non ei subscribit, hæretieus est, &c. Voiuersalis hæc Synodus Aegyptiaca maior est, & fide dignior. Noo est iustum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille dueeotos Episcopos.] Deoique fideiussores dare, vel iuramento se constringere coguntur, nec Constantinopoli diseedere, donec erettur Episcopos Alexandrinus, & tunc subscribant. Sed & ante Synodum Chalced. vt refertur act. 4. [Cùm pauci Coostantinopoli conueoissent, missa est epistola almi Archiepiscopi Leonis, ijs, qui vbique essent, Metropoliris, & subseripta est.] Er Pulcheria Augusta ad Leonem scribens, purgansque apud illum alioqui meritò suspectam fidem Aoatolij, ait: [Tuarum litterarum Apostolieam confessionem complectitur, & epistolæ Catholicæ fidei, qoam ad Flauianum tua Beatitudo direxit, sine aliqua dilationt subscripsit.]

Denique eùm oou pauei stomacharentur, qoòd fidei coufessio mandata esser, illigataque epistolæ: Synodus Chalced. io Prosphon. ad Mareianum, Leonem eongesta exemplotum serie tuetur: [Sic magous ille Basilius minister gratiæ, subsistentiarum euidentiam, vt in epistola mirè declarauit, & sancti Spiritus doctrinam diligentiùs tradidit, Consaeerdotum suorum eliciens etiam subscriptione consensum. Sic quoque Damasus Romanæ Vrbis deeus ad iustitiam, litetis ad Paulinum datis dispensarioois saeramenta pateseeit, admouens, vt his, quæ benè deereta sunt, si qui communioois suæ pattieipes veliut esse, coosentiant, &e. Sie Athanasij ad Epictetum amplectimur literas. Sie tamquam propriam, Gregorij ad Cledonium epistolam vbique proferimus. Et quid oportet plura dicete? Si enim per epistolas Ecclesiæ dogmata deelarari, pro vnaquaque quæstione, dignum culpa iudieant; ipsum iu primis beatissimum Cyrillum quilibet potuerit denotare, qui literis suis, quod sentiebat, Orientalibus expressit. Nee non & magnum Proclum, huic vituperationi subijeiet, qui eisdem Orientalibus volumeo ad Armenios pro fidei coogruentia destinauit. His etiam consociabitur ad cul-

culpam, & sanctissimus Ioannes Antiochenus Episcopus qui hæreticorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans, torius Orientis confessionem, velue ex vno ore sanctissimo Proclo, & ei, qui per idem tempus Mundi regebat gubernacula, destinauit. Non igitur nobis admirandi Romæ Vrbis Præsulis epistolam, velur innouationis offendiculum criminentur, &c.] Vbi vides coacernata exempla exaratæ mulroties in epistolis fidei orthodoxæ. Suprà retuli Episcoporum Galliæ, itemque Mediolanensis Prouinciæ testimonium, & subscriptionem in eandem Leonis ad Flauianum epistolam. Vt Orientem Occidenti succinuisse hic quoque intelligas, & uos in fidei Apostolicæ, Sedisque Petri venerationem semper præisse.

2 Quòd aueem Chalcedonenses Patres in suprarelatis Prosphonetici ad Marcianum verbis, non Leonis tantùm, & Damasi Pontificum Romanorum, sed Athanasii quoque, & Cytilli Alexandrinorum, Ioannis Antiocheni, Procli Constantinopolirani, Basilii Cæsariensis, immò & Gregorii Nazianzeni epistolas commedant, vt fidei promulgattices: non eamen communicare his omnibus singulare primæ Sedis priuilegium censendi sunt: aut primæ Sedi nihilo plùs quàm his tribuere. Nam 1. quidem Damasi epistolam aiunt abrumpendæ communionis interminatione, velut summæ inrisdictionis indice munitam fuisse, quod de nulla istiusmodi epistolarum alia dici potest. 2. Leonis epistola in Synodo Oecumenica, & longè numerosissima ab omnibus subscripta, subscribique iussa est, quod nulli item alii competie: sicut nec vlli supradictotum Episcopotum congruie, quod de Leone testificaea est eadem Synodus, Petri interpretem omnibus constitutum fuisse, vt Caput membris pręfuisse. 3. Etiam antè Synodum subscribi cœperat Leonis epistola, sola Poneificis summi auctoritate vrgente, vt putà in Galliis, in Italia, immò Constantinopoli, & in Oriente roto, ad omnes nempè Metropolieas directa, ve suprà didicimus. 4. Etiamsi magnarum Sedium fastigia obtinerent supradicti Episcopi penè omnes, non tamen vniuersali Ecclesiæ legem dicere, aut fidem dictare poterant; sed in priuatis tantùm suis diœcesibus, ane prouinciis, vel parœtiis in obnoxios sibi quousque. Quin etiam scribebat Nazianzenus ad Cledonium, Proclus ad Orieneales, vel ad Armenios, Ioannes ad Proclum, Athanasius ad Epictetum: nonnulli fidem magis suam nudabant, quàm alienam informabant. At Damasus ad Paulinum Antiochenum, Leo ad Flauianum Constantinopolitanum, immò in Gallias, in Italiam, ad omnes vbique terrarum Metropolitas fidem sanciebant, renitentibus excommunicarionis intentabant iaculum. Ergo & iurisdictio hæc erat, & vniuersalis iurisdictio. 5. Apertè in literis suis ad Leonem Gallicani Episcopi, confitentur fidem hanc se eloquuturos fiducialiter, & liberè, [suffragante etiam Apostolicæ Sedis auctoritate.] Deoque grates actutos, [quòd tantæ sanctiratis, tantæ fidei, rantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi, vndè religionis nostræ propitio Christo, fons & origo manauit, Antistitem dederit.] Et prouinciæ Mediolanensis Episcopi in epist. ad eumdem eadem de causa, censent fidei hostea damnarione congrua persequendos, auctoritatis vestræ præcedente sententia.] 6. Crebrò iam ex Hieronymo monuimus, Damasum eius calamo, [Orientis, Occidentisque consultationibus Synodicis respondisse.] Idem de antecessoribus eius ex ipso, & successoribus non immeritò coniectamus. De nullo prætereà primarum etiam Sedium Episcopo idem constat. Non doctrinæ autem tantùm, sed iurisdictionis, & summæ in Ecclesia auctoritatis testes fuisse, has literas indè indubium fit: quòd doctrina magis Hieronymi, auctoritas mera Damasi coruscaret; quòd Athanasium, Cyrillum, Basilium, Nazianzenum, Proclum doctrinæ vbertate inusitata floruisse exploratum omnibus sit, scripta ipsorum testentur; non item Damasum, Siricium, Innoceneium: illos ergo eruditio, hos Sedis auctoritas consuli suadebat: quòd in Occidente saltem iurisdictionem Romanorum Antistitum latissimè dominatam esse, nec aduersarij abnuant, at promiscuè Hieronymus consultationes Synodicas commemorat Orientis, & Occidentis: ergo vt istæ, ità & illæ ad principatum Petri Sedis referabantur: quòd denique ipsæ, quæ à Syricio, & reliquis deinceps Pontificibus indubitatæ supersunt nobis literæ decretales, singulis penè verbis, non copiam quaudam singularem doctrinæ, sed exertissimam potestatem, & iurisdicendi principatum ostentent, atque adeò parendi necessitatem inferant. Frustratorius autem, & merus ille cauillus est, causantium epistolæ Leonis ad Flauianum subscriptum esse in Concilio Chalcedonensi, non ex Leonis auctoritate, quasi fidei Dictatoris, sed ex comperta eius consensione cum Nicæno, cum Constantinopolitano, cum Ephesino primo Concilio, ve fidem faciunt subscriptiones actionis quartæ Concilij Chalcedonensis. Cui ludificationi ita occurritur. Subscriptio, & veritati exploratæ, & auctoritati indiscriminarim, perindè ve fides adhibetur. Illud vsitatissimum est Sectarijs diuerticulum, vt obtentu verieatis auctoritatem detrectent: adeò Catholicis fugitandum: ne auctoritati dematur, quidquid arrogatur veritari. Nicænæ ipsi Synodo subscribitur, vt diuinis literis consentaneæ. An ideò Synodi Oecumenicæ primæ vigoe, & auctoritas emarcuit? 2. Secundæ, & Tertię Synodo subscribitur, vt cum Nicæna consonantibus: an ideò rota credulitas in Nicænam exhausta est, eiusqne nec pilus superest, qno reliquæ Synodi honestentur? Vide vt hae eadem act. 4. subscribat Sabbas Episcopus Palti Syriæ: [Trecenti decem, & octo Patres edocti à Spiritu sancto rectam fidem nostram exposuerunt: & centum quinquaginta Constautinopoli collecti eam sequuti sunt: similiter etiam huic con-

congruentia B. Cyrillus Ephesi docuit: consona quoque sanctissimus Archiepiscopus Romanorum Leo per suam epistolam docuit: & vniuersus Orbis terrarum sic instructus est, & edoctos, &c. & subscripsi ei, &c.] In eundem sensum subscribunt complures alij, & omnium penitùs subscriptio, etsi verborum contextu discrepans, eòdem tandem reuoluitur. An ideò solam Nicænam à Spiritu sancto edoctam arguttabetis, reliquis Synodis subscribi non aliter, quàm ex illius primæ, quam sectantur, auctoritate? Apage has ineptias. Reuiuiscat potiùs solertissima Patrum simplicitas, iura iuribus, lumina luminibus affectans non committere, sed conciliare: & fidei formulis gnara subscribere, tum quia Scripturæ concinerent, tum quia viuæ vocis traduce à maioribus essent in posteros propagatæ, tum quòd Synodicè confirmatæ, tum quòd prioribus etiam aliquantis Synodis auctoratæ essent. Amica sibi sunt hæc omnia veritatis præsidia, non mutuò collidenda. 3. Paschasinus, Lucentiusque Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarij Sedis Apostolicæ in hac eadem actione; consentiunt similiter Leonis epistolæ, vt tribus Oecumenicis prioribus Synodis consonantissimæ. An ergo nec hos mouebat tantillùm Leonis Papæ auctoritas, sed totum dabant ponderi priorum Synodorum, vel puro, putoque veritatis lumini? Saltem Occidentales, saltem peculiares Episcopi, saltem Presbyteri, saltem Vicarij assurgerent auctoritati Archiepiscopi sui. 4. Quin ipsi Chalcedonensi Synodo Metropolitani variarum prouinciarum, ad quos ea de re posteà scripserat Leo Imperator, iterato suffragati sunt per encyclicas suas, eò quòd Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum, [Concilia firmauerit, nihilque quod illis benè videatur placuisse, commouerit; nec augmentum quoddam, vel detractionem fecerit, &c.] Cuiusmodi similia verba inculcantur in omnibus his encyclicis. Extremæ autem cuiusdam vecordiæ fuerit, his nugari abrogatam omnem Chalcedonensis Synodi auctoritatem. 5. Quid quòd & Patres Concilij Toletani 14. Sextæ Synodi gestis subscribunt: [Prædicta gesta cum antiquis Concilijs conferentes, &c. iteratò ea ipsa gesta probauimus, decretis quidem illis synodalibus, & præcipuis in omnibus consona: & Nicænæ quidem, Constantinopolitanæ, vel Ephesinæ fidei concordantia, Chalcedonensi verò tam esse vnita, &c. Et ideò supradicti acta Concilij in tantùm à nobis veneranda sunt, & recipienda constabunt, in quantùm à præmissis Concilijs non discedunt. Vndè his Concilijs ea subnectenda decernimus, quorum & auctoritate fulta probamus.] An & hi exauctorasse videbuntur Sextam Synodum, reliquo iam Christiano Orbe receptam, cùm antecedentium Conciliorum auctoritatem illi substernunt? 6. Sed cùm Leonis epistola ante Chalcedonensis Synodi initia, toto Occidente, & in magna Orientis parte subscripta iam, atque auctorata esset: Num nihil hinc illi auctoritatis accreuerat, & à nutu Chalcedonensium Patrum anceps, & vacillabunda pendebat? Nonne idem Orientalibus tunc, quod antè Cyrillo post Cœlestini Nestorium damnantis epistolas susceptas dicendum nempè supererat, necessitatem incumbere sibi, in damnando, & errore, & erroris auctore consentiendi Occidentalibus, vel communione eorum carendi? Certè act. 5. Chalc. Synodi, tergiuersantibus plenam, & enucleatam fidei definitionem edere, has Vicarij Romani minas intentant: [Si non consentiunt epistolæ Apostolici, & beatissimi viri Papæ Leonis, iubete nobis rescripta dari, vt reuertamur, & ibi Synodus perficiatur. 7. Porrò vt fidei Doctorem, ac Magistrum sibi præluxisse Leonem, tota Synodus non dissimulat, sed certissimè vociferatur, dum in fidei definitione vno contextu assentitur Niceno, & Constantinopolitano Symbolo, itemque Cyrilli epistolis Ephesi confirmatis, atque Leonis epistolæ, vtpotè quæ [Magni illius Petri confessioni congruat, & communis quædam Columna existat, aduersùs peruersè sentientes.] Dum act. 2. post eius epistolam recitatam exclamant: [Petrus per Leonem ità locutus est, hæc Patrum fides. Hæc in Ephesso cur lecta non fuit? Hæc Dioscorus occultauit: [In Ephesina enim Pseudosynodo aberratum est à vero, non anteriorum Synodorum ignoratione, sed solius Apostolici magisterij penuria, vt hic patet, & alibi ostensum.] Dum in epistola ad Marcianum scribit: [Nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparauit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens: vt quemadmodum feruens affectu Petrus, & hic affectu feruentiore decertans, omnem ad Deum sensum, intelligentiamque perducat.] Dum ad ipsum Leonem scribit: [Tu vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, &c. Tu sicut membris Caput præeras, &c. Rogamus, tuis decretis nostrum honora iudicium: & sicut nos Capiti in bonis impendimus consonantiam, sic & summitas tua filijs, quod decet adimpleat.] Non præferunt his verbis supercilium eorum, qui epistolæ Leonis, eiusque cum priscis Synodis concentus iudices se esse iactent, sed discipulorum sobrietas; qui vt Apostolis Petrum, vt membris Caput, vt filijs Patrem, ita sibi Leonem in fide præluxisse gratulentur. Quid æquius autem, quàm vt regat, & moderetur, non explorata tantùm veritas, sed etiam à Deo, & à veritate instituta auctoritas Petri, Apostolos, Capitis membra, Patris filios? An filij Patriam, an membra Capitalem minùs, aut pigriùs sectabuntur, quàm Magistralem discipuli auctoritatem? Deique idem de Synodo, quod de Ecclesia: immò idem de Ecclesia synodicè collecta, & per Orbem sparsa: idem de repræsentante, ac de repræsentata iudicium esto; Romana, quæ Caput, quæ Prima, quæ Magistra est, vtrobique principatum, & auctoritatis, & magisterij habet, vtrobique cæteras ducit sponte sequaces, vtrobique

& veritatis luce; & auctoritatis mole ceteras antecellit, vtrobique enim valet illud Tertulliani, ad Matrices, ad Apostolicas, ad Originales Ecclesias reliquis esse recurrendum, vt ab his fontibus illimiores hauriant fidei latices, hoc est, fontem veritatis in fonte auctoritatis, & originis inueniant. Leonis postremò auctoritati quantùm concederetur, proditum postea est, cùm perdiù, & Leonis epistolæ, & Concilio Chalcedonensi subscribi moris fuerit. Longè putidius est autem, quod alij tricantur, testimonijs antiquorum Patrum Leonem suam muniuisse epistolam, tamquam horum potiùs, quàm suis vocibus fides addicenda esset.

Quæ enim Synodus Oecumenica non æquè suffragia priscorum Patrũ accersiuit? Quæ Synodus suæ decerptum iri auctoritati suspicata est, si vel Scripturarum, vel antiquorum Patrum auctoritas proferretur? Nonnè, & ipsa Chalcedonensis Synodus post consecratam suis subscriptionibus Leonis epistolam, ad Imperatorem Marcianum eandem commendans in epistola Synodica, Patrum testimonia ei rursùs aggerat? Sed quis eorum, qui Chalcedone subscripsere huic epistolæ, vel leuissimè attigit, aut tantilli fecit ea testimonia epistolæ Leonis succenturiata? An etiam eùm passim Episcopi Synodis Oecumenicis subscribentes contestantur, hanc esse fidem inter cunabula, inter lustrales vndas sibi irroratam, hanc, quæ toto Orbe Catholico hactenùs coruscauerit: tunc Synodi auctoritatem eleuant, eamque vni Ecclesiæ antiquæ, & per Orbem sparsæ vendicatum eunt? Cruda hæc sunt insomnia, & vacua commentitiarum pugnarum ludibria, quibus illusi illusere: & falsi refellere quidam, antiquæ pacis, & Ecclesiasticæ olim concordiæ ignari: calamitosa autem schismatum tempora, & incertas dubiorum Pontificum; idcòque cum Synodis collisorum procellas experti, & veluti tempestate quadam iactati, reliqua omnia quamuis pacata, immotaque, iactari perquè, & æstuare imaginantur. Non pugnat, immò militat auctoritas veritati, veritas auctoritati, auctoritas auctoritati, ius iuri, Scriptura Synodis, Synodi Patrum dogmatibus, Pontifices Concilijs, Concilia Pontificibus, Caput membris, membra Capiti. Consentanea, amica, conserta sunt hæc omnia; mutua se ope, luceque recreant, & augent nullo vero, nullo intestino, sed imaginario, fabulosoque conflictu, nec vsquam nisi in scholis perstrepente diffident. Vt enim post serenatos, ità & ante excitos illos plurium simul, & dubiorum Pontificum turbines, nusquam membrorum omnium compago aduersùs Caput, nusquam Ecclesia vniuersa aduersùs Romanum Pontificem stetit; sed semper permagna, & plerumque longè maior Ecclesiæ pars pro capite suo certauit, vtque post scissum Orientem citimior Romanæ Ecclesiæ, atque Vrbi Christianitas, ità ante Occidentalis omnia Ecclesia Romano Pontifici, ità cohæserat, & penè coaluerat, vt ab eius sententia, & nutu, nec latum vnguem vsquam se abduci sineret.

3 Cyrilli epistolas in Ephesina prima Synodo subscriptas non detrecto. Sed Vicariam in illo statim primæ Sedis auctoritatem suspicior & hanc ab eo passim prætendi. Nec his epistolis subscribere, ità Ioannes Antiochenus, & Orientales adacti sunt, vt Ægyptij epistolæ Leonis, à qua vt Dioscoro obnoxij, videbantur abhorruisse. Nec Synodus Ephesina tantùm se Cyrilli nomine tuetur, quantùm Cœlestini, cuius epistola se cogi fatetur in Nestorij abdicationem. Nec ante ipsam Synodum ità Cyrilli, vt Leonis literæ ad omnes Metropolitas destinabantur, vel in Oriente, & Occidente circumferebantur subscribendæ. Nec Cyrillus ità poterat ad summarum Sedium Episcopos mittere literas, vt Leo ad Flauianum, ad Anatolium, ad Synodos Oecumenicas.

4 Posse tamen ab Episcopis vt fidei magistris, & Apostolorum successoribus conscribi formulas fidei, & ab ijs, quos regunt singuli, subscribendas publicari; in controuersiam vix trahi potest. In Episcopalibus enim quarumlibet regionum Concilijs sexcentæ cùm proscriptæ olim fuerint hæreses, orthodoxæ eorum definitioni iussos subscribere quicumque suspecti habebantur, consentaneum est credere.

Ad hæc Basilius, teste Synodo Chalcedonensi; [Consacerdotum suorum elicuit subscriptione consensum.]

Cùm Ariani enim Orbem vniuersum nefarijs subscriptionibus exigendis fatigarent, Nicænamque fidem, & Athanasium pessumdare machinarentur; necessum fuit orthodoxos Episcopos contrarijs subscriptionibus communire veritatem Ecclesiastici dogmatis. Arianos imitati Semiariani, eadem perdiù subscriptionum vesania bacchabantur: adeò vt Gregorio etiam Nazianzeno Episcopo, Theologi Patri imposuerint, & complures ex Catholicis incautos, vel inuitos irretiuerint.

Vndè in vita Gregorij Theologi: [Quò factum est, vt alij metu perculsi, alij verborum illecebris deliniri, aut pecunijs subacti, alij morum simplicitate decepti, hæresis escam susceperint: chirographo suo, & communione cum aduersarijs coniuncti. Quo in numero B. quoque viri huius Pater erat, animi simplicitate in hamum prolapsus.]

Sed patentem breui Theologus his laqueis extricauit, monachosque, & plebem ab eo hac de causa secedentem recollegit, vt auctor ipse est orat. 19. [Cùm à feruentiore Ecclesiæ parte ob eam causam seditio in nos excitata est, quòd scripto quodam, & artificiosis verbis circumscripti, in prauam societatem pertracti fuissemus, solus ipse illæsam mentem, minimèque simul cum atramento infectam animam habere creditus est: tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolumque ob animi sinceritatem ab omni dolo alienam minimè cauisset. Quin etiam solus, aut vt rectiùs dicam, primus, eos, qui à nobis ob pietatis zelum diffidebant, & sibi, & ceteris reconciliauit, &c.]

Qui rursùs orat. 21. de grassatione ista ca-

extorquendorum chirographorum ità expostulat: [Hinc alij ab Ecclesiarum thronis iniustè pellebantur, alij in eorum locum subrogabantur; sic tamen, vt ab ijs impietatis chirographa non secùs atque aliud quidpiam necessarium exigerent. Atque in promptu atramentum erat, & calumniator à tergo. Ea res permultos à nobis inuictos alioqui viros in fraudem impulit, qui quamuis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transuersi acti sunt: atque cum illis vtroque nomine improbis consenserunt: ac si non flammæ, fumi certè participes fuerunt.]

His, quos vtcumque excusat Gregorius, etsi non omninò culpa absoluit, accenseri fortassis potest, (quo de tamen aliàs) Liberius, aliquandiù antè consimili fraude implicatus.

At ibidem longè excusatiores plebeios ostendit Episcopis, si qua istiusmodi arte circumueniantur. [Nam plebeijs hominibus, qui per errorem id admiserint, ignoscendum fortasse fuerit, quibus illud plerumque saluti est, quòd animum à curiosa exploratione alienum habent. At Doctori, quo tandem modo id concedemus, &c.]

Episcopis ergo, seu Arianis antè, seu post Macedonianis orthodoxos Episcopos, forsan, & plebeios hac subscriptionum procella infestantibus, visum est Basilio Catholicum dogma sanctioribus chirographis defensandum.

Basilium imitatus est Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, de quo in Ephesina Pseudo-synodo hæc conquestus est Eutyches: [Subscribere dictatam aduersùm me sententiam monasteria compellebat: numquam, sicut & vestra nouit reuerentia, tali habita consuetudine, nec contra apertos hæreticos. Et per Orientem, & per alia diuersa loca destinauit chartas, vt etiam, & ab alijs religiosissimis Episcopis, & Monachis, etiam qui hæc non iudicauerunt, subscriberentur, cum magis oportuerit ante omnia Pontificibus scribere, quos & appellaueram.]

Quin & ipse Eutyches in sui defensionem, volumen de fide per monasteria subscribendum direxit, vt euincitur in Synodo Constantinopolitana sub Flauiano: dehortans etiam à subscriptionibus, quas exigebat Flauianus: [In his diebus tomum ad te directurus est Archiepiscopus, vt subscribas, ne persuadearis ab eo.

Quamquam Eutychetis libello subscribere recusarent complures Archimandritæ, aientes: [Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantùm est: itemque: Nos Ecclesiæ filij sumus, & vnum Patrem post Deum habemus; Archiepiscopum.]

Et Liberatus in Breuiario, cap. 11. [Eutyches direxit tomos per monasteria, cum suis dogmatibus ad Abbates, vt subscriberent ea.]

5 Aduersùs Origenis errores, Episcopali per Orbem imperio subscriptum etiam est, non sine mira, & derídicula tergiuersantium ludificatione, vt narrat Hieronymus ad Pammach. & Ocean. aduers. error. Origen. [Hoc vel maximè cauent, ne quando contrà auctorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt cum iuramento, quòd posteà alio soluant periurio. Ad subscriptionem tergiuersantur, quærunt que suffragia. Alius, non possum, inquit, damnare, quod nemo damnauit. Alius, nihil super hoc à Patribus statutum est: vt dum totius Orbis prouocatur auctoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs: Quomodo, inquit, damnabimus, quos Nicæna Synodus non tetigit? &c. Quòd si quando vrgeri cœperint, & aut scribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia; miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & nostram & aduersariorum confessionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.] Hæc de Origenis sectatoribus, nulla vniuersali Synodo, sed particularibus tantùm per Orbem Concilijs, & damnatis, & ad subscribendum adactis. Expertus erat, & ipse Hieronymus orthodoxorum Episcoporum in hac parte, non potestatem tantùm, sed scrupulositatem, cùm ob trium hypostaseon causam, Sabellianismi suspicionibus in Oriente exagitaretur.

Id nos ipse docet in epistola ad Presbyterum Celedensem: [Non mihi conceditur vnus angulus Eremi. Quotidie exposcor fidem, quasi sine fide renatus sim. Confiteor vt volunt, non placet. Subscribo, non credunt. Vnum tantùm placet, vt hinc recedam. Iàm iam cedo. Abstulerunt partem à me animæ meæ, charissimos fratres, ecce discedere cupiunt, immò discedunt, meliùs esse dicentes, inter feras habitare, quàm cum talibus Christianis. Et ego ipse, nisi me & corporis imbecillitas, & hyemis retineret asperitas, iam modò fugerem.]

Vereor vt hæc nimia sanè, Monachorum potiùs fuerit morositas, quàm Episcoporum in exigendis subscriptionibus. Non otiosum est animaduertere Hieronymi tali etiam in re obsequium paratum, & expeditum: [Confiteor vt volunt, subscribo, &c.]

Quamquam nec fortassis Episcopus, nedum Romanus Pontifex subscribi decreuisset.

6 Manifestius est Augustini testimonium de Episcopalibus aduersùs Pelagiana delicia subscriptionibus.

Has enim ille querimonias istiusmodi hæreticorum refert lib. 4. ad Bonif. cap. 8. [Sed quoniam dicunt inimicos suos dicta nostra in veritatis odium suscepisse, & toto penitùs Occidente non minùs stultum, quàm impium dogma esse susceptum, & simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus ad hoc confirmandum subscriptionem queruntur extortam: cùm potiùs eorum prophanas vocum nouitates Ecclesia Christi, & Occidentalis, & Orientalis horruerit.]

Et cap. vlt. [Quid ergo est, quod dicunt, de simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi, in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est, &c.]

Nos-

Nusquam Innocentius, & Zosimus in damnando Cœlestianos errores, subscribi ab Episcopis imperauerant; has ergo subscriptiones sibimet Episcopi ipsi iudicebant.

Ità forsan, & in epistolam Leonis ad Flauianum sua sponte Episcopi Galliæ, & Italiæ subscripsere, immò & vbique terrarum Episcopi omnes, cùm nusquam id ipse præcepisse comperiatur.

Et ad calcem Concilij Toletani primi attexuntur subscriptiones Symphosij, & Dictynnij Episcoporum, & Comasij Presbyteri, aduersùs Priscilliani errores, ipsumque Priscillianum, & eius libros, à quibus aliqui abstergere laborabant errorum istorum infamiam. Notanda sedulà ibi verba Comasij Presbyteri; [Non timeo frequenter dicere, quod semel dixissem, vt gaudeam. Sequor auctoritatem Episcopi mei Symphosij, sequor sapientiam senis. Sentio, quod dixi. Si iubetis, ex chartula relegam.]

Et in Concilio Bracharensi primo aduersùs eumdem Priscillianum, non Leonis tantùm Papæ primi decreta fidei, sed & Episcoporum veluti succinentium primæ Sedi capitula releguntur, [vt quisquis Clericus, vel Monachus, siue laicus tale aliquid sentire adhuc, vel defendere fuerit deprehensus, tamquam verè putre membrum, continuò de corpore abscindatur Catholicæ Ecclesiæ.]

Et paulò antè: [Eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ sectæ venena serpebant, beatissimus Papa Vrbis Romanæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit beati Petri successor, per Turibium Notarium Sedis suæ, ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cuius etiam præcepto Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque, & Bœtici facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balcaium tunc huius Braccharensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt.]

Vides rescripta Sedis Apostolicæ de fide ad Episcopos in Prouincias mitti, synodicè ea recipi, ab ipsis Episcopis regulam fidei, & varia capitula in eamdem sententiam conscribi: pœnas dare Clericos, Monachos, laicosque, si qui secùs senserint, quod per subscriptiones facillimè potest cesciri.

7 Perillustre est in rem istam, quod de Episcopis Gallicanis narrat Otho Frising. libro 1. de gestis Frider. Imperat. cap. 56. & 57. contra Gilbertum Porretanum in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. de fide scribentibus: [Mox ad publicum progressus Bernardus Abbas, omnes, quos poterat conuocauit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis, & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictauino Episcopo imponebantur capita, fidem suam in hunc modum, ipse cum alijs, & alij cum eo exposuerunt. Credimus, &c.] Descripta confessione subdit: [Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum, tam grauiter sacer Cardinalium Senatus accepit.] Tùm eorum refert effusas indignanter apud Pontificem querelas, de Bernardo, & Ecclesia Gallicana. Quæ tamen eò reuoluuntur tandem: [Ecce Galli isti faciem nostram contemnentes, tamquam fiuitiuæ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt.] Omnia enim alibi tentarum disceptata, [Romano seruari examini terminanda.] Nec id consilij Gallis Episcopis fuerat, vt vltimam manum rei imponerent, [super capitulis, quæ assidentibus Cardinalibus agitata fuerant.] Duo tantùm purpuratis Patribus certaverant, nec Galli dissentiebant: quæ agitari corâm Pontifice, & Romano Senatu sacro cœperant, non posse ab alijs definiri: item nec ab alijs Episcopis ità definiri quid posse, quin à Pontifice retractari id, & terminari possit. Sed Gallis Episcopis sua etiam constabat ratio, & potestas edendæ fidei regulæ, etsi tunc purpuratorum Principum excandescentiam mitigandã censuerit Bernardus hac responsione molliori: [Se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definiisse, sed quia ab Episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur: idcircò quia solus nollet, illorum auctoritate, ac testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse.]

8 Qui autem adigerentur subscribere, ex superioribus dilucidum est. Episcoporum enim præ cæteris fuit & fidei decreta constituere, & iisdem subscribere. Ità Basilius consacerdotum subscriptiones eliciebat. Ità Patres Synodi Chalcedonensis reliquas Patrum de fide epistolas à se suscipi testabantur. Ità epistolæ Leonis non alij, quàm Galliarum, & Mediolanensis Prouinciæ Episcopi, Anatolius, Metropolitæ Orientales, Patres denique Chalcedonensis Synodi leguntur subscripsisse. Ità Archimandritæ sub Flauiano Constantinopolitano responderunt: [Episcoporum tantùm est subscribere.] Ità Nazianzenus de solis penè Episcoporum subscriptionibus meminit. Ità apud Augustinum quiritabantur Pelagiani, à simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus extortas esse subscriptiones. Nimirùm grex in Pastore, Ecclesia in Pontifice est: Laici, & Clerici, & Monachi omnes Ecclesiæ filij sunt, & vnum Patrem, post Deum, habent Episcopum; ideò sequuntur auctoritatem Episcopi, & eo subscribente, censentur subscribere. Vt Synodus enim vniuersalem, ità Episcopus quilibet particularem suam Ecclesiam in Synodo repræsentat.

9 Sicubi tamen exagitati fuerant iniquioribus suspicionibus, seu Clerici, seu Monachi, seu denique Laici, horum quoque subscriptiones elicere in vsu fuit. Ità Hieronymus suprà ab Origenis defensoribus cesercbat chirographa exigi, quos exemplo Rufini, Melaniæ, Monachorumque Ægypti, facilè conijcitur episcopalibus infulis non radiasse. Ità ipse Hieronymus, cum Monastici instituti collegis, vrgebatur subscribere, & subscribebat, vt vellent. Ità superiùs Monachos, nempè Archi-

Archimandritæ Entycheri ſuffragati vtcumque ſuſpectos, iubebat ſubſcribere Flauianus. Ità io damnationem Chryſoſtomi, etſi præter ius damnati, ſubſcribere paſſim cogebantur, quod ne fiat ab innocentiæ ſuæ conſcijs quibuslibet, deprecatur. Noo pœnitebit adſcripſiſſe, quæ io tem iſtam diſputat Ferrandus Diaconus, ad calcem epiſtolæ ſuæ ad Pelag. & Anatol. perſtringens, vt opinor, Iuſtioianum, qui ſua ab omnibus paſſim placita ſubſcribi extorquebat: [Poteſt vnuſquiſque rectam prædicaos fidem, quod ſeotit, ſcribere: ooo autem ad ſubſcribendum, quæ ipſi ſcripſerit, alios prouocare. Quantum laborauerunt in prædicatione Verbi poſt Apoſtolos ſanctiſſimi illi, præclarique Doctores, quibus per ſpiritum ſapientiæ, & ſcientiæ conceſſerat Domious docere Catholicos, & hæreicos expugnare? Libros tamen ſuos à nemine ſubſcriptos poſteris reliquerunt. Conſideremus quid beatus Apoſtolus moneat: Prophetæ duo, vel tres dicaot, & cæteri examinent. Numquid dixit, ſubſcribant, aut ſubſcribere compellantur?&c. Præcipit Scriptura: Andi fili, legem patris tui, & ne ſpernas conſilium matris tuæ. Lex enim patris fulget, quantum mihi videtur, in canonicis libris: conſilium matris in vniuerſalibus Coocilijs cootinetur: vbi proptereà, qui conueniunt, tales Sacerdotes ſtaenta ſua ſubſcribunt, vt dubium non relinqoator, à quibus eſt habita diſputatio. Cæterùm, præter illos, qui ſtatuunt, quæ ſtatuenda ſunt, oullus cogit vltrà ſubſcribere. Sufficere enim indicatur ad plenam confirmationem, ſi perducta in notitiam totius Eccleſiæ, nullum offendiculum moueant, vel ſcandalum fratribus: ſed Apoſtolicæ fidei conueoire firmeotur, Apoſtolicæ Sedis roborata conſenſu.]

Non iotercedit Ferraodus, quin Sedis Apoſtolicæ decreta ſubſcribantur, cum ſolo eius cooſeuſu, & reliquæ ſilentio Eccleſiæ, conualeſcere in auctoritarem Oecumenicam, & ineluctabilem ſtatuta particularium, vel vniuerſalium Synodorum exiſtimet, quibus non abnuit ſubſcribi debere. Itàque Synodalibus decretis permiſcuit Ferrandus conſtitutiones Sedis Apoſtolicæ. Sed Synodicis definitionibus negat ſubſcribere ſolere, niſi Epiſcopos, qui definierunt, dummodò nullum offendiculum, aut ſcandalum moueatur. Si qui enio aut Clericorum, aut laicorum reſiliant à decretis, quibus vniuerſa acquieſcit Eccleſia, & ſcandalo ſint fratribus: baud dubiò amoliri hoc offendiculum, & chirographo ſuo ſuſpectam fidem ſuam approbare compellentur.

10 Hac Chirographorum effuſiſſima licentia abuti vltra omnes pudoris limites viſus eſt Photius CP. Epiſcopus, de quo hęc referuntur Synodi 8. act. 7. [Iubente Baſilio Imperatore, poſitum eſt in medio Synodi vas æneum, ad id aptum, plenum igne: & delati ſunt in marſupium omnes tomi chirographorum, qui exacti ſunt à Photio ab omni ſacrato catalogo, & ordine Clericorum, tam magnæ Eccleſiæ, quàm earum, quæ foris ſunt: quamque etiam à magnis, & paruis, & omnibus ſenatoriæ dignitatis, & cunctis alijs, tàm illuſtribus, quàm ignobilibus, atque ijs, qui in omni arte, ac diſciplina, & diuerſo ſtudio eſſe videbantur, vſque ad pellarios, & piſces vendentes, & lignarios, & acus facientes, &c. Omnia igni cremata ſunt, & redacta in oihilum. Ità homo frontis perfrictiſſimæ.

At Hadrianus II. Pontifex in hac ipſa 8. Synodo, act. 1. libellum, ſeu formulam cooſeſſionis Cooſtantinopolim miſſam, effecit ab omoibus Clericis ſubſcribi. Ità enim ibidem ad marginem adſcriptus Anaſtaſius Biblioth. [Archiepiſcopi, Metropolitani, & cęteri Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Diœceſeos, nec non & omnes omninò Clerici, qui vel in honore, vel in communione eſſent, ſyngraphum Sedi Apoſtolicæ Græcè ſcriptum, & tam propriæ manus ſcripto, quàm teſtium à ſe rogatorum teſtimonio, & ſubſcriptione roborauere, nomina, & tempus ſignantes, quo ſinguli Chirographum ſuum ſcribebant, & Sedis Apoſtolicæ Vicarijs porrigebant. Ità vt nullus Antiſtitum, vel reliquorum Clericorum in ſynodalem fuerit conuentum receptus, qui non ſecundùm huius exemplar codicilli Chirographum ſcripſit, &c. Suſpicata ſtatim eſt Gręcorum leuitas, hac Chirographorum ſeruitute ſubiugari Conſtantinopolitanam Eccleſiam Romanæ. Itàque furtim eorum partem ſuſtulere. At reddi ſibi ab Imperatore expugnarunt Vicarij Romanæ Eccleſiæ, qui ad vnum omnia reſtituens, dixit: Ego quidem, vt magiſtram Eccleſiaſticorum negotiorum Sedem Apoſtolicam per meos Legatos adij; & ideò veſtram pręſentiam pręſtolatus ſum, vt veſtro decreto, & ſolertia, Eccleſia noſtra remedia ſanitatis reciperet, & nos non noſtris motibus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus. Ergo chirographa, quæ à noſtris Sacerdotibus, & cunctis Clericis ſalubriter exegiſtis, recipite; & ſpiritali noſtro Patri ſanctiſſimo Papæ repręſentate. Ità vt ſi quis eorum per abrupta vitiorum, vel deuia prauitatum ſolito incedere more tentauerit, his quodammodo habenis ab eo refręnetur: & talibus loris ad rectum iuſtitię tramitem reuocetur.] Chirographorum hìc perſpicua vtilitas, immò & neceſſitas eſt, quę non ab Epiſcopis tantùm, ſed à Clericis, etiam ſingulis eliciantur, vt his veluti habenis officijs metas tranſilire inhibeantur. Nec cauſetur quis rariùs id antè, aut nunquam factitatum fuiſſe. Nam vt auctor eſt Auguſtinus, nouas temperare medicinas cogunt noua in dies morborum experimenta. Synodus denique ipſa octaua act. 9. è oobilibus laicis Leonem Conſulem adegit anathema Photio dicere: & quamquam exciperet ille ſe laicum eſſe, Photium orthodoxum eſſe, anathema non illidi, niſi in hæreticos: [Quis ſum ego, vt anathematizem? Anathematiſmus in cauſa fidei fit: at verò Photius orthodoxus eſt.] Vrgentibus tamen legatis, opera eius omni hæreſi peiora eſſe: morem geſſit his verbis: [Cùm vos iudicetis fieri, & excepta hęreſi anathe-

ma-

matismum, anathematizo, & ego cunctos, quos anathematizauit sancta hęc, & vniuersalis Synodus.

Denique act. 10. post subscriptiones omnium Episcoporum, [Interrogati Magistri, & omnes Patritij, quid de sancta, & vniuersali Synodo existimarent: vel quomodò eam subscriberent? Theodorus magnificentissimus Proconsul, & Magister dixit ità: Omnia, quæ facta sunt à Photio contra Ignatium, & Nicolaum, anathematizans: & hanc sanctam, & vniuersalem Synodum recipiens: recipio, quos recipit: & anathematizo, quos anathematizat. Similiter Christophorus, &c. Et deinceps vnusquisque prænominatorum in sessione Patritiorum secundùm hęc edidit ore proprio per viuam vocem sensum suum, velocibus Scriptoribus excipientibus, quæ dicebantur ab vnoquoque ipsorum, quæ etiam lecta sunt in audentiam omnium.] Ità laici suo quodam titu subscripsere.

XI Quanta denique obsequendi necessitas immineret, vbi hęc chirographa legitimus Presul flagitabat, otiosum iàm penè foret prosequi. Ex antedictis enim omnibus, id quoque refulgebat. Origenis deliramenta sectatos, aut eius suspicionis aura afflatos, contrario dogmati subscribere, vt fugitarent, vt cogerentur, suprà Hieronymus docuit. Prouocabant enim Orbis auctoritatem, vt subscribendi necessitatem differrent: verbis rem transigere moliebantur, quæ etiam cum iuramento adhibita facilè auolarent; sed ad subscriptionem tergiuersabantur, quętebantque suffugia. Denique ità à Catholicis Antistitibus vrgebantur, vt aut scribendū esset, aut exeūdem de Ecclesia. Nimij quidē erant, & plùs ęquò motosi, qui Hieronymum cum Consortibus in tres Hypostases subscribere adigebant subscribentibus non credebant eisdem: sed hinc quoque necessitas elucet subscribendi. Epistolæ Leonis toto Orbe subscriptum est, pronunciante Synodo Chalcedonensi, hæreticum esse, qui nō subscripserit. Ei etiam vt subscriberetur à Gallicanis Episcopis ipsum præcepisse, conijcere fortè quis posset ab exemplo consimili Martini Papæ I. qui an. 650. ad Episcopos Galliarum acta Synodi Romanæ contra Monothelitas mittens, ait: [Studeat fraternitas tua eadem omnibus innotescere, vt tam abominandam heresin nobiscum execrentur, atque synodali conuentione omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundùm tenorem Encyclicæ à nobis directæ, scripta vnà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda eōcelebrent, confirmantes, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide à nobis statuta sunt.] Ità & Leo II. posteà ad Patres Concilij Toletani XIV. subscribenda misit acta sextæ Synodi œcumenicæ. Quibus exemplis in more positum, id fuisse generatim, non immeritò persuadetur. Denique cum Hieronymo suprà, vel subscribendum, vel de Ecclesia exeundum, sentit Hincmarus Rhemensis Episcopus ex communibus, & vulgatissimis ecclesiasticæ disciplinæ pręiudicijs l. de prædest. cap. 38. seu Epilog. c. 1. [Si quis secùs sentiens, secundum formam in proximè distinctis capitulis, ex auctoritate Ecclesiastica comprehensam, Episcopali consensu, vel synodali decreto, etiam per omnia Priuilegio Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsius in toto Orbe terrarum primæ Sedis Pontificis, consentire: & eum Sancta, Catholica, & Apostolica vnitate suscipere, siue subscribere detrectauerit, ipse ab eius compage, & vnitatis secernet communione, cuius esse noluerit socius disciplinæ. Nam semper sic habuit Catholica omnis Ecclesia, vt qui in vna communione consentiunt, vno dogmate, vna charitate, vno teneantur assensu.] Nec moror, qua hæc in causa scripserit Hincmarus, regulam ipsam intueor ecclesiasticæ disciplinæ omnium Catholicorum animis infixam, & præiudicatam. Nec bis obstrepunt, quæ Chrysostomus exulaturus, ad Episcopos suarum partium dixit, ità quiritantes: [Necessariò, si Ecclesias teneremus, communicate cogemur, atque subscribere. Ad quos ipse: Communicate quidem, ne scindatis Ecclesiam; verùm nolite subscribere. Nihil enim mihi conscius sum, propter quod deponi, aut deijci merear.]

Hæc refert Palladius, & totidem penè verbis Cedrenus. Hincmarus quippè subscriptione vnitatem dogmatis, & communionis significandam vrgebat: at in causa Chrysostomi nihil dogmatis controuertebatur. Ad hæc, qui aduersùs Chrysostomum sententiam dicebant Episcopi, & ab illo recusati fuerant: & non multò plures, vel pauciores etiam erant, quàm qui eius innocentiæ suffragabantur: & denique Occidentalium omnium Episcoporum multitudini, Romanæque Sedis Principatui impares admodùm erant, quorum beneuolentiam, & suffragationem Chrysostomo aspiraturam nequaquam ambigebatur, vt amicorum eius omnium fuga in Vrbem Romam argumento fuit. Denique præter ipsius Chrysostomi sententiam, imò secundùm illam, sed posteà in contrarium flexam, non negari tantùm subscriptionem, sed communionem etiam scindi necessum fuit, vt suprà demonstratum. Ergo tunc subscriptio negata, & neganda fuit, cùm non de dogmate querebatur: cùm suspecti, & meritò recusati iudices: cùm pauciores; cùm aduersam Occidentalibus omnibus, & plerisque Orientalibus, & ipsi in primis primæ Sedi sententiam præcipitarunt: cùm denique committerunt, vt etiam communio scinderetur.

Nec vnus præterit, quod scripsit Augustinus lib. de vera Religione cap. 6. [Sæpè etiam sinit Diuina Prouidentia per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones, expelli de Congregatione Christiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel iniuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque vllas nouitates, vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint: docebunt homines, quàm verò affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo seruiendum sit. Talium ergo

go virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus: aut si id non fiantur, vel eadem tempestate perseuerante, vel ne reditu suo, talis, aut sæuior oriatur, tenent voluntatem consulendi, etiam eis ipsis, quorum motibus, perturbationibusque cesserunt: sine vlla conuenticulorum segregatione, vsque ad mortem defendentes, & testimonio iuuantes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns.] Verùm neque in hac specie, de fide, aut dogmate controuersia est. Sed cùm non propria tantùm confessione, sed etiam testium, aut quarumcumque probationum conuictione tunc temporis, vel publicæ manciparentur pœnitentiæ, vel ab Ecclesia funditus eijcerentur: contingebat non rarò, vt falsis, & coniuratis testibus productis, quos infirmare non posset, vel turbulenta plebium seditione opprimeretur quis, & expelleretur ab Ecclesia, impactis sibi criminibus, à quibus purus esset. Si fidei enim causa verteretur, quàm facilè tempestas illa carnalium hominum sedaretur, & seditio, fidei Catholica coràm Episcopo professione, quod non perindè expeditum est, vbi alia scelera affinguntur? Ad hæc, carnalium hominum seditiones, turbines, tempestates, perturbationes, vix, ac nec vix quidem dicerentur, potissimùm ab Augustino, Episcopales, seu conuentus, seu definitiones, quibus subscribere, quis auersabundus, ab Ecclesia execari mallet. Adde quòd viros bonos, ità eijci ait Augustinus, non viros orthodoxos, vt ad mores, non ad fidem spectare eam accusationem constet. Prætereà ait eos postquàm eiecti sunt à limine Ecclesiæ, nullas tum schismatis, vel hæreseos nouitates molirij: non ergo antequàm eliminarentur, nouabant quid, aut videbantur in fide nouare. Quod magis, & hinc dilucet, quòd ait eos etiam extorres testimonio suo iuuare eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Non ergo de fide rei agebantur: sed de alijs criminibus, quorum ergo non pauci olim ab Ecclesia abacti, tum demùm ad hæreses parturiendas adgressi sunt. Ideò aduersùs falsos testes crebra olim Canonum statuta, crebra de cõuictis per aliena testimonia, & ad excõmunicationem subeundam adactis mẽtio.

Hæreseos autẽ criminatio, si cui illidebatur, quia ex maioribus hęc causis erat, Synodos, & ad summos demùm Pontifices recurrere, & infestatam à Sycophantis innocentiam tueri dabatur. Conspiratione autem Episcoporum, vel episcopalium conuentuum, immerentem, quem hæreseos damnari, eijcique Ecclesia, conscio, & silente, & ad innocentiæ defensionem cessante reliquo per orbem episcopali collegio, inauditum id quidem prorsùs est. Quare de eo non diceret, quod idem mox ibidem subijcit Augustinus, [Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt: immò plura sunt, quàm credi potest.

Plura certè erunt, quàm credi potest. si de cæteris facinoribus, & falsis testibus

Tom.XV.

sermo sit, non si de hæresibus, aut dogmatum causis. Finitimus est superiori, & iste eiusdem locus in Psal.75. [Si fortè contigerit aliquis tumultus aduersùs montes in Ecclesia, aut per populares seditiones carnalium, aut per aliquas falsas suspiciones hominum, bonus mons repellit à se omnes, qui propter ipsum volunt ab vnitate recedere.] Non fides, non Episcopi his verbis insinuantur, non episcopalis auctoritatis manifesta detrectatio, sed hominum falsæ suspiciones, & populares seditiones carnalium.

12 Dedita autem opera admonui, tum ineuitabilem incumbere subscribendi necessitatem, si legitima iubeat potestas, vel fraterna, si fors vt Hieronymum, & socios Basilij forsan etiam Coepiscopos, charitas. At si in causa ecclesiastica Imperator, qui sequi debet vt ouis, anteire, & ducere pastores occipiat, & subscriptiones extorqueat: tum enimverò alia ineunda ratio est, vt vel pro veritate contra mendacium decertetur: vel si veritati patrocinetur temeritas, nec dogma sanum, sed ordinem rectum interuertat: tum aut pro libertatis ecclesiasticæ tuitione ineatur pugna; aut contemplatione pacis, & vnitatis compensatione, dispensatoriè necessitati seruiatur. Horum splendida sunt exempla in sextæ, & quintæ Synodi monumentis.

Nam Ecthesi suæ subscribi Heraclius cùm iussisset, & consensisset Pyrrhus, vt refertur consult. 4. Lateran. Synodi sub Martino I. [Sicuti Magnus Imperator, & adiouentot sublimiom, &c. Competenter igitur, & nos, sequentes eiusdem virtutem, & constructionem eius dogmaticæ, & à Deo inspiratæ doctrinæ, &c. quatenùs inconcussum permaneat eius regale imperium, &c. decernimus Episcopos, qui necdum imperialis prædicationis insinuationi subscripsisse probantur, vt proprias subscriptiones post nostram subscriptionem actibus subiungere debeant.]

Imperatoria potestas præire Episcopis, & veritatem adulterare moliebatur per nefarias subscriptiones: infractis animis Catholici reluctati sunt.

At Iustinianus citrà fidei dispendium, fortè etiam cum aliquo fidei compendio, in trium Capitulorum damnationem subscribere iussit, non expectata ea, quæ antecedere debuerat, pontificia auctoritate: nefanda ille quidem tempestate Christianum orbem quassauit: at Episcopi orthodoxi, & officij metas non preteruecti, partim restitere, vt liberati ecclesiasticæ semet impenderent: partim cessere, vt vnitati consulerent; & huic tandem omnes accessere dispensationi, vnitatis, sospitatrici, nec peremptrici veritatis.

Pauca describo ex edicto fidei contrà Origenem, vt similia decreuisse circà tria Capitula Iustinianum ne ambigas: Ità ergo ille ad Menam: [Hanc epistolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium qui in hac regia vrbe degunt, sanctissimorum Episcoporum conuentum habeat, ac præfectorum monasteriorum: faciatque, vt omnes in scriptis

tis Origenem, & eius dogmata anathematizent: exemplaque dimittas eorum, quæ à beatitudine tua ob hanc causam gesta fuerint ad alios omnes sanctissimos Episcopos, Præfectosque monasteriorum, vt & ipsi subscriptione propria anathematizent. In posterum autem, ne aliter ordinentur Episcopi, aut monasteriorum Præfecti, nisi priùs, &c.

13 Ægrè quidem, sed manus tamen dedere Orientales Episcopi subscribere iubenti in damnationem trium capitulorum Imperatori, certi nullum fidei orthodoxæ creari periculum; dubij tantùm, & trepidi, ne saltem leuis aliqua inureretur infamia Synodo Chalcedonensi, quæ ab eorum damnatione abstinuisset.

Rem gestam Iustinianus ipse modestiùs narrat in sacra ad quintam Synodum data, quę in eius collatione prima radiat: [Nos sequentes sanctos Patres, & volentes sanctam fidem sine aliqua macula in Dei Ecclesijs prædicari, & impiorum conatum resecare: primùm quidem, & in vestris vos degentes Ecclesijs interrogauimus de prædictis impijs tribus capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis: pro qua, & comprobauimus, quòd indubitanter, & cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis. Quoniam verò & post condemnationem à vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, &c.

Non dissimulat docem se fuisse, vbi Episcoporum vestigia premere debuerat: vim cuiquam à se factam ad extundenda chirographa negat, quod sexcentis aliundè tamen testibus indubitatum est. Vnus in medium prodibit Facundus Hermian. Episcopos lib. 4. cap. 4. [Primus confirmator eorum Menas Constantinopolitanus Episcopus, cùm adhuc contaretur scripto, sicut præceptum fuerat, præbere consensum: contrà Synodum Chalcedonensem fieri protestatus est. Sed, & posteà quàm consensit, à Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono, & Apocrisario conuentus, cur priori sententiæ suæ contrarius acquieuisset his, quæ antè culpauerat, & de quibus se nihil acturum, sine Apostolica Sede promiserat: sub ea se conditione cessisse, & iuratum sibi fuisse respondit, quòd Chirographum suum reciperet, si hęc Romanus Episcopus non probaret.] Et infrà: [Zoilus quoque Alexandrinæ vrbis Antistes, cùm Romanum Episcopum venire cognosceret, obuiam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: quod hic ei, post quàm venit, idem Romanus Episcopus in facie palàm, nobis quoque inter alios præsentibus exprobrauit.] Et infrà: [Iam verò de aliarum ciuitatum Episcopis quid loquamur, qui, & cùm scribere compellerentur, palàm reclamauerunt contra magnam Synodum fieri; & post subscriptionem, memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos; confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.

14 Ex his 1. patet, & perfestinatò Imperatorem inconsultis, immò renitentibus Episcopis decreuisse, & ipsis pòst ad subscribendum vim intulisse.

Secundò: patet non persuasos, sed suspicatos fuisse Episcopos, Chalcedonensi Synodo contumeliam fieri, eiusque non quidem, sed auctoritatem conquassari. Nam factorum, & personarum quæstionibus fidem non contineri gnari erant vtiq; Deindè si fidem certò scissent euerti, non à consensu, vel dissensu Romani Præsulis hæsissent suspensi. Denique exitu constitit nil derogatum fuisse Concilio Chalcedonensi, nec his extortis subscriptionibus quenquā in hæreseos crimen vocatum esse.

Tertiò: Patet persuasos fidem nil periclitari, maiestatem Concilij Chalcedonensis concuti dubios, ità tunc Orientales Episcopos vrgentissimæ necessitati ex dispensatione obsecutos esse, vti posteà Occidentales. Itaque quia dispensatione vti, vel non vti pro temporis, loci, rerum, personarumque contemplatione consentaneum est: non abs re censebimus pari ferè laude euehendos tunc fuisse Episcopos, etsi longè dispari, & aduersa poriùs consilia capesserent. In eadem enim re dispensationem illi sectabantur, hi iuris vigorem, & aspectitatem Canonum. Quod ab illis nempè, vt periculo vicinioribus, æquius esset formidari, ne vis, & potestas imperatoria, seuerioris disciplinæ obice, non tam cohibita, quàm efferata, impotentius effetuesceret, & in Ecclesię perniciem inflammaretur.

Quartò. Patet vel Orientalibus Episcopis persuasissimum fuisse, fidei, & disciplinę incolumitatem à primæ Sedis auctoritate aptam, religatamque pendere, & subscriptiones quascumque meritò improbari, quæ illi displicerent: probari, quæ placerent.

Ità enim Constantinopolitanus Episcopus primùm nihil nouare decreuerat, sine Sede Apostolica: deindè scribere compulsus, paruit necessitati, sed iurata hac sibi [conditione, vt chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.

Ita Alexandrinus, ità cœteri Episcopi subscribere coacti, ad Sedem Romanam continuò libellos dedere, coactos se ab Episcopo Constantinopolitano contestantes; sed, & id insinuantes, vt Episcopi Constantinopolitani, ità & sua omnium chirographa, ab vno illius nutu pendula nutare, vnoque illius dissensu irritanda.

Quintò: Patet nutu Apostolicæ Sedis, eiusq; inclinatione, & Occidentem, & Orientem in has subscriptiones actum esse. Nam ante Synodum non subscripsere Orientales, nisi ea conditione, si ea Episcopo Romano probarentur, ab eo interposita, qui omnes ad scribendum reliquos compulit. Nec ijdem in Synodo consensere, nisi antè Imperator docuisset damnata à Vigilio ipso esse tria capitula. Occidentales verò tandiù damnationi trium Capitulorum obluctati sunt, quamdiù ducem habuere Pontificem Romanum. Vbi huic dispensatio allubuit,

buit, in eam sensim omnes concessere.

Ità enim summa rerum, & consiliorum finis, exitusque perpendi debet, in quē omnes tandem consensiunt, & indè negotijs aptanda, temperandaque Iudicia nostra sunt; non ex dubijs, quibusdam verbis, aut consilijs in angulo susurraris, abiectisque ex animo mox eorum ipsorum, qui vacillarunt antè aliquandiù, quàm certum, & destinatum quidam plecterentur;

Ità sanè in Synodo de diuortio Lotharij, & Theutbergæ habita, vt refert Nicolaus I. ep. 58. [Cū Episcopi qui conuenerāt, subscriberent eadem gesta, immò per eam flagitium roborarent, ventum est ad quendam fratrum, & Coepiscoporum nostrorum, qui tantùm vsque ad nostram deliberationem subscripsit eadem gesta seruanda. Quod cernentes Teutgaudus, & Guntharius, arrepto cultello, omne, quod Antistes prouidus ad deliberationem nostram seruandum esse descripserat, rasere, nomine solo Episcopi relicto.

15 Postremò denique, vt præcurrere non debet vnquam Imperator episcopalibus definitionibus, sed succurrere: accedere, non præcedere: ità vbi synodicè quid definitum est, obstrepere post hac, & extorquendis subscriptionibus contrarijs aduersari, non debet. Ità Basiliscus tyrannus Encyclicis suis in orbem sparsis Concilium Chalcedonense damnari fecit [quingentorum circiter Episcoporum subscriptione, vt refert Euagrius lib. 3. cap. 5. Longè aliter Leo Imperator omnium orbis Episcoporum subsciptionibus Concilium Chalcedonense confirmari curauerat: itemque post Iustinus. Vndè Rusticus Ecclesiæ Romanę Diaconus Cardinalis in disputatione aduersùs Aceph. [Licèt numero superat vniuersas Chalcedonensis Synodus, toties cunctarum Ecclesiarum consona sententia confirmata est, tam per encyclicas epistolas regnante Leone, quàm per libellos sacerdotum forsan duorum millium, & quingentorum, imperante Iustino, post schisma Petri Alexandrini, & Acacij Constantinopolitani.] Cum laude enim Imperator semper Canones sequitur, & exequitur, cum dedecore semper antecuertit, aut euertit.

16 Quòd autem post subscriptionem pergunt adhuc quidam scrupulosis indulgere suscipionibus, & residere fæces adhuc aliquas haustarum semel opinationum, vel ne haustarum quidem, sed falsò affictarū, imaginantur, importuna ista quidem est non iam suspicionum, sed calumniarum effrænitas. Amarulentè suprà Hieronymus de trium hypostaseon procacibus defensoribus expostulabat, [Confiteor vt volunt: non placet. Subscribo, non credunt. Vnum tantùm placet, vt hinc recedam.] Nec enim expressiùs vllum, aut indubitatiùs conscientiæ, & fidei argumentum, vel imperauit vsquam Ecclesia, vel hæretica perfusi fuligine detrectarunt, quàm subscriptionem.

Idem suprà de Origenis fautoribus: [Hoc vel maximè cauent, nequando contrà auctorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt eum iuramento, quod postea alio soluant periurio. Ad subscriptionem tergiuersantur, quæruntque suffugia.]

Itaque subsciptio extremum erat, & velut peremptorium cauterium, quod vel hæresi, vel hæreseos infamiæ, aut suspicioni exurendæ adhibebat Ecclesia, quod vel hæretici, vel suspecti summopere, & vltrà iuramentum etiam refugiebant. Vnde idem item: [Si quando vrgeri cœperint, & aut scribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia, &c.]

Nec sum nescius, quid Basilius ep. 59. Occidentalibus scribendum scribat; [Ne sine discrimine quorumuis communionem ex Oriente venientium accipiant: neque eiius sub prætextu orthodoxæ doctrinæ, fidei formulam scribenti adstipulentur. Nam isto pacto depræhendentur cum aduersarijs facientes, qui eadem sæpè numerò verba prætexunt quidem inter se verò pugnāt, vt qui plurimùm, diuisi dissidentesque fuere.

Nec hoc tamen Basilij testimonio, vel fides subscriptionum eneruatur, vel auctoratur suspiciosorum hominum importunitas. Largiamur id enim; vt verba dare potuerint Occidentalibus Orientales: vtporè peregrinarum stropharum rudibus, & inexpertis: at Orientales Orientalibus, Occidui Occiduis imponere non potuerant: Basilio Orientales sui fucum non faciebant, qui enim potuisset de eorum fraudulentia Occidentales commonefacere? Deindè cùm, vt aiebant suprà Patres Chalcedonenses, Basilius ipse literas de fide scriberet, & Coepiscoporum eliceret subscriptiones: bis vtique ille non dubiam fidem adijciebat. Adde quòd eorum Basilius protelandas mouet ab Occidentalibus subscriptiones, qui in Oriente ab orthodoxorum communione exci erant. Deniq; subscriptiones, vel fidei confessiones eas improbat ibi Basilius, quas suo ipsi marte, non sine fuco proindè scriptitabant; nequaquam eas verò, quæ ab orthodoxis Episcopis aduersùs vafritiem, & artes sectariorum temperabantur, atq; vt ipse concludit, *catà tòn typon tis Ecclisias*, iuxtà formulam ecclesiasticam.

Alioqui quo Nicœni Patres ab Eusebianis, quo Chalcedonenses consilio, & fructu ab Eutychianæ dementiæ affinibus, aut suspectis, quo Hispanienses Pontifices aduersùs Priscillani, Afri, & Romani aduersùs Pelagianarum reliquiarum venena subscriptiones exigerent, vt suprà memorauimus: quo à Græcis omnibus Hadrianus Papa; quo, vt ne longum faciam, omnes penè Synodi, Patresque hanc vnam esse voluerint amussim fidei probandæ, aut eiurandæ hæreseos, si posteà æquè locus supersit suspicionum, vel calumniarum iniquitati? Vide quid Leo præcipiat epist. 85. & 86. ad Nicetam Aquilei. Episc. de Pelagiani erroris suspectis, vt qui ex Pelagianorum cōsortio ad Ecclesiam redissent: [Damnent apertis professionibus sui superbi erroris auctores, & quidquid in do-

ctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, derelinquantur: omniaque decreta synodalia, quæ ad excisionem hæreseos, Apostolicæ Sedis confirmauit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, & propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.]

Hæc accuratissima est, & solertissima, omnibusque Ecclesiæ Catholicæ Synodis, ac Pontificibus hactenùs vsurpata fidei sincerissimè profitendæ, abstergendæ, vel hæreseos, vel suspicionis diligentia.

17 Ex antedictis denique emergit id quoque, solemne & vsitatissimum fuisse, fidei formulis subscribi citra additamentum vllum, aut citrà eiusmodi saltem, quo vetus confirmaretur, aut noua crearetur illis suspicio, quorum gratia, & æstimatio subscriptione recolligebatur, siue confirmabatur.

Sic Basilius suprà docebat, fucum facere aduersarios Ecclesiæ, dum in subscribendo [eadem sæpenumerò verba prætexunt, pugnant verò, vt qui maximè. Et ità hæresis, per ipsorum scripta, quæ prætexere, & obijcere solent, incautos seducit.]

Sic, & Hieronymus aiebat, Origenis admiratores nimios, vbi vel exeundùm de Ecclesia, vel aduersùs eum scribendum imperitabatur, [miras strophas egisse. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & nostram, & aduersariorum confessionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.]

Et idem ad eumdem Pammachium adu. error. Orig. [Aut simpliciter nostra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates; nolo mihi dici, quod, & aliter possit intelligi. Reuelata facie gloriā Domini contemplemur. Claudicabat quondam, & Israeliticus populus in vtroque pede. Elias, qui interpretatur Fortis Domini: Vsquequo, ait, claudicatis in vtroque vestigio? Si Dominus est Deus, ambulate post eum: si autem Baal, sequimini eum. Et ipse Dominus de Iudæis, Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à semitis suis. Certè si hæreseos nulla suspicio est, vt cupio, & credo, cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult, quòd putè credat: purè ergo & loquatur.]

Hæc Hieronymus aduersùs Ioannem Hierosolymitanum Pontificem, monachis de fide suspectum, & puta, simplicique confessione illis se purgare fastidientem. Vt idem Episcopis, & ampliùs iuris esse in alios quoslibet intelligas. Et rursùm: Quæ ista simplicitas est, quasi super oua, & aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedere, vbique dubium, vbique suspectum? Putes eum non expositionem fidei, sed figuratam controuersiam scribere. Etiamsi benè credit, & circumspectè, & timidè loquitur, suspicionem mihi facit nimia diligentia. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Stultum est frustrà infamiam sustinere. Obijcitur ei crimen, cuius non habet conscientiam. Ergo crimen, quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac liberè faciat inuidiam aduersario suo.

Sic ille inuidiam facit Origenis defensoribus, confessiones, & subscriptiones eas concinnantibus, quibus suspiciones de sua fide magis confirmarent. Sic, & Leo suprà ab illis, qui Pelagiana ignominia laborabant, exposcebat [plenas, & apertas, & propria manu subscriptas protestationes. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum. Quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, vt in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum. Cumque omnes definitiones suas ad subrepentem facilitatem improbare se simulent, atque deponere; hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, vt gratia Dei secundùm meritum dari accipientium sentiatur. Et infrà: Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent; & obediendo nobis, probent se esse nostros.

Figuratis porrò, & ambiguis confessionibus ludibrio habere Ecclesiam, sequaces suos olim prædocuerat Pelagius ipse, de quo Augustinus lib. de pecc. Origen. ca. 21. [Itaque & ista eius verba Romam pro magna eius purgatione transmissa, tam sunt ambigua, vt possint eorum dogmati præbere latibula, vndè ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus.]

Et ipsi Papæ Zosimo penè imposuerat Pelagius, sed Afrorum industria fraudes eius nudatæ sunt: [Visus est ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conueniret: sed illam sedem vsque in finem fallere non præualuit.

Fallebat autem ille hoc potissimùm fuco, quòd se literis Innocentij Papæ assentiri restaretur, Quibus de hac re dubitatio tota sublata est: vt ait Augustinus idem lib. 2. ad Bonif. cap. 3.

Sed ex Africa ad Zosimum [venerunt literæ id continentes, non sufficere hominibus tardioribus, & sollicitioribus, quòd se generaliter Innocentij Episcopi literis consentire fatebatur: sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello praua posuerat.]

Itaque parum fuit subscribere literis Innocentij, etsi illis omnis dubitatio tolleretur: sed ad amoliendas hominum suspiciones, opus fuit, libelli ipsius obliqua, & praua eiurari: alioqui videri posset, non tam suam sententiam Innocentij literis accomodasse, quàm Innocentij literas in suæ obliquitatem sententiæ captiuas traxisse. Quid æquiùs in speciem, quàm quòd Ariani detestari se simulabant solam offensionem vocis *toy omoysioy*, quam Antiocheni Patres non ità pridem proscripserant? Et tamen per illos cuniculos veritas subuertebatur, teste Hieronimo vbi suprà: Et Ariani multo tempore propter scandalum nominis *omoysion* se damnare simulabant, venenaque erroris circumliniebant melle verborum.

borum. Sed tandem coluber se tortuosus aperuit; & noxium caput, quod spiris totius corporis tegebatur, spiritali mucrone cofossum est.]

Quibus ex omnibus id sanè efficitur, vel fidei formulis ab episcopali collegio trutinatis ità purè, & simpliciter subscribendom esse, quod posteriori æno magis obtinuit: vel quod olim erat frequentiùs, ità plenam, & apertam suo cuique sensu scribendam esse confessionem, vt omnis, vel obrusioribus, vel perspicacioribus amputetur suspicio: vt in libello Lepotij olim presbyteri liquet, de quo Facundus Herm. lib.1.cap.4. [Sripsit libellum satisfactionis Lepotius ad Gallos Episcopos, quem venerabiles Patres, Aurelius, atque Augustinus, & cæteri sic probauerunt, vt ad faciendam veritatis fidem, suas ei subscriptiones adijcerent.

Epistolæ Leonis Chalcedone, & alibi Synodis subscribentes Episcopi, multa sæpè addidere, sed quibus fidei confessio, eiusque auctoris, siue Pontificis, siue Concilij, mens, & consilium magis, magisque soboraretur. Exceptiones, & derogantes clausulæ appositæ sunt aliquando, sed illæ nimirùm vbi necessitati magis, quàm voluntati parebatur, & tum ad summorum Antistitum auctoritatem religatæ sunt.

Sic enim Vicarij Romanæ Sedis subscripsere octauæ Synodo, [vsque ad voluntatem Hadriani Summi Pontificis.]

Sic Episcopus, de quo suprà synodico decreto de diuortio Lotharij Regis, & Teutbergæ subscripsit, vsque ad deliberationem Nicolai Papæ I.

Sic ante Quintam Synodum Constantinopolitanus Episcopus damnationi Capitulorum subscripsit, [Hac conditione, vt chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret: teste Facundo Herm.lib.4.cap.4. Sed, & ciuitatum aliarum Episcopi, qui cùm scribere compellerentur, palàm reclamauerunt contrà magnam Synodum fieri; & post subscriptionem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.]

Itaque alterutrum necesse est, vel ea adscribere, quibus iuuetur Pontificum, qui præscripsere, sententia, & quibus, vel ipsi possint subscribere: vel ea excipere, quibus superiorum, & summorum Pontificum auctoritas dominetur. Alioqui præposterum est, quorum vt cælitùs institutorum Iudicum, & Magistrorum decretis subscribas, tuo illos ipsos magisterio, iudicioque, & eorum decreta subiugare.



DIS-

DISSERTATIO XIII.

In Concilium Arelatense, & Lugdunense Anno 475.

SYNOPSIS.

Quid de his Synodis sentiendum: & an illæ Fausti Reiensis Episcopi doctrinæ suffragatæ sint? De Fausti doctrina, & opusculis censura Pontificum, Patrumque. Vsque ad num. 10. An fuerint aliqui Prædestinatiani hæretici? Propiùs à vero abest, nullos fuisse: aut si qui fuerint, simpliciores illos, & incautos fuisse quosdam, nequaquam hæreticos. Num. 11. 12. 13. Quo animo esse debeamus in huiusmodi tardiores, & ad ardua contumaciter hebetes, ex Augustino, & alijs Patribus, ex Romanis Pontificibus, & Synodis. Vbi & eidem vani imponendos ostenditur Faustum, Cassianum, & alios, quibus Semipelagianorum additum est nomen: ita vt eorum quidam sanctitate præcipui fuerint, & alicubi religioso cultu decorentur. Vsque ad num. 30. Complura alia einsdem rei exempla referuntur, numeris quatuor sequentibus. Denique Zosimus Papa eidem sententiæ ex Augustino consonus ostenditur: vbi tria quædam subnotantur ad occupandas difficultates oppertunissima. Num. 35.

1 HArum Synodorum vnus meminit Faustus Reiensis Episcopus, libris duobus de gratia, & libero arbitrio, quos in præfatione maximè ad Leontium Arelatensem Episcopum, & Arelatensis Synodi Præsidem, scriptos ipsemet testatur ex iussu, & gustu harum Synodorum. His conueniunt epistolæ Fausti eiusdem, & Lucidi presbyteri, ad eorumdem errorum condemnationem pertinentes.

De his ergo Synodis ità sentio, vel consentaneas illas Fausto fuisse, & in eas refundi debere, quæ de Fausto summi Pontifices, & Ecclesiæ Patres censuere: vel ab eo dissensisse, & ità nil superesse nobis, quod de illis dicamus, cùm de illis vnus scripserit, & mendaciter scripserit Faustus: vel nusquam eas coaluisse, & omninò confictas à Fausto fuisse, quod audaciùs fortasse, quàm prudentiùs affirmaretur: vel denique non vbique delirasse Faustum, eique, vel sana sapienti, vel insana insectanti quandoque dogmata, concinere potuisse Synodos orthodoxas. Quò fortasse magis propendebunt, qui non facilè, nec nisi inuictissimis argumentis discedendum, pensitabunt à fide maiorum de Synodis.

2 De Fausto sanè ità Gelasius Papa statim in Concilio Romano pronunciauit: [Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum apocrypha.] Cùmque Orbem vniuersum Catholicum graui offensione perculissent hæc Fausti opuscula, de ijs Possessor Episcopus Africanus Hormisdam Papam consulit in hunc modum: [Cùm quorumdam fratrum animus de codice Fausti cuiusdam, natione Galli, Rheginæ Ciuitatis Episcopi, qui de diuersis rebus, & frequentiùs de Gratia Dei, disertè visus est disputare: ne scandalum moueretur alijs, vt se habent humana studia, in contrarium tenitentibus: me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ à tractatoribus pro captu proprij ingenij disputantur, non vt canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege seruari: sed habere nos certa, scilicet quæ veteri lege, vel noua conscripta, & generalibus sunt Patrum decreta iudicijs. Hæc autem, quæ Antistites diuersi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præiudicio fidei, solere censeri.] At cùm hæc, vt ipse subijcit, excusatio plerisque videretur, non absolutio ambigui, de eo Pontificem consulit: [Quæso, vt consulentes, quæ de præfati auctoris dictis videantur, auctoritate Apostolicæ responsionis agnoscant: & maximè quòd filij quoque vestri, Magistri militum, Vitalianus, & Iustinianus, præcipuè super hac re, rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant.] Concusserat ergo Orientem ipsum nouitas, & insolentia dictorum Fausti. Certò persuasum fuit Possessori, nulla illum iuuari synodali auctoritate. Has ergo Synodos aut nesciuit, aut contempsit. At Hormisda Pontifex ep. 70. ità rescribit: [Neque Faustum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præiudicium

com-

comparare.] Ità ille non perutrsam tantùm de Gratia sententiam Fausti concerpit, frd & disciplinæ ecclesiasticæ aduersam de morientium fera pœnitentia austeritatem, quam & Auitus Viennensis, vt mox dicemus, insectatus est, & ex residua illarum Galliæ partium tetricitate forsan ipse Faustus hauserat, & quamquam tot Pontificum decretis, vt alibi retulimus, ionstam, abdicare in totum detrectarat. Sed vtut ea res habeat, pergit ibidem Pontifex: [Cùm Christiana fides canonicis libris, & synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis, stabili & inconcusso termino limitetur.] Addit denique de gratia Christi audiendam Ecclesiæ Romanæ, & Augustini doctrinam: [De libero tamen arbitrio, & gratia Dei, quod Romana, hoc est, Catholica sequatur, & asseueret Ecclesia, licèt in varijs libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum possit agnosci, &c.] Vbi rursum perstringitur Faustus, qui cum tribulibus suis in hos maximè extremos, eosque asperiores Augustini libros solebat stomachari.

3 In has cùm incidisset Hormisdæ epistolas Ioannes Maxentius, eas quidem procacissimè, & impudentissimè lancinauit, tanti Pontificis esse infietatus: ar quod ad rem istam attinet, responsione sua 1. prolixam instituit collationem librorum Fausti cum suprà laudatis Augustini libris, & cum Scripturis, vt ità [clareat libros Fausti esse hæreticos. Sicque confundantur omnes, qui eos hactenùs defendunt Catholicos, quorum princeps, & auctor est Possessor Africanus Episcopus.] Summatim aduersis quasi frontibus collidi Augustinum, & Faustum ità docet: [Augustinus ità humanum arbitrium liberum docet, vt illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo fit. Faustus verò ità liberum Christianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio, virtus, & salus, non à Christo, sed natura fit.] Quo operosissimè demonstrato, tamdem ità concludit: [Eat nunc Possessor, & adhuc in peruicacie propria, & eorum, qui sibi consentiunt, defendat Fausti libros Catholicos, &c.] Ait tamen mox causari Possessorem, non legisse se, nisi octo priora primi libri capitula. Quamquam ex suprà relatis Possessoris verbis procliuiùs sit æstimare, alieno fuisse ipsum animo à scriptis Fausti; non audacter tamen in ea strinxisse censuram, sed ea de re consuluisse Sedem Apostolicam: & interim censorium muctonem sustinuisse.

4 Eamdem Fausti, tum de tarda in extremis pœnitentia, tum de Christi gratia sententiam, illic duriorem, hic molliorem, quàm par esset, insectatus est Auitus Viennensis Episcopus epist. 4. ad Gondobadum Regem: vbi & Faustum vocat ortu Britannum, habitaculo Regiensem. Quo de suis Gallis optimè meritus est Auitus, dum abstersit à Gallia istud dedecus, & in Britanniam, in Pelagij patriam ablegauit hominem, Pelagianæ fuliginis reliquias præferentem. Britannum fuisse affirmat, & Sidonius lib. 9. epist. 9. Quod ad de Britanois Gallis intelligi debeat, viderint alij. Vtraque gens vna est Britannorum. Ità sanè constaret, quòd alij Gallum, alij Britannum dictitant, si Gallus Britannus esset. Sed constabit idipsum, si vt ait Auitus, & affectatiùs exprimit, ortu Britannus sit, habitaculo Regiensis.

5 Sed antè alios Fulgentius Ruspensis Episcopus, aduersùs Fausti vafritiem decertauit. Quo de Isidorus in lib. de viris illustribus: [Fulgentius Afer, Ecclesiæ Ruspensis Episcopus, &c. Scripsit multa, è quibus legimus de gratia Dei, & libero arbitrio libros Responsionum septem, in quibus Fausto Galliæ Regiensis Vrbis Episcopo, Pelagianæ prauitati consentienti respondens, obnititur profundam eius destruere calliditatem.] Item epistola synodica Episcoporum Africæ in Sardinia exulantium: [Vnus ex nobis tribus libris respondit. Qui aduersùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit; quos cùm recensueritis, agnoscetis protinùs, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitùs inimica, discussio prodidit, ratio manifesta conuicit, auctoritas diuina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsùs attestatio confutauit.] Adde Ferrandum in vita S. Fulgentij cap. 28. [Vt etiam libri duo, quos Faustus Episcopus Galliarum contra Gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed tamen Catholicus videri volens, Constantinopoli assessis plurimis fratribus, ad B. Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus respondit, &c.] Item Facundus Hermianensis Episcopus initio libelli contra Mocianum: [Sic aliquando etiam Faustus Gallus in quæstione liberi arbitrij, malè intellectis, & incongruè adhibitis ipsius B. Augustini sententijs, fallebat, & in assensionem sui erroris inducebat incautos. Qui tamen à sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi detectus, atque conuictus est.] Et ne cui bilem moueat, quòd Augustinus ità scripserit, vt ex eo malè intellecto transuersi acti sint tam multi in errorum auia: subijcit ibidem: [Quid autem in hoc mirtemur? Neque enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli, & Euangelistæ: quorum verbis similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores.]

6 Cæsarius quoque Arelatensis Episcopus, sanctitatis, & doctrinæ fama præstantissimus, scriptis Faustum exagitauit: exagitauit, & Synodus Arauſ. secunda, tacito nomine, sed dogmate toto eius tot telis, quot Canonibus imperito, confectoque. Cæsarius quidem, teste Gennadio, aut Gennadij continuatore; [de gratia, & libero arbitrio edidit testimonia diuinarum Scripturarum, & sanctorum Patrum iudicijs munita, vbi docet nihil hominem de proprio aliquid agere boni posse, nisi eum diuina gratia præuenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roborauit, & in latiùs promulgauit.] Quæ contra

Fau-

Faustum scripta fuisse, liquebit ex doctissimi Siemundi iudicio de Synodo Arausicana secunda, cui præfuit Cæsarius. Ità ergo ille in præfat. in hanc Arelatensem Synodum: [Prędestinatiani de prædestinatione ità disserebant, quasi fatalem quandam necessitatem afferret, &c. Cui absurdo, quia nonnullis quorundam librorum suorum sententijs viam munire, aut vim addere sanctus Augustinus quorumdam in Gallia Episcoporum aliorumque iudicio videbatur, ab illo propterea, cùm in ceteris maximi facerent, vehementer hac in parte diffidebant. At contrà, qui pro sancti Augustini placitis cum Prospero dimicabant, eius aduersarios, quod naturæ humanæ plùs æquo tribuere viderentur, vt Semipelagianos insimulabant. Qua nota in his etiam libris suis Faustus non caruit. Nam & à Gelasio Papa hoc nomine inter apocryphos relati sunt, & ab Auito Viennensi, atque Fulgentio, & alijs pluribus oppugnati. Cæterum graui, ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos, ac doctissimos vtrimque viros in Gallia centum ampliùs annos exercuit, finem postea tandem attulit Synodus Arausicana secunda, quæ totam de gratia, & libero arbitrio controuersiam ex sancti Augustini sententia composuit.] Quo patet in Synodo Arausicana Faustum causa cecidisse, vt qui Augustino, & Gratiæ necessitati illudere machinatus fuisset.]

7 Adde his Adonem Viennensem in Chronico ad an. 492. [Faustus ex Abbate Lirinensis monasterij apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur. Vndè qui eius sensus in hac parte catholicos prædicant, sicut Gennadius de viris illustribus scribens, omninò errant. Ità enim liberum arbitrium tam Augustinus, quàm cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, vt illuminatio, virtus, & salus, illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò iste ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio eius, virtus, & salus, non à Christo, sed à natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide B. Auitus Viennensis Episcopus, eius redarguens errorem. Similiter & Ioannes vir eruditus, Antiochenus Presbyter.] Sic ille Ioannis Maxentij laudes celebrans, & verba ipsa superiùs descripta excerpens. Lupus quoque Abbas Ferrariensis epist. 111. Faustum infaustum vocat. Et epist. 112. [Faustum postulaui, non quem refellit Augustinus, sed quem notat in decretis Gelasius.] Et in Collect. de tribus qq. q. 3. [Taceat Faustus, & similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus, & Augustinus. Conticescant ranæ, dum Cœlum tonat.]

8 Atque vt à Grecis penè exorsus, in Grecis desinam, sic denique Petrus Diaconus, & alij cum eo Græci, in opusculo de Incarn. & Grat. ad Fulgentium, & alios Africæ Episcopos destinato, paulò ante finem: [Quorum omnium sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Cœlestium, simulque etiam Iulianum Edanensem, & qui illis similia sapiunt; præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi profectus est: quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solùm contra horum omnium sanctorum Patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subiungit gratiæ adiutorium; atque totam omninò Christi euacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia, qua & nos, secundùm quod docet beatissimus Petrus Apostolus: sed naturæ possibilitate saluatos impiè profitetur.

9 Cùm ergo confixa fuerit Fausti doctrina censorio mucrone tot summorum Pontificum, Gelasij, Hormisdæ, Felicis: tot sanctissimorum, doctissimorumque Antistitum, Auiti, Fulgentij, Facundi, Isidori, Cæsarij, Adonis: tot aliorum gloria doctrinæ ecclesiasticæ pręcipuorum, Ioannis Presbyteri Antiocheni, Petri Diaconi, & sociorum eius: cùm Africa, Europa, Asia: cùm Oriens, Occidensque ad eius damnationem coniurauerit; quis Synodos aliquas ei suffragatas esse facilè concesserit?

2 Maximè cùm Possessor, cùm Hormisda negent synodicas vllas Fausto suffragari definitiones.

3 Maximè cùm Gennadius, cùm Sidonius Apollinaris in laudes Fausti plùs nimio effusi ambo, & doctrinæ eius admiratores, de harum Synodorum suffragio nec meminerint.

4 Maximè cùm Auitus, Cęsarius, Ado earumdem regionum Episcopi aduersùs Faustum ità scripserint, vt nullas à se Synodos vnà oppugnari existimarunt.

5 Maximè cùm harum Synodorum ante Hincmarum solus Faustus meminerit, cuius profunda calliditas ab Isidoro notatur.

6 Maximè cum Arausicana Synodus secunda nullas anteriores, & infestas sano dogmati definitiones impetat, aut vel verbo commemoret: nec satagat eum exaggerare Episcoporum suorum numerum, qui destruendæ duplici retrò Synodo sufficiat. Imò alteri harum Synodorum Episcopi triginta affuisse iactantur, & tamen Arausicana præualuit, cui non plures, quàm quatuordecim affuere.

10 Iam quod ad epistolas pertinet Fausti ad Lucidum, & Lucidi ad Faustum, nihil illis cum Concilijs suprememoratis commune est. Nam subscriptiones tam ipsius Lucidi, quàm decem Episcoporum appositas ad Fausti epistolam, fatetur Sirmundus additas contra fidem Codicis Hincmariani, & plurium antiquorum, optimorumque codicum, spuriasque, & alienas esse. In illis enim Codicibus sola extat ipsius Fausti subscriptio, & sola iuxta Sirmundum extare debet. Quæ cùm ita sint, iam id superest, vt vel mera ista sit fabula, à Fausto, idest, vt à Baronio vocatur, à versipelli vulpecula conficta: vel grassatio hæc eius fuerit in misellum hunc Presbyterum: vel denique vnius Fausti hæc laus

exi-

eximia fuerit, onantis scilicet de simplicitate eius, qui, instar aliorum quorumdam, vt infrà ostendetur, minùs cautè, & ideò nimis durè de gratia Christi sentiebat.

11 An fuerint autem aliqui Prædestinatiani hęretici, qui fatalem impingerent prędestinationem, inexorabilemque in hos damnationis, in alios salutis necessitatem; inter eruditos controuertitur. Nobis Arausicanæ Synodi sapientia admirationi solet esse, quæ erroribus anathema illisisse; sano dogmati facem accendisse contenta, superuacaneam istiusmodi quæstionem protelauit. Ità enim can. 25. [Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse; non solùm non credimus: sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.] Prophanum dogma proscribunt, eius quoque sectarios si qui sint, inurunt; an prorsùs aliqui sint, minùs solliciti: immò nullos esse, magis propensi. Nam si quos esse suspicarentur, eos perscrutari, vt sanarentur, vtque ne alios suo contagio inficerent, instimularet charitas, & sollicitudo episcopalis. Si qui autem istiusmodi tamen essent, non ideò vlla minùs suspicacibus Episcopis inhæreret macula. Etenim, vt ait Facundus lib. 3. cap. 3. [Aliud est ideò hęreticum excusare, quòd catholicus putetur; & aliud ipsam hęresin approbare, atque defendere. Quemadmodum aliud est, ideò accusare Catholicum, quòd hęreticus putetur: & aliud improbare, ac reprehendere Catholicam fidem. Nam potest castitatis approbator, atque dilector, non approbata fornicatione, fornicatorem, dum in persona fallitur, approbare: & non improbata castitate, castum, dum in persona similiter fallitur, improbare. Postremò quòd promptissimè conceduut, sicut non ideò Eutychiani sui dogmatis crimine defenduntur, quia putantes antiquos Patres id credidisse, quod ipsi pessimè credunt, approbant eos, quorum fidem impugnant. Ità non ideò sancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum est, quòd Dioscorum vel putauit, vel excusauit, quasi à culpa Eutychiani dogmatis alienum: cùm ipsum dogma Eutychianum confutauerit, atque damnauerit.] Et lib. 6. cap. 1. [Aliud est, cùm de persona falsò aliquid creditur; aliud cùm de ipso Christianæ fidei fundamento malè sentitur.] Et cap. 4. [Contingit nonnumquam inter vnius sententiæ viros, vt cùm de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen inuicem aliud suspicentur; vel cùm à dicente minùs aperitur verbis, quod corde conceptum est: vel ab auditoribus minùs inspicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas, qua de Deo malè creditur, ab ignorantia, qua quisque aliter de suo proximo, tamquam homo de homine suspicatur. Et si fortè videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, qua veritas fidei, quam de Christo habemus, asseritur.] His argumentis, exemplisque facilè adducimur, ab hac de factis, & personis quæstione supersedere, cùm de orthodoxo dogmate suscipiendo, de portentosa fatalis prędestinationis necessitate explodenda omnibus hinc, & indè conueniat. Illud quoque placet Facundi, si qui vt nimium suspiciosi culpandi sint, cęteros tamen iu danda illis venia clementes esse debere, & eorum etiam in fidei sinceritate tuenda zelum approbare.

12 Obiter illud tamen addemus, procliuiores fuisse Patres Arausicanos, vt nullos esse crederent istiusmodi Prædestinatianes hęreticos, cùm ad eos vestigandos adeò non excubauerint.

2. Immò cùm eam ipsam notam quasi sibi ipsis impactam à quibusdam, sedulò absterserint, [non solùm non credimus, sed si qui sint, &c.]

3. Augustinus paucis antè obitum annis, & post eum Prosper, ac Fulgentius sibimetipsis adscriptas ab aliquibus indoctis has absurditates dogmatum, quæ Prædestinatianis tribui solent, studiosè confutarunt: non vnquam autem ipsi aliquos insectati sunt Prędestinatianos hęreticos, vt in diuersam Pelagianæ dementiæ, & ninihilò minùs pestiferam insaniam deficientes.

4. Qui aliquas opinabantur olim cum Fausto esse fatalis, & libero arbitrio exitialis necessitatis assertores, ij Augustino ipsi obliquè aduersabantur, vel palam maledicebant, vt de Massiliensibus, de Gennadio, & alijs tunc non paucis compertum est.

5 Qui eum Fausto esse venditarunt Prædestinatianos hæreticos, ij ferè cum Fausto etiam videntur in ea ipsa de prædestinatione, & gratia quæstione, apud multos catholicos tractatores malè audisse. Vnum refero suffragium Ecclesiæ Lugdun. aduersùs Ioannem Scotum: [Vnam ponit hæresin Pelagianorum, liberi arbitrij sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius, &c. Secunda hęresis, quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicauerit sola Dei gratia hominem saluari, vt liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium: nobis minimè compertum est, &c. Quæ est ista secunda hæresis, tam incognita, tam noua, & inaudita, quæ libero arbitrio denegato, solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia, vt nobis videtur, disputator iste, vel B. Augustinum latenter, quasi hæreticum accusat, &c. aut certè eos, qui secundùm eius venerabilem, & Catholicam doctrinam nunc de gratia Dei sentiunt, & docent, quasi minùs illius dicta intelligentes, hæreticos vocat, &c. Hac de causa nobis videtur, quòd callidissimè omninò, & versutissimè velut hæresin solius gratiæ posuerit, nec tamen auctorem, vel sectatores eius vlla significatione manifestauerit. Quod si ita est, quid aliud, quàm Ecclesiam nostri temporis accusat? &c. Denique non posuit hanc hæresin, ante Pelagianam, sed posteà, id est, à temporibus sancti Augustini vsque nunc. Nec potest inueniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum, & nos. aliquam talem hæresin in Ecclesia extitisse

nisi quòd vel ipsum B. Augustinum, vel nos, qui eum sequimur, istius erroris accusat.

13 Sed etsi fuissent aliqui istiusmodi, cùm nusquam accusati palàm, nusquam confessi, vel conuicti: nusquam contumaces fuerint, aut fuisse certò probentur: ergo non alij ij fuerunt, quàm aut ipsissimi vindices Ecclesiastici dogmatis, iniquis vexati suspicionibus: aut simpliciores aliqui, qui altitudini dogmatis Catholici impares, aliqua circa illud hallucinabantur, sed quæ non præfracta tamen, & hæretica defensitabant contumacia. In horum numero simpliciorum erant illi, sub Valentino Abbate Monachi, ad quos scripsit Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio. In exordio enim statim huius operis Augustinus præfatur, multa se hactenùs scripsisse aduersùs eos, qui obtentu tuendi liberi arbitrij, gratiæ maiestatem labefactatum eunt: [Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & cæteri, qui Deo seruitis, compellente mutua charitate curaui. Nunciatum est enim mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in vestra congregatione sunt, & ad nos indè venerunt, per quos, & ista direximus, quòd de hac re dissensiones in vobis sint.]

Et in epistola ad Valentinum idem Augustinus: [Venerunt ad nos duo iuuenes, Cresconius, & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eò quòd quidam vobis sic gratiam prædicent, vt negent hominis esse, liberum arbitrium: & quod grauiùs est, dicunt, quòd in die iudicij non sit redditurus Deus vnicuique secundùm opera eius.]

Homines ergo isti minimè mali, sic gratiam prædicabant, vt libertatem perimerent. Quibus duriores illi concionatores copulari fortasse possunt, quos obiurgat Augustinus ipse, qui prædestinationem, & gratiam Dei illam electorum propriam, & specialem, improbissimè, importunissimè, incongruentissimè ità populorum auribus ingerebant, vt sin minùs mendacio, certè sæuitia quadam, & immanitate eloquij, infirmos quosque offenderent. Vide libro de bono perseuer. cap. 22.

14 Verùm, vt hos postremos sileam, quibus, vt austeritatem intempestiuam mitigaret, ità erroris suspicionem abigere satis egit Augustinus loco citato: ad illos redeo, qui non minùs Catholici, sed minùs acuti, ità exardebant in gratiæ defensionem, vt libero arbitrio minùs consulerent. De his, quid sentire debeamus, docet nos Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 1. Nempè vsitatissimam hanc esse Catholicorum complurium simplicitatem, qui cùm non sint ferendo ponderi veritatis, multa imperitè, & ridiculosè somniant: quibus non hæretici, sed infirmi esse produntur, & à fortioribus tolerandi sunt, donec in nido auctoritatis Ecclesiasticæ plumescentes, lacte fidei, & bonis moribus roborentur: reueletque illis tandem Deus arcana, ad quæ priùs cæcutirbant.

Ità Apostolus in re simili, ità ex Apostolo Augustinus. [Itàque dilectissimi, ne vos perturbet huius quæstionis obscuritas. Moneo vos primùm, vt de ijs, quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quidquid est autem, quò peruenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos, & charitatem seruantes, à Domino, vt intelligatis, orate. Et donec vos ipse perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quò peruenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cum dixisset, nondum se esse perfectum: paulò post ait: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: id est, ità nos esse perfectos, vt nondum ad perfectionem, quæ nobis sufficit, venerimus. Continuòque subiunxit: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippè in quod peruenimus, & quò nondùm peruenimus, peruenire poterimus: Deo nobis reuelante, si quid aliter sapimus, si ea, quæ iam reuelauit, non relinquamus.]

Quo Apostoli, & Augustini documento nihil temperatiùs, nihil sapientiùs, nihil ad charitatem inter Ecclesiæ filios impuberes, & immaturos alendam opportuniùs dici potuit. Obserua autem, illud pertinere, non ad exteriores tantùm mysticæ Theologiæ sensus, sed ad ipsa fidei vulgatissimæ capita, cuiusmodi est, quòd gratia non iugulet libertatem. Qui enim hic titubabant fratres, non vt heretici infamantur continuò, sed vt imperiti erudiuntur, & tolerantur, donec hoc quoque Deus illis reueler.

15 Quibus fidem faciet Facundus Hermian. lib. 12. cap. 1. [Si nunc Ecclesia, quædam Christi schola est; omnesque fideles eius, Christi dicuntur esse discipuli: nec quisquam potest veraciter dici discipulus, qui non aliquid discit: neque discitur, nisi quod ignoratur: proculdubiò aut docilis ignorantia non facit hæreticum: aut omnis Christi discipulus erit hæreticus. Et quis iam Catholicus esse dicetur, si omnis, qui de Christiana religione aliquid discit, hæreticus est dicendus? Quòd si etiam credantur aliqui, sic omnia didicisse, vt nihil iam possint habere, quod discant: quia tamen aliquid ignorabant, antè quàm discerent: ex hæreticis videbuntur facti Catholici. Atque ità colligitur, vt nullus inueniatur in Ecclesia Christi, qui non aut esse, aut fuisse perhibeatur hereticus. At hoc dicere, vel putare, cùm impijssimum, tum etiam nimis absurdum est. Scire igitur debemus, quòd hereticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est: sed potiùs obstinata defensio falsitatis.]

Decerpit mox eadem, quæ suprà ex Apostolo Augustinus. Addit: Carnales Corinthios non potuisse capere complura: Christo ipsi familiares, & sanctissimos viros, & mulierculas, complura de ipso sequiùs

quiùs credidisse: [Cum ipsi Apostoli aliquando fuerint in fide imperfecti, numquam tamen hæretici.

Cùmque adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt spirituum immundorum, &c. Si illi, qui præsentem habebant ipsam in corpore veritatem, potuerunt absque crimine secus aliquid de illo, minúsuè sentire; cur heresis crimini deputetur, si quisquam in Ecclesia, pietate præditus, obedientiæ deuotus, subiectus, & habilis ad discendum, aliter de illa senserit: quod reprehensum, corrigere sit paratus? Quocirca omnes, qui in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles, & subiectos auctoritati prebent Ecclesiæ; si aliter sapiant de his, quorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minùs tene animaduertendo, quàm opus est, impiè procul dubiò tamquam hereticos arbitrantur.]

Etsi ergo hæretica sint, quæ quidam sentiunt, non hæretici tamen sunt, qui ità sentiunt, quia intùs, & in radice quadam penitiori, consentiunt Ecclesiæ auctoritati. Et quamquam propter incapacem suam intelligentiam, perdiù forsan obluctentur vera insusurrantibus, Catholico grege, & nomine nequaquam tamen excidunt: quia non contumaci aduersùs Ecclesiæ auctoritatem lucta, sed animi hebetudine reluctantur.

16 Sunt ergo in Ecclesia triplicis admodum generis homines, vt idem ibidem subijcit: [Sicut ergo sunt perfectiores quidam, qui magno sapientiæ dono, præualent mente contemplari, quæ tantummodò creduntur ab alijs in vita perfectis: ità multi sunt imperfecti in Ecclesia Christi, & tamen in seruanda eius vnitate perfecti: qui cùm per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cuius se confidunt vnitate saluari, &c. Sicut ergo non ideò quorumdam perfectorum in fide spernendus est inferior gradus, quòd non possunt intellectu capere veritatem, quia hoc sublimioris gradus alij possunt: ità nec ipsi spernendi sunt, qui licèt imperfectæ fidei fuisse videantur, quia non in omnia, quæ tam multa, & magna continet Christiana religio; sicut dignum est, animum potuerunt intendere: animo tamen vera, & recta esse in Ecclesiæ fide non dubitauerunt, vt in ea perficiendi manerent. Ac per hoc ità credentes, iuxta quedam gradum, & ipsi videntur in fide perfecti; qui se perficiendos ex vnitate Ecclesiæ crediderunt.]

Et accuratè hos gradus tres dispergens, atque consocians: [Illi ergo excellentiore gradu intelligentiæ præditi ipsam rem, cuius in futurum reuelatio plena seruatur, quantùm in hac vita concessum est, cualuerunt attingere. Illi etiam tantummodò perfecti, ad eam propriùs accesserunt. Isti verò inferiores, quos tertio gradu posuimus, quamquam per aliquod longius interuallum, ad idem tamen aspiciunt, & illuc habent veniendi propositum.]

Et ne insolescere possint aduersùs hanc quasi fæcem simplicium, non mediocres, sed vel sublimes illi, & primores: & ipsos aliquando incautos alicubi titubare docet, & solo fidei Ecclesiasticæ sinu eodem suscipi, ac contineri. [Qui si hæretici iudicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, sed de ipsis Ecclesiarum præpositis relinquetur, quæ Catholica debeat iudicari? Cùm & illos excellentioris intelligentiæ, necessitate suscepti officij per ardua gradientes, nonnunquam lapsos, sinus pietatis excipiat, qua se auctoritati subdunt Ecclesiæ, cuius magistri sunt, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.]

17 Quæ si summatim conglobare voles, liquebit hos, de quibus agimus, etsi mendacio irretitos nefario, Catholico tamen nomine, & Ecclesiæ sinu nequaquam excussos esse.

Primò, quia istiusmodi erant Apostoli ipsi ante Passionem Christi, & euectionem eius in Cœlos, cùm tam bruti, tam duri, hebescebant ad ea arcana, quæ inculcabat Christus; quis eis tamen interim, & sacramenta, & Ecclesiæ totius gubernacula committebat.

Secundò, istiusmodi erant carnales, infirmique, de quibus crebrò Apostolus, quibus reuelatum iri spondet multa fidei capita, si in ijs ambulent, quæ complexi iam sunt.

Tertiò, istiusmodi ferè sunt turbæ populorum, Ecclesiam Catholicam toto Orbe implentium, quas certum est in plerisque de Deo, & de tota religione hebescere, & ineptire: ac si pertendas instillare fidei sinceritatem, resilient: & inexpugnabili quadam non pertinacia, sed imperitia reluctabantur.

Quocirca sinendi sunt in nido fidei alas charitatis nutrire, & ità conualescere, vt quod tunc non possunt, quandoque possint in auras liberiores veritatis euolare.

Quartò, istiusmodi sunt quandoque & optimates ipsi, Antistitesque Ecclesiæ, qui necessitate suscepti officij per ardua gradientes, etsi intelligentiæ lumine fulgeant, labutur tamen interdùm, quia homines sunt: quia sapientes, non natura sapientiæ sunt: quia salubriùs est in ignorantiæ, quàm in superbiæ abrupta impingere.

Quintò, istiusmodi fuit, vel Augustinus, qui aliquando de fidei dono sensisse se profitetur, quod sentientes postea notauit erroris.

Sextò, istiusmodi penè necessariò sunt omnes Catholici, qui vtique Ecclesiæ, & Christi discipuli cùm sint, discunt, quæ nesciebant; aut si iam non discunt, didicere. Et tamen dum discunt, dum vel falsa dedocentur, vel docentur vera, non hæretici auè esse, aut fuisse criminandi sunt.

Septimò, eam multa, & tam magna continet Christiana religio, vt in omnia animum intendere prout dignum est, aut si intenderint, capere possint, vel incredibiliter pauci, vel nulli penitus. Omnes ergo

ergo necessum est lapsuros alioqui, & elidendos, Ecclesiæ auctoritatis gremio excipi.

Octauò, illi ipsi in fide imperfecti, perfecti quodammodo sunt, dum in Ecclesia credunt, nonnisi vera credi, & eam intemeratam Ecclesiæ fidem medullitùs amplectuntur, suam esse fidem profitentur; suæ cuicumque opinationi anteponunt. Hac ergo communi, & vniuersali credulitate, exuunt, & eiurant stitpitùs priuatos errores, quos euelli eis alioqui pertinax ignorantia, aut stupor mentis non sinit.

18 Similiter autem philosophandum de Fausto, de Cassiano, de Massiliensibus Presbyteris, de reliquis omnibus Augustini, & Augustinianæ, id est, Romanæ, & Catholicæ de gratia doctrinæ obtrectatoribus, quibus nonnulli solent Semipelagianorum nomen, infamiamq; impingere. Horum enim etsi sensa, scriptaque à fidei veritate longè abluderent, ipsi tamen Catholici prorsùs, & erant, & à Catholicis Patribus habebantur.

19 Et primùm quod ad Faustum spectat, quo de præsertim agitur in harum elucidatione Synodorum, pensiculatiùs reuoluo elogia eius ante congesta, vbi ue perspicies, scripta eius inuri, personæ ignosci. Catholici indubitatissimè sunt complusculi, quorum opera Gelasius apocrypha censuit, Possessor in eadem naui locat Faustum, ac reliquos Catholicos tractatores, quorum scripta ad indubiam fidei amussim non statim adhibeantur. Idem Hormisdæ Pontificis iudicium de Fausto fuit. Ioannes Maxentius etsi flagrantissimo succensus odio, libros Fausti contendit esse hæreticos, indignatur aduersùs eos, qui vt Catholicos propugnabant: de Fausto ipso litem ne mouet quidem.

Ità Auitus, Fulgentius, Isidorus, errores Fausti, non Faustum hæreseos insimulant. Ado perspicuè negat eius sensus esse Catholicos.

20 Sed vniuersim ad omnes asperitatem Augustinianæ doctrinæ allatrantes, qui asficiatur, afficique nos iubeat Augustinus ipse, operæ pretium est animaduertere. Sic ergo ille lib. de prædest. sanct. cap. 1. ad Prosperum, & Hilarium, qui de eorum querelis ad ipsum rescripserant. [Videre mihi videor eos fratres, eo modo esse tractandos, quo tractauit Apostolus, quibus ait: Etsi quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Adhuc quippè in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum. Sed habent, vndè si quid in ea aliter sapiunt, hoc quoque illis reuelet Deus, si in eo ambulent, in quod peruenerunt. Propter, quod Apostolus cùm dixisset, si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Verumtamen, inquit, in quod peruenimus, in eo ambulemus. Peruenerunt autem isti fratres nostri, vt credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum; nec ab isto malo, nisi per iustitiam secundi hominis, aliquem liberari. Peruenerunt etiam ve preueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta erga ista, in quæ peruenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt. Proindè si in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis quoque reuelabit.]

Hos ergo, non aliter, quàm Adrumetinos Monachos, ab hæresi procul esse, à Pelagianis plurimùm discerni arbitratur Augustinus: & quamquam in aliquo caligent, quamquam in prædestinatione minùs sapiant, hoc illis à Deo reuelatum iri. Et idem denique ad calcem libri de bono perseuerantiæ: [Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent, vt eorum ille sit doctor interior, à cuius facie est scientia, & intellectus. Ego autem, cùm per eos, qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesiæ Doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturque nosse, quod scribo.]

Quæ nisi ad Catholicos homines non perorarer Augustinus. Et lib. de bono perseuer. cap. 17. [Neque enim Pelagiani sunt, vt aduersùs istam perspicuam veritatem dura, & hæretica peruersitate contendant, &c.]

Et cap. 24 [Hoc donum Pelagianis optamus, vt habeant: istis autem nostris, vt pleniùs habeant: Oremus, vt Deus gratiam etiam det inimicis nostris, Pelagianis, maximèque fratribus, & dilectoribus nostris, intelligere, &c.]

21 Nec ab his multùm dissentiebat: etsi paulò acriùs exarserat Hilarius in epistola ad Augustinum, qua prolixè narrat quæ Massiliæ, & alijs etiam locis in Gallia veotilabantur, aduersùs longè plurima Augustinianæ de gratia Theologiæ capita: [Sunt ex parte tales personæ, vt his consuetudine Ecclesiastica laicos summam reuerentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ità curauimus Deo iuuante seruare, vt cum opus fuit, non taceremus, &c. Tuæ sanctæ prudentiæ est dispicere, quid facto opus sit, vt talium, & tantorum superetur, vel temperetur intentio. Cui ego iam parum prodesse existimo, te reddere rationem, nisi, & addatur auctoritas, quam transgredi insatigabiliter contentiosa corda non possint.]

Et infrà: [Non solùm absentia tua crucior, verùm etiam peruicacia quorumdam, qui non tantùm manifesta respuunt, verùm etiam non intellecta reprehendunt, &c. vt potiùs infirmitatem meam, qua tales parùm patienter fero, notabilem putem.]

Tales ergo doctrinæ Augustinianæ aduersarios, etsi insatiabiliter contentiosos ostendit esse, tamen patienter ferendos censet, suæque infirmitati succenset aduersùs eos feruidiùs quandoque excandescenti: summam reuerentiam illis, & à se, & à laicis omnibus necessario depeudi declarat debere; denique etsi rationibus expu-

expogoari nou possint, auctoritate tamen Ecclesiæ fractum iri oon dubitat, vtpote Catholicæ matris filios.

22 Prosper quoque in epist. ad Augustinum, de istis imperitè, non hæreticè contumacibus, & contumaciter imperitis, ità meminit: [Multi seruorum Christi, qui in Massiliensi Vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis contrarium putaot Patrum opiuioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm propositum Dei disputasti. Et cùm aliquandiù tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, &c. reeeosito beatitudiuis tuæ libro de correctione, & gratia, auersiores, quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est; ne tam claris, tamque egregijs in omnium virtutum studio viris, spiritus Pelagianæ impietatis illudat: ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quòd audiunt eos, quorum auctoritatem sine iudicio sequuntur, asserere.] Tanta verborum honorificentia non prosequeretur homines à fide alienos: timet illis, ne illudantur tandem hæresis Pelagianæ præstigijs, si ea auersari pergant ardua de prędestinatione decreta, qoibus reliqua contexta suot omnia, sed illud iam eos non putat, id suprà negauit August.

Explanato autem prolixiùs toto Massiliensium de gratia placito, subijcit: [Possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sententium non sumus pares. Quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto ouper summo Sacerdotij honore supereminent. Nec facilè quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solùm his, qui eos audiunt: verùm etiam ipsis, qui audiuntur, cum dignitatibus creuit periculum. Dum & multos reuerentia eorum, aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu: & saluberrimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur.]

Tanta admiratio probitatis, & auctoritatis in hæreticos homioes non conferretur: at ne infirmitas in hęresin desciscat, neue reliquiæ Pelagiaoæ prauitatis ex his initiis repullulascant, periculum esse, & enixè pręcaneodum, nec tacet Prosper, nec nos dissimulamus.

Addit: [Quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quãtùm periculi sit in eorum persuasiones, patefacias.] Imminet eoim periculum, oe iufirmatis ijs, quæ cum fide conioctissima, & indiuulsa sunt, fides ipsa tandem collabascat.

Et infrà: [Speramus non solùm tenuitatem nostram disputatiooum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis, atque honoribus elaros caligo istius opiniouis obscurat, desęcatissimum lumen gratiæ recepturos, &c. Adde eruditionem humilibus: adde increpationem superbis, &c. Iotelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseueraotem rumorem.]

Et Hilarius ergo & Prosper vrgebant tales summa auctoritate frangi, & sectionis comminatione perterrefieri. Clementior Augustinus statim respondit, tractandos istiusmodi, nou aliter, quàm vt infirmos illos, quibus Apostolus noo mucronem intentauit resecaturum, sed spem profectus, & diuinæ ad vlteriora reuelationis ostendit.

23 Rursùm idem Prosper in exordio opusculi aduersùs collat. de ijsdem Augustini, & gratiæ per eum constitutæ calumniatoribus: [Quorum intùs interstrepens domestica malignitas non minùs spernenda esset, quàm foris latrans hæreticorum loquacitas, nisi eiectis extra ouile dominicum lupis, sub nomine ouium suffragarentur; essentque eiusmodi, vt nec ordo eorum in Ecclesia: nec ingeoia despicienda videantur.]

Vides, vt domesticos hos esse agnoscat etsi præter opinionem hæreticis patrocinarentur.

Et infrà: minùs mirum ait, si inuideant, & obtrectent Augustino, victricique per Augustinum Ecclesiæ Pelagiani: Qui exulare à veritate, quàm ciues esse Ecclesiæ maluerunt. Nostri autem coocorporales, & participes gratiæ Christi, cur de his armis, quibus communis fides est defensata, causantur?]

Eo vt concorporales, & participes nostros agnoscat illos, communis fidei consortes. [An verò nouorum Censorum ità norma exactior temperauit, &c.]

Nouos & imperitos censores obiurgat, Catholicos esse oon negat. Et cap. 3. relatis Cassiani verbis sic insurgit: [Doctor Catholicè, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relicta serenissimæ veritatis luce deuolueris?]

Et cap. 32. lacioioso textu Collatoris exscripto, exclamat: [Quis hæc prędicari à Catholicis inter Catholicos crederet? &c. Itane à cunctis Ecclesiæ filijs spiritus scieotiæ, & pietatis abscessit, &c.]

Sed ipsa totius operis peroratione oihil enucleatius: [Sufficienter demonstratum est, reprehensores sancti Augustini, & vaoa obijcere, & recta impugnare, & praua defendere. Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio: vt donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos iudiciorum suorum mioistros hæc, qua per paucorum superbiam, & quorumdam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adiuuante sit studium, quieta, modestaque patientia, odio dilectionem reddere, & ineptorom vitare conflictus.]

A fratereoa autem societate diuisos istiusmodi, quis scripsit, quis audiuit vmquam? Immò diuidendos, vbi Augustinus censuit, vbi non potiùs contradixit? Etsi enim & ipsi, & doctrinæ eius Catholicæ iotemperantissimè obloquerentur, & contra

tra

tra statuerunt oppido multa, & elaborata, docerentque, & scriberent: responsionibus August. non tantùm nõ mansuescerent, sed magis efferatentur: tolerandos tamen censuit, & habendos, vt illos, quibus Paulus diuinæ ad ampliora reuelationis spem fecit.

24 Reliquis etiam idem Prosper libellis obtrectatorum Augustini, & suorum, eorumdem, nempè de quibus suprà, sæpissimè imperitiam, calumniam, inuidiam incusat, nusquam hæresin. Quin immò Augustini ea in re imitator, non tam ad eorum accusationem, quàm ad sui defensionem armatur. In præfat. ad obiect. Vincent. [Quidam Christianæ, ac fraternæ charitatis obliti, in tantùm existimationem nostram quoquomodò student lædere, vt suam se euertere, nocendi cupiditate, non videant, &c. Sensus nostri, & fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis auctoritate defendimus, verba ponamus, vt agnoscant impiarum prophanatumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium.]

Et in præfat. ad capit. Gall. [Doctrinam Augustini quibusdam visum est, aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere.]

Eam à calumnijs purgaturum se suscipit. Denique in epist. ad Ruffinum: [Cui Augustino, inter tot certaminum palmas inter tot triumphorum coronas, quidam nostrorum, quòd de ipsis multùm dolendum est, occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur.]

Tum accingitur ad amoliendas à sanctissimo viro has calumnias, & denique ait: [Confide ergo, quoniam hæc contradictio, sicut in alijs Mundi partibus, ità in his regionibus conquiescet.]

Ità sanè contigit frequenter, vt suspecti purgent se potiùs infirmis fortes, quàm fortibus infirmi. Infirmitas enim, & domi, & foris cæcutiens, titubans, fastidiosa est. Fortitudo autem charitatis sibi etiam iniuriosa est, seque extenuat, vt infirmis medeatur.]

25 Nec Hilarius, nec Prosper, nec alij complures aduersùs criminatores Augustini obmutescebant. Etenim ibidem Prosper ait: [In ipsis his locis, in quibus aduersùs eum quærimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Euangelicæ, Apostolicæque doctrinæ, saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur.]

Scripserat & in sui defensionẽ August. August. memoriam, & doctrinam consecrauerat Cœlestinus, vt infrà dicemus. Et in quibus tamen pertinax illa residebat adhuc non hæresis, sed falsitas, & imperitia indomita, toleranda, non execanda ab vnitate Ecclesiæ sanctissimis Episcopis videbatur.

Ità enim Africani Episcopi in Synodica sua ab exilio Sardiniæ scripta: [Vos itàque dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles, & immobiles, ac tenentes veram fidem: exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem. Nec de aliquo desperetis. Quia, qui hodie veritatem in aliquo non agnoscit, potest cras, Deo reuelante, cognoscere. Oremus pro eis, vt Dominus operetur in eis, &c. Præ omnibus studium gerite, libros sancti Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere.]

Et mox opera Fulgentij commendantes, aiunt: [Cæterùm vnus ex nobis, illis omnibus, quę memoratos fratres aduersùs gratiam, & prædestinationem intimastis, vel sentire, vel dicere, tribus libris sufficienti disputatione respondit.]

Vides, vt fratrum nomine dignentur imperitos disputatores istos, & Deo reuelante, sperent, in quod nondùm peruenerunt, peruenturos.

26 Arausicana porrò secunda Synodus, nec transuersum vnguem ab illa Patrum clementia deflexit. Continuò enim sic ordiuntur: [Peruenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm fidei Catholicæ regulam sentire velint.] Tunc aiunt capitula quædam à se proponi, [ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet sentiunt, &c. vt qui huc vsque non sicut oportebat de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.] Simplices, & minùs cauti vocantur, qui pridem secùs senserant, non hæretici; etsi non secundùm fidei Catholicæ regulam senserant. Ideò nullo feriuntur anathemate, non scinduntur ab Ecclesiæ vnitate, non pœnitentiæ laici vlli addicuntur, non Clerici gradu, aut Pontificio excutiuntur. Denique can. 25. & vltimo, purgant se infirmis fortes, & ferreæ necessitatis portentosam criminationem deprecantur Episcopi Synodi huius. Quod tantò admirabiliùs sanè est, quòd iàm olim Augustinus, Prosper, Hilarius, iàm Fulgentius, iàm Africani synodicè Episcopi, iàm Cœlestinus, & Hormisda Pontifices, iàm Oriens, Occidensque conspirauerant aduersùs pugnaces istos liberi arbitrij patronos; & tamen adhùc illi bellaturientes, scriptis etiam commentarijs, vt Faustus, Gennadius, Cassianus, inepta deliria promulgantes: nihilo seciùs tamen, vt fratres habentur, & per simplicitatem minùs cautè, aliter, quàm oportet sensisse excusantur. Vsque adeò prolixa, & infinita quædam dispensatio venturis seculis præmonstrabatur, ad inexpugnabilem hanc simplicitatem infirmorum ferendam.

27 Et Bonifacius II. Pontifex in epistola ad Cæsarium, qua Arausicanam confirmat Synodum, pauló austeriùs has vocat [reliquas Pelagiani erroris ineptias: vetusti erroris reliquias:] nulla tamen prætereà actiori censura dilancinat [aliquos Episcopos Galliarum, qui cùm cætera iàm bona ex Dei acquieuerint gratia prouenire, fidem tamen, qua in Christo credimus, naturæ esse volebant, non gratię.] Insanum errorem fusè insectatur, eius tenaces Episcopos nulla grauiori sententia, aut vel comminatione perstringit, quin de ijs in

poste-

posterum meliùs ominatur; [Contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam à quodam tibi mandasti Sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia Diuina, quòd ità per ministerium tuæ fraternitatis, atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari vt, &c.] Pontifex non aliud, quàm spem sibi esse rescribit, vt Deus in eorum cordibus vbertiorem gratiæ suæ lucem, ad gratiæ ipsius intelligentiam irradiet.

Et Ecclesia Lugdunensis nono seculo tenax eiusdem sententiæ lib. de tribus epistolis: [Querimonia, & perturbatione magnorum, & sanctorum apud Gallias virorum, qui disputationibus in tantùm permoti fuerunt, & quodam tædio affecti, vt prædestinationis sensum, qui constanter prædicabatur, vel quasi falsum, vel quasi periculosum potiùs tacendum esse iudicarent. Sed nec tanta perturbatione Fidelium auocari potuit Augustinus, &c.] Vbi ad marginem hæc adnotauit compilator Biblioth. Patrum to. 4. par. 2. [Ex hoc habetur Semipelagianos non fuisse Hæreticos, sed Catholicos.]

28 Sed Synodis, Pontificibusque in hanc præiuerat indulgentiam Cœlestinus Papa, à Prospero, & Hilario exstimulatus, epistola ad Gallicanos Episcopos scripta, qua Augustinum meritis efferre laudibus, Presbyteros obiurgat, qui indisciplinatas quæstiones mouebant, prædicabant aduersantia veritati. Nihil grauiùs tamen, quàm illis silentium imponi decernit. Ità enim cum Catholicis simplicibus, etiam pertinaciter imperitis, non autem cum doctis hæreticis agitur.

29 Vtque caligo rei huic offusa diligentiùs expungatur, aduerte ex Augustino suprà laudato, audaculis his censoribus duo quædam persuasissima fuisse, Catholicæ fidei palmaria, ex quibus religata pendenrent cætera: nempè & peccato parentali obnoxios nasci omnes homines, itemque voluntates hominum Dei gratia præueniri, vt nec incipere quid boni, nec perficere queant, siue eius adminiculo. His duobus implicata sunt cætera rectæ fidei capita, etsi id illi minùs aduerterent. Similiter illi, aduersùm quos disputat Bonifacius II. Papa, bona omnia opera Gratiæ imputabant. At indè nascebatur istud quoque, vt fides, quæ bonorum operum exordium est, & palmam inter animi nostri interiora bona opera obtinet, Gratiæ adscribatur. Quod ibidem Pontifex ità arguit: [Illos, qui præcedente fide, cætera volunt gratiæ deputare, sua professione constringimus, vt multò magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere, præter quam nihil est boni, quod secundùm Deum quilibet valeat operari: sicut beatus Apostolus dicit: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Quod cùm ità sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur: aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda.]

Postremò: ij, aduersùm quos Cœlestinus scribit: [ea tantummodò sequi, & probare confitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit.]

Ex hoc porrò vno capite contexebatur tota fidei Orthodoxæ series de gratia, etsi illi secùs opinarentur. Etsi ergo priuatas opinatiunculas suas puerili, & pueriliter contumaci simplicitate garrire solerent; quia tamen summam ipsam rectæ fidei cum tota Ecclesia complectebantur, quæ continebatur opiniuncularum illarum eiuratio, quia decreta Sedis Apostolicæ reuerebantur; ideò infirmis fratribus, non hostibus fidei annumerabantur, incitabanturque dumtaxàt, vt in quod peruenerant, in eo ambularent; ità enim fore, vt aliquando id quoque, in quod nondùm peruenerant, assequerentur.

30 Ergo si de Hilario Arelatensium Episcopo, si de Vincentio, si de Cassiano, de Gennadio, de Sidonio Apollinari, si de Fausto acerbiùs quid aliquando excidit magnis viris, id æqui, bonique consulendum est, & in doctrinam, in quam incautè, & per simplicitatem incurrerant, non in personas refundendum. Ità fiet, vt non inuideamus, non obtrectemus spectatæ eorum complurium sanctitati, cui & Augustinus, & Prosper ipsi applaudebant. Nec magnopere satagemus, an antè obirum acquieuerint saniori doctrinæ. Cùm ad Arausicanæ saltèm vsque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non desierint.

31 Nec nulla sunt alibi eiusdem exempla indulgentiæ. Nàm, vt auctor est Epiphanius, hæresi 70. num. 8. Audiani, seu Anthropomorphitæ Deo humanam appingebant effigiem: rusticitati autem eorum id, non hæresi tribuebatur: [Illorum dogmata proposuimus, quæ simpliciori quadam ratione, ac pertinaci contentionis studio turpiter asseuerant.] Audis pugnacitatem non hæreticè, sed tardioris, & obtusi animi.

Et num. 14. [Illud de Dei imagine interpretandum putant simplici quidam ratione, *catà tò idioticòn*. Quocircà nec ea de causa, sed alia longè diuersissima, ait Epiphanius illos ab Ecclesia, & scissos esse primùm, & semet abscidisse. Quin quod semet absciderint, in schisma potiùs, quàm in hæresim illos censet impegisse. Vndè & Augustinus lib. de hæres. hær. 50. [Audianis, quos appellat Epiphanius, & schismaticos, non hæreticos vult videri: alij vocant Antropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici. Eos autem separasse se dicit à communione nostra, culpando Episcopos diuites, & Pascha cum Iudæis celebrando. Quamvis sint, qui eos in Ægypto Ecclesiæ Catholicæ communicare asseuerent.] Vides quid sentiat Epiphanius, nec Augustinus ab eo dissentiat.

32 Sed operæ pretium erit audire quid de sanctissimis, & indoctissimis tamen Monachis

nachis narret oculatus rerum omnium testis Cassianus collat. 10. cap. 2. [Theophili Alexandrini Episcopi solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denunciatione paschali, contra ineptam quoque Antropomorphitarum hæresin longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod itanta est amaritudine ab vniuerso propemodum genere Monachorum, qui per totam Prouinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum: vt è contrario memoratum Pontificem, velut hæresi grauissima deprauatum pars maxima seniorum ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandum: quòd scilicet impugnare Scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cùm ad eius imaginem creatum Adam Scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab his, qui erant in Heremo Scythi commorantes, quique perfectione, ac scientia, omnibus, qui erant in Ægypti Monasterijs præeminebant, ità est hæc epistola refutata: vt prçter Abbatem Paphnutium nostræ congregationis Presbyterum, nullus eam cæterorum Presbyterorum, qui in eadem Heremo alijs tribus Ecclesijs præsidebant, nec legi quidem, aut recitari in suis conuentibus prorsùs admitterent.] Quis autem sanctissimos istiusmodi Monachos, & alios vbique terrarum, vt credere par est, tarditate ingenij, sed pietatis quoque cumulo certantes, hæreticis accenseret?

Etenim illi, vt cap. 3. subditur; non errabant, nisi imperitia sola, & simplicitate rusticitatis. Vndè mox ibidem senex quidam omni virtutum genere consumatus, & ab eo tandem errore extricatus, eiulabat in hunc modum: [Heu me miserum! Tulerunt à me Deum meum; & quem nunc teneam, non habeo, vel quem adorem, & interpellem, iàm nescio.] Et sanè quotusquisque Fidelium vulgi non pari hodie ludibrio vexatur interdum?

33 Eodem refertur, quod Augostinus hæresi 86. ait Tertullianum sensisse, [animam esse corpus effigiatam; Deum corporeum, non effigiatum.]

Addit autem: [Nec tamen hinc hæreticus creditor factus.]

Et rursùm: [Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus.]

Posset enim quoquo modo, vt idem ibidem ait, putari, corporis vocabulo significasse, quidquid substantiuum, & solidum est, non vacuum, & inane. At ea est humanior Augustini interpretatio, quæ vereor, vt omnibus approbetur, & vel ipsi Tertulliano; qui cùm animam nugatur corpus effigiatum, plùs satis expromit, quid corporis nomine intellexerit, quod certa effigie circumscripsit.

34 Quid de Corinthijs dicemus, quorum aliqui fidem, & spem resurrectionis exuisse videbantur, vt tanto æstu aduersùs eos Paulus digladietur? Quid de Synesio, qui cætera callentissimus humanæ, Diuinæque sapientiæ, resurrectionis fidei suffragari se posse disertissimè inficiatus, ad Episcopatum nihilò seciùs abreptus est? Nempè in his, vt & in Apostolis antè Spiritus sancti vberiorem allapsum, æquè in resurrectionis sententia, & in alijs non paucis titubantibus, non hæresis, sed infirmitas hæc erat animi, stupentis, & hebescentis ad Diuinorum sublimitatem.

Euagrius libro 1. cap. 15. [Synesio persuadent, vt licèt nondùm doctrinam de resurrectione carnis admisisset, neque ità censere vellet, salutari regenerationis lauacro tingeretur, & iugum susciperet Sacerdotij. Rectè admodùm de eo augurantes, qòd hæ res alias eius virtutes seqoerentur: Diuinaque gratia nihil pateretur in eo desiderari. Quæ spes illos minimè frustrata est.]

Vide hac de re Synesij ipsius epistolam 105. prorsùs mirabilem. Quid de illis porrò, quos tam creber exagitauit Augustinus, qui Christianos Catholicos saltem, etsi omnium scelerum colluuione contaminatissimam egissent vitam, fabulabantur temporalibus tantùm pœnis subactum iri, & in die iudicij donandos Sanctorum precibus, vnàque in cælestem patriam euehendos? Numquam his sanctus Pater, vel vno verbulo maculam aspersit hæreseos.

Enchir. ad Laurent. cap. 67. de illis censet in hunc modum: [Qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur.]

35 Penè nos suffugerat Zosimus Papa, qui Cælestium, Pelagiumque Catholico agmini propemodùm reddiderat, cùm ab ijs audisse se putaret, non tam quid errarent, quàm quid dubitarent, quid doceri cuperent.

Vndè Augustinus libro 2. ad Bonifacium cap. 3. [Cùm hoc Cœlestius in libello suo posuisset, inter illa dumtaxàt, de quibus se adhùc dubitare, & instrui velle confessus est: in homine acerrimi ingenij, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus eius Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit; non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, vbi ait: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus; & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit. Hoc in illo factum putabatur, quando se literis beatæ memoriæ Papæ Innocentij, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.]

Vbi obserua Primò: religioni nobis esse, & pudori, plùs sapere, quàm Augustinum. Quod ergo ille Zosimo laudi vertit, id absit, vt concerpamus. Cæterùm non hic modò, sed frequentissimè Augustinus, vt suprà eluxit; immò & Patrum Senatus ingens, Apostoli Pauli legens vestigia, ei assensus est doctrinæ, & indulgentiæ, qua fretus Zosimus Cælestium excusabat interim magis, quàm purgabat.

Secundò, his imperfectis, de quibus suprà, veniam dari, ne hæreticis immisceantur, quòd præ se id ferant, literis se, & do-

& doctrinæ Pontificum subscribere, etsi eam interim minùs capiant. Eò Cœlestius, & Pelagius Zosimo se commendaroot. Eò istiusmodi omnes superiùs Facundus iuuabat, [quòd semetipsos rationi dociles, & subiectos auctoritati præbeant Ecclesiæ: quòd cùm per ignorantiam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cuius se confidunt vnitate saluari: quod licèt non in omnia, quæ tam multa, & magna continet Christiana religio, sicut dignum est, animum potuerunt intendere: animo tamen vera, & recta esse in Ecclesiæ fide non dubitauerunt, vt in ea perficiendi manetent.] Nemo ergò prætextu antè disputatorum, aduersùs Ecclesiæ doctrinam contumaciùs certari posse, & absurdas foueri opinatiunculas pertimescat: cùm id tam sedulò præstructum fuerit, hanc illis vnis patere indulgentiæ ianuam,qui in nullo errare credunt Ecclesiam.

Tertiò, itàque non quorumlibet est, vt sibi, sed Ecclesiæ iudicium, atque arbitrium est, vt quibus conducit, & quamdiù conducit, hæc infantiæ blandimenta, hæc dispensationis lenocinia adhibeantur. Ista enim iàm non simplicitas, sed calliditas: non rusticitas, & hebetudo, sed simulatio, & impudentia foret, simplicitatem prætendere, rusticitatem allegare, ad errandi, fallendique licentiam assequendam.

In exemplis suprapositis emicabat, totam dispensandi prudentiam, potestatemque non errantibus, sed vni Ecclesiæ moderaodam, regendamque incubuisse.

De Cœlestij vafritie Zosimus ab Afris tandem admonitus, ne illa quidem confessione deinceps contentus fuit, qua se Innocentij literis inhærere simulauerat, nisi sigillatim suos recantaret errores.

Denique: quibus desensionem suprà adornauimus, illi eo omnes fuere animo, quo Augustinus, teste Facundo libro 11. cap. 6. ad subscribendum vel Ecclesiæ, vel cuique recta monenti pronissimus, sicub, erraret. [Sed de Augustino rectè sic audisse cuius animum professio sua declarat: de alijs autem, qua ratione sic credas? Qua, vel ipse, qui contradicit, certum habeat quod hoc alij quoque non dixerint: tame quam omnia omnium legerit, omniumque meminerint. Aut vel ipse animus Augustini ideò talis fuit, quoniam taliter est locutus: & non potiùs quoniam talis fuit; ideò est locutus: ac per hoc, etiamsi nihil tale dixisset, idem tamen esset habitus animi, ad corrigendum, quod iustè offenderet, præparati. De quo si etiam sic benè sentiremus, & pium proculdubiò esset,& verum, quamquam videretur incertum. Hoc igitur, & de aliorum animis sentiamus, quia interim pium est, vel si videatur incertum. Quòd si & malè de illis sentiamus,hoc quoque certum non erit, sed certa impietas erit. Meliùs ergo est, vt de duobus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur: quàm hoc incertum, in quo impietas certa damnetur.

Hunc sapiendi modum singulis nobis deliocat Facundus: at Ecclesiæ ipsius, si qua in aliquos indicia, si qua fulmina corusca uerint: præpostera cuiusdam temeritatis, ac dementiæ fuerit, Ecclesiæ ipsi errorem affingere, vt eos tuearis, qui eo vno defendi se posse scuto sperauerunt, quòd se, scriptaque sua Ecclesiæ subiecerint, quàm in nullo errare confitebantur.



DISSERTATIO XIV.

In Concilium Romanum vtrumque sub Felice II. Papa. Anno Christi 483. 484.

SYNOPSIS.

Primæ Sedis hoc Priuilegium adscritur, iudicandi de cæteris Patriarchis, etiam sine generali Synodo.

1 On potest opportuniùs vsquam alibi pertractari quæstio, quæ ad potestatem summi vnius pertinet in Ecclesia Pontificis, ad cæteros omnes etiam Patriarchas iudicandos, deponendosque. Ipsum enim à nullo alio Patriarcha posse similiter iudicari, deponiue, consequenter elucidabitur in commentandis mox Romanis sub Symmacho Papa Synodis. Quæ duo quidem summa capita sunt eius Principatus, quem in summo causarum Ecclesiasticarum Iudice suspicimus, vt de omnibus iudicet, & à nemine iudicetur.

2 Cùm toto igitur Oriente hæresin Eutychianam summi Antistites Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Imperatores ipsi, vel clam fouerent, vel palàm disseminarent, conclamata erat fidei, & Ecclesiæ ipsius Christianæ incolumitas: nisi Apostolica, & prima Sedes Petri eam auctoritatem, eam fidei firmitatem inconcussam à Christo consecuta esset, qua & fidei hostes amouerentur, & Ecclesia ab impendente eximeretur exitio. Cædibus, & grassationibus hæreticorum occurri non poterat, nisi vel per Synodum œcumenicam, vel per primam Ecclesiæ Sedem. Non poterat tunc coalescere Synodus œcumenica, cùm Zenon Imperator, cùm Alexandrinus, cùm Antiochenus Patriarchæ aduersarentur rectæ fidei, cùm Acacius CP. his conniueret. Ergo spes vna salutis erat in prima Sede, Synodi œcumenicæ vices supplente. Qui ergo hanc illi potestatem inuident, id nimirùm superest, vt fidem, & Ecclesiam huiusmodi pestibus dilaniandam, & impunè proterendam permittant.

3 Ideò & Ioannes Alexandrina Sede pulsus Romano Pontifici aduersùs Acacium libellos dedit. Felix epist. 6. ad Acacium: [Ad libellum fratris, & Coepiscopi mei Ioannis, qui te grauissimis obiectionibus impetiuit, in Apostolica Sede secundùm Canones respondere diffidens, obiecta firmasti.] Et in libello citationis ad eundem misso per Vitalem, & Misenum: [Superueniens Coepiscopus noster Ioannes, fugatus ab hæreticis peruasoribus Sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ decessori meo parauerat, porrigendum ingessit. Quem morem, maioris sui beatæ memoriæ Athanasij exẽplo, & Priorum nostrorum, non potuimus refutare. Et ideò ad hæc, quæ proposita esse cognoscis, apud Beatum Petrum Apostolum, cui preces in nobis oblatas peruides, & quem ligandi, atque soluendi à Domino potestatem sumpsisse, non potes diffiteri: & in conuentu fratrum, & Episcoporum nostrorum respondere festina.]

Et in libello, quem Felix idem Decreto Concilij ad Zenonem misit: [Aduersùs quem, Acacium, in conuentu mihi ab eo, Ioanne Alex. Episcopo, libellus oblatus est, vt idem Acacius, sicut Ecclesiasticis necesse est, & vestris legibus fieri decet, ad hæc, quæ de se peruidit intimari, apud Beatissimum Petrum Apostolum diluere obedienter procuret, nec vllo modo existimet differendum. Qui si quemadmodum confidimus, benè conscius est, Apostolicum non debet iudicium cum Consacerdotibus suis, & moderationem abijcere, &c]

Vides 1. Epopiscopum secundæ Sedis Episcopo primæ Sedis libellum porrexisse aduersùs Episcopum CP. 2. Ibi inhæsisse vestigijs, & exemplis Athanasij ad Iulium Papam confugientis. 3. Ecclesiasticis legibus causam Acacij à Pontifice Romano cognitam, exauctorationis sententiam in eum contortam esse. 4. Quia Petro ligandi, soluendique potestas cælitùs collata est.

4 Grauiter tulerunt Acacij in Sede Constantinopolitana successores, extra œcumenicam Synodum ab Apostolica Sede damnatum illum fuisse. Ità enim Gelasius ep. 4. [Euphemium miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit: qui dicit Acacium ab vno non potuisse damnari.] Vt suæ ergo Sedis iura tueatur Gelasius, aduertamus animum.

Respondet ergo 1. Acacium non nouæ hereseos architectum fuisse, sed Eutychianam resouisse, ità in Chalcedonensi Sy-

Synodo damnatum fuisse, cuius executrix suo more, & iure est Sedes Apostolica: nec Synodis œcumenicis opus est, vt executioni mandentur placita Synodorum œcumenicarum.

2. Appellationes toto ex Orbe ad Sedem Apostolicam Canonibus concessas esse, & iam antè ipso, etiam approbatore, & executore Acacio solius Apostolicæ Sedis auctoritate deiectos fuisse Timotheum Alexandrinum, Petrum Antiochenum, Petrum, Paulum, Ioannem, & alios. Ergo his exemplis tam salutiferis Ecclesiæ, & tam necessarijs auctoratam Sedis Apostolicæ potestatem, æquè in ipsum Acaciom insurgere potuisse.

3. Ioannem Alexandrinum Episcopum fidei, & pietatis assertorem, Sede sua ab Imperatore pulsum, nemioem queri: ab Apostolica Sede restitutum, Græculos conqueri. Peruersum id, & præposterum. Illud lamentandum, hoc gratulandum. Si enim in Ecclesiæ perniciem potest Imperator pios eijcere Præsules, scelestos intrudere, & Synodos œcumenicas prohibere: quin possit Summus Pontifex citrà Synodi œcumenicæ operam pios redintegrare, impios euertere?

4. Vt inferiores à Superioribus, Clericos ab Episcopis, Episcopos à Metropolitanis, hos ab Exarchis: ità cæterarum Sedium summos Antistites, apud primam Sedem, & examinari, & iudicari posse. Ità enim iudiciorum ordo inconuulsus postulat.

5. Reuolutis Superiorum temporum monumentis, Synodi vniuersalis opera, restitutos à sola Apostolica Sede fuisse, orthodoxis omnibus, & pijs gratulantibus, Athanasium, Chrysostomum, Flauianum, & alios principalium Ecclesiarum Præsules.

6. Vt Athanasij, & Chrysostomi ætate, ità nunc, & si optatissimum fuisset, non tamen potuisse vniuersalem Synodum congregari. Ereoim Oriens omnis, & Imperator ipse cum Acacio in erroris desensionem conspirabat. Ergo vel actum erat de salute Ecclesiæ; vel prætet œcumenicam Synodum, tot ex capitibus pendulam, tot inexpugnabilibus obijcibus interseptam, aliud à Christo compendiosius, & explicatius præsidium in SedePetri diuinitùs constitutum est. Nunc verba ipsa Gelasij ascribamus, maiestatis, & virium vtique plùs habitura.

5 Primùm ergò ità insurgit epist. 4. [Itane non perspicit secundùm formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? &c. Acacius quippè non fuit noui, vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua scita prodirent, sed alieno facinori sua communione se miscuit.]

Et Epist. 8. [Cùm Chalcedonense Concilium damnauerit Eutychem, detestandi furoris auctorem; non satis habuit, nisi vt pariter eius quoque consortemDioscorum, cæterosque percelleret. Hoc igitur modo successores eorum Timotheum, Petrum, atqoe alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursùs facto Concilio, sed Synodi semel acta regula consequenter elisit.]

Et epist. 13. [Maiores nostri diuina inspiratione præcauerunt, vt quæ contra vnamquamque hæresim coacta Synodus, pro fide, communione, ac veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset: non finerent post hęc nouis retractationibus mutilari; ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnaro sufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esse obstrictus. Tum Sabellium, Arium, Macedonium, Eunomium, Nestorium vna Synodo damnatos cum errore suo fuisse ostendit, vt eadem sententia posteros omnes eodem constrictos errore ionodaret.

6 Oecumenicarum autem Syondorom executricem esse præ cæteris Sedem Petri, ità mox docet: [Confidimus, quòd nullus iàm veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesię probauit assensu, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam: quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit: pro suo scilicèt Principatu, quem Beatus ApostolusPetrus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequente, & tenuit semper, & tenet.]

Et iosrà: [Quòd Sedes Apostolica, vt decuit, antiqua traditione custodiens, noo Synodum duxit iterandam, sed in eius præuaricatore pellendo haoc eandem Synodum potiùs exequendam.]

Et infrà: [Ponamus tamen, etiamsi nulla Synodus præcessisset, cuius Apostolica Sedes rectè fieret executrix, &c.]

Et paulò ante finem: [Plurimorum in Italia Catholicorum congregatio Sacerdotum, non tamquam noua Synodus contra veterem, primamque cognouit; sed potiùs secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est.] Itàque executrix est Sedes Apostolica synodicarum generalium constitutionum, ob diuinitùs Petro collatum Principatum, & in eius executionis societatem adsciscit sibi Synodos, & Episcopos alios.

7 Quapropter quòd Epistola 4. Gelasius infimis, etiam Episcopis communicauerat hanc potestatem, id modestum desiderat interpretem. [Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, vt quoslibet, & quemlibet locum, secundùm regulam hæreseos ipsius antè damnatæ, à catholica communione discernaot.] Est enim iuris, & muneris Episcopi cuiuscumque, obnoxios sibi quosque, si cui prædamnatæ consenserint hæresi, ab Ecclesiæ communione sequestrare. Nam pro ea, quæ sibi concredita est, Ecclesiæ portione, executor est Episcopus quilibet synodicorum decretorũ. At Præsul Apostolicus, vt primæ Sedis Antistes, & pro suo Principatu, quem Petrus Domini voce percepit, non oues tantùm, sed Pa-

stores, & summos summarum Ecclesiarum Pastores, si contagio hæreseos afflati fuerint, segregare potest, vt Synodorum Oecumenicarum vniuersalis, & summus executor.

8 Secundò: idem Gelasius ad hunc modum argumentatur Epistola 4. [Nobis opponunt Canones,&c. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesię ad huius Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsùs appellati debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, &c. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, non solùm vnus, sed plures vtique nomen Sacerdotij præferentes, sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate deiecti, cuius rei testis, etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis huius extitit executor.]

Et Epist. 13. [Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certè Sedem quoquomodo tenuisse videbantur, non repetita Synodo, sed auctoritate tantummodò Sedis Apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante, vel exequente, probatur esse damnatus.] Vt olim ergo Cyrillo Alexandrino postulante, & exequente, Nestorius Constantinopolitanus à Romano Antistite damnatus fuerat: ità vicissim nunc Acacio Constantinopolitano, Timotheus, & Petrus Alexandrini: & denique Ioanne Alexandrino libellos dante, Acacius Constantinopolitanus, à Sede Apostolica damnati fuere. Atque ità moderante omnia summo Christo, & ad salutem Ecclesiæ suæ seculorum turbulentos vertices contorquente, rerum ipsa necessitas compulit secundas per Orbem maiestates, seu Sedes Patriarchales cæteras, dum copia Synodi œcumenicæ non passim datur, dum sese, & fidem tueri aliter non possunt, ad primæ Sedis Petri tribunal confugere, eius iudicium postulare.

9 Tertiò ità se, maioresque suos tuetur Gelasius Epist. 4. [Qua ipsi Synodo, vel secundùm cuius Synodi formam, Alexandrinum Ioannem de Ecclesia, cui ordinatus fuerat, expulerunt? Qui nullis causis euidentibus, nec antè conuinci, nec postea prouocans, etiam in iudicio competenti, potuit accusari. Quòd si dicunt, Imperator hoc fecit: hoc ipsum, quibus Canonibus, quibus regulis est præceptum? Cur huic tam prauo facto consensit Acacius, cùm auctoritas dicat: Non solùm, qui faciunt praua, reos esse, sed etiam, qui consentiunt facientibus? An secundæ Sedis Antistites, & tertiæ, cæterique benè sibi conscij Sacerdotes depelli debuere: & qui religionis extitit inimicus depelli non debuit?]

Et Epist. 13. [Dicatur de Alexandrino, & Antiocheno Episcopo, certis ex causis Principem magis illa, quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed Principi Christiano decuerat suggerere Sacerdotem, maximè cuius familiaritate, & fauore fouebatur, saluam fore de eiusdem iniuria, contumeliaque vindictam; tantùm vt Ecclesiæ fiueret Christianus Princeps regulas custodiri, &c. & sicut semper esset effectum; ac diuinæ pariter leges, humanæque censerent, vt Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus iudicia prouenirent, &c.]

Hìc variorum subtexit exempla Pontificum, qui intrepidè restiterunt Principes legibus Ecclesiasticis derogantes. [An qui in hominem Imperatorem peccasse dicebantur, nulla interueniente Synodo deijci debuerunt: & in Deum, qui summus, & verus est Imperator, Acacium delinquentem, secundùm Synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli?]

10 Non fuisse autem sibi integrum, Synodum conuocare vniuersalem, refragante Imperatore, & cõsentaneo ipsi penè Oriente toto. Epist. 13. [Etiamsi nulla Synodus præcessisset, cuius Apostolica Sedes rectè fieret executrix: cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? Numquid cum his, qui iam participes tenebantur Acacio, & per Orientem totum, Catholicis Sacerdotibus violenter exclusis, & per exilia diuersa relegatis, socij euidenter existebant: communionis externæ priùs se ad hęc consortia transferentes, quàm Sedis Apostolicæ scita consulerent?] Ex quo vides, & tunc & sexcenties aliàs abrumpi spem omnem Synodi vniuersalis: cùmque interim ea tamen incurrant momenta rerum, & discrimina, quibus succurrere non possit, nisi par auctoritas; hanc necessariò iugem, & inconuulsam in prima Sede Petri constitui, immò constitutam agnosci à Christo, æternitatem Ecclesiæ suæ omnipotenter, & sibi consentaneè olim præfundante.

11 Nam si Oecumenicæ Synodi copia fuisset, illam Sedes Apostolica expetisset vtique; quæ quantùm licuit, Occidentalium Episcoporum, qui soli ferè supererant Catholicæ fidei, & libertatis consortes, Synodum congregauit, in eaque de Acacio cognouit. Ibidem: [Quia Orthodoxis vbique deiectis, & hæreticis tantummodò, eorumque consortibus, iam relictis in Oriente: Catholici Pontifices, aut residui omninò non essent, aut nullam gererent libertatem: plurimorum in Italia Catholicorum Sacerdotum congregatio, rationabiliter in Acacium sententiam cognouit fuisse prolatam: quæ congregatio facta Pontificum, secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolicæ executionis effecta est. Vt satis appareat Ecclesiam Catholicam, & Sedem Apostolicam, quia alibi idem omninò non posset, vbi potuit, & cum quibus potuit, nihil penitùs omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata, & sincera communione tractatum.] Synodorum quippè coalitione, idest, numerosiore Senatu suffragatorum, & potestatis, sententiæque suæ sequacium, non decrescit, non obscuratur, sed exultat, magisque, & magis rutilat Sedis Apostolicæ splendor.

12 Quartò ex Sedium ordine, ità idem Pontifex pugnat, epist. 13. [Quoniam

hunc

hunc Ioannes secundæ Sedis Antistes gravibus pulsaret obiectis, ad primæ Sedis audientiam cohortatus est, Romanus Præsul, vel venire deberc, vel mittere. Licèt enim Synodus iteranda non esset, tamen congrueret, vt cuiuslibet Ciuitatis Episcopus primæ Sedis iudicium non vitaret, ad quod conuenerat secundæ Sedis Antistes, qui nisi à prima Sede non posset audiri. Præcipuè, qui præiudicatis animis nulla Synodo à Græcis fuisset exclusus: etiam apud eos causam suam, nec posset omninò dicere, nec deberet. Quia ab inferioribus Episcopis potior, nisi à prima Sede, sicut dictum est, vel discuri potuisset, &c.]

Et infrà: [Cur ipse Ioannem, quem suis literis impetebat, qualemcumque secundæ Sedis Episcopum, in primę Sedis beati Petri Apostoli iudicio consurare despexit, &c. ad quod secundæ Sedis cerneret venisse Pontificem; quòd Anatolius Constantinopolitanus Episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur?] His accommodatissimè philosophabatur suprà Cyrillus, & Synodus cum ipso Ephesina, & pro Sedium ordine iudicia instruenda esse decernebat.

13 Quintò superiorum tractu temporum persæpè non suæ magnitudinis cupidine, sed alienæ salutis charitate vrgente, extorquente necessitate, & ità Deo magis, quàm homine explicante principatum Petri, absque Synodis restitutos, vel deiectos excipit Gelasius à Romanis Pontificibus summos Episcoporum apices.

Epist. 13. [Sed nec illa præterimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.]

Tùm Athanasij, Chrysostomi, Flauiani exempla profert, quos Apostolica Sedes, quia non consensit Synodis Græcorum, eos damnantibus, absoluit: Dioscorum secundæ Sedis Antistitem, sua auctoritate damnauit: Ephesinam secundam Synodum, non consentiendo submouit. Etcùm deijciendi persæpè sint ij ipsi, qui Synodum conuocari prohibent, & ideò prohibent ne deijciantur: malè consultum esset Ecclesiæ Christi, nisi constans, & perpetua regnaret in Ecclesia potestas primæ Sedis, Synodi vices, & vires suppletura.

14 Sextæ responsionis testimonia superioribus sunt inserta, constatque superiorum documentis ætatum, in potestate non fuisse Pontificum Romanorum Reipublicæ Christianæ consulentium, vt Oecumenica Synodus in causa Athanasij conflueret; aduersantibus nimirùm Orientalibus, & secedentibus.

In causa similiter Chrysostomi, lapidem omnem mouit Innocentius, vt Oecumenicum coiret Concilium; sed irritus cecidit conatus; cùm Orientales Episcopi, qui Chrysostomum damnauerant, & Imperator ipse Arcadius reluctaretur.

In causa perindè Flauiani, ad illius reuocandam damnationem, & totam prædatoriæ Synodi tragœdiam soluendam, omni ope enisus est Leo Papa, vt Theodosius Iunior Synodum generalem in Italia cogi pateretur, nec tum imperrauit.

In causa ergo similiter complurium Pontificum, seu Alexandrinæ, seu Antiochenæ, seu Constantinopolitanæ Ecclesiæ, seu fidem oppugnantium, & deponendorum, seu pro fide certantium, & restituendorum, cùm cogi Oecumenicam Synodum per eos, quorum intererat, non liceret: Sedes Apostolica in Italicæ, seu Occidentalis Synodi conuentu, in vicem Synodi Oecumenicæ, innocentes restituit, reos damnauit; applausere omnes vbique boni, applausit Catholica vbique tum, & post Ecclesia, consessuque suo vniuersalis Synodi instar effecit.

15 Vides vt iura iuribus accumulet Gelasius, & responsionum aliarum alijs substructarum, quasi molibus quibusdam congestis opprimat aduersarios.

Ad deijciendos enim gradu suo Patriarchas, Sedi Apostolicæ, vt opus sit Synodo, sed negat noua opus esse. Veteris enim Synodi executor Romanus Pontifex, non nouam hæresim, sed nouum veteris hæresis sectarium, vel fautorem iure deponet.

Secundò, etsi opus esset noua Synodo, negat tum cogi potuisse.

Tertiò, conuocaram ait tunc fuisse Synodum, quolis potuit per tempora, ex Episcopis Italiæ.

Quartò, negat omninò opus fuisse, vel tunc, vel aliàs Synodo generali, vt Sedes prima de secunda, vel alijs Sedibus cognosceret.

Primò, idque probat exemplis superiorum ætatum in causa Athanasij, Chrysostomi, Flauiani, & aliorum complurium.

Secundò, quia Canones Sedi Apostolicæ concesserunt appellationes ex omni Ecclesia.

Tertiò, quia secundæ Sedis iudex non potest esse, nisi prior.

Quartò, quia non semper potest, immò plerumque non potest omninò congregari Concilium vniuersale.

Quintò, quia Acacius, Cyrillus, Athanasius, Cæcilianus, alijque Episcoporum vertices agnouere sæpissimè, minimè necessariam esse Sedi Apostolicæ congregationem Synodi, vt ab ea restituerentur, vel defensarentur, vel ex aduerso discingerentur, ac eijcerentur summarum Sedium insessores. Coucinunt hæ responsiones, nec prioribus posteriores dissonant; etsi quod in prioribus quasi vltrò donabatur, cautiùs in posterioribus retractetur, vt moris est disputantibus.

16 Sed quod erat palmare in hac causa, principum nempè Sedium ordo, & primæ in cæteras omnes imperium, vide rursùm, vt iterùm ab eodem Gelasio confirmetur, in tract. quem Sirmundus edidit, in append. Cod. Theodos. part. 182. [Secundæ enim Sedis Antistitem, nec expellere quisquam, nec reuocare, sine primæ Sedis assensu, vel potuit, vel debuit. Nisi fortè con-

confuso iàm otdine rerum, atque turbato, nec prima, oec secunda, nec tertia Sedes debeat obseruari, vel suscipi, secundùm antiqua statuta maiorum: & sublato capite, vt videmus, omuia membra vario intet se compugnent certamine: fiatque illud, qnod de populo scriptum est Israel: In illo tempore non erat Dux in Israel: vnusquisque, quod placitum erat in oculis suis, faciebat. Qua eoim ratione, vel consequentia alijs Sedibus defendendum est, si primę beatissimi Petri Sedi antiqua, & vetusta reuerentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata: trecentorumque decem, & octo Patrum iouicto, & singulari iudicio vetustissimus iudicatus est honor? Vtpotè, qui Domioi recordabantur senteutiam, Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.] Fœdissima rerum colluuies, & intestina rixa identidem Corpus Ecclesiæ defotmabit, sublato capite, & ordine turbato Sedium. Præsulibus enim summarum Ecclesiarum alijs alios exturbantibus, hæreticis Catholicos eijcientibus, Catholicis supinitate sua Ecclesiam prodentibus, Imperatoribus fidem, & Chalcedonensem Syoodum oblitterare studentibus: in bac perturbatissima rerum omoium iactatione, vna salutis anchora fuit Sedes Petri. Hæc temerè eiectos restituit, populatores alienarum Sedium hæc damnauit, hæc territauit Principes Ecclesiam infestaotes, hæc pacem randem reuexit Ecclesijs. Qui huius principatui inuidet, quid oisi de Ecclesiæ sospitate dolet?

Nec aliter vel Athanasij, vel Chrysostomi, vel Flauiaoi, vel Acacij, Petri, & aliorum eiusmodi tempore, constare potuit salus Reipublicæ Christianæ, quàm vt Episcopalibus Sedibus alijs alias, maioribus minores regentibus, & iudicantibus, oomibus vna emineret Sedes Petri prima, quam singulari patrocinio tuiturum se Christus suscepit, cæteras consequenter tuituram.

17 Sed illud obsetua, qoòd Gelasius indiscriminatim, coniunctique principatum primæ Sedis, & summi in Ecclesia Iudicis acceptum fert antiquitati, item iouicto, & singulari iudicio Nicænorum Patrum: & Christi sententiæ, Petro Ecclesiam suam superstruentis. Nempè atiquiras illa à Christo ipso initium ducit, cuius oraculo Nicæni, & aliarum Synodotum Patres obsecuti sunt in primæ Sedis priuilegio amplificando. Sublato, quippè Capite existit rixa, interitusque membrorum. Non capite truncam, oon semiuiuam Christus peperit Ecclesiam suam.

Ibidem ergo mox idem: [Quare igitur ad Petrum, tam frequens Domini sermo dirigitur? Nunquid nam teliqui sancti, & beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed vt Capite constituto schismatis tolleretur occasio, & vna monstraretur compago Corporis Christi, quæ ad vnum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, & vna esset Ecclesia, vnaque domus volus Domini, & Redemptoris, in qua de vno pane, & de vno calice nutriremur.] A Christo ergo ipso Caput constitutum est io Petri Sedes, à Christo sublara schismatis occasio, ea antiquitas est huius priuilegij, huic antiquitati diuioæ istitutionis caoonicæ legts obsecundarunt.

18 Nam quòd caput Ecclesiæ sit Christus, quòd caput humanæ Reipubicæ sit Deus, sed incoospicuum, & ab aspectu tesugum: oon id ad abigendum, præuertendumve schisma satis est. Protervus enim quisque capiti se consentire iactabit, & tumultuabitur interim, susdeque vertet omnia. Ergo præterea opus est Caput conspicuum constitui in vnaquaque domo, Prouincia, Regno; in vnaquaque, in vniuersa deoique Ecclesia. Quo iore enim maiores imperitabunt minoribus, uisi, & ipsi maiori alicui, & tandem maximo, seu primo morigerentur? Caput est Christus singularium Ecclesiarum, suo tameo conspicabili capite, & iudice illis est opus Episcopo. Ità & vniuersæ Caput est Christus Ecclesiæ, & Iudex, at quia subductus ille in Cœlos est, Vicarium, & aspectabile caput ab ipso coostirutum est.

Ibidem Gelasius: [Postremò æquum est, vt qui alios libenter, & competenter vultis habere subiectos, cedatis, & ipsi antiquo more maioribus, vt confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certè fuere Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cùmque omnes æqualiter spirituali luce fulgerent, vnom tamen Principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam geotium Romam direxit, vt in præcipua Vrbe, vel prima primum, & præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ità sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit; præstans Sedi, quam ipse beoedixit, vt à portis Inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omoiumque sit fluctuantium tutissimus portus.] Patibus meritis, pari quodammodò dignitate, æqualiter spirirali luce fulgentes annuit fuisse Apostolos, esse Episcopos; sed à Christo tamen constitutum vnum ex illis priocipem, primum, præcipuum, & in prima, ac præcipua Vrbe Carhedram illi fixam, vt sicut maiores de minoribus, ità de maioribus hic omnium primus iudicaret. Quo nihil simpliciùs, nihil inuictius. Nàm capite sublato, quod refugiunt, in idem incurrent, immò in discrimen longè deterius, vt non vnus, sed plures sint summi, plures sint primi, plures summi iudices, plura capita; ex quo quanta tumultuatio consequatur, nemo non videt. Ergo antiquo mori, idest, vt ipse apertè interpretatot, Christi instituto mos gerendus est, vt de summis Sedibus iudex sedeat Petrus, in sua adhùc conquiescens, adhùc viueos Sede, præstansque ei, vt à portis Ioferi nunqam vincatur, ideòque cæteris fluctuantibus, ne demergaotur penitùs, portus sit tutissimus. Quòd si refugiant fateri, singulis ergo Cathedris Episcopalibus annuat, quod voi oegaot: aut totam Ecclesiam à portis Inferi perstringi posse

con-

contra Christi promissionem fateantur.

19 Cuiusdam autem summæ potestatis, & iurisdictionis argumentum istud fuisse, qua prima Sedes cæteras antecelleret, & iudicaret, etsi cauillationibus suis fucum facere nitatur nuperus, idemque doctissimus Nouatorum: meridiana ipsa luce euidentiùs est.

Nam primò, vt minoribus, & subiectis imperant suis Episcopi: ità arguit Gelasius Acacium, cæterosque, maioribus, hoc est, Sedi Petri esse debere subiectos.

Secundò: Nonnisi capite constituto tolli posse schisma cum Hieronymo argumentatur, & caput constitutum à Christo esse Petrum: Petrique successores: at Capitis in membra summa potestas, & iurisdictio est.

Tertiò: Ordinem Sedium seruandum docet, vt primæ assurgat secunda, huic tertia, & sic deinceps; alioqui ima summis permixtum iri. Ordo hic autem ad iudicia pertinet, & de iudicijs hic agebatur.

Quartò: Querebantur Græci sine synodo deiectum Acacium. Respondet Gelasius pro principatu suo Sedem Petri executricem fuisse Synodi Chalcedonensis. Quod vtique iurisdictionis est. Episcopus enim quisque in obnoxios sibi synodalia exequitur decreta.

Quintò: Respondet rursùm in Italica Synodo deiectum esse Acacium, quia tunc non alia potuit congregari. Ergo synodica auctoritas tota in illa residebat synodo, quæ tunc cogi potuit.

Sextò: Respondet idem, sæpiùs synodo nulla habita, Pontifices Romanos, & nocentibus ademisse, & insontibus restituisse proprias Sedes. Id palàm est iurisdictionem sonare.

Septimò: Pessimè cum Ecclesia comparatum est, si vt tunc contigit, Episcopis patriarchalium propè omnium Sedium à fide desciscentibus, Imperatoribus duces se in eam defectionem præbentibus, vtrisque spem omnem synodi generalis suffocantibus, nulla supersit vsquam potestas, aut iurisdictio, quæ tantis Ecclesiæ vulneribus mederi queat.

Octauò: Denique idem Gelasius epist. ad Episcopos Orientales, de maiorum Sedium Episcopis agens: [Cùm constet semper, aut Sedis Apostolicæ auctoritate huiusmodi personas, aut discussas, vel esse purgatas, aut sic ab alijs, quibus competebat Episcopis absolutas, vt tamen absolutio earum à Sedis Apostolicæ consensione penderet.] Aperta hic iurisdictio, cui omnis alia iurisdictio famulatur.

20 Nunc strictim aliqua carpam ex aliorum Pontificum epistolis in eamdem sententiam. Simplicius epist. 4. ad Zenonem aduersùs Timothtum Alexandrinæ Sedis peruasorem, & cruentum contaminatorem: [Perstat in successoribus suis hæc eadem Apostolleæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ouilis iniunxit, cui se vsque in finem seculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam præualituras esse promisit; cuius sententia, quæ ligarentur in terris, solui non posse testatus est, nec in Cœlo.] Ità spem resecare nititur restituendi per Concilium vniuersale Timothei. Et epist. 5. ad Acacium, instans vt prohibeatur Oecumenica Synodus, qua se restituendum Timotheus comminabatur: [Misericordia Dei, cuius est causa, non defuit, vt Timotheus, qui ab vniuersali Ecclesia sacerdotalibus sententijs, & imperialibus constitutis, iustè fuerat segregatus, ad Ecclesiam tuæ dilectionis, vel ad fidelium domorum limina non permitteretur accedere. Quem conuentus nouos pro se didicimus comminari, resolui existimantem, quod de se vniuersalis decreuit auctoritas, &c. Vocem faciendæ synodi sac respui, &c. Hortor, vt modis omnibus faciendæ synodi peruersorum conatibus resistatur, &c.] Vbi perspicis quàm non conduceret in causa Acacij synodum cogi generalem, quæ in Timothei negotio tam enixè deprecanda fuit; sed vtrobique executricem Synodi Chalcedonensis Sedem Apostolicam, vices supplesse nouarum synodorum. Cùm autem Catholicum Alexandrinis Episcopum Zenon restituisset, grates agit Simplicius epist. 10. nempè secundùm beatum Paulum Apostolum, Ecclesiarum omnium curam sustinens, &c. Epistola verò 11. ait, Timotheum Catholicum Alexandrinę Sedi redditum, quòd metu percitus ante recitasset inter altaria nomen Dioscori, scriptis ad se literis, remissionem ipsius erroris expetisse. [Sed & idem Timotheus exemplum libelli satisfactionis eorum, quos à Catholicæ fidei veritate Timotheus, & Petrus vtrique damnati, damnationis errore traduxerant, veniam postulantes, ad nos pariter destinauit, sacerdotali pietate lapsis subuenire desiderans, quod diuinæ miserationis intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putamus.] Hic Petri successorem patet, vt cui totius ouilis cura iniuncta sit, vt qui gerat sollicitudinem omnium Ecclesiarum, vt cui se promiserit Dominus non defuturum vsque in finem seculi, omnium etiam summarum Sedium curam obisse, arbitrum fuisse remissionis, & veniæ, summis Episcopis, & quibuslibet à fide lapsis annuendæ. Nec huic potestati subscripsit tantùm Alexandrinus Timotheus, sed & Acacius CP. ità ad Simplicium scribens: [Sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundùm Apostolum circumferentes, nos indesinenter hortamini, quamuis spontè vigilantes, ac præcurrentes. Sed vos diuinum zelum solitò demonstratis, statum Alexandrinę Ecclesiæ certiùs requirentes, vt pro paternis Canonibus suscipiatis laborem, stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum.]

21 Quibus concinens Felix III. Papa Simplicij successor, in prima ad Acacium epist. sic orditur: [Postquam ministerij, quod regebat Simplicius, ad meæ humilitatis officium gubernacula peruenerunt, in diuersas generalis Ecclesiæ curas, quas vbique terrarum cunctis populis Christianis summi Pastoris voce delegante, beatissimus Petrus Apostolus peruigili moderatione dispensat, continuò me sollicitudo maxima, quæ & prædecessorem meum in-

cessanter vrgebat, tam Alexandrinæ Vrbis, quàm status fidei totius Orientalis Regionis excepit.] Vniuersalem prorsus Petro vendicat iurisdictionem. Idem epistola 6. pronuuciat Acacium sancti Spiritus iudicio, & Apostolica auctoritate damnatum. Et in epistola ad Zenonem Imperatorem. [Hæc ego, reuerendissime Princeps, beati Petri qualiscumque Vicarius, non auctoritate velut Apostolicæ potestatis extorqueo, sed tamquam sollicitus Pater fidenter imploro, &c.] Et in epist. ad Flauitam Episcopum Constantinopolit. [Dum ad Apostolicam Sedem regulariter destinatur tui honoris exordium, per quam largiente Christo omnium solidatur dignitas sacerdotum. Quòd ipsæ dilectionis tuæ litteræ Apostolorum summum, Petrumque fidei, & cælestis dispensatorem mysterij creditis sibi clauibus, beatum Petrum Apostolum confitentur.] Cùmque Acacianæ communionis contagia eradi præcepisset, subdit: [Non hoc velut imperiosus impono, sed vt conscientiam meam conuenienter expediam, ne commissæ vobis diuinitùs oues, non sine vestro discrimine, quod absit, perire sinantur.] Sublucet & Imperatorem, & Episcopum CP. de imperiosa Sedis Apostolicæ auctoritate inuidiam ipsi fecisse. Sed quis non intelligit vtris assentiendum sit, fidem euertere molientibus, an defendentibus? licentiam grassandi amplificantibus, an cohibentibus? Obicem inexpugnabilem summæ auctoritatis, quo fides, & Ecclesia sospitatur, disijcere moliotibus, an propugnantibus? Conspirant sanè Nouatores nostrorum temporum inopini cum Eutychianis, & Eutychianæ communionis tenacibus, quando vno cum ipsis impetu, & consilio arcem illam Apostolici principatus lacessunt, qua vna Eutychianæ reliquiæ fractæ, dissipatæque sunt. Quamquam autem premerent, & humanitate plurima temperarent tunc Romani Episcopi, suum, hoc est, Petri principatum, nunquam tamen vnquam dissimularunt.

22 Conoeniendi nunc nobis, qui rerum tunc temporis gestarum monumentis litterarum memoriam ad nos propagarunt. Liberatus in Breuiario Nestorianæ, & Eutychianæ causæ, cap. 18. de Ioanne illo eodem Episcopo Alexandrino, qualicumque, sed Catholico tamen agens: [Ioannes Talaia eiectus de Sede Alexandrina propter Petrum Moggum, ingressus est ad Calendionem Patriarcham Antiochenum. Et sumptis ab eo intercessionis synodicis litteris, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, sicut & beatus fecit Athanasius: & suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano Episcopo. Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi, & voluntatis fuit.] Ergo ad Iulium appellauerat olim Athanasius, seu quod in idem recidit, ad eum, ve ad summum causarum ecclesiasticarum iudicem, & Canonum defensorem confugerat. Ergo consultu, & ope tertiæ Sedis, secunda Sedes primam appellat. Num hæc iurisdictio non est? Pergit ille: [Acacius susceptis epistolis Simplicij, rescripsit ei, quia Ioannem quidem Alexandriæ ignoraret Episcopum; Petrum verò Moggum suscepisset in communionem, in Zenonis Principis Vnitione: & quòd hoc citrà eius gessisset sententiam, propter vnitatem Ecclesiarum, Principis iussione. Simplicius verò suscipiens huiusmodi litteras, contristatur aduersùs Acacium; eique rescribit, quòd non benè fecerat, præter sententiam Apostolicæ Sedis, ad communionem hæreticum hominem suscipiens.]

Summam fidei, & communionis Catholicæ administrationem vendicauit sibi semper, vt vides, Sedes Apostolica. Quod obscurius si sit in priori tumultuatione Orientalis Ecclesiæ, in causa fuit tempestas acerbissima, & perturbatio rerum omnium desperatissima. Functo interim Simplicio succedit Felix. [Ioannes verò Talaia habens Episcopi dignitatem remansit Romæ, cui Papa Nolanam dedit Ecclesiam, &c. Abscesserunt quidam à Petri Moggi communione, & Romam nunciauerunt Papæ Romano, vnde rescriptum est Acacio, & obedire noluit, &c.] Et infrà: [Cùm per quinque annos sæpiùs fuisset admonitus Acacius, vt de statu Alexandrinæ Ecclesiæ sollicitudinem sancti Papæ releuaret, nihil vnquam respondere dignatus est.] Et tandem: [Vbi ad plenum detectus est Acacius hæreticus, Papa Felix in literis suis synodicis ad Acacium, sic posuit: Peccasti, ne adijcias, & de prioribus supplica. Susceptis his Acacius literis perseuerat, neque recedens à communione Petri, neque suadens ei palàm suscipere Chalcedonense Concilium, & tomum Papæ Leonis. Hæc cognoscens Papa Felix, damnationem scriptam misit Acacio, &c. Qui tamen vsque ad mortem patrocinante Imperatore remansit sacrificans.] Caligat in meridie, quisquis hîc non videt vniuersalem, & in omnes Orbis Ecclesias iure suo se potrigentem iurisdictionem, idque in salutem Ecclesiæ alioqui labascentis. Nec potuisse declinari vim, & pondus huius iurisdictionis, nisi patrocinante Imperatore, qui tunc & fidem dilapidabat, & hæresim perspicuè tuebatur.

23 Euagrius lib. 3. cap. 18. [Cùm libelli Felici à Ioanne contra Acacium, quòd contra Ecclesiæ ritum cum Petro communicaret, deque alijs facinoribus ab eo contra Canones admissis, dati essent: mittuntur à Felice ad Zenonem Vitalis, & Misenus Episcopi, vt eius auctoritate tum Concilium Chalcedonense confirmaretur: tum Petrus, vt hæreticus Episcopatu pelleretur: tum deinque Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Ioannes ei obiectasset, redditurus.] Et mox: [Cyrillus, qui Acoemetis præerat, mittit ad Felicem, quò eum, cùm tam grauia peccata contra veram fidem admissa essent, insimularet tarditatis.] Et iterùm: [Extant epistolæ tum à Cyrillo, tum ab alijs Monasteriorum Constantinopolis Præpositis, tum ab Episcopis, & Clericis Aegypti contra Petrum, vtpotè hæreticum, & eos, qui cum eo communicabant.] Et cap. 21. [Creuere res istæ sermone Simeonis Monachi Acoemetæ, missi à Cyrillo ad Feli-

Felicem. Nam Misenus, & Vitalis ab eo fuere reprehensi, propterea quòd cum hæreticis communicarant, idque cùm nomen Petri palàm in sacris tabulis recitaretur. Quòdque ea ratione multi simplices homines in errorem ab hæreticis inducerentur, qui affirmare non dubitarunt, Petrum ab Episcopo Romano in communionem admissum esse.] Subijcitur sententia Concilij Romani in Misenum, & Vitalem vibrata, item in Petrum hæreticum, iam pridem sacræ Cathedræ sententia condemnatum, denique in Acacium. Prominent & hìc vestigia legitimæ iurisdictionis.

Primò: Cùm libelli porrigantur à secundæ Sedis Episcopo aduersùs Acacium.

Secundò: Cùm citetur Acacius, vt rationem reddat de obiectis criminibus.

Tertiò: Cùm à Clericis, Monachisque Constantinopolitanis culpetur tarditatis Felix Papa, ve qui cunctator sit, & legitima potestate vti, necessarioque summi Iudicis munere fungi tamdiù cesset.

Quartò: Cùm Episcopi Aegyptij aduersùs populatorem secundæ Sedis ad primæ Sedis confugiant Antistitem.

Quintò: Cùm denique causam fidei inclinatam incumbere Romano Episcopo vni, intelligant fideles omnes tum Constantinopoli, cum in Aegypto; & didito in vulgus falso rumore, Romanam Ecclesiam Petro communicare, creduli huic famæ simpliciores quique, statim ei communicare incipiant, quos in id flagitium non inflexerat Sedium omnium Orientalium auctoritas.

24 Iam prodeat Breuiculus historiæ Eutychianistarum à Sirmundo editus, seu Gesta de nomine Acacij. Concinunt omnia cum suprà decerptis ex Breuiario Liberati. [Defuncto Timotheo Episcopo, Ioannes œconomus, Catholicus à Catholicis ordinatur Episcopus. Qui cùm de consuetudine maiorum ad Apostolicam Sedem synodica scripta misisset: superueniente Vranio subadiuua, & contra Ioannem iam Episcopum sacra Principis deferente, ab Episcopatus illius confirmatione Papa suspensus est. Et quia iu ijsdem sacris de restituendo Petro, quem ipse damnauit, fecerat mentionem, hæc pars omninò est abnegata. Vnde videtur clementissimus Imperator assensus. Cùm ergo sanctæ memoriæ Papæ Simplicij nihil totiens ad Acacium directa, propter Alexandrinę Ecclesiæ quietem, & Catholicæ fidei integritatem scripta proficerent, superuenit idem sanctus Ioannes Episcopus, qui sicut decebat, ab Apostolica Sede susceptus est. Nam & priores eius similiter Romanæ Ecclesiæ tempore persecutionis suffugium poposcerunt.]

Et infrà memorat missos à Felice Constantinopolim legatos, [sub hac instructione, vt Petrus de Alexandrina pelleretur Ecclesia, & vt libello sancti Ioannis Episcopi Alexandrini responderet Acacius.] Denique, habita Synodo, Felix Vitalem, & Misenum ab officio, & communione suspendit, Acaciumque damnauit.] Cuius damnationis executionem non processuram renitente Imperatore facilè coniectans, illam ità conclusit, sancto Spiritu exequente. Iurisdictionis argumenta, nec obscura hæc sunt.

Primò, Nam electus in Episcopum Alexandrinum confirmari ab Apostolica Sede ambit ipse, intercedit Imperator, sententiam aliquandiù librat Sedes Apostolica.

Secundò, Iam inuaserat, insidebatque Sedem Alexandrinam Petrus, & tamen adhuc Acacius, adhuc Imperator de eo restituendo apud Romanum Pontificem instabat. Nempè donec ab Apostolica Sede confirmaretur, adulter, non sponsus erat Ecclesiæ.

Tertiò, Ioannes more maiorum suorum, more Athanasij ad Romanam Ecclesiam confugit, quod idem est, acsi cum Liberato dictum esset, Appellauit.

Quartò Citatur, damnaturque Acacius in eadem Synodo cum Vitali, & Miseno. Vbi iurisdictio vna, & indiscreta patentissimè cernitur.

25 Liber Pontificum Romanorum in Simplicio: [Sub huius Episcopatu venit relatio de Græcia, ab Acacio Constantinopolitano Episcopo, & affirmauit Petrum Alexandrinæ vrbis Eutychianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio Episcopo, Chirographo eius constructa. Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, Sedis Apostolicæ executrix. Tunc Simplicius hoc audiens damnauit Petrum Alexandrinum, eò quòd Acacius innumerabilia mala affirmabat, ità tamen, vt pœnitentiæ reseruaret tempus.]

In Felice, & Gelasio synodicè damnatum Acacium perhibet. Quæ etsi temporum ordini non satis constent, Apostolicę tamen Sedis iurisdictionem apertè produnt. Nec te moueat, si antè perdiù fluctuati sunt Orientales Catholici, quàm ad Romanam confugerent Sedem.

Nam Eutychianis, & Episcopis, & Principibus vbique furiantibus, in tanta rerum omnium vertigine minùs mirum est, si consilij inopes diu vacillarint. Sed tum demùm, & sibi, & Concilio Chalcedonensi consuluere, cùm in tutissimum se recepere portum Romanæ Ecclesiæ.

Vnde Anastasius historiæ Græcæ interpres: [At verò, qui erant ex Regia vrbe, necnon & de Oriente, deprecati sunt Felicem Romanum Episcopum, significantes Acacium esse malorum auctorem. Inter quos, & Ioannes Alexandrinus eadem dicens, Romam profectus est.]

26 Perinsulsum est autem, quod regerunt Nouatores, nec Acacium à munere suo, & Sede depulsum esse, nec Ioannem Alexandrinæ Cathedræ compotem factum, nec iurisdictioni huic Romani Episcopi, vel Principem, vel Episcopos Orientis paruisse.

Iamdudum cespitant in eo Sectarij, quòd facta, & iura non dispescunt, exitialia, & salubria Ecclesiæ consilia nihil discriminant: immò quæcumque fidei orthodoxæ, & Ecclesiæ, & Synodorum Oecumenicarum aduersarij ausi, molitique sunt, ad-

aduersùs vindices earumdem,& patronos, ea ipsi lambunt,ea suscipiunt & amplexantur.

Contempsere Sedis Apostolicę auctoritatem Petrus Alexandrinus,AcaciusConstantinopolitanus, Zenon, Anastasius, alijque: sed iidem fidei Catholicæ, & Synodo Chalcedonensi terga vertere; vtque impunè hoc possent, illud ausi sunt; qui si Sedi Romanæ obsecuti essent, à fide & Synodo Oecumenica vtique non descissent.

27 Ad hæc, non metienda sunt ex improborum iudicio, vel contumacia, potestatum Ecclesiasticarum iura: sed ex fidelium, ex proborum sensu, ex Ecclesiæ ipsius vniuersalis consensu, ex posteritatis limpidiore censura post conbilatas inrestinorum dissidiorum tenebras.

Itàque accipe, quæ de his disserat Facundus Hermian. aduersùs Mocianum: [Nam & cùm Acacius Constantinopolitanus Episcopus aliquid aduersùs auctoritatem Synodi Chalcedonensis auderet, sola inimicis ipsius Synodi communione permissa; præuidens Apostolica Sedes, quòd sicut exitus docuit, hæc remissio ad destructionem Concilij memorati pertenderet, (postea quippè Zenon Imperator, qui eis communionem præberi mandauerat,à minoribus ad maiora prosiliens, ipsum Concilium promulgato sprenit edicto:) eumdem Acacium quamuis prædicto Zenone resistente, damnauit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Episcoporum nunc vsque damnatus est.] Subdit, à communione Apostolicæ Sedis alienos fuisse Orientales omnes, [quia Zeno Sedis Apostolicæ decreta contemnens, Acacio communicabat, itemque Anastasius Imperator, donec Principis Iustini temporibus, Acacij damnationi subscriberent.] Subjicit rursùm, [Ecclesiam Romanam reconciliasse Orientis Ecclesias, & eas in communionem sub debita satisfactione recepisse: non autem Ecclesias Orientis Romanam Ecclesiam reconciliasse.] Item Apostolicam Sedem,[non ipsam pro facto schismate fuisse culpabilem, non schismaticos fuisse Occidentales: Sed ex aduerso Apostolicam Sedem alijs culpam dimisisse.]

Et infrà rursùs eximiè commendat, [in Chalcedonensis Concilij causa, dudum nobis præbitum in Acacio à tantis Præsulibus Apostolicæ Sedis exemplum: vniuersalis Ecclesiæ consensione firmatum.] Vbi vides non id ponderandum,quòd Acacium damnante Apostolica Sede cecatur Zenon; sed quòd resistente Zenone damnet Acacium Sedes Apostolica.

Secundò, Non id, quod Zenon, Anastasius,& alij istiusmodi ab Acacij damnati communione non se abrumpant; sed quòd mortuus quoque Acacius per libellos ordinandorum post centum ferè annos adhuc damnabatur.

Tertiò, Non id, quod Orientis Ecclesiæ annis quadraginta extorres fuerint à Romanæ Ecclesiæ communione, sed quòd cogentibus nefarijs Principibus fuerint ad id compulsæ; quòd eam communionem sæpè ambierint, nec impetrarint: quòd eam tandem anniteute Iustino consecutæ sint subscribendo damnationi Acacij: quòd non ipsis Romana Ecclesia, sed ipsi Romanæ Ecclesiæ reconciliati sint: quòd nonnisi sub debita satisfactione in communionem recepti sint: quòd interim schismatici fuisse agnoscantur.

Quartò, Non id denique spectandum, quod alicubi, aliquandiù, ab aliquibus vituperandis hominibus spreta sint decreta Sedis Apostolicæ; sed quòd ab orthodoxis interim etiam in Oriente in pretio, Occidentalibus semper omnibus in honore fuerint, serenata denique Repub. Christiana, vniuersalis Ecclesiæ consensione firmata sint.]

His accedat Victor Tunnunensis in Chronico: [Felix Romanæ Ecclesiæ Præsul Monachis, & Clericis per Orientem, Ægyptum, & Bithyniam commorantibus scribit, vt Petrum Alexandrinum Episcopum Chalcedonensis Synodi obtrectatorem, & eius communicatores tamquam hæreticos vitent.]

Et rursùm mox: [Orientales Episcopi præter paucos per Henoticum Zenonis, communione,atque consensu polluti,Petri Alexandrini, Petri Antiocheni, & Acacij Constantinopolitani Episcoporum, Synodo Chalcedonensi renuntiant.]

Et rursùm: [Acacius Constantinopolitanus Episcopus literis Felicis Romanæ Ecclesiæ Præsulis admonitus, vt à damnatorum Synodi Chalcedonensis communione, atque societate abstineat, legatos eius custodiæ mancipat.]

Et mox: [Acacius Constantinopolitanus,Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus Episcopi, Chalcedonensis Synodi inimici, à Felice Romanæ Ecclesiæ Præsule, & Synodo in Italia facta, damnantur: & ipsa damnatio Acacio Constantinopolin legatis missis per monachos monasteriorum Achimitensium, Basiani, atque Pij ingeritur.]

Et denique: [Petrus Antiochenus sub damnatione moritur, &c. Acacius Constantinopolitanus Episcopus sub damnatione moritur,&c. Petrus Alexandrinæ incubator Ecclesiæ sub damnatione moritur.]

Coniuratas vides in excidium Chalcedonensis Synodi cum ipso Imperatore pestes, post damnationis sententiam Romana ex arce intortam, incubare quidem adhuc Orientalibus sedibus, sed omnes tamen sub damnatione mori.

Itàque Victori Episcopo ne in mentem quidem venit, dolere, aut sentire contemptam sententiam Apostolicæ Sedis: sed illam persuasissimus ratam, & nulla humana vi infirmandam, fidenter pronunciat, omnes ea perculsos, sub damnatione obijsse.

Quibus & hæc ex Theophanis Chronographia quadrant præclarissimè: [Orientis Episcopi cum Acacio per literas conquesti sunt, quòd Mongo communionis consortium impertijsset. Ille spretis eorum monitis, Mongum eumdem in communionem

nem admittere impudentissimè cunctos compulit. Ciues autem regiæ vrbis,& cuncti Orientales Felicem, qui post Simplicij obitum Romanam Sedem tenebat, supplices adierunt, & malorum omnium auctorem incusauerunt Acacium. Intereà Ioannes Antiochiæ Præsul hęc cadem denuncians, Romam ingreditur. Felix itàque Synodo in Coriphæi Apostolorum Petri templo coacta, Zenoni, & Acacio literis significat, vt Petrum Mongum, cen hæreticum Alexandria eijciant.]

Narrataque mox legatorum Felicis defectione, addit: [Felix cognitis legatorum suorum gestis, Ecclesiæ dignitate eos deiecit, Acacioque parem depositionis sententiam scripsit.]

28 Si paucos enim nebulones, si præsentia tempora, si nubila procellarum perpendas cantùm; & indè suspendas iudicium; in eandem calumniarum voraginem præcipitabis indubiè Oecumenica omnia penè Concilia, & ipsam Ecclesiam Christianam. Quanti enim, & quamdiù illustre Nicænæ Synodo, & Ephesinæ primæ, & Chalcedonensi? Immò in contemptum Sedis Apostolicæ, nec Acacius, nec Petrus Episcopi, nec Zenon, nec Anastasius Imperatores efferbuerunt, nisi vt impuniùs Chalcedonensem Synodum detestarentur. Exordia ipsa Christiani nominis quanto, & quàm diuturno habita sunt ludibrio? Sed perstegit tandem portas Inferi Ecclesia, seculorum decursu crebrescens & conualescens; victrices de mendacio triumphauere plaudentibus posteris Synodi Oecumenicę; victa est iniurias Apostolicæ Sedis religiosa posteritas, suamque illi etiam in antecessum refudit auctoritatem vniuersalis Ecclesiæ consensio. Non ad has ergo temporis, & loci tantas angustias coartandus est animus noster, oculusque de fide luminatus: sed in vniuersalis Ecclesiæ æternitatem, infinitatemque quamdam latissimè explicandus est.

Ità Nicolaus I. cùm in exemplo consimili iactaret Michael Imperator nequiquam damnatum ab eo Photium, restitutum Ignatium, epist. 9. [Sed dicis, ò Imperator, etiam sine consensu nostro, Photium, & Ecclesiam retentutum, & Ecclesiæ communionem habiturum: Ignatium verò nihil per nos meliorationis adoptutum. At nos è diuerso credimus, quòd Ecclesia Christi sacros Canones, & præcipuè Nicęnos, non tradat obliuioni, præcipientes videlicet, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Credimus etiam, quòd diù membrum incolume non subsistat, hærens membris,Capiti non hærentibus. Postremò credimus, quòd cætera membra, si tamen affectant viuere, Caput quandoque sequantur.]

Et infrà: [Quotquot autem in ipsa communione Sedes Apostolica tenuit, aut dum viuerent, ab Ecclesia sunt vniuersali recepti, aut postmodùm ab ea summa celebritate retenti. Præterea illos, in quorum damnatione non consensit, singulari prærogatiua dissoluit.]

Petrum à Simone Mago contemptum, Victorem ab Asianis interfecit. [Felix quoque Papa Constantinopolitanum Acacium non solùm deposuit, verùm & insolubilibus anathematis vinculis innodauit. Sed adeo est contemptus, vt idem Acacius, mundi Rectorum tuitione protectus,etiam nonnullis Romanis Pontificibus decedentibus, & officio Sacerdotali iuxta præcedentem consuetudinem fungeretur: & exceptis paucis, omnium Orientalium communione frueretur.] Contemptum hunc suæ Sedis non dissimulat, non extenuat, sed vltrò etiam exaggerat Nicolaus, nempè vt redundaturum ad incrementum gloriæ. Nam [licèt serò, licèt post multos sudores, mundus totus tamen quandocumque ea defendit, quæ Petrus contra Simonem defendisse dignoscitur: ea damnat, quæ illum damnasse describitur.]

Similiter quod ad Victorem attinet, Ecclesia tota nunc cum illo sapit, & quod fecit, laude prædicat dignum.]

Et denique quod ad Acacium pertinet, [Propitio Christo, Sedis Apostolicæ Pontificibus indefessè certantibus, à Catholicis iugi fatigatione remota, tandem aliquando ad B. Felicis sententiam est Ecclesia tota conuersa. Et quia prædictus Acacius non est inuentus superstes, consequenter nomen eius in Ecclesia taceri sancitum est. Sed & tu, Imperator Orthodoxe, de ipso nunc cum Sede Apostolica sapis, qui si illo tempore fuisses repertus, pro eo contra eam, vt & in hac causa, fuisses fortasse accensus.] Vniuersim enim Christus, Ecclesia, Synodus Oecumenica, Sedes Apostolica, fides, veritas ipsa denique oppugnari potest, expugnari non potest: obnubilari potest aliquandiù, non extingui. Immò tantò splendidior tandem diradiat, quò densioribus nebulis aliquandiù se circumfundentibus delituit. [Sed quia veritas tegi funditus humanis non potest conatibus, &c. Idcirco Sol iustitiæ radios suos fortasse mittens, & nebulam dissipauit erroris, & veritatis paulatim lumen ostendit. Sicque demùm quantùm illi defensores Ecclesiæ rectè sapuerint, & isti nequiter oberrauerint, tandem euidenter innotuit.]

Et epist. 10. idem: [Ita vt contra singulos errores in Ecclesia exortos prior hæc Ecclesia secundùm primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit. Et ità demùm vniuersalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probauit, quandoque probauerit: & quæ illa refutauit, ipsa refutauerit.] Plura inferiùs in huius rei confirmationem coaceruabimus, vbi sub Hormisda Pontifice, & Iustino Principe exequemur Constantinopolitanæ Ecclesiæ cum Romana resaratam concordiam.

29 Nunc pauca libet ex Gregorio Papa addere, vt ex ipso liqueat, qui Romano Pontifici Antistites summarum, seu Patriarchalium Sedium, & quodammodò adæquentur, & tamen subijciantur.

In his enim verbis Gregorij lib. 7. epistola 65. ingens sibi præsidium Nouatores sui

sui erroris imaginantur, quibus reapse potiùs eorum pertinax inscitia nudatur. Sic enim Gregorius de Primate Byzaceno in Africa: [Nam quòd se dicit, Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.]

Et rursùs idem lib. 7. epist. 30. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: [Indicare vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere soperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur, dicens, Sicut iussistis. Quod verbum iussionis, peto, à meo auditu remouete; quia scio, quis sum, qui estis. Loco enim, mihi Fratres estis: moribus, Patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem, hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere; & ecce in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra vlterà non faciat. Quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor vniuersalis Ecclesiæ. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor.] An ergo dum exæquar sibi Gregorius cæteros Patriarchas, immò Episcopos, Sedis suæ principatum, & summi Iudicis potestatem sibi abrogat? Minimè gentium.

30 Nam primò, Eulogij ipsius Alexandrini nequaquam aspernanda sententia est, cuius præclara eruditionis, & pontificiæ fortitudinis monumenta neminem prætereunt. Ille enim à Gregorio iussum se interpretatus est, ne vniuersalis Patriarchæ nomine decoraret, vel iustaret potiùs Episcopum CP. & veluti iussus morem gessit, & iubenti se paruisse professus est; & ipsum denique vniuersalis Papæ nomen Constantinopolitano Episcopo abiudicatum, Gregorio vendicauit. Ità officij sui numeros implere se arbitratus est Eulogius, intercessit autem Gregorius, ve ne vllos ipse humilitatis numeros præteriret.

Secundò, Fratres sibi aie Gregorius, & æquales esse Patriarchas cæteros, sicut nimirùm Cyprianus, Leo, Ambrosius, Gelasius, Hieronymus, reliquos Apostolos Petro exæquarunt. Ac ijdem tamen ipsi ibidem continuò, vt anteuerteretur schismatis occasio, Caput necessariò constitutum à Christo fuisse definiunt. Ergo illa æqualitas ità temperanda, vt Caput membris emineat, nec solo nomine, sed ea omni, quam nomen Capitis insinuat, potestate muniatur ad schisma amoliendum, quod sola vtique nominis, vel confessus gloria non propulsaret. Nam summis inter se quandoq; concertantibus Episcopis, Athanasio & Eusebio, Cæciliano & Maiorino, Chrysostomo & Theophilo, Flauiano & Dioscoro, Ioanne Talaida & Acacio: intestinam hanc, & internecinam membrorum suorum conflictationem componere nequaquam poterit Petrus, Petrique Sedes, nisi tota capitis maiestate, & iurisdictione cumuletur.

Tertiò, In prælaudatis verbis ambitionem solam nominum deprecatur Gregorius, non potestatem. Iussionis verba, vniuersalis nomen repudiat. Non iubet, sed vtilia indicare curat. Negat vniuersalis nomen sibi præscribendum, at supremos Antistitum totius Orbis apices admonet officij sui, peccantes obiurgat, territat. Gloriolam ergo vocum inanem spernit, retinentissimus interim potestatis suæ.

Quartò, Cùmque superba vocabula retentaret Ioannes CP. Episcopus, videbis complures ad eum Gregorij ea de causa increpatorias, & comminatorias epistolas. Indè plùs satis intelliges, quantùm sibi potestaris in omnes Orbis Episcopos iure suo vendicaret. Itàque vt Africani Patres in Archiepiscopi, ità Gregorius in Vniuersalis vocabulo, solam nominis insolentiam, nouitatem, arrogantiamque detestabatur, non legitimam potestatem. Quamquam vtriusque vocis adherentem, tunc ex nouitate inuidiam, & superbiæ speciem, consuetudo tandem, & vetustas absterserit.

Quintò, Disertissimè Gregorius lib. 7. epist. 64. [Nam de Constantinopolitana Ecclesia, quod dicunt: Quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem Ciuitatis Episcopus assiduè profitentur. Hæc ille ijs respondet, qui querebantur, quasi Ecclesiam Constantinopolitanam disponeret comprimere.

31 Sextò, Vbi culpa non exigit, ait Gregorius æquales esse, sed omnes Episcopos, sed secundùm rationem humilitatis. Ergo non Patriarchæ tantùm exæquantur Romano Antistiti, sed omnes prorsùs Episcopi & Metropolitanis, & Primatibus & Patriarchis. Illa porrò æqualitas nihil officit iurisdictioni metropoliticæ aliorum in alios. Nam quis tantum scelus affingat Gregorio? Quis ab eo ordinem ecclesiasticæ disciplinæ, ab Apostolis, à Synodis constitutum labefactari deliret? Ergo nec Patriarcharum cum Romano Præsule æqualitas, huius in illos iurisdictionem, & metropoliticum ius infirmabit.

Septimò, Ideò cautè Gregorius æquales pronunciauit omnes Episcopos, non secundùm potestatis, sed secundùm humilitatis rationem. Etsi ergo potestate dispares, humilitate pares sint. Et ea est humilitatis indoles, vt exæquet inæquales, non maiorum potestatem præfocando, sed premendo gloriam, & vbi nihil opus est, auctoritatem dissimulando. Ità Christus secundùm humilitatis rationem, non venit ministrari, sed ministrare: & in medio Apostolorum erat, sicut qui ministrabat. Potestate tamen immaniter eminebat. Ità Magistros, & Patres vocitari vetuit, nempè quò fastum deijceret, non quò saluberrimum,

mum, & his nominibus coniunctum amputaret imperium. Vnde abrogato fastu, & resecto supercilio, non imperium tantùm, sed & nomen ipsum Patris & Magistri in Ecclesia retentatur, sicut & Iussionis, & Vniuersalis. Vbique enim id valet, vt præcepti non sonus, sed sensus: non cortex, sed medulla teneatur.

Octauò, Tum æquales ait Gregorius omnes esse Episcopos, [quando culpa non exigit.] Ergo quando culpa exigit, tunc inæquales necessariò sunt, vt peccantes à maioribus corripiantur; & ni resipiscant, animaduertantur. At quando in culpam prolabitur quis, non tunc ista demùm emergit inæqualitas. Nec enim quo facinore alteri illinitur culpa, alteri auctoritas culpæ vltrix paratur. Sed quæ, cùm culpa nulla prouocaretur, latitabat, & humilitatis nubilo splendorem suum præmebat potestas superior: ea emicat tum demùm, & prosilit, cùm sceleri obluctandum est. Denique non tantùm opprimenda est culpa, superioris manu iurisdictionis, postquam ebullijt: sed & eiusdem metu occupanda, & præuertenda est.

Nonò, Ideo scire Gregorius, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ subiectus non est? Omnes ergo Orbis Episcopi, infimi, perindè & summi, dum in culpa sunt, tunc ei subijciuntur. An ergo tunc subijci incipiunt? Nihil insulsius fingi potest. Sed vt Paulus ait, Iustis non esse legem positam, sed iniustis, cùm vtrisque lex immineat, & iustitiæ præceptrix, præmiatrixque: & iniustitiæ dehortatrix, vltrixque.

Et idem Paulus: [Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat.] Quamquam ergo bonis peræquè, & malis dominetur Lex æterna, Lex humana, Deus, Princeps; iustus tamen quodammodò sub lege non est, nec timore agitur, sed ipse sibi lex est, & vltrò ad bonum sese agit. Si quando autem peccet, tunc sub lege, & sub legis executore magistratu est, nempè terrente, sæuiente, puniente.

Decimò, Cùm Christus dominationis inuidiosum supercilium ab Ecclesia sua sustulit, cùm dominari in Cleris Episcopos vetuere Apostoli, cum Clericorum in laicos regimen humilitas Christiana temperat: non tamen ordo, & disciplina proteritur, non maiorum in minores sollicitudo, & potestas strangulatur. Itaque incolumi, & intaminata humilitatis norma, quàm clerici de laicis, Episcopi de Clericis, Metropolitæ de Episcopis, de Metropolitis Patriarchæ: tam de Patriarchis ipsis Romanæ Sedis Pontifex, pro sua potestate, & legitima iurisdictione iudicabit. Vna in his omnibus, vel valet, vel infringitur regula.

Ideòque Gelasius opusculo de anathemate sapienter prorsùs pronunciat: [Cùm de secundæ Sedis ageretur Antistite, nec ab inferiore qualibet, sed à prima Sede, iure posset absolui. Inferior quippè potiorem adsoluere non potest. Sola ergo potior inferiorem conuenienter absoluit. Proindè inferioris loci Pontifices, quia nullatenùs se nouerant potiorem sibi sine prima Sede se posse resoluere, præcipuè quem eius sententia nouerant obligatum: præuaricatoria absolutione, non illum penitùs exuerunt, sed se præuaricatione potiùs nexuerunt.]

32 Dilucescet rursùm mens Gregorij, ex Ioanne Diacono, qui lib. 4. vitæ eius cap. 29. verbis circa, quæ desudamus, hæc præloquitur: [Auctoritatem quorumlibet summotum Pontificum Gregorius auctoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potiùs multipliciter roborabat. Et quamuis inter culpabiles auctoritatem sui prioratus agnosceret, tamen inter insontes Episcopos se præbebat prorsùs æqualem.]

Quæ mox illustrat Ioannes doctrina Gregorij ipsius in lib. curæ pastoralis. [Liquet, quòd omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorum ordine, alios alijs culpa postponit. Ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur, vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero.]

Et infrà idem Gregorius: [Potestatem rectè dispensat, qui sollicitè nouerit, & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen se peccantibus zelo vltionis anteferre. Petrus, auctore Deo, Ecclesiæ principatum tenens, à benè agente Cornelio immoderatiùs se venerari recusauit, dicens: Ego ipse homo sum. Sed cùm Ananiæ, & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excreuisset, ostendit.] Quibus superior nostra commentatio mirificè confirmatur. Non Romani enim Pontificis modò, sed omnium prorsùs Antistitum, immò & publicorum Magistratuum, Regumque, & Imperatorum principatum complectitur illa Gregorij regula: [Omnes homines natura æquales genitos, alios alijs culpa postpositos esse: hanc diuersitatem, quæ ex vitio accessit, diuino iudicio dispensari, vt alij regantur ab alijs.] Itaque quisquis piè imperat, citra compugnantiam, & æqualem se cogitat cæteris, & tamen peccantibus anteferre se zelo vltionis nouit. Nec hinc subruuntur fundamenta politicæ potestatis, quæ diuino iudicio, & nutu constituta est ad ordinandas peccantium ruinas: nedum episcopalis, nedum primæ Sedis, quę auctore Deo, Ecclesiæ principatum tenet; & vbi culpam reperit, (quam non cuiuslibet est vlcisci, ne aliorum in alios hæc non prouida potestas sit, sed tumultuaria grassatio) tunc non adipiscitur, sed ostendit quanta potentia super cęteros excreuerit.] Vides vt hebescant aduersarij Ecclesiæ, tum maximè cùm acutuli sibi videntur in doctrina Gregorij; cuius ne corticem quidem lambere, nedum medullam gustare, & sapere potuerunt.

33 Non libuit hìc autem priorum memoriam temporum reuoluere, quòd suis sigillatim locis ostensum sit, nusquam ritè

suis

suis Sedibus maiorum gentium Episcopos, vel exeuti potuisse, vel restitui, nisi Sedis Apostolicæ iudicio. Quod vt summatim perstringam, ità perspicuè Augustinus de Cęciliano Carthaginensi Pontifice, ep. 48. [Cùm apud Imperatorem vltrò Cæcilianum accusassent Donatistæ, quem primò vtique apud collegas transmarinos conuincere debuerant, &c.]

Et lib. de vnitate Ecclesiastica cap. 2. [Restabat vtique vt Episcopi transmarini, qua pars maxima diffundebatur Ecclesiæ Catholicæ, de Afrorum Collegarum dissensionibus iudicarent.] Transmarinos Episcopos nemo, nisi valdè hospes in Augustini libris, & veteris disciplinæ rudis, aliud quàm Romani Pontificis Synodum interpretabitur. Sed suam ipse sententiam elucidat Augustinus, epist. 162. [Cùm posset Cæcilianus non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret, & Romanę Ecclesię, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.]

Et mox: [De collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reseruare.]

Et in Psalm. 86. Cæciliani accusatorem obiurgans: [Noluit Cæcilianus exire ad maiores tuos, & sic seruauit causam suam Orbi terrarum: quomodò tu seruasti Concilio Numidiarum. Si innocentem te reddidit Sedes Bagaitana: quantò potiùs illum Sedes Apostolica?

Et infrà: [Tu purgasti te apud Bagai? Purgauit se ille in transmarino iudicio. Consensit huic iudicio vniuersus Orbis terrarum.] Quibus ex omnibus id nimirùm enitescit, Orbis terrarum, Transmarinum, Sedis Apostolicæ iudicium, vnum idemque esse, cui causam suam reseruauit, à quo purgatus est Cæcilianus. Quibus gemella sunt ista de Athanasio, & Petro Alexandrinis Episcopis, Sedi suæ similiter Apostolicæ Sedis, Italiæ & Occidentis iudicio assertis, ex epistola Ambrosij, & cæterorum Episcoporum Italicæ Synodi ad Theodosium Imperatorem: [Sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse iudicium viderentur.] Vbi & mox censent de controuersia duorum CP. Episcoporum, esse debere in Vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium. [Neque enim indignum videtur, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, &c.] Vtrique nimirùm exploratissimum erat, Athanasio inquam, & Petro, quod ipsemet prodidit Athanasius, Dionysium prædecessorem suum apud cognominem Romanum Pontificem, & accusatum fuisse, & causam suam scripta apologia prosecutum esse. Parco refricare, quæ superioribus Dissertationibus vberiùs sunt disceptata, Chrysostomum Concilio Oecumenico, & Innocentio causam suam reseruasse, & ab isto restitutum esse: Nestorium, & ante Synodum, & per Synodum ipsam Ephesinam vna potissimùm Cœlestini Papæ auctoritate discinctum esse: Ioannem Antiochenum Romani Præsulis iudicio in eadem Synodo esse reseruatum: Flauianum CP. Episcopum ab Ephesina secunda Synodo ad Leonem Papam prouocasse, & ab eodem restitutum esse ante Synodum Chalcedonensem.

Et ne longum faciam, neue exemplorum serie fastidium creem, regulam ipsam de Constantinopolitano Episcopo iudicando repetam ex Theodoro Studita, qui eo scribebat æuo, quo reliquos Patriarchas Orientales longo post se Constantinopolitanus reliquerat interuallo. Sic ergo ille lib. 2. epist. 129. [Fieri nulla ratione potest, vt coalescat hæc Ecclesia, non consentientibus quinque Patriarchis. Quòd si roget quispiam, quo pacto id fieri possit? Si excedant, inquam, Ecclesijs Dei heterodoxi, & propriam Sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conuentu, cum quibus certamen sustinuit; si fieri non potest, vt ab alijs Patriarchis adsint Vicarij; (quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicæ) attamen pacem conficit, & coniunctionem, Synodicas suas ad primæ Sedis Præsulem mittendo. Quòd si hoc minimè probet Imperator, deflexitque, vt ipse ait, à veritate Nicephorus Antistes: mittenda est ad Romanum ex vtraque parte legatio, & indè fidei accipienda certitudo.] Vbi vides conuenienter nostris suprà placitis, vbi Patriarcharum causa ventilatur, in votis esse Synodum Oecumenicam, quinque Patriarcharum præsentia, vel Legatis nobilitandam. Si eius non fiat copia, vnum primæ Sedis Præsulem vices eius, & munia implere, fidem dictare, de Patriarchis decernere. Quippè vt ait Hincmarus Rhemensis Præsul Concil. Duziac. 1. par. 2. cap. 26. [Apostolica Sedes omnium est Ecclesiarum in toto Orbe terrarum mater, & magistra; cuius Pontifex Patriarcha est Patriarcharum, & Primas Primatum.]

DIS-

DISSERTATIO XV.

In Concilia Romana sub Symmacho Papa, Anno Christi 500.501.502.503.

SYNOPSIS.

Astruitur illud Primæ Sedis priuilegium, vt à nemine iudicetur: congestis argumentis ex his primùm Synodis, itemque ex Apologetico Ennodij. Num. 1. 2. 3. 4. Ex Auito Vicnnensi Episcopo, & Ecclesiæ Gallicanæ consensu. Num. 5. 6. In Oecumenica Synodo parem vim habent ea argumenta. Num. 7. Diuini iuris ex fontibus scatet hæc prærogatiua. Num. 8. Idem euincitur exemplo aliorum Pontificum, Damasi, Sixti, Pelagij, Leonis, Paschalis, Hadriani, vsque ad num. 13. Alia argumenta ex Nicolao I. Hadriano II. Synodo octaua. Num. 14. 15. 16. Cassa Synodus in Ioannem XII. Num. 17. Rursùs Gallicanæ consensus Ecclesiæ, & Germanicæ. Num. 18. 19. In causa Schismatis, & Hæreseos paulò aliter sentiendum Num. 20. 21. Tenetur Pontifex suspiciones diluere, & se purgare. Num. 22. 23. Sententia Gersonis, & Nicolai de Cusa expenditur. Num. 24. 25. Antedictorum omnium confirmatio ex Gregorio Papa I. Numer. 26.

1 SVperiùs disputatis de Summi Pontificis iudiciaria in omnes, & in summos maximè Episcopos potestate, coniuncta est hæc quæstio, an à quoquam ipse possit iudicari. Primam autem Sedem à nemine iudicari, statim profitentur Synodi tertiæ Romanæ sub Symmacho Patres.

Causante enim Theodotico Rege, [ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata; & in Synodi oportere, si vera esset inimicorum eius obiectio, iudicatione constare:] Excipiunt Episcopi, [Ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, &c. Nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur.]

Respondit Princeps, [Ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse:] quod & Symmachus ipse mox confirmauit, [& auctoritatem ordinis corrigendi, sicut poscebant Ecclesiastica statuta in omnium, qui ibidem conuenerant, Episcoporum præsentia se dare professus est.] Quamquam autem præsto esset Symmachus causam dicere in Synodo, affectu purgationis suum culmen humilians, sæuitia, & cædibus aduersariorum prohibitus est.

Quocircà Episcopi, respondente Rege, [In synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere:] totam causam [Dei iudicio reseruarunt, arbitrio diuino dimiserunt, [Symmachum Ecclesiæ restituerunt.

2 Verùm cùm in Synodos istas, & in illud Primæ Sedis priuilegium, vt à nemine iudicetur, inuidia, & maledicentia conflagrasset, Apologeticum scripsit Ennodius Ticinensis postea Episcopus, è quo carpere hæc breuiter non pigebit. [Facessat, qui in vobis est, pruritus iste linguarum. Non nos B. Petrum, sicut dicitis, à Domino cum Sedis priuilegijs, vel successores eius, peccandi iudicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem, cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conuersationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. Prænoscit enim, quid Ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur.] Illa itàque iudicij superioris expers impatiensque summitas, non impunitatem scelerum, sed innocentiam conciliat.

Nàm Petri successor, fundamentum Ecclesiæ, is, super quem ipsa moles innititur, vt præclarus, & innocuus, vel eligatur, vel electus euadat, interest ad Prouidentiam Christi, pro Ecclesia sua excubantis.

Et rursùs aduersùs eos, qui mussitabant

bant in hunc modum: [Si vera est Episcoporum assertio, Sedis Apostolicæ Præsulem minorum nunquam subiacuisse sententiæ, cur ad iudicium districta conuentione productus est ?]

Respodet: annosam cauillatorum istorum insantiam, vel hoc vno Scripturæ verbo retundi posse. [Nunquid gloriabitue securis contra eum, qui secat in ea ? &c.]

Addit & Christum, & in Christi sectatoribus præcipuos quosque, maximè Athanasium, etsi innocentiæ suæ sibi conscios, judicio se tamen humano vltrò inclinasse: [Redemptor noster iudicium, quod inter se, & vineam suam optat euenire, magis implorat. Sanctus Athanasius ad coronæ pretium innxit, quod de dignitate submisit: & ante cælestem de absolutione sententiam, personam rei innocentiæ bonus æstimator impleuit. Sic enim Christi milites sudore suo honorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiores humilitate castigant. Sed quamuis beatum Athanasium Romano Antistiti, quantum nosse datur, imparem locus ostendat, facto tamen in negotio comparantur. Ille præsto fuit iudicibus: iste quantum, & vos dicitis, aduocauit. Ille intentatam discussionem, vt Dei famulus, non refugit: iste triumphi sui spem in discussorum collectione constituit. Sed quid his longiùs collationibus immoremur? Iudicia, & iste voluit, armauit, attraxit, ingressus est: & quod posset fidelia corda doloris iusti aculeis excitare, venerando Concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit.] Ergo vt Athanasius innocentiæ præsidio fretus, minorum aliquando se sponte subiecit iudicio: vt Petrus, & Paulus, immò vt Christus, vt Deus, etsi & innocentia, & auctoritate supra omnem humani iudicij aleam collocatus, sponte tamen sua iudiciariam in se prouocauit examinationem: ità Symmachus Athanasio loco maior, Petri, & Pauli successor, Christi optimi maximi vicem gerens, auctoritatem etiam contra se Concilio indulsit.]

3 Cauillantibus rursùm: [Quare Papa Synodum conuocauit, vt de criminum eius obiectione cognosceret? Quomodò de causa primitùs tractabatur, cùm necdum haberet Synodus firmitatem ?]

Respondet Ennodius: [Hinc eramus nempè dubij, quia non habebat Synodus firmitatem. Transibat negotij qualitas audituros. Et plus adhuc remanserat in reuerentia pulsari, quàm esset in nostri integritate collegij.]

Denique ne pergant huic Primæ Sedis priuilegio succensere, ità illud munire satagit diuinæ patrocinio institutionis. [Dico latorem iuris, definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi. Et nisi Princeps fastigij summa moderetur, frustrà ad illud, quod dederit, ius vocatur. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores Cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitionibus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum vtitur teste, quo iudice. Dices forsitan omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Respondebo, vni dictum: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in Cœlo. Et rursùm Sanctorum voce Pontificum, dignitatem Sedis eius factam toto Orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, vbique submittitur: dum totius Corporis Caput esse designatur. De qua mihi videtur dictum per Prophetam, Si hæc humiliatur, ad cuius fugieris auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram?] Denique quasi ex ipso Petri ore hæc pertonat: [Filij hominum vsquequò graues corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? Quid canum possessionis genium, illius, qui per culpas iuuenescit, ariete pulsatis: & diuisione Ecclesiasticis gregis, nouis me, & post carnem passionibus subiugatis? &c.]

4 Primò, vbi aduerte prærogatiuæ huius, vt nullius, nisi Dei iudicio subsit Prima Sedes, originem deriuari à Christi voce, à Petri merito, à Capitis dignitate. Christus enim illis verbis, [Tu es Petrus, &c. Quæcumque ligaueris, &c.] Omnem Petro superstruendo Ecclesiam subiecit, non præfecit: eique indulsit, vt ligaret, non vt ligaretur. Petri item dignitas innocentiæ comes propagata in successores eius est, in quibus ipse quasi superstes viuit vsque, iudes vtique, non iudicandus. Denique Capitis est, suo membra, non se membrorum iudicio subiugare.

Secundò, canum possessionis genium, Sanctorum voces Pontificum obtendi ab Ennodio, vel à Synodis potiùs Romanis, quibus constet nullum vnquam Romanorum Pontificum Synodi vllius examine subactum fuisse. Itàque priuilegio diuinitùs concesso, præscriptio etiam accedit.

Tertiò, cùm nulla rata sit, & germana Synodus, nisi à Romano Præsule conuocetur, confirmeturque: qua demùm in Synodo legitimè in ipsum inquiretur? An mendicata enim ab ipso auctoritas, in ipsummet retorquebitur? An per Synodum à se collectam, & auctoratam, iudex ipse erit idem, qui reus?

Quartò, quæ leges Ecclesiasticæ, qui Canones depromentur in disceptanda Romani Præsulis causa, cùm cassi, & inutiles sint, nisi ab ipso sanciantur, vel confirmentur? Ac frustrà Princeps ad illud, quod dedit, ius vocatur: nec lator legis lege constringitur, nisi volens, iubensque.

Quintò: etsi de Summo Pontificatu certamen esset, etsi, & argumentis, & telis densissimis impeteretur Symmachus, etsi iniquissimo vteretur arbitrio Principis Catholica ab Ecclesia alieni: causam tamen

obti-

obtinuit, consensitque Synodo Theodoricus, primæ Sedis causas Deo iudici reseruandas.

Sextò, aut quibuslibet in quoslibet permittenda est, iudicandi potestas, & ità mox intestino, cæcoque tumultu collidentur ima summis: aut obtinebit, quod hactenùs vbique gentium per leges à natura magistra hominibus informatas obtinuit, vt minores maiorum iudicio subiaceant, non vicissim. Ac indè illud nascitur, vt maiores tandem ipsi iudices vni summo iudici conspicuo sistantur, cui denique immineat inconspicuus index Deus. Hoc postremum consultiùs sanè est, & ad dissidia cohibenda opportuniùs.

Septimò, quòd iudicio Dei reseruantur Petri hæredes, non ad scelerum licentiam inultam pertinet. An impunè enim peccare suspicabimur eum, qui Deo vtitur factorum, & teste, & iudice? Quin perpendimus quantò formidolosius sit humano iudicio diuinum?

Octauò, peccanti Pontifici non venia datur iudicij, sed mora. Non arcetur districtio, sed differtur. Paci autem Ecclesiarum moras donare quis abnuat? Et has moras pensabit vtique diuini acerbitas iudicij.

Nonò, hæc Capitis nostri gloria in corpus omne redundat. Nàm si qualibet Synodo possit Princeps exauctorare summum Ecclesiæ Pontificem, quantam hinc vniuersali Ecclesiæ ominabimur seruitutem? Quantam canonicæ libertatis stragem? Perstrinximus id iam alicubi, quod alibi copiosiùs edisseremus, Omnium Ecclesiarum priuilegia, & libertates aduersùs secularis iurisdictionis torrentem, non alio ferè præsidio niti, & constare, quàm inconcusso Sedis Apostolicæ priuilegio. Ergo si hæc Sedes humiliatur, ad cuius fugietis auxilium?

5 Ne Ennodij autem, vel Synodi Romanæ eam fuisse sententiam tibi fingas, assentiebatur Christianus Orbis vniuersus; immò inclinatiore in Sedem Apostolicam deuotione superabat. Id de Gallicana Ecclesia docebit nos Auitus Viennensis Episcopus, & indè ducta coniectura cæterarum Ecclesiarum consensionem facilè assequeuiur.

Ad Senatores ergo Vrbis scribens epistol. 31. se nomine vniuersæ Gallicanæ Ecclesiæ scribere, ità præfatur: [A cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipsum non minùs per mandata, quàm per literas oneratus, quæcumque à vobis omnes ambimus, vnus suggerenda suscepi.] Tùm causam ipsam aggreditur, [Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxiauimi, ac trepidi essemus, vtpotè nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes: quos omnes vna criminatio vtique sine inuidia multitudinis percusserat, si statum Principis obruisset: perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma decreti, quã de Papa Symmacho apud Vrbem collecti Italiæ Antistites edidetunt. Quam constitutionem licèt obseruabilem numerosi, reuerendique Concilij reddat assensus, intelligimus tamen sanctum Symmachum Papam, si seculo primùm fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potiùs asciscere, quàm recipere debuisse iudicium. Quia sicut subditos nos esse terrenis potestaribus iubet arbiter cœli, Statutos nos ante Reges, & Principes in quacumque accusatione prædicens: ità non facilè datur intelligi, qua vel ratione, vel lege, ab inferioribus eminentior indicetur.] Conqueranrur ergo alij de Romanæ Synodi propensione, & renetentia in Symmachum, & in Apostolicum priuilegium: expostulat ea aduerso Ecclesia Gallicana de minima penè Synodi Romanæ licentia:

Et profitetur primò, in vertice suo statum omnium Episcoporum lacessi, & nutare: statu, & criminatione Principis multitudinem omnem Episcoporum implicari.

Secundò, Principe seculi in iudicium vocante Symmachum, parere quidem debuisse Pontificem, cùm Christus, cùm Apostolus sæuituros in Ecclesiam Reges prædixerit: at Episcopos Pontifici ad solatium, non ad iudicium accurrere debuisse.

Tertiò, præter rationem, præter leges esse, ab inferioribus eminentiorem indicari.

6 Et confestim ibidem Auitus: [Nàm cùm Apostolus clamet accusationem, vel in Presbyterum recipi non debere, quid in præcipuum generalis Ecclesiæ, criminationibus licere censendum est? Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam, quam, quod salua eius reuerentia dictum sit, penà temerè susceperat inquirendam, diuino potiùs seruauit examini: perstringens tamen prout breuiter potuit, nihil vel sibi, vel gloriosissimo viro Theodorico Regi, de his,quæ Papæ dicebantur obiecta,patuisse. Quibus cognitis, quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor, &c. ne minùs diligaris in Ecclesia vestra Sedem Petri, quàm in Ciuitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videris, non ea tantummodò, quæ Romæ geritur, causa cogitanda est. Sed in Sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè vacauerit, reformari. At si Papa Vrbis vocatur in dubium, Episcoparus iam videbitur, non Episcopus vacillare.]

Vbi cernis primò Synodum Romanam non debuisse tantùm causam Romani Episcopi Deo reseruare, sed ne illam quidem suscipere inquirendam.

Secundò, si Paulus suis quoque Presbyteros muniuit priuilegijs, num Episcopus, num præcipuus generalis Ecclesiæ nullis gaudebit supra Presbyteros, supra etiam Episcopos? Peruersum id fuerit, summos priuilegijs destitui, à quibus, & infimi ea extorquent.

Tertiò, Sedes Petri in Ecclesia eo est loco, quo apex Mundi in Vrbe. Vtrobique de Principe nemo iudicat.

Quamquam enim Ambrosius scribat Imp. Va-

Valentiniano epist. 32. [Cùm præscripsisti, alijs, præscripsisti & tibi : Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.]

Idem tamen in Psal. 40. sic ait : [Ipse etsi legibus quasi Rex, non teneretur humanis, Deo tamen obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit .]

Et in Psal. 118. Oct. 16. [Etsi Rex leges in potestate habet, vt impunè delinquat ; Deo tamen subditus est, qui nulli debet. Immò plus ipse debet, cui plus commissum est :]

Quartò, Cùm exordium, & origo Episcopatus sit Petrus, Petrique Sedes, in Symmacho non Episcopus, sed Episcopatus periclitabatur. Nam vacillante capite, corpus totum labascit.

Quintò, denique vt idem subdit: [Reddet rationem ; qui ouili Dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: cæterùm non est gregis Pastorem proprium terrere, sed iudicis.]

Decretum porrò illud Romanæ Synodi, quod ab Auito perstringitur, istud est: [Decernimus vt Symmachus Papa Sedis Apostolicæ Præsul, quantum ad homines respicit, quia totum constat diuino arbitrio fuisse dimissum, sit immunis, & liber, &c.] Quod & adhùc in ea Synodo legitur, quæ quarta, & Palmaris inscribi debet.

7 Porrò illud in antedictis effulgebat, ne in vniuersali quidem, siue Oecumenica Synodo Symmachum iudicari potuisse. Quæcumque enim, vel ab Ennodio, vel ab Auito, vel à Concilio ipso Romano dicta sunt, ea parem vim habent aduersùs Synodi Oecumenicæ iudicium.

Primò : Nam Synodus Romana non suam excusauit infrequentiam, non Episcoporum paucitatem, non vniuersalis Synodi congregatione opus esse dixit, sed absolutè rem Deo reseruauit.

Secundò : Et qui de Synodi Romanę decreto mussabant, non illis in mentem veniebat, saltem vniuersalis Synodi coalitionem implorare.

Tertiò: Quòd impunè peccaturos causarentur, qui nullo humano coercerentur iudicio, id peræquè amoliebatur Synodi vniuersalis sententiam.

Quartò : Quod Ennodius ait, Petri, eiusque successorum id esse priuilegium, vt Innocentiam cælo tantùm debeant, non debebunt ergo vel Oecumenicæ Synodo.

Quintò : Non inultum forè idem pollicetur, si quid peccet Romanus Antistes. An quòd iudex futura sit Synodus Oecumenica ? An potiùs quòd Deo teste, eodemque iudice peccet ?

Sextò : Non auferri ait, sed differri de de peccante Pontifice iudicium. An ad Oecumenicam vsque Synodum? Immò ad diuinum vsque examen.

Septimò: Æquè Oecumenica Synodus à Pontifice conuocanda, & confirmanda est. Quare nec in ipsum, nisi ab ipso impartitam distringet auctoritatem.

Octauò : Æquè Oecumenica Synodus membrorum collectio est, etsi longè plurium. Quorum non est de suo vertice iudicare.

Nonò : Æquè Oecumenica Synodus ouile, & grex est, etsi numerosior. Nec gregis est de Pastore iudicare, sed iudicis.

Decimò : Nihilò seciùs in generali, ac in particulari Synodo, ab inferioribus eminentior iudicabitur.

Vndecimò: Nihilò minùs non Episcopus, sed Episcopatus ipse vacillabit : & in lacessito vertice status Episcopalis in discrimen vocabitur.

Duodecimò : Æquè in Oecumenica Synodo frustrà Princeps in ius vocabitur, quod ipse dederit ; nec legi suæ, nisi lubens subijcietur.

Decimotertiò : Æquè in Oecumenica Synodo, si primæ Sedis vanescant priuilegia, cæterarum prærogatiuæ Sedium, quæ ab illa proficiscuntur, & conseruantur, pariter inanescent.

Decimoquartò : Denique si diuini iuris est, quòd cùm cæterorum hominum causæ per homines terminentur: Sedis istius Præsulem Deus suo sine quæstione reseruauit iudicio : aduersùs iuris diuini sanctionem, nec Oecumenica Synodus dimicabit.

8 Quod autem non cano tantùm possessionis genio, non Canonum constituto, sed iure diuino fultum, inconcussumque stet istud primæ Sedis priuilegium, ijsdem ferè auctoribus, & testimonijs liquet.

Primò : Nam non Romana Synodus, non Ennodius, non Auitus Canones vllos, vel Synodos promit huius auctores prærogatiuæ. Et Ennodius quidem in operosissimo Synodi Apologetico Canones profert, ad alia quædam iuris Ecclesiastici capita roboranda. Auito quoque Canonum peritiam defuisse nemo cordatus facilè suspicabitur. Cùm ergo ne Sinuessanam quidem Synodum in causa Marcellini Papæ, tam accommodatam, tam peremptoriam vsquam hic laudari videamus : nondum fortè ea fabula tunc quidem excusa fuerat.

Secundò: Vix aut, nec vix potest istiusmodi priuilegium cuiquam, à Synodo vel Canone vllo indulgeri. An potest enim Ecclesia suum ipsa ius eiurare? An potest potestatem suam obruere ? An potest non posse, quod potest ? An potest antiquitas posteritati, hoc est, Ecclesia sibi ipsi derogare ? Saltem reuocare posset, quod concessisset antè : & diffingere opus ipsa suum. Atque ità etsi non iudicaretur fortè, iudicari tamen posset ab inferioribus eminentior.

Tertiò : Vt diuino iure prima est Sedes, ità diuino iure id obtinet, vt ne inferioribus subijciatur. Diuina enim, & naturaliter nostris mentibus anticipata lege cautum est, vt regantur, & iudicentur à maioribus minores, non vicissim.

Quartò : Quòd non sit gregis pastorem proprium terrere, sed iudicis : quòd qui ouili Dominico præest, rationem reddat Domino, non gregi : diuini id instituti est.

Quin-

Quintò: Quòd vertex sit Sedes Petri, in quo status ipse Episcopotum lacessatur: quòd Princeps sit, in quo non Episcopus, sed Episcopatus imperatur: diuinæ id quoque originis est.

Sextò: Vbi hæc quasi ex Petri ore intonat Ennodius: [Scitnte quoniam mirificauit Dnminus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subuertere?] His satis apertè Christi institutionem significat.

Septimò: Vbi idem rursùm gannientibus diuino iudicio sistendns omnes aliquando Episcopos, & eosdem tamen intetim Ecclesiasticum examen subire: excipit [Vni dictum, Tu es Petrus, & super hanc pettam, &c. Quæcumque solneris, &c.] Satis dilucidè diuino ex fonte hanc dotem primæ Sedis haurit.

Octauò: Hoc Ennodius vult Petri suisse ptiuilegium, & ab eo in hæredes transfusum. Et garrientibus aduersatijs, ergo peccandi licentiam effrænem à Domino indultam Petro, negat ille indultam peccandi licentiam à Domino, induitam astruit Innncentiam, vel Innocentiæ teuerentiam.

9 Nunc ad alia festinemus eiusdem speciei exempla. Vrsicini accusationibus impetitum olim fuerat caput Damasi Papæ: subordinati accusatores, impacta crimina, [ea fraude videlicet, vt dum causam dicit, qui in omnibus iudex fuerat constitutus, nemo esset, qui de lapsis, vel certè de factiosis posset Episcopatus inuasotibus indicare;] vt ad Gratianum Imperatorem scribit Synodus Romæ in eam rem collecta.

Et ibidem infrà: [Memoratus fratet noster Damasus, quoniam in sua causa vestri renet insigne iudicij, non fiat inferiot his, quibus etsi æqualis est munere, prærogatiua tamen Apostolicæ Sedis excellit, vt iudicijs publicis videantur esse subiecti: quibus sacerdotale caput lex vestra submouit, &c. Ad prædicandam Episcopi conscientiam feueriotibus se dedit ipse iudicijs sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, &c. Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat; nec derogare cuiquam, sed principibus arrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum; vt Episcopus Romanus, si Concilio eius causa non creditur, apud Concilium se imperiale defendat. Nam & Siluester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Et de Scripturis similia exempla suppeditant, quod cùm à Præside Paulus Apostnlus vim pateretur, Cæsarem appellauit, & ad Cæsarem missus est.]

Ergo ex Ambrosij, ex totius Romanæ Synodi sententia, peruersum id erat, & aduersariorum fraude expugnatum, [vt causam diceret, qui in omnibus iudex fuerat constitutus.] Eò non obscurè innuitur hoc primæ Sedis ius.

Secundò: Idem non dubitaudum astrui circumspectis his infrà vocibus, vbi dicitut Damasus [feueriotibus se dedisse ipsum iudicijs Sacerdorum:] nempè ad diluendas, vel leuissimas suspicionum nubeculas.

Tertiò: Si autem Concilio non creditur Episcopali causa Episcopi Romani, id orant, vt saltem ne apud Præsides, vel Magistratus, sed apud Imperiale Concilium ea examinetur. Quod dispensatiuè dici indubium est. Suboffenduntur enim, quòd eius causa Concilio Episcopali non credatur. Deindè aiunt expresiè Damasum id petentem, non sibi præstare, sed Principi: Principi id arrogare. Ad hæc iudicijs publicis Gratianus exemerat sacerdotale caput. At Concilium Imperiale, seu Consistorium numerari vtique debet non intet sacra, & Ecclesiastica, sed inter ciuilia, & publica iudicia.

Adde quòd Paulus non appellauit ad Cæsarem, nisi cùm vim pateretur à Præside. Ne in iuris ergo regulam rapiatur illicò, quod vis expressit. In discrimina enim se grauia non rarò demetgunt, qui fugitant grauiora. Denique suprà edisseruit in pari negotio Auitus Viennensis, quomodo Apostoli, & Episcopi stateut ante Reges, & Præsides, ab illis iudicandi.

Nimirùm quod, & Ennodius docuit, iure remisso, & rationibus temporum accommodato, vti Christus ad sæculare tribunal vocatus est.

Quartò denique aiunt, Romanæ vrbis Episcopum, cæteris Episcopis etsi æqualem munere, sed prætogatiua Sedis Apostolicæ excellentiorem, vberioribus gaudere debere priuilegijs.

10 Ex Synodo quoque, qua non dijudicatio, sed purgatio Sixti III. Papæ facta est, aliqua deliberanda. Impacto enim illi pet calumniam stupro Chrysogonitis consecratæ, [Augustus, & mater eius suspenderunt se à communione, &c. Sixtus sciens, quòd ab eius communione multus populus se segregaret, venit in Basilicam B. Petri Apnstoli, dicens, Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit. Et cœpit omnis vrbana plebs clamare, vt dicta eius Augustus, & Clerus vrbis Romæ probarent examine. Et congregauit Valentinianus vniuersum Senatum vrbis Romæ. Et Sixtus congregauit Presbyteros vrbis Romæ, & Clerum, nec non & monasteria seruorum Dei, &c. Intrauit Epiphanius Presbyter, & dixit cum lacrymis, Fiat probatio, vt Ecclesia non maculetur. Respondit Maximus Exconsul, & dixit: Non licet aduersùs Pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit: Quamquam in meo arbitrio sit, iudicer, an non iudicer: tamen meo iudicio non abscondatur veritas.] Tandem surrexit Augustus, [Et dedit in arbitrio Sixti Episcopi, vt iudicaret iudicium suum. Et discesserunt enm Augusto omnes.]

Primò: Hìc aduertis, præcurrere ipsum Pontificem, vt sui purgandi sibi fiat copia, non ad id ab Augusto, non à populo cogi.

Secundò: Synodum, seu Cleri cœtum ab ipso conuocari, non ab Augusto.

Tertiò: Vnà ab Augusto congregari Senatum, vt purgatio hæc intelligatur esse, non iudicium.

Quartò: Id totum eò spectare, vt iniquis suspicionibus non maculetur Ecclesia: non vt legitimæ iurisdictioni campus aperiatur.

Quintò: Primum prosilire Exconsulem, & contestari, quòd [non liceat aduersùs Pontificem dare sententiam.]

Sextò: Profiteri Sixtum ipsum, in suo arbitrio esse, iudicetur, aut non iudicetur.

Settimò: Augustum, & Senatum omnem suffragari.

Octauò: Id totum confirmat epistola Sixti III. [Scitote me criminari à quodam Basso, & iniustè prosequi. Quod audiens Valentinianus Augustus, nostra auctoritate Synodum congregari iussit. Et facto Concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licèt euadere satis potuissem, suspicionem tamen fugiens, coram omnibus me purgaui.] Cuius tamen epistolæ fides nutat.

11 Et hæc quidem ante Symmachi Papæ tempora. Posteà autem rursùs Pelagius Papa primus, cùm velut mortis Vigilij Papæ reus obliquis rumoribus laceraretur, ità se purgauit, vt narrat liber vitæ Pontificum. [Et monasteria, & multitudo religiosorum, & sapientium nobilium subduxerunt se à communione eius, dicentes, quia in morte Vigilij Papæ se immiscuit, vt tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses, & Pelagius Papa consilio inito, data litania, à sancto Pancratio, cum hymnis, & canticis spiritalibus, venerunt ad sanctum Petrum Apostolum. Qui Pelagius tenens Euangelia, & Crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium.] Ità ergo ille sine figura iudicij infamiam effricuit iniquissimè sibi illitam.

12 Eodem penè ritu innocentiam, & maiestatem suam tuitus est Leo III. de quo hæc narrat Anastasius in eius vita. [Fecit Rex Carolus congregari in Ecclesiam Petri Apostoli Archiepiscopos, seu Episcopos, Abbates, & omnem nobilitatem Francorum, atque Romanorum, &c. vt crimina, quæ aduersùs Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui vniuersi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates vnanimiter audientes, dixerunt, Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum & antiquitùs mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonicè obediemus. Venerabilis verò Præsul inquit: Prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.] Alia verò die in eadem Ecclesia, & eodem cœtu, [amplexus sacra Christi quatuor Euangelia coram omnibus ascendit in ambonem, & sub iureiurando clara voce dixit, Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto omnes Archiepiscopi, Episcopi, &c. dederunt laudem Deo.] Nec absimilis fuit Paschalis I. purgatio, qui geminæ cædis suspicione aspersus, coram Legatis Ludouici Pij, se ab huius pacti communione, cum magno Episcoporum numero, iureiurando purgauit, vt loquitur Eginhardus.

13 Minùs pompatica, præclarissima tamen fuit ea ratio, qua se Hadrianus II. apud eumdem Anastasium purgauit, cùm suspectus esset quibusdam, quasi acta Nicolai Papæ reuocaret. Ea enim de causa suspenderant se ab eo per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum Gentium seruorum Dei, per id tempus Romæ commorantium. Quibus ille ad refectionem vocatis, & post epulas in faciem procidens, ità velut Patribus, Fratribus, Filijs satisfecit, vt cuncti famuli Domini, videlicet Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Constantinopolitani, quorum aliqui legationibus Mundi Principum fungebantur, diutino stupore attoniti, ad agendas Deo gratias proruperint.

14 Prolixè versatus est in hac causa Nicolaus Papa I. epist. 8. ad Michaelem Imperatorem, vbi istud velut à Syluestro sancitum refert: [Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo, iudex iudicabitur.] Refert & illud Synodi Sinuessanæ ad Marcellinum Pontificem, vltrò scelus confessum: [Tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio, &c. Prima Sedes non iudicabitur à quoquam.] Refert & alia his indubitatiora. Nempè illud Pelagij Papæ ad Regem Francorum, obiurgantis, [quòd Sabaudum Arelatensem Episcopum, cuius Ecclesia in Regionibus Gallicanis Primatus priuilegio, & Sedis Apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinari, in iudicium sequentis Ciuitatis Episcopi, quod nulla ecclesiastica lege, vel ratione conceditur, iudicandum iussisset occurrere.]

Illud quoque Gregorij Papæ I. Clero Mediolanensis Ecclesiæ, [Iudicari à vobis vltrà non debet Prælatus. Sed tantò nunc subtiliter iudicandus est, (dum eligitur) quantò postmodùm iudicandus non est.] Illud etiam Dionysij Areopagitæ ad Demophilum, qui etiam in causa pietatis delinquentem sacerdotem, nefas sancit à minoribus, vel ab inferioribus iudicari. Illud item, quod de Sixto Papa iam retulimus. Illud præterea, quod alibi ex Cyrillo, Synodoque Ephesina exscripsimus, de Ioanne Antiocheno expostulantibus, quòd in maiorem Sedem, nempè secunda in tertiam iudicium arripuisset. Illud quoque in Synodo Chalcedonensi relatum de Dioscoro secundæ Sedis Episcopo, qui in primæ Præsulem Leonem aggressus esset anathema iacula-

culari. Illud item moris ecclesiastici inde scaturientis; [Hodièque in Ecclesia Romana, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, impretermissè id seruatur, vt nullus sacerdos, maiore suo non innuente consacerdote, cuilibet rei benedicere nitatur. Sed & anterior stans ad pronunciandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei qnilibet inferior non audet penitùs benedicere.]

Illud item de Symmacho impetitione, [cùm Theodoricus hæreseos Arianæ fœce pollutus Papam Symmachum vsq; ad damnationem multis hunc accusantibus impetere voluisset, & quotquot potuit ex Liguria, Aemilia, Valeria, & ex diuersis Regionibus, atque de Sicilia Insula Episcopos Romam colligi præcepisset.] Episcopos subdit totum Deo reseruasse, & his verbis singulos subscripsisse: Ego huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsi. Quæ ille omnia eo consilio coaceruat, vt Ignatij CP. depositionem infirmet, in obnoxiorum eius potestati Episcoporum Synodo decretam. De quo rursùs epist. 12. [Quid nequiùs, aut periculosiùs, quàm vt discipuli manus in magistrum iniiciant? Filij viperas imitantes, parentem proprium quantum in ipsis est, interficiant? eique maledicere, à quo benedicti sunt: eum proijcere, à quo ad singulorum graduum honorem prouecti sunt?]

15 At cùm in Nicolaum ipsum Papam Photius CP. anathema, & fulmen stupendum vibrare tentasset, ea de re in Synodo Romana conquestus est successor eius Hadrianus Secundus, vbi & hæc pronunciauit, quæ cum tota Synodo relecta sunt in octaui Concilij Oecumenici sess. septima. [Si quidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus: de eo verò quémquam iudicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum: sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel prauos sensus liberè respuendi. Quamuis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quemlibet fas fuerit proferendi sententiam: nisi eiusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.] Quibus ea subijcit, quæ suprà de Symmacho: item de Ioanne Antiocheno, idcircò damnato, quia Cyrillum anterioris, idest, Alexandrinæ Sedis Antistitem damnare non metuit. His subnectitur Concilij suggestio, in qua hæc habentur: [Dominus dicit, Non est discipulus super magistrum. Præcipit Apostolus, vt omnia secundùm ordinem fiant. Quomodo ergo temeratores isti non sunt facti supra magistrum, quando aduersùs Apostolicam Sedem, quæ cæterarum quoque Sedium magistra est, etiam os iniurias euomens aperuisse probantur? Quomodo secundùm ordinem omnia facta sunt, quandoquidem ordine præpostero, de primo secundi, & de antelato posteriores quique conuicia potiùs, quàm iudicia composuisse narrantur?] Tum Ioannis Antiocheni referunt exemplum, itemque Dioscori, sine restitutione damnati, quod cùm esset posterior, se anteriori prætulit.

16 His octaua ipsa Synodus succinuit, quæ act. 10. Photium damnat, [quia anathematizare præsumpsit beatum Papam Nicolaum, & omnes communicatores eius: ità vt ex hoc etiam vniuersos, qui sub Cęlo erant, Pontifices, & Sacerdotes, idest, & cæteras Patriarchales Sedes, & omnem sacrum cathalogum, qui sub ipsis degit, sub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certissimè communicatores Prælati Pontificis.] Et in epist. encyclica eiusdem synodi: [Præsumpsit synodale imaginari iudicium, &c. deposuit inuerecundè, & anathemati submisit beatum Papam Nicolaum, & omnes illi communicantes: neque summitati eius, neque, quod magis est, Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad finem constat, vllo modo parcens, quæ videlicet illi magno Pontifici proculdubiò communicabat.] Sed nihil magnificentiùs Canone ipso Synodi huius octauæ vigesimo primo. [Sed nec alium quemcumque oportet conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romæ, & verba complicare, & componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod & nuper Photius fecit, & multò ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia, & audacia vsus fuerit, vt secundùm Photium, vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis, iniurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moueat, æqualem & eamdem, quàm illi, condemnationem recipiat. Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia: oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romæ Pontifices.]

Obserua hìc primò: In Oecumenica Synodo legi, ciusque actis acta inseri Synodi Romanæ sub Hadriano, eoque illam confirmari, quæ ad hoc vnum collimabat, vt prima Sedes à nemine iudicari posse intelligeretur.

Secundò: Non posse excommunicari ferè Romanum Pontificem, quin Ecclesia vniuersa, quæ illi, vt capiti suo membrorum compago, communicat, & indiuulsè conglutinatur, eidem pœnæ mancipetur. At nihil sceleftiùs, nihil alieniùs, quàm Ecclesiam Catholicam excommunicari, id est, sui ipsius communione ipsam interdici. Vt excommunicari ergo non potest Ecclesia, quæ communio ipsa est, ità nec communionis centrum. Et in Leone, ac Nicolao patuit, quem exitum habeat excommunicatio aduersùs communionis fontes ipsos vibrata.

Tertiò: Ait Synodus temperare debuisse

bnisse Photium, à bruto fulmine in Nicolaum eiaculando, vt parceret tum Ecclesiæ vniuersæ, tum summitati eius. Est enim Petrus Apostolorum principalissima summitas, vt in eadem Encyclica legitur: tenet Sedem Petri Romanus Præsul, vt in Canone dicitur 21. Ergo propter summitatem, seu quia prima Sedes est, nullius subest iudicio.

Quartò: In Canone isto cùm Patriarchalium quinque Sedium ordo, & priuilegium sanciatur, solius Romanæ Sedis hæc adseritur prærogatiua, vt non à Dioscoro, non à Photio, non à quoquam alio examinari possit.

Quintò: Ibidem, nonnisi in Oecumenica Synodo disceptari finitur ambiguitas quælibet exorta circa primam Sedem, nempè vbi ipsa per Vicarios saltem suos aderit, & præerit, adeòque auctoritatem ipsa aduersùm se dabit. Nequaquam autem cæteris patriarchalibus thronis id condonatur, vt in eos non inquiratur, nisi in Oecumenica Synodo. Præluxerat autem Hadrianus II. vbi monuerat Honorium Papam in sexta Synodo fuisse damnatum, sed tum demùm, cùm eiusdem primæ Sedis Pontificum consensus, & auctoritas præcessisset.

Sextò: Denique in Oecumenica etiam Synodo, si qua nascatur de prima Sede controuersia, [Oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia sciscitari, & solutionem accipere, & proficere, non audacter sententiam proferre contra primam Sedem.] Quod, oro te, quid aliud est, quàm vt prima Sedes purget se, & satisfaciat, non iudicetur: vt factitatum est à Sixto, Symmacho, Pelagio, Leone, Hadriano II.

17 Quòcirca Illustrissimus Petrus de Marca Ecclesiasticæ disciplinæ penetralia omnia altissimè perscrutatus, non immeritò lib. de Concord. pag. 114. consensit Baronio, Ioannis XII. exauctorationem ab Othone Imperatore, & Synodo Romana tentatam ann. 963. cuius acta extant apud Luitprandum, nullius omninò esse momenti. Atque adeò inter dictata Gregorij Papæ VII. hoc circumfertur, quòd à nemine iudicari debeat Romanus Pontifex. Et Petrus Damiani in disput. adu. Reg. & defens. Eccl. Rom. suggillat Synodum Germanorum, quæ Papam damnarat: additque: [Damnatio Papæ tam grauis, & inexplicabilis est, vt non humano, sed diuino dumtaxat sit tractanda iudicio.

18 Denique Iuo Carnutensis Episcopus luculentissimè prorsùs epist. 235. de Paschali Papa, qui in laicorum inuestituras extorto priuilegio consenserat, irâ sermonem, sententiamque temperat. [Eorum sententiam, qui inuestituras laicorum defendere nolunt, schismaticam iudico, &c. Et quia verenda Patris debemus potiùs velare, quàm nudare, familiaribus, & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur Papa, vt se iudicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ grauiter languet, dum caput eius laborat, tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotauerit, non est nostrum iudicare de summo Pontifice. Habemus enim Euangelicam sententiam, quæ securos nos facit, Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, Quæ dicunt, seruate, & facite. Secundùm verò opera eorum nolite facere. Vult enim hæc sententia, præcepta præsidentium ad Cathedram pertinentia, obedienter impleri: etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi: non eos factiosa conspiratione à suis Sedibus remoueri. Si verò ea præcipiant, quæ sint contra doctrinam Euangelicam, vel Apostolicam, ibi non esse eis obediendum exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato, non rectè incedenti ad veritatem Euangelij, in faciem restitit, non tamen eum abiecit. Vbi enim succumbunt humana iudicia, diuina est expetenda misericordia.]

Et epist. 238. idem Iuo, nec non & Vualo Parisiensis, Ioannes Aurelianensis, aliique prouinciæ Senonensis Episcopi ad Ioannem Lugdunensem Archiepiscopum, à quo inuitati fuerant ad Synodum, qua factum Paschalis Papæ discuteretur; rescribunt in eamdem sententiam. [Sic Petrus trinam negationem trina confessione purgauit, & Apostolus mansit. Sic Marcellinus Papa deceptus à prophanis thurificauit; & tamen à fratribus minimè iudicatus, post paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in ætemo moram faciente Moyse in monte propter importabilem populi seditionem, vitulum fusilem fieri permisit, quem populus insipiens adorauit, cùm tamen non esset seductus à populo, vt Dominum esse crederet, vel diuinæ culturæ reuerentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus excessus, & Domino iubente per manum Moysi ad summum sacerdotium est sublimatus. Sic Moyses ipse Dominum offendit, &c.]

Et infrà: [Ad hæc non videtur nobis vtile consilium, ad ea Concilia conuenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel iudicare. Quia nec nostro, nec vllius hominum probantur subiacere iudicio, &c. Excusamus Innocentiam nostram, qua & principales Ecclesiæ claues nolumus poreftate sua priuare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Euangelica veritate discedat.] Callentissimus iuris canonici, nec non, & Gallicanæ disciplinæ Iuo, cum Coepiscopis suis enucleatissimè depromic, quid hac de causa iam olim ab Auito, & à cæteris antecessoribus suis hausissent Gallæ Episcopi, quid in posteros de hoc Romanæ Sedis priuilegio deriuassent. Perop portuna sunt autem, quæ ab eo constipantur exempla: Moysis, qui etsi in Deum peccarit, nullius tamen, quàm Dei iudicium expertus est, nec exeidit sacro principatu: Aaronis, qui in vituli propudium consensit, & nihilò sequiùs sacerdotio inauguratus est: Petri, quem Paulus increpuit,

puit, non abiecit: Scribarum & Pharisæorum, quos Christus docentes audiri, peccantes contemni iussit, Cathedra eijci vetuit. Diuino denique, humanoque iure cautum insinuant, vt de superioribus ne inuadant inferiores auctoritatem iudicandi; adeóque nemo iudicet de Sede Petri, [quæ principales habet Ecclesiæ claues.]

19 Sed illustriori testimonio non potest Ecclesiæ Gallicanæ in hoc negotio sensus constantissimus declarari, quàm iudicio Comitiorũ Bituricensium sub Carolo VII. Francorum Rege. Etsi enim decreta cætera Basileensis Concilij ferè amplexi essent Galli, exauctorationi tamen Eugenij Papæ non vmquam consensere: & hac velut ambigua responsione Basileensem Synodum non tam mitigarunt, quàm eluserunt. [Nempè apud viros graues dubitari, num illa depositio, & subsequens electio sint ritè, iustè, & canonicè, & legitimè celebratæ. Et an congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsentauerit Ecclesiam vniuersalem, ad tam arduos actus exercendos. Ideò Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseuerat, & manet in obedientia Domini Eugenij, in qua nunc stat.]

Adde quæ narrat Bertoldus in Appen. ad Hermannum ad annum 1085. de Synodo Quintilineburgensi aduersùs Henricum à Pontifice excommunicatum habita: [Quidam Babembergensis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum ascripsisse, non aliundè concessum hæreditasse, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio subiaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico conuictus est, per illud Euangelicum, Non est discipulus supra Magistrum. Cùm enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis ordinibus obseruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur: quis hoc Vicario sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino, & Magistro venerantur?]

Adde & ista ex Philippi de Imperio cum Otthone certantis epistola ad Innocentium Papam III. scripta apud Rainaldum ann. 1206. num. 16. [Si nos in aliquo vos, vel Romanam Ecclesiam offendisse videmur, nos pro honore Domini nostri Iesu Christi, cuius vicem in terris geritis, & ob reuerentiam beati Petri Principis Apostolorum, cuius Vicarius estis, & ob salutem nostram, nos ad satisfaciendum vobis supponimus. Si verò vos in aliquo nos, vel imperium læsisse videmini, conscientiæ vestræ super ijs vos relinquimus. Cùm enim nos piè credamus, & ante passionem, & post passionem D. N. Iesum Christum B. Petro claues regni cælorum contulisse, & tradidisse ius ligandi, atque soluendi; scimus, & protestamur, quòd vos, qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandus, sed iudiciũ vestrum soli Deo reseruatur, cuius iudicium, & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus vsurpare.] Ex his abundè claret Francorum in Germania consensus.

20 Qui ergo aduersùs ista cristas erigere posteriores conati sunt scholæ doctores, illi à constantissima, & ab ipsis vsque incunabulis coalita Ecclesiæ Gallicanæ doctrina, & pronissima in Sedem Apostolicam reuerentia, immane quantùm deuiarunt. Danda tamen venia est, si antiquitatis incuriosiores, vt ea ferebat ætas, & diutini inter binos, ternosque Pontifices schismatis tedio affecti, nec pacem Ecclesiæ, nisi à Concilij suprà Pontifices auctoritate, & iudicio decretorio efflorescere posse persuasi, in has Apostolico priuilegio infestas eiecti potiùs, quàm appulsi sunt opinationes. Et quidem, cùm inter duos aliquos, aut plures de Pontificatu altercantes dubia nutat Ecclesia, consentaneum est, vt Synodico ipsa iudicio istis sese expediat ambagibus; & non de Apostolica, ac prima Sede, sed de eius inuasoribus sententiam ferat. Quod tunc autem extundit necessitas, non debet licentiosiùs effundi.

Sed ea de re copiosiùs alibi, vbi nempè in Concilio Constantiensi commentando euincemus, illos ipsos, qui synodico iudicio Pontifices substernere enixi sunt, etsi quandoque contentionis æstu longiùs sint abrepti, in has tamen se tandem recepisse priscæ modestiæ lineas, vt schismatis tempore tantùm cogerentur, dubij nimirùm Pontifices Concilij iudicium experiri.

21 Prætereà autem in causa hæreseos publicè professæ, posse de Pontifice ferri iudicium, in confesso est apud omnes Catholicos doctores.

Id paulò suprà confessus est Hadrianus Papa in Romana Synodo, vbi agnoscit iure ab Orientalibus anathema dictum esse Honorio Papæ, quia [fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi: vel prauos sensus liberè respuendi.]

Id confessus est, & Iuo suprà: [Principales Ecclesiæ claues nolumus potestate sua priuare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Euangelica veritate discedat.]

Id confessus ante istos est Bonifacius martyr, ex cuius dictis hæc refert Gratianus d. 40. [Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, &c. innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nemo, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus: nisi deprehendatur à fide deuius.]

22 Spontanea tamen purgatione teneri Pontifices amoliri suspiciones, calumniasque sibi impactas, superioribus exemplis abundè patefactum est. Vbi illud obseruatum, non populum, non clerum, non Epi-

sco-

scopos Ecclesiæ Catholicæ hanc necessitatem infixisse primæ Sedis Præsulibus, sed ipsos sua sponte occupasse, & Synodi, populique conuentum, vel postulasse priores, vel indixisse, vt infamiam temerè sibi aspersam eluerent.

Ità Marcellinus Synodum Sinuessanam congregauit.

Sixtus & postulauit Senatum colligi, & Synodum ipse conuocauit.

Symmachus, vt coiret Concilium, assensus est Theodorico, & illi in seipsum auctoritatem dedit.

Pelagius, & Hadrianus vltrò ipsi sese purgare præuerterunt. Leo Gallos, Romanosque ad suæ purgationis pompam frequentissimos collegit.

23 Si ignominiam porrò non sibi tantùm, sed vniuersæ Ecclesiæ affricatam contraheret, aut aspernaretur Pontifex expiare canonica purgatione: enimuerò tunc moneri ipsum, & ad id impelli posse indubium est.

Ità innuit Synodus 8. can. 21. suprà laudato, vbi traditur in exorta de Romano Pontifice controuersia, oportere, sciscitari, & solutionem accipere.]

Ità Sixtus, Pelagius, Hadrianus ad sese purgandos quodammodo compulsi sunt, Imperatorum, Nobilium, Vulgi secessione, & eorum communionis detrectatione.

Ità Iuo superiùs epist. 235. [Familiaribus, & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur Papa, vt se indicet, aut factum suum retractet.]

Ità Petrus Damiani Gregorij Magni vestigijs insistens, in tractatu, quem de Correptione Episcopi, & Papæ inscripsit: Petri exemplo rem conficit: [Si igitur iste cum à discipulis culparetur, auctoritatem, quam in sancta sortitus fuerat Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, vt Pastorem suum oues, quæ sibi commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium potestatis suę titulum obiecisset, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos Priuilegij sui auctoritate repressit, sed humili potiùs satisfactione placauit. Et tamquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit, Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.]

24 Quibus & ista addes si voles ex Gersone, paulò austeriora, & ad superiorum ingenium humaniùs emollienda. [Iudaizabat olim Petrus per dissimulationem, & Paulus ei restitit in faciem. Introducebat Petrus rem nouam in Ecclesia Dei, cum ad Centurionem gentilem intrauit. Subortum est murmur in Ecclesia, ità vt compulsus sit Petrus doctrinam insequi, quam tradidit scriptis, vt scilicet paratus esset coram tota Ecclesia rationem reddere de ea, quæ in ipso erat, fide & spe, alioqui non sibi credidisset Ecclesia. Quantò fortiùs, & rationabiliùs possunt duo contendentes diffamati apud bonos, & graues de schismate, de periurio, de hæresis suspicione, compelli rationem reddere, si se cognouerint innocentes. Sic Symmachus, sic beatus Marcellinus, sic ipse Gregorius, sic alij plures iudicium subiere Concilij, nequaquam ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito, & obligatione. Quorum multos, quia Concilium non reperit conuictos de crimine, reliquit causam eorum, examine iudicis Dei terminandam.]

Primò: Aduerte exasperatum fuisse Gersonis animum, calamumque absurditate suorum temporum, & dubiorum Pontificum, schismatisque pertinacis importunitate; atque ideò plurimùm degenerasse illum à clementia, & reuerentia tot congestis suprà testimonijs adprobata Damiani, Iuonis, Præsulumque omnium Senonensis Prouinciæ: Antistitum Gallicanorum, qui cum Leone, & Carolo affuere Romanæ Synodo: Auiti, & Episcoporum ea ætate Gallicanam Ecclesiam administrantium. Antiquitas ergo horum, & diuturnitas, & numerus anteponi sanè debet nouitati, & paucitati, per abrupta molienti sese extricare à schismate implicatissimo.

Secundò: Gersonem de ea specie verba facere, cùm duo contendentes diffamati prætereà sunt de schismate & hæresi.

Tertiò: Debitum, & obligationem sese purgandi proficisci posse, non tantùm ex iuris, & Canonum regulis, sed ex humilitatis, & charitatis legibus, quibus sine piaculo obluctari nemo potest.

Quartò: Reseruatos esse diuino iudicio eos Pontifices, quos Synodus de crimine non potuerat conuincere, nimirùm quia, vt suprà demonstratum, auctoritatem ipsimet in seipsos Synodo permiserant.

25 Adde his si voles Cusanum, qui lib. 2. Concord. cap. 20. circa finem: [Hodie autem quia vniuersalis Ecclesia, eheu, ad solum Patriarchatum Romanum redacta est, & quod quondam Patriarchale generale tantùm, & subiectum Romano Pontifici fuit Concilium, hodie est vniuersale, vniuersam Ecclesiam repræsentans: hinc, cùm hoc nouum sit, dubitatio exorta est. Quare hoc sacrum Concilium absque passione cum summa mansuetudine se habere debet in ordine ad Romanum Pontificem: non se ex priuilegio vniuersalis Concilij in tantum erigat, de quo potiùs dolendum esset, quod obliuiscatur subiectionis patriarchalis, in qua semper fuit, secundùm quam in Papam fidelem nihil posset.] Præclarè hìc multa, non omnia.

Nam si Concilium Patriarchale in Patriarcham fidelem nihil potest, perindè nihil poterit in Præsidem suum Synodus Oecumenica. Ecquid enim causæ erit, quamobrem, nec Episcopus, nec Metropolita, nec Primas, nec Patriarcha fidelis deponi possit, nisi in Synodo superiore, & à maiore iudice: nec idem priuilegij competat primæ Sedi?

26 Antedicta omnia egregiè illuminabit Gregorius Magnus epist. 39. lib. 9. ab exemplo Petri: [Certè Petrus potestatem regni cælestis acceperat: vt quæque in terra ligaret,

ret,

ret, &c. Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium Gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est, &c. Et tamen idem Apostolorum primus querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit: causam per ordinem exposuit, &c. Si enim cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset; respondere poterat, vt Pastorem suum oues, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium, aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset.] Audis querelam, non accusationem in Petrum.

Audis potestate cælitus concessa, à subeundo ouium iudicio pastorem immunem.

Audis mansuetudine inclinari potestatem: nec impleri numeros officij, nisi impleantur & humilitatis.



DISSERTATIO XVI.

In Synodos Constantinopolitanam, & Romanam Anno Christi 518. 520.

SYNOPSIS.

Romanum Pontificem communionis Catholicæ cardinem esse probatur ex his Synodis, & toto schismate Acaciano. Ex epistolis Romanorum Pontificum, Orientalium Episcoporum, & Archimandritarum, vsque ad num. 11. Ex gestis Constatinopoli in reconciliatione Græcorum, ex epistolis Iustini, & Iustiniani, num. 12. 13. 14. Consensus Ecclesiæ Gallicanæ, Hispanicæ, Africanæ cum Romana in negotio isto schismatis Acaciani, vsque ad num. 19. Alia ad idem argumenta ex legibus Principum 20. 21. Eadem Romanæ communionis necessitas ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Prospero, Optato, Gregorio, Alcuino, Ratramno, Hincmaro, Lanfranco, vsque ad num. 27. Argumenta alia ex Nicolao de Cusa. 28. De Meletio Antiocheno Episcopo, circa quem magis tricantur aduersarij, inquiritur operosiùs, & conglobatim quanti Orientales semper fecerint Romanæ Ecclesiæ communionem ex Synodis œcumenicis, ex Irenæo, Cyrillo, &c. vsque ad num. 33.


VSQVAM alibi tempestiuiùs ea ventilabitur quæstio percelebris, de Catholicę communionis cardine, & centro, in Ecclesię Romanę Pontifice collocando. Cùm enim Acacio, & superstiti, & extincto, post Romanæ arcis fulmina in eum vibrata, & Imperator, & Oriens penè vniuersus communicare non destitisset, sesque adeò eodem, quo ille, contaminasset Eutychianæ non hæreseos, sed communionis contagio: intemeratæ Catholicæ communionis custos vnus, & inexpugnabilis defensor fuit Romanus Pontifex; ad quem adeò reliquæ omnes Ecclesiæ recolligere se tandem compulsæ sunt; & à pestiferi schismatis baratro ad eum, velut ad inuictissimum ecclesiasticę vnitatis, & intaminatæ communionis verticem se reuocare.

2 Id efficiemus primùm ex literis Gelasij, qui Eupheonio Constantinopolitano Episcopo Catholicę fidei vindici acerrimo, sed Acacij memoriæ communicatori, condescensione quadam iactanti tolerandam Acacij memoriam, ne pax Ecclesiæ scinderetur, ità rescribit epist. 1. [Condescensibilem me, & optima dispositione reuocare posse concordiam consequenter adnectis. Optima illa est Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ dispositio, ad meliora proficiendo conscendere, non ad inferiora descendendo deficere. Cùm dicis condescendere nos debere vobiscum, interim iam vos, aut descendere, aut descendisse monstraris. Vndè à Catholica, Apostolicaque communioni ad hæreticam, damnatamque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: & non solùm vos in infimis iacere delectat, sed etiam in superiore manentes Sede vultis impelli. Et infrà: Hoc non est condescendere ad subueniendum, sed euidenter ad inferna demergi, &c. in hæc abrupta deduci nec possumus, nec debemus, qui præstante Deo nostro sinceram, puramque paternæ traditionis fidem, communionemque retinere, & ab omni præuaricatorum contagione discretam, etiam intentato periculo mortis, optamus; eligentes, si Deus velit, quælibet alia perpeti, quàm causas incidere damnationis æternæ, &c. Sed Acacius, inquis, nihil contrà fidem, &c. Quasi non sit deterius, & non ignorasse veritatem, & tamen communicasse veritatis inimicis.]

Quòd denique causaretur, Acacij nomine abolito, tumultuaturas plebes Euphemius: [Quisnam hoc in Ecclesia Dei possit audire? Cùm vtique pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria reuocantem, non per deuia gregem pastor errantem. Dic mihi, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Certè si vobis hoc placet, multò magis nobis est causa iustior, qui populum Romanum à fide illa sua, laudabili maiorum traditione percepta declinare non sinentem, nos penitùs libenter audiuimus: si vos Constantinopolitanam plebem ab hęretica communione discedere recusantem non vultis offendere.]

Vides hic, primò, in vna Romana, & Occidentali consequenter Ecclesia Catho-

tho-

tholicam communionem superfuisse illibatam.

Secundò: Eius cardinem, eius arbitrum fuisse Romanum Pontificem.

Tertiò: Condescensionem ab alijs Ecclesijs vendidatam, ab illo vno exufflari.

Quartò: Salutis æternæ iacturam incurrisse, qui à Catholica Romanæ Ecclesiæ communione secedebant.

3 Episcopi autem Dardaniæ in suo ad Gelasium rescripto, [Saluberrima Apostolatus vestri præcepta, qua oportuit deuotione suscepimus, &c. beatissime Pater Patrum. Desiderij enim, & voti nostri est, iussionibus vestris in omnibus obedire, &c. Eutychetis, & Petri, Acacijque, & omnium sectatorum eius, atque consortium, velut quædam pestifera contagia, ante vestram quoque vitauimus iussionem, & multò magis nunc post admonitionem Sedis Apostolicæ, &c. Et si qui fortè praua intentione, quod neque arbitramur, neque optamus, à Sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inuiolabilia sacrosanctorum Canonum instituta sectantes, Apostolicæ, & singulari illi sedi vestræ, communi fide, & deuotione parere contendimus.]

Non in fidei ergo tantùm, sed communionis etiam disceptatione; iussionibus Sedis Apostolicæ pareant omnes Episcopi, necessum est.

Secundò. Apostolicæ, & singulari illi Sedi] parere iubent Patrum, Canonumq; instituta.

Tertiò. Refugienda eorum omnium communio, qui se [ab Apostolica Sede crediderint segregandos.] Vertex ergo, & moderator Catholicæ communionis est vnus præ cæteris Romanis Præsul.

Vndè ad eosdem Gelasius ep. 3. Quia errorem quidem fatentur, sed ea sibi putant communionem Catholicam conditione laxandam, vt nomina eorum, qui præuaricati sunt, illis in Ecclesia recitare sit licitum, &c. dilectionem vestram non destitimus admonere, vt tales modis omnibus excludantur: vobisque cum Sede beati Apostoli Petri, sicut à Patribus nostris est tradita illibata communio, atque ex omni parte inconcussa perduret.] Fons ergo in omnem orbem illibatę communionis, & ex omni parte inconcussæ Sedes est Petri.

4 Idem Gelasius epist. 4. [Si quod nunc prætendunt, à Romana Ecclesia se sunt diuisurl, id iamdudùm fecisse monstrantur. Quippè vbi primùm defecere ad hæreticam communionem, illicò, & eadem opera defecere à communione Catholica, atque adeò ab eius defensatrice Romana Ecclesia. Et infrà: [Ineptias suas sibi seruent, nisi resipiscant potiùs, cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni beati Apostoli Petri inferni portas nunquam præualituras asseruit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resoluatur, quàm & vox Christi, & maiorum traditio, & Canonum fulsit auctoritas, vt totam potiùs Ecclesiam ipsa dijudicet.]

Interminabatur Oriens secessionem ab Ecclesia Romana vniuersalem, atque adeò sententiæ in Acacium latæ vacuationem. Ridet cassos impetus inconcussa Pontificis fiducia, freti voce Christi, Petro principatum, & victoriam fidei olim pollicitì.

5 Non ergo causæ soli victoriam, sed & Sedis suæ priuilegio vendicat Gelasius. Vtrinque ergo inuicta ea Sedes est, & quòd fidei, communionisque Catholicæ inuictissimam causam tueatur: & quòd ipsa Petri Sedes sit, cui victoriam de portis Inferi Christus despondit. Concatenata hæc sibi inuicem sunt, & indiuulsis nexibus cohærentia, causæ æquitas, & Sedis inuicta auctoritas. Nec enim Christus inuictam illi Sedi tribuerit virtutem, quæ errori, & perfidiæ seruire posset. Nec fidem idem suam, quam inexpugnabilem esse decreuerat, nisi inexpugnabili defensori potuit committere. Itaque insuperabiles hæ geminæ arces, præsidio sibi sunt vicissim, & inaniter, infulsissimeq; à Nouatoribus colliduntur. Vincit enim veritas, quia vltrò inuicta est, & quia inuicto vtitur defensore. Vincit inuictissimè Prima Sedes, & quia ipsi desponsa victoria est, & quia causam tuetur inuictam.

Idem Gelasius ep. 8. ad Anastas. Imp. [Et si cunctis generaliter Sacerdotibus rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit corda submitti: quantò potiùs Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit, numquam quolibet penitùs humano consilio eleuare se quemquā posse illius priuilegio, vel confessioni, quem Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet Primatem. Imperi possunt humanis præsumptionibus, quę diuino sunt constituta iudicio, vinci autem quorumlibet potestate non possunt.]

Non solam, vt vides, causæ æquitatem, sed eius defensatricis Sedis Apostolicæ firmamentum, etiam Christi promissione suffultum, prætendit. Et ibidem infrà: Hoc est, quod Sedes Apostolica magnoperè cauet, vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsùs contagione maculetur. Nam si, quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proueniret, vndè cuiquam resistere auderemus errori? vel vndè correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua vnius ciuitatis populum negat posse pace componi: quid nos de totius orbis terrarum sumus vniuersitate facturi, si quod absit, nostra fuerit præuaricatione deceptus?]

Si in Apostolica ergo Sede fidei, & communionis fax extingueretur, non esset vndè rursùm accendi posset, atque adeò toto ex orbe euanesceret. Ideò, vt fieri istud

istud posteriùs non potest, ità nec illud prius, ex quo istud nascebatur. Itaque,& inuicta regnat veritas, & inuictissimo incumbit, inspiratque diuinam suam vim propugnatori. Refellit mox susurros Orientalium Episcoporum, non ista ad eos scripta à Sede Apostolica fuisse, superbam illam esse, & arrogantem.

Etenim per Acacium rescriptum esse omnibus: Apostolicæ verò Sedis auctoritas, quòd cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit vniuersæ, & Canonum serie paternorum, & multiplici traditione firmatur, &c. Habet hoc qualitas sæpè languentium, vt ipsi accusent magis medicos, &c. Si nos superbi sumus, quia animarum remedia conuenientia ministramus: quid vocandi sunt, qui resultant?]

Itaque, & æquitati causæ, & primæ Sedis auctoritati infractæ victoriam adrogari, & Gelasius profitebatur, & aduersarij ipsi, etsi retinerentur, sentiebant.

6 Exprimi idem poterat ex epistola 1. Felicis III. ad Zenonem Imp. [Quoniam adhortationem meam duxistis onerosam, in vestro relinquo deliberationis arbitrio, vtrum beati Apostoli Petri, an Alexandrini Petri cuiquam sit eligenda communio. Vbi non causam causæ, sed personam personæ, & Sedem Sedi in negotio communionis præponit.

Et epist.4.ad eundem, de recens creato Constantinopoli Episcopo: [Eum ipsum, de cuius Pontificio gloriamini, dum ad beati Petri Apostoli Sedem suæ refert dignitatis exordium, iam suæ dedisse gaudeo moderationis iudicium, &c. Et qui in sacerdotij perhibetur prouectus officium, optat indè fulciri, vndè Christo cupiente profluit cunctorum gratia plena Pontificum. Cuius etiam literarum me resouet intentio, qua & summum Apostolorum beatum Petrum Petram fidei esse non tacuit, & idem mysteriorum claues traditas fuisse cælestium prudenter struxit; vtque nobiscum circa orthodoxam fidem consentientem haberet assensum, quò ampliùs vnanimis redderetur, expetijt.

Ambiebat ergo Episcopus, ambiebat Imperator Constantinopolitanus communionem Apostolicæ Sedis, quòd ea Sedes esset Petri, vndè inbente Christo manat Episcopatus exordium. Neuter impetrabat, nisi Acacij, & Petri Alex. nomina delerentur. Eadem Felix inculcat Epist.5. ad Flauitam ipsum Episc. CP. illud ingeminans, non esse præferendam Beati Apostoli Petri consortio Alexandrini Petri societatem.

Et Epist. 6. ad Thalassium Archimandr. CP. [Sicut per professionem Catholicam Sedis Apostolicæ formam secutus es, vt te à damnata communione suspenderes; ità Beati Petri sequi debes exemplum, vt quando eius auctoritate fuerit relata communio, tunc eis etiam eum noueris miscendum esse consortium, &c. Expectet ergo dilectio tua Sedis Apostolicæ iussionem; & sic Ecclesiæ Constantinopolitanæ sacra se communione coniungat, si in participatione Beati Petri, & Catholicæ veritatis desiderat permanere.] Igitur vbique Apostolica, vbique Petri Sedes ostentatur, vt regula inextrabilis fidei, & communionis Catholicæ. 2. Id ipsos malè habebat Episcopos, & Principes nouæ Romæ, quòd Sedis Apostolicæ communione carerent, & si conscij sibi satis superque essent fidei orthodoxæ: ideò communionem illam vel eblandiri, vel extorquere omni ope moliebantur. 3. Vel Ciues ipsi, & Monachi Constantinopolitani, non tam de Episcopi sui, quàm de Romani Pontificis communione satagere debebant, & præ hac illam contemnere. 4. Et in hoc Ecclesiarum dissidio, cùm Romana summum iustis rigorem sectaretur, Orientales aliter iura interpretarentur, vel dispensatiune vtendum censerent; non Synodus œcumenica, sed Sedes ipsa Romana inconcussæ auctoritatis pondere rem confecit, & cæteras omnes ad se tandem reuocauit Ecclesias.

7 Et rursùm Gelasius: [Qua ratione maiores nostri reuerendi illi Ecclesiarum Magistri, clarissimaque illa Populi Christiani lumina, quos merita virtutum suarum, vsque ad confessionis gloriosissimas palmas, & martyrij fulgentes extolere coronas, ad illam Sedem, quam Princeps Apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotij sumpta principia repleti Christi charitate mittebant, suæ indè soliditatis grauissima firmitatis roboramenta poscentes. Vt per hanc speciem omnibus appareat, verè vnã esse per omnia, & indissolubilem Christi Ecclesiam. [En vt ad Petri Sedem religet, religatamque semper fuisse ostendat Catholicæ communionis veritatem: suffragante ipso martyrum sanguine.

Cùm autem Orientalium aliqui cauillatoria exceptione abuterentur, non innotuisse sibi, quid Sedes Apostolica de Acacio, Petroque decreuisset, ità illis obstruit os: [Ecce tanti Catholici Sacerdotes in hoc ipso se indicant, quid Apostolica Sedes censuerit cognouisse, constanterque probasse retinendum, quòd communionem Catholicam reseruantes, & eos, qui Apostolicæ Sedi communicarent, elegere consortes: & illos, quibus Sedes Apostolica decreuerat minimè communicare, vsque ad persecutionis incursus, renuere consortes. Certè quæ Sedes Apostolica decreuerat, Orientalibus Episcopis non innotuisse iactatur. Vndè ergo tot, tantique Pontifices nonm, idemque cum Sede Apostolica sentientes, eamque probantes apta religioni sacrosanctæ, veraque sanxisse, quæ non solùm sequenda sibi iudicauerunt, sed etiam vsque ad persecutionem viriliter exerenda?] Non pauci ergo ex Orientalibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ communioni indiuiduè inhæserant, nec ab ea, vel persecutionem sæuitia, potuerant diuelli.

8 Veniamus ad Symmachum, eiusque Epist. 7. ad Anastasium Imp. missam, infractæque eiusdem constantiæ testem: [Dicis, quòd mecum conspirante Senatu, excommunicauerim te, &c. Nos non te excommunicauimus, Imperator, sed Acacium.

cium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miscere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Si te miſces,non à nobis, ſed à teipso excommunicatus es.]

Itàque ſentiebat ipſemet Anaſtaſius, excõmnicationem illam veram eſſe, quòd Romanæ Eccleſiæ communio ei, cæteriſq; Acacij communicatoribus denegabatur. [Tum queritur quod militari manu eos, qui ſe à contagione perfidorum multis temporibus abſtinere delegerint, in prævaricatę communionis conſortia deteſtanda compelleret: quòdque in illis regionibus cunctæ prorsùs hæreſes opiniones ſuas habeant publicè licentiam profitendi: ſola Catholicæ communionis libertas putetur ab ijs, qui ſe religioſos exiſtimant ſubruenda.

Itàque ſanguis etiam impendebatur Catholicæ communioni tuendæ, quam Romana Sedes profitebatur. Denique vt centro communionis Catholicæ ſe conſentire teſtarentur: [Omnes Catholici Principes, ſiue cùm imperij gubernacula ſuſceperunt, ſiue cùm Apoſtolicæ Sedi nouos agnouerunt Præſules inſtitutos, ad eam ſua protinùs ſcripta miſerunt, vt ſe docerent eius eſſe conſortes.] Scribitur & Epiſtola 8. eiuſdem Symmachi ad Epiſcopos Confeſſores Orientis, nempè pro Apoſtolica communione certantes.

Et Epiſt.9.ad Orient. [Si quis ſalutem propriam cogitans, ſeruare cupit Apoſtolica iudicia, cùm à Præfatorum ſe labe ſeiunxerit, noſtræ communioni ſe nouerit ſine dubitatione participem. Quia ſi ab eorum, quos Apoſtolica Sedes damnauit, non ſe ſocietate remouerit, ſciat nullo colore, nullo figmento, nullaque calliditate eccleſiaſticæ ſe cuſtodiæ poſſe ſubrepere.

9 Sed huic contexta Orientalium ad Symmachum Epiſtola, euidentiſſimè prodet, quanto in ſalutis exitio, quanta in ſchiſmatis ruina ſe iacere intelligerent, quandiù à Romanæ communionis beneficio alienati erant: [Hęc diximus, ſanctiſſime, auſi ſupplicare, non pro perditione vnius ouis, neque pro perditione vnius drachmæ, ſed pro amica nobis ſalute, non Orientalium partium tantùm, ſed trium propè plagarum habitabilis mundi, redemptarum pretioſo ſanguine agni Dei, ſicut docuit Beatus glorioſiorum Apoſtolorum Princeps, cuius Cathedram beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus Paſtor; quem imitatus feſtina ad adiuuandum nos, &c. Quia non in ligando tantùm poteſtas eſt tibi data, ſed in ſoluendo quoque diù vinctos ad imitationem magiſtri, &c. Ne maiori triſtitia abſorptis nobis à Satana videamini pertuliſſe diſpẽdiũ. Non enim ignoratis eius ingenium, qui quotidie à ſacro doctore tuo Petro doceris oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere, non vi, ſed ſponte coactas: qui cum Paulo clamas nobis ſubiectis, & dicis: Non enim dominamur vobis in fide, ſed cooperamur in gaudio.

Et ſtatim ibidem: [Quare deprecamur diſrumpi nouum chirographum noſtrum, ſicut Chriſtus vetus illud in cruce diſrupit, &c. Si vnus homo peccauit,quare toti Synagogæ, aut magis toti habitabili mundo, per anathema diuinus furor incũbit? &c. Quare nos à vobis æſtimamur hæretici, & in anathemate ſumus nos, qui amplectimur illam Epiſtolam Leonis, & Synodum Chalced. &c. Per illum,qui cunctam iudicat terram,ne perdas iuſtum cum impio,nec æqualiter iudicentur à te orthodoxi, & hæretici.]

Teſtantur mox aliquos ſtatuiſſe ab Acaciana communione ſecedere, & in exilia potiùs proficiſci, ſed ne Eccleſiæ confeſtim ſuæ hæreticis proderentur, ſubſtitiſſe, & diſſimulare. [Omninò autem & qui videntur communicare orthodoxi, & qui ſe à communione abſtinent, omnes poſt Deum tuę lumen viſitationis,& aſſumptionis operimur. Quare feſtina iuuare Orientem, ex quo vobis duo grandia dici lumina Petrum, & Paulum ad illuminationem totius mundi Saluator direxit.]

Denique ità deploratiſſimum Eccleſię ſuæ morbum dolenti [Non eſt vlcus, aut macula, neque plaga tumens, ſed totum vlcus eſt à pedibus, vſque ad caput,&c.Vos iàm boni medici, feſtinate ad curam reſolutorum Eccleſiaſtici corporis membrorum.

Agnoſcunt Orientales ſe dito anathemate implicatos, non alio, quàm quòd exortes eſſent communionis Apoſtolicæ Sedis.

Secundò: In vniuerſum Orbem poſſe Pontificem primæ Sedis iactare hæc anathematum iacula, vel reuncare.

Tertiò:Hanc poteſtatis amplitudinem à Petri primatu, & ſucceſſione efflorеſcere.

Quartò: Deſperatiſſimæ Orientis Eccleſiæ mederi vnum poſſe Apoſtolicum Præſulem.

Quintò: Non Synodum flagitant,non de æquitate ſententiæ eius, non de poteſtate ambigunt, ſed indulgentiæ, & veniæ pluſculum eblandiri laborant.

10 Iàm Hormiſda Pontificales Infulas indepto, nihil intentatum reliquit Anaſtaſius Imperator, & cum eo Oriens vniuerſus, vt ab eo pacem ſuis Eccleſijs exprimeret, interpoſita etiam Romani Senatus auctoritate. Suis in Orientem Legatis Pontifex mandauit, ne ſactam, ne ciuilem etiam cum Græcis menſam communicarent, antè eraſa infauſta nomina. Ad eundem Archimandritæ, & Monachi penè innumeri ſecundæ Syriæ ab hæreticis,diuexati, reſcribunt in hunc modum: [Quoniam Chriſtus Deus noſter Principem Paſtorum, & Doctorem, & Medicum animarum conſtituit vos,&c. deprecamur candoleatis iſtè pro corpore laniato, nam Caput eſtis omnium, & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, &c. Imitatores eſtote Domini, qui de Cœlo ſuper terram aduenit quærere ouem errantem, Petrum illum Principem Apoſtolorum, cuius Sedem ornatis: & Paulum, qui eſt Vas electionis, qui circumeuntes Orbem terrarum

rum illuminauerunt, &c. Mercenarij Pastores, videntes lupos aduenientes, dimittunt oues dissipari. Vobis autem veris Pastoribus, & Doctoribus, quibus cura pro salute ouium commissa est, occurrit ipse grex cognoscere suum Pastorem, &c. Anathematizamus omnes proiectos, & excommunicatos à vestra Apostolica Sede: Nestorium, &c. Eutychen, Dioscorum, &c. nihilominùs, & Acacium eorum communicatorem, & omnes, qui vnum illorum hæreticorum defendunt.] Nihil magnificentiùs excogitari potuit, vt Caput, & Pastor vniuersæ per Orbem Ecclesiæ significetur esse Romanæ Ecclesiæ Antistes, vertesque fidei, & Ecclesiasticæ cardo vnitaris.

11 Evecto autem postea ad Imperium Iustino Catholico Principe, haud mora, Orientales Episcopi, & in primis Ioannes Constantinopolitanus ad pacem ab Hormisda impetrandam erupere. Ioannes quidem ad Hormisdam scribit: post Epist. 28. [Scribere igitur, Apostolicæ, & rescripta suscipere dignemini, &c. Tuam sanctitatem, & orthodoxas Ecclesias animo amplector, vnà tecum in veritate sentiens, & vnà tecum sperans, &c. Quoniam pacem vestram amplectimur, & de vnitate Sanctarum Dei Ecclesiarum curamus, rogamus vos pacificos viros destinare, & vestræ dignos Apostolicæ Sedis, qui debeant satisfacere, & satisfactionem nostram suscipere. Rescribit inter alia Pontifex: Epist. 29. [Quid restat, nisi vt Sedis Apostolicæ, cuius fidem te dicis amplecti, sequaris etiā sine trepidatione iudicia.]

Et mox: [Libellum, cuius continentia subter annexa est, à charitate tua subscriptum ad nos dirige, vt sine conscientiæ formidine vnam communionem habere possimus.] Eadem Legatis mandauit in commonitorio; vt nemini communicent, nisi Acacio damnato: post Epist. 31. eorum autem Episcoporum Regiæ Vrbis, qui ob defensionem Chalcedonensis Synodi exilio deportati sunt, saltem abrasis nominibus de diptychis. Quid præstitum sit, declarat Ioannes ipse Episcopus Constantinopolitanus in suo ad Hormisdam inscripto libello: [Vnà tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos, renuo & ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, idest, superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio, illam Sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam esse definio.

Tum Synodos amplectitur, damnatos damnat, subiungitque: [Quia non potest prætermitti Domini sententia dicentis, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio.]

Et infrà: [Quapropter sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicans omnia, quæ ab ipsa decreta sunt: proptereà spero in vna communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum; in qua est integra Christianæ religionis, & perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.]

Vides suæ dignitatis retinentissimum Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, primæ tamen Sedis auctoritate fractum succubere, & eius iussis obtemperare.

Secundò, libello fidei, & communionis Catholicæ, quem prima Sedes dictauerat, subscribere diu renisum Orientem, & iugum subire.

Tertiò, profiteri Orientales non dogmata tantùm, sed iudicia Sedis Apostolicæ incontanter sibi subeunda, & in ea Sede centrum, regulamque, & fidei, & communionis residere.

Quartò, in Apostolica Sede inuiolabilem semper custodiri Catholicam religionem, perfectamque eius soliditatem.

Quintò, id priuilegij efflorescere ex eo Christi ad Petrum verbo: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Sextò, à communione Ecclesiæ Catholicæ alienos esse, qui non consentiunt in omnibus Sedi Apostolicæ. De causis enim quibuslibet infinitæ quędam, & feri, & protrahi poterant lites. Paci ergo firmandæ necessum fuit, fidei, & communionis amussim vni alicui eminentissimæ Sedi alligari, & omnium maximè conspicuæ.

12 Et cursùs in suggestione Germani, & Ioannis Episcoporum, aliorumque Hormisdæ in Orientem Legatorum: [Quis explicet, quas voces, vel in laudem Principis, vel in Sedis vestræ totius populi cœtus, & Cleri sauoe emisit?] Erasa narrantur nomina Acacij, & sequacium eius, Anastasij item, & Zenonis, vt cunctis in Apostolicam partibus communionem, fidemque conuenientibus perfectè, sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia.]

Et mox in suggestione Dioscori: [Episcopus Constantinopolitanus in Palatio consuscepit à nobis libellum, & in primis quasi tentauit epistolam potiùs facere, quàm libellum. Sed non post multa certamina hoc conuenit, prœemissi modicum facere, & subiungere mox libellum, quēadmodum vestra beatitudo dictauit. Subscriptio ab eodem facta est libello conueniens, &c. Episcopi diuersarum ciuitatum, quanti inuenti sunt, libellum similiter obtulerunt, &c. Pari modo, & omnes Archimandritæ fecerunt. Apud quos Archimandritas, & certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis, sufficit, quia Archiepiscopus noster fecit, nos factū eius sequimur. Quid amplius? Post multa certamina ipsi quoque cōuicti, libellos modis omnibus obtulerunt.]

Sequitur Iustini Imperat. ad Hormisdam epistola, subscriptum nuncians à Ioanne libellum, Sacerdotes [Vnitatem Trinitatis ipsos quoque vnitate colere mentium:] erasa diptychis nomina Sacerdotum omnium, [Qui primi contra constituta venerant Apostolica, vel successores erroris facti sunt.]

Item quidquid Hormisda [per beatissimos

simos suos Sacerdotes annuit peragendum propitia diuinitate, effectui cuncta sociata sunt.]

Ex his, & superioribus testimonijs abundè patescit, omnibus tum orthodoxis persuasissimum fuisse, omnes per Orbem Ecclesias tam latè disseminatas, in vnum tamen corpus, in vnamque communionem conuenire debere. Alioqui quid tantopere, vel Imperator, vel Ioannes, vel Clerus, Populusque Constantinopolitanus, vel Oriens satagebat de sua cum Romano Præsule concordia, eiusque communione adipiscenda? At vnum non potest ex omnibus Ecclesijs compaginari corpus, nisi capite constituto: non potest vna coustare omnium membrorum communio, nisi fons eius, & radix in capite collocetur. Vt enim præmonui, qualibet exorta controuersia implacatæ feruebunt lites, nec vmquam inducent in animum alij alijs concedere: dispensatione vtendum illi contendent: contra hi dicent: donec capitis auctoritas, intestinam discordiam componat.

13 Cùm porrò ciuitates Orientis aliquæ pertinaciùs nomina retentarent Episcoporum suorum, non eorum, quos nominatim Hormisda expunxerat, sed aliorum eodem consortio attaminatorum: nec viderentur, nisi cruentissimis prælijs posse ab hac contumacia dimoueri: vtendum hic venia, & dispensatione apud eumdem Hormisdam instantissimè prosequuntur Iustinus Princeps, Constantinopolitanus Episcopus, Iustinianus tum Comes, post Imperator. Vt communionis Catholicæ custodem, arbitrumque, & adhibendæ, vel protelandæ circa eam dispensationis moderatorem fuisse Romanum Antistitem, hinc rursùm indubitatissimè constet. Iustini epist. sic habet: [Cætera clementiore quodam indigent moderamine, in nominibus Antistitum, non eorum, qui specialiter enumerati sunt in epistola, quam sanctitudo tua nobis destinasse noscitur, sed aliorum, quorum memoriam maximè ciuitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites. Quapropter Legatis quidem tuæ sanctitatis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt. Omnis autem finis negotij vestro iam tantùm pendet arbitrio. Vt solus pacem concludere debeat, qui prima rei commouit exordia.

Et Iustinianus: [Pars Orientalium non exilijs, nec ferro, flammisque compelli potest, vt Episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet. Quæ difficultas generali concordiæ moras innectit. Sanctitas itàque vestra cælitùs inspirata, temporum, rerumque qualitatem consideret, &c. Ne persecutionibus, ac cruore, sed patientia Sacerdotali populum Domino nostro concilieris. Ne dum volumus animas lucrari, & animas multorum perdamus, & corpora. Errores etiam diuturnos lenitate, clementiaque conuenit emendari, &c.]

Vide eadem de re, & Epiphanij Constantinopolitani Episcopi relationem ad Hormisdam, itemque aliam de electione sua, in qua hæc habet: [Est mihi oratio magnopere vuiri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex beatis, & sanctis Discipulis, & Apostolis Dei, præcipuè Summi Petri Apostolorum. Sedi sanctæ vestræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius æstimate, &c.]

Et infrà; [Ecclesijs sub me hæc prædico, festinans per omnia eas mihi, & vestræ beatitudini vinculo charitatis adunari. Quas omninò oportet esse vnitas, & inuiolabiles, & corpus vnum communis Apostolicæ Ecclesiæ perpetuò custodite, &c. Quos vestra Apostolica Sedes condemnans in sacris diptychis recitare non iussit, eos nec ego inter sacra facio nominati mysteria.]

Vides & hìc non singulatim quasque Ecclesias posse sibi de orthodoxa sua fide supplaudere, sed necessariò in vnam cum alijs per Orbem omnibus communionem consentire, & huius Catholicæ communionis vinculum, & administrum esse primæ Sedis Antistitem.

Ideò enim quos ille communione sacra mouet, vbique terrarum eijciuntur.

Ideò Episcopi alij omnes non sibi ipsis tantùm suas particulares vincire satagunt Ecclesias, sed Romano quoque Præsuli, vt vertici totius corporis.

Ideò, vt infrà dicemus, vbique terrarum in diptychis nomen Papæ coruscat.

14 Porrò, quod Orientis Ecclesiæ aliquæ præfractiùs reluctatæ sint, patet exindè non statim facta qualibet in iuris legem trahi posse. Nam Iustinus, Epiphanius, Iustinianus confitentur errare illas Ecclesias; nihil intentatum se reliquisse, vt illas ad salubriora reuocarent consilia; venia tamen sibi potiùs, quàm ferro vtendum videri. Ergo iura sancienda sunt vt hic: ità & passim alibi, non ex quorumdam contumacium obstinatione insuperabili, non ex conniuentia piorum, sed ex eorum exemplis, sententijsque, quibus Ecclesiastica omnis applausit posteritas, quorum pietate fidei, & communionis Catholicæ causa defensata, & propagata est. Quorum enim oblitterari nomina non patiebantur, eorum vt summum eadem erat causa, atque Euphemij, Macedonijque Episcoporum Vrbis regiæ, qui pro Ecclesiæ Catholicæ fide certauerunt, exiliaque fortiter pertulerant. At horum quoque obducta sunt nomina, Romanæ, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Synodique consensu. Ergo hinc potiùs iuris regulæ sunt exprimendæ. Vbi exertissimè elucet, quantùm momenti sit in communione Ecclesiæ Romanæ, quantùm in eius iactura dispendij, cùm nec exilijs pro fide, & prælijs fortiter exantlatis elui possit macula eius contemptæ.

15 Quid maioribus interim nostris visum sit, seu Gallicanis Episcopis, de hoc Romanæ cùm Orientali Ecclesia certamine, indagare operæ pretium est. Ità ergo Auitus Viennensis Episcopus epist. 87. ad Hormisdam Papam, suo & Gallicanorum Episcoporum nomine percontabundus, scribit, illo præmisso: [Eutychetis igitur, Nestorijque damnatio, quos iamdudum per beatissimos decessores sanctæ Sedis vestræ calcanit

cauie auctoritas, ad notitiam iamptidem nostram, Apostolicæ ad nos diligentiæ prouisione perlata est.] Reliqua enim inde nectuntur. Si riuuli fidei Catholicæ à Romano fonte ad nos defluant, vt & leges communionis indidem manent. [Sola hac causa seruos vestros, filios meos, Alexium Presbyterum, & Venantium Diaconum, totius prouinciæ Viennensis nomine, quæ Ecclesiæ ad me pertinenti ab vniuersis decessoribus vestris Apostolica Sede commissa est, cum præsentis famulatus pagina destinaui. Per quos oraculo beatissimæ responsionis agnoscam, vtrum seruor schismatum præfatorum, qui intra Constantinopolitanam Vrbem vitio perniciosæ obstinationis exæserat, cuique, quod magis dolendum est, Alexandrinam, vel Antiochenam Ecclesias dicitis illigatas, vobis, Christo fauente, docentibus, digna fuerit correctione restinctus.]

Addit prætereà; [Diuersorum fida relatione comperimus, de reconciliatione, vel concordia Romanæ Ecclesiæ iactare se Græciam. Quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur: ità metuendum est, ne callidè simuletur.]

Denique quàm suspensi omnes Galliarum Episcopi essent ad inclinationes Sedis Apostolicæ, ità docet: [Quæsumus ergo seruitio meo cuncti, vt quid filijs vestris, fratribus meis, id est, Gallicanis, si consular, respondere debeam instruatis. Et quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ deuotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam.]

Vides in fidei, & communionis disceptatione Gallicanam vniuersam Ecclesiam incubuisse auctoritati primæ Sedis, illi absolutissimè, & incontanter acquieuisse.

Secundò, etsi Alexandrina, & Antiochena, & Constantinopolitana Ecclesia aduersùs Romanam coniurata insurgeret: fidenter tamen ab Episcopis Gallis pronunciari, fœdum illud esse schisma, & ab Ecclesia Catholica deuiare, quicumque à Romana dissentiant.

Tertiò, quàm curiosi, & appetentes essent Orientales communionis Romanæ, indè liquidum, quòd suam cum Hormisda concordiam iactarent; & vererentur Galli ne callida esset ea simulatio, qua suam communionem suffurarentur.

Quartò, vno docente Pontifice, restinguendum schisma sperabat cum Gallis Auitus.

Quintò, super statu fidei tota pendebat Gallia à sententia Pontificis, & oppressas à Synodis duabus Oecumenicis hæreses geminas, auctoritate eius prædecessorum oppressas sentiebat.

16 Quàm securus autem de Gallicanæ Ecclesiæ in Romanam deuotione ageret Hormisda, ità ad Auitum rescribens ipse significat. [Breuiter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quòd non sæpiùs nostra admonitio vos frequentat, de conscientiæ vestræ, & fidei stabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubijs, satis est vitanda indicasse perfectis.]

Deindè circumsitarum Constantinopoli ipsi Ecclesiarum reditum in Romanæ Sedis communionem annunciat: [Vt autem quæ sint partium earum studia possitis agnoscere: plures Thracum, licèt prosequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per aduersa clariorem. Dardania, & Illyricus vicina Pannoniæ, à nobis, vt sibi Episcopi ordinarentur, expetijt. In tantum se à consortio perditorum separare gaudentes, vt remedia quærerent, dummodò commune cum transgressoribus nihil haberent. Epiri Metropolitanus, hoc est, Nicopolitanus Episcopus cum Synodo sua nuper segregatus ab impijs, ad Apostolicam communionem deprompta, quæ efficeret, professione se contulit.] Vide & epist. Gelasij ad Rusticum Lugd. Spicileg. tom. 5. pag. 581.

17 Nec dispar fuit Hispaniensis Ecclesiæ in Petri Sedem veneratio. Ità enim ep. 51. scribit Hormisda ad omnes Hispaniæ Episcopos. [Inter ea, quæ notitiæ nostræ Ioannes frater, & Coepiscopus noster, studio Ecclesiasticæ vtilitatis, ingessit; hoc quoque pro affectu Catholicæ fidei, & Apostolicæ Sedis veneratione consuluit; quo ordine ex Clero Græcorum venientibus tribui deberet sancta communio. Propter causam scilicet Acacij à prædecessoribus nostris pro hæreticorum communione damnati; in qua, qui se ab eius contagione non diuidunt, à nostra communione habeantur excepti. Laudo propositum viri, hoc zelo circa fidem, & Apostolica instituta feruentis, vt nec per ignorantiam quidem quemquam cœno alieni erroris pateretur immergi. Ipsa est enim fidei innocentia, vt præuideat, ne vel casu possit errare.]

Et paucis interiectis: [Nos autem libellum misimus; sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus Clericis poposcerit, ad eam posset admitti, secundùm quam, & de Thraciç, & Scythię, Illyricique partibus, vel Epiri veteris, sed & secundùm quod de Syria multos iam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere, & deuia declinare.]

His subtexit libellum illum ipsum, quem per Legatos Constantinopolin misit, cui Ioannem CP. Episcopum subscripsisse paulò antè recitauimus.

18 Liberatus in Breuiario Romano c. 18. damnatum narrat à Felice Acacium: [Patrocinante Imperatore vsque ad mortem remansisse sacrificantem. Tunc separauit se Sedes Apostolica à Constantinopolitana.] Intereà autem: [Calendion Archiepiscopus Antiochenus deponitur. Accusatur in aperto, tamquam indeuotus Principi, mittens populum in rebellionem cum Ello, latenter autem, quia se non suspenderet à Felicis Papæ, & Ioannis communione.]

Moritur interim Acacius: [Et ordinatur post eum Flauitas Presbyter, qui non consensit sine Romano Episcopo inthronizari. Sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici.]

Tum

Tum pertexit seriem Episcoporum, qui Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam Sedem occupauere vsque ad Iustinum Principem, eosque propemodùm omnes Eutychiana fuligine imbutos fuisse demonstrat. Vtpotè à capite suo diffidentes, & à fidei, communionisque Principatu, in erroris auia facilè dilabebantur.

Et Victor Tunon. in Chron. [Iustinus Imperator Orientales, propter prauos Pontifices, Acacium quondam CP., Petrum Antiochenum, & per Petrum Alexandrinum Episcopos, pristino errore implicitos, Occidentalibus Antistitibus sub digna satisfactione coniungit; rediuiuaque facit Synodi Chalcedonensis decreta, Zenonis, & Anastasij Principum temporibus abdicata.]

Disertiùs autem Africanæ sententiam Ecclesiæ propalabit Facundus Hermian. Episc. aduers. Mocianum: [Cùm Acacius CP. aliquid aduersùs auctoritatem Synodi Chalcedonensis auderet, non equidem decreto cum anathemate constituto, sed sola inimicis ipsius Synodi communione permissa: Prænidens Apostolica Sedes, quòd sicut exitus docuit, hęc remissio ad destructionem Concilij memorati pertenderet, (posteà quippè Zenon Imperator, qui eis communionem pręberi mandaneerat, à minoribus ad maiora prosiliens, ipsum Concilium promulgato spreuit edicto) eumdem Acacium, quamuis pręedicto Zenone resistente, damnauit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Episcoporum nunc vsque damnatus est, &c. Quia igitur supradictus Zenon, Sedis Apostolicæ decreta contemnens, prædicto Acacio communicabat, & omnes Ecclesias in sui Regni finibus constitutas, idem facere compellebat: Anastasio deindè in Imperium, & in pręsumptionem similem succedente, omnis Oriens præter admodùm paucos, qui in illa multitudine occulti latebant, à communione Sedis Apostolicæ, per 40. fermè annos vsque ad tempora Iustini remotus permansit. Et cùm quidam per istud tempus eiusdem partis Episcopi, communionem Sedis Apostolicæ sibi, & suis Ecclesijs postularent, non impetrauerunt, donec Principis Iustini temporibus Acacij damnationi subscriberent.]

Et mox: [Quid igitur? Numquid per tot annorum spatia non est inuentus quisquam in Romanis Sacerdotibus, à Felice Acacij damnatore vsque ad Hormisdam, qui Orientis reconciliauit Ecclesias, inter quos fuerat etiam beatus Gelasius, in sanctitate vitæ, atque scientia per vniuersam Mundum celebrioris famæ gloria pręedicatus, non est inuentus, vel in Romano Clero, Christiana plebe inibi consistente, vel in cunctis Occidentalibus Ecclesijs, &c.

Denique, quod alibi retuli, subdit Romanā Ecclesiam reconciliasse sibi alias Ecclesias, eas in communionem sub debita satisfactione recepisse, alijs pro facto schismate culpabilibus culpam dimisisse, &c.]

Hìc elucet Primò, Africanam Ecclesiam perindè, vt reliquas omnes Occidentales pro Ecclesia Romana aduersùs Orientales militasse.

Secundò, exitiale auctoribus hoc schisma fuisse, quo per annos 40. Orientales caruere Sedis Apostolicæ, & consequenter Occidentalium omnium communione.

Tertiò, non magni sanè faciendum esse, si perdiù, si multi, si Orientalium omnium Ecclesiarum Præsules summi, & ipsi Principes contemnant Sedis Apostolicæ iudicia, & communionem. Sed id perpendendum, indè iura, & exempla sancienda esse, quòd post quadraginta annos resipiscunt, errores suos recantant, sub libelli satisfactione matrici Ecclesiæ Petri recolliguntur. Quod argumenti genus iàm sępiùs adhibitum est, sæpiùs post hac adhibendum erit, quòd eadem vertigine rotentur semper hæretici, errantibus, quàm palinodiam canentibus plùs fidei adijcientes.

Quartò, & illo annorum quadraginta schismate grassante, Eutychiana lues Ecclesias, & Sedes Orientales penè omnes populata est; vt indè pateścat, quàm prouidè Romani Antistites à communione hæreticorum ad eorum perfidiam lubricum fore, & præcipitem lapsum præsenserint: quamque necessaria singulis etiam remotissimis foret Ecclesijs communio cum Sede Petri, cuius alieni hæreticis statim deliramentis implicabantur.

Quintò, in illo rerum æstu, si qui se in bonam frugem reciperent, & quicumque demùm omnes sub Iustino resipuerunt, illis id vnum antè omnia cordi erat, id omni contentione ambibant, vt Sedis Apostolicæ communionem reciperent. Nàm, vt Acacij, vt sequacium eius maculosa se communione ablucrent, illud sanè ipsi refugiebant potiùs, id deprecabantur, id penè inuictis extortum est; sed tanti communionem Sedis Romanæ fecere, tanti eam momenti duxere ad æternam salutem suam, vt eam damnatione etiam charorum sibi capitum redimerent. Non ergo sola damnati Acacij æquitas, sed communionis cum Capite Ecclesiarum cupiditas, & conscia necessitas ad hanc concordiam Orientales tamdiù reluctatos artauit.

19 Sextò, nec aliam in causam refundi potest tam contumax Orientalis Ecclesiæ defectio à Romana, quàm in Zenonis, Basilisci, Anastasij Principum perfidiam. Id ex omnibus eorum temporum scriptoribus nitet. Ideò statim Iustino ad imperij gubernacula prouecto, hoc est, obice amoto tyrannorum, statim reuixit, respirauitque in Apostolicæ Sedis communionem Ecclesia Constantinopolitana, quasi ipsa sibi, indolique suæ restitura. Ex comparatione autem Zenonis, & Anastasij cum Iustino, liquidum est, vtris exemplis vtendum sit ad contemnendam, vel ad omnibus anteferendam Petri Sedis communionem.

Septimò, denique ne tempestate quidem illa hæreticorum Principum Ecclesias Orientales perpopulante, adrepere Romanę communioni destitere Episcopi Acaciani. De Flauita audiuimus suprà Liberatum. De reliquis complutibus fidem faciunt an-

nales facti, & epistolæ ipsæ Pontificum. Macedonius, vrgente in damnationem Chalcedonen. Synodi Imperarore, dixit, [nihil se facturum sine vniuersali Synodo, cui Magnæ Romæ Episcopus præsideret;] vt docet Theodorus Lector lib. 2. Denique, vt scribit Euagrius lib. 3. cap. 21. cùm Vitalis, & Misenus Constantinopoli communicassent memorię Petri Alexandrini damnatæ, [ea ratione multi simplices homines in errorem ab hæreticis inducti sunt, affirmantibus Petrum in communionem ab Episcopo Romano receptum esse.]

Vsque adeò vel populo ipsi Constantinopolitano præiudicatum erat, Catholicos esse, quibus Pontifex Romanus communicaret. Quod & ex lætitiæ æstu proditur, quo efferbuit in occursum Legatorum Hormisdæ plebs, Clerusque Constantinopolitanus.

20 Accedamus iàm ad alia huius doctrinæ præsidia, strictim tantùm attingenda. Gratianus, & Theodosius Magnus hoc edicto, quæ regula, quæ scatebra sit Catholicæ communionis declarant: [Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum.] Hos Christianos Catholicos dici iubent, reliquorum Conciliabula Ecclesias appellari vetant.

Vides quo ex centro communionem, & fidem Catholicam deriuent? Nempè ex fide, & Sede Romana Petri Apostoli, & Damasi eius successoris: cui & Petrus Alexandrinus subiungitur, vt Marci successor, & Petri discipulus, & Damasi consentaneus, ad quem confugerat, à quo & restitutus fuerat, denique Orientalibus proximior, quorum fides propiori hac amussi erât expendenda. Cùm mox ergo lege sequenti Ecclesiæ tradi iubentur ijs, qui communione fruuntur Nectarij Constantinop. Timothei Alexandr. Pelagij Laodicensis, Diodori Tarsensis, & aliorum complurium, qui ibi singulis è Diœcesibus nuncupantur: non id eò pertinet, vt tam multi cardines Ecclesiasticæ communionis constituantur, sed vt propè esset, nec longè requirendus, cuius arbitrio, vel consensu Ecclesiæ concederentur.

Distat enim inter vtramque hanc legem, Primò, quòd priori inconcussum substernitur fundamentum, [Petri Apostoli religio Romanis tradita, & vsque nunc ab ipso insinuata.] Secunda arbitraria est, nullo Diuino, nullo Apostolico documento fulta.

Secundò, Prior latissimè patet, & vniuersalem complectitur Ecclesiam, primam in Occidente, secundam in Oriente Sedem designans. Posterior solius Orientalis Ecclesiæ curam agit.

Tertiò, vt in quolibet Episcopato, in qualibet Prouincia constitui centrum vnitatis condocet, nec satis est tamen, sed in qualibet etiam Diœcesi necessum est: ità necesse est, & in vniuersa Ecclesia. Ergo cùm antè ex Gratiani lege, de qua infrà copiosius agetur, traditæ essent ijs Ecclesiæ, qui fide, & communione Damasi gauderent: posteriori lege complures poruere Episcopi indigitari, vt fidei, & communionis Catholicæ censores, vtporè, qui antè ipsi Romanæ se vnitati Ecclesiæ conglutinatos approbassent.

Quartò, ad Gratianum Imperatorem scripserat Synodus Aquileiensis, & in ea Ambrosius, aduersùs Vrsicinum Romanæ Ecclesiæ se intrudentem; Arianorum communione maculatum illum fuisse, [& quomodò fieri potest, vt eum, quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ iudicemus? Quòd etiamsi desoret, tamen totius Orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Indè enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant. Et ideò petimus, & rogamus, vt obripiendi ei adimere dignemini facultatem.] Et hic quoque fides, & Sedes Petri, totius videlicet Orbis Romani Caput, & ex qua ad omnes iura dimanant, declaratur, quàm inaccessa sit hæreticorum communione sorditatis.

21 Nihil in hanc rem luculentiùs edicto Iustiniani ad Ioannem Papam: [Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vt decet Patrem, honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis. Quoniam nobis semper fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenùs obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes vniuersi Orientis tractus & subijcere, & vnire Sedi vestræ Sanctitatis properauimus, &c. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quãvis manifestum, & indubitatum sit, quod moueatur; vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.] Hæc Iustinianus tùm Imperator, adunationi Ecclesiarum colophonem imponere laborans, cui Comes idem antè fundandæ, & promouendæ insudauerat. Spectas hic autem Apostolicam Sedem Caput esse Ecclesiarum omnium; ideò cęteras ei omnes etiam Orientis Ecclesias & vniendas, & subijciendas esse: nec quidquam in Ecclesia citrà eius conscientiam esse mouendum.

Ioannes sanè Papa Iustiniano rescribit; [Charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem: ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente, præceptum est: Pasce oues meas. Quam esse omnium verè Ecclesiarum Caput, & Patrum regulę, & Principum statuta declarant.] Declarant, non constituunt, quod Domini voce constitutum suprà dixit.

22 Iàm audiendus Hieronymus ad Damasum: [Quoniàm vetusto Oriens inter se

popu-

populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, &c. Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, &c. Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior.] Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio, &c. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est, &c. Dignare scripta transmittere: simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, significes. Quia Campenses cum Tharsensibus copulati, nihil aliud ambiunt, quàm vt auctoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent.]

Et epistola sequenti ad eumdem: [Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hęrere se dicunt. Possem credere, si hoc vnus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor Beatitudinem tuam, per crucem Domini, vt qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito, &c. vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.]

Cùm duplici Oriens dissidio scinderetur, cui ex tribus Antiochiæ Episcopis communicandum esset, & tresne in Deo hypostases, an vna hypostasis, & tres personæ dicendę essent: ad Cathedram Petri, ad Damasum confugit Hieronymus, nempè ve ad fidei, & communionis Catholicæ fontem illimem. Primùm ergo etsi in vtroque illo vado æstuare se, & alternare professus, Catholicum se tamen clamitat, quia Damaso iungitur fide, & communione.

Secundò, doceri se à Damaso flagitat, cui è tribus Antiochenis Episcopis communicandum sit. Moderator ergo & regula Catholicæ communionis erat Damasus, vt & dubij docerentur, quibus communicandum; & quamdiù dubitarent, in eius communione conquiescerent.

Tertiò, tres ipsi Antiocheni Episcopi certatim se iactabant cum Damaso communicare. Intelligebant nempè ipsi momentum victoriæ in eo pendere. Et de vno eorum id si constitisset, ab hoc ambiguo absolutus fuisset Hieronymus.

Quartò, similiter & trium hypostaseon assertores, nihil aliud ambibant, quàm vt Damasi communionis auctoritate fulti, sententiæ suæ publicandæ licentiùs indulgerent.

Quintò, totius prerogatiuæ huius origo ex Cathedra Petri, ex fide Apostolico ore laudata; hęc enim arca Noe est; hęc domus vna, intrà quam agnus comeditur; hęc Petra, supra quam ædificatur Ecclesia. Qui in tanta luce caecutiunt, næ sua illos exoculauit obstinatio. Nàm complures alii passim erant Episcopi, extrà schismatis suspicionem, sua singuli in Vrbe Cathedram soli assecuti, & eo sensu Cathedram Petri obtinentes; & nullum horum, tametsi loco proximiorem, nec tanta precum ambitione conueniendum, compellat Hieronymus; sed solùm Damasum, cum quo de Cathedra contenderat Vrsicinus: vt quem solùm intelligat, plenè Cathedram Petri tenere, & fidem Apostolico ore laudatam, nempè Romanam: solùm certatim ambiri a Vitali, Meletio, & Paulino: solùm ab vnius, vel trium hypostaseon Patronis prehensari, vt eius nutu inclinetur victoria.

Et rursùs idem Hieronymus aduersùs Ioannem Episcopum Hierosolymitanum ad Theophilum: [Prętereà, quòd scribis nos pergere tecum Romam, & Ecclesiæ communicare ei, à qua videmur communione separati: non est necesse ire tam longè, & hic in Palæstina eodem modo ei iungimur.]

Et infrà: In alia rursùs ad Theophilum epistola: [Scito nobis nihil esse antiquiùs, quàm Christi iura seruare, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.]

Et in epistola ad Marcum Presbyterum Celedensem, aduersùs eosdem trium hypostaseon confessionem extorquere importuniùs imminentes, [aut, si eis placet, hęreticum me cum Occidente, hęreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.]

Et in lib. de Script. Eccles. de Marcello Ancyrano Episcopo disserens, illum præfatus accusatum hęreseos à multis, ait: [Porrò ille defendit se non esse dogmatis, cuius accusatur, sed communione Iulij, & Athanasij Romanæ, & Alexandrinæ Vrbis Pontificum se esse munitum.]

Vbi vides etiam ex sua cum Petro Alexandrino Episcopo communione, fidem Catholicam sibi vendicare, & approbare aduersarijs; sed nimirùm, quia Romanæ conueniebat Alexandrina, & Romanam Apostolico ore laudatam fidem sectabatur, seu Arianis, seu Origenistis inimicam.

23 Augustini sententia ęquè expedita est. Nàm epist. 162. ait, Cæcilianum, [potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vndè Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum: vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.]

Viden, vt Cæciliano suffragetur aduersùs conspirantes Donatistarum caterua communio cum Ecclesijs transmarinis, & antè alias cum Romana Ecclesia, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus? Quia enim illi Ecclesiæ communicabat Cæcilianus, non communicabant Donatistæ, ille vicit, hi causa ceciderunt. Porrò, vt pręsidio erat Cęciliano communio cum alijs Ecclesijs, & maximè cum Romana: ità singulis Orbis Episco-

pis aduersis schismatum procellas subsidio semper esse debuit communio eius Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus. Ex quo neuias Nouatorum ridebis prolixiùs.

Nùm enim, & hic Apostolicam Petri Cathedram omnibus Ecclesijs Principantem, ità vt in Hieronymi verbis, audebant detorquere ad alienissimos sensus?

Idem contra Lit. Petil. lib. 2. cap. 51. [Cathedra tibi, quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua sedit Petrus, & in qua hodiè Anastasius sedet? Vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? &c. Ait Dominus, Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, &c. Hęc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis.]

Et hic vides, quàm constanter obiectet hereticis suam secessionem à Cathedris Ecclesiæ principalibus, quarum communione carent; maximè autem & antè alias etiam Apostolicas, à Romana, nempè in qua sedit Petrus.

Cypriani mentem elucidauimus suprà.

Prodeat hic Ambrosius in sermone de obitu fratris: [Baptismi cupidus Satyrus, aduocauit ad se Episcopum, nec vllam putauit, nisi verę fidei gratiam: percontatusque ex eo est, vtrumnam cum Episcopi Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Et fortè ad id locorum in schismate erat regionis illius Ecclesia. Lucifer enim se à nostris tunc temporis communione seiunxerat.]

Hic perspicis, cum Catholicis Episcopis communicare, non aliud esse, quàm cum Ecclesia Romana.

24 Et Prosper lib. de Dimidio temporis cap. 5. [Ab Apostolorum consortio alieni inueniuntur omnes hæretici, qui relicta pace communionis, & Panis vnius Dei, & Apostolorum, in suis non Ecclesijs, sed plateis prædicant; & eorum memorijs non communicant; separati à toto, Catholicum sibi nomen adsciscunt. Cùm in ipsa Hierusalem Iacobus, & Stephanus primus martyr, Ioannes apud Ephesum, Andreas, & cæteri per totam Asiam, Petrus, & Paulus Apostoli in Vrbe Roma gentium Ecclesiam (in qua Christi Domini doctrinam erudierunt,) pacatam, vnamque posteris tradentes, sanguine, memorijsque suis, ex dominica passione sacrarunt. Huic generali Ecclesiæ communicans, Christianus est Catholicus. Ab hac segregatus, hæreticus est.]

Ecclesias complures Apostolicas enumerat, sed vnam cæteris eminentem, quam primus Apostolorum; quam alter secundùm illum primus; quam Gentium Ecclesiam, quasi cæteri Apostoli Iudaicas tantùm fundassent: quam non fundarunt solùm Apostoli, sed suo sanguine consecrarunt: quam suis memorijs adhuc illustrant. Cùm ergo communicandum sit generali Ecclesiæ, vt Christianus quis sit Catholicus, accommodatissimum est, vt ne per singulas discurrat, vel Ecclesiarum vertici communicet, vel cuilibet cum vertice communicanti. Idem Prosper luxrà, ac Augustinus debellati Pelagiani dogmatis laudem vni præ cæteris vendicat Apostolicæ Sedi, abscissosque ab Ecclesiæ corpore eius defensores. Ex aduerso autem Cœlestini Papæ verba, & auctoritatem depromit idem Prosper ad propulsandos Augustini obtrectatores. [Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque pro meritis, in nostra semper communione habuimus.]

Quibus in verbis Cœlestini satis est pręsidij ad sinistrę suspicionis rumores omnes ab Augustino, eiusque libris summouendos.

25 Optatus alibi laudatus, qui lib. 2. ait: [Negare non potes scire te, in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, &c. In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, &c. Petro successit Linus, Lino Clemens, &c. Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat.]

Quid his apertius? Etiā Apostoli in vna Petri, nempè Capitis sui Cathedra vnitatem seruare debebant, ne singulas sibi quisque defenderent Ecclesias; vndè & Apostolorum successores Episcopi Petri Successori Romano Episcopo per totum Orbem communionis societate concordant. Denique apud Gregorium Magnum lib. 10. epist. 31. hæc eiurandæ hęreseos formula pręscribitur Episcopo redeunti: [Prona voluntate ad vnitatem Sedis Apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum, &c. Sub ordinis mei casu, & anathematis obligatione, promitto semper me in vnitate sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansurum.

26 Medio æuo Alcuinus lib. de diuinis Officijs cap. 40. [Quòd verò post generalem Ecclesiæ commemorationem adiungitur: Vnà cum famulo tuo Papa nostro, ipsius ecclesiastici corporis vnitas fortiùs commendatur. Quia religionis cultum sic Dominus instituit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret: atque ab illo, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare. Vndè constat ab vniuersi Orbis communione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui qualibet dissensione, inter sacra mysteria, Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant. Et Antistite nostro. Sicut enim vniuersalis Ecclesiæ commemoratio propter vnitatem societatis, & pacis coniungitur commemorationi Apostolici Pontificia: ità dignum, & religiosum est, vt singulæ Ecclesiæ commemorationem subiungant Antistitum, probantes se per illam ora-

otationem seruare cum eis vnitatem spiritus in vinculo pacis.]

Igitur ex ipsa prece Sacerdotum ad altare, qua nihil magis sacrosanctum, constat cuique fideli enitendum esse, vt non solùm cum Episcopo suo, sed & cum Ecclesia Catholica, adeòque cum Romano Pontifice communicet, capite vniuersæ Ecclesiæ, & successore Petri, [in quo religionis cultum Christus principaliter collocauit, & ab ipso, quasi quodam capite, dona sua in corpus omne manare iussit.]

Verùm iuuabit Gallorum longè plurium Antistitum sententiam ediscere ex voluminis Carolini lib. 1. capit. 6. [beatus Hieronymus vir diuinis legibus, & multarum linguarum peritia eruditus, dum Bethlehemiticis moraretur in arois, & à beato Papa Damaso Romæ posito de difficilibus consuleretur quæstionibus; cum pro causa fidei versa vice consuluisse dignoscitur: & siue tacendarum siue dicendarum hypostaseon, & quibus in Orientalibus partibus communicare debeat humillimis apicibus, vt apices accipiat, deprecatur. Mira res. Interrogat, à quo interrogatur: consulit, à quo consulitur: qui magistrum se in interpretandis diuinis Scripturis sentit, in causis fidei venerandi Pontificis se discipulum minimè erubescit: & cui sacræ legis quęstionum nexus enodat, vtrum hypostases dicere debeat, & quibus in Oriente communicare, efflagitat. Vndè datur intelligi, sanctos & eruditos viros, per diuersas mundi partes, prędicationis, & scientiæ lampade coruscantes, non solùm à sancta Romana Ecclesia non recessisse: sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium implorasse. Quod regulariter omnes Catholicæ debent obseruare Ecclesiæ, vt ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. A cuius sancta, & veneranda communione multis recedentibus, nostræ tamen partis numquam recessit Ecclesia.]

Vbi vides fidei, & communionis cognationem. Vides Hieronymum etsi ecclesiasticæ totius sapientiæ penu quoddam inexhaustum, & ab ipso Romano Pontifice in cęteris quęstionum nexibus consuli solitum: in causis fidei tamen, & quibus communicare oporteat, vicissim se discipulum profiteri Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, vt quæ non habet maculam, neque rugam: vt quæ post Christum ad muniendam fidem adeunda est. Videa in Hieronymo, & Augustino, quem Romanæ ipsum etiam Ecclesiæ communio aduersùs posthumas calumniatorum inimicitias tutata est: in vtroque inquam isto Ecclesiæ sydere explenduisse, quid inter apicem eruditionis, & apicem auctoritatis intersit. Vides denique nusquam Gallicanam Ecclesiam à Romanæ Ecclesiæ communione recessisse. Et Ratramnus contra Gręcorum opposita lib. 1. cap. 1. [Quod culpare nituntur Gręci, non solùm Romanam, verùm omnem Latinam Ecclesiam, &c. Nonne se hęreseos prauitate condemnant, & ab Ecclesiæ communione remouent?

Et lib. 2. capit. vltim. Cur à communione se diuidunt Gręci, quam semper tenuere maiores? &c. Sciant quia cum Romanis suos quoque iudicent maiores: & dum Romanos sua cupiunt communione priuare, se pariter excommunicent à suorum societate maiorum: & nulli probentur Ecclesiæ communicare Catholicæ, dum Romana communione sese faciunt alienos. Hoc factum, cuius sit mali, citò considerent, & errorem corrigere suum non differant; ne si Romanis communicare noluerint, ab vniuersa Ecclesia Catholica se pateant excommunicandos.] Quid explanatius dici potuit? Adde his Hincmarum, quo nullus iuris ecclesiastici arcana penetralia altiùs rimatus est. Is ad Nicolaum Papam scribens sibi subiratum: [Modis omnibus quantùm Deus donauerit, prouidere studebo, ne à communione Sedis Apostolicæ, quod absit, quolibet modo extorrem me vltimus dies, qui mihi incertus est, & subitò venire potest, inueniat. Et paulò post: Qui quare Dominus in Euangelio Centurionis fidem laudet, dicentis, Dic verbo, & sanabitur puer meus: intelligit, quàm operatorium sit Episcopi, immò sicut in Paulo, in se loquentis Christi: quantò magis Pontificis Apostolicæ Sedis verbum, & quàm obedienda sit ipsius pręceptio, etiam sine vlla admirationis adiectione cognoscit.] Idem ad Hadrianum Nicolai successorem scribit summoperè se exhorruisse, quod in se vnum tantam comminationem intentarit, nempè de abscindenda participatione communionis suæ, nisi sequestraret se à communione, & consortio Caroli Regis in obstinatione sua persistentis: cùm reliquos Episcopos in eadem causa positos Pontifex tantum monuerit, increpuerit, redarguerit, instruxerit.

27 Denique Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus in Concilio an. 1072. ex Guillelmo Malmesbur. lib. 1. de Gestis Pontificum Anglorum, hęc perorauit, ad huius rei, quam versamus, elucidationem accommodatissima. [Pręthereà quod valet in toto, valet in parte. Quod valet in maiori, valet in minori. Romana Ecclesia quasi totum est omnium, cęteræ Ecclesiæ quasi eius partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus indiuiduorum suorum, & tamen in vnoquoque indiuiduo inest totius hominis tota proprietas: ità quodam respectu Sedes Romana est genus, & totum omnium Ecclesiarum: & tamen in vnaquaque Ecclesia totius Christianæ fidei tota regnat integritas. Ipsa est maior omnium Ecclesiarum, & quod in ea valet, debet & valere in minoribus.] Ità ille longè alium in scopum collimans. Sed eo constituto, quòd Sedes Romana sit quasi genus, & totum omnium Ecclesiarum: non secùs quàm Caput, membrum cùm sit, membrorum tamen omnium quo-

dam-

dammodo totum est, & totius instar, ac vice est: indè dilucidum fit, qui vniuersæ Ecclesiæ communione, vel frustretur, vel potiatur, quisquis Ecclesiæ Romanæ pace, vel gaudet, vel spoliatur.

28 Nec ab his abludit Nicolaus de Cusa epist. 1. [Sensibilem Ecclesiam sensibile Caput habere conuenit, & ob hoc Caput huius Ecclesiæ sensibile est Pontifex, qui ex hominibus assumitur, in quo est hæc Ipsa Ecclesia complicatiuè, vt in primo vno Confessore Christi. Petrum autem primum Christi Confessorem scimus inter homines, & ob hoc Petrus à confessione Petræ, quæ Christus est, nomen accipiens, complicatam in se Ecclesiam explicauit, verbo doctrinæ, primò omnium.] Ità ergo totum Ecclesiarum est Sedes Petri, qua caput omnium, omnes complicans in sese, omnes ex se explicans: atque ità in consortium suæ communionis omnes pertrahens.

Et epist. 2. ad Bohemos: [Iubet Augustinus sic, scire velis, an in Ecclesia existas, hac vestiges ratione, si Cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas successiones in Petrum continuatur, &c. Cùm populus adhærens Pontifici, particularem constituat Ecclesiam, & cum vnus sit per Orbem principatus, qui suo priori adhærere debeat: Romanæ scilicet Sedi: erit necessariò Catholica Ecclesia illa, quæ primæ Sedi Petri adhæret. Et licèt sæpè multi schismatica diuisione ab illa Romana Ecclesia recesserint; numquam tamen fuit, quin maior fidelium numerus in vnitate illius Romanæ Ecclesiæ, ex fidelibus, & primo Episcopo compactæ, perseueraret. Quare in ea nostræ saluti necessaria remansit hactenùs, & remanebit veritatis columna. Huius stabilis veritatis exempla plura legimus, quoties aliæ Ecclesiæ, maximè Constantinopolitana à fide errauerit; & ab ipsa Romana, fatuà præsumptione se absciderit; & demùm ad vnitatem ipsius, & obedientiam reducta sit.

Ità de Alexandria, & alijs Patriarchalibus Sedibus paria plura inueniet. Nullum tamen eorum de Romana Ecclesia, aut quòd ipsa vnquam à fide errauerit, aut per quamcumque Sedem fuerit reducta, comperiet. Sed sicut aliæ ab ipsa aliquoties recesserunt, in errorem que ceciderunt: ità per principatum fortissimum Petri, debiles demùm confortari in fide, ad eius vnionem reducti sunt. Vndè infallibilitatis refugium est, In vnione esse cum Principe in Ecclesia, qui omnis principatus spiritualis, tam Petri inter Apostolos, & Iudæos, quàm Pauli inter gentes successor, vtriusque potestatem habet.]

Vbi perspicis totum hoc à Petro priuilegium in eius Sedem redundare, seu à verbo Christi Petro principatum largientis inter Apostolos.

Secundò: Sæpè & Constantinopolitanam, & Alexandrinam, & alias Sedes, Ecclesiasque illis adnatas, à Romana Ecclesia secessisse: sed & ipsas tunc plerumque à fidei orbita deflexisse, & tamdem ad vnionem cum Romana matrice Sede resipiscentes properasse.

Tertiò: Numquam Romanam, ceu à fide, vel ab vnitatis ecclesiasticæ compage diuulsam, ab alijs Sedibus reuocatam, emendatamque fuisse.

Quartò: Quamuis quatuor aliæ Sedes aliquando à Romana desciuerint, vt in Acaciano furore, multò maiorem tamen fidelium multitudinem toto in Orbe in consensione Romanæ Ecclesiæ permansisse, atque ita eamdem semper extitisse Catholicam Ecclesiam, ac Romanam. Nam Occidens solidus Romanæ Sedi indiuulsis nexibus semper adhærescebat. Orientis autem complusculi semper Episcopi, Clerici, Monachi, fideles, antiquæ fidei, & communionis tenaciores, ab Orientalibus Ipsis Exarchis, & Patriarchis suis, quàm à Romano Pontifice malebant diuelli: eaque in causa, nec sanguini, nec vitæ parcebant.

Quintò: Erità alibi ex Gelasio, & Nicolao Pontificibus ostensum, solo Romanæ Sedis dissensu, vel consensu, seu Romanæ communionis concessione, vel abscissione, Synodos, sententiasque Orientalium olim vel ratas, vel irritas habitas esse.

Cæcilianus, Athanasius, Chrysostomus, Flauianus, Africæ, atque Asiæ communione exturbati, Sedibusque eiecti, intra suæ illos communionis gremium Romana vsque fouente Ecclesia, & Catholici semper, & Episcopi habiti sunt; idque vel ipsæ etiam, quæ eos damnauerant, Sedes tamdem confiteri sunt compulsæ. Ex aduerso Acacius, Petrus, Euphemius, Timotheus, Macedonius Romanæ communionis gratia expoliati, tametsi tota illis Orientalis Ecclesia communicare pertinacissimè contenderet, expuncti tamdem vbique tetrarum fuere sacris fastis. Nec aliter fides, æquitasque, seu per Orientem, seu per Occidentem, nisi hoc Romanæ communionis vinculo, potuit contineri.

29 Sextò: Ideò Cusanus rectè ait, infallibilitatis refugium esse, vt in vnione sit quis cum Petri, & Pauli successore, hoc est, cum vniuersa ex Iudæis, & Gentibus sociata Ecclesia. Quod vt maioris adminiculo auctoritatis fulciatur, & à recentioribus ad antiquos scriptores, abs Latinis ad Græcos, nos referamus, vnus huic disputationi in cumulum accedat Irenæus, & Gallos suos antiquissimo, & sincerissimo illo Apostolicorum temporum lacte imbuat.

Ità ille lib. 3. capit. 3. [Quoniam valdè longum est in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem

rem, necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.]

Omnem Ecclesiam conuenire, hoc est, communicare necesse est Romanæ Ecclesiæ, ob potentiorem principalitatem, quia videlicet fundata est à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo, ideòque maxima est, antiquissima, & omnibus cognita: & omnes heterodoxi, ex eò quòd huic Ecclesiæ dissentiant, confunduntur.

30 Vnum video à Nouatoribus prætentari maximè Meletium Antiochenum Episcopum, qui cùm exors Romanæ communionis excessisse viuis iactetur, non Catholici tantùm nominis gloria, sed & sanctitatis eximia laude floruit tamen, & vel ipsius Ecclesiæ Romanæ suffragio celebratur. Ex aduerso autem Paulinum Meletij in eadem Sede æmulum, & Græci Patres conuitijs proscidere, & Romana Ecclesia nullo defunctum honestauit encomio, etsi dum in viuis ageret, suæ communionis consortem.

Gregorius Nyssenus orat. in funere Meletij habita in Synodo II. Oecumenica, memorata charitate Ecclesiæ Antiochenæ in sponsum suum Meletium, & mox, in exilium eo acto, viduitate: subdit: [Iam multùm temporis intercesserat, cùm quidam adulterandi animo, immaculatum lectum coniugalem aggreditur. Sed sponsa non poterat corrumpi.] Vbi sponsum Meletium, adulterum Paulinum vocat. Chrysostomus autem hom. de anathemate: [Putatisne rem parui momenti esse, ante iudicem, ante iudicij tempus aliquem condemnare? Anathema enim omnibus modis à Christo separat. Ad hęc quid respondent illi malitia potentes? Hæreticus, aiunt, ille factus est, inhabitantem habet Diabolum, aduersùs Deum iniustitiam loquitur, multos in profundum perditionis abducit eloquentiæ suæ efficaci suadela, & deceptione, & propter hoc à Patribus eiectus est, maximè huius magister, qui partem Ecclesiæ abscidit, Paulinum, vel Apollinarem designantes.] Quantis ex aduerso præconijs cumularit Meletium Chrysostomus, nulli incompertum est. Cùm vel maximè Martyrologio Romano memorentur Nyssenus, & Chrysostomus, Meletium eximijs, & meritis laudibus exornasse.

31 Illud ergo accuratiùs hic perscrutandum, an Romanæ communionis Ecclesiæ expers fuerit Meletius. Et Theodoreto primùm accommodandæ aures, qui lib. 5. hist. cap. 2. de Gratiano hęc scribit. [Imperij quasi primitias omnium gubernatori Deo obtulit. Nam conscripsit legem, qua iubebat tum Pastores eiectos in exilium redire, suisque gregibus restitui; tum sanctas Ecclesias tradi his, qui Damasi communionem amplexarentur. Hic Damasus Episcopus Romanus fuit, &c. qui quò ad eius fieri poterat, doctrinam Apostolicam assiduè tutatus est, &c. Vt autem ea lex maiorem haberet auctoritatem, misit ducem Saporem, &c.

Et capit. 3. Quamquam verò istud mandatum apud singulas gentes sine contentione conficiebatur; tamen Antiochiæ, discordiæ flamma incensa est. Doctrinæ Apostolicæ propugnatores erant in duas partes diuisi, Quarum vna statim post insidias contra Eustathium magnum comparatas, Arianam nequitiam detestata, conuentus separatim egit, Paulinumque habuit Antistitem. Altera post Euzoium ordinatum Episcopum, ab impijs Arianis se vnà cum Meletio viro insigni segregans, sapientissima Meletij doctrina gubernata est. Porrò Apollinaris Laodicensis alteri iam parti se ducem præbuit, qui tametsi pietatis personam induebat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere videbatur: paulò post tamen se se eiusdem aduersarium esse palàm prodidit.

Et infrà: Aduentante Antiochiam Sapore, cùm legem Gratiani ostendisset, Paulinus se à partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoque affirmat morbo erroris sui occultato Apollinaris.

At diuinus ille Meletius se, & quiete gessit, & ab eorum contentione conticuit. At Flauianus, qui tunc ex numero adhuc presbyterorum erat, duce Sapore audiente, ad Paulinum sic verba facit; Si Damasi communionem, ò amice, amplecteris, ostende tuæ, & illius doctrinæ consensum manifestè commonstra. Nam ille vnam Trinitatis vsiam confitetur, tresque hypostases palàm prędicat: at tu hypostaseon trinitatem tollis. Deindè ad Apollinarem: Demiror te tam manifestè veritati repugnare, cùm certò scias, Damasum virum sanè admirabilem, affirmare perfectam nostram naturam à Deo Verbo assumptam esse, &c. Deinque Meletius Paulinum compellat his verbis; Quoniam & mihi istarum ouium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum suscepisti curam, ipsæque oues inter ipsas veræ pietatis communione consentiunt: greges, ò amice, concordiæ vinculis coniungamus, & contentionem de primatu dirimamus, &c. Ponamus in Sede librum Euangelij, & vtrimque nos sedeamus. Quòd si ipse priùs è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis. Sin autem tibi illud contigerit, ego rursùs curam ouium pro virili geram, &c. Paulinus non acquieuit, &c. Dux Sapores eorum quæ vtrimque dicta erant, iudex constitutus, magno Meletio Ecclesias tradidit, Paulinus autem ouium, quas ab initio à reliquis segregauerat, Antistes permansit.]

His addenda, quæ ex epist. Hieronymi ad Damasum suprà descripsimus.

32 Palàm est ergo 1. quamuis lex Gratiani superiùs relata, Ecclesias dari iubeat communicatoribus Damasi Romani, & Petri Alexandrini Episcopi: solius tamen Damasi meminisse Theodoretum, & toto Orien-

Oriente solius Damasi communionem in laude, & dignitate fuisse. Vsque adeò Petri Apostoli, quàm Petri Alexandrini dignitas, & Sedes venerabilior omnibus orthodoxis erat, quod & Gratiani lex insinuauerat.

Secundò: Inane est, quod garriunt regiæ vrbis suæ Episcopum à Gratiano cæteris antelatum. Nam disertè ipse in sua lege Petri Apostoli rationem à se haberi memorat, & Theodoretus, Flauianus, Meletius in ea re suprà Damasi laudes celebrant, non regnatricis Vrbium Romæ.

Tertiò: Peræquè insulsum est, quod ijdem blatrerant, ideò Damasi communionem hoc honestatam priuilegio, quòd eum constaret euidentiùs de fide Trinitatis rectè sentire. Nam primò quidem illud ipsum est summum Romanæ Sedis decus, quòd eius fides intaminatior, & splendidior toto Orbe radiaret, non sub Damaso tantùm, sed iam inde à Synodi Nicænæ æuo, & posteà similiter aduersùs Macedonij, Nestorij, Eutycheris nouitates; cùm cæteras omnes Sedes suo subindè contagio varia hæresum monstra afflauerint.

Deindè cùm de fide Trinitatis digladiarentur omnes Orbis Episcopi, & in sectas tam diformes secarentur: qui constabat limpidiores fidei latices manare ab ore Damasi, nisi ex præiudicio Sedis eius? Ad hęc erant, & alij complures in Oriente etiam orthodoxi Episcopi. Adde quòd nec Damasus vsquequaque arrideret omnibus Orientalibus orthodoxis, vt qui tres hypostases in Deo confiteri, vel respueret, vel cunctaretur; tres malens personas affirmare, hypostasis autem nomine essentiam significare vnam.

Quartò: At quoniam post Synodum Alexandrinam constabat, eam nominum magis, quàm sententiarum rixam esse, ideò toto Oriente sine contentione Damasi se communioni adhærescere professi sunt Catholici omnes Episcopi. Vbi autem inuenies, Orientalis alicuius Episcopi communionem, Occidentalibus, & ipsi Romanæ Sedi ostensam, præscriptamque fuisse, veluti amussim, ad quam eorum fides recta expenderetur?

Quintò: Communicare se cum Damaso Meletius ipse professus est, cùm eius fidei se subscribere, cùm Paulini eius communicatoris fidei se, suasque ones constituere dixit, cum denique Ecclesias à Sapore recepit, ex vi vtique legis, Damasi communicatoribus tradi eas sancientis.

Sextò: Idem Hieronymus in epist. ad Damasum perhibet: [Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere, si hoc vnus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.] Et in epist. priori ad eumdem: [Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.] Vsque adeò enim de Damasi communione confidebat, seseque venditabat Meletius, vt illum à Paulino nil discernete posset Hieronymus, etsi illis ipsis in regionibus iamdiù degeret, & eo scrupulo pungeretur iam olim.

Septimò: his, quæ à Theodoreto narrata sunt, assuenda sunt hæc ex lib. 5. cap. 5. [Diximus antea Paulinum Antiochiæ Episcopum propter eximiam pietatem in exilium minimè eiectum esse. Meletium primùm à Iuliano in patriam accersitum, deindè cum à Valente denuò esset relegatus, regnante Gratiano reuocatum. Qui cùm rediret Antiochiam, Paulinum reperit iam senio propè confectum. Confestim ita que omnes, qui fauebant Meletio, operam dedere, vt cum Paulino Sedis Episcopalis particeps fieret. Cùm autem Paulinus diceret contra Ecclesiæ Canones esse, vt quisquam ab Arianis ordinatus ad Sedem Episcopalem participandam admitteretur; populus vi rem confidere statuit. Atque in Ecclesia quadam in suburbijs sita illum in Sede Episcopali collocant.]

Subijcit tandem vtrisque cōuenisse, vt candidati Sedis Antiochenæ sex omninò, inter quos Flauianus erat, [iureiurando astringerentur, vt nemo illorum Episcopatus administrationem tum capesseret, cùm alteruter ex his duobas, Meletium dico, & Paulinum, è viuis exiret: sed ei soli, qui superesset, demortui locum obtinendi faceret potestatem.]

Ita pacata ea discordia est. [Ob quam causam: qui à Lucifero stabant, ab Ecclesia recessere, quòd Meletius ab Arianis ordinatus, ad Episcoparum admissus esset.]

Et infrà c. 9. [Meletius decessit è vita. Qui addicti ei erant, à Paulino gubernari noluere: sed in locum eius Flauianum constituere. Vndè populus de integro dissidere cæpit. Et proptereà Ecclesia Antiochena denuò non propter fidem, sed propter Episcopos diuisa fuit.]

Manifestum ex his est, Meletio, & Paulino, & vtriusque gregi resartam fuisse tandem concordiam, renectamque pacem ea lege, vt alteri præmortuo vnus succederet alter superstes. Ergo eùm per illud pacis serenum Meletius ex hac mortali vita migrarit, communione vtique Damasi Ecclesiæque Romanæ ad mortem vsque gauisus est.

Octauò: Eadem totidem ferè verbis describit Sozomenus lib. 7. cap. 3. At ca. 10. Meletij morte, & sepoltura memorata: [Eligitur in illius locum Flauianus præter datum iusiurandum. Adhuc enim Paulinus in viuis erat. Ex eo igitur maxima rursùs perturbatio Antiochenam Ecclesiam corripuit. Ac plurimi se à Flauiani communione abstraxerunt, & priuatim sub Paulino conuentum egerunt. Quin, & ipsi inter sese sacerdotes ob hanc rem contendebant. Atque Ægyptij quidem, & Arabici, & Cyprij velut ob Paulinum iniuria affectum stomachabantur. Syri verò Palæstini, ac Phenices, tum etiam ex Armenijs, ex Cappadocibus, ex Galatis, ex Ponticis plurimi pro Flauiano stabant. Non minimè autem indignatus fuit Episcopus Ro-

Romanus, & cum eo cuncti sacerdotes Occidentales, & Paulino quidem, ceu Episcopo Antiochię consuetas scribebant epistolas, quas Synodales appellant, ad Flauianum verò silentium agebant.]

Et hinc vides Damasum Meletio communicasse, saltem post illam cum Paulino initam concordiam, legemque de reciproca successione: nec nisi post Meletij mortem subiecto Flauiano recaluisse sopitas dissensiones: & ne tum quidem Flauiano ademptam funditùs Ecclesiæ Romanæ communionem: sed eius præuaricationem silentio solo, & literarum synodicarum denegatione tum vindicatam. Si Flauiano autem, qui nefariè successerat, communicabatur: multò magis antè Meletio, qui iure successurus admittebatur.

Nonò: Et Theodoretus quidem Meletio, Flauianoque inclinatior, quàm par esset, pacem illam Meletij, Paulinique silet, & iuramentum à Flauiano ipso interpositum, & violatum: & idem tamen lib. 5. cap. 23. prodit placatos tandem Occidentis Episcopos, promisisse se simultatem depositutos; & legatos, qui à Flauiano mitterentur, admissuros. Qua re intellecta, Flauianus Episcopos quosdam illustrissimos, Presbyteros etiam Antiochiæ, & Diaconos Romam misit. In qua legatione principem locum tenebat Acacius Episcopus Berrhœæ oppidi Syriæ vir omnium ore, ac sermone passim celebratus. Qui vnà cum cæteris Romam aduentans, inimicitias ad decem, & septem annos continuatas extinxit, Ecclesijsque pacem restituit. Qua re audita, Ægyptij quoque odio sedato, sunt concordiam amplexati.]

Ergo quod suprà ex Facundo Hermianensi adnotatum est non Romana Ecclesia Antiochenæ, sed Antiochena Romanæ pacem pleniorem ambijt, impetrauit, missaque legatione amplexata est, & tenuissimum illud excommunicationis vestigiū, quod literarum, & legatorum interruptione constabat sola, cùm in reliquis omnibus illæsa perpetuaretur communio, ambitiosè expunxit.

Decimò. Ad fidem nihil hæc certamina attinuisse aduerterunt Scriptores suprà laudati, & nemini non exploratissimum est. Nulla Romanæ Sedis, Synodiue sententia impetitum esse, vel Meletium, vel Flauianum, perindè ex iisdem certum est. Nusquam ergo abrupta ab his est ecclesiastica Romanæ Sedis communio.

Quin immò in Capuana Synodo an. 489. id decretum est, [vt omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam confitentibus fidem:] vt ait Ambrosius epist. 78. de causa autem inter Flauianum, & Euagrium Paulini successorem cognosceret Theophilus Episcopus Alexandrinus.

Eadem etiam epistola Ambrosius Fratrem Flauianum identidem appellat, idq; vnum maximè Theophilo commendatum esse vult, vt [ferueret impetitæ pacis gratia inter vniuersos.]

Adde legem Gratiani suprà laudatam de sola Damasi fide omnibus amplexanda meminisse, cui quoniam coniunctissima communio est, eam de communione Damasi interpretatus est Theodoretus. Nec iniuria.

Cùm Patres Concilij Chalcedonensis in Prosphonetico ad Marcianum hæc confirment: [Damasus quoque Romanæ vrbis decus ad iustitiam, literis ad Paulinum datis, dispensationis sacramenta patefecit; admonens, vt his, quæ benè sunt decreta, si qui communionis suæ participes velint esse, consentiant.]

11 Minùs ergo mirandum, si Orientales Episcopi sanctissimi quique Meletio cōmunicarent: cùm & ille pręse ferret communionem cum Damaso suam, & nihil de fide ambigeretur, & possent satis bellè in eadem vrbe duplicis gregis curam gerere duo Episcopi; quod alioqui præter Canones est, necessitate dispensari cogente. Porrò si non facta tantùm, sed iure trutinari libeat: constat Meletium ab Arianis ordinatum in initijs Episcopatus sui claudicasse, Constat Eustathianos, qui Paulino obaudiebant, longè inculpatissimum fuisse Ecclesiæ Catholicæ Antiochenæ agmen. Constat denique Flauianum infracti Sacramenti culpam numquam satis eluere potuisse.

Ideò Athanasius, cuius iudicio assentiendum vtique est, Paulino semper communicauit, vt apud Facundum Hermian. lib. 2. cap. 2. monachi Nitriæ testantur, in epistola aduersùs Apollinarem scripta: [In tantùm nos contempsit, vt auderet suis literis accusare irreprehensibilem, & religiosissimum Archiepiscopum Antiochiæ Paulinum, qui semper communicauit ter beato Papæ nostro Athanasio, & omnibus in Occidente orthodoxis Episcopis.]

Qui idem Facundus lib. 8. cap. 5. ex Domni Antioceni Episcopi epistola refert, & approbat dici [sanctum Meletium, à cuius nomine Ariani nos Meletianos appellant.]

Domni autem verba hæc sunt: [Dei autem homo sanctus Meletius, à quò appellationem habent apud nos Apostolicorum custodes dogmatum: Meletianos enim nos vocant Arij sectatores.]

Itaque, & Paulino, & Meletio perindè fauet Facundus, fouebat Athanasius, fauit Oriens, Occidensque, etsi ob illam de Episcopatu concertationem, legati, & literæ formatæ non ab vtroque vbique admitterentur, quod saluo fidei, & communionis Catholicæ vinculo vtcumque fieri posse nemo non videt, & disertè ex Ambrosio docuit Synodi Capuanæ decretum. Quòd autem Theophilus nec Euagrio, nec Flauiano communionem sociasset, vt Ambrosius eadem epistola 78. testatur: id contigerat, quia, & Euagrij causa vacillabat, vtpotè qui ab vno Paulino esset ordinatus, vndè ibidem ait Ambrosius, [verumque alienæ magis ordinationis vitijs, quàm suis bonis fretum fuisse.]

Duodecimò: Quin, & Basilius ipse omnium

omnium Princeps in eaosa Meletij adnet- sûs Paulinum tuenda, non tamen à Paulino abhorruit, vbi illum Damasi literis munitum intellexit; illum autem Meletio aduersari ità interpretatus est, quòd eius causam, vtpotè tam procul, minùs exploratam haberet.

Epistola ad Terentium: [Non admiror illud. Quidam enim omnimodò ignorant ea, quæ in istis sunt partibus. Quidam autem etsi videntur scire, concertando magis, quàm veritatem dicendo, eis referunt, &c. Veruntamen quia nullum accusamus, oramus autem magis ad omnes habere charitatem, & maximè ad domesticos fidei, congratulamur ijs, qui apportauerunt de Roma literas: & si magnam aliquam, & venerabilem habent eorum testificationem, & oramus illam veram esse, & ex operibus ipsis confirmari. Non autem propter hoc possumus nobismetipsis aliquando suadere, quia Meletium ignoremus, vt eam, quæ sub ipso est, Ecclesiam obliuiscamur, &c.]

Vtrique ergo, etsi Meletio impensiùs, benè se velle docet Basilius; quodque Meletio minùs studeat Damasus, id tribuit mendacio rumorum ad eum perlatorum, & surreptioni partium.

Decimotertiò: Ità, & Nazianzenus vtriusque partibus se communicare non obscurè demonstrat orat. 32. quæ Constantinopoli est habita coràm 150. Patribus: [Quomodo sacrum hoc bellum feram? Quomodo hos aduersis thronis insidentes, atque aduersas in pascendo grege partes fouentes connectam, populumque cum ipsis abruptum, &c. Nec populum solùm, sed etiam orbis terræ segmenta, eodem eum diffidentibus affectu commota, ità vt iam in duas contrarias partes Oriens, Occidensque secreti, atque diuisi sint; nec iam minùs animorum, & voluntatum, quàm finium segmenta esse videantur? &c. Senectutis me pudet, cùm aliorum nomine censeor, qui à Christo salutem accepi,

Et paulò ante finem, Vale Oriens, & Occidens, pro quibus, & à quibus oppugnamur; testis ille est, qui pacatos nos reddet, si nonnulli secessionem meam imitentur. Non enim Dei quoque iacturam facient, si thronis cesserint: sed supernam cathedram habebunt, his multò sublimiorem, & tutiorem.]

Quibus adde quæ in carmine de vita sua prosequitur, quantum studij scilicet posuerit, vt functo Meletio successor ne daretur: sed Paulinus iam grandæuus fineretur Antiochenam solus Ecclesiam administrare. Palàm hinc est concordiæ illum studuisse, Meletianorum, & Eusthatianorum nomina perindè abhorruisse, ac dissidia, atque ab Oriente, Occidenteque oppugnatum esse, quod pro vtroque ipse pugnaret. Ità enim vsu venit, vt qui vtriq; fauet parti, vtramque aduersam experiatur.

33 Quæ cùm ità habeant, frustrà sunt Nouatores, eùm exemplo vnico Meletij ferociunt aduersùs Romanam Ecclesiam, vt eius communionis exortes probent sanctitatis nihilò seciùs laudem assecutos esse.

Constat enim ex antedictis Meletio superstiti communicasse Romanam Ecclesiam, & Romanæ fautores Ecclesiæ in Oriente.

Quòd autem Gregorius Nyssenus adulterum appellet eum, qui exulantis pro fide Meletij Sedi incubabat, nequaquam id ad Paulinum pertinet; sed vel ad Euzoium, qui Arianorum, vel Apollinarem, aut potiùs Vitalem, qui suorum, & ipse gregalium Antiochiæ Episcopatum gerebat.

Statim quippè Nyssenus hæreticę perfidiæ meminit, quæ Meletio reluctabatur.

Chrysostomus autem non suis ille verbis Paulinum exagitat, sed eorum, quos ipsemet acerbissimè obiurgat, vt malitia potentes, vt anathema passim in quemlibet illidentes, quos ab hac petulantia laborat toto hoc tractatu deterrere.

Denique eùm Damasi communionem ità Meletius, & Vitalis, Paulinusque iactarent, vt vel *Hieronymus* ipse ambiguus in ea re esset: eadem in rerum caligine, poterant, & alij viri sancti, vel obtrectare Paulino, vel Meletio impensiùs suffragari. Cordatissimi autem quique ita paci studebant, vt vtrique interim in fidem Catholicam consentienti communicarent.

Ità videtur affectus fuisse Nazianzenus, ità Epiphanius hæresi 73. & 77. ità denique Athanasius epist. ad Antiochenses: [Omnes igitur, qui vobiscum pacificè agere volunt, in primis autem illos, qui in veteri Ecclesia congregantur, & qui ab Arianis redierunt, elicite ad vos; & veluti patres, filios assumite; vt Magistri, & tutores recipite: coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino, eiusque socijs, nihilque ab illis exigatis, quàm vt execrentur Arianorum hæresin.

Vide, & inter epistolas Cyrilli Alexandrini Episcopi, epistolam Acacij Berrhœæ Episcopi ad Cyrillum ipsum: [Beatus Paulinus etsi tres Hypostases dicere recusaret palàm, verè tamen, & virtute eadem sentiebat.]

Et omninò quanti fecerint Orientales Romanæ communionem Ecclesiæ, patuit ex Cyrillo Alexandrino scribente damnatum à Cœlestino, & Romana Synodo Nestorium, [horum itaque decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint: scribente, quæ illi iudicauerunt, sequi omninò constituimus. Veremur namque, ne à tantorum virorum communione excidamus.]

Patuit ex ipsa Ephesina Synodo, scribente, Cœlestini sententia in abdicationem Nestorij se cogi.

Patuit ex Chalcedonensi Synodo Damasum laudante, quòd fidei suæ adglutinari iuberet, si qui communionis suæ adglu-

glutinari iuberet, si qui communionis suæ participes esse vellent:] Dioscorum execrante, quòd vltra omnem suam nequitiam, excommunicarionem Leoni Papæ intorsisset, cui Christus custodiam vineæ mandauerat.

Patuit in cæteris Synodis, Sexta, Septima, octaua, vbi non rectò tantùm fidei dogmati, à quo deuiauerant, sed Romanæ etiam Ecclesiæ communioni se restitui Græci laborauerunt.

Patuit in Octaua maximè Synodo, vbi nngantes Photiani Episcopi, multos à Sede Romana damnante, absolutos, absoluente, damnatos fuisse, à Metrophaone, Orientalium Episcoporum longè doctissimo refutati sunt.

Patuit in Athanasij denique, Petri, Chrysostomi, Flauiani causa, & complurium istiusmodi, quos præter fas damnatos, Romana Sedes restituit, vel vno maximè communionis suæ beneficio, vt superiùs demonstratum est.



DISSERTATIO XVII.

In Concilium Arausicanum II. Anno Christi 529.

SYNOPSIS.

Sedis Apostolicæ auctoritas in fidei disceptationibus, apud Gallos. Decreta huius Synodi ex Augustini sententiis, & penè verbis ipsis contexta, Patribus tamen promiscuè vendicantur. Mira quoque in rebus fidei definiendis sobrietas. Quàm multa Theologicæ opulentiæ suppellex, & si à fide defluat, & si cum fide cohæreat, in fidei tamen formulas non est intrudenda. Hæc definiendi parcitas, hæc Patrum prorsùs omnium concordia, veluti gemina stabilienda inter Theologos pacis in quæstionibus de Gratia Christi fibula, prolixiùs pertractatur, illustraturque maximè ex Cælestini Papæ olim Epistola ad Gallos, & ex Florentino nuper Concilio.

1 Recurre ad ea, quæ commentati sumus in Synodos Arelat. & Lugdun. an. 475. Reuolue, & in Carthaginensem, Mileuitanamque Synodum aduersùs Pelagianos notata, Hinc enim patescet, quantæ in auctoritatis arcem euadat Synodus, etiam Prouincialis, cui Sedes Apostolica inuictum robur addit. Illinc autem aperitur clementia huius Synodi Patrum, qui secùs de gratia, & libero arbitrio sentientes, quàm castigata fidei amussis iubeat; nulla inurunt grauioris cauterij censura, quàm vt per simplicitatem minùs cautè sensisse dicantur: & penè plùs laborant seipsos iniquioribus suspicionibus lacessitos excusare, quàm accusare aduersarios.

2 [Quòd autem secundùm admonitionem, & auctoritatem Sedis Apostolicæ, capitula ab Apostolica Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de Sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt, ab omnibus obseruanda proferuntur, & subscribenda.]

Vides primò: quantùm tribuatur in causa fidei oraculis Sedis Apostolicæ, à qua capitula transmittuntur vetustissimam litem peremptura, statim Episcopi ab omnibus obseruanda proponunt, manibus suis subscribunt; illis omnes animum inclinare nè differant, edicunt.

Secundò: Cæsarius, Eucherius, alijque non pietate tantùm, sed eruditionis fama spectatissimi ità obsecundant definitionibus primæ Sedis, Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam vetque non nescientes.

Tertiò: Nec pura, putaque Sedis Apostolicæ verba, sed suas etiam Episcopi sanctissimi explanationes, sibi, Cleroque, & Laicis etiam amplexandas, subscribendasque repræsentant.

Vndè paulò antè calcem cap. vlt. [Quæ definitionem antiquorum Patrum, nostrámque quæ suprà scripta est, non solùm Religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus, & cupimus: Placuit, vt eam etiam illustres, & magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatem conuenerunt, propria manu subscriberent.]

Et Bonifacius II. in Epistola ad Cæsarium Arelatensem huius Synodi confirmatrice: [Fraternitatem tuam habita conlatione, cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, iuxtà fidem gaudemus sensisse Catholicam. In his scilicèt, in quibus vno, sicut indicasti, consensu definierunt, fidem, qua in Christo credimus, gratia diuinitatis præueniente conferri. Adijcientes etiam, &c. Quapropter suprascriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis adprobamus.] Vbi singulis penè vocibus significatur, non absolutissimè, & ieiunè capitulis Romæ missis subscriptum esse, sed ipsos Galliæ Episcopos conlationem habuisse, definisse, confessionem scripsisse, quam Sedes Apostolica confirmarit; quæ vtique non sua ipsius verba Episcoporum manibus subscripta sollicitaretur confirmare.

Quartò: Sed quia tamen doctrinæ summam dictauerat Sedes antè Apostolica, quia definitioni Episcopali auctoritatem eadem adcumulauit, hinc gloria in primarium tota refunditur fontem. Æquè alibi notauimus Africanarum Synodorum aduersùs easdem Pelagianas pestes iacula, à Sede Petri intorta fuisse, Patribus ijsdem de causis visum esse.

Quintò: Ità demùm conquieuere certamina, centum iàm annis in Gallicanæ Ecclesiæ gremio certata.

Sex-

Sextò: Laici ipsi subscribere adacti, vt verbis suprà relatis liquescit: nempè vt Laicis etiam medicamentum istud adhiberetur.

Septimò: Nemini in mentem venit, eorum, qui causa cadebant, mussare de paucitate Episcoporum huius Synodi, vel de Sedis Apostolicæ auctoritate ineluctabili in fidei quæstionibus terminandis: aut ad Synodum œcumenicam prouocare. Si quem tam dira libido incessit, aut castigauit ipse semetipsum, aut tam frustrà fuit, quàm cùm olim in Synodis particularibus, & Romæ damnari Pelagiani, generales Orientis, Occidentisque Synodos incassum suspirarent.

Octauo: Cùm antiquos Patres, vt auctores suæ huius doctrinæ, venditat semel, iterumque hęc Synodus, Augustinnm præ cæteris suspicit. Ex quo, & pleraque decerpit verbis totidem, omnia certè eius sententijs consonantissima canit. Nec aduersarij ipsi infensum sibi pugnare Augustiuum dissimulabant. Ergo non solo doctrinæ pondere, aut doctissimorum Patrum nomine opprimendi sunt visi, qui à recta delirabant semita; sed ineluctabili primæ Sedis maiestate. Quid enim Augustino doctius, cælestius, inuictius? Sed itá vel sponte sua, vel infelicitate sua cæcutiunt homines, vt de doctrina disputandi finem nullum faciant. Ergo pondere auctoritatis alicuius inexpugnabilis conterendi sunt.

3 Synodo porrò isti Arausicanæ per Sedem Apostolicam confirmatæ, quam incontanter deinceps assurrexerint omnes orthodoxi, declarat Hincmarus Rhemensis lib. de prædest. pag. 48. [Ideò dicuntur electi, quia de massa perditionis sunt gratia electi, nullum habentes meritum antequam eligantur, quorum electio ipsa est Dei misericordia, sicut in Arausicana Synodo, cui Beatus Cæsarius ex delegatione Sedis Apostolicæ præsedit, & capitula ab Apostolica Sede directa, subscribēda, & tenenda omnibus protulit.]

Et pag. 134. [Nunc si à sancta Arausica Synodo, cui Sanctus Cæsarius ex delegatione Sedis Apostolicæ pręsedit, discrepemus in aliquo, videamus.] Tum viginti quinque capitula Synodi huius compendiosiùs substringit, ac profitetur se à reuerenda, & veneranda, atque Catholica prolixitate tantorum Doctorum, nec in aliquo deuiasse.]

Et pag. 145. [Videat si in aliquo à Catholica fide, & expositione Synodi Arausicæ discordanimus.]

Et in Epist. ad Carolum Regem præfixa huic operi, de Sycophantis conqueritur, qui eius doctrinam itá traducerent, quasi contra sanctorum Patrum sensa in Africana, & Arausica Synodo sensisset.

Nec omitti sine piaculo potest, quod pag. 142. rursùs idem tradit: [Benè sanctus nourrat Cæsarius, qui ex delegatione Sedis Apostolicæ, huic Synodo præsedit Aurasicæ, quid sanctus Augustinus de libero arbitrio primo homini dato in lib. de Corrcp. & Grat. dixerat, quemque in libris de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ ad prædecessorem suū Hilarium scriptis commemorat. Quem etiam librum compar, & socius illius sanctus Prosper se habuisse non tacet, in Epistola ad Augustinum, dicens: Librum de correptione, & gratia plenum diuinæ auctoritatis emitteres, quo in notitiam nostram delato. Et credendum est, quia sanctus Prosper, Hilario, eumdem librum, quem se habere dixit, coniuncto, & familiari suo non negauerit. Vndè & Beatus Cæsarius, quæ hinc sanctus Augustinus dixerat, succedens in ordine suo sancto Hilario, non ignorauit. Ergo Augustini de gratia doctrinam sincerissimam, & illam maximè elimatissimam, quam posterioribus suis lucubrationibus edisseruit, Cæsarius Arelatensis à prædecessore suo Hilario ad se transmissam: & velut hæreditariam hac in Synodo propalauit. Ideò hanc Africanis Concilijs æquiparat Hincmarus, & ab ea deuiantem non aliter, quàm à fide Catholica deficientem detestatur. Similiter Valentina Synodus eodem tempore, can. 6. [Fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres, auctoritate sanctarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt: quod Africana, quod Arausica Synodus professa est: quod Beatissimi Pontifices Apostolicæ Sedis Catholica fide tenuerunt.

4 Et non abs re Hincmarus ex illis maximè posterioribus, ijsdemque vehementioribus Augustini libris Arausicanos Canones expromptos affirmat. Superstite enim ipso Augustino emerserant isti aspetioris eius doctrinæ criminatores, ab eoque fuerant his opusculis confutari. Sed vsque adeò inermis sapientia contemnitur à peruicacibus, vt centum annorum curriculo totam illam Augustinianæ Theologiæ lucem auersati fuerint, donec auctoritate Synodi, & Sedis Apostolicæ deterriti, quod intelligentia non poterant, fide complecterentur. Mirari porrò subit, quòd Augustini verba ipsissima, & sensa vbique sequatur Synodus, nominis eius nec semel meminerit, Sed semel, & iterum antiquorum Patrum hanc esse doctrinam affirmat, itemque Sedis Apostolicæ. An ergo inuidiam, quæ in Augustinum nominatim ebullierat, eo modo propulsant? An suo exemplo sanciunt, nunquam vnius alicuius seorsim sensum, sed omnium vbique Patrum consensionem ab Ecclesia magnifieri? An Augustinum antiquis Patribus consentire, ab ijsque, quod hauserat, posteris insudisse significant; ideòque & si eius verba magis, cæterorum tamen peræquè placita à se renouari?

5 Illud denique non piguerit fortasse obseruare, & si acumine præpollerent, & si peruicaci, & diutissima decertatione omnes de gratia, & libero arbitrio quæstiones vexassent Gallicani ea tempestate Doctores: hæsisse tamen illos intra quosdam limites, vltrà quos longè & effusissimè spatiata est posterorum, nempè scholæ Doctorum, curiositas. Omnes perpende articulos, ad popularem etiam intelligentiam omnes sunt accommodati, Nimirùm pec-

ca-

catum Adæ in nepotes traijci, & animæ quoque officere: non voluntare gratiam, sed gratia voluntatem aoteueniri: initium fidei à gratia proficisci: cogitationis bonæ fontem à gratia deriuari, & id genus alia. Nusquam ibi autem subtiliores illæ quæstiones, quæ iuniorem scholam occuparunt; voluntatis per gratiam adiutæ consensio io bonum, voluntati adsigoanda sit, vt efficaciter sese: an gratiæ, vt voluntatem inuictissimè determinanti? Priùs ad bona opera Deus, & ità ad gloriam: an antè ad gloriam prędestinet, & tum ad bona merita? His & alijs innumeris supersedetor, & si copiosiùs de gratia definiatur, quàm vsquam alibi. Et inuictissimè quidem à gratia agi voluutarem dixerat Augustious, non id tamen hic inculcatur. Quo magis patet, multa subtilioribus scholæ indagatinnibus permittenda esse, quæ in fidei normam, & in synodicas definitiones non sint inducenda. In his enim spinosioribus quęstionibus, quàm implacata iamdiù pręlia? Ar in Arausicana hæc placira omnes conspirant. Ità enim par est, vnitatis viuculo oomes fideles constringi.

6 Non aliter Cælestinus olim Papa Gallorum Presbyterorum iurgia, & efferuescentes aduersùs reconditiorem Augustini doctrinam concertationes sedare adgressus: capitula quædam eius nunc epistolæ aonexa destinauit, aut approbauit certè; quæ breuem quidem, & expeditam, dilucidamque complectantur Catholicæ de Gratia sententiæ summam: ad intimiores autem illas, & minutiores quæstionum calliditates haudquaquam descendunt, quæ iam tunc cœpetant ventilari. Perpende ex Epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum: ex eiusdem etiam Prosperi responsionibus ad capitula Gallorum, ad obiectiones Vincentianas, ad Collatorem, quanta & copia, & moles disputatioo um aduersùs Augustinum efferbuisset: tumque refer te ad Cęlestini Capitula, & paucula attingi, eaque enodatissima, vulgique ferè viribus coaptata comperies; reliqua intacta preteriri, aut his paucis velut priocipijs alligata insinuari. Non ista, vt quibusdam in consimili specie improbè quandoque suspicari libet: non ista, inquam, Sedis Apostolicæ indiligentia est, non affectata caligo: non lucis penuria, aut pareitas, seu inuidia est: sed Ecclesiasticæ Theologiæ sapientia, sui semper similis, & in omnibus Oecumenicis Synodis constantissimè vsurpata fidei sobrietas. Quid eoim quatuor Oecumenicæ priores Synodi, nisi consubstantialitatem Verbi, & Spiritus sancti com Patre, vnamque in duabus naturis Christi hypostasim definieruot? Nihil vberiùs hac sobrietate, nihil hac parcitate locupletiùs. Tractatores ecclesiasticos latiùs luxuriate consentaneum est, fidei formulas succincta decet breuitas, & popularis penè perspicuitas.

7 Nec me clam est, vix, ac ne vix quidem ea capitula à Cœlestino coosc ripta dici posse. In ipsa Conciliorum edirione, hæc prænotantur: [Non videtur dubitandum, quin sequentia siot Prosperi: tam sunt similia, & argumeuto, & stylo eius scriptis: libro certè contra Collatorem capita quædam attingit, non dissimiliter, atque hic leguntur.] In antiquioribus editionibus Cęlestioo similiter abiudicabantur his verbis: [Sequentia vndecim capita videntur potiùs ab alio quodam interposita, quàm esse ipsius Cœlestioi Papæ.] Sanè huius capitum compilationis in epistola ipsa Cœlestinus non meminit. Item creber hic Innocentius, creber Zosimus allegatur, nusquam prædecessores appellantur, quod solent tamen Romani Pontifices, & quod ipse in epistola sua Cœlestinus vsurpat. Denique ipsamet verba fidem faciunt, ab alio, quàm à Romano Pontifice exaratam esse hanc formulam: [Magistris nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur: eaque tantummodò sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Sedes Petri per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit. Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicauerint, &c. ità vt etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas vtique suas fecerunt Apostolici Antistites, cùm probarunt.] Quæ tota præfatio sapit prorsùs alium quemuis Scriptorem, non Romanum Antistitem. Idem produnt hæc ad calcem verba: [Quidquid secuodùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.]

8 Cœlestini tamen nomine iam olim insigniebantur hæc capita: & quidem iam tum, cùm Petrus Diaconus ex Oriente Romam cum socijs missus, lib. de Incarnatione, & Graria ad Fulgentium scripto cap. 8. post relata quædam Innocentij Papę verba, subdebat: [His congruè beatissimus Cœlestious in epistola ad Gallos data: Cùm enim, ioquit, sanctarum plebium, &c.] tum tria vltima horum capitum exscribit. Quin Hormisda Pontifex iu epist. ad Possessorem missa ad ea videtur alludere, [De arbitrio libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & seruet Ecclesia, licèt ex varijs libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum abundè possit agnosci: tamen & in scrinijs ecclesiasticis expressè capitula continentur, quæ si ibi desunt, & necessaria creditis, destioabimos.] Quæ alia enim coniectabimus Capitula in scriuijs ecclesiasticis Romaois de gratia, & libero arbitrio? Deuique exhinc Ecclesia Lugdunensis, Hincmarus, alijque Scriptores Ecclesiastici indubiranter Cœlestini nomine scriptum illud induere. Nec mirum, cùm in Codice Canonum Ecclesiæ Romaoæ, inter decreta Cœlestini Papæ, Capitulis illis, præfixæqoe Cœlestini epistolæ primus vendicetur locus. Vide Hiocmarom de prædest. cap. 22. & alibi.

9 At à Prospero conscripta fuisse illa Capitula, vt coniectura sit: vereor, vt auctoritas adsit. Hincmarus videri posset ità sensisse lib. de oon trina Deirate, [Contra decrera Cœlestini Papæ, ex cuius delegatione beatus Prosper, hinc exortam hæresim

sim

sim per auctoritatem Scripturarum, & doctrinam beati Augustini reuicit, & compressit in Gallijs.] Decreta hic dicuntur Cœlestini ea capitula, de quibus hic agitur, nempè in Codice Canonum Decretis eius intertexta. At delegatio Prosperi à Sede Apostolica quò pertinuerit, exploratum facit alibi Hincmarus: [Prędestinatianorum hęresis auctoritate Papæ Cœlestini, ex delegatione ipsius, per S. Prosperum in Gallijs est reuicta.] Et lib. de prædest. cap. 3. [Aliter quàm beatus Prosper ex delegatione Sedis Apostolicæ, iussu sancti Cœlestini definiuit.] Et paulò suprà: [Legatus Romanæ Ecclesiæ, fidelisque eius interpres beatus Prosper.] Quæ magis trahenda videntur ad ea, quæ Prosper varijs respondit obiectionibus; vbi Prædestinarianos Hincmari tum explosit, cùm austeritatem illam, & sęuitiam, vel detrectauit, vel emolliuit, quam ex Augustini scriptis nonnulli exprimebant. Nec inficiandum tamen est, Legatum Romanæ Ecclesiæ, legatione Cœlestini toties ornatum Prosperum, conuenientiùs, quàm quemquam alium, hac gloria cohonestari, vt ea scriberet, quæ Cœlestini nomine auctorarentur.

10 Quæ si ità habeant, tantò maior incesset admiratio Theologicæ huius sobrietatis. Quàm abstrusas enim, & intricatas Prosper quæstiones disceptauerit in varijs aduersùs Augustini ęmulos opusculis, nemo nescit: de prædestinatione, de reprobatione, de voluntate Dei in omnium salutem benefica, de Christi sanguine omnium redemptioni impenso, de prædicatione, & gratia omnibus oblata, & de sexcentis id genus alijs. Et idem tamen, vbi à liberiore illo Theologicarum disputationum campo in breuiorem fidei gyrum se recipit, vbi Pontificis Romani nomine, & vice sacra, fidei formulam scribit: tum verò ille perpauca, haud abstrusa, sed penè obuia, & Christianæ pietati familiaria sancit; sequestrata, vel his tantùm, ceu principijs, inuiscerata omni illa Augustinianæ Theologiæ opulentia, quæ nisi longo anfractu, & per spineta, ac salebras adiri non potest. Nec fas tamen cuiquam est à doctrina Prosperi prolixiùs disputata deuiare: cùm & hanc ex Cœlestini delegatione, si fides Hincmaro, conscripserit: sed longè aliud est, Theologicum stadium percurrere, aliud à fidei Symbolo, seu Breuiario non discedere.

Denique augescet etiam hæc admiratio, si pristinam eius animo refricaueris asperitatem aduersùs Augustinianæ doctrinæ allatratores. Ità enim ad Augustinum ipsemet aduersùs illos scripserat: [Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis, &c. Intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem.] Et cont. Collat. cap. vlt. [Huiusmodi hominum prauitati, non tam disputationum studio, quàm auctoritatum priuilegio est resistendum: vt de prostrati dudùm dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere.] Confidit mox fore, vt sicut anteriores Ecclesiæ Romanæ Pontifices, lupos abegere manifestos, ità Sixtus depellat occultos. Ità ille & inter, & post Cœlestini tempora sæuiebat priuatim; at cùm Cœlestini sustinebat nomen, & personam, mansuescebat vtique, neminem abscindebat, facilem fidei regulam temperabat.

11 Sed siue Prosper, siue quicumque demùm alius vicarium Cœlestino Pontifici calamum commodabat: erat ille indubiè Augustiniani, & nominis, & dogmatis tam studiosus, quàm qui maximè. Circumgestabat etiam ille totam Apostolicæ Sedis auctoritatem, hoc est, summam, & inuictissimam. Atque adeò in potestate habebat aduersarios, suæque de illis victoriæ arbiter ipse erat, quò illam vsque vellet effundere. At vide, quàm pauca, quàm plana, & explicata ad fidei necessitatem vocet. Reliqua huic regulæ subijciat: [Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quęstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hęreticis restiterunt: sicut non audemus contemnere, ità non necesse habemus astruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil subtrahendum est: satis sufficere credimus, quidquid secundùm pręd ictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: vt prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententijs esse contrarium.] Catholicæ ergo fidei vinculum, ad has regulas dumtaxàt astringitur. Quòd eæ satis sufficiant. Sunt prætereà profundiores, & difficiliores, quæ incurrunt, quæstiones. Circa eas hæc nobis præfigitur regula: ne audeamus contemnere, non necesse habeamus astruere. Etenim veluti ex latere incurrunt, & ex occasione tantùm pertractantur, nec à Synodis, vel summis Pontificibus definiuntur, sed latiùs pertractantur ab ijs, qui hæreticis restiterunt: ideò in fidei Breuiario non necesse est eas astrui. Si quis tamen eas contemnit, multò magis si quis infamat, si quis exagitat, & refellit, huius vituperatur audacia. Nam præter fidei regulam, sunt & alij officiorum fines, quibus circumscribenda est sapiendi cupiditas. Et incidentium harum quæstionum paternis tractationibus suus etiam honoris, & obsequij modus tribuendus est; seu propter earum cum ipsis fidei regulis cognationem: seu ne eorum, qui hæreticis restiterunt, merita, laudesque temerè minuantur.

12 Huic Cœlestini clementiæ applausit sanctus Remigius, & Ecclesia Lugdun. in lib. de tenenda veritate Scripturæ, cap. 12. prolato etiam testimonio alterius libelli, de tribus epistolis, ab eadem Ecclesia editi: [Cùm ergo hæ duæ opiniones in præfato libello, de hac re propositæ, & expositæ fuissent: subiunctum est protinùs valdè vtiliter, & dictum; Quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat. Similem quoque sententiam B. Papa Cœlestinus, de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit, dicens de eis: Quæ sicut non an-

audemus contemnere, ità non necesse habemus astruere.] Augustinianæ de gratia sententiæ austeritatem toto hauserat pectore Remigius cum sua Ecclesia: vt omnibus est compertissimum, qui eius scripta vtcumque attigere. Nequaqam tamen abhorrebat ab hac Cœlestini humanitate, immò & Augustini; qui vt alibi perstrinximus, haud passus est resercari eos, quorum imbecillitas ab eius aliquot dogmatum asperitate resiliebat: haud vnquam ità, suam toto animo combibi voluit, vt aliorum Ecclesiæ Patrum doctrina fastidiretur. Sed quando huc delati sumus, pergamus porrò hanc, & Arausicæ Synodi, & Cœlestinianæ definitionis modestiam, eiusdem Remigij, & Ecclesiæ Lugdunensis suffragio, & exemplo illustrare. Cùm ergo de voluntate Dei omnes homines ad salutem prouehente sermo esset, quæ non postrema est profundiorum illarum, & defficilium quçstionum: atque circà eam aliæ, & aliæ Patrum sententiæ essent in medium prolatę, illę austeriùs, hę clementiùs voluntatem Dei interpretantes; sic Remigius hortatur: [Sit ergo inter nos etiam de hac re istiusmodi pia cautela, & moderatio, quatenùs, & sanctis Patribus debitus seruetur honos: & quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hac sententia ab eis positi sunt, non iudicemus esse hæreticum. Sed potiùs vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis, & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosiùs esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit, Itàque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione: vt nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare conemur: memores semper illius Apostolicæ sententiæ, Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.]

Et antè Carolus Magnus in Capitul, lib. 7. cap. 28. 29. [Non debere quenquam ad iniuriam Doctorum vindicare doctrinam, &c. Profundiores quęstiones, nec contemnendæ sunt, nec peniiùs asserendæ.]

13 Astruendæ sanè huic sobrietati accommodatissima ista sunt, sed vereor, vt eorum ponderi ferendo simus. Quò enim euadent, tam familiares contentiones, quibus & Patres, & sensus alios aliorum auctoritate, ac mole obruere ęstuamus, si [per contentionis malum, etiam de pacificis, & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit?] Itàne potest quis Ecclesiasticos sensus tueri, adeòque, verissimos: & eos tamen ità exasperare diuersorum, non tamen vero aduersorum sensuum, Patrumque his suffragantium, repudiatione, vt hęreticum efficiat, quod sentit? Ità mihi quidem sonant verba Remigij. Hæreticum est enim, non tantùm falsa astruere, sed etiam vera destruere. Itàque, qui vera sic astruit, vt vera etiam destruat: ille hæreticus non iniuria audit. Et quamquam non capiat, vt hæc vera sibi clam consentiant: etsi eorum compugnantiam videre sibi videatur, veniæ tamen exortem facit contentionis malum.

Idem rursùs ibidem mox rationem aliam suppeditat rei eiusdem, permagni & ipsam momenti [Legamus ergo pacificè; & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata Ecclesiasticorum virorum; nec pro alijs Doctoribus aduersùs alios litigemus. Quia, & ipsi inter se pacifici, vnusquique in suo sensu abundauerunt, alius quidem sic, alius verò sic: expectantes fideliter, atque humiliter, quod Apostolus promittit dicens: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Nàm qui non tranquillè, & pacificè moderatur, quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissentiones, & scandala: etiamsi non habeat hæreticum sensum, certissimè habet hæreticum animum.] Vides, vt quamquam absit hæreticus sensus, subest tamen quandoque hæreticus animus, nempè ad dissensiones, & scandala pręceps; & veritatem quidem, sed inimica veritati pugnacitate, & ea, qua heresis solet, impotentia, atque insania defendens? Exemplo statim res elucidatur. Cùm enim dicat Apòstolus, velle Deum omnes homines saluos fieri: *hic Patrum aliqui* volunt, omnes intelligi omnia genera hominum, omnium scilicet sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum.

Ait autem Remigius: [Quid habet hæc intelligentia inconsequens, aut contrarium veritati? Alij omnes de vniuerso genere humano generaliter, & indifferenter intelligunt.]

Et ibi Remigius: [Quid habet, inquit, mali, aut periculi etiam ista intelligentia? Quamquam enim specie tenùs hęc collidantur; in recessu tamen consentiunt. Et ambo sibi, & iste videlicet, & ille, licèt diuersa sentientes, fideliter, atque vnanimiter concordant.]

Et rursùs eadem Lugdunensis Ecclesia lib. de tribus epistolis cap. 13. duplici similiter præmissa sententia, alia duriore, alia humaniore, de voluntate Dei omnium hominum saluti aspirante: subdit: [Quæ omnia cùm tam obscura sint, & tam profunda, atque perplexa, nollemus inter fratres, & charissimos nostros aliquid de his contentiosè ventilari, vel temerè definiri: sed potiùs quod in eis certu est, sine dubitatione defendi: quod autem etiam inter magnos diuerso modo, sed non diuersa pietate sentientes, ambiguum, atque incertum remansit, etiam apud nos, & reuerenter honorari; quia neutrum eorum videtur esse falsum, vel fidei contrarium. Et magis in talibus inquietos, & contentiosos ad tranquillitatis, & sobrietatis modestiam prouocari: quàm pro inusitatis, & minùs elucentibus rebus aliquem immoderata austeritate, ac seruitate damnari.]

His non oscitanter perlectis, impensiùs, vt opinor, miraberis, & Cœlestini, & Arausicanæ Synodi sapientiam, quibus in fidei definitione visum est supersedendum his quæstionibus, tam profundis, atque perplexit, in quibus Theologi, & olim, &

po-

posteà stetere diuerso modo, sed non diuersa pietate, adeòque nihil sensere falsum, vel fidei contrarium. Adeòque qui in his immoderata seueritate, atque austeritate damnandi abutitur, is non immeritò ipse damnabitur, vt qui per contentionis malum, etiam de pacificis, & Ecclesiasticis sensibus, hæreticum efficere potuerit, quod sentiebat: aut vt qui etiamsi fortè non habuerit hæreticum sensum, certissimè habuerit hæreticum animum.

14 Et idem Remigius iterùm cum Ecclesia Lugdunensi lib. de tribus epist. 14. disputationem adgreditur de morte Christi pro omnibus adita, & præmissis exteris ea de re Augustini, aliorumque Patrum sententijs, ita tandem concludit: [Quòd si inueniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impijs in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicat, &c. Si placet, sicut & nobis multùm placet, vt etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem, & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur: nulla ergo contentione pro alijs aduersùs alios litigetur: non vna sententia pro altera damnetur. Et quia verè fieri potest, vt ignorantiam, vel imperitiam nostram in hac re aliquid lateat; nihil temerè definiatur: vt quolibet quis acquiescat modo, non fit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat.]

Et rursùm cap. 24. de Deo volente omnes homines saluos fieri, commendata Augustini interpretatione, subjicit: [Et licet alij quidam sancti, & venerabiles Patres simpliciter illa Apostoli verba accepisse inueniantur; vtrorumque tamen sententia fuerat honoranda: nec, vt iam superiùs dictum est, vna pro altera damnanda. Quia & illa ex diuina auctoritate vera esse monstratur: & ista quadam pia ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur.]

Tum reflectitur iterùm sermo ad pretium Christi sanguinis pro omnibus fusi: [Iam illud de Dominici sanguinis pretio, quòd pro his tantùm, qui credere voluerint, datum sit, manifestum est, sicut suprà satis ostendimus eorundem beatorum Patrum sententia. Vnde etsi inuenti sunt alij æquè Patres, qui illud gloriosum pretium, etiam pro numquam credituris, & in sua impietate perituris datum esse non abnuant; meliùs, vt credimus, vtrique honorarentur, nec pro alijs alij damnarentur. Quia & illud manifestè diuina auctoritate firmatum est: & istud, si piè sentitur, non est abnuendum.]

Et cap. 26. rursùm de Dei voluntate saluifica, & mitiori, & immitiori Patrum sensu perstricto, ait: [Ne propter istum ille damnetur, sed potiùs vtrique sensui propter veracem, & piam Pattum auctoritatem fideliter obediatur.]

Et denique cap. 27. denuò de morte Christi: [Quòd si, & aliqui Patrum pro omnibus omninò hominibus Dominum passum intellexerunt; honoretur, & iste vt[?]ut pius sensus: dummodò ille prior, qui est certissimus, & diuina veritate firmatus, nulla præsumptione contemnatur: vel, quod est grauiùs, damnetur.]

15 Atque vt ne diutiùs ambigas, quinam ex Patrum Senatu mitioribus his suffragentur sententijs, illam dubitationem expunget, atque antedictis noua adminicula adijciet Lupus Seruatus, preclarus eiusdem æui scriptor, & Augustinianæ ipse quoque doctrinæ præcipuus admirator. Sic ergo ille quest. 3. seu de redemptione sanguinis Christi: [Quidam velut blasphemum vehementer execrantur, & damnant, quod derogetur plurimùm Redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem salua fide causam, itá in medio relinquamus, vt si quilibet eundem sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare; non solùm resistamus nihil, verùm etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nàm si Sol cæcos non illuminet, tamen fouet: Cur non potentior Sol, tametsi non saluat suo merito excæcatos, atque damnatos: tanti pretij merito puniat mitiùs?] Et paucis interpositis: [Verùm ne me irridendum, & respuendum pronunciem, quibus placet, omnes, siue bonos, siue malos indifferenter à Christo Redemptos: ponam vnum, quod eùm eis faciat testimonium, & eos omnes, vt opinor, in gratiam reduxero. Ioannes Constantinopolitanus doctrina, & sanctitate iuxtà insignis Episcopus: Vt gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, sic exposuit: Qualiter gratia pro omnibus gustauerit mortem, non pro fidelibus tantùm, sed pro vniuerso Mundo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credant? Id, quod suum erat, impleuit.]

Vbi & mediocritati antea vehementer nobiscum fauet, & illas clementiores de voluntate Dei omnium saluifica, de Christi morte omnium saluti dicata, de gratia denique diuina sententias, Chrysostomi esse docet, adeòque Græcorum, Chrysostomi ferè sequacium; vt Latinos sileam eos saltem, qui Augustini æuum antecessere.

16 Ex quibus illud manifestè elucescit, perversum esse, quòd quidam Patres Patribus collidunt, Orientalibus Occidentales, Græcis Latinos, Augustino Chrysostomum, Augustino posteriores Latinos anterioribus: quasi intestino inter se, & implacato sententiarum dissidio belligerentur; ac necesse sit, optare, quorum transfuga, quorum commilito esse velis. Quo nihil in re Theologica insolentiùs. Eccubi enim in tam spatioso Ecclesiasticæ fidei, ac doctrinæ campo, itá Patres inter se conflictantur? Aduersùs cæteras hæreses vna omnium conspiratio, vna acies est.

Quin ergo, & aduersùs Pelagianas insanias consentire sibi omnes existimantur? Quæcumque supersunt acta Synodorum, maximè generalium, ea percurre; vbique Patrum concentum præ se fert Ecclesia, nunquam rixam, aut dissidia.

Cœlestinus maximè, & Arausicana hæc

hæc Synodus indiscriminatim non alicuius, aut aliquorum seorsim, sed Patrum sententiæ inhærendum, nempè vt nusquam dissonanti, tradunt. Incurrentium quoque extrà fidei substantiam quęstionum elucidationem, nec contemnendam, nec necessariò astruendam, Cœlestinus vniuersim peti monet ab ijs, qui hæreticis restiterunt.

Ità, & Remigius aiebat, sanctis Patribus seruandum honorem, & sicubi illi diuersa sentiant, salubri vtendum moderatione, vt nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare. Nec enim pro alijs Doctoribus aduersùs alios litigandum, quippè & ipsos esse inter se pacificos: vbi maximè hinc, & hinc videntur conflictari, ambos sibi licèt diuersa sentientes, fideliter, atque vnanimiter concordare. Si quid inter magnos Patres diuerso modo, sed non diuersa pietate sentiatur, ambiguum id remanere debere, & reuerenter honorari. Erant vbi alij plurima eruditionis copia, alij simpliciter, quadam pia ratione, vel pietate, diuersum quid sentiunt, vtrorumque sententiam honorandam: Etenim meliùs vtrique honorantur; nec pro alijs damnantur: item vtrique sensui propter veracem, & piam Patrum auctoritatem obediendum.

Hic modus est, hęc via explicatissima, non fouendæ tantùm pacis, & charitatis, sed fruendæ etiam veritatis, ad quam per charitatem intratur. Sæpè enim quid contentione hæreticum fit: sępè per contentionis malum etiam de pacificis, & Ecclesiasticis sensibus hæreticum quid efficitur. Illud quoque etiam, atque etiam pensiculandum, [quia verè fieri potest, vt ignorantiam, vel imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, ideò nihil temerè definiendum,] nempè à priuatis tractatoribus, Nàm Sedis Apostolicæ definitionibus quãtum, & hæc Synodus, & Remigius cum sua Ecclesia venerationis impenderit, in aperto est.

Postremò huc Concilia, huc Pontifices, huc Patres nostra studia impellunt, vt industriam, operamque omnem non in discordia Patres inter serenda, sed in eorum mutua inter se pace rimanda ponamus. Si fallat nos autem clandestina eorum inter se concordia, hebescere potiùs acumen nostrorum intelligamus, quàm totam hallucinari Ecclesiasticã antiquitatem, huius concordiæ testem, & administricem.

Hoc saltem argumento reuincamus istos fabulosæ discordiæ auctores, quòd non Græcos tantùm Latinis, Chrysostomum, Augustino, Latinos anteriores posterioribus; sed ipsum sibi Augustinum iuuenem seni, immò senem seni committunt, & ipsius aduersùs ipsum armis, librisque dimicant. Nimirùm recti tramite semel omisso, per auia iam aguntur præcipites; & quo ipsi intùs laborant dissidio, cò Orbem omnem æstuare sibi fingunt.

17 Vtque pulcherrimo res ista finiatur exemplo, aliqua hic decerpam ex Georgij Scolarij orat. 4. ad Concilium Florentinum, quibus aperitur ea ratio, quæ in ea Synodo ad Græcos Latinæ Ecclesiæ conciliandos necessariò tandem inita est. Cùm enim Græcorum contumacia suæ tantùm gentis Patribus assurgeret, qui processionem Spiritus sancti à Filio, quia subobscuriùs docent, refellere eis videbantur: Latinorum autem Patrum id enucleatissimè docentium auctoritatem detrectaret: non alio ferè potuit consilio pax, fideique vnitas constitui, quàm pace retrò Patribus ipsis vtriusque gentis reddita, & pari vtriusque reuerentia, vt à se mutuò nihil discrepantibus, adsignata: [Non erunt porrò Scripturæ quidem pronunciata concilianda inter se, vt maximè oportet; eorum verò interpretes, aut vbi ea elucidant, aut vbi de illis disputant, in oppositas sententias distrahendi: Sed par in illos quoque nauanda beneuolentia, nullique deneganda illa obseruantia, quæ omnibus debetur. Nàm si hos quidem recipiendos, atque in honore habendos, alios verò censebimus reijciendos: putantes inter se illos pugnare; nihil ftui nobis licebit reuerentia, qua Scripturas honoramus: interturbata pace Scripturarum per apparentem pugnam Doctorum, &c. Discrepantiæ crimen ab eis ad Scripturas, vel inuiti transferemus, & Spiritui sancto adscribemus, à quo Scripturæ manarunt; & illos quidem examinasse omnia rectè, atque prudenter, Scripturam verò illis dedisse causas pugnæ arbitrabimur. Ad hæc sapientiores nos, sanctioresque illis ostendemus, si veritatem quidem Scripturarum nos assequi possumus, & cũ alijs Doctoribus concordare: ipsi verò neutrum sunt assecuti: & opinati sunt, quæ non oportebat, & bellum cum fratribus perpetuum susceperunt.]


Quæ tanta pernicies, vt ab ipsis fidei ceruicibus propulsetur, subdit: [Etsi viderẽtur Sancti digladiari inter se, aut certè sermonibus oppositis de rebus propositis vterentur: ne sic quidem esset difficile eos inter se conciliare, verborumque pugnam tollere per conuenientiam sensus. Non enim deessent nobis ad hoc viæ quædam, & præclara inuenta, quæ subministrat vbertas Philosophica, si vellemus apparentes oppositiones diluere cum adminiculo veritatis. Nunc autem non ità se habere Sanctorum scripta, omnes videmus: sed multa illis tranquillitas est, & emittunt nobis eminùs concordiæ radios. Quòd si quid etiam in illis discrepantiæ mixtum est, superficie tenùs illud est, atque in speciem.]

Et paulò infrà longè præstantissimè: [Mihi videtur nihil posse tutiùs contingere hominibus, qui se existimant reddituros rationem vitæ pariter, ac opinionis. Quamuis enim, ità futurum esset, vt à veritate aberraremus; idonea tamen nobis esset apud Deum excusatio: quòd pacem habere voluerimus post longa dissidia, dispositisque controuersijs in vnam omnes ire sententiam. Cùm verò nobis ipsis non confideremus, ad Scripturas accurrimus, & Do-

& Doctores. Apparente verò in ijs etiam discrepantia quadam: considerauerimus nullum esse posse vestigium pugnæ, & erroris in illis, qui sunt Spiritus Dei afflatu edocti: volentesque omnibus æquè conseruare opinionem sanctitatis, conciliatores potiùs, quàm iudices ipsorum sederimus: & illi quidem à nobis, quò ad eius fieri potuit, in vnam redacti concordiam, postea verò, & nos vniti fuerimus: delectaque à nobis hæc pacis via, vti tutior alijs, multa, & manifesta habentibus coniuncta pericula.] Tempero mihi, ne plura accumulem.

Et hic porrò agitur de Græcorum, Latinorumque Patrum concordia, nostraque iudè religata pace. Quæ ergo hactenùs attigi, quà ad disciplinam pertinent. Dogmata enim ipsa enucleare non huius quidem est, opusculi institutum.





DISSERTATIO XVIII.

In Synodum Romanam Anno Christi 532.

SYNOPSIS.

In dubijs fidei quæstionibus, consulenda Sedes Petri, eique assentiendum est. Ostenditur id primùm exemplo Orientalium, Romanos Pontifices percontantium, an Vnus de Trinitate passus: An Maria propriè, & veraciter Dei mater dici deberet. Hormisdæ Papæ in his dispensatio, & consensus cum Ioanne successore aduersùs Heterodoxorum calumnias declaratur. Vsque ad num. 17.

Tum vniuersim demonstratur ex sanctis Patribus, consulendam in fidei disceptationibus maximè Sedem Apostolicam, eiusque iudicio standum esse. Vsque ad num. 29.

Longè plures hæreses auctoritate Romani Pontificis principaliter contritas esse, prolixa enumeratione euincitur. vsque ad num. 35.

Græcorum consensus in hoc primæ Sedis priuilegio constituendo, vsque ad num. 43.

Gallicanorum Conciliorum, Pontificum, Scriptorumque vnanimis ad idem consensus: tum antiquissimorum, tum medij æui, tum denique iuniorum, vsque ad Constantiensis Synodi tempus: cùm eorum pauci quidam secùs sentire coeperunt; nec suam ipsi tamen dissimularunt, & nouitatem, & paucitatem. Vsque ad num. 76.

Etiam nunc, & iam olim vnam apud Occidentales maximè omnes, & Gallos ipsos Antistites haberi, Romani Pontificis, atque Ecclesiæ vniuersæ, hoc est, Capitis, & Corporis vim, sententiam, auctoritatem. Vsque ad num. 101.

Occursantes quidam scrupuli amouentur; tota hæc doctrina ad summa quædam religatur fastigia: denique ne defensoribus quidem ipsis, seu priuilegiorum, seu libertatum quarumcumque refugiendam esse hanc sententiam ostenditur. Vsque ad calcem.

1 IN ambiguis circa fidem quæstionibus, relatum esse toto ex Orbe ad Sedem Apostolicam: & quod illa definisset, etiam ante Synodum Oecumenicam, inconcussa fide in Catholicum dogma receptum esse, hoc manifestissimè exemplo patefiet. Cùm enim in Oriente disceptaretur, an vnus de Trinitate passus dici deberet: ea de re ad Hormisdam relatio missa est à Iustino Imperatore, Iustiniano Comite, & Epiphanio Episcopo Constantinopolitano.

2 Et primò quidem ità consulitur Pontifex, vt in eam, quam ille amplexus fuerit partem, omnes consensuros indubium sit. Ità enim Iustinianus ad Hormisdam: [Illud etiam magis, magisque deposcimus, vt tua sanctitas concepta gratia cælesti, quæ pretendunt Orientales Episcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum. Nobis enim videtur, &c.] Sibi videri ait, vnum de Trinitate passum: & mox; [Rogamus igitur reuerendissimè salutantes, vt iudicij futuri memores, causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum.] Et rursùs idem ad eumdem, eadem solui dubia flagitans, de nominibus quorumdam Acacianæ communionis Episcoporum, & de vno in Trinitate passo: [Ostendat tuus Apostolatus, quod Petro successit Apostolo, quoniam Dominus à vobis vtpote summis pastoribus exactutus est vniuersorum salutem, qui poterunt esse salui firmata concordia. Nos enim finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, vltrà non patiemur à quoquam controuersiam religionis in Republica nostra moueri: nec vestram sanctitatem conuenit audire superflua concertantes.]

Et idem Iustinianus ad eumdem Hormisdam, [Quidam prædicant Christum pro nostra salute crucifixum vnum de Trinitate debere prædicari. Quòd si suscipiendum sit, paterna prouisione reuerentia vestra cautissimo suo rescripto quid sequi, quidue super hoc euitare debeamus, nos certiorare dignetur. Quoniam verba videntur facere dissensionem. Nam sensus inter Catholicos omnes vnus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes: & de hac intentione liberos nos properate reddere, & securos. Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intima-

matum.] Et Hormisda ipse epist. 79. ad Iustinum Imperatorem, qua incarnationis arcanum prolixè reserat, ità orditur, [Inter ea, quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinentia, in literas conruliſtis: hæc quoque cura fidei, cui multipliciter vos ſtudere declaratis, adiecit, vt aliquorum preces perferendæ ad humilitatis meæ notitiam iungerentur, quibus vel quid quæſtionis oriretur agnoſcerem: vel ad ſummouendum propoſitæ conſultationis ambiguum reſponſum à me religioſæ ſcientiæ conueniens redderetur.] Decretorium vt vides iudicium, cui omnes deinceps acquieſcerent, expectabatur à Sede Petri.

3 Et rurſùs idem Iuſtinianus ad imperium iam proue&ctus, ad Ioannem II. Papam ità tadem de re ſcribit: [Manifeſtum facimus ſanctitati veſtræ, quòd pauci quidam infideles, & alieni, ſanctæ Dei Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ contradicere Iudaicè, atque Apoſtolicè auſi ſunt; aduersùs ea, quæ ab omnibus Sacerdotibus ſecundùm veſtram doctrinam rectè tenentur, &c. negantes Chriſtum incarnatum, atque crucifixum, vnum eſſe ſanctæ Trinitatis, &c. Omnes verò ſacerdotes ſanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, & reuerendiſſimi Archimandritæ ſanctorum ſequentes veſtram ſanctitatem, & cuſtodientes ſtatum, & vnitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum, quam habent ab Apoſtolica veſtræ ſanctitatis Sede, &c. vno conſenſu confitentur vnum eſſe ſanctæ Trinitatis, &c. Omnes ſacerdotes ſequentes doctrinam Apoſtolicæ Sedis veſtræ ità credunt, & confitentur, & prædicant, &c. Petimus ergo veſtrum paternum affectum, vt veſtras ad nos deſtinetis literas; & ad ſanctum almæ huius vrbis Patriarcham fratrem veſtrum, quoniam & ipſe ſcripſit ad veſtram ſanctitatem, feſtinans in omnibus ſequi Sedem Apoſtolicam beatitudinis veſtræ; manifeſtum nobis faciatis, quòd omnes, qui prædicta rectè confitentur, ſuſcipit veſtra ſanctitas: & eorum, qui Iudaicè auſi ſunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ità, & circa vos omnium amor, & veſtræ Sedis creſcet auctoritas: & quæ ad vos eſt vnitas ſanctarum Eccleſiarum, inturbata ſeruabitur, quando per vos didicerint omnes beatiſſimi Epiſcopi, eorum, quæ ad vos relata ſunt, ſinceram veſtræ ſanctitatis doctrinam.] Hæc ille cum ſui quidem prerogatiua ſuffragij, & ex præiudicio communis fidei, omniumq; Orientis Epiſcoporum conſenſionis: ſed conſultabundus tamen refert ad Romanam Sedem, vt ad Caput Eccleſiarum, ab eius reſponſo pendet, & pendere omnes Orientis Eccleſias ſignificat: ei omnes aſſenſuros: eius doctrinæ, quidquid hactenùs ſenſerint, conſenſiſſe profitetur.

4 Reſponſione ſua Ioannes edictum Iuſtiniani ea de cauſa promulgatum confirmat: [Comperimus, quòd fidelibus populis propoſuiſtis edictum amore fidei pro ſubmouenda hæreticorum intentione ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum interuenientè conſenſu; quod quia Apoſtolicæ doctrinæ conuenit, noſtra auctoritate confirmamus, &c. Hæc eſt vera noſtra fides, hæc certa religio, hoc beatæ recordationis Patres omnes, Præſuleſque Romanæ Eccleſiæ, quos in omnibus ſequimur, hoc Sedes Apoſtolica, & inconcuſsè cuſtodiuit. Huic confeſſioni, huic fidei quiſquis contradictor extiterit, alienum ſanè à communione, alienum ſeipſum ab Eccleſia iudicauit eſſe Catholica.] Addit Cyrum, & alios Acoemetas Romæ deprehenſos, in errore ſuo pertinaciter hærentes: [Se obſeruantem ea, quæ ab ipſorum ſunt ſtatuta Pontifice, minimè eos in ſua communione recepiſſe, & ab omni Eccleſia Catholica eſſe iuſſiſſe alienos.] Auitæ ergo fidei præiudicio, immò & conſenſionis ſuæ decreto frui interim poterant Orientales Epiſcopi, eorumque inſtinctu poterat Imperator edictum fidei promulgare, id enim totum laudat Pontifex: dum ſupremum tamen ad tribunal Petri omnia referrentur, & eius decretoria expectaretur ſententia. Quocirca rurſùs idem Ioannes epiſt. 3. [Iuſtinianus Imperator filius noſter, de his tribus quæſtionibus orta certamina fuiſſe ſignauit, Vtrùm vnus ex Trinitate Chriſtus, & Deus noſter dici poſſit. An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate. An propriè, & veraciter mater Domini Dei noſtri Chriſti Maria ſemper Virgo debeat appellari. Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem, & ità eſſe Propheticis, & Apoſtolicis, & Patrum exemplis euidenter oſtendimus.] Tum ſyluam teſtimoniorum conſtipat.

5 Quòd autem repudiaſſe primum illam propoſitionem de vno in Trinitate paſſo, & eius defenſores Monachos Scythas auerſatus eſſe Hormiſda Pontifex viſus fuerit: ideóque à Ioanne Maxentio exagitatus ſit, & à nuperis Sectarijs paſſim traducatur: id quoque vt excutiatur, retrò flectenda tantiſper veſtigia ſunt. Igitur & à Poſſeſſore Epiſcopo Africano Conſtantinopoli agente, & à Monachis Scythis Romam profectis, ea de re Hormiſda conſulebatur. Reſcripſit verò ille Poſſeſſori ea, quibus non falſam, ſed nouam propoſitionem auerſabatur; eiuſque vindices non vt errori, ſed vt curioſitati, & rixandi libidini implicatos obiurgabat. [Numquam apud eos charitas, numquam pax, vna pertinacis cura propoſiti, rationi velle imperare, non credere. Contemptores auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæſtionum,] & alia in eum ſenſum. Et in epiſt. 79. ad Iuſtinum Imperatorem: [Quid eſt, quòd emergentibus Neſtorij, & Eutychetis venenis paterna omiſit inſtructio? &c. Reuoluantur decreta ſynodica, & beati Papæ Leonis conuenientia ſacræ fidei conſtituta. Quid ergo poſt illum fontem fidelium ſtatutorum, quid ampliùs, ſi tamen fidei terminum ſeruat, quamlibet curioſus ſcrutator inquirat? Niſi fortè mauult quiſquam dubitare, quàm credere: certare, quàm noſſe: ſequi dubia, quàm ſeruare decreta.] Et mox de incarnatione ea copioſè diſputat, ex quibus illius propoſitionis emicat veritas; qua tamen, quia

no-

nouitatis ergo tumultuationes excibat, abstentum esse, curiositatique frænos injici oallet.

6 Et ipse Ioannes Maxentius confitetur, circa eam propositionem nihil responsi dedisse: eius auctores, vt litium nouarum satores abhorruisse. Nam contra præfatam Hormisdę epistolam sic disputat; quam Hormisdæ esse, vel falsus, vel fallens negat: [Ambigo quomodo illæ sacerdotales literę approbandæ sint, quæ nulla luce radiant veritatis: nec aliquam in se doctrinæ continent rationem. Nam qui quemlibet quasi errantem obiurgat, nec instruit quid sequatur, non beneuolus lector ostenditur, sed criminator inuidus denotatur.]

Et paucis interpositis: [Quòd monachis responsum quęrentibus Romanus Episcopus dare omninò distulerit, eosdemque post multa pericula maris, longique itineris vexationem, necnon etiam prolixi temporis afflictionem, quo eos apud se detinuit, vacuos, & sine vllo effectu, ad has partes venire compulerit, quod omnibus penè Catholicis notum est, nec ipsi queunt hæretici denegare, &c.]

Et mox: [Si vt dicit, rationi congruit respondere consultos, cur ipse nullatenùs acquieuit dare responsum interrogatus? &c. Si vt sequens adiunxit, nihil est aptius studioso religionis, quàm inquisitio veritatis: quomodo inferiùs nouarum cupidos quæstionum accusat, veritatis inquisitores? Cur deuia vitare volentes, iter, per quod graderentur, noluit edocere?] Ergo nec literarum, nec viuæ vocis oraculo, responsum vllum, aut definitionem protulit Hormisda, solam insatiabilem, & nouarum in dies propositionum, litiumque seminatricem insectatus est curiositatem; quo nihil tum erat consultius, cùm illam propositionem alij in alios raperent sensus; & ità illam, vel inuererent, vel absoluerent; & in vna fide starent quidem, sed verborum ambiguo illuderentur.

7 Quanti autem facerent Sedis Apostolicæ oraculum isti ipsi Monachi, declarat idem mox Maxentius: [Pro hac sola sententia Scytharum monachos constat ad Romanum fuisse profectos Episcopum, sicut omnibus Catholicis notum est, non solùm in hac regia Vrbe, verùm etiam in vniuersa Italia. Nam & ipsi hæretici, ad hoc vbique hanc ipsam, cui respondimus epistolam, proferunt, quatenus & sæpèdictis monachis inuidiam concitent, & omnes quasi ex auctoritate eiusdem Romani Episcopi prohibeantur Christum Filium Dei vnum confiteri ex Trinitate. Sed quis hanc sententiam Catholicam non esse ausus est proferi, quam vniuersa veneratur, & amplectitur Dei Ecclesia? Confidenter enim dicere audeo, non quòd si per epistolam, sed quòd si viua voce hic in præsenti positus idem Romanus prohiberet Episcopus, Christum Filium Dei confiteri, vnum ex sancta & indiuidua Trinitate, numquam eidem Dei Ecclesia acquiesceret. Numquam vt Episcopum Catholicum veneraretur: sed omninò vt hæreticum penitùs execraretur, &c. Sed absit, vt ex qualibet parte, Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat.] Ergo Constantinopolim Romæ postposuerant, & tam longi itineris, marisque tædia pertulerant monachi, Romæ quatuordecim menses sustinuerant, opperientes responsum Sedis Apostolicæ, vtique vt illi cederent. Quo illo enim alioqui labor?

Secundò: Vtrimque ambiebatur consensio Romani Præsulis, vt omnes quasi ex auctoritate Romani Episcopi frangerentur.

Tertiò: Ea indubiè sententia Catholica est, quam vniuersa amplectitur Dei Ecclesia: sed [absit, vt ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat.] Qua vtraque propositione nihil video certius, nihil constantius dici. Primò id Catholicum esse dogma, quod vniuersa amplexatur Ecclesia. Secundò numquam contigisse, numquam fore vt contingat, Romanum Episcopum à sententia vniuersæ Ecclesiæ deuiare. Christo nempè ità Ecclesiam suam sospitante, vt concinat caput corpori, corpus capiti.

Quartò: Si quid præter fidem doceret Romanus Pontifex, non acquiesceret illi Ecclesia. Adeòque vbi vniuersa illi acquiescit Ecclesia, indubium est Catholica docuisse; & ità hæreseos se immergit profundo, si qua paucitas non consentiat Pontifici docenti, & consentaneam habenti Ecclesiam Catholicam, extra etiam Oecumenicæ Synodi congregationem. Et ne quis dissentire posse Romanam Ecclesiarum magistram ab orthodoxa fide iodè argueretur, quòd si dissentiret, tum illi non consensura diceretur Ecclesia vniuersa: aduerte quid Paulus, quid ex Paulo doceat nos Vincentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 12. [Licèt aut nos, inquit, aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Quid est, quod ait: Sed licet nos? Cur non potiùs, sed licet ego? Hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus, anathema sit. Parum est. Etiamsi Angelus, inquit, &c. Non quia Sancti, cœlestesque Angeli peccare iam possint: sed hoc est, quod dicit: Si etiam, inquit, fiat, quod non potest fieri: quisquis ille traditam semel fidem mutare tentauerit, anathema sit.] Non infrequens est ea disputandi ratio, quæ largitur id fieri, quod non potest fieri.]

8 Et quanquam maledicentissimo scripto Maxentius Hormisdam Pontificem, eiusque epistolam proscindat, suæ tamen illum sententiæ astipulatorem esse contendit. Non aliter enim victoriam sibi constare posse sentit, nisi consensu Sedis Petri illam assequatur. [Absit, vt ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat. Nunquam enim Scytharum Monachos, quos non simplici sermone, sed etiam scriptis Christum Filium Dei vnum ex Trinitate nouerat confiteri: per quatuordecim penè menses, quandiù eos ibi detinuit, communicare sibi permisisset, si

vt

vt hæretici volunt, hanc prædicationem Catholicæ fidei contrariam iudicaret. Qui etiam, vt se à prauitate proprij legati purificaret, multis idoneis viris præsentibus, Romanum virum gloriosi. mag. mil. deprecatus est, quatenùs sua verba pijssimo Imperatori insinuaret, quæ huiusmodi fuere: Nisi Christum Filium Dei, qui pro nobis passus est in carne, vnum esse ex sancta & indiuidua Trinitate fuerit confessus Dioscorus, pelago demergatur.] Valdè multis igitur, & prævalidis argumentis euincit Maxentius fidei Monachorum Scytharum consensisse Hormisdam.

9 Quin & Dioscorum ipsum, quem Legatum Constantinopolim ea de re misstrat Hormisda, quemque vt aduersatum ijs, qui vnum ex indiuidua Trinitate dicerent Christum, effrænatissima maledicendi licentia insectatur Maxentius: fatetur idem ipse tamen assensum esse, vt vna persona Christus ex Trinitate diceretur. Eccur autem, qui vnam ex Trinitate personam confitebatur Christum, vnum ex Trinitate dicere pigritaretur Dioscorus: non id erat causæ, vt calumniatur putidissimè Maxentius, quòd personam sustineret, & ageret Dei Verbi, velut in mimo, cùm Deus Verbum non esset: sed audienda à Ferrando Diacono verissima rei eius causa. Sic enim ille in epist. ad Seuerum Scholasticum, feruente harum concertationum æstu, scripsit num. 9. [Videndum reor diligentiùs, cur Dominus Iesus Christus vnus esse de sancta & indiuidua Trinitate nimis cautè à quibusdam negetur. Tribus enim modis, quantùm mea fert opinio, sententiæ huius suspecta redditur propositio. Primus modus est, ne ideò Christus vnus de Trinitate prædicari putetur, vt alius ipse, alia Trinitas, de qua vnus esse dicitur, inculcetur. Velut cum de Patre esse Filium credimus, alius est proculdubiò Filius, alius Pater, de quo est Filius. Secundus modus est, ne fortassè vnus de Trinitate fraudulenter intimetur, propter hoc videlicet, vt non eius humanitas, sed diuinitas prædicetur esse passibilis. Tertius modus est, ne quæratur, quid vnus?

Vt si Gabrielem vnum ex Angelis, Petrum vnum ex hominibus esse dixeris: & rogeris, quid vnus? respondebis vtique, vnus Angelus, vnus homo: [Cùm verò dixerimus Christum vnum de Trinitate, interrogati: Quid vnus? non possumus dicere, vnus Deus, quia Trinitas illa non est Deorum, &c. Non possumus respondere, vnus Filius: quia Trinitas illa non est Filiorum.] Hos ergo scopulos reformidabant, qui vnum de Trinitate Christum grauabantur dicere, adeòque nulla grauiori censura notandi erant, quàm quòd nimia cautè verba trutinarentur, vt hæreticorum dolosos casses declinarent.

Quibus autem placebat vnam de Trinitate personam potiùs, quàm vnum de Trinitate dici Christum, postremæ huic difficultati occurrere illi gestiebant. Nec enim salebrosa illa poterant illaqueari interrogatione, Quid vnus? cùm vnam personam dicere præcepissent. His ergo consequenter Ferrandus fatet: [Et si dicitur, ità dici, vnus Dominus Iesus Christus de sancta Trinitate, tamquam si dicatur vna persona: rectissimè hoc dicitur; sed conuenientiùs modò, si hoc ità videtur, vna persona, quàm vnus dicitur: ne parùm intelligentibus, aut malè suspicantibus scandalum procuretur. Nemo cordatus Ferrando, quàm Maxentio plùs fidei commodandum negabit in hoc negotio.

10 Porrò hinc quoque Hormisdæ sapientia admiranda impensiùs venit, qui solam nouitatem, & iurgiorum sementem in hac propositione, & eius architectis auersatus erat.

Ex Maxentio enim, Ferrando, alijsque eius æui Scriptoribus explorata sunt prælia, tunc inter Catholicos super hac re decertata; vtrisque hinc, & indè alias ex alijs distinctiunculas, sensuumque minutias comminiscentibus, & implacata ferentibus iurgia. Nam vt Ferrandus mox docet, quidam eorum, qui vnum de Trinitate Christum pernegabant, confitebantur vnum esse ex sancta Trinitate. Vsque adeò acumen ingenij humani, vbi plùs æquo indulget sibi, inaudita subtilitatum monstra quædam parturit; vt plerumque longè satiùs sit, quod Hormisda cupiebat, in totum ab his temperari. Cui dispensationi suffragatur ad calcem eius epist. Ferrandus: [Vnde desistendum à contentionibus reor, expectandum potiùs persuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam; donec vniuersalis Ecclesiæ auctoritate, vel pronuncietur suscipienda, vel prodatur abijcienda. Nec enim fides vera, si de hac sententia taceatur, minùs prædicabitur; aut nisi per hanc sententiam roboretur, minùs firma existimabitur. Cùm etiamsi ità esset, sequi nos Apostolica verba plùs deceret, vbi nobis dicitur, veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Et, si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Ad hoc peruenimus, scire Dominum Iesum Christum ex duabus, atque in duabus substantijs, vel naturis vnam habere personam. Hoc tenamus, hoc sapiamus, hoc prædicemus. Et si quædam verba minùs cautè proferamus, vel plùs fortè solliciti taceamus, velut si quid aliter sapere mus, hoc quoque Deus nobis reuelabit.] Quo sapientiæ temperamento nihil puleriùs.

Obserua hic autem hanc inter Catholicos hinc, & indè homines exarsisse controuersiam, peccasse Maxentium, & si qui cum eo alij diuersas partes sectantibus illinebant hæreseos infamiam.

Secundò: Supersederi in totum potuisse hac propositione, nec ex eius silentio vllum in fidei incolumitatem imminere potuisse periculum.

Tertiò: Probos omnes Ferrandi similes, ità alternasse, vel ità se vni parti addixisse, vt tamen dubitationem illam patienter ferendam scirent, & Ecclesiæ vniuersalis definitionem opperiendam.

Quartò: Catholicè vtrosque de Verbi inhumanatione sensisse, de verbis altercatos esse; cùm huic propositioni alij sensus Ca-

Catholicos illigarent, alij hæreticos subesse suspicarentur; vtrisque conueniret de sensibus Catholicis, vel hæreticis, de eorum ad hæc verba alligatione disconueniret. Itàque vt summum culpari non poterant vtrimlibet, nisi quòd illi nimis cautè, nimis sollicitè tacerent, hi minùs cautè prædicarent quædam verba.

11 Sed vt standum in his fuisse iudicio Sedis Apostolicæ intelligas, idem Ferrandus initio eius epistolæ: [Loquantur, & prędicent, quibus honor Sacerdotij docendi auctoritatem tribuit, non discere parati sumus, docere alios non præsumimus. Interroga igitur, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem; cuius sana doctrina constat iudicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diuersa loca terrarum Pontifices.]

Consulendi sunt vtique omnes Episcopi de fide, vtpotè à Deo constituti Ecclesiæ Doctores: sed consulendus principaliter Apostolicæ Sedis Præsul: quòd tioa sana doctrina constet iudicio veritatis, & fulciatur munimine auctoritatis.] Itàque cùm idem addat id sequendum, quod vniuersalis Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ: seu corporis, & capitis auctoritas, doctrina, oraculum. De Synodi vniuersalis conuocatione, nec voo verbo meminit Ferrandus.

12 Et rursùs idem Ferrandus epist. ad Anatol. num. 12. [Suspiciones suas inaniter rodit, quisquis benè dicta, dum malè conatur intelligere, calumniari potiùs, quàm doctri studet. Vnum de Trinitate passum Nestorianis non immeritò displicet, introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem vnum de Trinitate passum, non rectè placet, si tamen placet.]

Duplex enim natura insinuatur per vnum de Trinitate, & passum. Ad medendum scrupulis, annuit mox dici vnum, hoc est vnam personam de Trinitate, passum carne. [Et in hac quidem parte nos gerendus est talibus. Et si sic audire desiderant, sic etiam loqui nos conuenit. Addamus verba manifesta, ne occasionem demus interpretationi malitiosæ: putentque aliud credere, quàm sentimus.]

Et quidem ità intelligeretur inter Catholicos, etsi non ea verborum diligentia adhiberetur. [Libenter tamen exigi à me patior, quòd vltrò reddere sum paratus. Incontanter profert lingua, quod retinet conscientia.] Quæ sanè vides, vt Maxentij impudentiam obtundant.

Et infrà numero decimosexto: [Nec monere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit Apocrisarius in Chalcedonensi Concilio. Sępè etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronunciauere Catholicum, nec ipsam sententiam Catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis potiùs adprobasse, quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus posteà Fidelea admonuit, etiam per hanc sententiam reuinci Eutychianistas, in qua duarum plena est prędicatio naturarum.]

Vides quàm non temerè quidam circa eam propositionem suspensi hęrerent, assensumque sustinerent, quam tot mali sensus ambibant, quam Eutychiani ve sibi propitiam venditabant passim, quæ ipsius ab Eutychetis Apocrisarij ore rapta, & eius veneno imbuta sentirbatur. Denique num. 15. sic ille ad pacem Catholicos reuocat: [Omnis ergo Catholicus, aut vnum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat: aut loquens cautè, non tamen infideliter, vnam personam de tribus passam fateatur; nec ideò quempiam iudicet hęreticum, qui vnum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiam ipse vnam personam de tribus passam veraciter dicit: simulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes.]

13 Eodem tenore idem aliam tunc sententiam magna contentionum tempestate iactatam, de Maria veraciter, & propriè Dei matre dicenda, pertractat. [Frustrà expauescit quisquis æstimat, consubstantialem diuinitati Matrem futuram, si veraciter, & propriè Maria mater, fuerit Dei.]

Et in fine epistolæ, eos, qui fidenter has prędicant geminas sententias, multis ortat monitis, ne quod hęreseos virus ijs, aut occulant, aut occulere existimentur. [Ille autem, qui has dubitat proferre sententias, si cuncta, quæ solent sub hęretico latere sensu, manifestis, absolutisque sermonibus audierit refutari, careat suspicionibus, omittat contentiones; & de cętero vnum de Trinitate passum, vel Mariam propriè Dei Matrem esse sic accipiens, quomodo dicitur à Catholicis, etiamsi aliter hoc affirmare nitantur hæretici, Doctoribus orthodoxis aures simplices præbeat.]

Hęc sanè sunt hominis non de fide tantùm, sed de pace, & charitate Catholica benè merentis, & Hormisdæ nobis adprobantis consilia.

14 Eodem prorsùs consilio Facundus Hermianensis Episcopus vtramque hanc quęstionem inter Catholicos saluo fidei vinculo disceptari docet. Nam lib. 1. c. 1. prolixè demonstrat ex Concilio Chalcedonensi veramque decerptam esse propositionem. Et cap. 3. [Sanè tacendum non arbitror, quòd sint etiam Catholici, qui sicut credimus, nescientes hoc antememorata Synodo confirmatum, superfluè contra de verbo contendant. Quia videtur eis, quòd dici non debeat vnum de Trinitate pro nobis crucifixum: sed potiùs vnam de Trinitate personam.]

Tum easdem refert, & diluit suspiciones de illito propositioni huic veneno: demonstratque vnum, & vnam personam de Trinitate idem sonare, aptiusque etiam vnum dici, quod Nestoriani personæ nomen ad dignitatis fucum solùm trahant; subdit: [Ideò hanc religiosam, & necessariam vocem suscipientes, qui de verbo super-

ſuperfluè contendebant, itá iam nobiſcum Neſtorianos vrgere debent, & premere, vt non tantùm vnam ex Trinitate perſonam dicant, quod illi malè interpretantur; ſed etiam vnum ex Trinitate paſſum, quod nulla fraude poſſunt eludere.]

15 Quòd verò de hac alia quæſtione, an veraciter, & propriè dicenda foret Dei genetrix Virgo, ad Sedem Apoſtolicam relatum ſit, itè narrat Liberatus breuiarij c. 20. [Ad Ioannem Apoſtolicæ Sedis Pręſulem miſſi ſunt ab Imperatore Iuſtiniano Hypatius Epheſiorum Epiſcopus, & Demetrius à Philippis, conſulere Sedem Apoſtolicam, contrà Legatos Acœmetarum Cyrum, & Eulogium, negantes eſſe confitendum beatam Mariam verè, & propriè Dei genitricem, & vnum de Trinitate incarnatum, & carne paſſum. Sed Papa Ioannes nobis ibi poſitis, hoc confitendum epiſtola ſua firmauit, & Imperatori direxit. A cuius communione diſcedentes Romæ quidam Monachi, Acoemetarum Legatos ſecuti ſunt, & vſque nunc hanc de Chriſto confeſſionem non ſuſcipiunt.]

Ab Imperatore, & quidem per Epiſcopos inſignes conſulitur Romanus Pontifex in dubijs fidei capitibus.

16 Vt denique exploratiſſimum fiat numquam à confitentibus vnum de Trinitate paſſum abhorruiſſe Hormiſdam Pontificem, nec à Ioanne poſteà definitum eſſe, ſecùs atque ille ſenſiſſet: audiendus eſt à Vigilio Chriſtianitatis Catholicæ ſtatus, inter has conflictationes. Catholicos enim hinc, & indè, ſolis digladiatos verbis, vna porrò, & conſtantiſſima fide deuinctos fuiſſe, ſic ille docet lib. 2. contra Eutychen: [Hęc multi orthodoxorum minùs attendentes, aut attendere nolentes, vel diſcernere non valentes, in duas ſeſe partes non diuerſitate ſententiæ, ſed vocis profeſſione diuiſerunt: vt id, quod eodem modo credunt, eodem modo pronunciare formident: inutili profectò, atque ſuperfluo timore; vt iure illud propheticum eis poſſit aptari, illic trepidauerunt, vbi non erat timor. Nam plerique orthodoxorum, ſenſum vtrarumque naturarum cùm Catholicè exponant, Catholicè retineant: Ideò tamen duas nolunt dicere naturas, ne ſecundùm Neſtorium duas putentur fateri perſonas, à confeſſione vtriuſque naturæ non corde, ſed voce tantummodò recedentes. Quodam enim circuitu expoſitionis vtuntur, vt duas ſe credere oſtendant, ſed duas nudo ſermone non pronunciant.]

Et paucis interiectis: [Rurſùs alij timentes, ne Apollinaris, & Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum paſſum, & mortuum, cùm vnam credant eius eſſe perſonam, & hunc eundemque Deum fateantur, & hominem. Si ergo vnus eſt, ſicuti eſt, cur eum formidas dicere paſſum, quem non formidas credere vnum? Ecce ſunt timores inaniſſimi, & ſollicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum ſibi nomina impingere; dum voce expromi palpatur, quod expreſsiùs corde clamatur. Qui enim nolunt duas ore fateri naturas, quas fidei expreſſione defendunt, Eutychianiſtæ reputantur, cùm non ſint. Item qui duas vnius Chriſti naturas publicè profitentur, Neſtoriani putantur eſſe, cùm non ſint; & videas eos luctuoſis quibuſdam, & omni lamentatione dignis inſultationibus, hæreticorum nomine ſe inuicem accuſare. Tu, inquit, Eutychianus es, & tu Neſtorianus es: Apoſtolicæ ſententiæ in totum obliti, dicentis: Videte, ne cùm inuicem accuſatis, ab inuicem conſumamini.]

17 Hinc colliqueſcit: Primò, in hoc conflictu pugnatum eſſe verbis, non ſententijs, idque inter Catholicos hinc, & indè homines.

Secundò: cùm res ipſa ad fidem nihil attineret, quibus verbis fidē ſuam exprimerent, ſatiùs vtique fuiſſe temperare tota illa contentione, & tanta redimere, atque præuertere odiorum, & maledicentiæ incendia, quod Hormiſdæ conſilium fuerat.

Tertiò, verborum vſum, & ſignificantiam penès multitudinem vulgi hominum eſſe. Itàque vbi de fide conueniebat, dimicabatur autem de vocibus, & eorum vi, atque ſignificatu: conſultiſſimum fuiſſe prorogari ſententiam, & moras trahi, dum ipſo conflictu excuderetur ſcintilla aliqua lucis, & ipſa populorum, doctorumque inclinatione, propoſitionum iſtarum ſignificatio eliquaretur. Nam ſi abruptè Hormiſda definiſſet, vnum ex Trinitate paſſum eſſe, id nimirùm ingruebat periculi, ne ij, apud quos ea verba crudiùs, quid, & Eutycheti affiniùs ſignificabant, ſcinderentur à reliquo Eccleſiæ corpore. At vbi diutino diſputationum certamine conſtitit, defenſores huius propoſitionis per hęc verba nihil Eutycheti ſuffragari velle: tum eius cruditas, & inſolentia mitigari cœpit in animo eorum, qui priùs aduerſabantur; & tunc citrà diſcrimen fidei, & pacis, definiri à Ioanne Papa potuit, quod omnes ſequerentur.

Quartò, cùm non poſſint non ſubindè cōflagrare id genus alia iurgia de vocibus magis, quàm de rebus, vel de rebus etiam ipſis: nec ſtatim, nec ſemper queat cogi Synodus: id nimirùm expeditiſſimum eſt, quod Iuſtinus, quod Iuſtinianus, quod Orientis, quod Occidentis Epiſcopi exemplo ſuo ſanxerunt, quod anteceſſorum exemplo imitati ſunt, quod Ferrandus disertè monuit ſuprà; [vt principaliter Sedis Apoſtolicæ Antiſtes interrogetur, cuius ſana doctrina fulget iudicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis.] Nec alia ſatis conſultum eſſet Eccleſiæ incolumitati à Chriſto in tanta Epiſcoporum, qui & ipſi conſulendi ſunt, turba, & non rarò diſſonantia.

18 Nunc obiter perluſtrandi antiquiores Patres, vt de fidei ambiguis quęſtionibus percontandos nobis doceant Epiſcopos, ceu Apoſtolorum Sedis, & doctrinæ ſucceſſores; ſed principaliter Sedis Apoſtolicæ Pontificem, Petri Apoſtolorum Verticis ſucceſſione pręfulgentem: eiuſque definitione ſtandum eſſe: [Age iam, qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas,

apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum, suis locis præsidentur: apud quas ipsæ autheoticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleū igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesijs contesserauerit; &c.]

Hæc Tertullianus libro de præscrip. aduersùs omnes hæreses philosophatur? Omnes quidem Episcopos, maximè Apostolicarum Sedium, sed præ cæteris omnibus commendans sectari Romanæ Cathedræ Pontificem; tum quòd ibi Apostolorum apices cum sanguine doctrinam profunderint, tum quòd indè in circumiacentia regna fides fata, & propagata sit: & indè ea de causa, semper elimanda: maximè cùm Sedes aliæ Apostolicæ defecerint. Optati verba iam descripsi suprà, & expendi, vbi cùm communionem totius Ecclesiæ Catholicæ ad Romanam Ecclesiam, ceu ad caput, religat, ab eodem quoque vertice necesse est fidem suspendat, à communione Catholica sponte sua indinulsam.

19 Hieronymus aduers. Vigilant. [Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulnisculum, offert Domino sacrificia? Et non solùm vnius Vrbis, sed totius Orbis errant Episcopi, qui ingrediuntur basilicas mortuorum, &c.]

In negotio fidei ingens auctoritas singulorum Episcoporum, longè maxima, & singularis Romani Antistitis. Et in epistola ad Demetriadem aduersùs Origenistas: [Anastasius vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium percussit caput: & sibilantia Hydriæ ora compescuit.]

Et ibidem aduers. Pelag. [vt sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & supradicti viri successit, & filius est, teneas fidem.]

Ità ille sine Oecumenicis Synodis, compressos Origenis, & Pelagij errores demonstrat Sedis vnius Apostolicæ auctoritate. Et in Apolog. aduers. Ruffinum; [Et tamen miror, quomodo probauerit Italia, quod Roma contempsit? Episcopi susceperint, quod fides Apostolica condemnauit?]

Et in epist. ad Theoph. [Scito nihil nobis esse antiquiùs, quàm semper meminisse Romanam fidem, Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.]

Et in epistola ad Marcum Presb. aduersùs eos, qui ei vt hæretico obloquebantur: [Si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.]

Et rursum in Apolog. aduers. Ruffin. de Origenis defensoribus verba faciens: [Non valet apud eos super Origenis damnatione Episcoporum auctoritas? Quid facient epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasij in toto Orbe hæreticum persequentes?]

Et ibidem: [Si vel paruam schedulam contra me Romani Episcopi, aut alterius Ecclesiæ protuleris, omnia quæ in te scripta sunt, mea crimina confitebor.]

Et in epist. ad Pammach. & Marcellam: [Prædicationem Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.]

Attendis hic: Primò, omnium prorsus Catholicæ communionis Episcoporum, & Ecclesiarum sententiam magni fieri, & interrogari in dubijs.

Secundò, numquam turbæ cæterorum immisceri Romanum Præsulem, sed vt eximium, & principaliter consulendum decerni.

Tertiò, cùm Apostolicæ etiam Cathedræ memorantur, suum tamen suprà illas Petro, vt omnium magistro, priuilegium vendicari.

Quartò, Origenistas, & Pelagianos nulla tum Oecumenica Synodo damnatos, damnandosque ostendi, abundè enim esse, vt ab Episcopis, vt ab Apostolica Sede damnentur.

Quintò, indissociabilem esse Episcoporum totius Orbis, & Romanæ Cathedræ sententiam. Etsi enim aliqui pauci ssimi dissentire, & errare queant Episcopi, vniuersitas tamen ipsa Episcoporum, & Ecclesiarum Orbis capiti suo semper cohæret.

20 Superest, quàm de industria seposui, eximia epistola eiusdem Hieronymi ad Damasum, ad hoc, quod sigillatim tractamus negotium, accomodatior: vbi non tam fidei caput, quàm verborum confessio ità inter Catholicos controuertebatur, vt calumniam hæresens mutuò sibi illinerent. Cùm enim Hipostaseos nomen alijs naturam, alijs personam sonaret, iodè Orientalibus trium, Occidentalibus vnius arridebat hypostasis confessio, fide consona vocibus dissona. [Trium hypostaseon nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæso ista Apostoli prodidere? Quis nouus magister Gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ità credere. Non sufficit sensus, idem nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases, aut tria enhypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathemata sit. Et quia vocabula non edisdimus, hæreticà iudicamur.]

Hic satis copiosè in hypostaseos nomine philosophatur, tota sæcularium in schola literarum nihil aliud esse hypostasin, quàm Vsiam: Arianos trium hypostaseon con-

confessione perfidiam suam suffulcire: alia id genus multa effundit, & addit tamen: [Discernite, si placet, obsecro; non timebo tres hypostases dicere, si iubetis, &c. Taceantur, si placet, tres hypostases, & vna teneatur, &c. Aut si tectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet, &c. Benè interpretantur hypostasin, & cùm id, quod ipsi exponunt, habere me dicam, hæreticus iudicor. Quid tam anxiè vnum verbum tenent? Si sic credunt, vt interpretantur, non damno, quod retinent. Si sic credo vt ipsi sentire se simulant, permittant, & mihi meis verbis suum sensum loqui. Quamobrem obtestor beatitudinem tuam, per Crucifixum, per homousion Trinitatem, vt mihi epistolis tuis: siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas, &c. Campenses cum Tharsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm vt auctoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent.]

Patet controuersiam inter orthodoxos de verbis fuisse, magis, quàm de sententijs, & quia vt comparati sunt homines, concreta sunt quodammodo verbis sensa, permaximi videbatur esse momenti, non tantùm ad fidei, sed ad vocum etiam vnitatem Catholicos omnes compaginari, ne sub ambiguo vocum illuderent heterodoxi.

Secundò, abhorrebat animus Hieronymi vehementissimè à trium hypostaseon confessione, & tamen si iubeat Damasus, eam se amplexurum confitetur.

Tertiò, nec Hieronymus tantùm, sed Orientales omnes Episcopi, communionem ambibant cum Damaso, aut communionis famam; vt sub eius auctoritate tres hypostases dicerent. Clamabat Hieronymus, [si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est.]

Eidem Cathedræ Petri, idest, Damaso se hærere Meletius, Vitalis, & Paulinus, certatim affirmabant persuasi victoriam fidei ad eos inclinaturum, qui eius compotes essent.

Quartò, contatio Damasi hac in re tunc peræquè necessaria, ac postea Hormisdæ, vt diutino flictu, & quasi attritu voces expolirentur, & ipsa hominum inclinatione in vnum magis, quàm in alium sensum impellerentur.

Ideò cautè Facundus lib.6.cap.5.[Aliquando in diuina Trinitate Catholici quidam tres hypostases accipere noluerunt, quamuis tres personas acceperint, nec ideò sunt à viris sapientibus hæretici iudicati, quoniam comperti sunt, non in re, quæ illo nomine significabatur, sed potiùs in ipso nomine, quo significabatur, offendi.

21 Ambrosij concors sententia, ex Siricij Papę primùm epistola ad Ecclesiam Mediolanensem illustranda venit. Ergo cum hæresis Iouiniani latiùs serpens eam Vrbem depasceretur, & scriptis etiam libris palàm pugnaret, ad fidei auitæ defensorem primarium, hoc est, ad Romanum Pręsulem Catholici confugere. Vndè Siricius epist.2. [A fidelissimis Christianis viris, genere optimis, religioneque præclaris ad meam humilitatem subitò Scriptura horrifica videtur esse delata, vt Sacerdotali iudicio detecta, Diuinæ legi contraria, spiritali sententia deleretur. Facto ergo Presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, idest, Christianæ legi esse contraria. Vndè Apostolicum secuti præceptum, qui aliter, quàm quod accepimus annunciabant, omnium nostrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri vna suscitata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxentius, Genialis, Geminator, Felix, Plotinus, Martianus, Ianuarius, & Ingeniosus, qui inuentores nouæ hæresis, & blasphemiæ inuenti sunt, Diuina sententia, & nostro iudicio in perpetuum damnati, extrà Ecclesiam remanerent. Quòd custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi, per fratres, & Compresbyteros meos, Crescentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint Spiritu adimplere feruentes.]

Hæc Siricius; ad quem Ambrosius, & cæteri Mediolanen. Prouinciæ Episcopi in hunc modum: [Recognouimus literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur. Et quia nosti ouiculas Christi, oues facilè deprehendis, &c.]

Insertaque aduersùs Iouiniani deliramenta breui disputatione, aiunt: [Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat.]

Et infrà: [Nouellam impietatem execratus est Imperator, & omnes, qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt. Sicut testes sunt fratres, & Compresbyteri nostri Crescens, Leopardus, & Alexander, sancto feruentes Spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex Vrbe quasi profugos repulerunt. Itàque Iouinianum, Auxentium, &c. quos Sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundùm iudicium tuum esse damnatos.]

Vbi obserua Primò: Grassantes Mediolani hæreticos non apud Ambrosium primò, sed apud Siricium accusari, à viris genere optimis, & religione præclaris eorum scripta pestifera Romanæ censuræ offerri.

Secundò: Et errores, & auctores ipsorum à Siricio primùm damnari, sententiam hanc ad Episcopos Mediolanensis Prouinciæ custodiendam dirigi, executores eius simul mitti tres Ecclesiæ Romanæ Presbyteros, ad officium fidei implendum Spiritu feruentes.

Tertiò: Congratulari Ambrosium Siricio, quòd ouilis nempè vniuersi, & cæteris quoque Episcopis crediti curam gereret, & pro omni Ecclesia excubaret.

Quartò: Secundùm iudicium Siricij, quos ipse damnauerat, Mediolani damnatos esse.

Quintò: Tres illos Ecclesiæ Romanæ Presbyteros incunctanter executos esse Sedis Apostolicæ sententiam, & Iouinianum cum gregalibus suis Mediolanensi ex Vrbe pepulisse.

Sextò: Imperatorem, & Laicos omnes Iouiniani dogmata protinùs execratos esse.

Septimò: Etsi omnes Catholicæ Ecclesiæ Symbolo Apostolorum, vt fidei Orthodoxæ breuiario subscribant, singulariter tamen hoc arrogari Ecclesiæ Romanæ, quod intemeratum illud custodiat.

Octauò: Facto Presbyterio, idest, in Presbyterorum suorum, & Diaconorum, & Cleri sui cœtu Siricium hæc perfecisse; & Iouinianum exindè toto ex Orbe suis cum mendacijs, asseclisque effugatum esse, & tandem euanuisse, nemine inter hæc perstrepente, non ritè damnari, non extingui hæreses, nisi Synodi Oecumenicæ auctoritate.

Quòd autem ait Ambrosius intemeratum custodiri ab Ecclesia Romana Symbolum Apostolorum, id, quo attineat, docet Ruffinus in expositione Symboli: [Credo in Deum Patrem Omnipotentem: in diuersis Ecclesijs aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In Ecclesia tamen Vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quòd neque hæresis vlla illic sumpsit exordium.]

22 Augustini non minùs aperta sententia est. Sermone 2. de verbis Apostol. [Prorsùs vbi tales inueneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Iàm enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam rescripta venerunt. Causa finita est, vtinam aliquando finiatur error.]

Et lib. 2. Operis vlt. aduersùs Iulian. num. 103. [Quid adhùc quæris examen, quod apud Apostolicam Sedem iàm factum est? Quod denique iàm factum est in Episcopali iudicio Palæstino? Ergo hæresis ab Episcopis non adhùc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.]

Ità ille aduersùs Pelagianos, non tam Africana, etsi numerosa, & frequentissima, & vniuersalia Concilia extollit in arcem ineluctabilis auctoritatis, quàm Sedem Apostolicam. Suggillat porrò persæpè Iulianum, & alios eiusdem vesaniæ patronos, examen nouum prouocantes, & Synodum Oecumenicam.

Vide, quæ de ea re disputet lib. 4. ad Bonifacium cap. vlt. vbi ostendit, rarissimas fuisse hæreses, quæ Synodi Oecumenicæ congregatione opprimendæ fuerint, multò, atque incomparabiliter plures, vbi exortæ fuerant, ibi damnatas, indè per cæteras terras deuitari potuisse.

Idem Augustinus libro contra epist. Fund. cap. 4. [Tenet me in Ecclesiæ gremio, ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.]

Et in Psalm. contra par. Donat. [Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Sede Petri; & in ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ Inferorum portæ.]

Vbi victricem mendacij veritatem perpetuari vides in Sede Petri, & indè hæreticis compendiosè demonstrari, ne per Ecclesiam vniuersalem toto Orbe effusam semper necesse sit longo anfractu eos circumduci. Quòd autem post Zosimi epistolas ad Africanos Episcopos, Cœlestij, Pelagijque, & libelli confessionis à Pelagio exarati defensatrices: non idem exclamarit Augustinus, atque post rescripta antè Innocentij, Pelagianæ hæreseos iugulatoria: [Causa finita est, error vtinam aliquando finiatur;] multa mihi quidem videntur interesse capitalia omninò discrimina. Post particulares enim Synodos, post Apostolicæ Sedis his consonas, dogmaticasque epistolas Christiano Orbe toto euulgatas, & in fidei auctoritatem receptas: si qua noua vndecumque, & illis subinfensa prodeant decreta, his vtique non statim, ac præproperè subscribendum est. Fides enim vna, atque irreformabilis est. Post primam ergo, canonicamque fidei definitionem, qua causa finitur, errorque finiendus est: si quid vel re inimicum, vel specie subaduersum strepat, id, aut confestim repudiandum est, aut prouida cunctatione excutiendum, priscæque conciliandum veritati.

Ità ergo Augustinus post peremptorias Innocentij Episcopalia Concilia confirmantis definitiones, Zosimi epistolas nescio quid sequiùs in speciem præferentes, expendit, & interpretatur clementiùs, lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. ne à præcessoris literis dissentiant: [Sine vllo vitio peccati originalis hominem nasci, cùm Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa dumtaxàt, de quibus se adhùc dubitare, & instrui velle confessus est: in homine acerrimi iudicij, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus eius Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere.]

Secundò: Quàm constanter enim Zosimus nec latum vnguem deflecti se sineret à sententia Innocentij, & fide, palàm facit idem Augustinus, immò ipsemet apud Augustinum libro de peccato origin. cap. 7. [Egit Papa Zosimus cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea, quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta, damnaret: atque vt Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo præcessore manauerant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare; sed B. Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere: immò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.]

Igitur cùm & Zosimus seriò, & Cœlestius simulatè Innocentij definitioni adhæresceret: nihil necessum erat ab Augustino iterùm cani causam finitam, finiendum errorem; non enim alia causa emerserat, non alia eiusdem causæ, vel aliena definitio.

Ter-

Tertiò: Non in fidei enim, sed in personarum quæstione variauerat,& Africanas Synodos vellicabat Zosimus. Id perspicuum faciunt eius epistolæ, eo de argumento scriptæ.

Quæritur fidem habitam esse Lazaro, & Heroti accusatoribus, absentibus in absentes, quibus nec loci sui ratio, vitæque constabat; qui multa in fratres, & Coepiscopos iam machinati sint: gaudendum esse, quòd quos falsi indices criminabantur, à nostro corpore, & à Catholica veritate numquam fuerint diuulsi.] Purgatos Catholica confessione Cœlestium, Pelagiumque inculcat, non Innocentianæ, vel Africanæ fidei definitioni demendum quid, vel addendum.

Et Augustinus totam hanc interpretatur esse nimiam etiam fortassis clementiam in personas, non in fide vacillationem libro eodem cap. 7. cùm Cœlestius Innocentij literis assensus esset, [ità velut phreneticus, vt requiesceret, tamquam leniter fotus est, &c. resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est, &c.]

Et libro 2. ad Bonifacium cap. 3. [Illa ingenia, quamvis nephando errore peruersa, non tamen contemptibilia, cùm studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò leniùs, quàm seuerior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt.] Parco plura aceruare. Cùm ergo in causæ definitione nihil nouatum esset, cùm in personarum tantùm examine lenitati tantùm vltrà modum esset indultum, non erat locus eidem voci, [Causa finita est, finiatur error.]

Quartò: Et ipsam quoque de personis sententiam Zosimus non definitiuam pertulerat, sed quasi suspenderat,& ampliauerat ad bimestre saltem spatium. [Vnde in præsenti causa nihil præcox, immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absoluta Cœlestij fide nostrum examen, &c. Quare intrà secundum mensem, aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quàm libellis, & confessione contexuit; aut nihil, post hæc ram aperta, & manifesta, quæ protulit, dubij, sanctitas vestra resedisse cognoscat.] Hæc ille ad Africanos Episcopos.

Et Augustinus de peccato originali cap. 7. [Velut phreneticus, vt requiesceret, tamquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondùm est creditus esse soluendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententię lenitate concessus est.] Non poterat igitur causa finita exclamari, quam Zosimus ipse comperendinauerat,& religauerat quodammodò ab Afrorum responsione.

Pergit Augustinus: [Sed posteà quàm ex Africano Episcoporum Concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, vt iustissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.]

Et ibidem cap. 8. [Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus; Romanam verò Ecclesiam, vbi cum esse notissimum scitis, fallere vsquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit vtcumque conatus; sed, vt dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus præcessor eius de ipsis senserit gestis. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, &c.]

Nec ve Palæstina ergo Synodus, hoc est, nec in factis, & personis tunc falli potuit vsquequaque Zosimus, qui rem ampliauit ad Afrorum vsque responsionem, [qui interim à vinculo excommunicationis Cœlestium non credidit soluendum.] Quamdiù ergo innodatus sacris vinculis gemebat Cœlestius, quis causam finitam, quis purgationem eius dixisset perfectam?

Quintò: Quoniam verò ex heterodoxis nonnulli hinc Zosimo sunt insidiati, vt erroris maculam illi appingerent; præterquàquod ea suspicio ex superioribus abundè diflata videri potest, adde ex eodem Augustino libro 2. ad Bonifacium cap. 3. [Tot, & tantis inter Apostolicam Sedem,& Afros Episcopos currentibus, & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis: etiam gestis de hac causa apud illam Sedem Cœlestio præsente, & respondente confectis, quænam tamdem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, vbi præceperit oportere credi sine vllo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsùs hoc dixit, nusquam omninò conscripsit.]

Et mox: [Si quod absit, ità tunc fuisset de Cœlestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia iudicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnauerat, approbanda,& probanda pronunciarentur: ex hoc potiùs esset preuaricationis nota Romanis Clericis inurenda. Nunc verò cùm primitùs B. Papę Innocentij literæ, Episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnauerint: successor quoque eius sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de paruulis sentiunt, numquam dixerit, numquam scripserit: insuper etiam Cœlestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ literis crebra interlocutione constrinxerit: profectò, quidquid interea, leniùs actum est cum Cœlestio, seruata dumtaxat antiquissimæ, & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima prauitatis. Et quòd ab eodem Sacerdote posteà Cœlestius, & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt paululùm intermissæ, iam necessariò præferendæ ratio seueritatis fuit, non preuaricatio priùs cognitæ, vel noua cognitio veritatis.]

Tum Zosimi interrogationes subijcit, quibus Cœlestium illaqueauit, constrinxitq; assentiri literis Innocentij, quibus apertissima originalis labis confessio continebatur. Si quibus autem minùs sapit hæc Augu-

Augustini ratio, & interpretandæ Zosimi clementiæ clementia, næ illi non Augustini, sed sui ipsorum stomachi, palatique insulsitatem produnt. Sacerdotale eoimuerò istud est, id Episcopo, id Theologiæ Christianæ apici, id sanctitatis culmini, id Augustino consentaneum, noo insidiosè, non odiosè quasque explorare, vel insectari labeculas; non si qui ad punctum temporis obrepatur summo Antistiti, illicò tragœdias agere, & conuiciari: sed hominis in homines animum induere: leuiuscula si fors errata dissimulare, non circumstantias quasque, sed rei summam, exitumque perpendere: denique humanitatem paulò prolixiùs adhibitam, lubentiùs, & quadam humanitatis vice excusare.

Malim equidem isto nos Augustini animo, isto sentiendi, scribendique temperamento imbui, quàm superbo ipsum fastidio, & tetricitate infici. Certè Augustini de Zosimo sententiæ Africani omnes tunc Episcopi adglutinati erant, quorum ille fax erat, ingeniumque.

Vndè eodem protsùs animo, ad Zosimum illi rescripsere, non conuiria, non obliquas de ipso suspiciones ingessere vllas. Quod tantò impensiùs admirandùm est, quòd illos semel, iterumque Zosimus aculeatis pupugerat literis, & ipsum maximè Augustinum, quasi præcox, & inconsideratum de Cœlestio, Pelagioque iudicium exeruissent.

Sin minùs ab vno Augustino, saltem ab Africanorum Episcoporum, tam frequenti, tam inclyto tunc maximè Senatu, dedoceri debuerant Nouatores suam in Apostolica Sede arrodenda contumaciam: Denique Augustinum sequutus Prosper, Zosimum cæteris permiscuit Romanis Pontificibus, de debellatis Pelagianis lauream, & triumphum assecutis.

Quid quòd Pelagij libellus Confessionis, non Zosimo tantùm imposuit, sed post Caroli Magni tempora, omnibus propè Doctoribus orthodoxis, ve non eos quidem suis erroribus inqoinaret, sed vt ab illis benigna interpretatione emacularetur, & vel Hieronymo, vel Augustino etiam adscriberetur ipsi? Id vir doctissimus luculenta nuper dissertatione patefecit. Ab erroris ergo criminatione tum Zosimum necesse est, quàm posteriores hos omnes Catholicos Doctores absolui.

Denique, & postremò: si minùs arridebat Nouatoribus tanta illa Augustini in Zosimo purgando indulgentia: Facundo saltem Hermianensi manus darent, cuius hìc verba adscribenda sunt nobis ex lib. 7. cap. 3. [Inuenient Timotheum Apollinaris discipulum, à beato Athanasio per ignorantiam temporibus B. Damasi Sedi Apostolicæ velut orthodoxum commendatum, atque ab ipso Papa Damaso] sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum. Inuenient etiam Pelagium hæresiarcham in iudicio Palæstinorum Episcoporum, qui contra Christi gratiam sentiebat, operientem, prauasque sententias suas versutia interpretantem, per eandem ignorantiam absolutum. Inuenient postremò beato quoque Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem contra sancti Innocentij decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnauit, fidem ipsius Pelagij, eiusque complicis Cœlestij, (quem in Ecclesia Carthaginensi conuictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat,) tamquam veram, & Catholicam laudantem: insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur: cùm necdum ipsis Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium, & Cœlestium putaret orthodoxos. Et tamen, nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palæstinos Episcopos, nec Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis benè senserunt: sed potiùs pro merito suæ fidei Catholicos iudicat, & honorat. Quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.] Ad hanc saltem mediocritatem infringant se, qui Damasum quoque criminati sunt.

23 Prospero autem quid locupletius? Constantissimè enim non tam Episcopalibus Synodis, etsi frequentia, sanctitate, eruditione Antistitum suorum longè præstantissimis, quàm Sedi vni Apostolicæ summam laudem vendicat, & auctoritatem debellati Pelagij. Corruisse enim Pelagium ait, libro contra Collat. cap. 41. [Quando bonæ memoriæ Innocentius nefandi erroris caput Apostolico mucrone percussit. Quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodus coartauit. Quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum. Quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius pijssimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etam regijs vtebatur edictis, &c. Vndè & venerabilis Papa Cœlestinus, sciens damnatis non examen iudicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi: adeò & præcessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inuiolabiter seruanda censebat, vt qood semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.]

Addit, & in Scotia insula, & Ephesina Synodo, & in Gallia oppressas esse quasdam eorundem errorum reliquias vna eiusdem Cœlestini auctoritate. Ee in præfatione, seu cap. 1. eius operis, ait oppognando Augustino: [in vno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus iniuriam fieri.]

Et in præfat. ad Obi. Vincent. [Sensus nostri, & fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis auctoritate defendimus.]

Et rursùs contra Collat. cap. 10. ex sensu Pelagianorum ità argumentatur: [Errauerunt Orientales Episcopi, &c. Errarunt

rarunt AfricanaEpiscoporum Concilia,&c. Errauerunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, quia in epistola,quam suis constitutionibus prætulerunt, ità Apostolicæ Sedis Antistitem beatum Zosimum sunt allocuti: constituimus in Pelagium,atque Cęlestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri prolatam manere sententiam, &c. Errauit sacrosancta B. Petri Sedes, quæ ad vniuersum Orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur: Nos tamen, &c. Errauerunt Africani Episcopi, ad eumdem Papam Zosimum rescribentes, illud, quod in literis tuis quas ad vniuersos curasti esse mittendas, &c.]

Et infrà cap. 44. [Confidimus à Deo præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur in Sixto: & in custodia dominici gregis, hęc sit pars gloriæ huic reseruata Pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ità hic depellat occultos.] Et carm. de Ingratis:

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput Mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet, &c.
Tu causam fidei flagrantius Africæ nostræ
Exequeris, tecumque suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Conuenere tui de cunctis Vrbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

Aduerte hìc: Primò, tot inter Episcoporum Concilia, vnis Romanis Pontificibus palmarem adscri extinctæ hæreseos laudem.

Secundò, Romam Sedem Petri idenidem inculcari, vt indigitetur veluti fons Principatus in Episcopatu fidei.

Tertiò, Zosimi,& aliorum Pontificum decreta in omnem Christianum Orbem emissa, eaque vniuersali auctoritate præcelluisse Africanis ipsis Concilijs.

Quartò, reapse,& tempore longè priores in Pelagiana portenta insurrexisse Africanos Patres, ingenioque, & calamo Augustini fulminasse, Zosimo ne obrepetetur, laborasse; Principatum tamen huius victoriæ, & ab Augustino, & à Prospero Apostolicæ Sedi constantissimè adrogari.

Quintò, examen, audientiam, Synodum Orientis, & Occidentis postulabant damnati Pelagiani, frustrà fuere. Ephesinæ irrepsere Synodo, ibi illos quoque cum confœderatis Nestorianis Cœlestinus prostrauit, vt ait Prosper cap. 41. contra Collat. Cyrillo nempè, Apostolico auxillatus gladio, & carm. de Ingratis, Ephesinæ germanæ Synodo, nec qui audirentur, dignos visos ait, vt qui iam Romæ damnati essent:

Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, seminamortis,

Quibus consentiunt apprime hæc pauca ex Petro Crysologo in epist. ad Eutychen, part. 1. Conc. Chalced. cap. 15. [In omnibus hortamur te, vt his, quæ à B. Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem: Nos enim pro studio pacis, & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.

24 Fulgentius verò nequaquam ab his dissentit. Nam libro de Incarnatione, & Gratia cap. 11. de fidei dogmate disputans ait: [Quòd duorum magnorum luminarium, Petri scilicèt, Paulique verbis, tamquam splendentibus radijs illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ Mundi cacumen est: tenet, & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus Orbis, & ad institiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.]

Petri, & Pauli verbis irradiari, Mundi cacumen esse, ideòque quæ tenet, & docet Romana Ecclesia, ea ab omni Christiano Orbe doceri, & teneri, palàm hìc est.

Vndè non vllius, nisi Romanæ auctoritas Ecclesiæ à Fulgentio ad fidei dogma fulciendum adstruitur.

25 Ennodius Ticinensis Episcopus dict. 6. de hæreticis,& Synodo, grassationes Eutychianorum in Oriente diù lamentatus, demùm addit: [Proindè fratres, maneutem in supernis Petrum, & adhærentem beato Petro tenete sententiam: quia nos Mundæ Ecclesiæ, & non habentis maculam, optamus vnitatem.]

26 Ferrandi Carthaginensis Diaconi sententiam suprà propalauimus. Facundus autem lib. 2. cap. 6. in trium capitulorum disceptatione, quibus fidem Synodi Chalcedonensis concuti aiebant alij, alij negabant: [Adhuc dicunt, quòd de tanta sua præsumptione Ecclesiam quoque Romanam consuluerunt, & nunc sententiam beati Vigilij Præsulis eius expectent, &c. Verùm experientur quantùm illos suspicio sua fefellerit. Quia ille non in destructionem paternæ sententiæ,sed potiùs in defensionem, atque vltionem, primam accepit, & maximam potestatem: nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plùs cæteris suis consacerdotibus potest.]

Vtrimque ergo Vigilij consensio,tamquam rectæ fidei, & victoriæ, tessera ambibatur; vtrique mox vicisse visi, quia vtrisque assentiri alias, & alias visus ipse est: quibus deniquę refragatus est, ij Leonis Papæ auctoritatem Synodi Chalcedonensis confirmatricem ostentauere.

Et lib. 4. cap. 3. [Hoc est autem mirabile, vt postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent,quòd Ecclesiam Romanam consulerent, & sententiam Vigilij eius Præsulis expectarent. Cui quantùm ad illos

illos attinet, non permiserunt censere, quod senserit, &c.]

Et lib. 12. cap. 2. Vigilio Leonem committens, & anteferens, sed Romanæ Sedi Principem in fidei negotio locum tribuens: [Quis huius Romani Antistitis grauitatem non prædicet? Splenderet equidem proculdubiò, vbicumque Sol esset; sed in Cœlo Sol longè honorariùs, longèque decentiùs, vbi locus eius est summus, & congruus vniuersis pariter illustrandis; ne multos deserat, cùm declinat ad aliquos. Denique tanta libertatis, atque rationis eius auctoritate permotus religiosissimus Princeps, superuacuam, quin potiùs multis nocituram cupiditatem deponit, & tamquam pacis filius, hoc, & ipse sequitur, quod eligendum ratio demonstrauit. Ille tamen velut æterna lege præfixus in quodam suæ dignitatis, & fidei firmamento, sic luce veritatis irradiat, & quasi clarissima tuba suæ auctoritatis intonat, &c.] Fidei Catholicæ Cœlo, & veluti firmamento, Sedis Apostolicæ defixum Præsulem describit Facundus, vt ex loco summo, & congruo vniuersis illustrandis, veluti Sol quaqua versum irradiet.

27 Ceterùm huc quoque complura vergunt eorum, quæ alibi superiùs prolixè sunt disputata.

Nam primò, cùm in præfatione Synodi Constantinopolitanæ I. ostensum est, confirmari à Sede Apostolica Synodos Oecumenicas, & ità demum œcumenicas euadere.

Secundò, cùm in elucidanda Chalced. Synodo demonstratum est, Sedem Petri præiisse semper Synodis Oecumenicis, & fidem antè dictasse.

Tertiò, cùm in causa Pelagianorum tractanda, Synodisque aduersùs eos Africanis, patefactum est, Prouinciales, aut Exarchicas Synodos, à Sede Apostolica semel approbatas, in arcem inuadere ineluctabilis auctoritatis, & in fidei dogma recipi.

Quartò, cùm communionem Sedis Apostolicæ coniunctissimam esse declarauimus cum fide Catholica, & vtriusque pariter quoslibet, vel exortes fieri, vel compotes; his omnibus sanè implicatum erat, & caput istud, Sedis Apostolicæ eiusque Præsulis doctrinam, Orbi Christiano promulgatam, à fidei Catholicæ amussi numquam deuiasse.

28 Ad hæc cum ex Augustino disertissimè expressum suprà sit, & annales sacros, vel primoribus labris delibanti constet, longè plures hæreses nulla œcumenica Synodo profligatas esse, longè plures nulla profligari potuisse, aut debuisse; cùm rursùs exploratissimum sit, quandiù nulla colligitur vniuersalis Synodus, summum controuersiarum Ecclesiasticarum cognitorem, arbitrumque esse Romanæ Cathedræ Antistitem: nemo non sentit, & penè tangit, quid ex his ità præstructis exoriatur. Quippè cùm plerumque non debeat, cùm persæpè non possit, cùm rarissimè debeat, & possit fatigari, & cogi vniuersalis Ecclesia in Synodum; pullulascant autem lites de fide, hæresesq; densissimæ: certissimo erroris discrimini committitur Ecclesia, nisi extra Synodi subsidium, inconcusso alio quopiam, nempè Apostolici è Sede Petri oraculi præsidio muniatur.

Et vt affecti sunt animi fidelium toto Orbe sparsorum, vbi quid primùm in fidei dogmate ambigitur, ad Petri Sedem oculos conijciunt omnes, eius nutum explorant, indè pendent; anticipato in totum animis hoc præiudicio, quod illa tenet, tutissimè se amplecti. Quod cùm ità comparatum sit, indè nimirùm id efficitur, vt si vsquam laberetur fides Romana, Ecclesiæ pariter vniuersæ fides corrueret.

Cùm non possit ergo vniuersa labi Ecclesia, nec Romana potest, cui se vniuersa commisit.

19 Et hactenùs quidem quascumque perstrinximus hæreses in earum damnatione antesignanam fuisse Romanam Sedem ostendimus. Paucas aliàs, vel de ijsdem pauca hìc alia addo in cumulum.

Origenistas Anastasius damnauit ep. 3. ad Ioannem Hierosol. Episc. scripta: [Absit hæc ab Ecclesia Romana, nequaquam Catholica disciplina. Nequaquam profectò eueniet, vt aliqua hoc admittamus ratione, quod iure, meritoque damnamus. Quapropter in toto Orbe Christi Dei nostri diffusa prouidentia, probare dignabitur, probare nos omninò non posse, quæ Ecclesiam maculent, &c. Mihi certè cura non deerit, Euangelij fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei, per quæque spatia terrarum diffusas, quantum possum, literis conuenire; ne qua prophanæ interpretationis origo surrepat, &c.]

Assertæ aduersùs hæc portenta gloriam fidei palmarem locupletissimis Hieronymi testimonijs suprà adsignauimus Anastasio.

Quibus hæc adde. In epistola ad Pammach. aduersùs error. Origen. [Quisquis es assertor nouarum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt?]

Et mox: [Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit.]

Et in apologia aduersùs Ruffinum, mentione facta supralaudatæ Anastasij epistolæ: [Subieci exemplum eius, vt si non vis audire fratrem monentem, audias Episcopum condemnantem.]

Et in alia aduersùs eumdem apolog. [In epistola sancti Papæ Anastasij lubricus extitisti; & turbatus, in quo figas pedem non reperis. Modò enim dicis à me esse compositam. Nunc ab eo ad te debuisse transmitti, cui missa est. Rursùs iniustitiam ad te scribentis arguis, etiamsi scripta sit ab illo, siue non scripta, ad te nihil pertinere testaris, qui prædecessoris eius habeas testimonium, &c. Non est leue, quod tibi impingit tantæ Vrbis Pontifex, &c. Siricij iàm in Domino dormientis profers epistolam,

lam, & viuentis Anastasij dicta contemnis, &c. Romanæ Vrbis iudicium fugis, &c.]

Et in epist. ad Pammach. & Marcell. [Prædicationem Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedræ Petri Apostoli sua prædicatione confirmet. Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Anastasium latitantes in suis foueis hæreticos persecutum, eiusque literæ doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. Cui multos imprecamur annos, vt hæreseos rediuiua plantaria, per illius studium longo tempore arefacta moriantur.]

Vrget inculcatissimè Hieronymos hæreticum esse, quòd damnauit Theophilus Alexandrinus, cuius damnationem confirmauit è Cathedra Petri Anastasius; nec Ruffinus, etsi nulla non captet effugia, tantæ auctoritatis pondus detrectare audet; sed alio se quasi patrocinante tuetur Romano Pontifice. Vsque ad Synodum autem in suspendio rem esse debere, neutri in mentem venerat.

30 Iouinianistas Siricij maximè Pontificis decreto prostratos fuisse, suprà ostensum est.

De consanguineis eorum Heloidianis idem conijce ex Hieronymo in apologia pro libris aduersùs Iouinian. [Dùm adhùc viueret sanctæ memoriæ Damasus, librum contra Heluidium de beatæ Mariæ perpetua virginitate scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de molestijs dicere nuptiarum. Nùm vir egregius, & eruditus in scripturis, & virgo Ecclesiæ virginis doctor, aliquid in illo sermone reprehendit?]

31 Pelagianos Romanæ Sedis fulmine perculsos æternum iacuisse, prolixè suprà explanatum: adde & extrema hæc verba Pelagij libelli ad Innocentium Papam transmissi, successori eius Zosimo exhibiti: [Hæc est fides, &c. in qua si minus peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.]

Et Cœlestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, de Augustini doctrinæ obtrectatoribus, vel in contexto illi capitum indiculo: [Cùm Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur: eaque tantummodò sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit. Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta est, iudicauerint: ità vt etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas etiam suas fecerunt Apostolici Antistites, cùm probarunt.]

Et ad calcem: [Satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: vt prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententijs esse contrarium.]

Viden vt Augustino, vt Africanis Concilijs minùs assurgant Galli obstinatiores; at Apostolicæ Sedis oraculo non ipsi tantùm, sed & Pelagius inclinet assensum? Vides vt exertè Catholicum pronuncietur, quod approbarit: hæreticum, quod refutauerit Sedis Apostolicæ Præsul? Vides, vt nec hæreticis, nec Catholicis veniret in mentem, sustinendam esse assensionem, donec Oecumenica Synodus conueniret?

32 Priscillianistarum insana deliramenta Romana potissimùm ex arce, fulminibusque Petri Vicarij disiecta fuisse, suprà suo loco patuit.

Adde & epist. 93. Leonis Papæ I. [Meritò Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur: quando etiam Principes mundi ità hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent.]

Non sustinebatur assensio, non Synodus Oecumenica expectabatur suspensis animis, cùm erroris auctores sectatoresque primarij obtruncabantur.

Mox sigillatim capita omnia monstrosæ hæreseos perlustrat sanctus Pontifex, & configit, subijcitque, ad Turibium Asturicensem Episcopum scribens: [Habeatur inter vos Episcopale Concilium, vt secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui huius hæreseos contagio polluantur; à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint, &c. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, vt nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum prouinciarum Episcopos deferatur.]

Debellati in Hispania portenti huius gloriam huic Leonis epistolæ apertè adscribit Synodus Bracharensis prima, in qua hæc Lucretius Metropolita Bracchar. primùm pronunciat: [Eo tempore, quo in his regionibus nefandissimæ Priscillianæ sectæ venena serpebant, beatus Papa vrbis Romanæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit Apostoli Petri successor, per Turibium notarium Sedis suæ, ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cuius etiam præcepto Carthaginenses, & Tarraconenses Episcopi, Lusitani quoque, & Bætici, facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium, tunc huius Bracharensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt. Vndè quia, & ipsum præscriptæ fidei exemplar cum suis capitulis præ manibus hic habemus, pro instructione ignorantium, si vestræ placet reuerentiæ, recitetur.] Omnes Episcopi dixerunt: [Valdè necessaria

horum capitulorum est lectio, vt dum simplicintibus quibusque pristina sanctorum Pattum statuta panduntur, abominata iam olim à Sede beati Petri Apostnli, & damnata Priscilliaui hæresis figmeuta cognoscaut.]

Etsi & aliæ Synndi concrepuerant aduersùs Priscilliani portentnsa figmenta, etsi Hispanienses ipsi Episcopi regulam fidei cum aliquibus capitulis conscripserant in Coucilio pleuario, seu plutium prouinciarum: antefertur tamen his omnibus, & maioris est ponderis sententia Sedis beati Petri Apostoli, & Leonis. Itáque Petri Sedes præit, & subsequitur: Episcopi regulas fidei iuxtà illius dictata conscribunt, & subscribunt: at magisterij decus palmare Apostolico semper solio vendicatur.

33 Arianos, Macedoniauos, Nestnrianos, Eutychiauos, etsi Oecumenicis Synodis obtriti sint, & aute Synodos tamen, & post, ab Apostolica Sede damnatos principaliter, & conculcatos fuisse, illud argumento est: quòd pestes illæ omnes Orientem totum, & Orientis Patriarchales ipsas Sedes diutissimè, & impotentissimè populatæ sint: ab Occidente, cui propiùs Sedes Petri adsplendescebat, penè exularint.

De Arianis fidem facit Socrates lib. 2. cap. 22. [Ciuitates Græciæ, Illirij, & cæterarum Orbis partium ad Occidentem vergentium tumultu, & perturbatione propterca caruere, quod inter se concnrdarunt, decrctoque de fide in Concilio Nicæno tradita apud ipsos semper dominata sit.]

Et Snzomenus lib. 3. capit. 12. [Ecclesia versùs Snlem obeuntem sita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omninò à contentione libera fuit. Nam quamuis Auxentius Episcopus Mediolani, & Valens, & Vrsacius ex Pannonia oriundi, impensè laborent, opinionem Arij in illam imperij partem traducere: tamen illorum conatus haudquaquam successit ex animi eorum sententia. Quandoquidem Sedis Romanæ Antistes, & alij Episcopi, ac sacerdotes studiosè præcauerunt, & illius hæresis germina amputarunt.] De Macedonianis alibi dictum est, quorum nec afflauit quidem Occidentem vesania.

Nec nisi Damasi auctoritate, & consensu, atque Occidentalium illi consentaneorum Constantinopolitana I. Synodus in robur Oecumenici Concilij excreuit.

De Nestorianis à Cælestino Principe confossis, nemo nisi valdè hospes, & rudis rerum Ecclesiæ ambigit.

Adde & ex epist. 2. Sixti Papæ ad Ioannem Episcopum Antiochenum, qui nonnihil ea in parte titubauerat, & tandem resipuerat: [Expertus es negotij præsentis euentu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Apnstolus Petrus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit?]

De Eutychianis longè exploratissima res est, cùm & errorem, & erroris parentem lattocinali Ephesina secunda Synodo approbatum, principalium Orientis Episcoporum cnnsensione, & subscriptinne subnixum, Imperatnris etiam præsidio armatum, Leo primus ante, & per Chalcedonense Concilium prnstrauerit. Qua de re fusissimè suprà.

34 Monotheletas Orientalibus Ecclesijs, & Patriarchalibus Sedibus incubantes, omniaque diù, & impunè depascentes, Petri Sedes prima, & sola damnauit, Occidenti ne adrepere quidem passa est, ab Oriente tandem ipso eliminauit.

Quocirca non ad Sedis suæ ostentationem, sed ad publicam salutem ità Agatho ad Imperatores scribit act. 4. Synodi 6. [Petri adniteute præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia numquam à veritatis via in qualibet erroris parte deflexa est; cuius auctoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, nmnesque venerabiles Pattes Apostolicam eius doctrinam amplexi, &c.]

Et in epist. eiusdem, [& vniuersarum Synodorum subiacentium Synodo Apostolici throni,] idem ex omnium Occidentalium consensu habetur: [*Veræ fidei* splendidissimum lumen, ex veri luminis fonte, tamquam ex radio viuifici fulgoris, per ministros beatum Petrum, & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione seruatum est, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebrarum, nec falsitatis nebulis confœdatum, &c. Hæc est perfecta nostra scientia, vt terminos Catholicæ, atque Apostnlicæ fidei, quos vsque adhuc Apostolica Sedes nobiscum tenet, & tradit, tota mentis custodia conseruemus:]

Subdunt hæc eadem in Occidentalium omnium Romano Concilio sub Martino Papa decreta fuisse, ijs se medullitùs inhærere, mitti à se ad Oecumenicum Concilium illam, [quæ vniuersorum est per septentrionales, vel occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua Apostolicæ fidei confessionem prælibauimus, non tamquam de incertis contendere, sed vt certa, atque immntabilia compendiosa definitione proferre.]

Sed quid in hanc rem expressiùs epistola trium Africæ Conciliorum ad Martinum Papam missa, in causa eorumdem Monotheletarum, & lecta in secret. 2. Synodi Lateran. sub eodem: [Magnum, & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem, consistere fontem, nullus ambigere pnssit; de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuersum largissimè irrigantes Orbem Christianum; cui etiam in honore beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam, in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & sollicitè debent, maximè verò, iustèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apnstolico; cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouincijs,

nnn

non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum: vt huius auctoritate, iuxtà quę fuisset pronunciatio, firmaretur; indéque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta salutis.] Sospitas fidei dilucidè accepta fertur Sedi Petri, nec ad Oecumenicas Synodos ablegantur omnes Ecclesiæ, fidei fluenta hausturæ; sed ad indeficientem, & redundantem Cathedræ Apostolicæ fontem, vt iisdem penè verbis olim Innocentius Papa primus præcinuerat.

35 Iconomachorum hæresi ante Oecumenicam Synodum Romanos Pontifices obstitisse, anathema illisisse, nequaquam in suspenso fidem vsque ad Synodos fuisse, meridiana ipsa luce manifestius est, vt infrà declarabitur, dissert. 21. Et ne longum faciam, cæteras Ecclesias, etiam Patriarchales, & plurima, & fœdissima affixere hæresum examina, & tandem à Catholicæ Ecclesiæ compage auulsere: Petrus in sua Sede immortaliter viuens, & docens, confirmauit fratres suos, vacillantes tenuit, lapsos reuocauit, irreuocabiliter insanientes damnauit; Occidentales, & propiores, & addictiores sibi, à fide deficere vsquequaque non finit: in ea, quæ ante ducentos paulò minùs annos, Occidentem ipsum discerpsit, defectione, proximiora sibi quæque regna ab interitu fidei seruauit; successores suos nulla passus est hæreseos contagiosa doctrina sordidari.

Vnde meritò, & iure Ioannes VIII. epistol. 75. ad Regem Bulgar. [Ingemiscimus mœrentes, ne si fortè Græcos secuti fueritis, cùm illi in diuersas hæreses, & schismata solito more ceciderint: vos quoque cum ipsis in erroris profunda ruatis, &c. Interroga seniores tuos, & dicent tibi, si aliquando Græci sine hac, vel illa hæresi fuerint: & cùm non inueneritis eos ab aliqua hæresi aliquando liberos extitisse, oportet vos eorum fraudes, & consortia fugere, &c. In eis sæpè Præsule Constantinopolitano, vel Imperatore, aut plerumque vtroque auctore facto hæreseos, plures, qui sub ipsis sunt, adulatione, aut certè timore illis efficiuntur consimiles: &c. Credimus autem, quòd iam non vos lateat Apostolicam beati Petri Sedem, numquam ab alijs Sedibus reprehensam: cùm ipsa alias omnes, & præcipuè Constantinopolitanam sæpissimè reprehendens, aut ab errore liberauerit, aut certè, in his, qui resipiscere noluerunt, sententiæ suæ iudicio condemnauerit.]

Et epist. 76. [Sanctam Romanam Ecclesiam beatus Petrus in hac fide fundata proprio sanguine cum Paulo, Domino Deo consecrauit, & dedicauit, &c. Sicut aqua numquam potest alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte, vnde originem protrahit, inueniri: ità & fides numquam omninò poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, sicut in Ecclesiæ nostræ viuario: vbi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est, hæretica prauitas comparatur: sed ille polorum clauiger vbertim, & purissimè congregauit, qui ex ipso fonte viuo hanc cælitùs hausit, & limpidissimam conseruandam mandauit.]

Quæ suprà dissert. 16. Nicolaus de Cusa, præ oculis habuisse, atque expressisse videtur.

36 Et illud quidem omnibus in Oecumenicis Synodis, Pontificumque Romanorum epistolis, maximè ad Orientales destinatis, obseruare est; fidenter, & copiosè à Romanis, vel Occidentalibus venditari priuilegium Apostolicę Sedis Romanæ, quæ numquam errarit in fide, errantes semper reuocauerit: at Orientales Episcopos, maximè principalium Sedium, ac præ cæteris vrbis Regiæ, ad hæc plerumque frigere, conticescere, aut obliquè aduersari, non tamen palàm refragari vmquam.

Primò: Atque ibi aduerte permaximi esse momenti, vel solam Occidentalium omnium conspirationem, qui legatis, & epistolis coniunctissimis intererant, & docebant in Synodis Orientalibus.

Secundò: Numquam apertè Græcos reluctatos esse, assensos videri non semel: tot, & tantis affirmantibus ipso saltem silentio suo acquieuisse.

Tertiò: Primarias omnes hæreses in Oriente, in ipsis ferè principalium Ecclesiarum, Sediumque visceribus exortas, ibi diutiùs hæsisse, nullam in Romana Sede, vel Ecclesia.

Quartò: Per Romanæ Sedis Pontifices ab hæresi ad rectam fidem iterum, atque iterum reuocatas fuisse singulas, & vniuersas Orientis Patriarcharum Ecclesias, nusquam ab ipsis Romanam.

Quintò: Non iactantiæ id fuisse, quod inculcatissimè suæ Sedis inerrantiam venditarent Romani Præsules Orientalibus, exitu ipso commonstratum est. Quod enim egrè, aut ne ęgrè quidem inducerent in animum suum, huic priuilegio Petri, Petrique Sedis subscribere, indè nimirùm in varia iàm olim errorum abrupta transuersi acti sunt; indè vix vt resipiscerent, adducti: indè irreuocabili tandem ruina præcipitati sunt. Intererat ergo, & ad ipsorum, & ad totius Ecclesię incolumitatem, Petri Sedem, fidemque inuictissimam ostentari, cui si acquiescere Orientales adducti essent, non tandiù Ariana illos, vel antè, vel post Nicenam Synodum iactasset procella; non Macedoniana, non Nestoriana, non Eutychiana lues tam immaniter eorum viscera depasta esset: non Monotheletarum, non Iconomachorum cladibus attriti fuissent: non antè hæc omnia de Paschate, & de baptismo hereticorum tam inutiliter afflictatis non post hęc omnia ab ipso Catholicę Ecclesiæ corpore desperatissimo ausu se ipsi abscidissent. His stragibus Occidentem subduxit Petri Sedes sibi morigerum, his pertinacia sua Orientem immersit. Nemini oculato, cordato nulli hęc leuia videbuntur argumenta, quę tam cōstanti seculorū decursu, & Ecclesię Christi sponsę administratione cęlitùs dispensata, nituntur.

Sextò: Synodi œcumenicę his malis mederi non potuere, seu quòd cogi nequierint, seu quòd dum Synodus procrastinatur, & expectatur: magnę quippè molis est, totam Ecclesiam in vno quopiam loco repræsentare; interim tam altas agat radices vis morbi, vt extirpari deinceps nequaquam possit. Itàque etiam vtplurimùm Synodis vale dixere, & obuertere terga, qui Romanis Pontificibus prima mali semina vitari edicentibus minùs obsequebantur.

37 Ne autem ex sola Gręcorum dissensione, & infœlicissimo eius exitu, ad consentiendum priuilegio primę Sedis argumenta aucupemur: eorum non paucos proferre licet, qui & ipsi cum Occidentalibus suffragati sint. Irenęi verba iàm superiùs descripsi. Planissimè ibi aduersùs omnes hęreses præscriptio occurrit, non longo circuitu singulas perlustrans Ecclesias, non ex omni Ecclesia Synodum conuocans; sed compendiosiùs solam adiri iubens Romanam Ecclesiam, Petri, & Pauli doctrina pariter, & sanguine fundatam: eoque Principem, & eminentissimam omnium Ecclesiarum.

A quibus non abludit Athanasius ep. ad solitarios: [Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt Ariani, nulla reuerentia ducti, vel quòd Sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romaniæ, vel quòd eos Apostolicos viros in suis Epistolis nominassent, &c. Nam cùm Liberium vidissent orthodoxum, & osorem quidem Arianicæ sectæ, studiosum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impij cogitarunt. Si Liberium in nostram traxerimus, omnes breui superabimus, &c. Vides vt vel hostibus Ecclesiæ præiudicatum id esset, Romanæ, & Apostolicæ Sedis Pontificem omnes admirati, omnes lubentissimè in negotio fidei audire, & sequi.

Theodoretus Epist. 113. ad Leonem Papam: [Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritus Sancti ad magnum Petrum se contulit, vt ijs, qui Antiochiæ de legali conuersatione ambigebant, explicationem ab illo referret; multò magis nos humiles, & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram recurrimus, vt Ecclesiarum vlceribus remedia à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere conuenit. Multis siquidem prærogatiuis ornatur Sedes vestra, &c. Præcipuè autem illam fides ornat, cuius testis idoneus est diuinus Paulus clamans, Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Quòd si statim post susceptam salutaris prædicationis semina, mirabiles hos fructus vberrimè protulit: prædicandæ, quæ in ea nunc viget, pietati quænam par esse queat oratio? Habet prætereà communium Patrum, Magistrorumque veritatis Petri, & Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum, ac diuinum par in Oriente quidem exortum est, & radios quaqua versum diffudit; sed in Occidente vitæ occasum vltrò subijt, atque indè nunc Orbem vniuersum collustrat.

Et Epist. 116. ad Renatum Presbyterum: [Oro sanctitatem tuam, sanctissimo Archiepiscopo persuadeat, vt Apostolica auctoritate vtatur, & ad Concilium vestrum aduolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt Orbe, Principatum multis nominibus: atque hoc ante omnia, quòd ab hæretica tabe immunis mansit, nec vllus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conseruauit.] Nemini Latinorum Romanæ Sedis laudibus addictissimo occurrere quidquam potuit magnificentiùs. Et quidem si tempora spectes, quibus scribebat ista Theodoretus, non illi modò, sed omnibus Orientis Episcopis orthodoxis hanc insedisse sententiam comperies. Cùm enim latrocinio Ephesino implicatæ essent primariæ Orientis Sedes, & huic impietatis eluuioni vna supernataret Sedes Romana; vna velut arca Noe, fidei, & Ecclesiæ Catholicæ salutem circumferret: quid de seipsis aliud, quid de Romano Præsule sentire poterant Orientales, nisi quod toties iàm, & tamdiù, & tunc euidentissimè experiebantur, se in lubrico stare, & lapsare identidem, illum oratione Christi communitum esse, ne fides eius deficeret, vtque fratres suos confirmaret? Id vnanimi suffragatione contestati sunt Orientales omnes Episcopi, cùm Epistolæ Leonis ad Flauianum, etiam ante Chalcedonensem Synodum subscripsere. Vnius enim Leonis auctoritatem ea præ se ferebat Epistola. Et tamen ei subscribebant, quicumque post Ephesinam secundam, ante Chalcedonensem Synodum, Catholicos se haberi gestiebant.

38 Sed vndè hanc exorsi sumus disputationem, nisi à Græcorum percontatione, qua Petri Sedem adiere, vnusne Trinitatis passus dici, propriène, & veraciter Dei Mater Maria prædicari deberet? Audi rursùs in ea causa Epistolam Iustiniani Imperatoris ad Agapetum: [Antè tempus in hac Regia Vrbe quorumdam de causa fidei extitit morbosa contentio: quam nos congruè respuentes interposito Edicto repressimus. Et quia studij nostri est, emergentes huiusmodi causas, ad Apostolicæ Sedis vestræ referre iudicium, &c.]

Cui rescribit Agapetus: Cupis, &c. Tuæ pietatis Epistolam de fidei vestræ expositione, à præcessore nostro Ioanne roboratam, nostra quoque auctoritate firmamus, laudamus, amplectimur: non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus.

39 Veniamus ad trium Capitulorum disceptationem, vbi Orientales aduersùs imperatoriæ potestatis iniuriam, & errandi in Chalcedonensis Synodi fide discrimen, vno se maximè tuebantur, quem sibi despondebant, Romani Antistitis consensu.

Audi Facundum lib. 4. cap. 4. [Menas Episcopus Constantinopolitanus commentus à Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono,

cur priori ſententiæ ſuæ contrarius, acquieuiſſet his, quæ antè culpauerat, & de quibus ſe nihil acturum ſine Apoſtolica Sede promiſerat; ſub ea ſe conditione ceſſiſſe, & iuratum ſibi fuiſſe reſpondit, quòd chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret. Sed nunquid ſi vel propriam manum, Romano Epiſcopo non probante, recipiat, nihilque illi, quod metuit, de humano iudicio contingat: ideò ſententiam Dei iudicis, atque vltoris effugiet? &c. Zoilus quoque Alexandrinæ Vrbis Antiſtes, cùm Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obuiam illi ad Siciliam miſit, conquerens neceſſitate ſe ad ipſius decreti affirmationem fuiſſe compulſum: quod hic ei poſtquam venit, idem Romanus Epiſcopus in facie palàm, nobis quoque inter alios præſentibus, exprobrauit.]

Et infrà: [Iàm verò de aliarum Eccleſiarum Epiſcopis quid loquamur, qui & cùm ſcribere compellerentur, palàm reclamauerunt contra magnam Synodum fieri: & poſt ſubſcriptionem memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt Sedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confitentes in eis, quòd à Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſubſcriberent.] Perſpicuum ex his eſt, Epiſcopos Orientales, etiam ipſos Epiſcoporum apices, in ea controuerſia, quæ fidem Chalcedonenſi Synodo conſtitutam labefactare videbatur, à nutu Romani Antiſtitis pendulos alternaſſe, vt cum illo quiduis, & ſub illo duce probarent, vel improbarent.

40 Et rursùm Maximus Martyr in cauſa Monotheletarum, vt refertur à Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano in defenſ. Concil. Florent. cap. 5. num. 8. Maximus, inquam, in diſput. cum Theodoſio Cæſareæ Epiſcopo: [Quoniam pupugit vos, vt exciperetis Sanctorum Patrum voces, vt Canon docet, Romam de hac re ſcribite, &c. Synodali petitione ad Romanum Pontificem tranſmiſſa: & omninò ſi reperiatur ratio Eccleſiaſtica, quæ id concedat ob rectam fidei confeſſionem, conuenite ſuper hoc inter vos.] Et idem Maximus in diſput. cum Pyrrho, patrocinium Vigilij, & Honorij Pōtificum Romanorum ſibi adeſſe fingentes Monotheletas luculentè refellit, & futilem exufflat calumniam, vt infrà ſuo loco dicemus. Eximius eiuſdem Apoſtolicæ dotis vindex præfulſerat aliquantò antè Sophronius Pontifex Hieroſolymitanus, vt refert Conſult. 2. Concilij Lateran. ſub Martino Stephanus Epiſcopus ab eo Romam aduersùs Monotheletas ablegatus.

Hæc autem præloquitur Stephanus: [Annunciemus hæc omnia Sedi ſummæ veſtræ, & principali, ad medicinale conſultum emerſi vulneris. Quippè quoniam hoc poteſtatiuè olim, & ab antiquitùs facere per Apoſtolicam, ſiue Canonicam conſueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolùm claues Regni Cælorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad aperiendum eas Princeps Apoſtolorum meruit Petrus: ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues Eccleſiæ Catholicæ, &c. Et iterum ipſe præcipuè, ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum, & immutabilem fidem, conuertere aliquando, & confirmare exagitatos conſortes ſuos, & ſpiritales meruit fratres, vtporè diſpenſatiuè ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & ſacerdotalem auctoritatem. Quod vtique ſciens beatæ memoriæ Sophronius, &c.]

Tum verba profert Sophronij, Romam ipſum amandantis: [Quantocius ergo de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtūt, peruenias: non ſemel, non bis, ſed multò ſæpiùs aperiens ſactis viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundùm veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt: & non quieſcas inſtantiùs expetens, atque exorans eos, donec ex Apoſtolica prudentia, quæ in Deo eſt, ad victoriam iudicium perducere debeant, & nouiter introductorum dogmatum perfectam faciant ſecundùm Canones deſtructionem.

41 In imaginum quæſtione Stephanus ab eodem Gennadio ibidem num. 10. profertur, Pſeudoſynodum Græcorum Iconoclaſtarum hoc argumento refellens: [Quo pacto Oecumenica appellabitur Synodus, in qua Romanus Præſes non præfuit? Sine cuius aſſenſu non licet res Eccleſiaſticas ordinare?] Ità inclytus Martyr.

Et infrà ſect. 16. refertur ab eodem Theodoretus Studita in Epiſtola ad Paſchalem Papam: [Audi Apoſtolicum caput, à Deo electe, Paſtor Ouium Chriſti, Clauiger Regni Cælorum, Petra fidei, per quam ædificata eſt Catholica Eccleſia. Nā tu es Petrus, Petri ſedem exornans, & gubernans, &c. Huc ades, ab Occidente exurge; Tibi dixit Chriſtus: Et tu quandoque conuerſus, confirma fratres tuos.]

Et idem Theodorus in eadem Epiſt. [Vos igitur verè illimis fons, ac ſincerus, iàm indè ab initio veræ fidei. Vos ab omni hæreticorum procella longè poſiti: ſecurus totius Eccleſiæ portus. Vos à Deo electa Ciuitas ad ſalutis refugium.

42 In octaua autem Synodo videntur quidem Græci eò vergere, vt ſumma definiendi poteſtas, ſit penès quinque Patriarchales Sedes. Act. 5. Bahanes ad Photium: Loquere domine Photi, quodcumque habes iuſtitiæ opus: totus mundus hìc eſt. Ne claudat viſcera ſua ſancta, & vniuerſalis Synodus. Quò namque vis ex hoc conſugere? Romam? Ecce à Roma: In Orientem? ecce ab Oriente hìc adſunt.

Et act. 6. Metrophanes: [Poſuit Deus in firmamento cęli tamquam quædam magna luminaria, videlicet quinque Patriarchalia capita in illuminationem totius terræ.

Et infrà Baſilius Imp. [Quos dicitis ab alijs Patriarchis reſtituti ſunt, &c. Veſtrum autem caſum, & vulnera nullus Eccleſiaſticorum Medicorum ſanauit, neq; aliquis Patriarchalium capitum.]

Et act. 7. Bahanes: [Dicite vnde eſtis

de

de cœlo estis, de abysso estis? An de terra, in qua nos degimus? Ostendite hac hora, quia siue hæresis mota est, siue schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia, & saluatus est, & audio vos. Hodie quatuor Patriarchia, immò verò quinque condemnatione condemnant vos, quid vobis videtur ad hæc? Est qui adiuuet vos?

Et act.8. idem Bahanes: [Quò fugies, aut quò ibis? Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchijs, & definiuit in Euangelijs suis, vt numquam aliquando penitùs decidant, eò quòd capita Ecclesiæ sint. Etenim illud, quod dicitur, Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, hoc denunciat. Quando duo ceciderint currunt ad tria; cum tria ceciderint currunt ad duo. Cùm verò quatuor fortè ceciderint, vnum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, reuocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ.

63 Si Græcas hic artes, & versutias suspicari nullas libeat, nihil moror. Istud enim vnum, quod quatuor alia ab erroris baratro reuocauit Patriarchia, non potes, nisi Romanum intelligere. Itaq; non desultorium est istud priuilegiũ, vt vicissim alia alijs labentibus subsidio sint; sed in Romano constãter defixum solio. Etenim nusquã Sedes alia Patriarchalis Romanam hæresi contaminatam purgauit; Romana cæteras omnes, nunc singulas, nunc vniuersas fidei rectæ restituit. Immò per raro Sedes aliæ alijs ab hæresi reducendis insudauere, sed Romana in id, vel sola, vel prima, & præcipua incumbuit. Ad hæc in causa Photij, quæ tunc controuertebatur, nemo nescit vnam præ cęteris Romanam expiandæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ curam induisse; reliquas ei subscripsisse dumtaxat. Ergo quinque Patriarchalium Sedium consensio, ità interpretanda venit, vt Romanæ obsequantur aliæ.

Id act. 1. eiusdem Synodi confitetur Syncellus Ecclesiæ Hier. [ideò Patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus Sanctus, vt in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea exterminentur. Igitur cùm præsidens, & præcedens Sedes senioris Romæ nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres throni, &c.

Et Anastasius Bibl. in præfat. ad hanc Synodum: Cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cuiusque mortali corpore sensus locauerit: profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes quinque sensus integræ, communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet Sedes, quia Romana præcellit, non immeritò visui comparatur: qui profectò cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, & communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens.]

Præclarissimè & Georgius Scholarius hoc argumentum prosecutus est in orat.3. ad Conc. Florent. [Illud etiam considerare vos oportet, Ecclesiam ità esse à Domino in tuto ædificatam, vt portæ inferi numquam sint aduersùs eam præualituræ, hæreses numquam contrà veritatem insurgentes, &c. Esse verò Dei Ecclesiam quinque Sedes Patriarcharum, & eos, qui illis subiacent, tum Synodorum Canones, tum longa eius consuetodo, & ipsa rerum natura declarat.]

At hæc, qui capienda, palàm facit seties, exitusque Synodi Florentinæ; qua id nimirùm perfectum est, vt ad fidem, & pacem Romanæ Sedis reuocarentur alię quatuor.

Vnde idem paulò suprà: [Pugna illis erit cum tota prorsùs Ecclesia, eruntque ab vniuersa separati. Nam vbi Constantinopolitana Ecclesia vnà cum tribus alijs coniuncta fuerit Romanæ, nulla Catholicæ Ecclesiæ pars extrà manet, &c.]

Vides, vt reliquas Romanæ reuinciat. Ità, & quod in vita Tarasij Patr. C.P. narratur Paulus, & ipse Patr. CP. paulò antequam è vita abiret, dixisse: [Recuso esse pastor cœtus hæretici, & statui potiùs habitare sepulcrum, quàm esse obnoxius anathematibus sacræ quaternionis Sedium Apostolicarum.]

Compertum est Romanæ soli fas tum fuisse anathema impingere Sedi Constantinopolitanæ, ab eaque vna ad imaginum honores restaurandos regiam vrbem esse reuocatam. Denique Constantinopolitanam, & Hierosolymitanam Patriarchalem Sedem, tam nuperas, & ambitu multo auctas quis hoc donauit priuilegio? Alexandrina, & Antiochena verò suam cum Romana Sede cognationem, suam ab ea defluam potestatem, nec ipsæ dissimulabant. Postremò cùm quatuor aliæ irreuocabili iam lapsu afflictæ, elisæque sint, id necessum est, vt penès Romanum Patriarchicum caput, tota illa iam resideat prærogatiua; immò tota semper resedisse æstimetur, quod numquam cecidit; non penès alia, quæ decidua toties, & recidiua, desperatissimo tandem demersa sunt exitio.

44 A Græcis ad Gallos descendamus, quorum priùs iuniores aliqui percontandi sunt, vt eorum sententia ad antiquiorum Gallicanæ Theologiæ optimatum normam expendatur.

Ergo Ioannes Gersonius lib. de Exam. Doctrinarum, consid.2. [Examinator iuridicus doctrinarum fide tangentium Papa supremus est in terris post generale Concilium, vel cum ipso. Quoniam supremus in omni politia, iuris habet dubia circa politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appositione pœnarum in rebelles, &c. Porrò non sequitur, Papa potest in definiendo fallere, vel falli, igitur non est iudex idoneus: sicut in alijs patet instantia. Concluditur tamen ex hac radice, duplex veritas. Prima quòd determinatio solius Papæ in his, quæ sunt fidei, non obligat, vt præcisè est talis ad credendum. Alioquin staret in casu, quòd quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falsum contrà fidem. Secunda veritas est, quòd sententia Papę ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos, aut apud illos, qui manifestum contrà fidem depre-

hen-

hendant errorem: & scandalum grande fidei suo silentio fieri, si non opponerent se, coguoscunt. Quòd si fieret persecutio sententiarum, & pœnarum contra eos, sciant beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Superest quoque remedium Concilij generalis, &c.

Idem ille compluribus alijs locis, Iacobus Almainus lib. de Nat. Ciu. & Eccles. Dominio: [Potestas est maior perfectione in Ecclesia, quàm in summo Pontifice. Est enim in Ecclesia indeuiabiliter, ità quòd errare non potest in his, quæ sunt fidei, & bonorum morum, &c. sed in summo Pontifice est deuiabiliter. Ex quo infertur corollariè, quòd determinatis per summum Ponificem non est necessariò credendum, (quamuis non sit oppositum publicè dogmatizandum,) nisi manifestum sit ex sacris literis, ex reuelatione, aut determinatione Concilij determinaneis, aut per Concilium necessariò credendum.

Ioannes Maior, alijque Parisiensium maximè doctorum in eandem sententiam descendere.

45 Ad id nunc indagandum adgredimur, an in hanc de primæ Sedis definitionibus opinionem iunioribus his præiuerint vetustiores Gallicanæ Ecclesiæ Antistes, & doctores.

Aduersùs Arium, & Macedonium Orientalibus Ecclesijs tam exitialiter incubantes, Sedes Petri Occidentem, adeòque Gallicanas Prouincias contutata est, vt suprà ostensum, vtque ex ipso Ioanne Gersonio facilè firmabitur, cuius hæc sunt verba in serm. coram Alexandro Papa habito in die Ascens. [Græcos mala tempestas à Sede Petri disiectos, non modò schismatis, sed nonnullius etiam hæresis macula fœdauit. Latinitas ipsa purior, & immaculatior Sedem habet Petri, prò cuius fide ne deficeret, specialiter orauit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reuerentia.]

Sedes Petri Occidentem ab hæresi liberat, quid seipsam? hæresin nullam sapit, num aliquam docebit?

46 Aduersùs Nestorianam, & Eutychianam insaniam, longè euidentiùs est, solo primæ Sedis magisterio Gallos innixos stetisse.

Id ipsimet clamitant in Synodica ad Leonem Papam scripta, vbi de eius ad Flauianum epistola hæc habent: [Quæ Apostolatus vestri scripta, ita vt Symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit; & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendauit, &c. Doctrinæ post Deum vestræ debet fidelis, vt constanter teneat, quod credebat: debebit etiam infidelis, vt à perfidia sua, agnita veritate, discedat; & Apostolicæ institutionis luce persusus, erroris sui tenebras derelinquat.] Denique grates Deo agunt, quòd tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostræ fons, & origo manauit, Antistitem dederit.]

Ità illi nulla ratione habita Synodi generalis. Et Auitus Viennensis Episcopus ad Hormisdam Papam: [Eutychetis igitur, Nestorijque damnatio, quos iamdudùm per beatissimos prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcauit auctoritas ad notitiam iampridem nostram, Apostolicæ ad nos diligentiæ prouisione, perlata est.]

Nec Ephesinæ, nec Chalcedonensis Synodi meminit, Apostolicæ Sedis auctoritate calcatas hæreses perhibet. Quod ne incogitanti excidisse putes, immò vt nomine Episcoporum Galliæ ità scriptum ne ambigas, accipe Canonem primum Synodi Aurel. 5. [Nefariam sectam, quam sacrilegus condidit Eutyches, vel si qua à venefico sunt prolata Nestorio, quas etiam sectas sedes Apostolica sancta condemnat, similiter, & nos easdem cum suis auctoribus damnamus, &c.]

Et Synodo Aruernensi ann. eodem 549. can. 1. [Nefarias sectas sacrilegi Eutychetis, & Nestorij, quas sancta Sedes Apostolica condemnat, nos quoque cum earum authoribus, & sectatoribus pariter anathematizamus.]

Vides in damnanda hæresi qualibet, quanti faciant Sedis Apostolicæ authoritatem: nec necesse putent Synodos œcumecas ostentari.

47 Aduersùs Pelagianos, & Pelagiana fuligine oblitos Augustini obtrectatores, qui Galli plerique erant, nemo tam peregrinus est, cui non sit exploratissimum, sola Sedis Apostolicæ auctoritate, & definitione statutum esse. Prosper si Aquitanus, si Regiensis Episcopus extitit, Augustini ea quoque in parte æmulator, solis primæ Sedis rescriptis iure damnatos errores inculcatissimè affirmauit, & incassum ad generalia Concilia Cælestianos prouocatæ.

Idem à Cælestino expressit, vt Galli Augustino obloquentes comprimerentur. Galli ipsi aduersùs Augustinum latrantes solis se Apostolicæ Sedis de gratia definitionibus stare iactabant.

In rescripto Cœlestini suprà ostensum, hæreticum adseri, quidquid his suis definitionibus obstreper.

Cumque nec centum annorum spatio vsquequaque detumuisset illa contentio, Cæsarius demùm Arelat. Episcopus, in Arausicana Synodo, [capitula quædam ab Apostolica Sede transmissa ab omnibus obseruanda protulit, & subscribenda; quibus lectis, qui huc vsque non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio, credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum suum inclinate non differat.]

Erant illæ quæstiones difficultatum sentibus impeditissimæ, diuturnis prælijs vexatæ; sed Apostolica tamen Sede semel oraculum suum effundente, iam ex Augustino causa terminata est; iam ex Prospero vlteriorem audientiam postolantes, Cæsareis edictis sommouentur, & solùm iubentur vertere: iam ex Cæsario, & Arausicana Synodo, capitulis à Sede Apostolica trans-

transmissis, non silentij tantùm religio, sed subscriptio: sed fidei, & animi inclinatio debetur.

Adde ex Cypriano in u. Cæsarij apud Surium, [Quorum intensionibus vir Dei Cæsarius dedit vetam, & euidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Papa eadem colluctatione] competta, calcara intensione iurgantium, prosecutionem sancti Cæsarij Apostolica auctoritate firmauit.]

Cassianus certè, quàm obniis vinis amplectenda essent primæ Sedis decreta, ità patefecit lib. 3. ca. 12. de Incarn. Petrum Apostolorum ità commendans; Interrogemus summum illum, & inter discipulos discipulum, & inter magistros magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum tegens, sicut fidei habuit, ità & sacerdotii principatum.

Quamquam autem non prorsùs acquieuerint Galli Augustinianis, & sententijs, & libris vsque ad Arausicanam Synodum: Cœlestini tamen epistolæ vehementer assentiebantur, aut assentiri se simulabant, callida eam interpretatione frangentes; eaque anteriores, non postremos Augustini libros auctorari cauillantes. Vode Prosper l. cont. Collat. cap. vlt. præmisso ex Cœlestini epistola Augustini encomio: [Contra istam, inquit, clarissimæ laudationis tubam, contra istam sanctissimi testimonij dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ, sincerissimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere: vt scilicet quia in epistola Papæ librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos; & istam in sanctum Augustinum laudationem pro antetiorum scriptorum meritis fuisse collatam.

Abutebantur autem Galli cauillatores verbis ipsis Cœlestini epistolæ; Desinat incessere nouitas vetustatem:] quasi noua, & postrema Augustini scripta, quibus antiquæ Patrum doctrinæ, & prioribus suis ipsius lucubrationibus inaudita, & durissima quædam addiderat, hic exauctorarentur. Eò vit doctus retulit verba Vincentij Lirinensis Common. 2. cap. 43. [Aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat Cœlestinus libertum pro voluntate sermonem: vetustatis prædicatores, an nouitatis adinuentores. Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissoluat. Sequitur enim: Desinat, inquit, si ita res est; idest, si ita est, vt apud me quidam Vrbes, & Prouincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam nouitatibus consentire noxia dissimulatione faciaris. Desinat itaque, inquit, si ita res est, incessere nouitas vetustatem. Ergo hæc fuit beati Cœlestini beata sententia, vt noo vetustas cessaret obruere nouitatem: sed potiùs nouitas desineret incessere vetustatem.] Ao adhuc tunc Vincentius in eodem cum obtrectatoribus Augustini luto hæreret, aliorum esto iudicium. Hanc certè ludificationem elidere conatur Prosper eodem loco consequenter: [Maneat planè, inquiens, maneat ista conditio, vt horum librorum nouitas repudiata videatur, si in eadem causa eiusdem viri disseutit antiquitas: & vt inutile, aut incongruum iudicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, dissonans inueoitur.] Ità libros de Prędestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ, quos allatrabat calumnia, vt à Sede Apostolica non probatos; superioribus, quos continuò enumerat, consentire Prosper affirmat, adeòque pariter approbatos esse. Agnoscant calumniatores superfluò se obijcere, quòd his literis non speciale, neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim fides, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat: & quod iudicio iungit, laude non diuidit.] Certatim ergo hinc, & indè decretis Sedis Apostolicæ incumbebant. Et Gennadius in Catalogo virorum illustrium, [Innocentius Vrbis Romæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium, & Orientalium Ecclesiarum, aduersùs Pelagianos datum: quod posteà successor eius Zosimus latiùs promulgauit.] Et infrà: [Xystus Vrbis Romæ Episcopus, decretum Synodi aduersùs Nestorium volumine describens, ad Orientis, & Occidentis Ecclesias dedit. Et ibidem. Xystus successor Cœlestini ad ipsum Nestorium, & ad Orientis Episcopos, aduersùs errorem eius succidendum, sententias direxit.] Ita Gallicanus scriptor summam profligatæ geminæ hæreseos laudem, & vniuersalem definiendi auctoritatem vni Apostolicæ Sedi adsignat.

48 Aduersùs Monotheletas non Concilij Oecumenici, quod serum vtique, sed Concilij Lateranensis sub Martino, & Sedis Petri doctrina Galli pugnarunt, vt res ipsa clamat. Interim sanè dum Græcis eo errore dementatis liberet Synodum cogere, an fas erat luxuriare, & indulgere suo quemque iudicio, aut infidelitatem suam doloso dissimulare silentio? Cui hoc priscorum Antistitum, vel cogitare subijt? Et quis non videt periculosæ rem esse plenissimam rleæ, cùm Concilia Oecumenica non potuerint tamdiu colligi, nisi consensu Imperatorum: his non rarò hæresi astipulantibus, & Synodos vel procrastinantibus, vel opprimentibus, suæ interim vnumquemque potestati permitti, vt fidem, vel perfidiam ex sua libidine fingeret, & diffingeret? Denique vbi sexta Synodus Constantinopoli conuocata semel fuit, confluxere Romam Occidentales Episcopi frequentissimi, indè Legatos, & epistolas ad Synodum Oecumenicam direxere. Ad manum sunt epistolæ, euolue, excute, scrutare si lubet, nusquam dubios, nusquam ancipites, nusquam veluti suspensos ex decretorio Synodi Oecumenicæ oraculo: sed suæ fidei tenaces, & Martini Papæ Concilium, Sedis Apostolicæ indefectibilem prædicantes fidem videbis Occidentales, & in ijs Gallos Episcopos. Et sanè cùm Oecumenicis Concilijs in Oriente congregari soli-

solitis, rarissimi interessent Occidentalium: cùm fidei antiquæ multò, quàm Græci, retinentiores fuerint Latini: in promptu est, cur minùs penderent nostri ab Orientalium Synodo, vt cui paucissimi adessent, vt qua ipsi minùs indigerent, vt qui Sedis Apostolicæ magistra voce propiùs erudirentur; vt qui Orientali Synodo fidem magis dictarent, & præirent, quàm obaudirent; vt qui Romæ priùs Occidentale agitarent Concilium, vel plura sigillatim hic illic Concilia celebrarent, fidemque suam indubij scriberent, & in Orientem mittitarent cum primæ Sedis Synodicis, non examinandam, sed amplectendam. Quòd si satis exploratum fuisset recentioribus his Theologis, à sua illa opinatione forsan nonnihil deflexissent. Sed quid apertiùs epist. Martini Papæ I. ad Episc. Traiectensem Amandum de Synodo Romana aduersùs Monoth. [Hæreticorum scelerosa conscripta Apostolico mucrone, Patrumque definitionibus condemnauimus: vt cognoscentes vniuersi errorem, qui in eis continetur, nullatenùs maculentur. Vndè præuidimus volumina synodalium gestorum in præsenti vobis dirigere vnà cum Encyclica nostra. Studeat fraternitas tua, eadem omnibus innotescere, vt tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, atque synodali conuentione omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, scripta vnà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent; confirmantes, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide, & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ, à nobis statuta sunt.] Quam Martini, & Synodi sub eo Romanæ definitionem, quàm obuijs amplexata sit vlnis Ecclesia Gallicana, etiam ante Sextam Synodum; quàm Catholicam, & necessariò profitendam eam fidem intellexerit; quàm certò Martyrum honoribus Martinum ipsum pro ea occumbentem prosecuta sit; declarat præclarissimus scriptor vitæ sancti Eligij Nouiomensis Episcopi, sanctus Audoenus Episcopus Rotomagensis, lib. 1. cap. 33. 34. [Martinus sollicitè, ac viriliter pro hac causa inuigilans, immòque pugnans, multa probra, & aduersa ab hæreticis sustinebat: vndè tandem permotus, cùm & Imperatorem, & plures cerneret eorum assertionibus obsecundare: congregauit Concilium Sacerdotum, compescendi causa, immò delendi huius prauitatem dogmatis. In quo Concilio omnibus Orthodoxis consentientibus, edidit contra hæreticos fidem magnificè valdè, atque accuratè: quam etiam cum subiuncta epistola Galliarum partibus destinauit.] Et mox narrato Martini martyrio: [Non est inferior gloria, sed potiùs excellentior, sustinere martyrium pro eo, ne scindatur Ecclesia fallacijs hæreticorum, quàm est illa, ne immoletur idolis, impulsu Paganorum. In Paganorum namque persecutione vnusquisque tantùm pro sua anima, in hæreticorum verò pro vniuersali patitur Ecclesia. Et idcircò eum potiorem dixerim.

Ita Galli ante generalem Synodum, in definitiones Sedis Apostolicæ affecti erant. Quod idem manifestum fiet ex Adone Viennensi in Chronico, vbi meritò laudum præconio effertur Martini eiusdem Papæ Synodus, & mox martyrium pro Catholica veritate Apostolicè aditum; itemque posteà ab Agathone sub Pogonato Principe missos ad Synodum sextam Legatos, [iussosque remissis disputationibus Philosophicis pacifico colloquio de vera fide perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana Catholicorum Patrum, quos petebant, libellis.] Quæ Agathonis verbis alludunt, affirmantis eam Synodum habendam, non ad dubium dogma hinc, & hinc ventilandum, sed ad Græcos Catholicam, seu Latinam fidem docendos, pristinumque errorem suum dedocendos.

49 Aduersùs Iconomachos in officio Gallicanas Ecclesias non retinuit, nisi Apostolicæ Sedis reuerentia. Græcanicas enim Synodos, & ipsam Oecumenicam Synodum septimam, etsi falsis delusi rumoribus, nemo nescit, quantis Galli contumelijs proscidetint. Copiosiùs quidem ea de re alibi se dabit locus disputandi. Interim compertissimum est Gregorij Papæ primi doctrinæ, & Hadriani auctoritati Gallos addictiores multò fuisse, quàm nomini, & famæ Concilij vniuersalis. Quippè qui Synodo, non affuissent Nicænæ. An affuissent, an assensi essent Legati Pontificij, ignorarent. Quid decretum ibi esset, eos falleret. Et in summa hac ignoratione rerum in Synodis Orientalibus gestarum, versatos plerumque, & Gallos, & Hispanos, & Anglos fuisse, ex monumentis rerum ecclesiasticarum liquidum est: nec nisi à Sede Apostolica earum acta suscepisse. Vt propè necesse esset, eos Petri Sedi, vt familiariùs, ita propensiùs inhærere.

50 Ad Elipandi, & Felicis Hispanorum Antistitum deliria, à Gallis potissimùm exagitata, decursus nos ipse temporum, & rerum peruehit. De capitibus ad fidem spectantibus certamen erat. Famosi Antistites vtrimque pugnabant, & Sedium splendore spectabiles. Neutra tamen ex parte concrepuit, aut vel vno verbo insonuit, non posse fidei Catholicæ dogma constitui, cuius necessitate constringeretur omnium fidelium assensio, nisi Oecumenica Synodus conueniret.

Audi ex aduerso Hadrianum ad Episc. Gall. & Hispan. [Quoniam feruenti succensus zelo fidei Carolus Magnus, ea, quæ contraria orthodoxæ fidei Hispaniarum de confinijs allata sibi persensit, nostris curauit summa pernicitate obtutibus præsentari; Beati Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, &c. ex auctoritate Sedis Apostolicæ, pro causa siquidem orthodoxæ fidei, æquum, ratumque duximus respondendum: & eos ni resipiscant, definit, à gremio Ecclesiæ alienos, & vltrici cum sequacibus suis vindicta plectendos.]

Et Synodus Francoford. in Sacrosyllabo: [Eos, qui post hanc saluberrimam defi-

definitionem, quam plenaria Synodus sancto afflata Spiritu, concorditer subtili sinceritate terminauit, falsissimis eorum assertionibus siue clàm, siue in publica voce præbuerint adsensum, simili eos sententiæ vindicta sancimus esse plectendos; reseruato per omnia iuris priuilegio summi Pontificis, Domini, & patris nostri Hadriani, primæ Sedis beatissimi Papæ.]

Et Carolus ipse in epist. ad Elipandum: [Ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac noua intentione ter, quaterque dreximus missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione.]

Addit prætereà varias ea de re Synodos sua opera collectas esse in Anglia, Italia, Germania: [Post hanc verò correptionem, siue admonitionem Apostolicæ auctoritatis, & synodalis vnanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omninò vos pro hæreticis haberi.] De Synodo Oecumenica altum silentium. Pontifex primæ Sedis, Episcopales aliquæ Synodi definiunt, concordant: omnibus conuenit, hæreticorum albo inscriptum iri, qui reluctabitur.

51 De eodem Felice damnato in Concilio Ratisponensi, Ionas Aurelianensis in lib. aduersùs Claud. Taurin. [Eiusdem Caroli Principis iussu in vnum coacti Episcopi, adhibita etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate, eumdem Felicem damnauerunt; immò cum auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati mancipauerunt.] Et Annales Francorum sub Lodouico cōscripti: [Congregato apud Reginum Episcoporum Concilio, auditus est, & errasse conuictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam missus, vbi etiam coram ipso hęresim confessus est, atque abdicauit: quo facto ad ciuitatem suam reuersus est.] Id ergo insidebat Gallis, causas fidei in Episcopalibus Concilijs definiri posse; ità tamen vt ad Sedem Apostolicam referretur, cuius peremptorio denique terminarentur iudicio; cui, qui non obaudirent, hæreticorum numero essent. Adde & Dungalum, contra eumdem Claud. Taurin. initio ferè operis: [Cùm beatæ memoriæ Carolus vigilantissimus Catholicæ fidei tutor, & propugnator, nequissimæ caput viperæ, in magistro huius erroris Felice, sibilantis contra veritatem Ecclesiæ, Apostolicæ auctoritatis pręualida, ferreaque confregerit virga.]

52 Aduersùs eumdem Felicem Alcuinus lib. 7. priscam illam Gallorum de Romana Sede confessionem identidem prodit: [Nos Romana plus auctoritate, quàm Hispana veritate adsertionis, & fidei nostræ fulciri desideramus: licèt nec illa reprobemus, in his tamen, quæ Catholicè dicuntur. Vnusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab vniuersali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ à Catholicis, & rectè credentibus sequenda esse probatur, &c.] Video, vt Romanam Ecclesiam, & sequendam ab omnibus Catholicis, & eamdem cum vniuersali, seu vniuersali semper consentaneam esse docet? Et idem ipse lib. 1. aduersùs Elipandum: [Vestri erroris secta, pręsidente Rege Carolo, præsente Felice, in loco, qui dicitur Reginisburg, & synodali auctoritate Sacerdotum Christi, qui ex diuersis Christiani Imperij partibus conuenerant, æterno anathemate damnata: immò & à beatæ memoriæ Hadriano Papa, qui tunc temporis Romanę Ecclesiæ Apostolica auctoritate rexerat Sedem, funditùs exterminata; donec idem Felix infęliciter, ad vestras rediens partes, sopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus, resuscitare intendit.] Particularibus Synodis, & decreto Pontificio non acquienit Felix, Gallis hæreticus ea de re habitus est, etsi nulla Synodo Oecumenica sit proscriptus. Pręterea suo more Africanam imitante Gallicana Ecclesia, vt in Pelagio, & Cœlestio olim, ità nunc in Elipando, & Felice, etsi variæ, & ex pluribus Prouincijs Synodi confluxerint, non in eas tamen, sed in Sedem Apostolicam redundat principalior gloria exterminatæ funditùs hæreseos.

Et ipse Felix in confessione fidei suæ apud eumdem Alcuinum: [In Synodo Romana pręsente Leone Apostolico, & cum eo cęteri Episcopi numero 57. residentes, & plerique Presbyteri, ac Diaconi cum eis, in domo B. Petri Apostoli, &c. Quorum auctoritate veritatis, & totius Ecclesiæ vniuersalis consensu conuicti, meliori intellectui eorum, quàm nostro, quem priùs sequebamur, &c. ad vniuersalem Ecclesiam Deo fauente ex toto corde nostro reuersi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudùm, quod Deus scit: sed vt dixi, vera cordis credulitate, & oris professione.] Inculcat mox creberrimè se assentiri vniuersali Ecclesiæ, quam nempè in capite suo repræsentari, & totam adesse credebat; nec fas esse sibi putabat alibi quęrere, & Oecumenicam in Synodum conuocare. Rursùm denique idem Alcuinus epist. 70. alia de re quapiam scribens; [Ne schismaticus inueniatur, non Catholicus, sequatur probatissimam sanctę Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vt vnde Catholicæ fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostræ semper habeamus. Ne membra à capite separentur suo, ne clauiger Regni cœlestis abijciat, quos à suis deuiasse cognouerit doctrinis.] Vbi vlla vsquam vestigia silentij, & simulationis illius; vbi vel vmbra incredulitatis dissimulatæ, aut spei occultæ ad Synodum Oecumenicam suspirantis?

53 Aduersùs eumdem Felicem Paulinus Aquileiensis Pontifex, Gallicano, & ipse obnoxius Caroli Magni Imperio, lib. 1. hæc habet superioribus adprimè consona. [Si sancta Dei Ecclesia in toto Orbe est diffusa, ergo nequaquam in illis est, quia illi non sunt in toto Orbe. Si verò in illis est, etiam tunc in toto Orbe non est. Quia illi contraria toti Orbi fingunt nomina, de humanitate Christi Dei nostri, qui est Caput Ecclesiæ. Porrò nos intrà terminos Apostolicæ doctrinæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fir-

firmiter stamus. Illorum probatissimam sequentes auctoritatem, & sanctissimis inhaerentes doctrinis, &c.] Et hic vniuersalem Ecclesiam à Romana non discriminat; nec vnquam inter huius, & illius fidem discrepare quidquam auctor est. Et lib. 7. aduersùs eumdem, [Praesules Hispaniarum inducis, quos eu orthodoxos dicis, sed in his, quas posuisti orationibus, indubitanter haeretici esse dignoscuntur. Nos Romana plus auctoritate, quàm Hispana veritate, &c.] vt supra iisdem verbis ex Alcuino descripsimus. Accedant, & Galli Scriptores, ac Consarcinatores libri Carolini aduersùs Synodum de imaginibus. Sic ergo illi lib. 1. cap. 6. [Qualiter sancta Romana Ecclesia ceteris Ecclesijs à Domino praelata, & à fidelibus consulenda sit, prosequamur. Praesertim cùm non ab alijs Scripturis, nisi ab his, quas illa iutet Canonicas recipit, testimonia sint sumenda: nec aliorum Doctorum, nisi eorum, qui à Gelasio, vel alijs illius sanctae Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda.]

Prolata autem Augustini sententia, in Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurimùm auctoritatem sequendam: inter quas sanè illae sint, quae Apostolicas Sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Pergunt porrò: [Nam cùm hic cunctis per Orbem constitutis Sedibus Apostolicas generaliter praeferat Sedes, multò magis illa omnibus praeferenda est, quae etiam ceteris Apostolicis Sedibus est praelata.] Quid autem ad fidei doctrinam magis pertinet, quàm Scripturarum, Patrumque delectus? Et rursùm: [Haec sanctae fidei munita armis, & à fonte lucis, & origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, & horrendis, atrocibusque haeresum obsistit monstris, & melliflua praedicationis pocula Catholicis per Orbem ministrat Ecclesijs.] Laudant mox Hieronymum, qui de tacendis, vel dicendis hypostasibus Damasum consuluit. [Vnde datur intelligi, sanctos, & eruditos viros per diuersas Mundi partes praedicationis, & scientiae lampade coruscantes, non solùm à sancta Romana Ecclesia non recessisse; sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium implorasse. Quod regulariter omnes Catholicae debent obseruare Ecclesiae, vt ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant: quae non habens maculam, nec rugam, & portentosa haeresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.]

Haec pendenda sunt, prolixiùs ibidem inculcata, non si quid iisdem obiter incautiùs excidit. Porrò illud magni praecipuè pendendum, quòd qui Nicaenae Synodo secundae tam audacter conuitiabantur, Apostolicae tamen Sedis auctoritatem detrectare numquam ausi sunt. Et conuentus Parisiensis Episcopi sub Ludouico Pio in eadem causa imaginum cap. 16. [Sicut dignum, & iustum est, vt praeeunte Spiritus sancti virtute, ille talia correcturus, & ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in Sede Apostolica collocare dignatus est: vt solus non sua abusione, sed tantorum Apostolorum auctoritate vniuersalis Papa dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur.]

Et infrà in ea, quam confinxere, Romani Pontificis epistola ad Graecos: [Apud omnes huius sanctae Occidentalis Ecclesiae, quae se auctoritate B. Apost. Petri, & Pauli fidei, spei, & charitatis sumpsisse exordium gloriatur, ità hactenùs ab omni haeresi illibata nunc vsque conseruata est; vt non solùm ipsa ad quodlibet erroris diuerticulum minimè declinaret: sed potiùs omnes à recto fidei tramite quoquo modo deuiantes, per orthodoxos eorumdem successores toto Orbe terrarum ad rectitudinem potiùs reuocaret. Testis huius rei non quilibet angulus, sed Orbis terrarum vniuersus: quia quotiens tales per Mundum persecutiones motae sunt, quę ad periculum fidei vniuersalis Ecclesiae imminere putabantur: ob inueniendam, inuentamque conseruandam Catholicae fidei veritatem, semper hoc vniuersalis Ecclesia, praesente ob huius sanctitatem Sedis Pontifice, aut certè cum consensu illius verbis, vel literis porrecto, corrigere, correctumque ad conseruandum statuere consueuit.] Vbi non ità viciata est verborum structura, quin sublucear, quid Galli de primae Sedis auctoritate in causis fidei terminandis cōsentiant. Vniuersalem enim Nicaenam de imaginibus Synodum, retractari, emendarique debere vrgebant, non sua, non alterius maioris Synodi, sed Romanę Sedis vnius auctoritate.

54 Hincmarus iam Rhemensis Episcopus Gallicanorum, & Canonum, & morum, & dogmatum callentissimus prodeat, nec proiectae in Sedem Apostolicam assentationis cuiquam nisi insulsissimo suspectus. Is ergo in epistola ad Carolum Regem, praefulitrice operis operosissimi de praedestinatione, hęc scribit: [Etsi diuinis, & authenticis Scripturis, & Catholicae, atque Apostolicae Ecclesiae, sanctęque Romanae Sedis fidei, & orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem sanctae matri Ecclesiae praesederunt, & qui ab eadem Apostolica Sede Romana nobis in Canone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordari, demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, & deuotè studebimus. Quia aliorum ad stipulandum nostrę Catholicae intelligentiae sensum, sententias recipere, nec proferre voluimus: cùm constet illud esse verum, atque Catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, & vniuersalis Ecclesia duxerit ad probandum.] Haec ille de canone, quem conscripsit Gelasius Papa, vt mox disertè tradit.

Vides hic vniuersalem, & Romanam Ecclesiam, aut vnam esse, aut indiuiduis nexibus colligari. Vides Gelasianum Canonem, quasi vniuersalis Ecclesiae auctoritate fultum, ostentari. Vides in culmen auctoritatis non recipi Patres vllos, nisi quos Romana Ecclesiarum magistra com-

mendauerit. Vides denique Catholicum id esse, quod Ecclesia Romana probatit. Subdit mox: illis quoque assurgendum esse posterioribus scriptoribus, vtputa, Bedæ, Theodoro, Alcuino, Paulino, qui prioribus consonent, &, [Quorum fidem, ac doctrinam Apostolica Sedes Romana non solùm benignissimè acceptauit, verùm, & multis laudibus extulit; sicut in scriptis ipsius sanctæ Sedis inuenimus, quæ Ecclesiæ nostræ ab eadem Ecclesiarum matre acceperunt, tempore diuę memoriæ Caroli Imperatoris; quando Synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita, & ad Romanam Ecclesiam, velut ad apicem Ecclesiarum transmissa.] Et hęc quidem Hincmarus aduersùs Fulgentij libros excipit, qui in Gelasiano Canone prætermittuntur. Iure, an iniuria, nil nostra nunc quidem intereſt. Nec enim de Fulgentio nunc disputatur. Sed Gallicanæ Ecclesiæ reuerentia hinc emicat lucidissimè in doctrinę Catholicæ examine.

Eadem replicat Hincmarus operis ipsius de prædest. cap. 3. [Si aliter Fulgentius dixit, quàm Augustinus, & aliter quàm Prosper ex delegatione Sedis Apostolicæ iussu sancti Cœlestini diffiniuit, aliterque quàm ipsa sancta Sedes Apostolica, dicta suscepit, ac dici voluit, ipse viderit.]

Et statim cap. 4. [Sequimur autem, quæ Catholica, & Apostolica nos docet, sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit, Catholico lacte aluit, vberibus Cœlo plenis ad solidum cibum nutriuit, disciplina Orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios instruendum sua probatione instituit, atque in doctrinali Cathedra, fautore, & adiutore Domino, sublimando constituit.]

Quibus quæso quid elegantiùs, quid vehementiùs dici potuit? Quid recentiorum, de quibus suprà, Gallorum nouitati pugnantiùs?

Profert mox verba Innocentij I. epist. ad Decent. iubentis id omnes sequi Ecclesias, quod Romæ docuit, & tradidit Petrus, à quo vel à cuius successoribus propenninatæ sunt omnes Occidentales Ecclesiæ: [Oportet hoc eos sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est.]

55 Idem Hincmarus infrà in eadem palæstra desudans, suamque doctrinam vendicans ab infamia hæreseos, qua ab alijs Episcopis, nec paucis, nec obscuris aspergebatur, hæc habet cap. 24. [Necesse est nobis ex Orthodoxorum scriptis ostendere, si Catholicæ fidei capitulum istud à nobis exceptum valeat conuenire. Consulentes antè omnia, sicut, & prima est in toto Orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam. Quoniam priuilegium, quod Hierusalem, quæ olim dicta est Ciuitas Iustitiæ, & mater Ciuitatum, propter infidelitatem, & negationem Filij Dei perdidit; hæc confessione beati Petri promeruit, dicentis: Tu es Christus, &c. Et sicut illa quondam Hierusalem Ciuitas sancti munita est Angelorum custodia, vsque dum propter incredulitatem, & duritiam cordis sui audiuit ab eis, Transeamus ab his Sedibus: & à Saluatore suo, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: ità & ista illustrata permanet, & protecta orationibus gentium magistri, dicentis, Testis est mihi Deus, &c. quòd sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis. Quæ non ab homine, neque per hominem, sed per Dominum Iesum Christum, sicut Petrus, & Paulus Apostolatum, ità & hæc sancta Sedes omnium Ciuitatum meruit principatum.] Et aliquantis in doctrinæ suæ confirmationem intertextis: [Pijs, deuotis, atque Catholicis hoc potest, & hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta Catholica, atque Apostolica docet Romana Ecclesia. Ipsa enim, vt mater nos Christo genuit, nos religione nutriuit: nos doctrina instruxit. nos sicut in sancto Petro à Christo firma Petra accepit, Doctores instituit, & Catholico lacte nutritos, & ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informauit. Exhilararentur iure merito, hæc tam magnificè ab Hincmaro debuccinata, si Sedis Apostolicæ placita aliquando erroris laqueis irretirentur, nec ex illis certum Hincmarus, vel quisquam alius peteret doctrinæ, vel infirmandæ, vel roborandæ argumentum.

Vide, & quæ capite 38. disputat de communionis concentu cum fide, vtque fide conueniant necessariò, quicumque vnius communionis vinculo constringuntur. Quocircà vt communionis, ità fidei Catholicæ vertex sit Romana Ecclesia necesse est.

56 Idem denique Hincmarus in alio opusculo, & negotio longè diuersissimo, de diuortio Lotharij, & Theutb. in præfat. quid sibi, quid Gallis animi esset, ità aperit: [De omnibus dubijs, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, vt omnium Ecclesiarum mater, & magistra, nutrix, ac doctrix est consulenda, & eius salubria monita sunt tenenda.] Nusquam protsùs, nusquam frigida illa distinctiuncula silentij, vel assensus ad decreta Sedis Apostolicæ adhibendi: nusquam vel suspicio inuocandæ Synodi Oecumenicæ, nec antè deponendæ ex animo cōtumaciæ.

Quibus adde Annales Metenses ad annum 865. [Tittgaudus, & Guntharius Romam proficiscuntur, vt Coepiscopos suos ostenderent Ecclesiastica, atque Apostolica exercuisse decreta. Stultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt: quæ nec fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit.]

57 Diuturnæ illi sanè controuersiæ, quæ circà Gottescalchi monachi doctrinam illo seculo ferbuit, finem imposuisse visus quibusdam est Nicolaus I.

Etenim Hincmarus ipse epist. 24. de Guntberto desertore monacho: [Sicut mihi dictum est, quasi ipsius Gotteschalci reclamationem vult perferre ad Dominum Apostolicum.]

Et

Et infrà: [Dicitur Gotteschalcus multos habere fautores, sicut habuit Dominum Prudentium, qui in annali gestorum Regum, quæ composuit ad confirmandam suam sententiam, gestis anni Dom. Incarn.859. indidit dicens: Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de sanguine Christi, vt pro omnibus credentibus fusus sit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit. Quod per alium non audiuimus, nec alibi legimus. Vnde quoniam ipsa gesta, quibus hæc conscripta sunt, iam in plurimorum manus deuenerunt, necesse est, vt taliter de hoc, Domno Apostolico suggeratis, ne scandalum indè in Ecclesia veniat, quasi ipse, quod absit, talia sicut Gotteschalcus, sentiat.] Hæc ille ad Egilonem Senonens. Epis. Romam delegatum.

Ex quo liquidum fit, vtrisque Episcoporum Galliæ partibus persuasissimum fuisse, non alio, quàm Romani Antistitis consensionis momento, & pondere victoriam huc, vel illuc deflectendam.

Hincmaro in Sede Rhemensi successere Fulco, & Heriuæus, quorum multa extant apud Flodoardum lib. 4. propensissimæ in Sedis Apostolicæ obsequium obseruantiæ documenta. Sed cùm de fide tunc nihil ferè certatum sit, vnum hoc carpam ex cap.14. de Heriuæo: [Ad petitionem Vuitonis, tunc Rotomagensis Episcopi collecta ex diuersis auctoritatibus sanctorum Patrum 23. capitula, qualiter ipsi Nordmanni tractari deberent, eidem Archiepiscopo delegauit. Insuper etiam Romanum Pontificem super huiuscemodi negotio consulere studuit. Ad cuius consulta, quæ circà gentis huius conuersionem exequenda forent, insinuare non destitit.]

Et rursùm Hincmaro coæuus, & aliquantulum aduersarius in alijs, sed hac in parte consonus Prudentius Tricassinus Episcopus in epist. ad eundem Hincmarum, negat [vllo conamine euelli posse doctrinam Augustiui, cùm eam, & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ vnitas auctoritate concordissima approbatint, ac roborarint. Adeò vt nullus ei singulariter, verùm vniuersitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat obniti. Si enim aduersam fidei Orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius, cum totius Orbis Episcopis suscepisset.] Dehinc suffragia aggerat in laudem Augustini, Pontificum Romanorum Innocentij, Zosimi, Bonifacij, Cœlestini, Leonis: conuenienter nostris placitis Sedem Apostolicam, & Ecclesiam Catholicam nequaquam dissocians; huius sententiam illius oraculis exprimens; vtriusque auctoritate concordissima, & regula vtrique indeclinabili, non quorumlibet, sed ipsorum Ecclesiæ Patrum doctrinam expendens, & confirmans. Qua in sententia versabantur, tunc omnes hinc, & indè Gallicani scriptores, non alijs fidem addiscendam scriptoribus, quàm quos Romana Ecclesia auctorasset.

58 Aducrsùs Berengarianæ hæreseos rediuiuum toties monstrum, non alio Gallicana Ecclesia pugnauit clypeo, quàm Sedis, Synodique Romanæ.

Itaque Berengarius ipse in Synodo Romana anno 1059. à Pontifice Nicolao II. damnatus, iusiurandum fidei emisit, in quo hæc inter cætera: [Consentio sanctę Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi; & ore, & corde profiteor de Sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Euangelica, & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmauit.]

Et Lanfrancus in Archiepiscopum Cantuariensem prouectus ex Abbate Cadomensi, ideòque iure merito inter Gallicanos Doctores recensendus, in opusculo de Euchar.Sacram. ità Berengarium obiurgat: [Et cætera quidem à beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis Summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosque peruersi dogmatis in medio sancti Concilij in eum coniecisti, iurans fidem à Patribus, qui præsentes erant, traditam te inuiolabiliter seruaturum, &c.]

Et infrà: [Quem Humbertum, dum contra Catholicam veritatem scripsisse asseris, non ipsum solum, sed & Romanos Pontifices, Romanam Ecclesiam, multosque sanctos Patres redarguis, incurrisque in illud, quod beati Doctores, si non ijsdem verbis, eisdem tamen sententijs multis in locis concorditer astruxerunt, hæreticum esse omnem hominem; qui à Romana, & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat.]

Et infrà: [Traditus in reprobum sensum, sanctam Romanam Ecclesiam voeas Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, Sedem Sathanæ. Et hoc impio ore garriuisti, quod garriuisse nemo legitur, non hæreticus, non schismaticus, non falsus aliquis Christianus.] Subdit, Sedem Petri, vel hæreticis ipsis honori fuisse: [Denique ipse Dominus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, &c. Quæ tametsi de Pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, & à quibusdam Catholicis exponantur: præcipuè tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse sacri Canones, & Pontificum decreta testantur.]

Denique ad calcem illius operis prolixiùs disserit de Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum Orbe disfusæ auctoritate in fidei decretis, vt à qua certum esset descisscere Berengarium, dum à Synodi Romanæ, & Summi Pontificis definitione resiliret.

Idque intelligebat, vel ipse Berengarius, qui Gallus sanè erat.

Nec enim à Romana Sede ad Catholicæ Ecclesiæ Synodum vniuersalem prouocabat, sed aiebat, vt refert paulò ante finem Lanfrancus: [Prædicatum est Euange-

gelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, creuit, fructificauit: sed imperitia malè intelligentium posteà errauit, & perijt: in nobis solis, & in ijs qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia remansit.] Hunc enim tandem euadit Romanæ Sedis iudicij detrectatio.

Similiter, & Guitmundus Archiepiscopus Auersanius lib. 3. aduersùs eundem ex Ecclesiæ Catholicæ Orbem omnem complectentis consensione ineluctabile promit argumentum, à quo Romani Antistitis maiestatem non dissociat. [Augustinus dicit: Si omnis terra domus Dei, qui non hæret omni terræ, ruina est, non domus, &c. Nostra Ecclesia Catholica per beatum Leonem Papam hęc Berengariana figmenta mox suo exortu damnauit. Deindè per hunc ipsum, qui nunc præest Gregorium Papam, &c. in Concilio Turonensi conuicit, &c. Reuersumque aliquantò post ad vomitum suum, agente Nicolao Papa, in Concilio generali Romæ iterùm consutauit, &c.]

Ità Romanã ab vniuersali, vt os à capite, caput à corpore nusquam sinit dissociari.

His adde Hugonem Lingon. Episc. in tract. contrà Berengar. post opera Lanfranci edito: [Qua in re vniuersalem Ecclesiam scandalizas, &c. Ne præsumas singulariter sentire, quod vniuersitas non assentit.] Et tandem: [Abiecta vnitate, de parte extolleris.]

Itemq; Durandus Abbas de corpore, & sanguine Christi part. vlt. [Multa absurda, fideique Catholicæ aliena alienus declamauit, inter quæ Romanam Ecclesiam, capue videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denorauit.]

Mox Concilio Parisiensi decretum narrat, vt Berengarius cum sequacibus suis [vbicumque conuenirent, eò vsque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur.]

59 Alienum non erit, & Petrum Damiani Gallis permiscere, quibus noonulla familiaritate fuit deuinctus. Ille ergo lib. 1. epist. 20. [Si eos sacri Canones hæreticos notant, qui cum Romana Ecclesia non concordant: quid tu, &c.]

Et lib. 3. epist. 1. [Petrum præ cæteris mortalibus de toto terrarum Orbe conditor Orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter in Ecclesia tenere perpetuo priuilegij iure concessit; vt quisquis diuinum aliquid, & profundum nosse desiderat, ad huius præceptoris oraculum, doctrinamque recurrat, &c. Quid mirum si sacerdos, licèt sanctitate conspicuus, licèt eloquijs diuinis vehementer instructus, ad Apostolorum Principis magisterium misit, ad quem etiam Angelus docendi gratia primitias gentium Cornelium destinauit. Paulus quoque, qui non ab hominibus, sed à Iesu Christo, & Deo Patre fuerat factus Apostolus, atque ab auctore sapientię sufficienter instructus, ad Petri tamen magisterium venit; & non in transcursu, sed per plurimos dies apud eum in cœlesti schola permansit. Dignum ergo fuit, vt ad Sedem illius vestra sancta prudentia soluendam dirigeret quæstionem; ad quem & ignarus fidei vir angelitus mittitur, & à quo Apostolus etiam, qui iam à Deo instructus fuerat, pleniùs eruditur.]

Idem à Clericis Mediolanensibus hoc iusiurandum fidei recepit, [Profiteor me eam fidem tenere, quam sacrosancta septem Concilia, & quam beatissimi Pontifices Romani ad diuersos data prædicatione lucidissimæ veritaris exposuerunt.]

Et infrà Petrus ipse, [Nos si quid errauimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa, vt ità loquar, officina fabrilis, cui nimirùm is, qui Fabri dicebatur filius, præsidet; ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur; ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vspiam deprauatum fuerit, reformatur.]

Et in Gratissimo cap. 34. [Ipse qui vice Petri claues tenet Ecclesiæ, ipse porissimùm aduersùs nouum dogma consurgat, & introductores prauitatis dignæ sententię iaculo confodiat.]

Et cap. 39. copiosam disputationem ità claudit, [Nos non proprias allegationes pertinaciter astruentes, sed synodalibus decretis humiliter obtemperantes, Apostolicæ Sedis edictum, vel quod iam promulgatum est, sequimur, vel si quid ad huc elimatiùs, atque salubriùs in posterum statuendum est, obedientiam profitemur. Vt sicut à beatis Apostolis, Euangelio coruscante, nascentis fidei rudimenta percepimus, ità deinceps ab Apostolicis viris traditam omnem viuendi, vel sentiendi regulam teneamus, &c. Auctoritate Sedis Apostolicæ me contentum esse decreui, vt quidquid ei synodali fuerit censura præfixum, hoc mihi proculdubiò sit authenticum, hoc certè canonicæ videatur auctoritatis vigore subnixum.]

Et in Gomorrhiano cap. 26. luculentè idem declarat, vt oraculo Sedis Apostoli cæ lubentiùs omnes acquiescant, quorum ipsi accersenda sit consultatio. [Petimus, & humiliter imploramus, vt clementia vestra, si dicere fas est, sacrorum Canonum decreta, quæ tamen vobis notissima sunt, solerter inspiciat; spirituales & prudentes viros ad consultum huius necessariæ indagationis adsciscat; nobisque super his capitulis ità respondeat, vt omnem de nostro pectore dubietatis scrupulum tollat. Neque hoc dicere ideircò præsumimus, vt ad hoc, Deo auctore, sufficere solam profunditatis vestræ peritiam ignoremus; sed vt dum sacræ auctoritatis testimonium adhibetur, dum plurimorum iudicio, & consensu res geritur, peruersorum hominum querela, quæ fortassis è diuerso mutire non erubesceret, sopiatur. Non enim facilè patet querelæ, quod multorum iudicio constituitur. Sæpè autem sententia, quæ ab vno considerata iuris æquitate depromitur, ab alijs præiudicium deputatur.] Hæc ille ad Romanum Pontificem.

Quid attinet Gratianum laudare, cuius decretum tanti facere Maiores nostri?

Is

Is sanè tum alibi frequenter hoc Romanæ Sedis decus astruit, tum maximè 24.qu.1. cap.14. 15. 16. [Aliud, quàm Romana Ecclesia, neque sentire, neque docere permittitur, &c.]

60 Anselmi quoque in Cadomensi Abbatia tandiù commorati doctrina ex ipso Gallicanæ Ecclesiæ sinu hausta esse non iniuria censebitur. Ità ergo ille in lib.de Incarnat.Verbi ad Vrbanum II.Papam cap.1. [Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum rectiùs alium refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ità nulli libentiùs præsentem epistolam, quam vestræ destino sapientiæ; quatenùs si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur: & quod regulam veritatis tenet, vestra auctoritate roboretur.] Quæ nonnisi ad indeflexam veritatis amussim rectè dicuntur.

61 Iuo Carnutensis Episcopus nunc conueniendus est nobis. Cùm enim in Concilio Viennæ habito à Guidone eius Vrbis Episcopo decretum esset in hunc modum, [Inuestituram Episcopatuum, & Abbatiarum de manu laica, sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem sequentes, hæresim esse iudicamus. Scriptum illud, seu priuilegium, quod à Domino Paschali Papa violenter Henricus Rex extorsit, in virtute sancti Spiritus damnamus, &c.]

Cùm Guido ipse ad Paschalem scripsisset, [Dictante sancto Spiritu inuestituram omnem rei ecclesiasticæ de manu laica, hæresin esse iudicauimus. Scriptum illud, quod Rex à vestra simplicitate extorsit, damnauimus.] Nequaquam hæc Iuoni, cæterisue Galliarum Episcopis sunt probata.

Inuitanti enim Ioanni Episcopo Lugdunensi ad Synodum de istiusmodi rebus tractaturam, respondet Iuo epist.238. suo, & Vualonis Parisiensis, Ioannis Aurelianensis, cæterorumque Senonensis Prouinciæ Episcoporum nomine:Paschalem componens Marcellino,Aaroni,Moysi,qui peccarunt, non ex animi sui sententia, sed coacti: Paulo Apostolo, qui dispensatiuè discipulum circumcidit: addit, [Principales Ecclesiæ claues nolumus potestate sua priuare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Euangelica veritate discedat.]

Et infrà: [Hunc excessum non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit obijcere, vt maioribus morbis posset sincera charitate subuenire.]

Et tandem: [Postremò, quòd quidam inuestituram hæresin vocant, cùm hæresis non sit, nisi error in fide, &c. fides cordis est, &c. Inuestitura verò illa, de qua tantus est motus, in solis est manibus dantis, & accipientis, quæ bona, & mala agere possunt, credere, vel errare in fide non possunt.]

A quibus nec Ioannes ipse Lugdunensis Episcopus dissentiebat, ad Iuonem rescribens, [Licèt exteriores inuestituras per laicos factas non satis propriè hæresis nomine censeamus: sentire tamen, ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est.] Omnes ergo ad absoluendum ab hæresis suspicione Pontificem conspirabant, tum quòd exteriores tantùm inuestituras per vim sibi extorqueri passus esset, non ipsarum ius,quasi canonicum: tum quòd laudabili dispensationi id adsignari posset: tum denique quòd ne Concilijs quidem generalibus id arrogatur, vt vbi vis armata ingruit, in errorem numquam impellantur.

Quibus ad primè concinunt, quæ prodidit Abbas Vspergensis de Concilio Lateranensi anno 1116. vbi damnante Paschali suum illud priuilegium, [Bruno Signinus Episcopus, altiùs exorsus est, Gratias Deo, qui D.Paschalem Papam audiuimus, proprio ore damnantem illud priuilegium, quod prauitatem, & hæresin continebat. Ad hæc quidem cauillatoriè subiunxit, Si priuilegium illud hæresim continebat, qui illud facit, hæreticus fuit. Ioannes autem Caietanus, ad hæc commotiùs Signino respondit, Tunc Romanum Pontificem hæreticum appellas? Scriptum,quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit. Et alter quidam adiecit, Immò ne malum quidem fuit, quia si liberare populum Dei bonum est, &c. Ad hæc patientia Domini Papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, dixit, Ecclesia ista numquam hæresim habuit, immò hìc omnes hæreses conquassatæ sunt. Hic Ariana hæresis, Sabelliana, &c. contrita est. Pro hac Ecclesia orauit cùm dixit: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.]

Emicat ex his, Gallos id tẽporis, quàm Italos ad reuerentiam, & admirationem Sedis Apostolicæ propensiores fuisse.

Arnulphus autem Lexouiensis Episcopus, suam & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam ità expressit epist. 19. ad Alexandrum Papam, propulsata teterrimi schismatis caligine, orbi radiantem: [Benedictus Deus, qui Ecclesiam suam, immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui mirabili semper benignitate diligit, & conseruat. Licèt enim aliquibus ipsam aliquando vexari patiatur iniurijs:facit tamen cum tentatione prouentum, vt possit sustinere: nec vmquam portas inferi aduersùs eam præualere permittit, &c. Præualuit in athleta Dei veritas falsitati, &c. Deus deiecit hæreticum, &c. Dominus sublimauit cornu Christi sui, vt in eo vnitas Ecclesiæ reformari posset, & regnum ipsius omnibus dominari.]

Hæc ille de Innocentio antecessore, statim Alexandro his non impatia ominatur: [Redibit serenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula dissoluetur: redintegrata vnitate Catholica, ab omni parte pedi-

pedibus vestris vniuersitas fidelis occurret, &c. Ego minor licèt omnibus, non minore tamen gaudio, quàm cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri Vicarium, Pastorem, & Episcopum omnium, qui Christiano nomine censentur, agnosco, & vobiscum Catholicam profiteor vnitatem.]

Et epist. 21. de Ecclesia Gallicana: [Benedictus Pater misericordiarum, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, vt eam semper, & agnitione veritatis illustret, & pedes eius à iustitiæ tramite nullatenùs aberrare permittat. Sicut enim omnes, quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris prouexit inuidia, virtus altissimi manifesta deiecit: sic omnibus, quos deuotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit, & triumphum. Cumque multis constet cæteras regiones abundasse portentis: sola Gallia monstra non habuit; sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulsit.] Vbi vides in causa schismatis, quæ hæresi coniunctissima est, Ecclesiam Gallicanam singulari sua cum vero Pontifice conglutinatione id esse consecutam, vt [monstra non habuerit, sinceritate fidei, doctrinæque veritate præfulserit.]

Et aliquantò antè Hildebertus Turonensis Archiepiscopus epist. 65. ad Honorium II. Papam, prouincialis Synodi suæ acta ab Apostolica Sede roborari, & irretractabili firmitate perpetuari postulans: [Hæc igitur vobis, sancte Pater, significanda censuimus, quatenùs acta canonicè vestra confirmare dignetur auctoritas: & datis ad Episcopos literis communiter exhortari omnes, vt quæcunque eis facienda sanximus, & docenda, ipsi quoque cum Christo facere studeant, & docere, &c. Non grauemini confirmatione Apostolica roborare, ac prohibere, ne quis omninò rescindere, vel aliqua ex parte minuere præsumat.] Perspicis regulas faciendorum, & docendorum in Concilijs Episcopalibus fixas, ne temerè refigantur, necessum esse, obsignari quodammodo Sedis Apostolicæ auctoritate,

Et his vetustior Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 22. 48. alijsque compluribus, etsi nulla tum lis de fide strepebat, satis tamen superque prodidit, quantum deferret definitionibus eius, [cui totius Ecclesiæ cura commissa est.]

62 Bernardus suo iam loco prodit, Galliæ decus immensum. Sic ergo ille ad Cardinales, & Episcopos Curiæ Romanæ: [Nulli dubium est, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succendere spinas, sedare querelas, &c. Pro Hur, & Aaron stat zelus, & auctoritas Romanæ Ecclesiæ super populo Dei. Ad eam meritò referimus non quæstiones, sed læsiones fidei, &c. Legite si placet librum Petri Abailardi, &c. Et siquidem iudicatis me iustè moueri, mouemini, & vos. Ac ne frustrà moueamini, agite, pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua polletis; pro potestate, quam accepistis; quò qui ascendit vsque ad Cœlos, descendat vsque ad inferos.]

Et epist. 189. ad Innocentium Papam, ad quem à Concilio Senonensi Abailardus appellarat, [Verùm tu, ò Successor Petri, iudicabis, an debeat habere refugium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu amice Sponsi, prouidebis, quomodò liberes sponsam à labijs iniquis, & lingua dolosa, &c. Oportet hæreses, & schismata esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Et schismate quidem iam Dominus probauit te, & cognouit te. Sed ne quid desit coronæ tuæ, &c, hæreses surrexerunt. Itàque ad consummationem virtutum, & ne quid minùs fecisse inueniamini à magnis Episcopis antecessoribus vestris, capite nobis, Pater amantissime, vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, donec paruulæ sunt. Ne si crescant, & multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, à posteris desperetur. Quamquam non iam paruulæ, nec pauculæ, sed certè grandiusculæ, & multæ sint, nec nisi in manu forti, vel à vobis exterminabuntur.]

Vide mores, vide leges Gallorum. A Synodo Senonensi prouocat Abailardus non ad Oecumenicum Concilium, sed ad Romanum Pontificem. Hæreses scriptis eius aspersas damnauit Senonensis illa Synodus, gloriam tamen extinctæ, & exterminatæ exorientis sectæ Bernardus vni Innocentio reseruat. Si ab illo contrita non fuerit, ait, à posteris desperatum iri.

Sed quid apertiùs his rursùs eiusdem ad eundem verbis epist. 190. [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, & præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippè huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Id quidem modò necessarium. Tempus est, vt vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis, & Sedem; si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.] Et sub finem, [Cùm non aliud esset, quod agerem pro iniuria fidei, quam dolebam: operæ mihi pretium arbitror, si illum monui, cuius arma potentia Deo ad destructionem in contrarium assertionum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei, & in captiuitatem redigendum omnem intellectum, ad obsequium Christi.]

Et hæc Bernardus non tantùm suo, sed & Gallicanæ totius Ecclesiæ nomine, sensu, ac præiudicio. Vnde apud eumdem Rhemensis Episcopus ad Innocentium rursùs Papam, memorata appellatione Abailardi; [Episcopi, qui propter hoc in vnum conuenerant, vestræ reuerentiæ deferentes,

nihil

nihil io personam eius egerunt; sed tantummodo capitula librorum eius, à sanctis Patribus condemnata, ne moribus serperet, medicinali necessitate abiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum, qui sibi credat, habet: Necesse est vt huic contagio, celeri remedio occurratur. Serò enim medicina paratur, cùm mala per longas inualuere moras. Processimus in hoc negotio, quousque ausi sumus. Tuum est de cætero, beatissime Pater, prouidere, ne in diebus tuis aliqua hæreticæ prauitatis macula decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est Sponsa Christi, amice Sponsi: tuum est tandem vni viro Virginem castam exhibere Christo.] Quod sæpius animaduersum est suprà, id iu hoc quoque eminet negotio, hæreticos perindè, ac Catholicos plùs multò arrogare Sedi Apostolicæ, quàm Synodis Episcopalibus.

Ità affectus erat Abailardus. Idem animi erat ipsis Episcopis, qui ne suspicione quidem vlla exoriente de Synodo Oecumenica, pestiferæ hæreseos debellationem vni Sedi Petri deberi consentiebant.

Postremò denique Innocentius ipse ad Episcopos Galliæ rescribens, laudato zelo, quo in nouitatis damnationem conflagrauerant, subdit: [Nos itàque, qui in beati Petri Cathedra, cui à Domino est dictum, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, licèt iodigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum, Episcoporum, & Cardinalium consilio, vniuersa Petri peruersa dogmata, sanctorum Canonum auctoritate cum suo auctore damnauimus, eique tamquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque erroris sui sectatores, & defensores, à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus.]

63 Primò: Aduerte hìc porrò silentium perpetuum, & tamquam hæretico imponi: si perpetuum, si vt hæretico, noo illud ergò, quod sua in officina, hactenùs inauditum, fabricarunt Gersonius, & consentanei eius Theologi: vt quod ad tempus, & cum fiducia fidei Catholicæ simuletur.

Secundò: Si res ità haberet, vt illi fabulantur, & hæreseos ab Episcopis, & Pontifice damnati, possent de fidei Catholicæ conscientia sibi blandiri, possent à Concilio Oecumenico pòst absolui: præposterùm, & immanè esset, eos omninò damnari, vt hæreticos extrudi à septis Ecclesiæ, & sæuissimè diuexari. Quàm propudiosum enim Ecclesiæ, eos proscribere, ac infamare, quos posteà absolui posse, & innocentes comperiri sciret?

Tertiò: Ideò Patres Synodi Senonensis cùm Petrus ad Sedem Apostolicam prouocasset, ab eo ootando temperarunt. Ergo, & Synodo Oecumenicæ reseruanda essent potiùs, quàm temerè præcipitanda iudicia, quæ pòst emendarentur.

Quartò: Cùm tarissimi in causis fidei à Pontificis sententia appellauerint ad Synodum Oecumenicam, & ità omnis prorsùs Ecclesia Catholica his assensa sit decretis primæ Sedis de fide: si potuit illis hæresis subesse, potuit, & Ecclesia Catholica eo errore illaquerari, quod dictu nefas. An ergò in potestare fuit hominum, vt iniquè damnati à Pontifice, non appellarent, & ità Ecclesiam omnem demergerent in hæreseos barathrum?

Quintò: Sed cùm rarissimæ possint, & debeant Synodi colligi Oecumenicæ, an poterunt interim omnes sibi suppalpari intùs in animo suo, & opiniones ab Episcopis, & Pontifice explosas retentare? Ve amant omnes hausta semel animo præiudicia, & Scripturis, Patribusque ea coocinere sibi mentiuntur, nemo non sentit, quanta hìc errandi aperiatur fenestra.

Sextò: Cùm sit Pontificis Synodos Oecumenicas conuocare, & persuasum illi sit iam olim ab exordio Ecclesiæ, nullas ad fidei, & hæreseos certum iudicium necessarias esse Oecumenicas Synodos; quis non videt, quantum in periculum Ecclesia Catholica conijciatur, si stet Gersonij sententia?

Septimò: Nec dissimulare possuot Gersonianæ doctrinæ sectatores suam paucitatem præ infinita fidelium doctorum, indoctorumue multitudine, quibus persuasissimum est, in fidei dogmata recipi, quidquid Sedes Petri definierit. Ergo si quid à fide dissonum à Sede Petri defioiri aliquando posset, hæc omnis Ecclesiæ Catholicæ multitudo in errorem abriperetur: & Ecclesia suo Catholicæ nomine excideret, ad eximiam illam paucitatem artata, quod absit. Vt alia ergo deessent præsidia, vel hoc vno inconcussa hæc constaret primæ Sedis prærogatiua non errandi, quod illi vniuersa se totam implicuit, commisitque penitùs Christi Ecclesia; & quàm ipsa errare nequit, tam errare nequit, quem sequitur.

Octauò: Tardum videbatur Senonensis Synodi Patribus, Abailardi sectam Romæ percelli, ne ea mora conualesceret lues, & seram posteà medicinam vinceret malum adultius: quid si sustinenda sint longa Conciliorum generalium ex Orbe toto tædia? quanta interim facient incrementa nouatores, immemores silentij, &, vt sua promulgent placita, ad Ecclesiæ incolumitatem interesse persuasi?

Nonò: Donatæ sunt Synodi Oecumenicæ aliquando ad frangendam, vel sic hæreticorum indomitam pertinaciam. Sed eo exitu, qui sacros annales euoluentibus manifestus est. Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, & id genus alij, aliquantò ferè procaciùs post Synodum insaniere, quàm ante. Nestoriani, & Pelagiani Cælestino non cesserant, nec Ephesino Concilio cessere. Eutychiani Leonis decreta suggillauerant, Chalcedonensem Synodum saonis, dirisque prosecuti sunt. Ità Monothelitæ, Iconomachi, vt Pontifices, ità Synodos ludibrio habuere. Nostra ætate in Tridentinum Concilium virulentiam suam noua hæreseos colluuies impotentiùs effudit. Catholicis porrò vix vmquam concessa sunt Concilia Oecumenica erudiendis, aut placandis; vt qui Episco-

palibus Concilijs, vel Pontificijs decretis protinùs obsecuti sint.

Decimò: Si quos autem moueat,quòd prioribus Ecclesiæ sæculis rariora extent vestigia priuilegij huius Sedis Apostolicæ. Aduertant illi multò obscuriora, immò nulla prorsùs extare Oecumenicarum Synodorum. Vt quæ ante Nicænam, nec habitæ sint, nec haberi potuerint. Cùm ergo tot ebullierint interim hæresum pestes,cùm Ecclesia Catholica aduersùs earum mendacia munienda fuerit, vna superest Episcoporum, & eius, qui principatum Episcopatus tenet, auctoritas, quæ tunc præsidio fuerit, & semper sit,& vsque futura sit; cùm Synodorum congregationi periudè nunc intercedere possit sæcularium Principum potestas.

Vndecimò: Quocirca id denique elucet, sola Ecclesiæ vniuersalis auctoritate opprimi, & schismatum, & hæresum nouitates omnes, siue illa in Synodum coeat, siue eo labore supersedeat. Episcopi enim Ecclesiæ Catholicæ etiam in particularibus Synodis auctoritatem Ecclesiæ vniuersalis præ se ferunt, suisque conciliant statutis, quandiù illis Ecclesia eadem vniuersalis non intercedit, quandiu silet, & silentio suffragatur.

Multò magis primę Sedis Pontifices, vbi ab Ecclesia consuluntur, vbi definiunt, vniuersalis eiusdem Ecclesię auctoritatem prægestant, adijciuntque decretis suis, vt qui Caput sint Ecclesię,vt qui Ecclesię personam repræsentent, vt qui gerant Sacramentum Ecclesię,vt qui non tam suo,quàm Ecclesię totius nomine pronuncient, vt quibus se Ecclesia committit, & immiscet, vt quorum fidei incumbunt vniuersi fideles, vt denique quos Ecclesia sequitur, quę errantem sequi potest neminem vniuersa.

64 Petrum venerabilis Abbas Cluniac. lib.4. epist.4. ad eumdem Innocen. Papam narrat Abailardum Cluniaco transisse. [Quęsiuimus, quò tenderet. Grauatum se vexationibus quorumdam,qui sibi,quod valdè abhorrebat, nomen hęretici imponebant; maiestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere se velle respondit.

Laudauimus propositum, & vt ad notum, & commune refugium confugeret, admonuimus. Iustitiam Apostolicam,quę nulli vmquam etiam extraneo, vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, vbi ratio postularet, sibi occursuram promisimus.] Denique in gratiam Sedis Apostolicę Petrum Petrus recolligit. Et hic vides litem de fide apud Petri tribunal tritè dirimi.

Quod eodem æuo in Anglia scribebat Ælredus ordinis Cisterciensis Abbas in capit. 14. Isaię 1 [Hęc est Ecclesia, quam primitiuorum sanctus vocat Apostolus, cuius plenitudo potestatis in ipsius Principe, primò de Oriente transmigrans in Occidentem, auctoritate Spiritus sancti in Romana resedit Ecclesia. Hęc est Romana Ecclesia, cuius interest consulere omnibus, iudicare de omnibus, omnibus prouidere. Quidquid ipsa statuerit, suscipio; approbo, quod approbauerit; & quod damnauerit, damnu.]

65 Bernardi,& Episcoporum Gallię consensio nihilò obscurior in causa Gilberti Pictauiensis Episcopi eluxit. Ea enim in Rhemensi Concilio coram Eugenio III. Papa, & Cardinalibus disceptata. Quos cùm erranti potiùs, quàm errori fauentes videret Bernardus, quatuor conscripsit fidei suę capitula, totidem Gilberti capitulis aduersa, & cum Archiepiscopis, Episcopisque Gallię subcripsit.

Eo exarsere Cardinales, & ad Eugenium conquesti sunt.[Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte,quo ausu ceruicem aduersùs Romanæ Sedis primatum, & apicem erexit? Hęc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti,etiam faciem nostram contemnentes, tamquam finitutæ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, vtpotè Alexandria,& Antiochia coram omnibus Patriarchis huiusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra valeret definiri auctoritate: quin immò iuxtà antiquorum Patrum instituta, vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum.]

Hanc querelam Pontifex cùm apud Bernardum deposuisset. [Ille humiliter,& cum reuerentia respondit. Se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definisse: sed quia ab Episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur·idcircò quia solus nollet, illorum auctoritate, ac testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse. Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquieuit;ità tamen, vt præ factum scriptum tamquam inconsulta curia prolatum,velut auctoritatis pondere carens pro Symbolo in Ecclesia, quod in Concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.]

Hactenùs Otto Frising. capit. 56. qui addit. [De primo tantùm Romanus Pontifex definiuit, &c. Episcopus verò præmissam summi Pontificis sententiam reuerenter excipiens. &c.] Summam, & ineluctabilem definiendi auctoritatem, vides, cui deferat Ecclesia Gallicana.

66 De his audiendus rursùm Goffridus Monachus Claræuall. & notarius Bernardi: [Communi consilio à Patribus decem prouinciarum, alijs autem Episcopis, & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei,nouis dogmatibus opponitur Symbolum nouum: cui etiam subscribuntur nomina singulorum, vt eorum videlicet omnium, sicut fides irreprehensibilis, sic irreprehensibilis zelus innotescat. Ità demùm Apostolico iudicio, & auctoritate vniuersalis Ecclesiæ error ille damnatur: Episcopus Gilbertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur: consentiens,publicèque refutans, quæ priùs senserat, & affirmauerat, iudul-

indulgentiam ipse consequitur. Maximè quod ab initio cautum fuisset, ea lege eandem ingredi disceptationem, vt promitteret sine vlla obstinatione, sese pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, correcturum liberè suam opinionem.]

Vt quid id cauebatur, vt quid cedebat Gilbertus, si definitioni synodali, & Pontificiæ error illusisse, & indè in omnem Ecclesiam essundi poterat? Quin saltem in Oecumenica post Synodo tetractantur hęc omnia, ne præproperè in hæresin Ecclesia vniuersalis consenserit? Sed nusquam ea de re laboratum hactenùs.

67 Gaufridus his accedat Monachus Cisterciensis in epistol. ad Cardinalem Albanensem de his scripta, vbi de Concilio Rhemensi disserens ait: [Postquam diutiùs disputatum est, sub eo tenore discessum est, vt dicerent Domini Cardinales, quia ecce audiuimus, quæ proposita sunt, deinceps iudicabimus, qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenùs mouit corda multorum, vt sequeuti die apud sanctum Bernardum conuenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque, ac Abbatum, & Magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi soli videbantur eeseruasse, quos nouerant ferè omnes errantis potiùs, quàm erroris fautores: prouidere oportere cum capitulis illis Gilberti Episcopi, suæ etiam fidei Symbolum mitti, vt scirent pleniùs, vndè iudicarent, &c. Et electæ sunt tres personæ, Episcopi duo, & Sugerius Abbas sancti Dionisij, qui eandem scriptutam Domino Papæ, & Cardinalibus præsentarent; & dicerent eis, Offerimus & nos vobis nostram confessionem, vt non de parte, sed de partibus iudicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam, conuenit, vt teneatis, & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, vt paratus esse corrigere, si quid vobis aliud videretur: nos eiusmodi conditionem penitùs excludentes, sic vobis nostram offerimus, vt noueritis, quòd in hoc sumus, in hoc perseuerabimus, nihil penitùs mutaturi. Quibus Papa respondit, quòd ab eadem confessione eorum in nullo prorsùs Romana Ecclesia dissentiret, & si statc aliqui visi fuerant pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina, &c. Ibidem Dominus Papa auctoritate Apostolica, de assensu totius Ecclesiæ, quæ conuenerat, capitula ipse damnauit.]

In fide sua nihil vacillabant, nullo dubitationis lubrico lapsabant Galliarum Episcopi, iudicij tamen summam potestatem Romanæ Ecclesiæ tribuunt: de essugio ad Synodum Oecumenicam, nec suspicio vlli nascitur.

68 Idem ipse infrà pauca perstringit Abailardum, [Cuius libellos piæ memoriæ Innocentius Papa secundus in Vrbe Roma, & in Ecclesia beati Petri incendio celebri concremauit, Apostolica auctoritate hęreticum illum denuncians.]

De quo, & Goffridus Monachus Clareuall. lib. 3. vitæ Bernat. cap. 5. In grandi Concilio Senonensi, Abailardus, [nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, vt tempus redimeret, Sedem Apostolicam appellauit, &c. Nihilominùs Ecclesia, quę conuenerat, dimisit hominem, mulctauit abominationem; à persona abstinens, sed dogmata praua condemnans. Quando verò Petrus ille refugium inueniret in Sede Petri, tam longè dissidens à fide Petri? Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis Apostolicus Præsul inuoluens, hęreticumque denuncians, scripta incendio, scriptorem silentio condemnauit.]

Quibus adde Otthonem de sancto Blasio, in appendice ad Otthonem Frising. [Petrus Abailardus hæresin Arianam resuscitare molitur. Contrà quem venerabilis Abbas Bernardus velut contra hostem Ecclesię insurgens, viua voce, scriptisque ipsum magnificè conuincens, hęreticum probauit, scriptisque eius synodaliter examinatis ab Apostolico, & damnatis, ipsi de cętero silentium imposuit.]

Ità cap. 2. at cap. 3. rursùm de libris Gilberti: [Eugenius Papa Synodum Episcoporum congregauit, &c. Liber Gilberti in nonnullis à vera fide visus est discrepare, & ideò synodaliter reprobatus, & damnatus est; Episcopo libri ipsius auctore humiliter consentiente, ipsumque ore proprio damnante.]

Et Ottho ipse Frising. Episcopus lib. 1. de gestis Frider. Imp. cap. 57. [Episcopus verò Gilbertus præmissam summi Pontificis sententiam reuerenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam diœcesin remeauit.

Nempè vt antè cap. 46. perhibuetat, Gilbertus [à duobus Archidiaconis suis, tamquam contrà Catholicæ normam Ecclesiæ doctrinam instituens, ad summi Pontificis, Romanæque Sedis examen, interposita appellatione vocatur.]

Et iidem cap. 47. de Abailardo: Bernardo auctore, primò ab Episcopis Gallię, post à Romano Pontifice, Petro Abailardo silentium impositum fuit.]

Et cap. 48. in Senonensi Concilio, dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timens Abailardus, Apostolicę Sedis pręsentiam appellauit.

Constantissimè, vt vides, non ad Synodum vsquam prouocatur œcumenicam; sed ad Sedem Apostolicam, ab omnibus Gallicana consuetudine, & modestia imbutis.

69 Bernardus iterum epist. 174. plurima argumentatus aduersùs festum diem Conceptionis Deiparæ, vt à Lugdunensibus præproperè innouatum, hæc tandem subjicit. [Si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis auctoritas, & non ità præcipitanter, atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum, &c. Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ Ecclesiæ præsertim auctoritati, atque examini totum hoc, sicut, & cætera, quæ eiusmodi sunt, vniuersa reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.

70 Petrus Cellensis lib. 6. epist. vlt. in eodem versatur argumento: [Est auro locus in quo conflatur, & habet argentum venarum suarum principia, Sedem Petri, & curiam Romanam, quæ claues cæli principaliter tenet. Hæc sedes Petri, id est, Petra, in qua Moyses residet, videlicet Lex Dei immaculata, conuertens animas, fragosa quæque hæreticorum Conciliabula elidit, atque allidit; prophanas vocum nouitates resecat, & rescindit; superflua confodit, & iugulat; hiantia, & ecliptica complet, & illustrat. Vtinam salua veritatis auctoritate, lance communis Concilij, hæc domina, & moderatrix totius Christianitatis, Conceptionē Virginis librasset, & approbasset, & à mari vsq; ad mare hanc propagasset; Sole, id est, Apostolico, & Luna, id est, Romana Curia præeunte, tam securè, quàm expeditè in lumine vultus eorum gressus meos ponerem, & disponerem: ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum, & securum.

Et eadem de re lib. 8. epist. 10. Virginem laudas, & ego, &c. Si verò extrà communis monetę formam, vis fabricare aliam, quam non approbauerit Sedes Petri, cuius est approbare, vel improbare ordinem vniuersalis Ecclesię, pedem sisto, & terminos constitutos non transgredior.]

Quę controuersia etsi ad disciplinam attinebat, iligatam illi tamen fuisse, & fidei causam, exploratum est.

Quibus adde paucula ex Petri Blesensis epistola 99. ad Vrbanum Papam: [Domus Dei, quæ in lapide adiutorij super fundamentum Apostolorum stabilita est; à Petro, & successoribus eius formam semper erudirionis, & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod radij Soli, quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debent Ecclesiæ omnes, quas vbique terrarum religio Christiana fundauit.

Cui præmitendus fuerat Hugo de sancto Victore, de Sacram. lib. 1. cap. 43. [Papa dicitur, quia Pater Patrum. Vniuersalis dicitur, quia vniuersæ præest Ecclesiæ. Hic quoque Apostolicus appellatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur. Eius officium est, &c. Canones etiam pro tempore ad vtilitatem Ecclesiæ promulgare, vel immutare, &c. Totam Ecclesiam vice Christi tenet, Episcopi Apostolorum.

Ioannes Salisberiensis ad Carnotensem demùm suffragio meritorum ingentium prouectus Episcopatum, liberaliter passim Romanæ Sedis dotibus amplificandis indulget. Stringam ex eo hæc pauca.

Ad Alexandrum Papam epist. 193. [Clamamus ad Successorem Petri, Vicarium Crucifixi, &c. Ius est veras exprimere voces, præsertim apud eum, qui amator est, & patronus veritatis, & cuius ministerio, Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat.

Et ad eumdem epist. 220. recurrebant filij Israel ad tabernaculum fœderis, vbi sancta Sanctorum seruabantur, id est, mandata Dei, quæ cunctis iustificationibus antecellunt, & opportunitatibus suis conueniebant Moysen, & Aaron, Sanctos Domini. Et miseris Cantuariensibus, ad quos inter Deum, & se mediatores confugiendum est, nisi ad Romanam Ecclesiam, vbi viget diuinæ legis custodia, & totius sacerdotij principatus? Nam si illa post Deum decreuerit saluare nos, continuò liberabimur. Si manus extexeritis, sternetur Amalech; & qui vos Pharaoni dedit in Deum, deijciet omnes aduersarios Ecclesiæ à facie vestra.]

Viuersim valent ista; & quæ tunc disceptabantur libertatis Ecclesiasticę capita, eorum nonnulla est cum fidei dogmate consanguinitas. Quocirca eodem forsan referri posset, & hoc ex epist. 190. Stephani sanctæ Genouefæ priùs Abbatis, posteà Episcopi Tornacensis, ad eos, qui priuilegia indulta à Petri Sede conuellebant: [Examen istud reseruate summo Pontifici, qui solus habet potestatem, & condendi nouos Canones, & exponendi veteres, & interpretandi priuilegia sua, & corrigendi aliena.]

71 Gallis non immeritò, & S. Thomas annumerabitur. Is ergo 2. 2. qu. 1. art. 10. ita philosophatur: [Noua editio Symboli necessaria est ad euitandū insurgentes errores: Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur in decret. lib. de bapt. cap. Maiores. Vndè & Dominus Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et huius ratio est, quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ. Et huius ratio est, quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ. Quod seruari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, & sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideò ad solam auctoritatem summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia einsmodi.

Vbi illud enitescit, nullam inter Pontificem, & generale Concilium pugnam, nullam æmulationem fuisse, sed summam ex aduersò concordiam, & societatem. Vna enim vtriusque, vna Ecclesiæ Catholicæ auctoritas est, sen capite, & lingua tantùm, quod sentit, eloquatur: seu toto corpore, & membrorum omnium consentu idem assonet.

Vndè & in responsione ad secundom mox idem, docet non potuisse veteres Synodos eam posterioribus concilijs abrogare potestatem, aduersùs nouas hæreses noua conscribendi symbola; non nouam, sed veterem fidem explicantia manifestiùs: [Vndè pertinet ad Summum Pontificem, cuius auctoritate Synodus congregatur, & eius sententia confirmatur.]

Toties autem congregari Synodos genera-

nerales, quoties nouæ iugulandæ sunt hæreses, ineptum, impossibile, & à moribus Ecclesiæ hactenùs alienissimum non nesciebat sanctus Doctor.

72 Quòd multò splendidiùs fiet ex alio eiusdem luculentissimo testimonio, de potentia quæst.10. art.4.ad 13.vbi pro Latina Ecclesia aduersùs Græcorum quærimonias ità decertat: [Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, vt ex prædictis patet: ità etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cuius auctoritate solaSynodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quòd ad eius expositionem faciendam vniuersale Concilium congregetur, cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia; sicut in sexta Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dicit, quod propter imminentia bella vniuersaliter Episcopos congregare non potuit. Sed tamen illi, qui conuenerunt, quædam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Agathonis Papæ determinauerunt, scilicet quòd in Christo sine duæ voluntates, & duæ actiones. Et similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati, secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinauit Christum esse in duabus naturis post incarnationem.]

Vides hic primò ipsarum ex Synodorum testificatione, varios incurrere obices, ne Synodi colligantur, adeòque ad perimendas hæreses subindè pullulantes, alio quopiam veritatis oraculo opus esse.

Secundò: Nec secundam, nec sextam, nec alias fortè plures iure æstimatum iri œcumenicas Synodos, nisi ex Pontificis Romani, & Ecclesiarum ei proximiùs adhærentium, & quasi concretarum confessione, vel antegressa, vel consecuta.

Tertiò: Si loco Synodi generalis subroganda sit vicaria, & perpetua auctoritas aliqua, non aliam, quàm Romanæ Ecclesiæ excogitari posse, cuius est Synodus, & conuocare, & confirmare.

Quartò: cùm vel maximè, vt ait Sanctus Doctor, appelleretur à Synodo Generali ad Pontificem. Nempè vt nunc quidem interpretari licet, alibi fusiùs eade re disceptaturis, quia sine Pontifice Romano, numquam verè œcumenica Synodus est: Et frustrà eius nominis gloriam aucupatæ sunt aliquæ Synodi, sine eo, vel contrà eum congregatæ. Nusquam enim illis vniuersa consensit, vel præsens Ecclesia, vel postea.

Quintò. Tanto maioris est autem momenti hæc argumentatio B. Thomæ, quòd Latinam, id est, Catholicam ibi tuetur aduersùs Græcos Ecclesiam, quæ solius Romani Pontificis auctoritate, citrà generalem Synodum, in Symbolum, adeòque in dogma fidei susceperat Spiritus sancti à Filio processionem.

73 Denique idem rursùs 2.2.quæst.11.artic.2.ad 3.[Postquam ea essent auctoritate vniuersalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim 24. q.1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros, & Coepiscopos, nonnisi ad Petrum, id est, ad sui nominis, & honoris auctorem referre debere. Contrà cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit. Vndè dicit Hieronymus ad Damasum Papam, &c.]

Subtexit, & Hieronymo adscribit verba superiùs relata Pelagij ad Innocentium, quibus fidei se, & Sedi Petri emendandum substernebat. Thomæ comes indiuiduus adsit Bonauentura. Iste ergo l.1. d.11. art.1.qu.1.eandem Latinorum aduersùs Græcos causam defensitans de processione Spiritus Sancti ex Filio: horum superbiam notat, [quia cùm reputarent se sciolos, & vocati non fuerunt: noluerunt profiteri, quod non erat per eos inuentum. Notat & pertinaciam, quia suam sententiam defendere ausi sunt, & auctoritati Ecclesiæ Romanæ obniare: & ideò facti sunt hæretici, quia negant fidei veritatem: & schismatici, quia recesserunt ab Ecclesiæ vnitate.]

Criminationes verò Græcorum, quòd Symbolum nouum condiderimus, cùm Synodi œcumenicæ id olim vetuerint, ità exsufflat: [Potest dici, sicut dicit Anselmus, quòd nouum edidimus, quod quidem facere potuimus. Quia Romana Ecclesia plenitudinè potestatis à Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia, nec interdictum ponere, nec artare potuit, nec ei præiudicare, nec ligare eam ad aliquid.

Et rursùs ibidem continuò: [Similiter dicunt nos schismaticos, quia à nobis incipit diuisio: cùm enim hoc vellemus asserere, noluimus eos vocare. Et ad hoc responderi potest pro Latinis, quòd eos vocare non fuit opportunum, quia Ecclesia sine eis hoc poterat; &c.&c. quia erat periculosum, quia quod pro certo habendum erat, periculum erat ducere in dubium.]

Alienissima sunt hæc omnia, non tam Bonauenturæ, quàm totius Latinæ Ecclesiæ responsa, ab eorum opinatione, qui fidei definitiones à solis iactant hauriendas esse Oecumenicis Synodis, non à Romana Ecclesia. Vndè Alensis Parisinæ, & ipse Scholæ non iniuria accensendus quæst. 43. memb.4. [Quoniam igitur, & necessitas cogebat, & ratio nulla prohibebat, & vera fides hoc admittebat: fiducialiter asseruit Latinitas, quod confitendum, & credendum esse cognoscebat. Quod autem quæritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est: respondemus, quia nimis erat Latinis difficile Græcorum Episcopos ad consulendum de hac re colligere: nec erat necesse, vndè non dubitabant, in quæstionem adducere. Quæ enim Ecclesia est, quæ per amplitudinem vnius Regni dilatatur, cui non liceat aliquid secundùm rectam fidem constituere, quod in con-

conuentu populi vtiliter legatur; aut cantetur? Quantò magis licet Romanis hoc constanter proferre, in quas gentes, & omnia regna, quæ Latinis vtuntur literis, pariter concordant?]

Vsque ad Florentinæ Synodi tempora ab hac defensionis ratione non discessisse Latinos Theologos, In promptu est, cùm non alijs possent machinis retundere Grecorum congressiones. Henricus à Gandauo in summa, art.54. q. 6. negat excusari posse Grecos secùs sentientes, postquam cepit Ecclesia Latinorum contrariari: Nec Okamus ipse inficias ire potuit, in 1. d. 11. quin ex determinatione Ecclesiæ contrà Grecos tenendum sit, Spiritum sanctum à Filio procedere. Durandus à sancto Porciano in eamdem dist. ait, dissentire Grecos à nobis, & errare: Magistro visos non errare, quia nobiscum sentiunt re, verbis dissentiunt, dum concedunt Spiritum sanctum esse Filij. Gabriel Biel in eandem dist. 11. [Non concedunt Græci Spiritum sanctum procedere à Filio, &c. Contrà quos est determinatio Ecclesiæ in cap. Firmiter de sancta Trinitate. Et mox: Hæc conclusio est fidei, & determinationis Ecclesiæ, ideò inconcussè tenenda.

Ioannes Maior Scholæ Parisiensis Theologus in eandem dist. 11. non acquiescit Magistro, aienti verbis tantùm Græcos à nobis dissidere: [Non est verisimile de Græcis post determinationem Ecclesiæ, quòd haberent disputationem vocalem cùm Latinis, sed realem: sed Anselmo lib. de processione Spiritus sancti cap. 4. neganti; [Græci nobiscum non consentiunt Ecclesiæ, & istud patet, quia cùm interdum nobiscum protestati sint se velle capere determinationem matris Ecclesiæ, & illi adhærere: protinùs reuertentes in regionem suam per aliam viam, ad priorem reuersi sunt vomitum. Et paulò antè: Testimonium efficax huius conclusionis colligitur de summa Trinitate, & fide Catholica lib. 6. cap. fideli, vbi sic habetur: Fideli, ac deuota, &c. Hoc professa est hactenùs, &c. Prædicat sancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium, & magistra, &c. Hoc sacro approbante Concilio damnamus, &c.]

Pateo reliquos Scholæ Theologicæ Magistros aceruare, vnum contentus adiecisse Ioannem de Parisijs, lib. de Potestate Regia, & Papali cap. 3. [Vna est omnium fidelium Ecclesia, vnus populus Christianus. Et ideò sicut in qualibet diœcesi vnus est Episcopus, qui est caput Ecclesiæ in illo loco, vel populo; ità in tota Ecclesia, & in toto populo Christiano, est vnus summus Episcopus, Papa scilicet Romanus, Petri successor. Nam post corporalem subtractionem præsentiæ corporalis Christi, conueoit interdùm circa ea, quæ sunt fidei, quæstiones moueri: in quibus propter diuersitatem opinionum, vel sententiarum diuideretur Ecclesia, quæ ad sui vnitatem requirit fidei vnitatem, nisi per vnius sententiam Ecclesiæ vnitas seruaretur. Hic autem principatum huiusmodi habens est Petrus, successorque eius, non quidem synodali ordinatione, sed ex ore Domini, qui Ecclesiæ suæ noluit deficere in necessarijs ad salutem. Et infrà: Ne propter diuersitatem controuersiarum vnitas fidei destruatur, necesse est vnum esse superiorem in spiritualibus, per cuius sententiam controuersiæ terminentur.] Ità ille nihil ab hac inueterata Gallorum fide deterritus, aut auocatus importuna illa, in cuius tempora incidit, Bonifacij VIII. & *Philippi* Pulcri rixa.

74 Obseruat autem non abs re sanctus Thomas, & in veteris iuris, seu Gratiani decreto, & in noui, seu in Gregorianis decretalium libris, id expressè declarari, quod nunc expenditur, nempè ex Innocentio I. [Quoties fidei ratio ventilatur, omnes Episcopos ad Petri Sedem referre debere, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.] Et ex Innocentio IV. [Maiores Ecclesiæ caussas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas esse, &c. Quibusdam igitur quæstionibus, quas contra Catholicos hæretici mouerant, nos postulas respondere.]

Hæc ille ad Arelatensem Archiepiscopum. Nusquam *hic* mentio Concilij, quod nec habitum est vllum aduersùs Pelagianos, & Petrobrusianos, seu nouellos alios paruulorum baptismi inficiatores. Quæstione ad Petri Sedem relata, ab ea manat definitio, quæ per totum mundum omnibus Ecclesijs in commune prosit. Has porrò Pontificum decretales epistolas, etiam nunc, sed & olim Gallicani Antistites osculati sunt, & in eas sacramento etiam Doctores quique adacti. Frustrà ergo pauculi in angulis mutiunt; attendendum est, quod in propatulo: & de Gallicanæ Ecclesiæ sensu, æstimandum est, temperandumque iudicium ex ijs, quæ publica auctoritate, & à longè pluribus geruntur. Etiam nunc enim eosdem retentat mores Ecclesia Gallicana in dubijs circa fidem emergentibus, quos olim sub Carolo Magno, in cuius capit. lib. 7. cap. 187. refertur, orta dubitatione de Chorepiscopis: [Quod iurgium cùm enucleatiùs discurrere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolicam Sedem consulere, iubente canonica auctoritate, atque dicente; Si maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apostolicam, vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, incontanter referatur.] Ita Galli olim, ità etiam nunc publicè, & palàm sentiunt, ita degunt, his decretis astringi se sentiunt.

75 Atque vt cursim perlustrem complusscula Gallicanæ de re ista sententiæ documenta, atque exempla: in causa Arnulphi Rhemorum Archiepiscopi, sub Hugone, & Roberto Regibus, ita Synodus Episcopalis ad Ioannem Papam scripsit: [Non sumus nescij, beatissime Pater, iamdudùm oportuisse nos expetere consulta sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro ruina, atque occasu sacerdotalis ordinis, &c. Tandem ad monstra perditissimi hominis expergefacti, imus in sententiam Domini, dicentis: Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c.

Dic

Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Adesto, Pater, tueori Ecclesiæ, & sententiam ex sacris Canonibus promulgatam, vel potiùs ab ipsa veritate prolatam, profer in medium. Sentiamus in vobis alterum Petrum, defensorem, & corroboratorem Christianæ fidei. Ferat sancta Romana Ecclesia sententiam damnationis in reum, quem vniuersalis damnat Ecclesia, &c. vt sciamus, & intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum vestrum præferre debeamus.] Ita suspiciunt Romanum Antistitem, vt alterum Petrum, defensorem, & corroboratorem Christianæ fidei: cui, vt Ecclesiæ personam, & maiestatem gestanti, cùm dicitur, Ecclesiæ dicitur: cuius vox, tonitru est ipsum, & fulmen Ecclesiæ vniuersæ; vt damnante Ecclesia vniuersa, Ecclesia Romana sententiam ferat. At sub Henrico I. Rege, cùm Constantinopolitani Antistitia artes obreperent Romano Præsuli Ioanni, & id ebblandirentur, vt Romani Pontificis consensu liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in vniuerso, vniuersalem dici, & haberi: his vt tradit Glaber lib. 4. cap. 1. obiurgatorijs Ioannem Papam epistolis perstrinxit Vuillelmus Abbas, monesterio S. Benigni à S. Maiolo Cluniacensi Abbate præfectus, acer ingenio, & insignis prudentia, idcircò summum in Palatijs Regum, ac cæterorum Principum obtinens locum:] teste eodem Glabero, lib. 3. cap. 5.

Ita ergo ille inter cætera ad Pontificem: [Est fama rei, quæ nuper erga nos accidit: de qua, qui audiens non scandalizatur, nouerit se longè ab amore superno disparari. Quoniam licèt potestas Romani imperij, quæ olim in Orbis terrarum Monarchis viguit, nunc per diuersa terrarum innumeris regatur sceptris: ligandi, soluendique in terra, & in Cœlo potestas, dono inuiolabili, incumbit magisterio Petri.]

Ità nunc Occidentales omnes, & Galli maximè pro amplitudine Sedis Romanæ, vt sua, & sibi propria, aduersùs Orientalium procaces insultus certabant; & Magisterio Petri, vt qui dono inuiolabili vnus constitutus à Christo esset vniuersalis Magister, omnem Christianum Orbem substernere laborabant. At sub Philippo Augusto Rigordus auscultandus nobis occurrit, vbi post proditos Amalrici Clerici Carnotensis errores; [Cùm ei ab omnibus Catholicis vniuersaliter contradiceretur, de necessitate accessit ad summum Pontificem; qui audita eius propositione, & vniuersitatis scholarium contradictione, sententiauit contrà ipsum. Rediit ergo Parisius: & compellitur ab vniuersitate, confiteri ore, quod in contrarium prædictæ opinioni suæ senticet: ore dico, quia corde nunquam dissensit.] Mox eius mortem memorat, asseclasque eius synodicè Parisijs damnatos, & à Senatu Regio addictos viuicomburio: exhumatum ipsum, & Synodi sententia excommunicatum, licèt in pace Ecclesiæ, vt putabatur, fuisset sepultus. Mirum in modum ista dissentiunt à suspicionibus Gersonij suprà explanatis.

Hæc enim ad annum spectant 1209. at eiusdem Amalrici damnatio posterior in Concilio Oecumenico Lateranensi sub eodem Innocentio III. ad an. 1215. Retrò flectenda paulisper vestigia ad ann. 1179. quo, vt auctor est Matthæus Parisius, [Alexandri Papæ Apostolatui relatum fuit, quòd Magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis ab articulis fidei deuiauit. Vndè Vuillelmo Senonensi Archiepiscopo literas sub hac forma direxit: Alexandrus Episcopus, seruus, &c. Cùm in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viua voce iniunximus, vt suffraganeis tuis Parisijs tibi ascitis ad abrogationem doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, quòd Christus secundùm quod homo, non est aliquid; omninò intenderes, & efficacem operam adhiberes. Indè siquidem est, quod fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs quod tibi cùm præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios conuoces, & vnà cum illis, & alijs viris religiosis, & prudentibus, prædictam doctrinam studeas penitùs abrogare: vniuersis firmiter, & districtè iniungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitùs detestentur.] Nec ad Magistri, nec ad Episcopi defensionem quisquam strinxit calamum aduersùs iudicium Apostolicæ Sedis in Academia Parisiensi; vt nihil posteà opus fuerit idem renouari, vel confirmari iudicium in Concilio Lateranensi an. 1215. quò inustus est Ioachimus Abbas Florensis, quòd dum Petrum Lombardum exagitaret, grauibus & ipse illaqueasset sese erroribus. Damnata tamen ibi magis lucubratio Ioachimi, quàm persona, propterea quòd omnia scripta sua Apostolicæ Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda mandasset, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est, & magistra;] vt habent acta Synodi illius generalis. Rursùs autem vt Willelmi de sancto Amore, & consectaneorum eius liber ab Alexandro IV. proscriptus sit, doceat nos Cantipratensis: [Qui libet qualiter citatis, & vocatis ad Curiam, & præsentiam summi Pontificis dictis Magistris, damnatus sit, & combustus, non solùm in ipsa Curia, sed & Parisijs, coràm vniuersitatis multitudine copiosa, scire poterit, qui collationes, & disputationes legerit, præcipuè contrà Magistros quatuor in capite aduersarios. Et idem: Dicti Magistri Fratrum aduersarij beneficijs, & dignitatibus omnibus sunt priuati, donec iurauerunt mandato Papæ coacti, reuocare Parisijs, & in alijs ciuitatibus, & locis verecundæ prædicationis eorum, quidquid contrà dictorum Fratrum ordines implicitè, vel explicitè euomuissent.] Et rursùm ann. 1277. cùm Stephanus Parisiensis Episcopus censorio mucrone confixisset aliquos Philoso-

pha-

phaſtros, inanditis ſtridentes argutijs, & nonnulla cauillantes vera eſſe ſecundùm Philnſnphiam, nnn ſecnndùm fidem Caeholicam: reſcripſit ad eundem Stephanum Ioannes Pontifex eins nnminis XXI. [Relatio nimis implacida noſtrum nuper turbauit auditum, quòd Pariſija, vbi fons viuus ſapientiæ ſalutaris abundanter huc vſque ſcaturijt, ſuns riuns limpidiſſimoa fidem pateſacientes Catholicam, vſque ad terminos Orbis terræ diffundens; quidam errores in præiudicium eiuſdem fidei de nouo pullulaſſe dicuntur. Volumus itaque, tibique auctoritate præſentinm diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs diligenter ſacias inſpici, vel inquiri, à quibus perſnnis, & in quibus locis errores huiuſmodi dicti ſunt, ſiue ſcripti. Ec quæ didiceria, ſiue inueneris, cnnſcripta fideliter nobis per tuum Nuncinm tcanſmittere, quàm citiùs non omittas.

Rursùs ad annum 1277. qnæ ad Ægidij Romani damnationem ſpectant, ediſcemus ex epiſtola Hnnorij Quatti Papæ ad Epiſcnpum Pariſienſem data: [Licèt dilectus filius Fr. Ægidius Romanus de ordine fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, olim Pariſijs vacans ſtudio, aliqua, ſicue intelleximua, dixerit, & redegerit in ſcripturam, quæ beatæ memnriæ Stephanus Pariſienſia Epiſcopus, prædeceſſor tuns per ſeipſum examinans, & per Cancellatium Pariſienſem eius temporis, & per alins Theologicæ Facnltatis Magiſtros examinari faciens, cenſnit reuocanda; & ea minimè reuocarit, quin potiùs varijs rationibus niſus fuerit confirmare. Nuper tamen apud Sedem Apoſtolicam cnnſtitutus, humiliter obtulit, ſe paratum renocanda, quæ dixerat ſiue ſcripſerat, reuocare pro noſtræ atbitrio volnntatis.]

Iubet ergo, vt Pariſijs fiat ea renocatio ſolemnl more. Culus demiſſionis gratia idem Ægidius poſteà ad Bituricenſis Cathedræ Pontificatum euectus eſt. Internecina quædam inter Bnniſacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliæ Regem conflagrauit diſcordia; nec tamen ab hac Galli primigenia ſua in Petri Sedem, fidemque obſeruantia deſciucre, vel in ipſo irarum æſtn.

Ità enim Philippus ipſe Rex ad Clementem Quintum ſcripſit haud multò poſt: nempè ann. 1310. [Abſit à Regia perennitate, in quæſtione fidei quidquam, quod veſtra ſanctitas, maximè ſacro approbante Concilio deciderit, in aliquod vnquam dubium renocare.]

Idipſum mox totidem verbis conteſtantur Galli Proceres. Et infrà excipientibus Rnmania non poſſe de Bonifacio, quem Galli hæreſeos inſimnlabant, inquiri, niſi in Cnncilio generali: reſpondent Galli: [Non quæritur de hæreſi Papæ quondam, vt Papæ, ſed vt priuatæ perſonæ. Nec vt Papa potuit eſſe hęreticus, ſed vt priuata perſona. Nec vnquam aliqnia Papa, in quantum Papa, potuit eſſe hęreticus. Et ideò cùm de eiua morsuà hęreſi quęritnr, non habet congregari Concilium generale. Eſtis enim vos, Pater ſanctiſſime, Ieſu Chriſti Vicarius, totum corpus Eccleſiæ repręſentans, qui claues Regni Cœlorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium ſine vobis, & niſi per vos poſſet cognoſcere.]

Progrediamnr hinc ad an. 1321. quo Ioannes è Poliaco Pariſienſis doctor peruerſa aliqna effutiuit de cōfeſſionibus apud Sacerdotes Monachos factis, & de poteſtate Pontificia ad priuilegia iſtiuſmndi largienda. Ità in eum detonuit Ioannes XXII. Aueninne ſedens, Gallus ipſe, & Gallorum Cardinalium frequenti ſenatu cinctus: [Omnes articulos, & quemlibet eorum tamquam ſalſns, & erroneos, & à ſacta doctrina deuins, auctoritate Apoſtolica condemnamus, & reprobamus de Fratrum noſtrnrnm conſilio.

Obſecutus eſt Pontifici Ioannes è Poliaco, tum in ſchnlis, tum in ſacris concionibus publicè errorem eiutans.

Pontificiæ autem tum cauſæ, & Romani Throni pręrogatiuæ patrocinati ſunt præ cęteris tunc Heruæus, & Petrus Paludanus, non ſuo magis, quàm gentis ſuæ inſtinctu; erant enim ambo Galli.

Iàm verò anno 1322. cùm famigerata illa æſtuaret concertatio de paupertate Chriſti, Apoſtolorum, Monachorum, atque de rerū mobilium, & immobilium dominio, & vſu: & Nicolai IV. atque Ioannis XXII. Pontificum doctrina videretur in ſpeciem, & à perduellibus iactitaretur, quaſi aduerſa fronte collidi: tum Cardinalium cœtua omnis, qui vt pręmonui, vtque eorum temporum ſcriptnres fidem faciunt, Galli erant omnes propemodùm, tum Academia Pariſienſis ſtrenuè pro Ioanne Pontifice dimicauie aduersùs Fratricellos, hæreſens illi maculam aſpergentes; etſi nec hi Ioannem, niſi quà Nicolao prędeceſſnti ſuo aduerſantem, in crimen vocarent.

Vnius hic adſcribam Vitalis Epiſcopi Alban., & Cardinalis pro cauſa Pontificia ſcribentis axnrdium.

Cùm ex decreto Gratiani prnculiſſet illam Pelagij conteſtationem, ſe torum Sedi, fideique Petri, & eius Vicarij committentis, vel emendandum, vel defendendum: hęc addit: [Prædictum Capirulum duo continet euidenter, quæ in prnteſtatione mea volo includi. Primum eſt, quòd ſi in dictis meis fortè aliquid ponam minùs ptonidè, incautè, vel indiſcretè, omnia per Chriſti Vicarium corrigantur. Secundum eſt, qnod quidquid per eundem Chriſti Vicarium fuerit determinatum de prędicta quęſtione, & de qnibuſcumqne alijs, maximè ad fidem pertinentibus, omnia volo ſimpliciter, & indubitabili fide tenere: promptè, & liberè confiteri.]

Cnnſule, ſi vacuum eſt, & Académię Pariſienſis criptum ea in quęſtione ptolixùm, & perelegans, pugnantia ſpecie tenùs, Pontificum decreta, ità conciliaus, vt neutri error affingatur.

Rursùs extant [Propoſitiones M. Ioannis de Vltricuria, Romæ primùm damnatæ, dein publicè per eum in Vniuerſitate Patiſienſi reuocatæ, anno Chriſt. 1348.]

Et

Et ad calcem sententiæ in eum latæ: [Magister Nicolaus de Vlirieutia dicete debeat altè, & intelligibiliter, quòd propter illos articulos, & propositiones per eum reuocatas, & multos alios articulos falsos, & hæreticos, eius epistolæ, & libelli combusti fuerunt, &c. Iurabit in præsentia nostra ad sancta Euangelia, quòd numquam tenebit, aut docebit, clam, vel palàm, &c.]

Et rursùm habetur [rescriptum schedulæ reuocationis quorundam articulorum Fr. Dionysij Soulechat Ordinis Fr. Minorum, publicè in disputationibus solemnibus per eum semel, atque iterùm factæ, Parisijs, & in Curia Romana. Anno 1365. & 1369.]

Et infrà: [Hęc omnia prędicta dictus Fr. Dionysius, iterùm Auenione in præsentia Magistri Guillelmi Romani, Lectoris sacrij Palatij Apostolici, & aliorum nouem Magistrorum in Theologia Paris. renocauit, & ad sancta Dei Euangelia iurauit se appellationem, quam interposnerat, non prosecuturum: ac conclusiones prędictas, & corollaria tamquam falsa, & erronea, & hęretica abiurauit, secundùm tenorem reuocationis aliàs per eum factæ Parisijs.]

Quæ eadem paulò prolixiùs, exequitur ipsemet Pontifex Vrbanus V. in literis ad Ioannem Card. olim Episcopum Bellouacensem.

In hoc exemplorum aceruo, vnum vides Pseudominoritam prouocantem, vtpotè Michaelis Cęsenatis Ducis, quondam sui fœda legentem vestigia; qui à Pontifice ad Ecclesiam appellauerat, quam ipsam mox in prostibulum calumniabatur degenerasse.

Sed vtrumque tandem suæ, & hęteseos, & appellationis pœnituit.

Cęteris omnes decretis Pontificijs, nō aliter, quàm vt decretorijs Ecclesiæ vniuersæ, & veritatis definitionibus subscripsere: vrgente, & impellente ipsa maximè enunciatores Parisiensi Academia.

Nec ad silentium modò, aut dissimulationem, sed velut ad certarum hęreseon eiurationem omnes, & Pontificia, & Magistrali, & Regia demùm conspirante auctoritate compulsi sunt.

Vt ne suspicari quidem possim, quibus documentis, aut quo vno saltem maiorum suorum exemplo potuerit Gersonius suam sufulcire opinationem. Quin eius potiùs infucatum eandorem admirationi habendum censeo, sui dogmatis nouitatem nusquam dissimulantis.

Reuocandus hic saltem est, qui nos effugerat Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis, & R. E. Cardinalis in tractatu de Orig. & vsu Iurisd. quęst. 2. [Inter Christianos necessaria est spiritualis potestas, quam Christus dedit beato Petro, quando ei commisit regimen vniuersalis Ecclesiæ. Origo huius potestatis immediatè fuit à Deo, videlicet à Christo, tradente eam certæ personæ, scilicet Petro, pro se, & suis successoribus, à quibus deriuatus in alios, &c.]

Et quęst. 3. [Cùm prædictam iurisdictionem habeat Papa, sine limitatione loci, & personarum, ideò omnes Christiani vbicumque sint, debent ei obedire: cęteris verò Pręlatis, Episcopis, & Archiepiscopis, & Patriarchis in territorijs, seu Diœcesibus sibi commissis tenentur obedire omnes Christiani manentes in eis.]

Et infrà: [Pręlatorum vt sunt Papa, & Episcopi, est iudicare de actionibus personalibus hominum, per quas possunt deuiare à salute sua peccando contra quamcumque materiam, siue contra articulos fidei, & Sacramenta, siue contra bonos mores.]

Et infrà: [Christus prędictam potestatem dedit Ecclesiæ in beato Petro, & successoribus eius.] Quod sępiculè repetit. Et hic vides post annum Christi 1330. in Gallia Petro, & successoribus eius iudiciorum de fide potestatem deferri, vel à Christo potiùs delatam agnosci, quam in omnem prorsùs Ecclesiam Christianam exerceat.

76 Sed quod locupletius testimonium, quàm ipsorum quibuscum certamen est, suo se telo configentium: dum profitentur, hanc suam, suęue priuatim scholæ opinationem esse, & eam quidem nuperrimè excitatam? Eleuat enim auctoritatem, & nouitas, & paucitas sua.

Almainus lib. de potestate Ecclesiæ cap. 15. [Conclusio est, quam tenent Doctores omnes Parisienses, & Galli, quòd potestas Papæ est subiecta potestati Concilij.]

Ioannes Maior, de Auctoritate Ecclesiæ: [Duo sunt modi opposití dicendi, quorum vnus tenet Papam esse supra Concilium vniuersale, hunc modum aliqui Cardinalium tenerunt, & tenent communiter Thomistæ, & Romæ, vt asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum semper nostra Vniuersitas Parisina à diebus Concilij Constantiensis imitata est; sic quod in ea, qui prædictam viam tenuerit, in campo cogitur eam reuocare.]

Et infrà: [Nostra facultas à diebus Concilij Constantiensis, in qua plures exercitatos habebis Theologos, quàm in duobus, vel tribus regnis, sic banc partem fouet, quòd nulli licuit asserere oppositum probabile.]

Ioannes Gersonius de excommunicatione: [Si dicatur, quòd potest à Papa fieri appellatio ad Concilium generale. Dixerunt olim antè Concilium generale Pisanum, & Constantiense, quod hoc nullo modo liceba: & allegant iura sua pro se valdè, sicut eis videtur, expressa. Sed constanter nunc asseritur, quòd est hęresis damnata per constitutionem Concilij Constantiensis.]

Et in lib. de potest. Eccles. consid. 10. [Posuerunt isti Papalem auctoritatem supra Concilium, aut saltem non imparem. Est autem certum apud eos, quòd par in parem, & minor in superiorem non habet imperium. Benedictus autem Deus, qui per hoc sacrosanctum Constantiense Concilium, illustratum diuinæ legis lumine,

dante ad hoc ipsum vexatione presentis schismatis intellectum, liberauit Ecclesiam suam ab hac pestifera, perniciosissimaque doctrina, qua semper manente, perseuerasset semper schisma nutritum ab ea.] Suos ergo ipsimet confitentur natales, scilicet nuperos: & limites valdè angustos: si Ecclesiasticæ antiquitatis, & vniuersitatis ratio ineatur.

Scholam, non Ecclesiam; Parisinam, aut vt ipsis largiamur, quod ad libitum sumunt, Gallicanam, non Catholicam: post Constantiense demùm Concilium, non antè sensisse, ità affirmant; nec spontè eo, sed vi quadam delatam, cùm non aliter ex schismatis illius pestiferi laqueis extricari se posse arbitrarentur: cùm ad dubios, vel spurios Pontifices fas esset eam sententiam coartare.

Priùs autem, vel ipsi non dissimulant inauditam hanc fuisse in Ecclesia Christi conflictationem Pontificis, & Concilij, & Capitis, & Corporis.

Denique ne vel ipsam Scholam Parisiensem constantissimè in ea sententia deinceps perstitisse, aut etiam nunc perstare imagineris, accipe, quæ Petrus Aurelius de libello Richerij disserat: [Quòd Sorbonæ partem maximam, & eam, quæ in Facultate dominetur, Richeriano libello astipulari faciunt, non iudicio loquuntur, sed odio, & maleuolentiæ instinctu; cùm ex tota rei huius ab initio serie, clarissimè pateat, eam paucis semper placuisse, præsertim vt in tam numeroso cœtu. Quod ex eo perspicere licet, quia nullum vnquam extitit decretum Facultatis, quo doctrinæ isti, seu expresè, seu tacitè tribuatur auctoritas, &c. Contrà nemo nescit Richerium ipsum, ex quo doctrinam suam non probari vidit, à conuentibus Facultatis perpetuò recessisse, ne quempiam offenderet.]

Et mox: [Accedit quòd, & Richerius ipse palàm professus est, omnes eius libelli propositiones, earumque expositiones sanctæ Sedis Apostolicę, & Ecclesię Catholicę, ac Romanæ iudicio subijcere, paratumque emendare, quidquid emendandum iudicaretur. Hæc eius declaratio, & olim ab ipso edita, nuper apud eminentissimum Cardinalem Richelium renouata, & extremo Spiritu, quem Catholicè emisit, apud Confessorem confirmata, & ad hoc illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis iussu vulgata, quantouis errores purgare potuit, &c.] Tanta ergo illa paucitas in dies minuitur magis, & magis: nouitas sua sponte defluit, & vanescit: primipilis nempè ipsis titubantibus, & Catholicæ consuetudinis torrente abreptis, vt opuscula ipsa sua eo de argumento edita, Sedis Apostolicæ iudicio emendanda subijciant. Interim sanè inauditum est à Pontificis definitione circà fidem ad Concilium prouocatum esse, vel à schola Parisiensi, post Constantiense etiam Concilium. Ad solas enim fidei definitiones tuendas collimat istarum dissertationum series; ne omnia tumultuatiè permiscerentur, quęstionibus alijs in alium locum sepositis.

77 At Ecclesia Gallicana, seu Episcoporum, & Cleri comitia immane, quantùm ab eiusmodi opinationibus abhorruerint, & etiam nunc abhorrescant.

Antequam Concilium Tridentinum conueniret, post Leonis X. Hadriani VI. & Clementi VII. diplomata in Orbem Christianum euulgata, nemo nescit Lutheranos non aliter execrationi fuisse, quàm vt hæreticos, vndique proscriptos, extremis supplicijs in sacro, & ciuili foro affectos fuisse. Et illi tamen ad Concilium prouocabant. Etenim inter complures alias, hanc quoque propositionem inussit Leo X. [Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhùc non est peccatum, aut hęresis contrarium sentire, pręsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium vniuersale, alterum reprobatum, alterum approbatum.] Laudatur in generali decreto Concilij Senonensis habiti anno 1528. diploma Leonis aduersùs Lutheranorum libros: [Intelleximus nonnullos Martini Lutheri libellos perniciosos iampridem cum suo auctore à sanctissimis Pōtificibus Leone Papa, & Hadriano, nec non, & Clemente Papa moderno damnatos:] Tu eos sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet à quoquam comparari, circumferri, &c.

78 Sed illud ante omnia insculpi omnium animis peruelim, quod suprà disertis verbis sanctus Thomas significabat, [hęreticos censeri pertinaciter repugnantes auctoritate vniuersalis Ecclesiæ determinatis, & eam auctoritatem principaliter residere in summo Pontifice, contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.] In eo enim sita est tota hallucinatio Catholicarum doctorum, paucorum aduersùs plures, nouorum aduersùs veteres, ipsorummet aduersùs seipsos intestino dissidio altercantium: quòd auctoritatem vnam, indiscretam, & indiuiduam Pontificis, & Episcoporum, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Catholicæ, Papæ, & Concilij, Capitis & Corporis dissecare, & sibi collidere ausi sint. Ex aduerso autem id obtinuit à cunabulis Ecclesiæ, id obtinet etiam nunc, & ipsis cernentibus, ac mirantibus obtinet inuictissimè, vt vna illa sit Ecclesiæ Catholicæ, nunc per caput solùm, nunc per corporis concentum, cum capite sese exerens, vna, inquam, & indiuulsa auctoritas. Non alia enim, non minor, non maior, sed vna, indiscretaque residet in Ecclesiæ corpore, & in capite auctoritas.

Ideò inexpiabilia post ducentos ab hinc annos visa sunt conflagare bella inter Pontifices, & Synodos, sed in doctorum scholis; nam reapse vbi semel illud dubiorum Pontificum schisma sedatum est, nulla Synodus à Pontifice, nullus Pontifex à Synodo dissidere visus.

Alibi Disser. 12. ad Concilium Chalcedonense protuli testimonia Synodorum, & Pontificum aduersùs Lutheranos sęuientium, ità vt etiam antè Synodum Oecume-

me-

menicam, & Pontifices Romani, & Gallicanæ Synodi auctoritatem vniuersalis Ecclesiæ solis Apostolicæ Sedis decretis hactenùs exertam intentarent heretici, & contumaces, statutis in hereticos pœnis, cum vniuersæ Ecclesiæ consensu insectarentur.

Nec Concilium cogi detrectat Pontifex, sed ità vt vel antè Concilium habeantur heretici, & horrori sint, qui ipsam Concilij auctoritatem in Ecclesiæ, & Concilij capite precipiunt aspernari.

Adde ad supradicta, hec ex epist. Clementis VII. ad Franciscum I. Galliæ Regem, anno. 1533.

Quarto Non. Ianu. [Cùm serenissimum Cesarem quamquam pro sua inclyta pietate omnia conatum, tamen in Conuentu Augustano, nihil remedij ad heresim Lutheranam in Germania tollenda præ illorum obstinatione afferre potuisse audiremus, solumque Concilij generalis remedium à nostris predecessoribus in casu simili vsitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum, superesse videremus, &c.] Ergo & antè Concilium Lutherani vocantur, non Christiani Catholici; heretici appellantur; obstinationis ergo culpantur; & Pontifex, & Cesar ad eos abolendos omnem lapidem mouent: non velut doctores habent ambiguo in vado laborantes, & quibus antè Concilium liceat citrà notam dubitare.

Denique hereticis postulantibus, non Catholicis indulgetur Concilium, vt vel hoc extremum tentetur eorum peruersitatis frangendæ remedium.

Nàm vbi, & Catholici postularunt, non sibi, sed Lutheranis postlarunt, aut si sibi, ad mores, non ad fidem synodicis instrui decretis optauere.

Ità enim Rex Christianissimus in Commonitorio Oratoribus suis Tridentum missio, anno 1562. [Quoniam omnes, qui in Concilium Tridentinum conuenerunt, eandem omninò religionem profitentur, neque ex ea quidquam in dubium renocandi, vlli potestas, aut voluntas est: videri possit hec de religione adeò sollicita, & diligens disputatio, ac censura, non solùm superuacanea, sed etiam ad Catholicos, qui in dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ constanter permanent, parum pertinere. [Vides vt Catholicos nihil ambigere testificetur, quod in Concilio definiri postulent.

79 Eòdem vergit, & Florentina Synodus, constantissimè propugnans additamentum Symbolo factum sola Romanj precipuè Pontificis auctoritate, Græcis inconsultis. Itàque quod suprà astruebat ea in causa sanctus Thomas, id tota amplectitur Synodus hec.

Nimirùm Grecorum silentio approbatum, quod Latina, Duce Romano Pontifice, precipiebat Ecclesia de processione Spiritus sancti definire: atque ità vnam esse Romanæ, & totius Ecclesiæ consensionem. Sess. sept. [Nec vos debetis conqueri de Romana Ecclesia, quòd non accesseritis ad illam Symboli explicationem. Quid opus erat vos connocare, qui sciebatis optimè, quod Romana Ecclesia canebat, & predicabat; nihil tamen repugnabatis, sed cum illa coniuncti eratis? Immò sanctus Maximus Romanam excusat Ecclesiam, ve iniuria ab Orientalibus accusatam, &c. Si temporibus Maximi eo modo canebatur à Romana Ecclesia, qui fuit temporibus sextæ Synodi, nec vos igitur hoc latet, nec potestis dicere hoc factum esse vobis nihil scientibus, &c. Photiùs, qui fuit hostis Romanæ Ecclesiæ, & acriter inuectus est aduersùs Nicolaum, & Hadrianum, numquam illos accusauit ob additamentum in Symbolo, &c. Hormisda fuit ante quintam Synodum. Is scripsit epistolam, cui subscripsit Ioannes Episcopus Constantinopolitanus, & omnes illius temporis Patres Orientales. Est autem in illa epistola perspicuè positum, Spiritum sanctum à Filio procedere, &c. Rem adeò manifestam, tacendo comprobastis.]

Et in respons. Iosephi Methon. Episc. aduersùs Libellum Marci Ephesini: [Latini pro sua defensione respondebant tibi per Archiepiscopum Rhodi, quòd nequaquam Ecclesia Romana, nec additamentum origo fuerit diuisionis, & pugnæ. Neque enim solùm antè schisma Ecclesiarum, appositum erat Symbolo, sed ante ipsas Synodos Oecumenicas, septimam dico, & sextam, vt testatur confessor Maximus, &c. Immò potiùs ostenditur Orientalibus explanationem hanc fuisse acceptam, quandoquidem non dissidebant.]

Et infrà verba ipsa profert Mamimi.

Adde huc maximè spectantem Confessionem Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani, extremum iam agentis spiritum, ibid. sess. 25. [Quoniam ad finem vitæ meæ perueni, soluturus iam commune debitum, Dei gratia scribo sententiam meam, & subscribo apertè vniuersitati filiorum meorum. Omnia igitur, quæ sentit, & quæ dogmatizat Catholica, & Apostolica Ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & ijs me acquiescentem do, ac dico.]

80 Et ne nuper editæ plus fidei adijcias historiæ Concilij Florentini, accipe eandem argumentationem ex Ratrammo Monacho Corbei. aduersùs eosdem Grecos scribentis: lib. 2. cap. 2. [Numquid maiores vestri nescierunt, quemadmodum de Spiritu sancto Romana ferebat Ecclesia? Nec tamen aliquando à Romanæ Sedis cómunione sese remouere, scientes Catholicę fidei veritatem fore, quod tenet, & predicat, nec meritò reprehensioni patere, quod sanctarum Scripturarum auctoritate consistit.]

Et lib. eod. cap. vlt. post multa ex libro Paschasij E. R. Diaconi de Spiritu sancto decerpta: [Cùm de Spiritu sancto Romanam sentire, sicut hodie sentit, Ecclesiam, probatit, nullo modo tamen ostendit, in tali fide permanentem ab Orientalibus Ecclesijs, vel aliquando fuisse diuisam, vel vmquam diuersa de Spiritu sancto sensisse, vel docuisse. At nunc mirandum, quid arguant noni dogmatis repertores? Cur à communione se diuidant, quam semper tenuere maiores? Sciant quia cum Roma-

nis suos quoque iudicent maiores. Et dum Romanos sua cupiunt communione priuare, se pariter excommunicent à suorum societate maiorum; & nulli probentur Ecclesiæ communicare Catholicæ, dum Romana communione sese faciunt alienos. Hoc factum, cuius sit mali considerent, & errorem corrigere suum non differant, ne si Romanis communicare noluerint, ab vniuersa Ecclesia se paucant excommunicandos.]

Et lib: 3. cap. 1. vniuersalis Ecclesiæ auctoritate Gręcos vrget vehementissimè: [Dabo tibi gentes hęreditatem tuam, &c. Dominabitur à mari vsque ad mare, &c. Nusquam istic, vel Græcos, vel Constantinopolim meminit; nec tamen vsquequaque præterit, quoniam eos in vniuersalitate concludit: Specialitatis prærogatiuam substulit, ne inflentur: in generalitate ponit eos, vt humilientur: quatenùs se totius corporis Ecclesiæ non fore quantitatem, sed portionem: & venerentur Matrem à Solis ortu in occasum regali magnificentia sublimem, cuius se gaudeant esse filios, non glorientur fore patres.]

Denique lib. 2. c. 2. rursùm, tàm licuisse Romanæ Ecclesiæ adfirmat illud addere, quàm licuit Constantinopolitanæ primæ Synodo aliud priùs de Spiritu sancto adiiigere. [Nec enim conuincere potestis maiorem Ciuitatis Constantinopolitanæ auctoritatem, quàm Ciuitatis Romanæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum; quod maiorum, tàm vestrorum, quàm nostrorum testimonio comprobatur. Sed neque centum, & quinquaginta Episcoporum tanta constat auctoritas, vt vniuersis totius Orbis Episcopis præscribere possit, vt quod illis licuit, non liceat, tàm Romano Pontifici, quàm vniuersis Christi Ecclesijs.]

81 Vides vt Ratramno concinuerit sanctus Thomas, vtrique Synodi Florentinæ Pontifices: immò vt Ecclesia ipsa sibi concinat, vt vno intus Spiritu veritatis vegetata.

Obserua hìc autem primò id censeri, à Græcis confirmatum esse fidei dogma, cui non intercesserint; cuius defensatrici Ecclesiæ communicauerint. Id enim valet vniuersim, vt tacitò Ecclesiarum consensu, perindè, ac collecta Synodo decreta quælibet etiam abstrusissima firmentur. In tanta enim Synodorum paucitate, & tam vbere copia fidei Christianæ, non aliter potest vniuersalis auctoritas huic conciliari.

Secundò, quod silentio, ceu muto assensu Orientales huic dogmati accessisse æstimarentur, indè factum, vt post hac non possent resilire; nec rem in integrum restitui, synodicoque subijci examini, tamquam ambiguam, postulare.

Tertiò, quod Romana Ecclesia definierat, Spiritum sanctum à Filio procedere, id tam cupidè Hispanos, Gallosque in primis, atque Occidentales omnes amplexatos esse, vt de eo nullus ambigeret, de eo synodicè inquiri nemo posceret, conquerentes Græcos nemo non auersaretur.

Quartò, quantum Constantinopolitanæ Synodo, quæ secunda Oecumenica est, tantumdem Romano Pontifici, & Occiduis Episcopis ad definiendum vendicatur. Nam nec illa Oecumenica euasit Synodus, nisi ex consensu Occidentalium: & istud igitur Pontificis, & Occiduæ Ecclesiæ placitum Oecumenica auctoritate induetur, ex meto Orientalium silentio.

Quintò: Cùm ergo vel Gersonius assentitur definienti Pontifici non obstrependum, non obloquendum secùs esse, viderit, an silentium istud regulę ecclesiasticæ consensionis loco haberi non iubeant.

Sextò denique: In his omnibus planum est, vnam & indiscretam semper haberi Romani Pontificis, & Ecclesiæ vniuersæ tum auctoritatem, tum fidei definitionem: quòd Pontificijs de fide decretis adhęrescat Ecclesia indiuulsè. Etenim vix certò constare potest, quis Romanorum Pręsulum confessioni fidei primus insinuauerit processionem Spiritus sancti à Filio. Damaso id tribuit Manuel Caleccas. Sed certis argumentis contrarium efficitur. Præierint potiùs Hispani, Gallique. Vnum id constat, pręisse Latinos, consentiente vtique Romano Antistite: & Capitis auctoritate indui, ac censeri, quod eius nutu membra persecerunt.

Vtque indubitatiùs liqueat, nusquam synodi copiam factam esse Gręcis, vt veluti de incerto dogmate, de eo controuerteretur, quod Romanæ Ecclesiæ iam fuerat pręiudicatum: sed vt Romanæ priùs fidei iugum subeuntes, ità demùm in synodica veluti pompa solemniùs reconciliarentur: euolue literas Germani Constantinopolitani Episcopi ad Gregorium IX. cùm vtraque Ecclesia veritatem vendicaret, ad Scripturarum speculum prouocantis: cui rescripsit Pontifex, [quod Paulus in Petro auctoritatis officium recognoscens, & ideò ad eum, tamquam Primatem, & Euangelij Dominici fontem venit Hierosolymam; & postmodùm cum ipso, & alijs secundùm reuelationem contulit Euangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurrisset.] Sic reuoluer ante in sinum matris, Romanæ scilicet Ecclesiæ Episcopus Constantinopolitanus cum suis: [Tunc enim, non vt mercenario, sed vt filio reuertenti occurrens Pater, primam stolam proferet, occidetque vitulum saginatum, & generale conuiuium faciens vniuersis Christifidelibus, cum exultatione annunciabit, & gaudio, quòd & frater, & filius, qui mortuus fuerat, iam reuixit; & dragma, quæ perierat, est inuenta: & sic te in gremio matris Ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifestè videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina seruat in fidei vnitate, quæ non recipit maculam, neque rugam.] Ante Synodum iubet adiri Petrum, tamquam primarium Euangelij fontem: iubet redire filium erronem, & drachmam perditam inueniri: & tunc demùm Concilium, veluti solemne congratulationis epulum instrui: veritatem autem non in Scripturarum modò, sed in Ecclesiæ Latinæ speculo inspici, quæ non recipit maculam, neque rugam.

Nec multò post Apostolici Nuntij Con-

Constantinopolim missi, Germano ad Synodum similiter prouocante, hæc ipsi referunt: [Cœpit Imperator conferre nobiscum, sub qua forma potest Patriarcha, & Ecclesia Græcorum reconciliari Ecclesiæ Romanæ? ad quod dedimus tale responsum: Hoc modo posset reconciliari, si crederet hoc, quod credit Ecclesia Romana.] Et rursùs idem: [Hoc scitote, quia Dominus Papa, & Ecclesia Romana non dimittet vnum iota de fide sua.] Posteà verò Alexander IV. Græcos ipsos docet manus dedisse Apostolico huic priuilegio; [In Concilijs primam Sedem, primam subscribendi vicem, &c. In quæstionibus fidei, si quæ ibidem emerserint, præ alijs dare sententiam, suæque voluntaris proferre iudicium; quod dummodò euangelicis, & canonicis non obuiet institutis, obedienter cæteri suscipient, & sequentur.] Quòcirca de ijsdem Græcis mox expostulat, quòd in quæstione de processione Spiritus sancti à Filio, causarentur, [quòd definitioni eius in Concilio Græca non acquiesceret Ecclesia, nisi quod definitum esset per Scripturæ authenticæ testimonium, vel diuinum oraculum comprobaret. Non enim videbatur rationabilis causa, qua Græca Ecclesia mouebatur, vt definiendi potestatem, quam Romanum Pontificem habere non negat in cæteris fidei articulis, velit eum in hoc vno articulo non habere.]

Aliquantò etiam disertiùs Clemens Quartus, & ipse Gallus, Gallicanæ Curiæ Regiæ, inde & Ecclesiæ ingens decus, suam hanc prærogatiuam professeros est in fidei formula, quam Palæologo Imperatori Græco vnitatis cupido prælineauit: [Romana Ecclesia sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere; sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet iudicio definire.] Cùmque Romanam omnem fidem compendiò edisseruisset, & inter cætera capita processionem Spiritus sancti à Filio: addit demùm; [Porrò præscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam orthodoxæ fidei veritatem, euangelicæ doctrinæ consonam, à sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam: sicut nec decet, sic nec volumus nouæ discussioni, ac definitioni subiacere: ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas, & licitum in dubium reuocando. Ideòque licèt in præfata scriptura de conuocatione Concilij ageretur: licèt tu per tuas literas Concilium in terra tua conuocari petieris: nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad discussionem, seu definitionem huiusmodi conuocare. Non quòd cuiusquam faciem vereamur, vel eamdem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Græcorum superari prudentia timeamus: sed quia peorsùs indecens foret, immò nec licet, nec expedit in dubium reuocari præmissam veræ fidei puritatem, tot sacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam sententijs, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam: pro cuius defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium.]

Tum hortatur, si qua Græcos circa Romanam fidem dubitationis caligo offuscet, peritiores aliquos Romam mittant; [Tam plenè, donante Domino, satisfaciemus eisdem, quòd amoto cuiuslibet dubitationis scrupulo, fidei veritatem agnoscent.] Nec Concilium detrectat, sed quo fructu, indicat in hunc modum: [Quòd si postquam taliter supra positam tu, idemque Clerus, & populus veritatem fidei fusceperitis, & professi fueritis, & ad obedientiam, vt præmisimus, eiusdem venerétis matris vestræ; Concilium per Sedem ipsam ad locum, qui ad hoc eidem Sedi videatur idoneus, conuocari petieritis, ad charitatis vinculum inter Latinos, & Græcos fœdere perpetuo roborandum: Legatos super hoc ad nos poteritis destinare, quibus responsum dabitur, quo tuum desiderium satiari poterit, & debebit.] Ne quis autem Græcorum affectus induat, & diutiusculum Romanæ Ecclesiæ consilium quiritetur: etsi iam Occidentales omnes in idem multo seculorum interuallo conspirasse demonstraui, idoneosque fideiussores protuli, Ratramnum, Anselmum, Thomam Aquinatem, Bonauenturam, Alensem: nunc quidem vnum præterea adijcio, qui & Gallis, & omnibus omnium instar sit futurus, Ludouicum Gallorum Regem, eius nominis IX. sanctitatis laude, & cultu spectatissimum.

Cùm enim illum suarum cum Ecclesia Romana controuersiarum Palæologus arbitrum delegisset: ille, vt testatur Purpuratus Romanorum Cardinalium Senatus, [Solitum prosequens ad fidei augmenta propositum, & ad præfatam Romanam Ecclesiam consuetæ non omittens deuotionis affectum; sed prudenter attendens, ac humiliter cognoscens, quod suum non erat, tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad eiusdem Sedis examen, etiam ad ipsius Imperatoris instantiam, officium vsurpare: consultè respondit, quod in eodem negotio huiusmodi partes nequaquam assumeret, sed pro ipsius salubri consummatione apud eamdem Sedem, ad quam id pertinet, libenter instaret.] Ità purpurei Ecclesiæ Principes, vacante Sede: in quam suffectus Gregorius X. literis ad eumdem Michaelem Palæologum datis, eadem Clementis IV. & Cardinalium responsa totidem verbis confirmat: cùmque Oecumenicam Synodum indiceret, ad eam quidem Græcos inuitat, sed ita tamen, vt priùs schisma, & errores detestentur apud Sedem Romanam, tumque pleniùs, & solidiùs omnia ad vnionem pertinentia compleantur.

Paruere Græci, & ante Lugdunensem Synodum tum Constantinopoli, tum Legatis, literisque ad eamdem Synodum missis, illam fidei confessionem amplexati sunt, quam Romani Pontifices præscripserant: & inter cætera; [Sicut præ cæteris tenetur Romana Ecclesia fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri, &c. Ore, & corde confitemur, quod verè tenet, & fideliter docet, & prædicat sancta Romana Ec-

Ecclesia inuiolabiliter obseruare eamdem professionem : & in ea omni tempore perseuerare.] Ità & Latini omnes, qui Synodo intererant, & Græci, qui accessere eidem, in vnam coaluere tandem sententiam, sine noua Synodo, citrà versatile quæstionum examen, priscis Romanæ Ecclesiæ definitionibus acquiescendum esse: & vel coeunte tunc Synodo ob causas qualeslibet, ne vel sic quidem nouo examini locum dari necessariò debere. Percurrenti autem spatiosum æquor annalium Ecclesiæ posteriorum, occursabunt subinde luculentissima monumenta exoticarum gentium, in eamdem cum Romanis fidei societatem, vel colligentium, vel recolligentium se; quibus omnibus illa eadem confessio verbis penè ijsdem, eadem Romanæ Sedis in fide definienda auctoritas profitenda fuit. Vbi nobis Christi prouidentiam, & charitatem in Ecclesiæ suæ, & Sponsæ castitate, & propagatione contemplantibus, non licet esse tam curiosis, vel tam suspicacibus, vt aliud quàm sincerum veritatis lumen videamus.

Et cùm torsùm Barlaamus Constantinopoli in Occidentem Legatus vrgeret, [in generali Concilio articulus de processione Spiritus sancti per disputationes, & concertationes concordaretur inter Latinos, & Græcos:] responsum est à Benedicto XII, [non esse decens, nec expediens, sic clarum, determinatum, & definitum articulum fidei, nunc per nouas dispensationes, vel altercationes, vel aliàs quomodolibet in dubium reuocare:] æquiùs esse mitti à Græca Synodo aliquos, [qui cum alijs viris sapientibus, & doctis per Sedem Apostolicam deputandis, non per modum disputationis, vel concertationis, sed instructionis quò ad Græcos ipsos salutiferæ, habeant maturos, & diligentes tractatus.] Cùm ergo posteà Cantacuzeno Græcorum Imperatori indulsit Clemens VI. Oecumenicam colligi Synodum, *oiconomicos* id factum, [nempè cùm veritas orthodoxa non reuocanda in dubium esset à Catholicis, sed exponenda Schismaticis, argumentisque Theologicis confirmanda:] vt ait doctissimus Annalium Baronij continuator. At cùm Synodi spem prematura Clementis mors intercepisset, congregandam Synodum negauit Vrbanus ijsdem de causis, quibus Benedictus. Et rursùm Eugenius IV. humaniora Clementis consilia secutus, Synodum concessit Græcis, & Florentiæ celebrauit. Hæ fuerunt quasi alternæ vices stricti, & remissi iuris. Stricto impensiùs se dediderat, & Martinus V. Græcos absolutissimè sub illa fide, quam sancta Ecclesia Romana tenet, ad vnionem inuitans: non aliter, quàm Bohemos hereticos audire se paratum Sigismundo Regi Roman. scripsit, [Ità scilicet, si venirent parati, stare nostræ determinationi, nobis, & Ecclesiæ de cętero pariturì. Sic enim erat hæreticis audientia concedenda, non discussionis, & disputationis gratia, sed informationis, & instructionis eorum.]

Quin & Eugenius ipse testatus est sexcenties Synodum Græcis condonari reuocandis ad fidem, & vnitatem Ecclesiæ Romanæ: conquestus idem de Basileensibus Patribus, Bohemos hæreticos ab illis fuisse inuitatos Basileam ad disputandum, & contendendum super articulos in Concilijs generalibus, & per processus Apostolicos tam solemniter condemnatos, in iniuriam auctoritatis Apostolicæ, sacrorumque Conciliorum: quamuis & ipsi Basileenses obtenderent accitos Bohemos Informationis, & instructionis tantùm gratia. In ipsa postremò Florentina Synodo, quomodocumque affecti essent Græci, & antiquitas iactarent, liberasque Synodos; amplexabantur tamen illos Latini, quasi venissent, omni dimissa incredulitatis pertinacia, vt veritatem cognoscerent: vt ait Andreas è sancta Cruce: eorum argumentis respondebant, tamquam iuxtà doctrinam beati Petri, parati reddere rationem omni petenti, de ea, quæ in nobis est fide: illis congratulabantur, vt qui fermè quingentis annis ab Apostolica Sede, & Romana Ecclesia diuisi fuerant, & nunc in vnam veritatis professionem purè conuenirent.

Et ante hæc omnia in conflictu Anselmi Hauelburgensis Episcopi, à Lothario Imperatore ad *Calo-Ioannem* CP. Imperatorem missi anno Christi *1138.* cum Nechite, alijsque Grçcorum eruditissimis: his ad nauseam vsque ingerentibus, communi Concilio disceptanda fuisse fidei dogmata, non à Romano Pontifice occupanda; [Si enim Romanus Pontifex in excelso throno gloriæ residens, nobis tonare, vel quasi proijcere mandata sua de sublimi voluerit: & non nostro Concilio, sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo de nobis, & de Ecclesijs nostris iudicare, immò imperare voluerit; *quæ fraternitas, seu etiam quæ* paternitas hæc esse poterit? &c. Quid vobis Scripturarum scientia? quid Magistrorum doctrinalis disciplina? quid sapientum Græcorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ sicut tu dicis, super omnes est, vniuersa euacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus magister, &c. Romanam Ecclesiam ego tecum veneror, sed non tecum per omnia sequor: nec ex necessitate per omnia sequendam arbitror:] Ità Græculis in fide etiam iam tum claudicantibus, reste Bernardo: & decliui eo gradu in præceps euntibus: summatim contra excipiebat Anselmus, nulla vmquam hæresi Romanam Ecclesiam, cæteras frequentissimè conspurcatas fuisse: quod nec Græci detrectare poterant, sed qua fellis, & odij amaritudine delibuti erant, hanc non fidei constantiam, sed vel imperitiam, vel hebetudinem, vel diuinorum indiligentiam, atque incuriam interpretabantur. Contra rursùm Anselmus: [Statuta Romanæ Ecclesiæ, per Deum, & à Deo, & post Deum proximo loco auctoritatem obtinuerunt, in vniuersa per totum mundum Ecclesia.]

Et rursùm circa annum 1177. Hugo Etherianus Thuscus, in tractatibus Constantinopoli scriptis, & ad Alexandr. III. inscriptis, lib.3. cap.16. [Si Constantinopolitana Synodus Niceno adiecit Symbolo, In Spiritum Dominum, & viuificantem,

&ex

& ex Patre procedentem: Si Chalcedonensis Synodus quoque Constantinopolitanæ addidit Synodo, perfectum in Diuinitate, perfectum in humanitate, &c. nulla reprehensione, nullaque calumnia notandus est antiquioris Romæ Antistes, quòd causa interpretationis dictionem vnam, Ex Filio procedere Spiritum:sanctorumque plurium Episcoporum, scientissimorum Cardinalium consensu habito apposuerit. Licuit enim ei, semperque licebit fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, sicubi aliquid obscurè scriptum sit.] Et aliquantis interpositis, [Nequaquam licet calumniari sanctissimam,& magnam, omniumque Principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neque affert, neque perdocet, neque aliud tradit Symbolum, si editum à sanctis Patribus interpretatur: non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit. Quæ licèt Primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus respondit. Iniustè, inquit, arguor, dum non fidem, sed memoriam renouo. Non apposui, non ademi Symbolo, si dictionem occultam manifestaui.] Sic ille Pontificiam æquè, & Synodicam auctoritatem explicat in fide condenda, idest, explananda: nec enim aliter nouum cuditur Symbolum, nisi dum vetus aperitur.

Et cap. 17. [Æquum igitur est,ratum habere,quod tanta Ecclesia decernit: quod tantus Pontifex enunciat: sine quo viros calami omnis ecclesiasticæ traditionis arescit. [At verò Barlaamus Hieracensis Episcopus de vnione vtriusque Ecclesiæ circa annum 1303. vt autumant, varias scripsit epistolas, quarum ex prima strictim hæc delibo. [Cùm diuina prouidentia nihil inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducatur ad vnum principium. Pluralitas enim principiorum, & carentia principij, similis sunt inordinationis. Romanæ gentis vniuersa multitudo sub vno est ordinata principio: Ecclesia videlicet Romana, & eius Præsule, quem omnes honorant, non tamquam armis,& vi, sed tamquam à Domino Christo ordinatum,&c. illius mandata cum omni reuerentia omnes, non tamquam Apostolica tantùm, verùm etiam Dominica scripta recipiunt, & adorant. Et nihil ità durum ab eo iubetur, vt non quietè parati sint ad implendum, & omnes ab illo corrigi sua, & retractari suscipiunt.] Pergit ex aduerso percensere lernam quamdam malorum ebullientem *ex tis anarchias*: siue *polyarchias* Græcorum. Et in epist. 2. [Quod in machina vniuersi contingit, quòd quæ longinquiùs à Deo distant, procliuiora sunt ad peccandum, & minùs determinata, & mutabiliora: quæ verò propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata: idem in Ecclesia etiam profectò contingit. Plurimæ enim, & deterrimæ hereses in in partibus magis à Romana distantibus ortæ sunt: Romæ verò,vel propè, auctores heresum facti non sunt. Matre enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios emittente, profectò contingebat propinquiores magis, quàm longinquiores clariùs illuminari.]

Hæc Christiano pectori, calamoque accomodatior est ratio, quàm quæ supra à stomachantibus Græcis essutiebatur. Ità prorsùs,vt apud Eusebium, quamdiù Apostoli Orbem superstites illustrarunt,erubuit oreus hereses euomere: at illis hinc demigrantibus, illæ catervatim erupere. Et rursùm Barlaamus; [Et ex illa quidem Ecclesia nulla heresis superioribus temporibus ortam habuit: nulla verò aliundè ortarum occidit sine illius prouidentia, &c. Nam etsi aliquis semel illorum Pontificum alicui hæresi assensus est; sed non in longum,aut de longo huius remedium. Statim enim eadem Ecclesia aduersata ei, illorum oratione, Sede simul, & vita priuatur.] Et in alia rursùs epistola copiosiùs aduersùm Græcos disputans, excito etiam illo dubio, an soli etiam Romanæ Ecclesiæ fides necessariò mancipanda sit: an totius Ecclesiæ, siue Concilij generalis auctoritas præterea desideretur, hæc habet: [Necessarium autem arbitror adhuc, & illud tibi ostendere, quòd licèt tria dixi superiùs esse,quæ coegerunt me credere, & ex Filio Spiritum sanctum procedere: hoc est,multos magnorum sanctorum hoc apertissimè tradere: Matrem Ecclesiarum hoc semper dicere: Per generale etiam Concilium hoc fuisse affirmatum: tamen quodlibet horum sine alijs per se visum, non habens reliqua duo opposita,satis se habere considero, vt ipsum credatur.]

His ad vnguem quadrant,quæ alibi ex Nilo Thessalonicensi Archiepiscopo suos gregales propugnante decerpsimus, & eadem prorsùs tela contra Romanam, atque Occidentalem, adeòque contra Catholicam Ecclesiam acuente, atque eiaculante; quæ inopini retractant, sibique prodesse posse hallucinantur illi ex nostratibus, ad quos hanc dissertationem adornauimus, & illis suffarcinauimus argumentis, quæ Latini vbique gentium, & omni æuo aduersùs Græcos exerrantes distrinxere.

Denique Manuel Calecas lib 4. de Process. Spiritus sancti contra Græcos: [Damasus Romanus tunc Episcopus coacto ConcilioSymbolo adiecit ex Filio procedere Spiritum sanctum, &c. Nec mirandum est Romanum Episcopum Ecclesiæ Principem, ipsum conuocato Occidentalium Episcoporum Concilio illud decreuisse. Nam si Prouinciæ sæpè singulæ Concilia celebrauerunt, eisque auctoritas derogara non est: multò sanè magis hoc ille potuit, cum omnibus circum se Episcopis, qui pastor primus, & Ecclesiæ totius Pater, vniuersalisque Christianorum omnium iudex esse comprobatur; Apostolica hunc antiquitate Principem supremum appellante: decretisque Regijs ipsum statuentibus, ac rebus ipsis, ità esse clamantibus: Et quo sine impossibile profectò est Ecclesiastica negotia tractari, &c. Nempè ab illa Ecclesia nulla vmquam de fide sententia manauit, quam vt blasphemam, & noxiam Ec-

clesia nunc omnis damnet, seu anathematizet: quando ingentes fluctus, plurimaque naufragia contra Ecclesiam fuere.]

Et mox: [Si igitur fine illo (Romano Præsule) possibile non est, Ecclesiastica decerni: ad ea decernendum, cum paucis, aut cum pluribus conueniat, minimùm refert, &c.]

Subdit, eùm Græci à schismate ad Romanam Ecclesiam se recolligerent, tria ab illis expressa esse, quorum extremum istud erat: [Vt Romanam Ecclesiam in Ecclesiasticis dogmatibus matrem fidelium, atque magistram, sana semper fide esse credere.]

Et infrà rursùs: [Consideranda vobis est Ecclesiæ nostræ dignitas, quæ numquam de fide, nisi congrua sensit, ac statuit: & quæ sola, vobis omnibus cæteris circà fidem naufragantibus, non solùm nihil passa est huiusmodi, verùm, & iacentes cęteras erexit Ecclesias.]

82 Quin & in ipso Constantiensi Concilio idem cernere est. Nàm Act. 19. in abiuratione Hieronymi Pragensis hæc habentur: [Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & huic sacro Concilio; & ore, ac corde profiteor in omnibus ad religionē Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana Ecclesia, & Apostolica Sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur.] Quæ formula solemnis tot antè seculis vsurpata, & etiam nunc vsitata, non potest, non debet sophisticis cauillationibus contaminari: sed suæ simplicitati permittenda sanè est, & infucatæ pietatis sensibus æstimanda.

Ad hęc aduertamus animum ad sententiam eiusdem Synodi in Wiclephum latam: [Insuper quia auctoritate sententiæ, & decreti Romani Concilij, mandatoque Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, processum fuit super cōdemnatione Ioannis Wicleph, &c. Declarat hęc sancta Synodus, definit, & sententiat eumdem Ioannem Wuicleph fuisse notorium hereticum, pertinacem, ac in heresi decessisse. Decernitque corpus eius exhumari, &c.] Extraordinariè hęc Synodus causam omnem Wiclephi retractauit, confirmauitque sententiam anteriorum Pontificum: sed ità vt etiam tandiù antè Synodum pręmortuus Wiclephus ob solam Sedis Apostolicæ definitionem declaretur contumax hęreticus, in hęresi mortuus, & exhumandus.

Quid quòd, & Wiclephus ipse, cùm Catholici hominis vmbram saltem adhùc, laruamque affectaret, ad Vrbanum VI. hęc scripsit, referente eruditissimo Annalium Ecclesiasticorum continuatore Rainaldo anno 1378. num. 116. [Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & specialiter Romano Pontifici: quia suppono, quòd si sit Orthodoxa, ipse fidem meam humiliter confirmabit: & si sit erronea, emendabit, &c. Suppono iterùm, quòd Romanus Pontifex cùm summus Christi Vicarius in terris sit, ad illam legem Euangelij inter viantes maximè obligatur: & si in istis errauero, volo humiliter etiam per mortem, si oporteat, emendari: etsi in persona propria ad votum poteto laborare, vellem præsentiā Romani Pontificis humiliter visitare.] Sic ille tunc, quia nemo repentè fuit turpissimus. Eosdem peruolnta annales, passim perspicies Wiclephi dementia correptos quoslibet, post Episcopales Synodos, & Romanæ Cathedræ oracula, ad expuendam hæresim cogi, vel regijs edictis igni, ferroque deleri ante Oecumenicam vlla Synodum: hoc est, ante Constantiensem, quæ alijs de causis vbi confluxit, ex occasione tantùm ad Wiclephi causam deflexit.

Sed & ipse Ioannes Hus, apud Rainaldum ad anno 1412. è luto suo tantisper emergens, confitetur nullo erroris mendacio illudi posse Ecclesiam, fundatam, tam firmiter suprà firmam Petram, quòd portę inferi non possunt aduersùs eam quomodolibet præualere.

Et apud eumdem ad anno 1413. Magistri Studij Pragensis solemniter profitentur aduersùs Wiclephum, quòd quilibet eorum [sub iuramento suo sentit, & credit, vult sentire & credere, sicut Romana Ecclesia, & non aliter: cuius Romanæ Ecclesiæ Caput est Papa, Corpus verò Collegium Cardinalium, manifesti, ac veri successores in officio Ecclesiastico beati Petri Principis Apostolorum, & Collegij aliorum Apostolorum Christi.

Item: [Vt quilibet ex supradictis, in omni materia Ecclesiastica, & Catholica, fateatur esse standum fidei, sententiæ, & definitionis Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ superiùs nominatæ.]

Hæc paulò ante Synodum Constantiensem.

83 In Lugdunensi Concilio Gregorius X. Papa, quàm non inuisa sibi Concilia, quàm optata etiam sint, ità significat in epist. indictionis: [Ad quod cùm nos sufficere non posse sciamus, leuamus oculos nostros ad montem Dei, vnde opportunum nobis prouenire auxilium, & humiliter petimus, & deuotè speramus. Et quia in his adhibeti remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris, alijsq; viris prudentibus, exacto, & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longèque obseruationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decreuimus congregandum.]

Qui hæc ad infirmandam Pontificis solitariam ante Concilium potestatem adglomerant, non videntur mihi quidem Pontificis mentem assecuti. Optat enim, colligit, commendat Pontifex Concilium Generale, non quasi hactenùs fas fuerit hæsitare, sed vt qui errabant, qui peribant, qui hæresi nefandæ immersi erant, quia solius Pontificis vocem detrectabant exaudire, eiusdem cum Synodo œcumenica eandem fidem inculcantis exteriore voce, & quasi tonitruo quodam expergiscant.

Ibidem enim declaratur [ruinæ magnæ periculum in subtractione populi Grecorum, qui à Sedis Apostolicæ deuotione,

ac

ac obedientia se subtraxit, &c. Lugendum occurrit, quòd per subtractionem prædictam à sedis eiusdem vnitate subtractos, & in denio positos, grandis culpæ mors afficit; quòd sanctæ vniuersalis Ecclesiæ membra tam nobilia eadem grauis admodum, & dispendiosa subtractio tanto tempore mutilauit, &c. Per Concilij salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata eiusdem fidei vnitate, &c. scissuras vniat, ruinas impleat. &c.]

Ergo & ante Concilium errabant, fidem conculcabant, corpus Ecclesiæ vniuersalis sciderant, qui se ab Ecclesiæ Romanæ sequestrauerant vinculo, peribant.

84 Innocentius III. generalis Concilij auctoritatem in summo locat fastigio, Regest. lib. 15. epist. 104. ad Philippum Regem Francorum, cuius negat per euangelicas leges dissolui posse coniugium: [Si super hoc absque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter diuinam offensam, & mũdanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere: forsan ordinis, & officij nobis periculum immineret; cùm contrà præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritatis dispensare.]

Et serm. 3. de consecrar. Pontificis: In tantum mihi fides necessaria est, vt cùm de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari.]

Profitetur nihil se posse contrà fidem, & legem euangelicam: si qua illaquearetur hæresi, id enim potest priuarim, vt mortalis quisque, tum ab Ecclesia, & Concilio posse se iudicari. Sed ità hoc Innocentij dictum, sicut illud Pauli, si ipse, vel Angelus de cœlo præter iacta fidei fundamenta, adulterinum quid superstruere voluerit; ità, inquam, interpretandum, vt hæc tamen nunquam euentura certò sciatur, idem ipse Innocentius perspicuè docet in epist. ad Episc. Constatinopolitanum. [Ego pro te rogaui Petre, &c. Ex hoc innuens manifestè, quòd successores ipsius nullo vnquam tempore deuiarent, sed reuocarent magis alios, & confirmarent hæsitantes: propter hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, vt alijs necessitatem imponeret obsequendi.]

Non negat ergo si deuiarent à fide; tunc à Concilio iudicandos Romanos Præsules: sed negat deuiaturos, idque diuina sponsione ratum esse tradit, ideòque eis vt pareatur, impositam esse necessitatem omnibus fidelibus.

Et paulò infrà ad componendas Græcorum ruinas conuocandum spondet Concilium: [Ex prædictis apparet, quòd Ecclesia Romana, non tam constitutione synodica, quàm diuina, Caput, & Mater omnium Ecclesiarum existat, & ideò, nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diuersitate differre deberas: quin nobis sicut tuo capiti secundùm antiquum, & canonicum statum benigniùs, & deuotiùs obedires, cùm certa non sint pro dubijs relinquenda: Nos tamen pro multis necessitatibus Ecclesiasticis disposuimus, auctore Domino, generale conuocare Concilium, & synodalem celebrare conuentum: ad quem si vocatus à nobis iuxtà ipsius Imperatoris permissionem concurreris, cùm hæc dogmata sint, quæ nostris literis requisimus: vel sicut membrum ad caput, & ad matrem filia reuertaris. Ecclesiæ Romanæ reuerentiam, & obedientiam debitam impensurus: te sicut fratrem charissimum, & præcipuum membrum Ecclesiæ, benignè, & hilariter admittemus. &c.

Euidentissimè, & ante Synodum par incumbit necessitas, nec in dogmate à Capite, & matre omnium Ecclesiarum diffidendi. Et paulò antè: Ecclesia duabus ex causis vniuersalis vocatur. Dicitur vniuersalis Ecclesia, quæ de vniuersis constat Ecclesijs, quæ Græco vocabulo quoque Catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ, prima videlicet, vt præcipua, veluti Caput in corpore; quoniam in ea plenitudo existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Et dicitur vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet Ecclesias vniuersas. Et secundùm hanc nominis rationem, Romana tantùm vniuersalis Ecclesia nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata. Sicut, & Deus vniuersalis Dominus appellatur, non quasi iam diuisus in species, aut specialissimas, aut etiam [subalternas, sed] quoniam vniuersa sub eius dominio continentur.]

Ex quo patet diuelli non posse Ecclesiam vniuersalem, hanc ab illa, ipsam à semet, corpus à capite, & ideò non rarò indiscriminatim vtramque velut vnam vsurpari, vt Christi, & Ecclesiæ, Capitis, & Corporis vnam esse vocem, vnam personam Patres obseruant.

Græcos porrò etiam ante Synodum, hæreticorum in numero ducendos esse, quod à fide, & cõmunione primæ Sedis defecissent, idem rursùm Innocentius tradit. reg. 15. ep. 18. Thessalonicensis Ecclesia à deuotione Sedis Apostolicæ se subduxit, per schisma illud diutinum, quo Ecclesia Græcorum à via veritatis ad erroris inuium declinauit.]

Et reg. 16. epist. 105. [Ad conseruandum mysterium vnitatis, vnum Petrum Dominus Caput instituit, & Magistrum, cui Oues Christi, dicente Domino, Pasce oues meas, sunt sine distinctione commissæ alienis ab ouili dominico reputatis, qui Petrum in suis successoribus non agnoscunt esse Pastorem. Ab hac vnitate Græcorũ Ecclesia quondam diuertens, & Petri magisterio se subducens, exiuit ouile dominicum, post greges sodalium euagando: & sic, quæ primò sanis affluebat doctrinis, & penè magistra vocari poterat propter tempus, errorum postmodùm circumfusa caligine, cœpit plurimũ indigere, rursùs diuini eloquij rudimenta mendicans.

Vt cominùs autem inſpiciamus locum ipſum Innocentij, quem importunè obtrudunt: non obſcurum eſt, hac arte enixum illum eſſe extricare ſe ab vrgentiſſimis maximi Regis petitonibus. Portò quod ſibi licere negat, nec Concilio œcumenico fas eſt, euangelicas, & diuinas leges diſpenſando infringere.

Itaque ſi eiuſmodi quidpiam non iam Pontifex machinaretur, ſed Synodus vniuerſalis, ve illi [ordinis, & ſtatus periculum immineret; itá huic orthodoxi omnes, conuitia vt proſtibulo, vt mœchorum Synodo ingererent. Sed conſentaneo euangelicis legibus Synodi iudicio delinietur fortaſſis Princeps, qui ſententia vnius Pontificis, veluti præiudicio exaſperaretur.

Ità apud Raiualdum anno Chriſti 1266. Iacobus Rex Arragonum repudiandæ leproſæ coniugis, & alterius ducendæ copiam à Clemente IV. poſtulans, repulſam paſſus eſt, & hoc paulò crudius reſreſpoſum accepit: [An credis ſi omnes Reginæ per mundi climata conſtitutæ, leproſæ fierent: daremus Regibus ob hanc cauſam licentiam cùm alijs mulieribus contrahendi? Scias pro certo, quòd omnes, & ſinguli paterentur repulſam, etſi domus regiæ nulla prole ſuperſtite, in radice prorsùs areſcerent, & in ramis.]

Quod non dicebatur tamen, niſi ad retundendam precum impudentiam. Et apud eundem an. 1307. Clemens V. Philippi Francorum Regis preces ad Bonifacij Octaui velut hæretici damnationem moleſtiùs ingeſtas ludificari ſimiliter conatus eſt: rem ad Concilium reijciens Viennę celebrandum, quo à Bonifacij memoria infandum hæreſeos crimen deterſum eſt.

85 De Paſchali II. ſuprà diximus. Quibus adde eius in Concil. Lateran. 2. Confeſſionem fidei, ab Vſpergenſi relatam, [Amplector omnem diuinam ſcripturam, &c. ſanctos Canones Apoſtolorum; quatuor vniuerſalia Concilia, ſicut quatuor Euangelia, decreta ſanctorum Patrum Romanorum Pontificum, præcipuè decreeà Domini mei Papæ Grægorij VII. & beatæ memoriæ Papæ Vrbani. Quæ ipſi laudauerunt, laudo: quæ ipſi tenuerunt, teneo, quæ confirmauerunt, confirmo: quæ damnauerunt, damno.]

Vides vt Concilijs generalibus ſubiungantur decreta Romanorum Pontificum, & vtriſque perindè fides addicatur.

86 Gregorij VII. ſententiæ quædam deſcribuntur lib. 2. poſt epiſtolam 55. ex quibus has paucas de Romano Præſule decerpo: Quòd nulla Synodus abſque præcepto eius debet generalis vocari. Quòd nullum capitulum, nulluſque liber canonicus habeatur abſque eius auctoritate. Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit. Quòd Romana Eccleſia numquam errauit, nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit. Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.]

Quæ ideò neceſſe fuit hic adſcribere, quia ſcriptores aliqui vtuntur eius auctoritate, vt Pontificem Concilio ſubſternant, quòd nempè ab eo non ſubijciatur Pontifici Concilium. Quo nil alienius dici poteſt. Nam cùm abſque Pontificis præcepto vetat Synodum generalem dici; cùm eius ſententiam à nullo retractari poſſe, omnium ab ipſo poſſe ſtatuit: cùm errare ipſum vſquam negat, ore te, an Pontificem Concilio ſubijcit? Sed ideò ille hac abſtinuit comparatione, immò conflictatione, quòd necdum in mentem veniſſet Catholicis vllis hominibus, Pontifices, & Concilia mutuò collidere. Quin ex aduerſo Gregorius alia, & alia per annos ſingulos Concilia meditabatur, & quantum facultas aderat, cogebat, ad ea omnes orbis Epiſcopis colligebat, vt quorum auctoritatem ſuæ non infeſtam, ſed coniunctiſſimam, & auxiliarem accedere intelligebat.

87 Leo IX. epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum Epiſcopum: Dominico, & omnium Patrum concordi decreto inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Eccleſijs, Sancta Romana, & Apoſtolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores cauſæ omnium Eccleſiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, ſic leges humanæ promulgant, ſic Rex regum Chriſtus confirmat, &c. Nimirùm ſolus eſt Petrus, pro quo ſe rogaſſe Dominus aſſerit, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando, &c. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in ſæculum ſæculi, ſed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus ſicut vſque nunc confirmare non ceſſauit.

Et epiſt 6. ad Michael. Patriarch. CP. [Quid hoc monſtri eſt, frater chariſſime? Romana Eccleſia Caput, & Mater Eccleſiarum, membra, & filias non habet? Et quomodo poteſt dici Caput, & Mater? Credimus, enim propter quod, & loquimur, atque conſtanter profitemur; Romana Eccleſia adeò non eſt ſola, vel ſicut tu putas, vna, vt in toto Orbe terrarum, quæcumque natio diſſentit ſuperbè ab ea, non ſic iam dicenda, vel habenda Eccleſia aliqua, ſed omninò nulla: quin potiùs Conciliabulum hæreticorum, aut conuenticulum ſchiſmaticorum, & Synagoga Satanæ.] Non patitur vnam, vel ſolam dici Romanam Eccleſiam, ſed cum cæteris omnibus Orbis Eccleſijs nexu indiuiduo conſtringit, vt Matrem cum filijs, Caput cum membris. Interim illi, vt Matri, & Capiti, & inerrantiam, & maiorum omnium cauſarum cognitionem, & iudicium decretorium adſcribit, ſiue ad earum definitionem filias cum matre coaleſcere neceſſe ſit, ſiue tanto labore ſit ſuperſedendum, conſenſu tacito filiarum cum Matre, matris omnia geſta roborante.

88 Leo III. quoque obijcitur, ſed ęquè inauſpicatò. Nam in colloquio Romano cum Gallis legatis, vrgentibus nempè, vt Symbolum etiam cantaretur cum hoc additamento, Filioque, & optatiſſimum fore, vt id Symbolo œcumenicæ ipſæ Synodi adie-

adiecissent, Respondit Leo: [Sicut non audeo dicere, non benè fecisse, si fecissent: quia proculdubiò sicut cætera, quę vel omiserunt, scientes vtique, & non eam humana, quàm diuina illuminati sapientia fecerunt: ità quoque non audeo dicere, istud eos nobis minùs intellexisse, per pendisse, cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne vltrà mitteretur, sicut & cætera, prohibuere. Tu, & tui, videte quid feuriatis de vobis. Nam vt ego me illis non dico, præferam, sed etiam illud absit mihi, vt coæquare præsumam.]

Ità ex Zmaragdi ad Carolum Magnũ epistola apud Baronium. Hoc animo omnes fuisse primarim Pontifices erga Concilia, nullus dubito. Hæc enim, vt ibidem præmittitur, fuit collatio, vel potiùs disputatio, nequaquam dijudicatio, vel definitio Pontificia.

Et infrà Leo: [Quod non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico.]

Et paulò suprà: [Quod non imperando, sed vt priùs permittendo dicimus.]

Secundò: De fide hic non vertebatur, sed de cantu ecclesiastico: an cani etiam publicè Symbolum cum illo additamento conduceret.

Tertiò: Nam quòd ad fidei dogma pertineat, & salutis eorum, qui huc vsque possunt assurgere, intersit, vt credant à Filio Spiritum Sanctum procedere, idem Leo frequentissimè ibidem contestatur; quod tamen sine Concilij generalis decreto, ex sola Petri Sede in omnem Occidentalem Orbem peruaserat.

Quartò: Annales Francorum audi ad eum annum, & perdisces, quàm in omnibus ad fidem attinentibus, ad solam Apostolicam Sedem arrecti fuerint, & sequaces eunc maiores nostri, nequedum istis excantati Pontificum, & Conciliorum dissidij rumoribus. [Imperator Arduena Aquisgranum reuersus, mense Octobri Concilium habuit de processione Spiritus Sancti. Quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosolymis primus concitauit. Cuius definiendæ causa Bernarius Episcopus Vormariensis, atque Iesse Episcopus, & Adelardus Abbas Monasterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt.] Huc vsque spectat, & definite Concilium Episcopale in Gallia, vt Romam mittantur Episcopi ad Leonem, rei definiendæ causa.

89 Ac ne longiùs regrediar, abundè ex his initescit, insolentissimum, & olim inauditum fuisse, quod nuper comminisci cœperunt pauci quidam Doctores, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ vniuersæ diffidium. Quicumque olim damnati fuere ab Apostolica Sede, & vnanimitate sunt totius mundi Episcoporum, vt erronei condemnati: tom. 1. pag. 681. 679. vt ait Hincmarus lib. de diuort. Loth. & Teutb.

Vtque idem paulò antè ex Epistola Gelasij Papæ approbauerat, [id sequendum esse dignoscitur, quod Apostolica Sedes irrefragabiliter teneri decreuit, vel plura, seu maioris auctoritatis Concilia statuerunt.

Et Alcoinus lib. 1. aduersùs Felicem, Felice aiente se credere [Ecclesiam Catholicam toto in Orbe diffusam, per Apostolorum prædicationem in Christo Domino, velut solida Petra fundatam: excipit ipse ex aduerso: Si sancta Dei Ecclesia in toto Orbe est diffusa, ergo nequaquam in illis est, quia illi non sunt in toto Orbe. Porrò nos intra terminos Apostolicæ doctrinæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus.] Et toto penè operis contextu huc tandem reuoluitur, vt extra Catholicam Ecclesiam esse probet Felicem, quem particulares tantùm Synodi, & Sedes Apostolica profligauerat.

Et Beda lib. 3. hist. cap. 29. [Intellexerat enim Osuui, quamuis educatus à Scotis, quia Romana esset Catholica, & Apostolica Ecclesia.

90 Gregorij Magni patrocinium iactitant, quo tamen perimuntur. Sic enim ille lib. 4. epist. 38. ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum: vniuersalis nomen insolentiùs vsurpantem: [Nos quidem, in quos talis, tantaque per ausum nefarium culpa committitur, seruamus, quod veritas præcepit dicens: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Si te non audierit, dic Ecclesiæ, &c. Ego itàque per responsales meos semel, & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per meipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere.] Quod planè à re quam tractamus, totum alienum est. Num enim de fide contentio erat inter Gregorium, & Ioannem? Num de fidei præuaricatione verba Christi Patrum quisquam interpretatus est? An ibi etiam Synodos Prouinciales, & vniuersales ex verbis Christi scrutabuntur?

Secundò: Illa verba, si peccauerit in te frater tuus, his Gregorius notauit, nos, in quos talis, tantaque culpa committitur: quo sensu pium erat, ne in sua causa Gregorius iudicem solus ageret, & suas iniurias vlcisceretur.

Tertiò: Nùm Christus per illa verba: [Dic Ecclesiæ,] vniuersalem Ecclesiam synodicè congregari toties voluit, quoties contumax quispiam Fidelium contubernio eliminandus est? Quis tam immaniter desipit? Quisquis Episcopus Fidelem quemlibet scelerosum anathemare percellit, dicit Ecclesiæ. Ergo & Gregorius anathema interminatur illis verbis, quod fieri non potest, nisi dicatur Ecclesiæ.

Quartò: An possunt vel ipsi sibi confingere, vel somniare, quod de Synodo Oecumenica colligenda cogitarit Gregorius aduersùs Ioannem Constantinopolitanum? Qui potis fuisset? Ea potestas penès Imperatorem adhùc erat. Sed vbi istiusmodi exemplum in Ecclesiæ annalium tam spacioso ambitu?

Quintò: Episcopos, & Metropolitanos compluries Gregorius sacris summouit. Toties verbis Christi peræquè obsequendũ fuit, peræquè obsecutus est, toties dixit Ecclesię. An vsquam Synodũ generalẽ indixit?

Sextò: Vbi Episcopus excommunicaturus quempiam, dicit Ecclesiæ, sibi in primis dicit. Nec enim quasi ab Episcopo ad Ecclesiam prouocatur, sed tota extremi, & peremptorij illius iudicij auctoritas, & potestas penès vnum Episcopum est.

Septimò: Nec in Christi verbis, nec in Gregorij epistola, nec in vsu Ecclesiarum familiarissimo, post primam, & iteratam correptionem quidquam superest dubitationis, ad cuius quasi detergendam caliginem copiosiori cœtu totius Ecclesiæ opus sit.

Sed qui reus iam compertus est semel, & iterum, quia culpam pertinacitate exacerbat, tertiò & terribilius conuenitur, vt vel sic resipiscere suadeatur. Ità de Gregorio igitur æstimandum. Ità & hodierni Pontifices sentiunt. Nam in Concilio Lateranensi sub Leone X. ità in orat. 1. synodali peroratum est: [Si qui fortè Pontificem ipsum per se inermem patui pendere ausi sunt, Synodi auctoritate, Principumque, & nationum consensu, & studijs instructum metuere, & vereri consueuerunt.]

Tum omnes retrò Pontifices Synodis magna, & optima quæque moliti pernumerantur.

Octauò: Gallicani ipsi Episcopi suprà num. 75. Synodicè congregati, Arnulphi Episcopi Rhemensis flagitia se Ecclesię dicere affirmabant, cùm ea ad Romanum Pontificem animaduertenda deferebant. Vide verba ipsa, ibi exscripta. Vide exemplum consimile apud Rainald. anno 1203. num. 56.

91 Quibus non incongruè, & ista subijciemus ex Melch. Cano lib. 5. de auct. Concil. cap. vlt. vt eorum diluatur querimonia qui Synodos inutiles ominantur fore, si Pontifex in fidei causa iudex sit summus, & firmus. [Primùm enim Romanus Pontifex non temerè, & stultè, sed consideratè, atque sapienter habet fidei controuersias definire, aduocando scilicet consiliarios, vel plures, vel pauciores iuxta rei, de qua differitur grauitatem. Iuuant enim Patres Concilij Summi Pontificis fidem, atque doctrinam. Vndè in Concilio Hierosolymitano cùm facta esset magna conquisitio, Petrusque sententiam dixisset nullo sacrarum literarum testimonio fulcitam: Iacobus probauit eam quidem additis testimonijs Prophetarum. Adiecit etiam, quasi de suo legem maximè necessariam de abstinentia ab Idolothytis, fornicatione, suffocatis, & sanguine. Ità enim diuina procuratio in Ecclesiam se fundit, vt membra præcipua, tametsi à capite ipsa pendeant, caput tamen tueantur, & iuuent. Facit quoque Concilium plausibiliorem populo fidem, propter acceptissima multorum testimonia, atque iudicia. Nam & leges; quæ communi optimatum consensu, & rogantur, & feruntur, libentiùs populus accipit, quàm si à Rege solo ederentur. Quamobrem Beda libro retractat. in actis Apostolorum prudenter sanè monuit Paulum contulisse cum Apostolis alijs Euangelium, quod prædicabat in gentibus, solerter in Concilio disquirens, an rectè de legalium cessatione doceret. Non quòd ipse de hac re: inquit, aliquid dubitaret, sed vt mentes dubitantium Apostolica Synodi auctoritate firmarentur.]

92 Et idem rursùs libro eodem cap. 4. hæc habet ad superiorum illustrationem peropportuna: [Nec expedit, nec tolerabile est singulis hæreticis condemnandis singulas Synodos generales cogere. Cùm ergo Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in necessarijs, nimirùm ad hæreses priuatas in Prouincijs refutandas: Concilia Prouincialia satis erunt, si erunt modò Summi Pontificis auctoritate roborata. Prætereà quoscumque eiusmodi Concilia damnauere, Ecclesia eos semper explosit. Errare igitur illa in fide nequeunt.]

Et infrà: [Quod actorum 15. congregatum legitur, hoc non generale, sed prouinciale Concilium fuit. At non minor fides habita est Petro præsidenti, quàm si esset Synodus generalis.]

Et paulò post: [Certè Concilia nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ, vel silentio, vel etiam implicito consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam peruenerunt. Non enim fit aliquo pacto verosimile, vt Concilij prouincialis toto Orbe vulgati hæresim Ecclesia diù dissimulauerit. Error enim, cui non resistitur, approbatur, dist. 83. cap. error.]

Vbi vides, & Pontificum, & Conciliorum prouincialium decretis, ex silentio Ecclesiæ vniuersalis, Oecumenicæ Synodo parem accedere auctoritatem.

93 Quibus, & ista adde ex doctissimo Duuallio, part. 2. quæst. 2. de Infall. Rom. Pont. [Diligentissimè obseruandum est, vt aliquod dogma, tamquam hæreticum habeatur, non esse necessariam Concilij generalis celebrationem, sed sufficere Summi Pontificis condemnationem, vnà cum acceptatione totius Ecclesiæ per Orbem diffusæ. Licèt enim decretum Pontificis quatenùs ab eo solo promanat, de fide non sit, cùm eius in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè constet, vt suprà declarauimus: nihilominùs si hæc condemnatio ab vniuersali Ecclesia licèt diffusa, & non coacta in Concilio approbetur, iam nemo citra fidei detrimentum ei potest contradicere. Est enim de fide Ecclesiam, non tantùm vt congregatam in Oecumenico Concilio, sed vt diffusam per Orbem errare non posse.]

Et infrà: [Tantam in Ecclesia obtinere debuit summus Antistes potestatem, quanta ad vnitatem Ecclesiæ retinendam est necessaria. Atqui ad hanc vnitatem necessaria est infallibilitas definiendi. Aliter enim non possent lites, & dissensiones, quæ circa fidem in dies emergunt, componi, cùm Concilia generalia rarò, & cum maxima difficultate cogantur, & hoc tempore in tanta regum Christianorum æmulatione vix, ac ne vix quidem celebrari possunt.]

Et inferiùs quæst. 3. aduertit; [Infallibilitatem Ecclesiæ, & Pontifici à Christo esse concessam, sed diuerso modo (de Concilio generali non loquor.) Illa quidem

dem passiuè, quatenùs nempè vi promissionum Christi, & perpetuæ Spiritus sancti assistentiæ, falsum pro vero numquam poterit acceptare. Huic autem actiuè, quatenùs numquam pro vero falsum in definiendo obtrudet, & id quidem virtute, & efficacia orationis Christi, &c. Hæc autem duplex infallibilitas maximam fidei Catholicæ firmitatem arguit. Nam si per impossibile Pontifex in definiendo falleretur, Ecclesia tamen illius errore non inficeretur. Etsi similiter per impossibile Ecclesia falsum pro vero coleret, summus tamen Pontifex huiusmodi falsitatem sua definitione quamprimùm damnaret. Dixi verò, si per impossibile, quia quòd alterutrum horum falsum pro vero definiat, numquam potest contingere.]

Ex quibus abundè patet, indiuidua quàm sit capitis, & corporis, & Pontificis, & Ecclesiæ vniuersæ fides, atque auctoritas, quamque, vtrique terga vertat, qui alteri minùs est obsequens.

94 Nec ab his dissonat Petrus Aurelius, qui part. 1. [Hæreticis non paucis similiter contigit, vt nimirùm ab vnius prouinciæ; aut regni Episcopis damnati sint, cæteris consensu solùm tacito, non Synodalium decretorum auctoritate suffragantibus. Sic enim Eusthatianos, quos Synodus Gangrensis damnauit, non legimus ab aliarum prouinciarum Conciliis apertè deindè damnatos. Idem Arianis, Collyridianis, alijsq; contigit, quos præter locorum vbi exorti sunt, Episcopos, non constat ab aliarum regionum Synodis reiectos esse, sed vniuersali Ecclesiæ consensione, quæ sensim sine sensu inoleuerit, exauctoratos.]

Et infrà effusè indignatur in eum, qui velut ex Cardinalis Petronij suffragio pronunciauerat: [Censuras, & anathematismos vim in animos hominum non habere, nisi ab auctoritate prorsùs infallibili proficisci credantur.]

In quem ità perorat: [Nullam ergo vim habebunt in animos hominum anathematismi, censuræque Episcoporum, quia Episcopi prorsùs infallibiles non sunt? Nullam vim habebant anathematismi sancti Cyrilli Alexandrini, quia infallibilis ab eo fidei non erant? Per te igitur rectè illos vt inutiles, friuolosque respuebant Nestorius, Theodoretus, cæterique malarum partium gregales? Nullam vim habebant Alexandri Alexandriæ Episcopi, Syndique Alexanrinæ in Arium anathemata? Flauiani in Eutychetem? Africanorum Patrum in Pelagium?]

Dictum ergo Petronij de rebus dubijs, & problematis capi, cuiusmodi erat, de quo tractabat tum, non quo Episcoporum de ijs decreta impunè sperni possint. [Sed vim habere negauit, qua sibi fidem certam, & minimè dubitabilem in animis hominum, quasi fidei statuta concilient, nisi infallibili auctoritate condatur, quæ est Ecclesiæ Catholicæ potestas, vel in capite residens, Summo Pontifice, vel in corpore, Concilio Oecumenico, vt ipse paulò post exponit. Non autem negauit habere vim; qua honorem sibi: & obseruantiam à Catholicis hominibus exposcant, ne palàm labefactari, vel infringi possint contrarijs assertionibus, sine superbo scelere, ac peruicacia, nisi infallibili, maiorique auctoritate soluantur; quamuis internam animi fidem certam, fixamque ijs adhibere nihil necesse sit, donec iudicio pleniore confirmentur. Interea tamen dandus ijs quoque consensus animi, nec temerè ab eorum norma recedendum, nisi perspicua testata, & indubitata ratio occurrat. Hoc enim Christiana virtus, & Christiani animi officium, ac moderatio præcipit, vt ijs, quos cœlestium rerum Duces nobis dedit Deus, ante omnes, & ante omnia regendos nos, docendosque præbeamus, nisi ab eodem ipso Deo, à quo ijs subiuncti sumus, ab ijsdem audiendis, clara penitùs, minimèque ambigua rationum, auctoritatumque luce reuocemur.]

Hæc ille de Episcoporum decretis, de Romano autem Pontifice alibi: [Sicut dubitantibus prouincialibus Episcopis iubet Antiochenus Canon consuli vicinos; ità post vicinos accersitos, si Prouinciales nihilò minùs dubitarent, neque conuenire possent, quod in rebus dubijs, & grauissimis factu perfacile est; minimè dubium est, quin eadem opera consuli vellet maiores alios, ac denique supremam omnium Petri Sedem, fidei, & vnitatis Ecclesiasticæ caput, cuius Præsulibus concessa est præcipua gratia, & potestas fratres suos confirmandi, &c. Nam debitus à nobis Deo honor postulat, vt constitutos ab eo in terris ordines veneremur, & exquirendæ mentis, ac lucis ipsius, quas nobis reliquit vias, gradatim sequamur. Porrò Episcopis, qui Patres sunt, Doctoresque Christianorum is superint, proximusque ad consulendum Doctor est, qui Pater Patrum, Doctor Doctorum, Episcopus Episcoporum est constitutus: vt quemadmodùm ipsos potissimùm alij audire debent, ità ipsi illum, solùm ordinarium magistrum à Deo sibi præpositum.]

Id haustit ait è veteri lege, qua Deus sanxerat: [Vt quidquid difficile, atq; ambiguũ orietur, ad religionis suæ verticem, atque ad Sacerdotes Leuitici generis, supremumque iudicem Dei templo præsidentem conferret se, & illius sententiam audiret.]

Hic perspicis:

Primò: Episcopalibus etiam de fide definitionibus, venerationem deberi, & animi assensionem, nisi perspicua, testata, & indubitata ratio contra suadeat, seu clara penitùs, minimèque ambigua rationum, auctoritatumque lux: at contra tam perspicuam, claramque penitùs, & minimè ambiguam lucem, ac rationem, rarissimum vtique est; nec ferè credibile est, vt Synodi Prouinciales, quidquam definiant, nisi iam hæreticum hauserint virus Episcopi, & à Catholica Ecclesia apertè desciuerint.

Secundò: Multò plùs honoris, & fidei Summo Pontifici adijciendum esse, vt qui Doctor Doctorum, & ordinarius magister Episcoporum à Deo constitutus sit, gratiaque speciali roboratus ad confirmandos fratres: & eius gradum, tenens Ponti-

fica-

ficatumque, quem lex diuina iubebat in dubijs consuli, & audiri.

Tertiò: In dubijs Pontificem consulendum esse ab Episcopalibus Synodis, tamquam ordinarium magistrum, & ex consequenti audiendum. Nam ad extraordinaria oracula, seu ad Concilia Oecumenica num toties recurrendum erit, quoties dubia, & perplexa excitabantur? Ità pessimè prospectum esset Ecclesiæ.

Quartò: Consensione tacita Ecclesiæ vniuersalis accedere pondus ineluctabile auctoritatis, & Oecumenicæ Synodi non dissimile, definitionibus etiam Prouincialium Synodorum. Pontificis ergo de fide decretis vix, aut nec vix potest non conciliari hæc consensio tacita, vel expressa totius Ecclesiæ; cum illis suffragari, & assentiri omnes debeant, quos perspicua, penitùs clara, minimè ambigua lux, & ratio non reuocat.

Quæ sanè si Pontificem non reuocat à definiendo, nec multitudinem Christianorum reuocabit ab assentiendo: hoc est, si nulla huiusmodi occurrat Pontifici definienti, nulla occurret prorsùs fidelibus assensuris.

95 Quòd verò Pontifices aliquos errasse memorant, si vi, aut cupiditate, vel inscitia in errorem contendunt priuatim actos esse, non facilè id quidem largiar, non satis firma ad id efficiendum argumenta proferri solere. Sed nunc quidem nihil moror. Id vnum vrgemus, nil definisse Pontifices fidei aduersum. Non ergo vertitur, quid crediderint, sed quid docuerint. Quos docuisse aliena quæpiam à fide blatterant, suo sigillatim loco purgabimus. Adde & Concilia Oecumenica alioqui futura, errasse etiam aliquando, v.gr. Ariminense, & Ephesinum secundum. Sed vt his statim vniuersa Christi Ecclesia intercessit palàm; quibus autem intercessum non est, ijs inconcussa fide adhærescimus: ità si quid præposterum Pontifex docens Ecclesiam definiret, reclamaret Ecclesia vniuersa? atque adeò, vbi non reclamat protinùs, & palàm Ecclesia, veique assentitur, vtrique definitioni Pontificiæ certum, & inuictissimum robur inesse, vel sentit, vel facit, vel potiùs, & sentit, & facit.

Ideò Duuallij sententiam à nostra nil discrepare interpretamur hactenùs, quòd indiscretam cùm velimus Pontificis, & Ecclesiæ causam, atque auctoritatem: nec negemus tamen magis popularem, videri, & plausibiliorem Ecclesiæ personam: perindè nobis est Pontifici definienti, seu Ecclesiæ vniuersæ consentienti fides deuouearur: illius enim definitioni huius consensio confestim conciliatur: vt liquebit perlustranti omnium hactenùs seculorum mores suprà enarratos.

96 Idque, vt mihi quidem videri solet, momenti plurimùm habet ad pacem Ecclesiæ, inter tot æstuantes in hoc negotio altercationes, alendam. Nàm nec Pontifices nimis importunè extondere satagunt, vt infallibiles habeantur; cùm vt id inficientur aliqui, ipsis definientibus adglutinetur vniuersa Ecclesia, cuius iàm fidem inexpugnabilem modestiùs, audientiùsque prætendunt: vt suprà Leonem X. immò omnes Pontifices audiuimus, & consentaneos illis Scriptores Ecclesiasticos, Catholicæ totius Ecclesiæ fidem obleutare, cùm solus Pontifex esset elocutus. Nec vicissim à Pontificis definitionibus desciscunt, vel qui eorum infallibilitati aduersaneur: quippè qui Ecclesiæ saltèm vniuersæ auctoritate in officio retineantur indeclinabiliter, nec ad Concilium prouocare, vbi sola fidei controuersia exarserat, vmquam adgressi sint. Itàque tota eorum suffragatio clancularia est, in angulis mussitat, furtiuas vexat schedulas; ne è latebris suis in publicum prodeat, ne hactenùs à Constantiensi Concilio post qualemlibet Pontificum de fide constitutionem erupcrit, vel semel Concilij prouocatrix, obstitit Sol Ecclesiæ splendidissimus, cuius auctoritatis Pontificibus deuinctissimæ radio opprimuntur.

97 Quòd etiam temeritatis, & erroris macula absoluit Duualius eos, qui errare posse in docendo Pontifices pronuntiant, nec id abnuerim. Quamquam enim tam perspicua, & tam inconcussa illis omnium retrò seculorum ante Constantiensem Synodum traditio infesta sit: quamuis aduersùs nuperas tot hæreses sibi non discors Ecclesiæ disciplina refragetur: clementiùs tamen habendi sunt, tum quòd Pontificias constitutiones saltem Ecclesiæ Catholicæ contemplatione adducti venerantur: tum quòd aliud in Ecclesia, quàm in schola; aliud moribus, quàm calamis sequantur. Abrepti enim torrente quodam vniuersitatis fidelium toto Orbe effusæ, ad Pontificiorum de fide decretorum venerationem pariter impelluntur, nec penitùs illibentes. Vt summum ergo, quod non semel iam suprà astruximus, his illi accensendi sunt: qui minùs cautè, & simpliciùs aliquid opinantur; nec Catholico nomine excidunt, quibus simplicitas sua patrocinio est. Nam vtcumque sibi docti videri soleant, non possunt tamen non valdè hospites, & peregrini in antiquissima Ecclesiæ, & vniuersæ & in primis Gallicanæ doctrina, ac disciplina existimari, qui tam longè ab illa deuiant; & nuperis dumtaxat, nec Ecclesiæ vbique tetrarum approbatis documentis, nouellam suam opinationem communiunt.

98 Vtque ne Cusanum patiamur abire elinguem, etsi ille paulò diuersa alibi scripserit, in epistola tamen 2. ad Bohemos hæc habet Augustino suo cum primis gemina. Nam Petrum Augustinus identidem prædicat personam Ecclesiæ totius sustinuisse, omnium dixisse nomine: [Tu es Christus Filius Dei viui, omnium Dei Sacerdotum vice audisse, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cùm illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cùm omnibus tamquam personam gerens ipsius vnitatis acceperit. Ideò vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus:] Aie ille tract. 118. in Ioan. Ecclesiam, vt par est, sponso, corpus capiti indissociabiliter deuinceens, non exitiali conflictu collidens.

Et

Et Cusanus similiter: [Nec est opus hoc loco inuestigare, an ideò veritas infallibilis sit in Ecclesia, quia ad Sedem illam vnitur, tamquam à Sede riuus ille veritatis priuilegialiter emanet: vel quia Episcopatus ille Ecclesiam amplectitur, ideò Episcopatus ille ab Ecclesia infallibilitatem fortiatur: aut neutrum horum: quoniam puto, quòd hoc non sit ad nostrum propositum necessarium. Licèt credam ex mutua adhærentia exurgere infallibilitatem, sicut esse humanum ex vnione animæ; & corporis, vti Cyprianus dicit, Ecclesiam esse in Episcopo, & Episcopum in Ecclesia. Ità, & hic Primatus amplectitur Ecclesiam, sine qua non est, & ob quam est: Ecclesia amplectitur Principem, sine quo vna non est, nec persistere potest sine scissura in vnitate. Quæ quidem vnitas est de essentia Ecclesiæ, vt Primatus propter vnitatem conseruandam; vt ait Hieronymus, Petro Primatum traditum.]

Addit mox Principem, ceu formam, ab Ecclesia, velut materia educi, hoc est. eligi: [Nam in Ecclesia quædam apparet materialitas, in quantùm subiectiuè consideratur ad regimen Principum, & in Primate formalitas; vt ex ipsis, tamquam ex materia, & forma, constituatur infallibilis illa Ecclesia Catholica, quasi ex vtroque consurgens.]

Vna ergo est Ecclesiæ vniuersalis infallibilitas, passiuè, & materialiter in membris Ecclesiæ omnibus, actiuè, & formaliter, seu in Pontifice, seu in Synodo generali, sese explicans prout ex re fuerint, nullo autem diuortio dissociabilis.

Vndè & Melchior Canus lib. 5. qui est de auctor. Concil. cap. 5. [Ecclesiæ auctoritatem eam nunc appello, quæ Synodorum etiam generalium, & Summi Pontificis est. Hæc enim est vna res prorsùs, vt non multùm differat inter Ecclesiæ, Conciliorum, Sedisque Apostolicæ iudicia. Proptereà quòd connexa hæc, & colligata sunt: quemadmodùm esse videmus humanum corpus, & caput.]

Itàque vt corpus in capite sibi imperat, & in membris obaudit sibi caput; ità Ecclesia vniuersa in Pontifice definit, Pontifex in Ecclesia sibi assentitur, quia Ecclesia in Episcopo, Episcopus in Ecclesia est. In cassum autem rixas sibi veluti somniant inter Pontificem definientem, & Ecclesiam respuentem. Nusquam enim istiusmodi iurgia, nisi in ipsorum cerebro.

99 Quoniam autem ludificatoria hac exceptione abutuntur præfractiores aliqui, quòd Pontifex non satis operæ, ac diligentiæ posuerit in re examinanda, adeòque aberrare potuerit, cui si consultiores aliquos sibi adsciuisset, & actiorem nauasset operam, vtique crederetur. Cuneum hunc vt eijciat Melchior Canus loco suprà laudato, aduertamos. [Quæ res, vt de Concilijs quoque dicatur, subsunt omninò causæ eędem. Nec enim existimare debemus, Summum solum Pontificem, cùm dormierit, errare: cùm non dormierit, verum dicere: Patres autem, siue dormiant, siue vigilent, semper rectà ingredi, & clausis, quod aiunt, oculis, vel in tenebris obscura cernere. Quamobrem siue Pontificum, siue Conciliorum diligentiam in fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est, omnia Pontificum iudicia, ac Conciliorum infirmare.

Et mox ibidem: [Deus disponit suauiter omnia, simulque prospicit, & finem, & media ad finem necessaria. Nec dubitari potest, quod in rebus naturalibus contingit, vt qui dat finem, det consequentia ad finem. Itàque præstat semper Pontifex, quod in se est: præstatque Concilium, cùm de fide pronunciant: caditque causa, si quis è nostris aliter existimat. Quemadmodùm enim si Christo Petrus diceret, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat charitas tua: certò certiùs intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna illi impetrasse, quæ sunt ad charitatis conseruationem necessaria: ità cùm dixit: Ego rogaui, ne deficiat fides tua, proculdubiò intelligimus, id à Patre suo consecutum, vt quæ ad rectum de fidei quæstione iudicium oporterent, ea adessent Petro omnia, siue à Deo, siue ab homine expectarentur.]

Et infrà: [Si semel hæreticis hanc licentiam permittimus, vt in quæstionem vocent, num Ecclesiæ iudices eam diligentiam, & curam exhibuerint, quæ opus erat, vt quæstio via, & ratione finiretur: ecquis adeò cæcus est, qui non videat, omnia mox Pontificum, Conciliorumque iudicia labefactari?

Et denique: [Rogo, an fideles his, qui de fidei quæstione iudicabunt, tantisper parere debeant, dum eorum negligentia innotescit Ecclesiæ. Parere debent, aiunt. Iàm igitur eo tempore, errantibus iudicibus, errabit Ecclesia. Sine vitio suo, inquis, Ecclesia tunc errabibit. Agnosco. Sed vt dictum est, ne hunc quidem errorem admittere in Ecclesia Dei debemus. Quid quòd si semel de diligentia iudicum dubitamus, nouum examen, iudiciumque semper recens postulabimus, vt de diligentia adhibita, vel non adhibita censeatur. Quæ eadem breuiùs perstrinxit Dunallius p. 241. & 302. 303. Huc refer luculentum testimonium Petri Damiani suprà iàm adscriptum, Gomorrh. cap. 26. hortantis Romanum Pontificem, ad scrupulosarum difficultatum complanationem, sacros Canones, vt consuleret, & prudentes viros ad consultum huius necessariæ indagationis adsciscere: addentis autem postremò id, quo, & consulentis pietas, & dignitas Pontificij oraculi vehementer illustretur: [Neque hoc dicere idcircò pręsumimus, vt ad hoc, Deo auctore, sufficere solam profunditatis vestrę peritiam ignoremus. Sed vt dum sacræ auctoritatis testimonium adhibetur, dum plurimorum iudicio, & consensu res geritur; peruersorum hominum querela, quæ fortassis è diuerso mutire non erubesceret, sopiatur. Non enim facilè patet querelę, quod multorum iudicio constituitur. Sæpè autem sententia, quæ ab vno considerata iuris æquitate depromi-

mitur, ab alijs præiudicium deputatur.

100 Atque ve in quo videur plures videre crispantes nasum, frontemque caperantes, id magis, magisque complanctur, vnam esse Pontificis, Concilij, & Ecclesiæ vniuersalis infallibilitatem: aliqua rursùs in eam rem accumulabo. Præclarè Ferrandus in Epist. ad Pelag. & Anatol. [Vniuersalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros tenent.

Et mox: [Concilia, quæ vetustas firmauit, & custodiuit deuota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitanti necessitatem.]

Et infrà: Quæ finiuntur iudicantibus Episcopis Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt.

Et infrà rursùm: [Audi fili legem Patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ. Lex Patris fulget in canonicis libris. Consilium matris in vniuersalibus consilijs continetur; vbi præter illos, qui statuunt, quæ statuenda sunt, nullus cogitur vltrà subscribere. Sufficere enim iudicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moueant, vel scandalum fratribus: Sed Apostolicæ fidei conuenire firmentur, Apostolicæ Sedis roborata consensu.] Vbi vides triplicem statuendi de fide, confirmandique potestatem, in Ecclesia synodicè collecta, in Ecclesia per Orbem diffusa, in Ecclesia Capiti suo implicata: ve vna autem hæc Ecclesia est, ità vna auctoritas, vna infallibilitas. Itàque citra vllam inuidiæ, vel pugnæ suspicionem, citra vllum de palma, & principatu iurgium, hæc vna, trinaque potestas vicissim, & reciprocè sibi subsidio est. Nam & Synodi priorem Ecclesiæ consensionem confirmant, & Synodorum statuta posterior Ecclesiæ totius conspiratio corroborat. Similiter Pontificis summi examine, & assensu conualescunt Concilia œcumenica: & decretis Pontificum subsecuta aliquando Concilia generalia lumen, & pondus auctoritatis accumularunt. Denique Ecclesiæ toto Orbe rutilantis lux, & fides Pontificum statutis firmitatis, luminisque incrementum, & debet, & confert vicissim. Summa horum trium pax, nulla conflictatio, nulla æmulatio. Vnum Ecclesiæ corpus, capite, & membris compactum; membra rarò loci, semper spiritus, & vnitatis vinculo constricta continens, constat, & concinit sibi, nec se sibi committi patitur. Itàque in Cócilio Ecclesia toto Orbe sparsa repræsentatur, & Ecclesia toto orbe sparsa perpetui, & iugis instar habet Concilij. Frustrà ergo alteram alteri, immò ipsam sibi collidis. Similiter Pontifex, vt caput, non suam, sed totius corporis fidem, vocemque promit; & totum Ecclesiæ corpus, quod capitis sui, hoc est, suo sensu, & ore protulit, hoc amplectitur. Consensio denique totius Ecclesiæ ex Ferrando tunc statutis accessisse interpretanda est, cùm nullum offendiculum, vel scandalum mouetur; id est solo silentio, vt sæpè monuimus: & consensu Apostolicæ Sedis; quia non omnibus promptum est, oculos in vniuersum Orbem circumferre, & Ecclesiæ consensionem explorare: ideò compendiosum est, Caput vnum maximè conspicuum consulere, & ex eo totius ediscere Ecclesiæ conspirationem.

101 Ità & Facundus lib. 7. aduertit, nundùm tantam priùs fuisse Ephesinæ primæ Synodi auctoritatem, quanta post fuit, tantis dissentientibus, qui moniti fuerant, simul in ipsum Concilium conuenire; Item: cùm necdùm etiam iudicio magnæ Chalcedonensis Synodi firmaretur. Denique: Et ipsa multùm roboris ad auctoritatem addit antiquitas. Et ex eodem suprà relato, Synodi ipsius Chalcedonensis placita, hortante Marciano, Episcopi Synodorum Prouincialium longè plurimarum nunc consensione firmauere. Non deerat Synodo œcumenicæ suum ab exordio robur. Sed vires viribus, iura iuribus non superuacaneum est accumulare, ad fatigandam plerumque, & expugnandam hominum contumaciam. Itàque & Synodus Synodo, & antiquiori posteritas, & maioribus nepotes consensione sua firmitatem exaggerant; & inexpugnabilem licèt auctoritatem, inexpugnabiliorem efficiunt: nec in his imaginandi gradus maioris, & minoris, sibique discordis, ac semper pugnacis potestatis. Sed ex aduerso vna vbique oculis animi, & fidei obijcienda est Ecclesia, noua, & vetus, iuuenis, & antiqua, eadem nunquam noua, & numquam vetus, sibi indeclinabiliter consentiens, sibi alijs, & alijs nominibus, artibusque, apud imbecilles, & minùs morigeros, auctoritatem extruens.

102 Ne cui autem incogitantiùs fortè verbosiores istas differtationes prætervolanti, videatur vna Pontificis, & Synodi auctoritas dictitari crebriùs, non item probari; probationum dissipata huc, & illuc capita, & veluti fastigia, iuuabit hoc loco constringere in vnum, atque oculis subijcere. Ità ergo Christus ipse, Augustino, & Patrum Senatu sexcenties testificante, totam Petro inclusit Ecclesiam, ipsum, idest, in ipso, & ipsum, & Ecclesiam, & fidei præconium, & Petræ inconcussam stabilitatem, & cælestium clauium potestatem, & Sacerdotij insulas, & diuinam denique omnem complicuit opulentiam: in vno nempè, & vniuersitatem, & vnitatem præformans; non lites, non iurgia de primatu præseminans, sed præfocans; quod Augustino, & alijs Patribus persuasissimum fuit, nusquam hinc, vel suspicaris vllum Ecclesiæ, & Pontificis conflictum, sed Petri inter Apostolos principatum, Ecclesiæ cum ipso vnitatem indubitanter augurâtis.

Secundò: Ità inter Apostolos ipsus constabat, seu Petrus cælesti Oraculo admonitus bipatentes Ecclesiæ fores Gentibus aperiendas censeret: seu ipsorum quilibet non sine tacito aliorum, & maximè eorum, qui videbantur esse Columnæ, potissimùm verò Petri consensu, quidpiam in

in Ecclesijs administrandis seorsim sciscerent: seu communi tractatu, siue œcumenico, quasi Concilio eadem ipsa confirmarent: promiscuè prorsùs hæc omnia,& pari honore habenda.

Tertiò: Ità Synodi ipsæ vniuersales sensere, cùm Romanum Præsulem sibi, vti Caput membris præesse, & præsulsisse dixerunt. Quàm vna enim Capitis, & membrorum vita, ac substantia est, tam auctoritas,dignatasque vna,& indossociabilis.

Quartò: Ità eædem Synodi,cùm Romanum Antistitem, vt Patrem, se vt Filios profitentur, vnam Ecclesiæ domum, vnam sub vno Patrefamilias beneuolentiam, confessionem, & omnium denique indiuiduam societatem clamant.

Quintò: Cùm rarenter, & debeat, & possit colligi Synodus œcumenica; incidāt autem interea eiusmodi rerum discrimina, quibus illicò, & pari cum synodica potestate obuiandum sit: parem synodicæ, vel synodicam ipsam potestatem, necessum est Principi Sedi demandari, ab eaque pereuniter administrari, suffragante vnà reliquo Episcopali Collegio. Ità olim Iulius, Innocentius, Leo, Felix, Gelasius, Martinus,Gregorius, alijque Romani Pontifices, in fide tuenda, in Episcopis restituendis, & causis istiusmodi alijs profligandis, tantam prorsùs, quantam Synodi vniuersales, quas cogi tunc nefas fuit, vel non statim fuit, potestatem exeruere.

Sextò: Post Synodum certè, tota eius exequendę, vel ad veniam emolliendæ auctoritas penès vnam maximè Petri Sedem fuit, vt prælibatum suprà est, vt alibi copiosè differetur. At potestas legum latrix, executrix, dispensatrix, vel vna, vel non dispar est.Ideò suprà Cælestinus,Leo,Agatho, Hadrianus Synodis generalibus suorum decretorum executionem mandabant: & vicissim alibi Synodi Pontificibus.

Septimò: Quid illud, quod cum Synodo Prouinciali si quid definit Petri Cathedra, in indubium fidei dogma id euadere, omnes penè confitentur? Nonnè tunc œcumenicam auctoritatem prouinciali decreto ve adijciat, obtineat, & circumferat ipse Pontifex, necessum est?

Octauò:Hactenùs à Reipublicæ Christianæ iactis fundamentis non aliter longè plures damnatæ, extinctæque sunt hæreses, quàm earum damnationem, vel decretoribus, vel decretam à particularibus Ecclesijs, Synodisque, postea confirmantibus Matricibus, & Originalibus Ecclesijs, & Romana maximè, in qua, teste Augustino, semper viguit Sedis Apostolicę Principatus. Vsque adeò autem par ista erat, eademque cum œcumenica Synodica potestas,vt collectæ Synodi œcumenicæ easdem hæreses, tametsi adhùc ferocientes iteratò proscribere plerumque supersederint.

Nonò: Oecumenicę Synodi, quo instinctu,impetuque collectæ sint, si attendas, aliquas perspicies penè ex redundanti congregatas, cum subinuita tanto strepitu fatigaretur Ecclesia, gnara se citra Synodum, vel consequi idem posse,vel iam consecutam. Secunda ad alias magis causas, quam ad fidem coaluit, nec vt œcumenica coaluit. Tertia ad Principis vnius consilium confluxit, cùm & Cęlestinus, & Cyrillus, & ipse Antiochenus quodammodo Ioannes Nestorij vesaniam prædamnassent. Aduersùs Eutychetem nihil opus esse Synodo, & Flauianus Constantinopolitanus, & Leo Romanus consenserant. Quintam principali vi vnus penè Iustinianus coegit. Sextam nec Pogonatus ipse, vt œcumenicam coegegauit: Romani autem Pontifices per Lateranensem sub Martino, & tot aliàs, abundè perfecerant, ne cœtu œcumenico opus esset. Septimam vni Ecclesiæ Constantinopolitanæ cosse, cùm aliæ Sedes omnes ab Imaginum cultu non recessissent: & vnius admodum seculi curriculo, nec in Oriente, nec in Occidente inter œcumenicas locatam esse infrà docebimus. Octaua priuatis tantùm Ecclesiæ CP. vulneribus curandis impensa est. Vt hæ denique, & non aliæ, putà Romana sub Damaso, Lateranensis sub Martino, Romana rursùs sub Gregorio, & cæteræ istiusmodi in album œcumenicarum referrentur, species magis, & pompa effecit, quàm momentum, & pondus.De his enim, perindè vt de quatuor primis, dici posse cum Gregorio, Euangeliorum instar esse has Synodos, seu fidem his Synodis definitam.

Decimò: Itàque cùm secunda,quinta, sexta, septima, ex particularibus penè Synodis in œcumenicas euaserint, consensione accedente Sedis Apostolicæ: cùm Synodos omnes generales indicat, confirmetq; vna principaliter Sedes Apostolica; quis hinc non perspicit œcumenicam illam auctoritatem Capiti concretam, capiti cum vniuerso corpore commune m?

Vndecimò: Cùm antè Tridentinam Caluinianorum, antè Florentinam Græcorum, antè Constantiensem Vuiclephi,antè Septimam Iconomachorum, antè Sextam Monothelitarum, antè Quartam Eutycheris, antè Tertiam Nestorij, & Pelagianorum errores ità prædamnasset Sedes Apostolica, vel Occidente toto, vel Occidentis parte maxima sibi succinente: vt in œcumenica posteà Synodo non potuerint veluti dubiæ, & ancipites hinc, & indè disceptari quæstiones illæ, sed vt indubiæ confirmari sine retractione, aut cum eiusmodi retractatione, quæ non ad ambiguitatem dispungendam, sed ad veritatis certæ lucem cumulandam pertineret:quis non hinc exprimit id, quod vltrò elicitur, vim œcumenicæ, & Irretractabilis definitionis extra Synodum œcumenicam, etiam penès Petri Cathedram residere?

Duodecimò: Ideò à Pontifice ad Synodum non prouocatur in fidei causis; & si quando prouocatum est, illa potiùs fuit supplicatio; illud fuit Reuisionis, non Appellationis Iudicium. Nimirùm ab ipso ad ipsummet prouocari non potest propriè, potest supplicari: ipsemet autem est, qui & ante Synodum, & in Synodo causas cognoscit. Ideò & tunc non à Pontifice tantùm ad Synodum, sed ad futurum etiam Pontificem, & ad ipsummet meliùs infor-

matum prouocabatur. Vsque adeò exploratū erat, synodicum tribunal non aliud esse, quàm ipsummet Summi Pontificis, sed pompaticum, & splendidissimum.

Decimotertiò: Vnum similiter est Episcopi cuiuslibet cum Parochiæ suæ, Metropolitani cum Prouinciæ, Primatis, seu Patriarchæ cum Diœceseos suæ Synodo tribunal, vnum iudicium. Omnes quippè isti crescentium per varios gradus Synodorum Præsides, & Synodi quisque suæ vicem supplent, dum ea colligatur: & vicem implent, sicubi aut si quando ea colligi desierit: nec ab ipsis ad suas, sed ad superiores Synodos prouocatio est. Quin ergo & pari prærogatiua, pari cum sua, hoc est, cū œcumenica Synodo, cōpaginatione fruatur Sedis Apostolicæ principatus diuinitùs institutus? Et quidē tātò æquiùs, quòd Synodi Episcopales, & Metropoliticæ ordinariè; ac frequentissimè possunt, & per Canones debent colligi: Oecumenicę autem nonnisi extraordinariè, & infrequentiùs possunt congregari: eoque magis egent Vicario, & perpetuo Magistratu, à quo suppleantur. Vbi vnam autem, & indiscretam Capitis, & Corporis, Pontificis, & Ecclesiæ, siue Synodi Oecumenicæ auctoritatem esse toties ingeminaui, dialecticas equidem tricas, argutiasque ab his sensi vtique deprecandas.

Alioqui, nec Synodus, & Ecclesia, hoc est, nec ipsa sibi Ecclesia, vna, eademque erit. Ariminensem, Mediolanensem, Ephesinam secundam Synodum à Pontificibus reprobatas oggeres? At reprobatę sunt, & ab Ecclesia Catholica. An ergo Synodus, & Ecclesia vnum non est? Est enimverò, sed vera, & modesta, non latrocinalis Synodus; hoc est, est omninò, si modò sit Synodus, non prostibulum.

Quintam Synodum Vigilio diù conflictatam aies, adeòque Synodi, & Pontificis maiestatem longè diuersam, & quandòque aduersam? Immò nec Synodus fuit Oecumenica, quandiù aduersatus est illi Vigilius, Occidente vniuerso succinctus.

Itàque ità Vigilius Synodo, vt Ecclesia Ecclesiæ, Occidentalis Orientali collidebatur. Et tamen vna est Ecclesia. De Constantiensi, & Basileensi Concilio specialis suo loco dissertatio instituetur. At Pontifex Synodos confirmat, infirmatque?

Respondeo, tantò certiùs vna, eademque vtriusque vis, & potestas est. Deest enim Synodo vis Oecumenica, nisi hanc Sedes Apostolica semel adglutinando adglutinet.

Ità prorsùs, & Ecclesia Catholica, posteritasque confirmat Synodos assensu, fide, moribusque suis: etsi Synodus, immò eò quòd Synodus, & Ecclesia vnum quid est.

Ità Synodi aliæ alias confirmant, cùm Ecclesia vna per ætatum lapsus varias agitet Synodos. Etsi auersis autem vestigijs insistere videatur, eodem tamen contendit, atque conspirat hæc duodeuigesima Dissertatio cum quarta superiore. Ibi hæreses inurebant Synodi particulares, vel fine Synodis Ecclesiæ, cæterarum Ecclesiarum, & ante alias accedente Apostolicæ Cathedræ consensione: hìc decreta fidei condit Sedes Apostolica, cui indissociabiliter adglutinata cohæret Collegij Episcopalis, & Ecclesiastici corporis vniuersa compago. Vna vtrobique profligandi erroris, & fidei sanciendæ ratio, vna potestas, vna veritas. Ne quæras, vtri seorsim, Pontifici, an Ecclesiæ, Synodoue ea prærogatiua adsit, cùm nusquam seorsim fuerint, nusquam dissenserint, nisi inter peregrinam hypotheseon inaudita figmenta. Ne quæras vtri à Deo, quia vtrique à Deo, vtpotè vna, vtpotè vni illa adsignata dos est.

Ideo cùm à nobis alterutri arrogata est, alteri adeò non abrogabatur, vt ad nauseam vsque inculcauerimus cum Cypryano epist. 69. [Esse Ecclesiam plebem Sacerdoti adunatam: & Pastori suo, gregem adhærentem: Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.] Nobis certè non arbitrarias comminiscentibus hypotheses, sed rerum retrò gestarum memoriam reuoluentibus talis semper occursauit Pontifex cum Ecclesia, Ecclesia cum Pontifice in fide statuenda.

Vsque adeò, vt Apostolicæ Cathedræ priuilegio tota se induerit Occidentalis Ecclesia in ep. 125. Episcoporum Romæ congregatorum ad Pogonatum Imperatorem. [Ipsum Catholicæ fidei splendidissimum lumen, ex veri luminis fonte, tamquam de radio viuifici fulgoris per ministros beatum Petrum, & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione seruatum est, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum.]

Ecclesiæ Occidentalis præ Orientali inconcussam fidem, suæ acceptam ferunt indiuulsę cum Sede Apostolica consensionē. Quibus ità præluserat Augustinus: [An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus est in eis commemoratus Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia, &c. Non est ergo cur prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia & fides ista Christiana est. Et te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Ecclesia.]

103 Nunc mihi deprecandam sentio eorum excandescentiam, qui pro Gallicanis libertatibus velut ex officio certant. Procul amandandos enim, qui has Ecclesiæ Gallicanæ seruitutes, potiùs quàm libertates promiscuè & proteruè interpretantur:

tur: esse autem vera quædam, & gloriosissimi Regis nostri iura, & Gallicanæ Ecclesiæ priuilegia, Clero Gallicano pronus, lubensque acquiesco: [Quibus vt nulla ætas, nulla auctoritas derogauit: nec nos derogare, aut ea conuellere volumus, aut intendimus.] At concussæ videbuntur aliquibus hæ libertates, concussa iura, concussa priuilegia, sollicitato eo, cui inniti existimantur, fundamento: nimirùm, minorem esse Concilio Pontificem, & ab isto ad illud ritè prouocari.

Hanc ergo obiectionem, hanc criminationem nullo opportuniùs, nullo efficaciùs propulsabimus patrocinio, quàm eorum ipsorum, qui cùm seculari, ac senatoria claterent purpura, studia, calamosque suos harum libertatum tuitioni dicauerunt.

Non mea ergo, sed ipsamet illorum allegabo verba, sensa, argumenta. Familiam ducat Petrus de Marca, [Ordinarius sacri Consistorij Consiliarius, & in supremo Nauarræ Senatu Præses, dum hæc scriberet, libro de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, siue de Concordia Sacerdotij, & Imperij, inscripto.

Sic ergo ille, omnium eruditorum iudicio, nulli secundus in hoc argumento, nulli non antehabendus. [Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum regulam hanc esse, vt Concilium Oecumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamuis hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non est vna ex Libertatibus Gallicanis. In foro perindè est, si summus Pontifex æquo, vel superiori iure cum Concilijs vtatur. Vbi id tantùm expenditur, an noua rescripta noceant Ecclesiæ Gallicanæ.]

Et mox: [Solet à plerisque pragmaticis hoc ferè præcipuum constitui Libertatis Gallicanæ theorema, Concilium Oecumenicum superius esse summo Pontifice: vnde sequatur nihil à Sedis Apostolicæ Præsulibus tentari posse, quod Synodorum generalium definitionibus aduersetur, &c. Attamen si cum bona Magistrorum venia, id, quod sentio, liberè profiteri liceat: existimo libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate non omninò niti. Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant, id præcipuè vrgent, eas alia ratione constare non posse, quàm Apostolicæ Sedis dignitate in eo maximè imminuta, quòd Pontifex Concilij generalis auctoritati subijciatur. Attamen hæc sententia, &c. in foro apud nos non disceptatur: qui libertates perindè tuentur, si de Concilij generalis nouis decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores, & consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ nostro vsui commodas adeò retinemus, vt etsi canone Concilij generalis destituamur, quo illæ firmatæ sint: tamen ab ijs nobis discedendum esse non censeamus.]

Quibus ex argumentis inuictissimis tandem id concludit: [Quare non est, quòd hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum mouet, & quæ rebus nostris non prospicit, vt par est. Fruatur summus Pontifex, aut æquo iure cum Concilijs generalibus, aut superiori: illud vnum in foro expendetur, an noua Constitutio, vel nouum Rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat. Si receptos Canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, eius ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente.] Sic ille nutantis, sibi ipsi infestæ, & Romanis stomachum mouentis sententiæ fundamentum amouet; aliudque posteà suggerit, eò firmiùs, quòd plurium consensu fulciatur. [Sed quia Theologis, & nostris interpretibus placuit, aliam quoque difficultatem attingere, scilicet, quid agendum sit, si Rescripta ità Canones & disciplinam violent, vt in apertum Christianæ Reipub. detrimentum cedant: referendam duxi eorum sententiam: quæ adeò apud illos certa est, vt in eam ex æquo coosentiant vtriusque opinionis vindices; tum qui pro Pontifice stant in controuersia de Conciliorum auctoritate, tum illi, qui Concilium Pontifici præferunt. Asserunt omnes eo casu reuerenter agendum cum Romana Sede, ità tamen, vt executio Rescriptorum suspendatur. Non quòd aliquis, inquit Caietanus, possit esse iudex Papæ, aut auctoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis. Cuilibet enim est ius ad resistendum iniuriæ, & impediendum, defendendumque.]

Tum Caietano plures astipulatores accumulat; additque: [Quæ sic interpretanda sunt, vt indè argui non possit defectus auctoritatis in summo Pontifice, sed defectus intentionis, vt loquuntur nostri.]

Et idem ipse ibidem: [Primis temporibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas in eo viguit, vt noua decreta discuteret: & si quæ aut Canonibus antiquis aduersarentur, aut receptis moribus, consensum suum rebus nouis non præberet: hacque ratione sine tumultu, & seruata semper Apostolicæ Sedis reuerentia, decretorum executionem impediret.] Supersedeo exemplis, & probationibus adscribendis, quas ille coaceruat.

Et infrà: [Perstabat adhuc idem vsus in Gallia, ann. 1226. per solum dissensum Regis, Episcoporum, & Procerum, libertates suas tuente Ecclesia Gallicana.]

104 Iam verò quod ad appellationes attinet, sic rursùs ille: [Primus omnium, qui appellatione vsus est ad futurum Concilium, prodit sese apud Historicos Fridericus II. Imperator. Qui ad Concilij cognitionem euocatus à Gregorio IX. & ab Innocentio IV. Thaddæum Legatum ad Concilium Lugdunense misit, anno 1245. Hic post exceptiones Friderici propositas, cùm ferendam videret ab Innocentio depositionis sententiam: appellauit pro eo ad Concilium proximè futurum generalem.]

Et paulò suprà: perstricto obiter dissidio Bonifacij VIII. & Philippi Pulcri; [Tum Guillelmus de Plessciano, vt se tutum à Bonifacij censuris præstaret, futurum Concilium generale appellauit, & futurum Papam Catholicum, & Sedem Apostolicam.]

Et mox ait, hanc [nouam rationem in Ecclesiam inuectam, ab ijs, qui se Romanæ Curiæ censuris premi existimabant; scilicet Appellationem à Papæ decreto ad futurum Concilium. Nouam dixi, quia numquam in Ecclesia admissa fuit prouocatio à Papa ad Concilium: licet aliquando remedio quodam extraordinario, Sedis Apostolicæ iudicium in maiori Synodo instauratum fuerit. Quod illi facilè concedent, quibus perspecta est antiqua disciplina.]

Et paucis intertextis: [Aliquando ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem, Imperatorum rescripto Apostolicæ Sedis iudicia in maiori Synodo instaurari contigit,in qua per Legatos Romanus Episcopus interesat. Quæ ratio longè differt ab appellatione. Vt enim inquit Hermogenianus Iurisconsultus:]

Appellatio iniquitatis sententiæ querelam, in integrum verò restitutio erroris proprij veniæ petitionem, vel aduersarij circumuentionis allegationem continet. [Deindè Iudex,à quo appellatur,de appellatione non cognoscit: sed is,à quo supplicatur, instauratum iudicium peragere potest.]

Denique eruditi viri Andreæ Duuallij hęc verba adscribit: [Maneat itàque hoc ratum, & constans, omnem à summo Pontifice ad Concilium, siue futurum, siue præsens appellationem, esse prorsùs illicitam: idque siue Papa sit infrà, siue suprà Concilium. Dices, Principes, & Respub. grauiter nonnumquam conqueri, se à Pontificibus graues iniurias pati, nullumque ad has depellendas efficacius remedium esse, pręter prouocationem ad Concilium generale. Respondeo non licere proptereà ad Concilium prouocare; cùm Principes sibi, suisque rebus possint alia via consulere, scilicet non obediendo mandatis Pontificijs: immò si aliter non possunt sibi succurrere, strenuè, prudenterque resistendo, & cum ea moderatione, quam superiori quęstione, vbi de iniquis, & Ecclesię perniciosis dispensationibus, assignauimus.]

105 Si quos dignitaris ratio, si Collegij honos, si tantę eruditionis fama minùs moueat; mouebit illos, vt spero, probationum vis, & ipsa causę, cui consultum volunt, incolumitas.

Nam primò quidem, si libertas Gallicana perindè refellit noua Conciliorum generalium statuta, atque decreta Pontificum, pristinis suis legibus, moribusque refragantia: alienum prorsùs est eam illi sententię superstrui, qua Concilio Pontifex subijcitur. Discors enim ipsa sibi, Concilio Pontificem,& subijcit, & exęquat: Et quidem verbo subijcit, re exęquat: cùm aduersùs vtriusque noua decreta ex ęquo pristinos suos mores propugnat.

Secundò: Si aduersùs nouitatem decreti Pontificij maiorem prouocas Concilij Oecumenici auctoritatem: hanc consequenter tibi legem indicis, hunc necessitatis incluis laqueũ, vt Concilij decreetorium subeas iudicium, eiusque sententia stes. Itàque Gallicanę libertatis dimidia pars vno hoc verbo à suis ipsismet defensoribus pręter mentem detruncatur.

Tertiò: Non omnia Gallicanę libertatis capita aliquo Conciliorum generalium statuto nituntur. Pleraque Gallicanarum Synodorum antiquis legibus, vel receptis tantùm moribus contineri dicuntur. Non ergo pro Conciliorum maiestate aduersùs Pontifices, sed pro antiquitate aduersùs nouitatem quorumcumque, seu synodalium, seu Pontificiorum statutorum decertat libertas Gallicana.

Quartò: Conciliorum Constantiensis, & Basileensis decreta, non pura, & mera, sed quibusdam modificationibus temperata amplexati sunt Maiores nostri, vt infrà docebitur:nempè quasi ad Gallicanos mores, vsusque castigata. Ergò cùm his Concilijs, veluti munimentis quibusdam maximè se iactent vindices Gallicanarum libertatum: vel in his ipsis tamen experiuntur, exęquari quodammodò Concilia Pontificibus, & parem circa horum, illorumque decreta exeri libertatem.

Quintò: Quid quòd Pragmaticę Sanctioni ad Constantiensia, & Basileensia decreta contemperatæ, vale diximus tandem;& Concordatis sola Pontificis auctoritate, regioque consensu munitis acquieuimus? Nonne palàm est, hìc saltem desisse nos, Concilia Pontificibus anteponere.

Sextò: Quid Tridentinum Concilium memorem? Eius compluribus decretis neque dum Gallicana se coaptauit disciplina: nec tamen superius aliquod Oecumenico Concilio tribunal, aut quasi generalius Concilium appellauimus.

Septimò: Ante Fridericum II. intentatæ, inauditæque prorsùs fuerant appellationes à Pontifice ad Concilium. Huius, & initij, & initiatoris suppuderet Gallicanas libertates. Has enim ante octingentos annos viguisse, & ab vsque Caroli Magni regno ad hocæuum perdurasse, tum Scriptores cæteri, tum Oratores Regis Christianissimi ad Concilium Tridentinum nimis frequentiùs inculcarunt.

Octauò: Quin & Fridericus ipse non à Pontifice tantùm ad Concilium, sed & à Concilio generali ad generalius posteà prouocauit. Expertus videlicet adeò coniunctam,indiuiduamque Pontificis,& Concilij auctoritatem, vt à Pontifice ad Concilium, non aliud sit, quàm à Pontifice ad Pontificem Concilij Præsidem prouocare.

Nonò: Quod senserunt, & Galli sub Philippo Pulchro Rege, cùm primùm in vocem appellationis eruperunt [ad Concilium, & ad futurum verum, & legitimum summum Pontificem, & ad illum, vel ad illos, ad quos de iure fuerit appellandum: supponentes se protectioni diuinæ, & beatorum Petri, & Pauli, & dicti Concilij generalis, ac Sedis Apostolicæ, & futuri veri, & legitimi summi Pontificis.] Et rursùs Willelmus de Nogareto post obitum Bonifacij: [Appello ad Sedem Apostolicam, ad totamque Dei Ecclesiam congregandam, & ad summum Pontificem futurum

rum legitimum, seu ad eum, quem meliùs valeam appellare.] Nempè conserta hæc illis, & penè concreta non immeritò videbantur omnia, Pontifex, Sedes Apostolica, Concilium, Ecclesia, Pontifex præsens, Pontifex futurus. Ideò & promiscuè hæc habebant.

Decimò: Nec tunc tantùm veluti rudes adhuc, & inexperti harum appellationum, vtpotè nouarum, & à Friderico nuper dedicatarum, ità indiscriminatim appellabant: sed & posteà sæpissimè. Vnde & Ludouicus XI. Oratoribus suis mandauit. [Si opus fuerit, appellare ab ipso summoPontifice malè consulto, ad eundem summum Pontificem benè consultum, seu proximum futurum Concilium vniuersalis Ecclesiæ.]

Ità ano. 1478. At ann. 1484. Procurator Generalis [prouocauit, & appellauit ad sanctissimum Dominum nostrum Papam Sixtum minùs debitè consultum, ad ipsum meliùs consulendum: aut ad illum, vel illos, ad quem, seu quos de iure prouocare, & appellare mihi licet.]

Et ann. 1491. Vniuersitas Parisiensis: [à sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio VIII. minùs debitè consulto, ad seipsum meliùs consulendum: & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam meliùs consulendam: nec non ad sacrosanctam Synodum vniuersalem celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, seu ad quos de iure prouocare, & appellare nobis licet, prouocamus, & appellamus.]

At ann. 1501. Capitulum Parisiense prouocat [ad Papam meliùs consulendum, vel consultum, & sacrosanctam Synodum vniuersalem primò celebrandam.] In his prouocationibus non sunt comminiscendi gradus potestatis maioris, & minoris, superioris, & inferioris. Nec enim Pontifex idem sei pso meliusculè consulto, vel prædecessor successore suo minor, inferiorue est. Ità & Pontifex, Synodusque non præponi, postponiue sibi necessariò debent: sed vtrique potestati, vt à Christo institutæ assurgitur, & sub prouocationis nomine supplicatur. Vt enim à Pontifice ipso ad ipsummet, vel ad successorem: ità à Pontifice ad Synodum supplicatio erat, etsi prouocatio dictitaretur: vnde vtrumque fiebat promiscuè.

Vndecimò: Luculentiùs id fiet exemplo Cleri Hispanienses, ann. 1532. prouocantis, id est, supplicantis aduersùs diploma Hadriani VI. Papæ, quo se grauari existimabat: [Cùm indè nasci non debeant iniuriæ, vndè iura nascuntur: ad supplicationis remedium nobis recurrendum est: & à præfato sancto Domino Nostro Papa non benè informato, ad eumdem meliùs informandum, supplicandum est. Idcircò nos, &c. ab eodem Domino Nostro Papa Hadriano VI. non benè informato ad eundem meliùs informandum supplicamus: & à R. D. Archiepiscopo, quatenus dictæ exactionis executore prætenso, &c. appellamus, &c.] Supplicant Pontifici, prouocant ab executore rescripti Pontificij.

Duodecimò: Non malè mereri ergo de patrijs libertatibus æstimandi sunt, qui tutioribus, certioribus, anquioribus & minùs inuidiosis eas superstrui iubent fundamentis: nec his committi litibus inter Concilium, & Pontificem, atque prouocationibus; de quibus omnium postremus, idemque longè doctissimus libertatum Patronus ità censuit: [Hanc non esse vnam ex libertatibus Gallicanis; in foro perindè esse, si summus Pontifex æquo, vel superiori iure veatur cum Concilijs: libertates Gallicanas hoc axiomate non niti: non est, quòd hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum mouet, & rebus nostris non prospicit, vt par est: fruatur summus Pontifex, aut æquo iure cum Concilijs generalibus, aut superiori, &c. Numquam in Ecclesia admissa fuit prouocatio à Papa ad Concilium.]

Sed quod in regio habetur diplomate, de pontificia & regia potestate suis vtraque finibus, & officijs discreta: idem de Synodica, & Pontificia sentiendum, vtramque à Deo institutam, vtramque à Deo pendulam, [neutram alteri, vel præponendam, vel postponendam, vel adæquandam, vel omninò componendam; sed alteram alteri coniunctissimam] existimandam: quòd comparationibus inuidia quædam vltrò adhærescat.

106 Strictim, & alios delibabo Gallicanarum defensores libertatum. Petrus Pithœus in breuiario Gallicanarum Libertatum cap. 5. [Etsi Pontifex supremus habeatur in rebus spiritualibus, in Gallia tamen locum non haber potentia infinita, & absoluta; sed circumscribitur Canonibus, & Regulis antiquorum Conciliorum in hoc regno receptis. Et in eo maximè consistit libertas Gallicanæ Ecclesiæ, vt disertis verbis Vniuersitas Parisiensis pronunciauit, &c. Audin supremam, absolutam, infinitam potestatem Pontificis?]

In Gallia tamen reuinctam antiquis Canonum vinculis, & decretis priscorum Pontificum. Ibi nec verbum sonat de lite, & Victoria Concilij suprà Pontificem. Nempè cùm, & Pontificis infinita, supremaque potestas agnoscatur. Nempè cùm Galliæ ea sit prærogatiua, & peculiaris libertas: quæ ad alias peræquè effunderetur gentes Christianas, si ex diminuta iosrà Concilium auctoritate Pontificis scaturiret. Ea enim ratio, ea libertatis scaturigo æquè ad omnes permanaret.

Et infrà cap. 41. [Etsi in Synodis nihil sine Pontificis auctoritate definiri potest, non tamen existimatur ille vniuersali Concilio superior esse, sed eius decretis ligatur, vt Ecclesiæ sponsæ Christi imperij, &c.]

Et cap. 42. [Ecclesia Gallicana non omnes indiscriminatim admisit Canones, & epistolas Decretales, sed eas, quæ antiquo Corpore Canonum vsque ad Gregorium II. continentur.]

Negat superiorem esse Concilio Pontificem, & nos toties negauimus, quoties hac comparatione, hac rixa noua, olim inaudita, inuidiosa, inutili supersedendum esse inculcauimus, Ligari Pontificem Cano-

nonum Synodalium ocxibus asserit, in id, & ipsi assentiuntur Pontifices, & nos altero harum dissertationum tomo rem istam ità speramus elucidandam, vt nec de pontificia maiestate quidquam decerpatur, & legitimis tamen libertatibus antiquorum Canonum tenacioribus fiat satis.

Nec tamen de principatu ambitiosa contentio recalescit, aut superior inde Synodus Pontifice efficitur. Ligantur enim, & Synodi aliarum Synodorum, ligatur, & Ecclesia suis ipsa legibus, ligantur, & Pontifices suis, ligantur denique successores antecessorum Pontificum decretis; ne, vt Paulus ait, sceùm conflictabunda auctoritas, quæ struxit, destruat: quæ finxit, diffingat. Nec tamen in hac exemploeum structe, minor, aut inferior est, qui legibus tenetur. Denique auctore Pithœo, Gallia vno tenore erga Synodos generales, Pontificesque, vtrorumque leges, non omnes admisit, veterum auctoritate nouas declinauit. Sic ille Petro de Marca præsultor. Iisdem inhæsit documentis Iacobus Capellus, libertatum, & ipse patronus insignis. [Primò licèt Papa habeat plenitudinem potestatis; tamen si sine necessitate, aut communi vtilitate discedat à iure Sanctorum Patrum, aut contra dispenset: non est fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio secundùm Bernardum.]

Tum complura alia subnectit capita, quibus id vnum pertendit, ligari Pontificem Conciliorum, & anteriorum Pontificum decretis; nec in perniciem Ecclesiæ, vel regnorum scandalum, vel citra vtilitatem, aut necessitatem dispensare posse: illa Pontificis cum Concilio conflictatione prorsùs abstinet: gnarus Gallicanæ libertatis exercitio æquari potiùs Concilia Pontificibus, cùm & noua Conciliorum statuta, eodem, quo decreta Pontificum Nouitatis fastidio repelluntur.

Eandem triuit orbitam longè doctissimus Antonius Hormannus, solo antiquitatis vsu, ac iure aduersùs nouitatem libertates has omnes suffulciens. Et post Constantiensem, ac Basileensem Synodum perhibet ille quidem vexatam fuisse quæstionem illam, an superior sit Papa Concilio, Sorbonicis vrgentibus, Legistis aientibus, teste Gersonio ipso, quia nempè hi tantùm respiciunt decretales cum glossis, allegationibus, & concordantijs. Supersedisse Tridentinos Patres, mox ait ea quæstione attingenda: & tandem concludit, [nec facilè dirimi posse litem illam; & eiusmodi grandes, ac generales quæstiones persæpe consultiùs in suspendio retineri: conducibilem esse modestam libertatem, sed deprimi plùs æquo Pontificiam dignitatem, periculosum id verò esse.] Quæ eruditissimi viri verba plùs satis produnt, quàm immaniter ille abhorreret à libertatibus patrijs tam inconstanti, lubricæque doctrinæ committendis.

Nec ab horum vestigijs deflexit Guido Coquille: [In Gallia excogitata est ratio hæc honesta cohibendorum conatuum, quibus corruptela in Ecclesiam inueheretur: non velut ab abusu apellando à concessione rescriptorum Pontificiorum: in Pontifice enim agnoscitur Supremitas in negotijs ecclesiasticis: sed tamquam ab abusu prouocando ab executione eiusmodi rescriptorum: ità in imperrantes culpa deriuatur, concedentis honori parcitur, par vtilitas decerpitur.]

Solius etiam antiquitatis præsidio pugnat Leschassetius, prætendens cum Carolo VI. Gallorum Rege, [ius commune antiquum, antiquos Canones, statuta antiquorum Patrum:] cum Carolo VII. [statuta sanctorum, antiquorumque Patrum:] cum sancto Ludouico [dispositionem iuris communis, sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, & statutorum sanctorum antiquorum Patrum.] Nouellum illud iurgium prorsùs silet, vt cassum, & inutile: cùm intersit, non quæ superior, & maior, sed quæ antiquior sit auctoritas: & minor, si modò vetustior, antehabeatur maiori, sed iunioti. Prolixiùs torquet hanc litem de pari, vel dispari Concilij, & Pontificis potestate Miltotius; exulceratus nimirùm eorum iniquitate, qui Pontificem Synodo anteferre cunctantibus, vel detrectantibus hæreseos notam passim tum aspergebant. Quam ille contumeliam strenuè propulsat.

107 Quod autem monuit Hotmannus temperatum esse in Tridentino Concilio ab hac controuersia attingenda: operæ pretium erit, paulò accuratiùs id expendere, & monumenta ea ipsa euoluere, quæ non ita pridem Parisijs ea de re in lucem publicam exiere. Et primò quidem communionis vsum sub vtraque specie, à Pontifice exprimere enisi sunt Galli, qui obsecundaturus sperabatur, illicò, [vt qui intelligerent rem esse iuris positiui, & consequenter non minorem suam ad id præstandum, quàm Ecclesiæ vniuersæ potestatem esse:] vt ait Orator Regius: qua de re nemo nescit, quid anterior Galliæ vsus, quid Constantiense Concilium iuberet: & tamen eam dispensationem ab vno Pontifice eblandiendam decreuerat Clerus Gallicanus, consenserat Rex; eam à Pontifice ad purpurati Consistorij iudicium referri ægrè tulit Regius Legatus. Et sæpiculè quidem vota, verbaque eruperunt ad Pontificem Canonum antiquorum obseruantiæ astringendum: nusquam autem ad Concilij vim supra Pontificem extollendam. Quin Oratores Gallicani testati sunt, in eo locari à se [principale fundamentum auctoritatis Concilij, quod ad Christianæ Reipublicæ commodum, suam in illud Pontifex ipse auctoritatem transtulisset:] nec enim ad scholasticas has altercationes Concilio inuehendas, vllo se commonitorio à Parisiensibus Doctoribus instructos fuisse. Alibi etiam omni se ope declinaturos spondent, ne illa controuersia promatur de superiori, vel inferiori potestate Concilij, & Pontificis: lubenter assensuros, vt Pontifici tribuatur suprema potestas in vniuersali Ecclesia. Siluit ergo nostrorum maximè assensu illa tunc quæstio, & inde Concilio pax, atque auctoritas creuit, quòd suam ipsi Pontifex, & vicissim suam

suam ipsum Pontifici definiendi, & statuendi potestatem accumulauit; vt suprà laudatus aduertebat Hotmannus, Pium Quartum Concilij iudicium esse voluisse, etiam de rebus Sedi Apostolicæ propriè reseruatis. Qua sua cum Concilij Patribus conspiratione, confessi sunt nostrates tunc Galli, disputationes illas Scholæ claustris cohibendas esse, nec ad Concilia, vel rerum ecclesiasticarum tractationem vocandas; quibus nihil conducibiliùs, nihil optatiùs esse potest summa Capitis, & Corporis totius Ecclesiæ charitate, & conglutinatione.

108 Denique ipsa illa Philippi Pulcri ætate, qua de patrijs libertatibus incaluere atrociores pugnæ, Pontificis eamen, & Concilij de principatu altercatio adhuc ferè conticescebat. Laudauimus iam suprà Gallorum tunc voces ad Romanum Pontificem: [Non habet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Iesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claues Regni Cœlorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere.] Quæ vtcumque videantur quibusdam Pontificem Concilio anteponere: nobis tamen nec anteponere, nec supponere videntur, sed componere, ac conglutinare: vt quoniam aliquando non necesse est, non conducit Concilia coalescere: tum suam, & Ecclesiæ, vt vnam, eamdemque Pontifex potestatem exercet; Ecclesiæ totius consensione, seu nulla intercessione consecuta, Concilij Oecumenici instar habituram. Vide sis, quæ tum Galli philosophabantur de Cœlestini Papæ resignatione, quàm vt Bonifatij imperterent Pontificatum, infirmare gestiebant. De Romani Pontificatus præcellentia quadam incredibili, & diuina nihil vsquam magnificentiùs calamo, vel mente comprehendi potuit. Pleraque cò recidunt, quod resignare non potuerit Pontifex, quo nemo superior. [Quis erit ille tam vesano spiritu ductus, qui dicat Papæ Romano, quamtumcumque volenti, & consentienti, etiam & committenti expressè, posse non tantùm per solum collegium Cardinalium, sed nec per omnes homines, neque per vniuersale Concilium, immò & per omnem Clerum insimul congregatum, adimi posse subditos, quos Deus commisit pascendos, & confirmandos? &c. Quis renunciationem, & cessionem Romani Pontificis, cùm cessio, & renunciatio coràm suo superiori habeat fieri, si ad ipsam fiendam procederetur, vt superior acceptabit? &c. Ideò cum omni certitudine tenendum est, absolutionem Romani Pontificis à Papatu, renunciationem, & per quemcumque alium actum omninò impossibilem fore, nisi per mortem, cùm placuerit Deo: quoniam nec ipse seipsum, nec suus par, daro, quod inueniretur, quod non est dare possibile, & multò minùs suus inferior, aliquatenùs ipsum absoluere potest.] Has, aliasque id genus rationes exsufflauit contrariæ tuuc sententiæ patronus, idemque Gallicanæ libertatis propugnator eruditissimus Ioannes à Parisijs; nec tamen, vel ad renunciationem, vel etiam ad depositionem, necessarium exaggerauit Concilij suprà Pontifices principatum. Verba eius sunt: [Sed ad deponendum decet, quod fiat per Concilium generale: vt patet dist. 21. c. Non autem. Vbi dicitur, quòd conuocatum fuit Concilium generale ad depositionem Marcellini. Credo tamen, quòd simpliciter sufficeret ad depositionem huiusmodi Collegium Cardinaliũ. Quia ex quo consensus eorum facit Papam loco Ecclesiæ, videtur, quòd similiter possit eum deponere, si quidem fuerit causa rationabilis, &c.

Et infrà, vt assensu Prelati, & Ecclesiæ initur spiritale coniugium, ità dissensu solui posse, nisi prohiberetur per superiorem, docet: [Et quia de Papa non inuenitur prohibitum, sicut de Episcopis inferioribus; ideò Papa potest resignare, & deponi sine auctoritate cuiuscumque superioris. Et mox: Potest nihilominùs adhuc responderi ad hoc argumentum, & ad alia quædam: quòd vbi apparet manifestè causa rationabilis, sicut vbi est defectus manifestus, supponitur consensus, & auctoritas Dei ad renunciationem, & depositionem, sicut in eius confirmationem supponitur.]

Inferiùs tamen vno strictim verbo attingit hanc quæstionem, sed obiter, & trepidè, atque ita vt ad alia statim subsidia recurrat: [Quod ergo dicitur, quòd Papatus est summa virtus creata, & sit non potest auferri: Respondeo, licèt sit summa virtus in persona, tamen est ei æqualis, vel maior in Collegio, siue in tota Ecclesia. Vel potest dici, quod potest deponi à Collegio, vel magis à generali Concilio, auctoritate diuina, cuius consensus supponitur, & præsumitur ad eum deponendum, vbi apparet manifestum scandalum, & incorrigibilitas ipsius præsidentis. Et denique: Ad decimam rationem, quòd nulla dignitas ecclesiastica post legitimam confirmationem tolli potest, nisi per superiorem: Responsio: Planum est, quòd hoc intelligitur de dignitate, quæ confirmatur per superiorem. Sed ascensus Papæ sine superiore, confirmatio eius est: & ideò descensus eius sine superiore, cessio est.]

Vbi perspicis 1. principatum Concilij, seu Ecclesiæ supra Pontifices, vno verbo perstringi, nec in eo momentum rei locari.

Secundò: Dubitantec insinuati maiorem Pontifice esse Ecclesiam, vel æqualem; & vtrumque perindè esse.

Tertiò: Collegio Cardinalium vice totius Ecclesiæ, vt ibi ait, idem iuris permitti.

Quartò: Denique in id totis viribus incumbi, vt etsi superiorem non habeat Pontifex, & cedere tamen, & aliquo etiam casu deponi possit. Qua de re nos alibi. Sed eo consilio ista à nobis hic sunt delibata, vt palàm fieret, viris doctis ad quaslibet extricandas difficultates solemne fuisse, nequaquam illam adhibere de superiore Pontificibus Concilij auctoritate sententiam; sed alia potiùs munimenta: de quibus

bus in posterioribus; nostroque æuo propioribus Conciliis illustrandis dicemus.

109 Sed largiamur id etiam, vt isto potissimo, & necessario nitantur Gallicanæ libertates fulcimento; id rursus moneo, non tam flagitasse libertatum defensores, vt superior esset Pontifice Synodus; quàm intercessisse, ne Synodo superior esset Pontifex. Cuiusmodi eorum conatui nihil nos reluctati sumus, quin etiam obsecundauimus non mediocriter, omnem de superiori gradu contentionem pro virili sedare enixi. Porrò idem illi consecuntur, si modò non sit superior Pontifex, acsi esset inferior. Conculcare enim Conciliorum leges non poterit, quibus superior non erit: sicue nec antecessorum decreta irritare poterit, quibus inferior non est. Ergo Regij Senatus tonitrua in eos persæpè crepuerunt, qui Pontificem Concilio superiorem, qui Pontificem supra omnem Ecclesiam à Deo constitutum prædicarent: nusquam in eos, qui ità Pontificem, Synodumque conferrent, & consociarent, vt illum tamen synodicis, maiorumque suorum decretis deuinctum agnoscerent. Quin immò quicumque inuidiosiùs, vt minorem, & inferiorem Concilio subesse Pontificem depredicant: non aliud illi moliuntur, quàm vt synodicis Canonibus eum astringant. Atqui id consequi fas erat, citrà odium, citrà inuidiam, citrà Pontificiæ dignitatis imminutionem; ità Synodorum generalium decretis Pontificem obligando; sicut illorum obligatur, quibus inferior non est, prædecessorum suorum, sanctorum Ecclesiæ Patrum, prouincialium vbique receptorum Conciliorum statutis. Quocirca hac iam mihi maior verborum, quàm rerum controuersia videtur superesse. Modò enim ligetur legum vinculis, ita vt non dispensee nisi, aut inuitante vtilitate, aut cogente necessitate, non est lis cienda Pontifici de statu suo, & dignitate, nullo nostro emolumento, solo pacis, & concordiæ fastidio.

110 Verùm vt operosiùs detergeamus illam imminutæ Gallicanæ libertatis maculam; id donemus etiam, inferiorem esse, & dici Concilio Pontificem, nihil de suprà constitutæ doctrinę veritate labascit. De solis enim, fidei definitionibus Pontificijs disceptari etiā, atque etiam contestati sumus: libertas autē Gallicana, quanta quanta est, non in fidei, sed in disciplinæ cāpis liberioribus spatiatur. Id nomen ipsum clamat.

Libertas enim in disciplinæ, & consuetudinum varietate quadam infinita iactatur. Fides vna necessariò, suique similis vbique, & semper existit. Gallicana autem, quæ libertas est, eadem non est cæterarum Christianarum gentium, at fides vna omnium est. Vnus enim Dominus, vna fides.

Itàque quo cæteras Christianæ Ecclesiæ partes superamus, id nequaquam ad fidei negotium pertinet. Alij enim alijs liberiores esse possumus, alij alias vendicare libertates, alij nempè aliam arrogare disciplinam; non alij autem aliam fidem amplexari.

Quin etiam ab hac fidei inuariabili vnitate, velut ab immobili quodam cardine tota disciplinæ varietas religatur. Vna enim Regina est, & ideò circumamicta varietatibus. Vna fides, eò præclarior, quòd illa disciplinæ, & consuetudinum libertate non discerpitur.

Secundò: Si antedicta replicentur, immò si omnia excutiantur de Gallicanis libertatibus exarata monumenta, id certò comperietur, nusquam de fide certatum, nusquam de fidei dogmate litem motam esse Pontifici, quoties pro libertate Gallicana conserta pugna est. Numquam à Pontificia fidei definitione, vel à Sorbonicis, vel ab vniuersitate Parisiensi, vel ab Ecclesia Gallicana, vel à suprema parlamenti Curia ad Concilium appellatum est. Et antequam hæ prouocationes vsurparentur, quamdiù solo dissensu Gallia suas tuebatur consuetudines, nusquam Pontificis, & Romanæ Sedis fidei, vel definitioni dissensu qualicumque suo reluctata est. Quod argumenti satis est, vt ne duo hæc longè disiunctissima permisceantur.

Tertiò: Et ne antedicta omnia, vel quæ Consarcinatores ingentium de libertatibus Gallicanis voluminum conglomerarunt, ea ad legentium nauseam resricem vnum, & alterum suggero, Hincmarum, & Bernardum. Copiosissima, & apertissima vtriusque congessimus suprà testimonia, pro definitionum fidei Pontificiarum auctoritate inconcussa: at nemo nescius est, & nos suo loco pandemus, quanta, & quàm disertа apud vtrumque inconcussæ Synodalium Canonum auctoritatis, & Germanarum libertatum documenta refulgeant. Horum ergo vestigia lambere nobis votum, studiumque fuit.

Quartò: Constantiensi, & Basileensi Synodis accepta fertur illa de superiore Pontificibus Concilio doctrina. At illæ geminæ Synodi solam expolire disciplinam, solam promouere reformationem studuerunt. Decreta vtriusque de subijciendo Synodis Pontifice, conceptis verbis ad solam Canonum obseruantiam, ac reformationem referuntur. Sicubi fidei vox sonet, ex textum, verborumque contextu patet, fidem latiùs exponendam, vt cui scisma inter Pontifices exitium afferret. In Constantiensi causa Vuiclephi retractata est; sed ità tamen, vt sola Romanæ Synodi damnatione percussus Vuiclephus, & ante generalem Synodum præfunctus, in hæresi mortuus, & exhumandus declaretur. Denique Constantiensium, & Basileensium decretorum interpretatio, ex ipsa rerum tunc, & temporum conditione haurienda est. Hec enim Synodis moris est, definitiones suas in incertos euentus eiaculari, sed vrgenti temporum accomodate necessitati. At verò illa tunc temporis procella non in fidem Ecclesiæ, sed in mores, in disciplinam grassabatur.

Quintò: Et illa sanè Conciliorum frequentia, quæ Constantiensibus, quæ Basileensibus Patribus, quæ Gallis maximè cordi erat, quæ prouocationibus ad Concilia flagitabatur, meræ reformationi in capite, & in membris ab omnibus destinabatur.

batur. Quin & ipsa Tridentina Synodus, etsi tunc quidem nouellæ hæreses toto penè Christiano Orbe, & apud Gallos densissimæ restagnarent: vel à Gallis tamen ipsis non tam ad fidei definitiones, quàm ad morum emendationem necessaria existimabatur, vt suprà ostensum, vt mox ampliùs ostendendum: à cæteris autem etiam Catholicis non ad fidei quasi dubia exoluenda, sed ad hæreticorum contumaciam, vel extraordinario hoc remedio refringendam exposcebatur.

Sextò: Quid autem de sancti Thomę angelici scholæ magistri sententia, & de iurato in eius verba discipulorum agmine dicemus, quæ permagna est Theologicæ Parisiensis scholæ portio? Quantò satius est tot, tantosque libertatibus patrijs suffragatores conciliare? Atqui illi pro Pontificijs dè fide diplomatis coniurati pugnant. Tutissimum ergo est, ità libertates defendere, vt ne illas cum tanto, & tam domestico Doctorum cuneo collidamus. Parco recentiores scholæ Parisinæ flores recensere, Duuallium, Gamachæum, aliosque, quos Patriæ iuribus, & priuilegijs infestos fuisse, non facilè dixerim, non temerè crediderim.

Septimò: Quid quòd vbi de mera fide manarunt Pontificia rescripta, ipsæ amplissimæ parlamenti curiæ, ipsa Regiæ aulæ penetralia obuijs quasi vlnis amplexata sunt fidei regulam: nec vlla vllum indè suis libertatibus creari posse periculum suspicio pupugit? Est prorsùs, quòd eorum vicem doleamus, & animi, fideique inconstantiam; qui vbi nunc pronos in amplectendis, promulgandisque, nunc morosos, & austeros in excutiendis, trutinandisque Pontificum rescriptis, vel de Pontificia auctoritate doctrinis vident Reges, Proceresque, ac Senatores Regios, de religione, & fide ipsa malè suspicantur; sæcularisImperij flatu, aut reflatu alternare, & quasi vertiginè quadam rotati huc, illucque Ecclesiasticam doctrinam putant; & quæ fixa sunt semel, refigi contra posse non desperant. Hæc animi Leuitas, hæc imbecillitas fidei ex mera nascitur incogitantia, inscitiaque Ecclesiasticæ Theologiæ. Non Reges Christianissimi, non iudices amplissimi sibi dissentiunt, non secum confligantur. Sed alia est fidei, alia disciplinæ conditio. Ibi obsequium, hic libertas locum habet: ibi pronitas animi: & deuotio explicatur: hic libertatis cura suspensior, & suspicacior hæret. Hæc compendiaria ratio est imaginatiæ illius pugnę, & suspicionis iniquæ diluendæ: fiduciæque certiùs arrigendæ in Christi optimi maximi prouidentiam, de Ecclesiæ suæ fide, & castitate ludos agi haudquaquam sinentis.

Octauò: Vt verò liquidiùs fiat, quàm non pugnet, & nil posse contra Canones Synodicos moliri Pontificem, quòd libertatis Gallicanæ vindices vrgent: & Pontificum tamen de fide constitutionibus certam constare veritatem; recurrat animo priscos Pontifices vtrumque frequentissimè, se nimirùm, & custodes Canonum, & fidei Magistros professos esse. Ad nauseam penè vtrumque decantatum occurrit in priscorum, in mediæ ætatis, in nuperorum Pontificum epistolis. Et vtrumque, ni fallor, cognatum sibi, coalitumque est. Vt prima videlicet Sedes, quæ fidei eadem Canonum custos sit: vt Apostolica Cathedra, & in fide dictanda, & in vita componenda principetur: vt Petri magisterium mentem fide, mores certis regulis imbuat; vna, eademque, & doctrinæ, & sanctitatis ad doctrinam contemperatæ scatebra.

Nonò: Stupor quorumdam, & auersatio fortassis vanescet, hoc perpenso: cùm ante centum annos nouellæ hæreseos venena serperent impuniùs: [Parisiensis Senatus decreto edictum esse, vt Christianæ Religionis formula à Sorbonicis Theologis conscripta, Regiaque lege comprobata, dominicis diebus in templis publicè coràm populo recitaretur.]

Item posteà [constitutum, vt quisque fidei professionem ederet iuxta formulam à Sorbonicis Theologis ante annos 18. prescriptam, & in Senatu promulgatam. Qui recusarent, vita, & bonis mulctarentur.]

Necdum Tridentina Synodus perfecta tunc fuerat, necdum Galli eius initijs consenserant. Formulam fidei Sorbonici Theologi conscribunt; Rex, Senatus, comprobant, promulgant. Subscribere omnes adiguntur, detrectatores spoliantur vita, & fortunis. Non extinctæ, ne sauciatæ quidem sunt Libertates hoc Sorbonico fidei decreto. Quid si Pontifici, si Principi Cathedræ tantumdem saltem permittatur? Quamquam, & illa fidei formula non absurdè tantas has vires conijceretur à Pontificum constitutionibus grassantium tunc errorum peremptricibus mendicasse: nec id ipsa dedignaretur.

Si dicas tam apertam, & expeditam tunc fuisse fidei causam, vt non ampliori indagine opus esset: Reponam, & ego, quòd verbum, quòd Spiritus sanctus cum Patre vnus sit Deus: quòd vna persona, quòd duplicis naturæ sit Christus, tam clara, & familiaria hæc esse rudimenta fidei Christianæ; nec dissimiliter de alijs Catholici dogmatis partibus: vt hæc fidei decreta ex limpidissimis Romanæ Ecclesię fontibus facillimè hauserit, & in reliquas Ecclesias effuderit Summus Pontifex, Princeps in Episcopatu fidei.

Non aliud enim est illud priuilegium, quod tam inuidiosè quidam dilancinant, quàm quòd vt Sorbonicis tunc doctoribus licuit fidem Ecclesiæ, in qua degebant, conscribere: vt quibuslibet Episcopis fas est, fidem, quam lactentes suxere, lactentibus instillare populis: ità ius, fasque est Pontifici Ecclesiæ antiquissimæ, principalissimæ matricis omnium Ecclesiarum, & ipsarum Matricum Matricis, fidem in Ecclesia sua, vt in originali scatebra puriùs manantem effundere, & in Orbem deriuare. Porrò ille Capitis; & Corporis Ecclesiæ concentus est, illa Spiritus sancti Ecclesiam vniuersam vegetantis informatio, & vnitas, vt vocem, fidemque Capitis sui, veluti suam, propriamque Ecclesiastici corporis com-

pago vniuersa agnoscat, teneatque. Nec enim imperiosa opus est. Capitis potestate, vt membra Capiti consentiant: id ipsa fœliciùs præstat eorum indoles, vita, & Spiritus veritatis inspiratio. Quocirca, nec Pontifices in fidei dogma suam inerrantiam inuexere, contenti tot seculorum experimento, concentu intimo, & cœlestis Spiritus vegetatione, sponte sua, membra Capiti semper in fidei decretis concordasse.

Decimò: Hæc Romanorum, & Parisiensium germana videtur esse concordia. Quod illustriùs fiet, si hæc ex Nauarro ante promanuis, quæ ex eo decerpserunt Libertatum Compilatores: [Non est consilium in præsentia definire, cui principalis potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro: propter illam maximam discordiam Romanorum, & Parisiensium. Illi enim tenent Petro, & successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideò Papam Concilio esse superiorem. Ij verò, quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licèt exercendam per vnum, atque ideò in aliquot saltem casibus Concilium esse suprà Papam. Quarum illa, scilicèt Romanorum, videtur placuisse sancto Thomæ, &c.]

Quæ ille alibi quoque iterat, aliaque subtexit, quibus rem videatur ad Canonum, & disciplinæ Synodicæ obseruantiam reuocare. Consule, si per otium vacat, loca ipsa; de disciplina quæstionem verti perspicies. Alioqui si de fide ageretur, non posset alia Romanorum, alia Parisiensium esse sententia.

Sed cùm vtraque gens in fide consentiat secum, & cum Capite Ecclesiæ conspicuo; minùs mirum est, si altera alteri minùs congruat in disciplinæ, & consuetudinum varietate, & Romani Pontificis constitutionibus disciplinam regentibus addictiores sint Romani, quàm Galli. Si diuersas enim à Synodalibus leges alicubi inuexit Pontifex, vsusque confirmauit, atque ibi videatur Pontifex ea de causa Concilijs superior, quid adeò nouum, aut insolens istud videtur? Nonnè, & aduersùs Synodicas leges sæpiculè libertas Gallicana repugnat, diuersosque suos retentat mores? Si rursùm alicubi ità mordicùs retinentur priscarum Synodorum regulæ, vt nec Synodorum generalium posteriora, nec Pontificum noua aliqua decreta admittantur: atque ità ibi videantur eatenus Pontifices minores Synodis, videantur æquè nouæ Synodi minores antiquis: nonne Gallicana hæc erit libertas, & mera disciplinæ versatilitas? Mera ergo ista consuetudinum pugna est, & ideò nec pugna est; sed pugnæ vmbratilis fuco quodam perlita, & hoc ipso lætior concordia.

Sola consuetudinum varietas, sola verborum discrepantia est; cùm hic superior, illic inferior Synodis iactatur Pontifex: qui consultiùs fortassè, nec superior, nec inferior diceretur: sed disciplinam sua sponte versatilem suo ingenio permittere: & ipsa auctoritate Pontificia dispensanda Synodos ipsas œcumenicas imitari: quarum nonnullas leges libertas Gallicana, etsi reueretur, non tamen sequitur, quibus tamen se superiorem nequaquam vendicat.

Sed vbi de re conuenit, in verborum vsu elementes esse debemus. Denique vbi aiebat Nauarrus, ex Gallorum sententia, in aliquot saltem casibus eminere Concilia Pontificibus: eò pertinere illud posset, vt in fidei quæstionibus non semper Concilia Galli desiderent.

III Sed ad ipsos iam properemus libertatum defensores, vt has argumentationes ex ipsa eorum officina depromptas esse reuincamus. Ordinem ducet suo quodam iure Philippus Pulcher cum Oprimatibus suis, quos suprà audiuimus, ità Pontificem alloquentes: [Absit à Regia perennitate, in quæstione fidei quidquam, quod vestra sanctitas, maximè sacro approbante Concilio decideri, in aliquod vmquam dubium reuocare.] Vides curiosè distingui in quæstione fidei.

Et ibidem rursùs: [Nec vt Papa, potuit esse hæreticus. Nec vmquam aliquis Papa, in quantum Papa, potuit esse hæreticus.]

Non ergo ista obstrepunt libertatibus Gallicanis: [His accedat suppar Ioannes de Parisijs, strenuus, & ipse vindex libertatum, qui etiam perstrinxit suprà Synodum generalem eminere Pontificibus: at definiendæ tamen fidei decretoriam potestatem idem ipse adseruit Pontificibus: [Post corporalem subtractionem Christi conuenit interdum, circa ea, quæ sunt fidei quæstiones moueri; in quibus propter diuersitatem opinionum, vel sententiarum diuideretur Ecclesia, quæ ad sui vnitatem requirit fidei vnitatem: nisi per vnius sententiam Ecclesiæ vnitas seruaretur. Hic autem Principatum eiusmodi habens, est Petrus, successorque eius.]

Plura superiùs ex eodem carpsimus. Hæc Dominicanæ familiæ alumnus eximius, nuperis libertatum defensoribus commendatus, Thomisticæ totius sententiæ, & scholæ cum germanis Galliæ libertatibus idoneus conciliator. Nec multò post, cum de Dei visione beatifica ante corporum resurrectionem digladiarentur hinc, & indè Theologi, & Iuristæ: Parisienses Theologi magno agmine hæc ad Regem præfati sunt, antequam suam ea de re sententiam expedirent: [Attendentes specialiter id, quod ab ore vestro audiuimus, quòd nihil in hac materia quærebatis, quod tangere posset sanctum Patrem, & Dominum nostrum Ioannem Dei prou. sacros. Rom., ac vniuers. Ecclesiæ Summum Pontificem, cuius sumus deuoti serui, ac filij: quin immò sicut filius eius deuotissimus honorem suum in his, & alijs zelabatis; aduertentesque, quò d multorum fide dignorum relatione audiuimus, quòd quidquid in hac materia sua sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulerit, sed solummodò recitando: considerantesque, &c.]

Tum teste Nangiaci Continuatore, Rex

Rex Pontifici scripsit: [Qnatenùs sententiam Doctorum de Parisijs, qui meliùs sentiunt, quid debet teneri, & credi in fide, quam Iuristæ, alijque Clerici, qui parum, aut nihil sentiunt de Theologia, apprnbaret; & quòd sustinentes contrarium corrigeret.]

Quibus nihil potest magis consentaneum Poncificio huic priuilegio cogitari. Nunc audiendus nobis Thomas de Corsellis, Doctor Parisiensis, & Nuncius Basileensis Concilij ad Regem Christianissimum: Ità pro Concilio aduersùs Pontificem Ille disputat: [Quod allegant, Petrum esse Caput Ecclesiæ, hoc idem Basileense Concilium concessit, etiam de Ecclesia congregata. Nam, & in vna responsione sua dicit. Ipse erit Concilij Caput, ipse quidem primus est in Concilio: & vltra dicimus, quòd ipse habet interpretari Canones Conciliorum, in eis dispensare, & etiam eos mutare, si tempus, & opportunitas id faciendi adueniant: hæc tamen debet facere ad intentinnem Concilij, hoc statuens propter publicam salutem. Non enim est ei data potestas in destructionem, sed in ædificationem. Et sic nihil negamus de priuilegio Sedis Apostolicæ, &c. Sed si velit vti proprin iudicio in contrarium vniuersalis Coocilij, & intentioois eius, & quòd si Concilium statuat aliquid pro salute publica, ipse vniuersaliter eodem tempore statuat in contrarium, vt si Concilium statuat electiones fieri sublatis reseruationibus, &c. ipse statuat in contrarinm omnes Ecclesias Cathedrales reseruari: sic reijciendo volnntariè Canones sacros: hnc quidem ei facere non cnmpetit. Vndè & quòd habeat supremam auctoritatem in Ecclesia, non negamus: sed quòd habeat illam supra totam Ecclesiam, ità vt habeat præferre iudicium suum iudicio totius Ecclesiæ congregatæ, hoc noo creditur.]

Vides quæ Thomæ, immò quæ Basileensis Concilij mens fuerit, cùm inferiorem dixit Pontificem Concilio: nempè Pontificem potestate sua abuti non posse in destructionem, quæ data est in ædificationem: non posse voluntariè reijcere Canones, etsi eos dispensare, & mutare etiam posse, si vtilitas elucear, si necessitas vrgeat: non posse præferre iudicium suum iudicio totius Ecclesiæ congregatæ, quod nec Pontifices vlli, vt reor, licere sibi voluerunt.

Si quando enim Synodis refragati sunt, eas nequaquam vniuersales, nequaquam totius Ecclesiæ congregationes ob infrequentiam suam existimarunt. Sed illnd enitescit, totum illum Cnncilij primatum suprà Pontifices, ad Cannnes, & disciplinam attinere.

Quocirca idem consequenter: [Quòd verò dicit proponens ex adnerso, quòd est diffidentia reprobata, si quis dicat Sedem Apostolicam errare posse: dicitur, qnòd adhuc est maior diffidentia, si quis dicat vniuersalem Ecclesiam legitimè congregatam errare pnsse. Nec aliquis diffidit, quòd Papa in suis sententijs errare possit, si non velit agere contra ea, quæ in sententijs, & in scriptis sanctorum Patrum, & Conciliorum definita sunt. Sed nihilominùs Papa Vrbanus dicit, quòd vbi apertè Dominus, & omnes Apostoli, & eos sequentes sancti Patres, (quod de Concilijs exponitur) aliquid definierunt, ibi nouam legem dare nnn potest: & quòd si destruere nititur ea, quæ illi definierunt, non sententiam dare, sed errare conuincitur. Itàque ad hunc sensum planè concedimus, quòd errare non potest in sententijs suis: & quòd intelligitur tunc dare sententiam, cùm non destruit ea, quæ in sententijs, & in scripturis sanctorum Patrum, & Conciliorum definita sunt: neque faciliter præsumitur, quòd ea destruere vellet, nisi constaret de contrario.] His plura, & locupletiora nemo desiderare potest.

Perspicuè enim confitetur Pontificem in sententijs suis errare non posse, nisi apertè Concilinrum definitionibus aduersetur, vti tunc apertè Basileensi Synodo Eugenius videbatur aduersari.

Sed vbi non apertè labefactantur Pontificis constitutionibus Conciliorum dogmata: vbi non ità constat, quòd Pontifex destruere velit synodales definitiones, sicut tunc constabat Eugenium Basileensibus aduersari, ibi præsumitur Pontifex noo errare. Nec Concilia porrò ipsa certam nobis fidem sui ingenerarent, si ipsa secum ità palàm colliderentur.

112 Et antequam vlteriùs prouehar, si Gersnnio, si alij cuilibet in mentem venit, contingere posse, vt in definiendo fidei dogmate, hinc vniuersa Ecclesia, seu Concilium Oecumenicum, indè ex aduerso sentiat Pontifex: & tunc ille posse Pontificem solitarium, non posse Ecclesiam vniuersam errare cnnstituat: cuiusmodi videtur hìc attigisse hypothesin Thomas de Corcellis: cuiusmodi fortassis à multis Schnlæ magistris supponitur: ego verò profiteor, in hac verbosissima dissertatione, nec verbum quidem vnnm scripsisse, quod ad eam controuersiam spectet. Id contigisse vnquam hactenùs, vehementer negn. Omnibus enim historiæ Ecclesiasticæ paginis obuius fit nobis semper Pontifex, agmine, & suffragio suffultus, vel omnium, vel longè plurimorum Catholicorum Antistitum, quoties de fide tractatum est.

Non est autem nnstri instituti, abstractas, & in scholastico otio enatas, nnn in actu rerum exortas sectari controuersias: sed accommodatè ad historicam fidem, quæstinnes in Ecclesia tot sæculis voluentibus excitatas edisserere. Quamquam id facilè à cordatis omnibus impetrabitur; quod tanta decedentinm, & succedentium ætatum intercapedine non cnntigit, id fore vt noo contingat, fiduciam penè indubiam adesse.

113 Ad iuniores libertatum assertores descendo. Præfulget inter illos Antnnius Hotmannus suprà iam laudatus. Censet ille Ecclesias alias ab alijs, & ab ipsa Romana discrepare posse consuetudinum vsu libero, [citra dissidium ab vnitate Ecclesiæ, & à principatu Romanæ Sedis. In primatu Romanæ Cathedræ vinculum esse

vnitatis Ecclesiasticæ, propter omnium membrorum compaginationem cum Capite. Si Capite enim orbetur Ecclesia, tum Antistites quilibet sparsim per Orbem suæ solertiæ indulgebunt,& ad libidinem suam propositiones alias,& alias,pugnantesque in Ecclesiam inuehent, atque ità religionem Catholicam dissipabunt.] Non potuit expressiùs ipsissima Ioannis de Parisijs sententia explanari.

Probat ille quod in Conuentu Turonensi an. 1510. decretum est aduersùs Iulium II. Pontificem, [Subtrahere se ab obedientia Romani Pontificis licere, non in totum, nec indistinctè, sed pro tuitione tantùm, ac defensione iurium suorum temporalium.]

Addit ex Concilio Ephesino, Victore Vticensi, Gregorio Turonensi Catholicam Religionem iam olim Romanam appellitari solitam: denique id certò constare, [numquam Ecclesiam Gallicanam, aliam à Romana fuisse.] Amplissimam ille alibi potestatem donat Pontifici Romano decernendi de Religione, sic tamen,vt consuetudinum libertas Gallis Sarta, tectaque seruetur. Ex Fulberto enim: [Nos non offendit obseruantiæ diuersitas, vbi fidei non scinditur vnitas. Sed neque in hoc scandalizamur, si audimus diuersam obseruantiam, sed non diuersam fidem in Christi semper Ecclesijs extitisse.Stat enim Regina Ecclesia, à dextris Regis sui in vestitu deaurato, circumdata varietate.]

Quibus concinit Guido Coquille, [Gentes omnes spontè concessisse in Sedis Romanæ obsequium, tum ob memoriam beati Petri, tum quòd Romana Ecclesia à doctrinæ per Petrum disseminatæ castitate numquam desciuerit, tum denique quòd Christus supra firmitudinem fidei Petri Ecclesiam suam fundauerit. Quocirca Catholica Religio, Apostolica etiam, & Romana nuncupatur. Non quòd fides nostra Vrbi Romæ per sese sit affixa,sed quòd cùm Romam dicimus, in mentem venit eius fidei, quam Petrus Romæ seuit Romanus ipse Episcopus: & quam Romani Pontifices eius successores retinuerunt.] Hoc semel iacto constantissimo Romanæ Sedis fundamento, tantò posteà ille securiùs pro Gallicanarum libertatum defensione certat:

Otiosum foret reliquos producere. Omnes pro sola disciplinæ veteris libertate conspirant. Nibil vrgent,nihil efficiunt, quod fidei iugum eiusdem libertatis obtentu excutiat, aut vel concutiat. Illi ipsi nupertimi horum omnium Compilatores, quid sibi esset consilij, prodidere, his ad singulorum operum exordia præfixis sententijs.

Ex Can. vlt. Concilij Ephes. [Placuit sanctæ, & vniuersali Synodo, seruari vnicuique prouinciæ pura, & inuiolata iura, quæ iam indè ab initio habet, secundùm antiquam consuetudinem.]

Ex Hieronymi epist. 28. [Vnaquæque prouincia abundet in suo sensu: & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.]

Ex Gregor. lib. 1. epist. 41. [In vna fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diuersa.]

Ex Basilij epist. 70. [Vnum iam crimen est, quod vehementer punitur, si paternas quis traditiones diligenter obseruet.]

Ex August. epist. 86. [In his rebus, de quibus nihil certi statuitur scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.]

Et alia id genus complura fronti opusculorum prætexta sunt, quæ à fidei ingenio abhorrere, & ad consuetudinum intra coartari debere exploratissimum est. Euolue, quæ ipsimet in caput 10. 12. 13. coniecere, vbi Conciliorum, & Pontificum causa expenditur, omnia perspicies ad Canonum obseruantiam, nihil ad fidei decreta collimare. Concilia autem, quibus maximè fructibus pariendis necessaria duxerint maiores nostri, clarebit dilucidè ex oratione Gallicani Oratoris ad Patres Tridentinos: [Siquidem centum quinquaginta anni elapsi sunt, ex quo Reges nostri petierunt à Pontificibus Ecclesiasticæ disciplinæ iam tum labentis restitutionem, missis Oratoribus ad Synodum Constantiensem, Basileensem, Lateranensem, & Tridentinam, &c. Quorum orationibus nihil aliud efflagitatum, quàm vt de Ecclesię ministrorum emendandis moribus seriò ageretur: & tamen adhuc nobis ieiunandum, & flendum est, non vt Iudæis quinto, & septimo mense, sed totos iam ducentos annos, atque vtinam non trecentos, & multò ampliùs. At inquiunt, vobis abundè satisfactum est tot anathematis, ac dogmatum decisionibus. Et certè fatemur, si aliud pro alio soluere inuito creditore ius est, nobis satisfactum esse: sin minùs, adhuc creditores sumus, quos numquam anathemata, & dogmatum definitionem postulasse scitis. Testes appello vos, illustrissimi legati, quibus septuagies septies hoc ipsum prædiximus, &c.]

Et in eiusdem orationis Apologia: [Cùm diximus nos reformationem tantùm, non etiam dogmata petijsse, non etiam diximus, vt Religionis Catholicæ præcipua capita, & de quibus est hodie tanta controuersia, perpetuò incerta esse debeant. Verùm cùm in illis sit inter Catholicos homines consensus,existimauimus à corruptis moribus, qui sunt omnium hæresum fons,& origo, esse incipiendum.] Vsque adeò, & ante Synodum Oecumenicam Catholicis omnibus conueniebat de dogmate orthodoxo, cum solis hæreticis lucta erat; aut hæretici audiebant,quibuscum lucta erat: nec Concilij dogmata conscripturi necessitas impendebat,nisi ad hæreticos suffundendos: Catholicis nempè omnibus priscæ fidei Ecclesiarum suarum retinentissimis, & principaliter Romanæ, omnium Ecclesiarum magistræ.

Quod ipsum sexcentis alijs locis posset confirmari indidem depromptis. Vbi experimento ipso liquet, hominum persæpè sententiam ex vita magis,quàm lingua: ex gestis certiùs, quàm verbis censendam esse.

esse. Qui enim in scholastico puluere, quasi rixandi gratia, non aliter certum quid de hæretico, vel Catholico dogmate constare, nisi generalis Concilij constituto increpitaut: illi ipsi & olim, & etiamnum Sorbonicis, Episcopalibus, primæ Sedis de fide decretis citra, vel ante generale Concilium annuunt, subscribunt, contumaciter renitentes hæreticorum elogio notati assentiuntur, nec vllum hinc patrijs libertatibus creari periculum quiritantur, vt quæ non fidei vinculum abrumpere, sed consuetudinum liberam varietatem intelligantur affectare.

Denique edictis ipsis in Parlamento registratis, Regum Francisci I. & Henrici II. hæretici censentur, quicumque nouant quidpiam [constitutionibus synodalibus, & papalibus aduersum, seu Sedis Apostolicæ.]

114 Hactenus ergo geminum concordiæ cum germanis Gallicani Regni libertatibus propugnaculum astruximus: concluso hoc, & perfecto: & ea sententia de superiore Pontificibus Concilio illas minime fulciri: & vt ea fulcirentur, eam tamen non ad fidei capita, sed ad Canonum custodiam, consuetudinumque libertatem necessariò restringi. Vnum video, quo plerique impingantur, offendiculum. Si certa fides pontificijs de fide decretis adhibeatur, posse illis quandoque tantam Pontificum in Reges, & Regna vendicari, ac definiri potestatem temporalem, vt de libertatum sospitate conclamatum sit. Hoc terriculamento mirum est si docti viri moueantur. Num de Concilio enim generali non potest idem ipsum obiectari? Si possit Pontifex, num non poterit, & Synodus idipsum sancire? At synodo intercedit? Æquè interceditur, & Pontifici, id ne definiat.

At rursum aies, procul esse synodos ab errore, & procul fore, quo Regum legitima à Deo ordinatorum, vnoque Deo minorum, vt ait Tertullianus, iura pessumdarentur: respondeo æquo iure dici, ab eo procul esse, proculque fore Pontifices. Itaque quos imminutum eunt, inopini exæquant synodis Pontifices: & iura Regum, quibus consultum volunt, imprudentes pari synodorum iniuriæ obiectant, dum Pontificibus subducunt. Si enim ideò non potest Pontifex ea iura deterere, quia minor est synodo; Synodus ergo, quæ nullo minor est, id poterit. Cæterùm ab annis iam sexcentis quoties Sacerdotium Imperio collisum est, quia causæ illæ communes erant: in generalibus synodis à Pontificibus tractabantur: inde in Teutonicos maximè Principes sçuitum est. Non est ergo rei huius inuidia à synodis abstergenda, & solis illinenda Pontificibus.

Secundò: Nuperrima Synodi Tridentinæ gesta, ac monumenta peruolutanda sunt. Ibi sexcenties comperietur, vt nihil intentatum reliquerint Galli, ne quid patrijs iuribus, vel moribus receptis derogaretur, Regumque prærogatiuis. Si quid ibi perstrictum, vel delibatum visum est nihilominus, hactenus intercedirur, non prouocatione ad maiora tribunalia, sed dissensu. Si à Pontifice eiusmodi quid pertentante, prouocatum fuisset ad Synodum Tridentinam: tunc conuenienter necessitas ineuitabilior incubuisset, & vltrò prouocata, standi iudicio Patrum Tridentinorum. Suis ergo se laqueis irretiunt, qui hos tuendatum libertatum sectantur anfractus.

Tertiò: Vel inuitis ergo id extorquetur, hanc totam esse non fidei, sed disciplinæ, & consuetudinum causam: ex quo id nimirùm efficiunt, vt non omnia de his statuta Conciliorum etiam generalium statim admittantur, etsi illorum fidei decretis subscribatur incunctanter. Quin igitur & in Pontificum causa definitiones fidei, & consuetudinum secernunt; & ex fidei vnitate necessitatem obsequij, ex consuetudinum diuersitate libertatem quamdam exurgere posse intelligunt? Nam vt eauillentur decreta morum, & disciplinæ in iuris quæstionem, adeòque in fidei causam rapi posse: illud tamen fixum, immotumque stat, longè diuersissimam esse fidei, disciplinæque substantiam: ibi vnitatem, & necessitatem obsequij; hic varietatem, & libertatem modestam locum habere: adeòque particularibus Regnis, & Gentibus Christianis nefas esse aliam fidem, fas esse aliam quandoque à matricibus Ecclesijs, & Oecumenicis Synodis, nec ipsis dissentientibus, sectari disciplinam.

Quartò: Ab Ecclesiastica sobrietate deuium est, inauditas comminisci hypotheses, & Theologica dogmata superstruere illis consilijs, quæ extremæ forsan necessitatis telo exprimerentur. Satis illud nobis, superque est, si sapimus ad sobrietatem, quòd tanto seculorum lapsu, nihil Synodi, nihil Pontifices in fidei dogma transferre decreuerunt, quod legitimæ, & cœlitùs ordinatæ supremæ Regum potestati officiat. Excubabit peræquè posthac Dei clementia, ne quid nouum, & insolens statuatur. Ne importunis ergo commentis nostros animos fatigemus. Alioqui petindè posset aliquis detestabiles, & huic aduersas comminisci hypotheses, & tunc quæ consilia capessenda forent rimari. Sed facessant à nobis hæc commentorum portenta. Apage has intemperias infandarum quæstionum. Paci Regni, & Sacerdotij hæc curiositas parùm amica est. Satiùs est meliora de Antistitum, Principumque concordia ominari.

Quintò: Ecquid, oro, causæ est, quamobtem eùm ab annis ampliùs quadringentis tot Gallicani Scriptores tuendis libertatibus insudarint: nulli occurrerit tam bella argumentatio? Est enim illa ante aliquot annos enata, & furtiuis illusa chartis, non ad temporalem propugnandam Regum, supremamque potestatem: cui in tanta Sacerdotij tunc, & Regni concordia, nihil imminere periculi, nihil timeri poterat: sed ad spiritalem Pontificis auctoritatem infirmandam, cuius tunc in fide constituenda vigori, clanculum aliqui, quia palàm refragari non poterant, obloquebantur.

Itaque euidentissimè hinc liquet, has de

de exitiali Regibus pontificia inerrantia ſuſpiciones, non ad conſulendum temporali Regum, ſed ad inſidiandum ſpiritali Pontificum imperio cupiſſe. Alioqui prodebat olim Regiam maieſtatem Ludouicus IX. idemque, & ſanctitatis, & defenſæ libertatis ergo ſpectatiſſimus, quando ſupra num. 81. Græcum Imperatorem de fide cum Romana Sede certantem, eiuſdem Sedis arbitrio obſequi hortabatur.

Prodebat Philippus Pulcher, prodebant Gallicani Magnates, cùm in fidei quæſtione, quod definiſſet Pontifex, in dubium vocari poſſe negabant: cùm Pontificem, vt priuatum, non vt Pontificem, hæreticum eſſe poſſe: cùm illum inſtar habere Concilij vniuerſalis clamabant.

Prodebant Franciſcus Primus, & Henricus Secundus ſupra num. 113. cùm hæreticorum numero haberi ſanciebant vniuerſos, nouantes quidpiam aduersùm conſtitutionibus ſynodalibus, & papalibus, ſeu Sedis Apoſtolicæ.

Prodebat Regij Imperij defenſionem, quam ſuſceperat Ioannes de Pariſijs, cùm pontificio oraculo controuerſias fidei terminandas cenſebat.

Prodebant Theologi Pariſienſes, cùm diuerſam ſuam à Ioanne XXII. de Dei viſione ſententiam protulerunt, tum demùm, cùm eis conſtitit, quidquid in ea materia ſua ſanctitas dixerat, non aſſerendo, ſeu opinando, ſed ſollummodò recitando protuliſſe.

Prodebat Thomas de Corcellis, cùm annuebat Pontifices erroris immunes eſſe, ſi modò Concilijs generalibus apertè non reluctentur, vt Eugenius Baſileenſi.

Prodebant Tridentinæ Synodi tempore Galli omnes, priſcæ fidei retinentes, quam rara, vel nulla Concilia ſanxerant.

Prodebant hanc libertatum maximam defenſores libertatum Pithœus, Hotmannus, Coquilius, Leſchaſſerius, cùm merè ſpiritali Pontificum poteſtati nihil detrahebant: cùm Catholicam fidem non aliam, quàm Romanam: cùm Romanos Præſules à Petri fide numquam deuiaſſe: cùm totam libertatem Gallicanam, canonicam eſſe, & priſcorum Canonum obſeruatione niti conſentiebant.

Prodebant nuperrimi ipſi Compilatores libertatum, quos toties oſtendimus, ſoli conſuetudinum libertati patrocinatos eſſe.

Prodebat Petrus de Marca, cùm ſtare libertates incolumes affirmabat, etſi æquo, vel ſuperiori iure cum Concilio generali Pontifex vteretur.

Prodebat denique Regium Conſiſtorium, cum pontificia de fide diplomata promulgabat. Vides quàm inſidioſa ſit libertatibus hæc argumentatio, quæ defenſoribus ſuis omnibus illas nudat: quàm contumelioſa, quæ Regibus, Principibus, Senatoribus, Scriptoribus proditionis imprimit ignominiam: quàm improuida denique, quæ tot Populos, tot Theologos vbique terrarum, & in ipſa Gallia auctoritati pontificiarum de fide ſanctionum addictiſſimos, in libertates iſtas obarmat.

Quantò æquiùs eſt clancularię, & volaticæ ſcriptiunculæ anonymum ſcriptorem contemnere, germanas, & Regibus ipſis, doctiſque approbatas libertatum tuitiones ſequi; illis odia amoliri, conciliare amicitiam tot vbique populorum, Theologorumque, pontificijs de fide ſtatutis deuinctiſſimorum? Poſtremò denique non abſurdè forſan iſtud quoque adijcietur: inſolentiſſima illa hypotheſi data, tunc vſui fore illam ipſam, quam ſupra ſemel, iterumque conceſſimus, nec à Pontificibus ipſis damnatam monuimus, de Pontificum inerrantia liberam vltrò, citròque diſputandi facultatem, citrà Catholicæ fidei diſpendium.

Cùm enim fide Catholica ratum non ſit, numquam à fide deflectere decreta Romanæ Eccleſiæ, Pontificiſque Romani: perindè hac vna dubitandi licentia, vetaretur in dogma fidei recipi, quodcumque aduersùs temporalem Regum ſupremitatem Pontifices edixiſſent. Haud ſcio, an eò referri debeat, quod ſupra cenſebat Hotmannus, arduas has quæſtiones in ſuſpendio relinqui, & nutare, conducibiliùs eſſe. Eſſet ſanè, quod ad laudem ſummi Numinis aſſurgeremus, cui non primordia tantùm illuminationis noſtræ, ſed tenebrarum etiam noſtrarum reliquiæ vſui ſunt: cui & ſcientia, & neſcientia ipſa noſtra famulatur: cui mala benè vertere, lucem è tenebris elicere ſolemne eſt: dum contorquet profunda torrentis in vſus ſuos: & fluxum ſeculorum ordinat turbulentum, vt ait alia in re Auguſtinus.

Itáque fidei pudicitiæ vtrumque præſidio eſt, & quòd pleríque Romanæ Eccleſiæ, vt primariæ matrici, & illimiori cuidam origini indubitanter inhæreſcunt: & quòd de illo matricis Eccleſiæ, Pontificiſque priuilegio nonnulli hæſitando, tantò ſuſpenſiorem, trepidioremque cogunt eſſe Pontificem; ne quid eiuſmodi ſanciat, à quo Eccleſiam Catholicam abhorreſcere poſſe præſagiat. Hactenùs de Gallicanis libertatibus, ſed genuinis, quibus Clerum Gallicanum ſuffragantem ſupra retuli: non illis, quas impijs ſententijs, & prophanis vocum nouitatibus quidam referſere, vt ipſe annuit Petrus de Marca, in præfatione libri de Concordia: quorum adeò libros ait, [Decreto ſacri Conſiſtorij, & ſententijs Epiſcoporum damnatos.] Quòcirca id neceſſariò iam moneo, eos libros eatenùs tantùm à me prolatos, vt libertatibus me non aduerſatum eſſe oſtenderem, non vt eorum me aſtringerem vbique ſententiæ.

115 Si dicas autem verbis, quàm rebus ſplendidiora hæc eſſe, quæ de primæ Sedis priuilegio ad terminandas fidei quęſtiones diſputata ſunt.

Primò: Cùm & particularibus Synodis, & ſine ſynodo Eccleſijs, Epiſcopiſque id olim iuris, moriſque fuiſſe oſtenderimus, vt hæreſes nouellas damnarent, atque ità profligarent, vt ad Synodos Oecumenicas rariſſimè recurrendum eſſet.

Secundò: Cùm ad eum modum ipſas quoque particulares Eccleſias, Epiſcopoſque

que constet præisse Synodis generalibus, & quasi prælineasse, quod sequerentur: vt Concilio Niceno Alexandrum, & Alexandrinam Synodum contra Arium: Ephesino I. Cyrillum, & Alexandrinum Concilium contra Nestorium: Sextæ Synodo Sophronium, & Hierosolymitanum Concilium contra Monotheletas.

Tertiò: Cum fide certum, fixumque non sit, errare non posse definientem Pontificem, atque ità possit quisque hanc dubitandi de inerrantia Pontificis, & dissentiendi consequenter ab eius definitionibus vsurpare licentiam.

Quartò: Cùm Ecclesiæ potiùs vniuersæ, & vni adseratur infallibilitas, vt cui hæc prærogatiua non possit citrà iacturam fidei Catholicæ detrahi; atque adeò cuius vnius consensio, seu expressa per Concilium Oecumenicum, seu tacita per solam offensionis, vel intercessionis cessationem, cogat vel inuitos quosque pontificijs decretis inclinari.

Quintò, cùm denique concentus ille Ecclesiæ vniuersæ cum Capite, consensusque cum eius de fide sanctionibus, inuariatus quidem, & constantissimus sit obseruatus; sed ità tamen, vt non tam ab imperioso Capitis dominatu proficisceretur, quàm ab intima Capiti, Corporique vniuerso vitæ, ac sapientiæ cælitùs inspiratæ communione.

Respondeo Corporis vniuersi, & principalium membrorum ornamentis amplificari, non extenuari Capitis maiestatem. Illa enim fidei exuberantia, qua particulares Ecclesiæ, Synodi, Episcopi obortas hæreses sæpissimè sine generali Synodo obruebant; exundabat, scatebatque primordialiter ab Apostolicis, & originalibus Ecclesijs, quæ alias ex se effuderunt, & tandem ab Ipsa Matricum Matrice Ecclesia Romana, seu Petri fide. Suæ itàque, & primordiali origini, & perpetuæ cum originali Petri fide, atque Ecclesia communioni, hanc fidei suæ integritatem, hanc auctoritatem debebant.

Secundò, præisse Synodis generalibus Alexandrum, Cyrillum, Sophronium, cum particularibus suis Concilijs compertum est: ipsam etiam Romanam Ecclesiam tempore antevenerint: nihil moror: sed principatu, & maiestate Principem in Episcopatu fidei Romanum Præsulem cæteris anteisse, non semel monui. Vtcumque enim riuuli fontem, & membra caput anteueniant, radijque Solem: sed sola originis auctoritate, præit, & principatur illa Ecclesia, quæ cæterarum vti radix, matrixque est.

Tertiò, etsi inter fidei Catholicæ dogmata descriptum illud non sit, Romanæ Ecclesiæ fidem, Pontificemque docentem nunquam errare posse, particulares tamen omnes Ecclesiæ, maximèque Occidentales, ità imbutæ, ità propensæ fuot, Petri fidem à Christo, Romanam fidem à Paulo firmatam, laudatamque sectari: in fidei dubijs Apostolicam Sedem consulere, & auscultare: in tanta Conciliorum generalium raritate, difficultate, impossibilitate, vt toties colligantur, quoties noua hæresis emergit, antiquam fidem ab Ecclesia antiquissima, principali origine repetere: vt quisquis à Romanæ Cathedræ fide, aut fidei sanctione defecit, nec resipuit, in hæreseos baratrum tandem præceps ierit: quisquis Romanæ fidei, & communioni indiuulsis inhæsit vinculis, hæreticæ notæ exors, purusque perstiterit. Non semper enim necesse est, non semper expedit Synodos generales coalescere. Tot ergo, & penè innumeræ hæreses, nullo vnquam Concilio generali damnatæ, siue antequam damnarentur, sectarios suo nihilo seciùs certa infamia, certoque exitio implicuere; quia Ecclesiarum, & Romanæ inter eas principantis fides contemnebatur.

Quartò, longè ineluctabilius est, quidem dogma de incorruptibili Ecclesiæ vniuersæ fide; sed fidei suæ sinceritatem particulares omnes Ecclesiæ, quarum collectio Ecclesiarum implet Catholicam, non illubentes acceptam ferunt radici, & origini suæ, Romanæ Ecclesiæ, suæque cum ea irreuocabili communioni. Itàque fonti abroganda non est exundantis fluminis gloria, & puritatis laus. Porrò vniuersalis Ecclesiæ, seu particularium omnium Ecclesiarum fines perlustrare, atque explorare sententiam, ad fidei regulam indagandam, operosum idest, & Nouatorum ludificationibus obnoxium.

Ideò Irenæus suprà admonebat, necessario vtendum esse compendio, & ad honerandos pudore omnes hæreticos, vnam Romanam Ecclesiam adeundam, vt ex ea, non eius tantùm, sed vniuersæ Ecclesiæ fides perdiscatur.

Quintò, redundat illud in maiorem Capitis laudem, quòd vniuersa membrorum compago, & ingenio instinctuque suo, & Cœlesti impulsu, ità agitur in eius obsequium, fideique consensionem: vt ab eius fide nunquam dissentiat. Meritum Petri, fides oratione Christi roborata, Cathedra Apostolici magisterij eò pluris debet fieri; quòd citrà seruitutis inuidiam, & lubenter, & indeclinabiliter ei omnes Ecclesiæ adhærescunt, Non seruitus enim illa est, sed pietas, adeòque libertas, quo Discipuli Magistro, Capiti membra obsequuntur, Cœlesti Spiritu vitam fidei, & sapientiæ, non solùm eamdem Capiti, & membris, sed etiam per Caput membris, & ipsis in Caput suum membris reuerentiam insinuante.

116 Mussitant nonnulli, silentij saltem religione, forsan animi etiam consensu acquiescendum Sedis Apostolicæ definitionibus de fide; non tamen eas antè in fidei dogma euadere, quàm Concilio generali confirmentur. Mirum est si tam pingui errore impediri possint viri eruditi.

Quanti enim antè Tridentinam, & Constantiensem Synodum Catholico nomine, & vita, & fortunis mulctati sunt? Quantæ hæreses nullo vnquam generali Concilio notatæ sunt? Quantæ generales Synodi vetustas, & absoletas hæreses, nullaque Oecumenica à Synodo proscriptas dånare abstinuerunt? Nec Synodorum genera-

talium necessitati hęc officiunt. Nec id enim dissimulabimus, tunc necessariò coisse generales Synodos, si quando pestiferis erroribus agglutinati essent principalium Sedium Pontifices, aut ingentes populorum turbæ.

Sic olim aduersùs Paulum Samosatenum Antiochiæ Episcopum, quanta maxima tunc potuit, celebrata est Synodus.

Sic Nicæna indulta est Synodus, populorum, Episcoporumque multitudini Arianis laqueis irretitæ.

Ruffinus lib. 1. cap. 1. [Cùm Alexander Episcopus natura lenis, & quietus assiduis commonitionibus Arium cuperet à prauo incepto, & assertionibus impijs reuocare: nec tamen res ex sententia procederet, quòd plerosque iam contagio pestiferæ assertionis infecerat, non solùm apud Alexandriam, verùm, & per alias Vrbes, prouinciasque dispersa, &c. Quæstio latiùs innotescit, sermo vsque ad aures religiosissimi Principis peruenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia, apud Vrbem Nicæam Episcopale Concilium conuocat.]

Sic Nestorio Constantinopolitano, sic Dioscoro Alexandrino Antistiti Ephesina, & Chalcedonensis Synodi donatæ sunt.

Sic Sexta, & Septima Gręcis Episcopis, & numero; & Sedium prerogatiua, & populorum frequentia spectabilibus.

Sic Augustinus lib. 4. ad Bonif. cap. vlt. Synodorum necessitatem ingruere aliquando non negat, rarò id contingere asserit. [Quasi nulla hęresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit. Cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas, necessitas talis extiterit: multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque indè per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt.] Extitit ergo aliquando necessitas, sed quod ad hæresum causam attinet, rarissima: nimirùm vbi hæresis increbuerat, latissimèque serpserat: alioqui vno quopiam loco nō egressa, ibidem velut in cunabulis suis pręfocabatur sine Synodo, & inde per cęteras terras deuitanda innotescebat.

Et lib. 1. Operis vltimi cont. Iul. numer. 9. Pelagianis Synodum generalem postulantibus, aut saltem collationem, quali causa Donatistarum fuerat tractata iterùm, respondet: [Quod propter Donatistas factum est, eorum violentissimæ turbæ fieri coegerunt, &c. quales vos turbas Deus auertat, vt habeatis: Deo tamen propitio non habetis.]

Et operis prioris adu. eumdem lib. 2. cap. 1. Donatistarum furor occupauerat Africam totam, nec pędicari à Catholicis veritatem contra suum patiebatur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, &c.] Et ibidem mox ait, Collationem illam Donatistis potiùs renitentibus institam; at Maximianistis enixè flagitantibus negatam: [Cupiebant enim exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari. Nec spectabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant.]

Denique ibidem paulò antè ad eosdem Pelagianos, ità habet: [Vestra apud competens iudicium communium Episcoporum modò causa finita est.] Vbi enim communes Episcopi Synodum, vel iudicium agitarunt, eorum decretó causa finitur.

Et Athanasius similiter lib. de Synodis [Nicæna Synodus non temerè habita est, vt quæ habeat grauissimos vsus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotamiani in causa festi claudicabant, atque vnà cùm Iudęis Pascha celebrabant, & iam tum Ariana hęresis suos propugnatores habebat, qui eam defenderent, & qui pijs insidias facerent, Eusebianos scilicet. Atque ea causa fuit, cur vniuersus Orbis in Concilium coiret.] Vbi & populorum examina, & culmina Episcoporum in causa esse perspicis Synodi congregandæ.

Sed nihilò tamen seciùs ante Synodum Oecumenicam legitimè proscripta etiam tunc erat hęresis, seu decreto summi Pontificis, seu particularium Synodorum, aut Ecclesiarum calculo, Ecclesiæ vniuersæ consensione firmato: nec ad Synodum tamquā ad rei dubiæ ventilationem, sed ad certi veluti dogmatis pleniorem confirmationem veniebatur.

Quocircà illa necessitas, quam insinuabat Augustinus, non ad dogmatis certam definitionem, quasi sine Synodo generali eam Ecclesia adipisci neutiquam possit: sed ad populorum pertinet, & optimarum sedandos furores, vt qui Synodi Oecumenicæ lubentiùs acquiescant, vel populari deliberationi, vel splendori, ac potentiæ explicatiori. Alioqui enim, nec Capiti, nec Corpori Ecclesiæ certam veritatis conscientiam, ac fidei promulgandæ potestatem, vel adimere, vel extenuare possunt populorum aliquot, vel procerum intemperiæ. Num pendebit enim, vel Pontificis, vel particularis Synodi definitio, & in veri, falsique, certi, aut incerti confinio alternabit, donec, vel annuant, vel abnuant Christianæ reipublicæ membra omnia? An quia Pelagio paucissimi, & ex Episcopis, & ex plebibus consensere, ideò constantissima fuit, & Romanorum Pręsulum, & Africanarum Synodorum sententia; si plures, nutasset? Immaniter hoc à vero distet.

Ideò etsi vtcumque excusatiorem, non tamen à labe purum censuit Cyprianum Augustinus, qui ante Concilium plenarium à Stephani, & collegarum definitione discessit.

Ideò nec culpæ omninò vacui, qui ante Nicęnam Synodum à Paschatis ritu Catholico deuiarunt.

Ideò & in Concilio Romano sub Miltiade, ità Donatistæ resipiscentes suis in Clero infulis, gradibusque frui permissi sunt, vt hęc dispensatio esse, & venia iuris significaretur, adeòque in hęreseos, vel schismatis ignominia antè illi demonstrarentur iacuisse.

Ideò nec forsan omnibus condonatæ sunt Oecumenicæ Synodi, qui numero, & splendore sanctorum pollebant.

Num Marcioni enim, aut Cerdoni, num Manichæo? Denique trecentis annis ne

ne condonari quidem, aut colligi potuere.

Ideò Augustinus, Pelagianos ab Occidentalium iudicio ad Orientales, & ad Oecumenicum Concilium appellantes obiurgatione ista suffundebat lib. 1. cont. Iulianum cap. 4. [Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare.]

Ideò Cyrillus Alexandrinus suprà damnationi Nestorij, & Nestorianæ dementiæ per Cœlestinum promulgatæ, & Romanam Synodum, necessariò subscribendum aiebat, aut Occidentalium omnium Ecclesiarum communione carendum: idque ante Ephesinam Synodum.

Ideò ante Chalcedonensem Synodum epist. Leonis, qua Eutychiani dogmatis damnatio confirmabatur, Oriens iam, Occidensque subscripserat.


Ideò sexta Synodo, itemque septima post Oecumenica anathema compluribus velut hæreticis inustum est, quia ante Oecumenicæ Synodi coalitionem insanire aduersùs fidem, simul, & viuere desierant. Idem nihilò obscurius est in reliquis deinceps Concilijs, sed in Florentino longè euidentissimum.

Sed illud sextæ, & Florentinæ Synodo commune est, illud præclarissimum, quod cùm, vel longè plures, vel omnes, Orientalium regionum Episcopi, Patriarchæ, populi in alienum dogma declinassent, cùm Imperator Græcus ante Oecumenicæ Synodi deliberationem negaret in fidei dogma suscipi quidquam posse: peruicit tamen Romana Ecclesia, nec Synodo Oecumenica absolutissimè opus esse; & vbi illa concessa, collectaque fuit, non vt de re dubia enucleanda, sed velut de inconcusso decreto confirmando magis, magisque disceptari. Quæ si sedulò fuerint animo mandata, tum eorum retegetur hallucinatio, qui nusquam necessarias esse posse Synodos Oecumenicas arbitrantur. Ad solam illi intueantur fidei indagationem, quæ Pontificum decretis, & Ecclesiæ vniuersæ per Orbem sparsæ suffragio abundè dilucescere potest.

Sed alia incidunt discrimina, quibus vix, ac nec vix potest, nisi per Synodos generales obuiari: vti superioribus exemplis patefactum est, nempè cùm Pseudo-Synodus Ephesina per Chalcedonensem obliteranda fuit; cùm tot Græcos aduersùs imagines spuria Concilia septimæ Synodi splédore obducenda fuere: cùm Constantinopolitanus Patriarcha, cum permagna Orientis portione à Monotheleticis deliramentis in sinum fidei Ecclesiasticæ fuit reuocandus per sextam Synodum: Græci similiter per Florentinam. Pluribus tempero, genus ipsum indigitasse contentus. Sunt & præter fidei causas, etiam schismatum, & corruptelarum tantæ quandoque pestes, quantis opprimendis tota necessariò concurrere, & collaborare debet Ecclesia: cuiusmodi maximè necessitas maiores nostros annis abhinc ferè trecentis visa est sollicitos habuisse. Cautissimum igitur est, inter extremo hinc, & hinc scopulos, medium iter sulcare: vt nec semper, nec numquam necessariæ sint Synodi vniuersales.

Olim quippè, etsi à Pontificis summi decreto numquam prouocabatur ad Concilium: [Tamen aliquando ob bonum pacis instaurabatur iudicium Sedis Apostolicæ: quod differt ab appellatione, &c. Iudicia aliquot renouata: post Romanæ Sedis sententiam. Quod aliquando tamen fieri noluerunt summi Pontifices, &c. Aliquando ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem, Imperatorum rescripto, Apostolicæ Sedis iudicia in maiore Synodo instaurari contingit: in qua per Legatos Romanus Episcopus intererat.]

Tradit quippè Augustinus, post Romanam Synodum de Donatistis, rursùm cognouisse Arelatense Concilium: [Quibus verbis rem gestam describit, non autem regulam præscribit, qua in omnibus causis vti liceat, nempè instaurationem omnium iudiciorum Apostolicæ Sedis in Synodo vniuersali, quemadmodum plerique contra veterum sententiam sibi persuaserunt, &c. Causam Acacij, iterato iudicio, in Synodo Oecumenica discuti passus non est Gelasius, neque cæteri Pontifices, quamvis schismate eam ob rem violata esset vnitas Ecclesiæ: quæ sub Iustino Principe restituta est, credentibus Græcis auctoritati Romanæ Ecclesiæ. Quamuis dicantur hìc Synodi ob bonum pacis, & ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem concessæ: adeòque velut ex dispensatione: non eleuatur tamen earum necessitas. Quæ maior enim, aut inexorabilior necessitas, quàm paci, & tranquillitati Ecclesiæ consulendi? Dispensatio autem adeò non expungit necessitatem, vt ex aduerso ea sit demùm laudatissima dispensatio, quæ donatur vtilitati euidenti, vel vrgenti necessitati,



DISSERTATIO XIX.

In Synodum Oecumenicam Constantinopolit. II. Anno Christi 553.

SYNOPSIS:

In defensione trium Capitulorum nunc arripienda, nunc abijcienda, ostenditur Vigilij Papæ non inconstantia, sed dispensatio, & pacis amor, vero numquam iniuriosus. Vsque ad num. 8.

Etsi possit sontibus ignosci, non posse tamen insontibus, vel scriptoribus, vel scriptis anathema illidi ex dispensatione: nec potuisse trium Capitulorum damnationi factæ subscribi, nisi manifestata, vel vtcumque credita veritate. Vsque ad num. 13.

Quintæ Synodi memoriam alicubi aliquandiù sileri, indultum à Romanis Pontificibus, ex necessaria tunc saltem dispensatione, vbi regnorum, & populorum strages auertenda erant. Vsque ad num. 26.

Proferuntur argumenta, quibus vniuersim in rebus facti, & personarum errare posse Synodos Oecumenicas probant aliqui. Contra enitur damnationi synodicæ errorum, auctorumque accommodandam necessariò coaptationem, vbi Synodis subscribitur. Vsque ad num. 39.

Sequestratis alijs factorum, & personarum quæstionibus, ostenditur Synodorum Oecumenicarum, sine Ecclesia vniuersalis iudicia ad librorum damnationem spectantia, non posse deinceps retractari, aut in contrarium flecti, prolixè & ex hac ipsa Synodo. A num. 27. ad 45.

Idem rursùs multis argumentis perficitur: & quàm infaliciter elementibus interpretationibus enitantur purgare libros ab Ecclesia damnatos. Percurruntur anteriorum, & posteriorum temporum exempla complura: quibus liquet damnatorum librorum vindices, errorum infamiam non eis vnquam effricuisse, sed ipsis sibi quandoque affricuisse. Vsque ad num. 67.

Quid de Agobardo, Baronio, Bellarmino, alijsque ingentis famæ viris sentiendum sit, qui damnatos ab Ecclesia libros aliquos defensitari posse senserunt. Vsque ad num. 80.

Ad eos, qui rogitant, an de fide sit, hæresim hoc libro contineri. Quàm latè quandoque pateat nomen fidei, & hæreseos. Quàm facilè suspectos hæresum habeat Ecclesia defensores librorum, quibus eas inesse ipsa iudicat. Hæreseos suspicio, vel accusatio, quàm non temerè vlli impingenda, quàm anxiè à quolibet propulsanda. Vsque ad num. 90.

Ad eos, qui rogitant humana, an diuina fide constet hanc hæresim hoc libro contineri. Quàm aliena sit à perpetua Ecclesiæ, & Synodorum hactenùs omnium tutissima, doctissimaque simplicitate hæc cauillandi lascinia. Vsque ad num. 94.

Vigilij Papæ, & Romanæ Sedis principatus quantùm resplenduerit in hac Synodo aduersùs Nouatores. Vsque ad num. 102.

Defensores Capitulorum eruditi, quàm nullo priuato studio, nulla acuminis sui fiducia, sed sola agerentur tuendæ Chalcedonensis Synodi cupiditate. Scrupuli aliqui amouentur. Vsque ad calcem.

1 

Vrganda primùm nobis videtur inconstantiæ labes, quam affinxere plerique Vigilio Papæ; consiliorum eius varietatem, in arripienda nunc, post abijcienda trium capitulorum defensione, non medullitùs, & in recessu, sed specie tenùs pensitantes. Cordatis enim non paucis ex aduerso dispensatio hæc fuisse censetur, ad omnes prudentiæ numeros expensa, & summa tuendæ pacis, atque vnitatis ecclesiasticæ constantiæ. Quippè cùm intelligeret Vigilius versatilem hanc esse controuersiam: & quo illa cumque erumperet, nihil periculi orthodoxæ fidei, quam hinc, & inde certatim tuebantur omnes, creari; integrum ille sibi non iniuria duxit, nunc huc, nunc illuc inclinare: & eò nimirùm vergere, vbi maior spes allucesceret sarciendæ concordiæ, cui vni securum de fide Catholica seruire fas erat. Itàque cùm anno Christi 546. Iustinianus Imperator damnationi trium Capitulorum Mennam CP. & alios Patriarchas cum Episcopis subscribere coegisset; euocatus Vigilius, & anno 547. Vrbem Regiam ingressus, Mennam, & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit, Iustinianum ad ea damnanda vim inferentem constanter spreuit. At anno 548. idem pacis studio inflexus, Iudicatum ad Mennam: quem rogatu Theodoræ Augustæ in communionem receperat, protulit; in quo Theodorum

Mopsue-

Mopsuestenum cum dogmatibus suis, Ibæque epistolam, & scripta Theodoreti damnabat, salua Synodi Chalcedonensi reuerentia. Hæc prima alternatio est necessariæ accommodata dispensationi.

2 Nam & increpari Orientales Episcopos primùm par erat, temerè imperatorijs edictis, iussisque obsecuros, cùm vel maximè plerique eorum contra Concilium Chalcedonense has instrui machinas suspicarentur. Et vbi quomodocumque assensi fuere Orientales omnes damnationi Capitulorum, tum & illis accedere Pontificem, atque Occidentales consultum erat, ne secessione pertinaci schisma conflaretur. Itàque Vigilius, & Capitula damnauit, vt Orientales sibi conciliaret; & saluam esse iussit Concilij Chalcedonensis reuerentiam, ne exasperaret Occidentales: atque ità medium se vtrisque velut sequestrem pacis interposuit. (Conc. Gall. tom. 1. p. 294.) Hanc dispensandi sapientiam commendauere Italiæ Clerici in epistola Legatis Frãcorum Constantinopolim proficiscentibus directa: [Veniens Constantinopolin Beatissimus Papa Vigilius, magis autem, vt quod verius est dicatur, propè violentèr deductus, cœperunt ibi ipsum expectare, vt damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam sancta Synodus Chalcedonensis, modis omnibus solueretur. Sed cùm Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere consensum, iàm tunc talis violentia facta est, vt publicè in conuentu clamaret, Contestor, quia &si me tenetis captiuum, Beatum Petrum Apostolum captiuum facere non potestis. Posteà tamen tractatu habito prædictus Papa Vigilius, sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinauerit; sollicitè monendo, ne per occasionem aliquam, supradicta Synodus pateretur iniuriam. Et quamuis nec hoc, quod Papa fecerat, adquieuerunt Afri, & Illyriciani, atque Dalmatæ, &c.] Vides infractam primò Pontificis aduersùs minas, irasque regias constantiam. Vides inflexum posteà, non terroribus ingeminatis, sed tractatu habito. Vides causam ab eo ordinatam sub aliqua dispensatione. Vides demptis illis, qui nominatim restitisse eius dispensationi perhibentur, Italos, Gallos, reliquosque Occidentales adquieuisse.

3 Ac cùm Afri, Illyrij, Dalmatæ in defensione trium Capitulorum præstarent; & Rusticus, ac Sebastianus Diaconi à Vigilio defecissent, eumque vt Chalcedonensis Synodi desertorem toto Occidente infamarent; anno Christi 549. & 550. per epistolas docuit Vigilius, Iudicato suo nihil derogari Concilio Chalcedonensi, Diaconis transfugis abrogauit ministerium; & vrgente Iustiniano, vt absolutè, ac sine mentione Synodi capitula damnaret, rem ad Concilium generale deferri persuasit: receptoque interim cum aliorum Episcoporum manibus Iudicato, omnem deinceps, vsque ad Concilium de Capitulis quæstionem, annuente Principe, interdicit. Audiendi rursùs Clerici Italiæ in suprà laudata epistola, alterius huius dispensationis præcones; qua emissa Capitulorum damnatio, in suspendio haberi iussa, & ad silentium reuocata, donec Synodus œcumenica colligeretur. [Et quamuis nec hoc, quod Papa fecerat, acquieuerunt Afri, & Illyriciani, atque Dalmatæ Sacerdotes recipere; tamen cœpit iterum Beatus Papa Vigilius ad hoc compelli, vt absolutè ipsa capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnaret. Sed Papa non acquiescens hoc facere, & videns se nimiùm ingrauari, dixit serenissimo Principi: Veniant hìc fratres nostri ex omnibus Prouincijs quini, aut seni Episcopi, & quidquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit, cum pace disponemus: quia sine consensu omnium ista, quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenùs adquiescam.]

Ex Africa ergo, & Illyrico Episcopos Princeps euocauit, [& præstitie Deus, vt hac eatione Sanctus Papa Vigilius constitutum, quod in ipsa causa fecerat, publicè in conuentu reciperet; denuncians, si quis Græcorum Episcoporum vsque ad vniuersalis Concilij tractatum de ipsis capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquieuisset, à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret. Quoniam frequenter ipsi Episcopi Græci ad voluntatem Principis damnauerant ipsa capitula, vndè causa mota est, sed Beatissimus Papa manus eorum ab Imperatore receperat.] Optatissimum fuerat, vt omnes priori Vigilij dispensationi, seu Iudicato assentirentur, quo & Græcis Capitulorum damnatio, & Latinis Chalcedonensis Synodi reuerentia confirmabatur: sed cùm nec hi, nec illi omninò acquiescerent, nihil conducibilius fuit, quàm vt ex vtrisque coiret Synodus, & communi tractatu res fineretur. Itàque nulla hìc inconstantia sententiæ, nulla vacillatio fingenda est.

4 Rursùm anno Christi 551. Iustinianus, instigante Theodoro, edicta in capitulorum damnationem cõtra interdictum proponit. Vigilius reclamat, & excommunicationem in eos indicit, qui assensum præbuerint. Iram Principis ebullientem multiplici fuga declinat, in Basilicam S. Petri, indè Chalcedonem ad S. Euphemiã. Anno denique 552. edictis sublatis à Iustiniano, libellisque fidei, & pœnitentiæ oblatis à Menna, Theodoro, & alijs, Chalcedone relicta, redijt Constantinopolin. Vbi inuictum animi robur, & sui nusquam dissimilem constantiam necesse est nos mirari. Anno postremùm 553. indicitur Synodus quinta generalis, cui abnuens interesse Vigilius, vel suam scripto sententiam expromeret, Constitutum edidit, resumpta trium Capitulorum defensione. Damnanti autem Capitula Synodo non assentiens, in exilium pellitur. Clerici Italiæ in supramemorata epist. [Constantinopoli cœperunt iterum B. Papam Vigilium compellere, vt si Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ Episcopi nollent, ipse cum Græcis Episcopis eadem capitula condemnaret. Sed Beato Papa Vigilio nullatenùs ac-

acquiescente, edicta ex nomine imperiali tàm io Ecclesia Constantinopolitana, quá in locis dinersis suspendi fecerunt, per quæ eadem capitula damnarentur. Quo facto Beatus Papa omnes Episcopos admonuit, dicens: Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensnm. Sed & Sanctus Datius Mediolanensis Episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit: Ecce ego, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia me a constituta est, idest, Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmyliæ, atque Venetiæ contestor, quia quicumque in edicta ista consenserit, suprà scriptarum prouinciarum Pontifices communicatores habere non poterit. Quia constat apud me edicta ista sanctam Synodum Chalcedonensem, & fidem Catholicam perturbare. Hìc perspicis longè plures Occidentis Episcopos, nempè Gallos, Hispanos, Italos Vigilij dispensationi consensisse. At cùm eidem refregarentur, & Græci, & non pauci Occidentales, id demùm superfuit Vigilio, vt omissa œconomia, ad ingenium rediret; & quò semper fuerat propensior, tria Capitula damnari vetaret.

Itàque ipse Vigilius epist. 15. Episcopos, Clericosque ità se côtestatum ait: [Rogo pijssimum Principem, vt edicta sua, quæ iussit appendi, remouere dignetur, & Constitutum commune expectare: idest, vt scandalizati Episcopi Latinæ linguæ ad Synodum veniant, aut certè remota omni violentia suas scripto declarent sententias. Quòd si fortè preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad diuisionem tendit. Iure ergo in omnem se partem vertebat, vt scandalizatis Latinis Episcopis mederetur. Quid æquius autem, quàm scissam Ecclesiam coire in Synodum, vel scripto liberas proferre sententias, quod & ipse pro sua parte virili fecit Vigilius; & ità in communi aliquid consuli, quod pacem Orbi Christiano resarciat?

5 Sed suæ ipse adsertor dispensationis Vigilius prodeat, in Encyclica de damnatione Theodori. [Nos longanimitatem nostram diuina largitate concessam, tam circà te, quàm circa ceteros seductos abs te, penè hoc quinquennio elapso ostendimus. Primùm quidem in eo, quòd pro scandalo refrænãdo condescendentes quorundam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos; quia tu iàm eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas; quædam pro tempore medicinaliter existimauimus ordinanda: tali scilicèt conditione, vt omni in posterum perturbatione sopita, nihil vltra nec verbo, nec literis quisquam facere ex eadem causa præsumeret.] Audis longanimitatem, condescensionem, dispensationem, temperamentum, medicinalem ordinationem necessariam vtique, vt mox ait, scandalizatæ fraternitati.

Et mox: [Hæc omnia bona desideria nostra, quæ pro pace Ecclesiæ proculdubiò militabant, &c.

6 Synodo autem interesse, & assentiri, primùm respuit Vigilius, quòd vt ibidem ait: Africanorum, & eorum maximè præsentiam requireret, quorum fuerat scandalizata fraternitas: quòd illa scilicet omnia fuissent, fraternæ collationi, & tranquillo Episcoporum reseruanda iudicio. Itàque subduxit se Synodo, cui & granem nimis imminere cernebat Principis potestatem, tot ante præiudicijs, tot contumelijs expertam: & abesse Occidentales Episcopos, quorum maximè scandalo prospiciendum fuerat. Quocirca, Episcopis ad Synodum inuitantibus respondit Vigilius, vt ipsimet referunt: Syn. 5. act. 2. Non posse vnà nobiscum conuenire, eò quòd plurimi quidem hìc sunt Orientales Episcopi, pauci verò cum eo. Quod autem excipiebant Orientales: Nec enim in sanctis quatuor Synodis multitudo Occidentalium Episcoporum inuenta est vmquam, sed duo, vel tres Episcopi, & certi Clerici: Præposterum id quidem erat. Nam pauci illi Occidentalium Synodorum legati erãt, earumque consensionem in earumdem hæresum exterminium perferebant in synodicis epistolis, atque ità vniuersalem Græcorum Synodo concordiam, & œcumenicam conciliabant auctoritatem. Hìc autem dissentiebat à Græcis cotus Occidens, & dissensu suo Græcanicam Synodum quodammodò irritabat. Denique Vigilij dispensationem, & incredibilem quandam sapientiæ temperiem illud arguit, quòd extremo Constituto suo, & si promat sententiam illam suam, cui medullitùs semper inhæserat: de non damnandis capitulis: abstinet tamen ab anathemate, vel intorquendo, vel interminando. Conscius nempè nihil interesse, vtram in partem declinetur, dum scandala sileant, & pax redintegretur Ecclesiæ.

7 Postremò tandem ab exilio redux Vigilius subscripsit quintæ Synodo, vt non obscuris colligitur testimonijs; subscripsere indubitatissimè successores eius Romani Pontifices, & ità Occidentalis denique omnis Ecclesia; quę videri posset summa quædam dispensationis, & extrema laus.

Quòd subscripserit ipse Vigilius, innuit Sexta Synodus in Prosphonetico ad Const. Imp. act. 18. [Vigilius post hæc Iustiniano pijssimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est; vt eorum opuscula, quæ latenter reperta sunt repleta abominatione, anathematizarentur.]

Euagrius autem lib. 4. cap. 34. [Vigilius per litteras consensit Concilio, non tamen interesse voluit.] Idem asserunt Photius, Zonaras, Cedrenus, alijque. Id denique Illustrissimus Petrus de Marca peruicit, eruta è tenebris, quę hactenùs delituerat, epistola ipsa Vigilij, qua Capitulorum damnatio confirmatur.

Disertissimè idem testatur Eustathius Presbyter in vita Eutychij Patriarchæ CP. c. 22. [Nemo vmquam, nisi magni huius, ac diuini viri tempore quatuor simul Patriarchas conuenisse meminit. Itàque cunctis dubitationibus, & controuersis non violentia, nec necessitate, aut partium studio, atque affectione, sed demonstratio-

rionum, aut cohortationum vl dissolutis, summa pax, & magna tranquillitas in Dei Ecclesia est consecuta. Quatuor autem Patriarchæ sũt hi. Vigilius veteris Romæ, Eutychius hic nouæ Romę, Apollinarius Alexandriæ, Domninus Antiochiæ. Qui tamquam vnum in corpus ex quatuor elementis conflati, vnanimes, idemque sentientes, manus inter se coniunxerunt, &c. Quadruplicem, & aureã quodãmodo quãdam magnam catenam conficientes in templum Dei ingressi sunt, &c. Quatuor hi fluuij, qui egrediuntur è Paradiso, &c. Horum consensu, & coniunctione, Dominus Deus currum Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, delectos hæresum fautores, triumque capitum impietatem demergens. Cùm igitur ex quatuor Pastorum concordia, rectoque sensu factum esset vnum ouile, atque vnus pastor, discesserunt ad suas singuli ciuitates.]

Quibus postremis maximè verbis refellitur illa exceptio, qua cæteris testimonijs suprà relatis occurri potest, concordiam illam Vigilij à Græcis ostendi, quam in Synodo ipsa venditarunt, iudicato videlicet eius testificatam, & Synodo anteriorem.

8 Cùm Vigilius ergo, Pelagius sanè indubitatissimè, & Gregorius, aliique Pontifices Romani, ac demum Occidentales consenserint quintæ Synodo: idne dispensationi tantummodo, an elucidatæ veritatis iudicio adscribendum est?

Memini, quid vir doctus scripserit: [Præstat vtilitas publica priuatæ; & vt dogma sanum in Ecclesia obtineat, quàm vt vnus aliquis fuitè tantùm olim errans, aut etiam per calumniam hæresis notā aspersus, parcente Ecclesia eius memoriæ, bonum retineat nomen. Censetur in eiusmodi permissum tantùm, si quid materialitèr, vt vocant, accidit mali. Quòd nec innocens iamque regnans cum Deo, vt est ordinatè affectus, canonicè illatum detrectauerit.]

Pergitque pluribus asserere, posse, vt fidei, & vtilitati Ecclesiarum publicè cautum sit; mortuis etiam immerentibus, & calumniam passis hæreseos anathema impingi ex dispensatione.

9 Quod attinet tamen ad hoc negotium, potuisse in eo explicari dispensationem, vt vel nocentibus ignosceretur, nequaquam autem, vt innoxiis canonica imprimeretur infamia; nec nisi elucidata veritate, potuisse damnationi trium Capitulorum, seu quintæ Synodo subscribi, sanior, & ipsissima Romanorum Pontificum sententia est.

Vigilius quippe ipse in primis in epistola ad Eutychium quintæ Synodi confirmatrice, eius definitioni se tandem consentire ait, [reuelante Domino, & veritate inuestigata, &c. Pudori esse non debere, cùm ea, quæ ab initio omissa studio deindè veritatis inueniuntur, &c. Patres, & maximè Augustinum propria scripta retractasse; & illa quæ omiserat, ac deindè inuenerat, addidisse.]

Varia hic ex Theodoro Mopsuesteno decerpit eorum poenam, & ita illi anathema dicit, itemque Theodoreti in Cyrillum scriptis, & Ibæ epistolæ. Et demùm addit, [Quin etiam quemcumque, qui crediderit, aliquo vllo tempore ea capitula debere suscipi, vel defendi, vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subuertere, simili anathemati subijcimus.] Omnis hic execratio non dispensationi, sed inuestigatę veritati tribuitur, & tribuenda docetur.

10 Idem luculentissimè Pelagius Papa exequitur epist. 7. ad Episcopos Istrię, qui diutiùs Latinorum omnium, & ipsorum Romæ Pontificum conflictatione, schismatis sui pertinaciam obumbrabant. Quos acutè ipse, & solidè, indidem reuincit: [Res, quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippè homines, & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognouerunt. Et tantò eis celeriùs credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quieuit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret: si ausu præcipiti, priùs quàm verum cognoscerent, consensissent. At postquam diù ab eis laboratum est, & longo tempore ad iniurias vsque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repentè non relinquerent, nisi quæ vera sint, agnouissent.]

Sola veritatis luce victos cessisse vides, alinqui non cessuros. Quod illustat mox exemplo Pauli Apostoli, cuius pristina reluctatio veritati Euangelij suffragatur.

Non fregisset enim tam indomitam Pauli contumaciam, nisi ineluctabile quoddam lumen veri: [Fidem enim, cui tantò priùs tempore restiterat, postmodum sine magnę rationis certitudine non tenebat.

Ità, & Petro tantò impensiùs credendum fuisse ait, Gentibus Ecclesiam pandenti, quod antea ipsemet restiterat; [Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud cum veritas quæreretur, aliud autem inuenta veritate dictum est: cur mutatio sententię huic Sedi in crimine obijcitur, quæ à cunctaEcclesia humiliter in eius auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deserens, verba permutet?]

Subijcit Dei ipsius persæpè non mutari consilium, sed sententiam, & ipsummet Saulis regno inuncti pęnituisse. Tùm coaceruat operum damnatorum testimonia meritò confixa.

11 Accedat bis Gregorius Papa l. lib. 6. ep. 31. [Historiam Sozomeni Sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimiùm laudat: atque vsque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo vt si quis illam historiam recepit, synodo quæpiam memoriæ Iustiniani temporibus facta est de tribus Capitulis, contradicat. Qui verò huic contradicere non valeat illam historiam necesse est vt repellat.

Vides

Vides quintę Synodo non posse contrà quemquam dicere; contrà autem dici, si laudibus Theodori fides adijciatur.

Et idem ipse in ep. ad Episc. Hiberniæ. [In Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est, apertè liquet nihil de fide conuulsum esse, vel aliquatenùs imminutatum; sed sicut scitis de quibusdam illic solummodo personis est actitatum; quarum vna, cuius scripta euidenter à rectitudine Catholicæ fidei deuiabant, non iniustè damnata est.

12 Incassùm ergo cauillantur aliqui potuisse, seu Istros, seu Hibernos, seu Afros, seu quosuis alios trium priùs Capitulorum defensores, & quintæ Synodo subscribere, & Ecclesiæ vnitati recolligi; etsi suam illam non exuerent opinationem, atque errasse Synodum in illa definitione sentire pergerent, vt quæ ad facta, & personas, non ad fidem pertineret. Si res enim ita haberet, eccur Vigilius, Pelagius, Gregorius, inuestigata demùm veritate, Ecclesiam Romanam Synodo consensisse inculcant? Cur Sedes Romana, & Occidentalis Ecclesia tot labores exhausit, & ærumnas, dum sibi veritas dilucesceret, si erranti in facti iudicijs Synodo fas erat subscribere, & tantas lucrari calamitates? Eccur nec Istriæ, nec Hiberniæ, nec Africæ Episcopis vmquam in tam diutina iactatione, scintillauit hæc scholasticæ distinctionis lux, vt tam breui compendio schisma sedarent? Eccur Pelagius, Gregoriusq; & alij Pontifices, tam luculentis tractatibus, & epistolis bellaces schismaticos expugnare aggressi, non vmquam tam bellam pacis restituendæ artem, & tam expeditam explicuere?

13 Vtrisque enim, Pontificibus inquam, & Schismaticis illud conueniebat, illud conueniebat, illud erat persuasissimum, nec damnari potuisse auctores, librosue auctorum vllos, nisi explorata veritate; nec Synodo eos damnanti subscribi, Ecclesiæ Synodum amplexanti communicari, nisi ab ijs, qui in his omnibus liquidam veritatem radicare certò scirent, aut vtcumque crederent.

Vndè Anastasius Bibliothecarius in Sergio Papa ad ann. 632. [Huius temporibus Aquileiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Synodus, quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum vniuersale Concilium, vtpotè errantes suscipere diffidebant: eiusdem beatissimi Papæ monitis, atque doctrinis instructi, conuersi sunt; ijdemque venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt. Et qui priùs sub erroris vitio tenebantur, doctrina Apostolicæ Sedis illuminati, cum pace consonantes veritati, ad propria relaxati sunt. Vides non recolligi, nisi suscipientes Concilium: non suscipere autem, nisi monitis, & doctrinis instructos, doctrina Apostolicæ Sedis illuminatos, consonantes veritati.

14 Vnum video nobis obiectari ante alios Gregorium, qui sileri in totum posse memoriam quintæ Synodi insinuet, lib. 3. epist. 37. ad Constantium Episcopum Mediolanensem; [Quod autem scripsistis, qui epistolam meam Reginæ Theodolindæ transmittere minimè voluistis, pro eo, quòd in ea quinta synodus nominabatur, si eam exindè scandalizari posse credidistis, rectè factum est, vt minimè transmitteretis. Vndè nunc ità facimus, sicut vobis placuit, vt quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ in Constantinopoli postmodùm facta est, quæ à multis Quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contrà quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit. Quippè quia in ea de personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est. Nos tamen, sicut voluistis, ità fecimus, vt eiusdem Synodi nullam memoriam faceremus. Sed, & de Episcopis, quæ scripsistis, prædictæ filiæ nostræ Reginæ scripsimus.]

Ne scandalizetur Regina, nec verbum ad eam facit de quinta Synodo.

Posset addi, & epist. 2. lib. 5. vbi Mariniani Episcopi, quasi Synodo Chalcedonensi infesti oblocutoribus, non aliud satisfactionis ergo respondet, quàm quatuor ipsum Synodis adherescere.

Et lib. 7. Epis. 5. ad Brunechildem Reginam Francorum, schismaticorum imperitiam execratur, profiteturque aduersùs eorum sycophantias, se, & Ecclesiam vniuersam Chalcedonensi Synodo penitissimè assentiri.

Recurre, si voles, & ad epist. 12. Pelagij Papæ primi; ad Childebertum Francorum Regem, vbi eadem dispensatione vtentem audies, & confitentem, [Constantinopoli quædam capitula extrà fidem fuisse agitata, de quibus longum est, vt epistolari possint complecti sermone. Hoc breuiter ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus consistentium, faciendum esse perspeximus, dicentes anathematizare nos, quicumque ab illa fide declinauerit, quam Papa Leo, & Chalcedonense Concilium suscepit.]

De quinta Synodo nil præterea differit, aut satagit Gallis inculcare Regibus, & Episcopis.

Et epist. 16. ad eundem, pro auferendo suspicionis scandalo, mittit; vt rogatus fuerat, tomum Papæ Leonis, & suam ipsius fidei confessionem.

Et epist. 13. ad Episcopos Thusciæ, ab vniuersali Ecclesia diuulsos scripta, nihil aliud, quàm schismatis fœditatem improperat, ne cui possit fidei suæ remanere suspicio, profitetur se amplecti quatuor generales Synodos, & ipsam maximè Chalcedonensis Synodi, & Leonis fidem.

Denique epistola 14. quæ encyclica est ad vniuersum populum Dei, aduersùs suspiciones in suam fidem concitas quatuor similiter Synodos amplecti se testificatur, de quinta tacet. Theodoretum, & Ibam Catholicis annumerat. Adde Cassiodorum, qui quatuor laudat Synodos, quintam silet.

15 Itaque in Italia, & Gallia videtur ipsorum assensu Pontificum Romanorum,

quatuor Synodorum explenduisse, quintæ autem memoria silentio, & latebris penè sepulta iacuisse.

Iam in Hispanias iter moliamur. Concilium Bracharense II. an. 572. quatuor Synodos generales nominatim commendat, quintam omittit.

Toletanum III. an. 589. coaluit, in quo primùm fidei tomus à Rege porrectus legitur, quo post adorata quatuor Concilia, additur, [Omnium quoque orthodoxorum venerabilium sacerdorum Concilia, quæ à suprascriptis sanctis quatuor Concilijs fidei puritate non dissonant, pari venerationc obseruo.]

Et Synodus ipsa in fidei suæ confessione, cap. 11. [Quicumque aliam fidem, & communionem Catholicam præter Ecclesiasticam vniuersalem esse crediderit, illam dicimus Ecclesiam, quæ Nicœni, Constantinopolitani, Ephesini primi, & Chalcedonensis Concilij decreta tenet pariter, & honorat, anathema sit.]

Idem sonat, & c. 19. 20. 21. Ac rursùm cap. 22. [Qui Concilia omnia Episcoporum orthodoxorum, consona Concilijs Nicœno, Constantinopolitano, primo Ephesino, & Chalcedonensi non recipit, anathema sit.]

Concil. Toletan. XI. XII. VIII. quatuor similiter Conciliorum fidem limpidissimè venerantur. Conc. Tolet. XIV. ann. Christi 684. acta Sextæ Synodi à Romano Pontifice ad se transmissa suscipit, [vt consona Nicœnæ quidem, Constantinopolitanæ, vel Ephesinæ fidei; Chalcedonensi verò tam vnita, vt ipsis verbis edita, vel libata. Et ideò supradicti acta Concilii in tantùm à nobis veneranda sunt, & recipienda constabunt, in quantùm à præmissis Conciliis non discedunt, &c. Post Chalcedonense igitur Concilium, hæc debito honore, loco, & ordine collocanda sunt, vt cuius glorioso themate fulgeor, ei, & loci, & ordinis coaptentur honore.]

Itaque præter silentium affectatios, videri posset quinta Synodus loco moueri, & in quintum locum nomenque; post Chalcedonensem Synodum subrogari illa, quæ Monothelelas prostrauit.

Leo sanè Secundus, cùm ad Hispanos de subscribendis Synodi sextæ actis scriberet, disertam de quinque generalibus aliis Synodis fecerat mentionem.

Deinque Tolet. XV. ano. 688. quatuor tantùm Synodi commemorantur priores: Itemque Tolet. XVI. ann. 693. vbi tamen subiicitur reliquorum Conciliorum edicta suscipienda.

16 Consentaneum his habemus Isidorum Hispalensem l. 6. Orig. cap. 15. vbi cùm sigillatim encomium quatuor texuisset Synodorum, adiecit, [Hæ quatuor sunt Synodi principales fidei doctrinam plenissimè prædicantes; sed & si qua sunt Concilia, quæ Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem, omni manent stabilita vigore.]

Et rursùs in Chronico, [Iustinianus Acephalorum hæresin suscipiens, omnes in regno suo Episcopos, tria Chalcedonensis Synodi capitula damnare compellit.]

Et idem ipse in l. de Viris Illust. cap. 4. [Theodorus Mopsuestenæ vrbis Episcopus, irà clarè, copioseque scientiæ doctrinæ refulsisse refertur, &c. Hunc Acephalorum Episcopi in præiudicio Chalcedonensis Concilii, Iustiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba, & Theodoreto Episcopis consueuerunt. Dum constet eum laudabilium virorum testimonijs clarisime Ecclesiæ doctorem fuisse.]

Et cap. 31. Iustinianus Imperator condidit rescriptum contra Illiricanam Synodum, & aduersùs Africanos Episcopos, Chalcedonensis Synodi defensores peruersò studio, in quo tria Capitula damnare contendit.

Et cap. 32. [Facundus Afer Hermianensis Ecclesiæ Episcopus, duodecim libros pro defensione trium Capitulorum scripsit, quorum stylo elicuit, præfata tria Capitula in præscriptione Apostolicæ fidei, & Chalcedonensis Synodi impugnatione fuisse damnata.]

Vide & caput 38. de Victore Tunnensi Episcopo, eorundem capitulorum propugnatore inexpugnabili.

17 Ex his omnibus illud primum efficitur, quod antea expugnare nitebamur, non posse infligi subscriptis, seu scriptoribus anathema, nisi hæreseos, vel erroris eorũ conscientia, & veritate elucidata. Non Galli enim, non Hispani, non Itali abhorruissent tandiu à quinta Synodo, si amplecti se illam tutò posse existimassent, salua æstimatione, quam habebant de tribus Capitulis, & quam ex Chalcedonensi Synodo hausisse sibi videbantur. Hactenùs ergò explosisse illos sufficiat, qui Synodo subscriptionem, & reuerentiam adhiberi posse, ac iuramenti etiam professionem blaterant, tametsi interior animi assensio sustineatur, aut omninò abscindatur.

18 Sed illud iam extricandum est, qui Itali, & Galli, sed Hispani maximè; quamuis tandiù quintam Synodum nescierint, aut horruerint, à catholicæ tamen vnitatis vinculo non exilisse existimentur. Recurrit nimirum illud, quod adstructum est iam suprà: ex dispensatione non posse quidem immerentibus irrogari, sed posse merentibus non irrogari damnationem. Dispensationis autem hoc totum fuisse, ne videamur temerè diuinasse, docebit nos auctor omni exceptione maior Pelagius primus epist. 13. encyclica ad omnem Ecclesiam, hoc est, ad eorum sanandam ægritudinem, qui inanibus de læsa fide suspicionibus, à sinu Ecclesiæ dissiliebant: [Et possemus quidem totius causæ rationes ad sedandos rumores hominum, diuina nobis cooperante misericordia, fiducialiter explicare: nihilque contrà fidem Patrum, contràque quatuor Synodorum firmitatem, vllatenùs esse tentatum, lucidissimis probationibus demonstrare: magisque id actum, vt memoratarum Synodorum firmitas aduersùs omnes inimicos immobili soliditate consisteret. Sed quia hoc his, qui lacte potiùs, quàm solido cibo no-

bo nutriendi sunt, necessarium esse non duximus: vt sicut Doctor gentium dicit, inter perfectos loquenda sit sapientia. Hoc interim, quod etiam paruulis abundè sufficiat, ad notitiam omnium deferendum esse perspeximus. Id autem, est vt fidem meam, &c. Subijcit hanc fidei suę summam, se indiuulsè adhærere quatuor Synodis, maximè Chalcedonensi, omnes ab illis absolutos, sibi orthodoxos esse.

Huius ergo dispensationes lacte, non solido sapientię cibo, veluti paruulis succurrendum esse docet, vt quintæ Synodi rationes, & præsidia ibi ad fidem muniendam instructa sileat; admoneat autem, & persuadeat, nihil contrà Chalcedonensem Synodum tentatum esse; vt ne eo prætextu ab Ecclesia se quisquam diuellat.

19 Idem dispensationis argumentum exculpitur ex epistola 5. Pelagij II. ad Episcopos Istriæ: [Facilè sentietis, quantum sit periculum pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione capitulorum, tamdiù ab vniuersali Ecclesia segregari. Et mox: Quam ante Dominum poteritis habere fiduciam, quando nullum scandalum generari vobis de fidei nostræ integritate cernentes, tantis temporibus ob superfluas quæstiones ab Ecclesia Dei, quæ vna est, & à fraterna charitate vos diuidi curatis. Et tandem; Dirigemus, à quibus plenissimam satisfactionem capiatis: ne ampliùs animæ simplices diuisæ à sancta Ecclesia pro superfluis quæstionibus tam longa obstinatione remaneant.] Iterum, iterumque superfluas esse has quęstiones admonet, nec simplicibus hinc offendiculum obijciendum. Dispensatoriè ergo supersederi poterat à superfluarum rerum mentione, nec simplicitas omnium vbique fidelium his erat ambagibus implicanda.

20 Sed & Gregorius in laudata ad Constantium Mediolan. Episc. epistola, remissione vtendum, & venia, & œconomico silentio fatetur, ne Regina Theodelinda scandalizetur. At idem ipse eadem epistola ostendit, si quis Episcopus iuraret non esse à se damnata tria Capitula, eum ab vniuersali Ecclesia alienum fore. [In graui vos mœrore esse perspeximus, maximè propter Episcopum, & ciues Brixiæ, qui vobis mandant, vt eis epistolam transmittatis, in qua iurare debeatis, vos tria Capitula minimè damnasse. Quod si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, à vobis quæri non debet. Si autem fecit, aut cum vniuersal● Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ iuramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus sacramenta seruasse, atque in vnitate Ecclesiæ Catholicæ permansisse, dubium non est, quòd nulli Episcoporum suorum iurauerit, se tria Capitula minimè damnasse.

Suadet mox Brixiensibus, vt satisfaciat, & scandalum amoliatur, rescribat, à se recipi, quos recepit: damnari, quos damnauit Concilium Chalcedonense, libros auctoresque. Vbi perspicis ad Reginam, & ciues adhiberi œconomicam taciturnitatem, & quintam sileri Synodum: quòd superfluis eos inserere nihil prodesset, obesset quandoque: at Episcopum Mediolanensem defectionis ab Ecclesia reum fore, si trium Capitulorum damnationem reuocasset.

21 Huc quoque spectat Cyrilli Alexandrini epistola ad Acacium Melitenæ Episcopum de Theodoro Mopsuesteno, cuius iam tum scriptis, & nomini anathema quidam præfestiuo zelo intentabant. Dispensatiuè autem Cyrillus abstineri ab anathemate intorquendo debere censet, ne paci ecclesiasticæ scandalum excitetur. [Confingentes, quæ Nestorij sunt odisse, alio iterum ea introducunt modo; quæ Theodori sunt, admirantes, certè æqualem, magis verò multò peiorem morbum impietatis habentia. Nec enim Theodorus Nestorij fuit discipulus, sed iste illius; & velut ex vno loquuntur ore, & vnum malæ doctrinæ ex suo corde euomunt venenum.] Tum obiurgat eos, qui Theodorum Athanasio, Basilio, alijsque patribus consonantia docuisse mentiebantur. At idem rursùm in epistola ad Proclum Episcopum Constantinopol. eadem de Theodori pestifera doctrina præfatus, subijcit: [Sciat tua sanctitas, quòd prolata apud sanctam Synodum expositione ab eo composita, sicut dicebant, qui protulerunt, nihil sanum habente; reprobauit quidem eam sancta Synodus, vtpotè peruersis plenam intellectibus, & Nestorianam impietatem quasi effluentem: his verò condemnatis, qui sic sapiunt, nullam viri memoriam fecerat *oiconomicos*: nec ipsum nominatim anathemati subiecit propter *oiconomian*, ne quidam ad existimationem viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesijs separarent. Dispensatio verò in his optima res est, & sapiens.

Non Cyrilli igitur tantùm, quæ permagna vtique est, sed Ephesini primi Concilij auctoritate dispensatum olim id fuerat, vt Theodoro fulminando abstineretur, etsi illum constaret pleno ore Nestorianum virus eructasse. Quin ergo, & Occidens hanc amplexaretur obuijs, vt aiunt, vlnis dispensationem, quæ Cyrillo, quæ Ephesinæ, quæ Chalcedonensi posteà Synodo arriserat? Et vbi Romanus Pontifex cœperat quintæ Græcorum Synodo adglutinari, quin pergeret Occidentis pars ingens eandem retentare dispensationem, si non posse citra scandalum damnari suis in Ecclesijs tria Capitula experiebatur? Itaque si in Oriente priùs potuit sine scandalo damnari triceps illud monstrum, quàm in Occidente; debuit illic priùs damnari, quàm istic. Si in Italia, vt Romano Pontifici proximiore, & seqaciore, antè potuit, quàm in Gallia, præuerti discrimen scandali; debuit & ibi antè damnatio trium Capitulorum promulgari. Si in Hispania, vt in extremos Orbis Occidui fines proiecta, non potuit, nisi ægrè, & tardissimè sanari scandalum ab hac damnatione pullulaturum; diuturnior ibi dispensatio retinenda fuit. Ità porrò rem habuisse, ipse seculorum rerumque gestarum decursus prodidit. Hæc ergo tanta, & tam

in

io speciem discors varietas, ad vnum, & eundem religata cardinem fuit, vt nefaria scripta, & nomina, vbi sine scandalo possent, damnarentur: vbi sine scandalo non possent, aut nondum possent, non omnino, aut nondum proscriberentur.

22 Sed ex re erit adscribere, quæ consequenter disserit Cyrillus: [Si adhuc in viuis esset Theodorus, & suffragari vellet ijs, quæ ipse scripsit, anathema etiam in propria persona subisset. Quoniam verò ad Deum abijt, sufficit, vt ego puto, ea, quæ absurdè ab ipso scripta sunt, reijci ab ijs, qui rectè sentiunt, cùm in eius incidunt libros; cùm vlteriùs progredi tumultuum occasiones nonnumquam pariat. Et per alium verò modum anathematizatis,& ejectis Nestorij blasphemijs, vnà cum eis ejecta sunt, & quæ illius sunt, plurimam habentia ad ista consonantiam. Et siquidem hoc agerent indubitanter per Orientem, nullumque esset tumultum indè sperare, dicebam vtique nullum esse impedimentum, nunc exigi eos etiam in scriptis hoc facere: Si verò, sicut scribit Ioannes Antiochiæ Episcopus, eligant vtique magis comburi, quàm aliquid eiusmodi peragere; quare flammam sopitam resuscitamus, sedatosque tumultus non opportunè commouemus; ne forsitan vmquam vltima primis peiora inueniantur? Et hæc dico vehementer increpans, quæ scripsit Theodorus, timens verò futuros propter eam rem à quibusdam tumultus.] Ampliatio hæc quædam est dispensationis, vt non tantùm à nomine Theodori inurendo abstineatur, sed ne doctrinæ quidem eius damnationi subscribere cogantur, qui cogi ad id sine tumultuationis, & schismatis discrimine non possunt. Quod nimirùm sufficiat ad hos in officio, & fidei Catholicæ sinu continendos, vt Nestorianam luem detestentur, qua,& Theodoriana continetur. Similiter ergo Romani Pontifices ad quosdam primùm Italos, plures Gallos, Hispanos longè plurimos fidei, & vnitatis vinculo constringendos, abundè id esse duxerunt, vt in Nestorij dogmate proscribendo, tria quoque capitula eo implicita inopini proscriberent: quando aliud tum impetrare per pacis charitatem non licebat. Si quis autem adhuc stupeat, tam diuturno silentio, & dispensationi consensisse Pontifices: reponendum ei rursùs erit, quod Cyrillus Theodori damnationem vrgentibus iubet inculcari; [potest etiam ijs, qui hæc petierunt, dispensatio rei enarrari: vt quiescere malint, quàm Ecclesijs scandali occasionem præbere.

23 Nec ea tantùm ratione Hispani, Galliqne trium Capitulorum damnationi subscribebant taciti, & inopini, quòd Nestoriano infecta errori ea erant: sed illa etiam contemplatione, quòd Ecclesiæ vniuersæ, & specialiter Romanæ, quæ tria damnabat Capitula, communicarent. Cùm enim secessissent ab Ecclesiæ Catholicæ communione, qui tria Capitula præfractiùs defendebant: hi ex aduerso annuebant vtique eorum damnationi, qui eius auctoribus, & sequacibus communicabant. Et hæc tursùs quædam est via,& ratio dispensationis, cùm non importuna vis infertur, sed clementi indulgetur aliquid interpretationi. Ità Cyrillus idem ad Maximum Diaconum Antiochenum, vetat exigi à Nestorij olim fautoribus, vt ei disertè, & coràm renuntient: remissiùs enim agendum, vt cum fidelibus conueniendo, eo testentur se præteritorum pœnitentia affici. [Perpendat æquitas tua, vtrum tandem, qui dicuntur conuenire, palàm, atque impudenter Nestoriana, & sentiant, & cum alijs etiam loquantur. An aliquando quidem cauteriatam habuerint conscientiam, nunc autem ideò conueniant, quòd ipsos pœnituerit errarorum, quibus semel abrepti fuerant, pudeat autem fortassè lapsum suum fateri. Solet enim ferè tale quiddam ijs, qui decepti sunt, vsuuenire, &c. Oeconomiæ gratia, ne nimia vtamur diligentia in eos, qui resipiscunt. Res enim magna indiget dispensatione.] Etsi igitur fateri nolint lapsum suum, indulgendam veniam illis censet, qui palàm cùm Nestorio sentire, & garrire desierint, confluant autem in Ecclesiæ Catholicæ Synaxes. Per Catholicos autem Episcopos licuisse defensoribus Capitulorum, immò vim adhibitam fuisse, vt ab Ecclesiæ communione non discederent, etsi à damnatione Capitulorum assensionem suam sustinere, vel etiam alienare pergerent: colligunt quidam ex his Facundi verbis: [Cùm constituerint, vt si quis non anathematizat memoratam venerabilis Ibæ epistolam, anathema sit: considera, quæso, cuius leuitatis, cuius confusionis est, atque dedecoris, vt nos sibi communicare compellant, permanentes in ea sententia, qua non solùm anathema ei non dicimus; sed etiam negamus esse dicendum.] Quibus contrà occurrimus in hunc modum. Primò vt communicare cum Ecclesia Catholica compellerentur, ea quidem vis inferebatur à damnatoribus Capitulorum, vt autem permanerent in ea sententia, qua damnari ea posse negarent, non ea licentia à Catholicis indulgebatur, sed mera illa erat defensorum contumacia,& Facundi interpretatio. Nec aliud sonant verba ipsa Facundi: cui permanentes idem sonat, ac permanere certos, non permanere permissos. Alioqui nec in quintæ Synodi actis tam prolixis, nec in Vigilij, Pelagij, Gregorijque epistolis tam frequentibus,& tam copiosis vllum existet verbulum, quò huiusmodi copia dissentiendi, & communicandi concedatur, qua tamen nihil crebrius inculcandum, quia nihil tempestiuius fuisset.

Secundò. Eo autem colore illudit, vel illuditur Facundus, quòd Catholici ad communionem tantùm expressè vrgerent: cui nempè implicatam esse reliquam omnem consensionem intelligebant ipsi, confitebantur aduersarij. Itaque quibus persuasum erat communione cum damnatoribus Capitulorum contineri eorundem damnationem, vt Facundo, & omnibus qui secesserunt, persuasum fuisse vides: illis vna maximè omnium plausibilis, atque popularis ingerenda erat, vel extorquenda

communio. Damnatio enim Capitulorum eos exulceraverat: causa communionis, nec in quæstionem veniat: ergo cùm vtraque conserta communi præiudicio esset, huius lenocinio illius asperitas mitigabatur.

Tertiò: Iniquum ergo est ex vnico testimonio, & quidem aduersarij, & quidem in contrarium sensum æquè versatili, colligere rem tanti momenti, quam Pelagius, Gregorius, alijsque Antistites, qui in Schismaticis reuocandis tantopere desudarunt, sexcenties debuerant inculcare, si per veritatem, & conscientiam licuisset. At ex aduerso Pontifices isti ad nauseam vsque ingerunt, & congestis testimonijs extundunt id, vt manifestæ veritati, hoc est, Capitulorum damnationi consentiatur.

Quartò: Sententia Facundi, & omnium eius affeclarum ea erat, vibrato anathemate in tria Capitula, & in eorum vindices, ipsam Synodum Chalcedonensem sauciatam esse, & anathematizatam. Nec enim tanta de sensu Capitulorum sano, vel insano, atque de Chalcedonensi Synodo eorum propugnatrice, vel oppugnatrice controuersia feruebat. An ergo copiam fecissent Catholici assertoribus Capitulorum in ea sententia permanere, damnatione Capitulorum, damnatam esse Chalcedonensem Synodum?

Quintò: Quin defensores Capitulorum exemplo Vigilij complures hæretica esse Capitula confitebantur, damnari vetabant tamen, ne eadem infamia respergeretur Synodus Chalcedonensis. An ergo, & his veniam fecissent Catholici Antistites permanendi in ea sententia? An concessissent, Ecclesiam, cui communicatent, proditæ, & infamatæ Chalcedonensis Synodi insimulari? Necessum erat vtique eam Ecclesiam, cuius communio prehensaretur, à tam nefariæ proditionis suspicione absolui.

24 Vt remissione porrò vteretur Ecclesia in eos, qui Synodo in Oriente, & in Ecclesia iam Romana promulgatæ non disertè, & expressè consentirent, multæ prætereà causæ suberant. Nec enim de fide noui quidquam definitum fuerat: sed prisca dogmata erant confirmata, quibus & ipsi ex animo hærebant.

Deindè per summam vim, & Imperatoriæ dominationis impotentissimam audaciam, canonum maiestas, & Ecclesiarum libertas fuerat violata. Consule sis Facundum, Liberatum, Epistolam Cleri Romani legatarijs Francorum datam, epistolas ipsas Vigilij Papæ, & monumenta illorum temporum omnia. Exasperatę his contumelijs mentes, mitigandæ pedetentim erant, non ad repentinum assensum præcipitandæ. Ad hæc aliquandiù dissenserat Synodo iam terminatæ Vigilius, fortassis, & ante assensum viuia excesserat. Serò Romana ipsa Sedes accesserat quintæ Synodo.

Consentaneum ergo erat, & ingentibus Galliarum, atque Hispaniarum Ecclesijs tempus similiter prorogari, & moram condonari diuturniorem, dum truculentæ tempestatis æstus deferuesceret, fluctus dubitationum & suspicionum sedarentur. Non erat vllius culpæ affinis, aut Vigilius, aut Sedes Romana, dum sustinebat assensum suum, quia Oecumenica non erat Synodus, cui ipsa nondum robur addebat.

Ità Gallicanis, Hispaniensibusque Ecclesijs nondum Oecumenica videbatur fortassis Synodus, quam consensione sua nondum fecerant Oecumenicam. Quippè vt olim particulares Galliç, Hispaniæ, aliarumque Occidentis regionum conueniebant Synodi, & conspiratione sua præibant accedenti postea Græcanico Concilio; & ità vniuersali Ecclesiæ totius concentu consurgebat Oecumenici auctoritas Concilij: ità nunc præiuit Græcanica Synodus, cui subindè aliæ, & aliæ consecutæ Synodi Occidentales accessere, vt omnium ex vnanimi suffragatione existeret, atque emineret Oecumenicum Concilium.

25 Nec negotium debet facessere consensus Sedis Apostolicæ, quasi statim eius accessione Oecumenicam auctoritatem assecuta sit quinta Synodus: & proindè statim abrumpere contra tionem suam Galli, & Hispani debuerint. Contrà enim, clementia vti licuit, & venia, quam ipsa vltrò Sedes Apostolica ingerebat.

Nec enim, vt ex Pelagij vtriusque, & Gregorij Magni epistolis suprà relatis dilucidum est, quintæ Synodo subscribere, Oecumenicis eam annumerare Concilijs, tria Capitula verbis cóncepris quemquam damnare adhuc cogebant Romani Præsules.

Quin illud vnum ebblandiri satagebant, ne quis eos, vel Ecclesiam Catholicam calumniaretur, fidei orthodoxæ, vel Chalcedonensi Synodo derogasse; neue eo prætextu ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis semet abrumperet.

Ideò quatuor Synodos semper illi seorsim laudant effusissimè, tum illam quoque nuperam à calumnijs laborant vendicare.

Ideò Gregorius disertè illam nihil de fide egisse admonuit.

Ideò Pelagius superfluas fuisse has quæstiones persæpè affirmauit.

Ideò rursùm Gregorius alicubi non quintam dixit, sed quintam à quibusdam dici aduertit. Remissiùs vtique & œconomicè agendum erat, vt paulatim mansuescerent efferatæ hominum mentes; & tandem laudarent eam Synodum, cuius laudatricem Ecclesiam Romanam, & Catholicam amplexabantur.

Ideò denique nusquam ad Hispanos, vel Gallos Pelagius, & Gregorius, sed ad Istros, & Hibernos prolixas elucubrauere Apologias quintæ Synodi: quòd hi ab ea, & eius sectatrice Ecclesia secessissent; illi eam silebant, ab illa clandestinis suspicionibus subalienati erant, illam tamen in Ecclesiæ vnitate eam sectante sectabantur.

26 Nec statim potest quisque blandiri sibi; & prout collibuerit, vel quintam Synodum, vel aliam quamcumque definitionem tota Ecclesia receptissimam aspernari.

Nam

Nam illi rum necessariò locus est dispensationi, cùm populorum strages auereutendæ sunt: item cùm Pontificum, vel Synodorum decreto, vel tolerantia sancitur hæc venia: non vbi priuatus quisque libidini præfractæ licentiam arrogat.

Innocentius in decretis cap. 56. [Quod necessitas impetrauit, in pace etiam Ecclesiæ constitutæ non possunt præsumere. Vt sæpè accidit, quoties à populis, aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire.]

Et Augustinus epist. 63. [Non aspetè quantum existimo, non duriter, non modo imperioso, ista tolluntur: magis docendo, quàm iubendo; magis mouendo, quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum.]

Et lib. 3. contra Parmen. cap. 2. tum quemque percellendum anathemate docet, [vbi periculum schismatis nullum est, item, Quando cuiusque crimen, ità notum est omnibus, & omnibus execrabile appareat, vt vel nullos prorsùs, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere.]

Et ex Apostolo id confirmat, qui ait, satis esse correptionem, quæ fit à multis. [Neque enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cùm ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor, & gemitus.]

Et infrà: [Si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega; quia & impia, & superba fiunt: & plus conturbant infirmos malos, quàm corrigant animosos bonos.] Quibus constat necessariò à Præsulibus annuendam eam dispensationem multitudini, & tantorum vniuersitati populorum.

Hac venia interim gaudebat, florebatque sanctitate Theodorus Cabarsussitanus Episc. qui [defensor trium Capitulorum, exilio ad Vrbem regiam eo die, & mense, quo Iustinianus, moritur; & iuxtà confessores, quibus Vgnericus Wandalorum rex linguas absciderat, sepelitur.] Vt narrat circa finem Chronici Victor Tunonens. si fides tamen illi vbique habenda, partes suas etiam [post synodaliter in Africa exclusum à Catholica communione Vigilium miraculis attolenti.

27 His iuuat calculum adijcere præstantissimi annalium Ecclesiæ Parentis, ad annum 556. num. 1. 2. 3. & ad an. 572. numer. 13. [Adeò visi sunt exhorruisse Occidentales Antistites ferè omnes, aliam Oecumenicam Synodum post quartam admittere: vt nec potuerit Pelagius reperire Episcopos Romæ, à quibus consecraretur: atque opus fuerit Presbyterum Ostiensem, quod numquam anteà accidisset, loco Episcopi munus illud obire, ipso Pelagio ità iubente. Quantùm enim auersati fuerint Quintam Synodum Occidentales, vel ex Cassiodoro, & alijs possumus intelligere; qui licèt à communione Catholica numquam defecerint, nec eandem quintam Synodum aliquando damnarint: eam tamen silentio prætericrunt, &c. Nemiuem moueat, si Cassiodorus recensens Oecumenicas Synodos, de quinta Synodo nullam habuerit mentionem, sicut & sanctus Gregorius aliquando fecisse visus est, &c. Sic Cassiodorus fecisse cognoscitur, & aliquando etiam sanctus Gregorius Papa, atque Patres Concilij Braccharensis II. &c. Idem alij plures fecisse noscuntur, cùm tamen eidem non contradicerent.]

Vides consensum Sedis Apostolicæ in tam necessariam dispensationem, vbi nihil sibi iure sumit singulorum libido: sed nutus regnorum obseruantur, seu ingentium Ecclesiæ vniuersæ membrorum: quorum vnitati fouendæ nulla nimia, nulla non necessaria dispensatio est. Præter vrgentem autem necessitatem, qua extorquetur quodammodo: euidenti etiam vtilitate exoratur salubris dispensatio: sed ità demùm, vt huius quoque iudicium, arbitriumque penès Catholicos Antistites sit: non à priuato quolibet, non Episcopali Collegio refragante temerè vsurpandum.

28 Verùm indè sibi dissentiendi libertatem aucupantur, quòd vbi de fide nil definitur, vbi de factis tantùm, & personis fertur iudicium, ne ipsa quidem vniuersalis Ecclesia, adeòque nec Synodus œcumenica prærogatiuam sibi arrogat non errandi. Augustinus enim ait, lib. 2. de bapt. cont. Donat. cap. 3. [Et ipsa Concilia, quę per singulas regiones, & prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso Orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.]

Et Innocentius III. in epist. ad Petrum Compostell. Archiep. & apud Gratianum: [Quotiescumque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius Concilij magis teneatur sententia, cuius aut antiquior, aut potior extat auctoritas.] Non inconcussam ergo assensionem flagitant, quæ retractari, emendari, & in contrariam partem reuocari possunt.

Ideò & Pelagius in epist. 7. ad Episcopos Istriæ solius fidei definitionem in Chalcedonensi Synodo factam, irretractabilem esse ex oraculo Leonis Papæ primi demonstrat, reliqua omnia ad noui incudem examinis reuocari posse. [Cùm verò subijcitur à Leone, Quidquid præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem: apertè nobis licentia tribuitur, vt quidquid illic extra fidei causas de personis gestorum est, retractetur. Specialis quippè synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo

ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium reuocetur.]

Et infrà à Thalassio Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, qui affuerat Chalcedonensi Synodo, solam eius Synodi de fide constitutionem, non reliquam gestorum synodalium farraginem, relatam esse ad Cappadociæ Ecclesias cùm retulisset, indè concludit, nec vituperat, [Præter eausam fidei nihil de Synodo in veneratione Thalassium tenuisse: hoc, quod vltra fidem gestum est, nec ipsum, qui fecit, Thalassium tenuisse.]

Et Gregorius lib. 2. ind. 11. epist. 54. [Sancta Chalcedonensis Synodus vsque ad definitionem fidei, & prolationem Canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem Canonum specialia Episcoporum certamina sopire curauit.]

Ex quo argumentatur tria Capitula, quæ ad speciales has causas, & pugnas Episcoporum pertinebant, nouo examini potuisse substerni. Denique vno etiamnunc, & iam olim calculo in id conspirant Magistri scholæ Theologicæ, vt in controuersijs factorum, & personarum dirimendis, & Pontifex, & Synodus, & Ecclesia ipsa vniuersalis aberrare à vero quandoque possit. Quocirca irreuocabilem his decretis fidem non necessariò adijciendam esse.

29 Verùm si licentiam facimus à generalium Conciliorum, & speciatim ab huius quintæ Synodi decretis dissentiendi, seu palàm, seu clam; quorsùm attinebit confessio fidei, qua Synodos generales amplecti, & sequi nos profitemur? Cùm de factis tantùm, & personis hæc quinta Synodus definierit, vbi illam te sequi iuras, vel scribis, num id sine periurio potes, qui animo intus dissentis? Cùm ipsa te Ecclesia ad iurandum, vel subscribendum adigit, num eadem copiam interim facit dissentiendi? Quid hoc monstri est? An Ecclesia, & non sequi permittit, & ad eam sequendam te iuramento adigit? Cùm quinta Synodus id vnum definiat: [Si quis defendit impium Theodorum, & impia eius conscripta, & non anathematizat ea, & impia eius conscripta, & omnes, qui suscipiunt, & defendunt eum, &c. talis anathema sit. Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, &c. & non anathematizat ea, & eos, qui similia eis sapuerunt, anathema sit:] vbi huic Synodo, vel iuramento, vel manu subscribis, si talium scripta defendis, quomodò non tuo te ipse anathemate innodas? Defendis enim, & anathema in defensores vibras.

Vigilius similiter in epistola quintæ Synodi, vel potiùs damnationis Capitulorum confirmatrice: [Quinetiam quemcumque, qui crediderit aliquo vllo tempore ea Capitula debere suscipi, aut defendi: vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subuertere, simili anathemati subijcimus.]

Et mox: [Quæ verò, aut à me, aut ab alijs ad defensionem prædictorum trium Capitulorum facta sunt, præsentis huius scripti nostri definitione euacuamus.] ecce vt Capitula damnet, qui ità sentit: at vt defensores eorum damnet, si fas est defendere, id inconcinnum, & insolens est. Aut si fas est damnare defensores, & nefas est defendere.

30 Sed quorum in omnibus posthac fidei confessionibus, solemne, & vsitatissimum fuit, non Synodos tantùm absolutissimè laudare, sed omnes ab ijs damnatos damnare, si nulla istiusmodi damnationibus assentiendi incumbit necessitas? Sophronius in epist. synodica, quæ lecta est act. 11. Synodi sextæ, cùm tria Capitula sigillatim execratus esset: [Vniuersales sanctas quatuor amplector Synodos, super his verò, & hanc quintã honoro, & venero, & cuncta earum lubenter recipio, tam in dogmatibus, & diuersis doctrinis, quàmque hæreticorum anathematibus, & definitionibus. Vnde & comprobo, atque suscipio: quos susceperunt, & probauerunt. Et anathematizo, atque abijcio, quos anathemati subiecerunt, & abiectos à sancta nostra Catholica Ecclesia censuerunt.]

Ità Episcopus Hierosolymitanus. Et in octaua Synodo, act. 10. [Post lectos Canones lecta est eiusdem octauæ Oecumenicæ Synodi definitio, quæ Symbolum fidei, professionemque de septem prioribus Synodis, & anathema eorum, quos illæ Synodi damnarunt, complectitur.]

Beda lib. 4. histor. cap. 17. hæc refert ex Synodo sub Theodoro Cantuar. Archiepisc. [Suscepimus sãctas, & vniuersales quinque Synodos, &c. anathematizamus corde, & ore quos anathematizauerunt, & quos susceperunt, suscepimus.]

Et in Gallicana non aliter Ecclesia, Adalbertus Morinorum Episcopus ordinandus, hanc ante Hincmaro Metropolitano confessionem porrigit: [Sex denique sanctas, & vniuersales de fide Synodos, quas sancta, & Apostolica Ecclesia recipit, me recipere, & venerari profiteor. Nicænam videlicet, &c. Item Constantinopolitanam temporibus Vigilij, &c. Item Constantinopolitanam sub Agathone, &c. Hos autem quicumque ab eisdem sanctis Patribus in memoratis Synodis, vel posteà similiter per Spiritum sanctum sentientibus, diuersis vicibus, literis diuinitùs inspiratis damnati leguntur, eamdem venerandam Patrum auctoritatem sequens, condemno.]

Et in Concilio Triecassino II. an. 878. [Hincmarus Archiepiscopus Remorum respondit, Secundùm sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia consecratos, quos Apostolica Sedes per B. & dominum nostrum Papam, & Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater damnat, damno: quos anathematizat, anathematizo: quos excõmunicat, excommunicatos habeo, &c.]

Et Leo Papa IX. epist. 5. laudatis quatuor generalibus Concilijs, itemque tribus alijs pari modo, addit: [Quidquid supradicta septem sancta, & vniuersalia Concilia senserunt, & collaudauerunt, sentio, & collaudo: & quoscumque anathematizauerunt, anathematizo.]

Si-

Similiter Gregorius VII. lib. 8. epist. 1. post quatuor Conciliorum, & tandem quinti etiam commendationem: [Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuerunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit, aut soluere, quos ligant, aut ligare, quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.]

Et apud Zonaram Nicephorus CP. Episcopus ad Leonem Papam: [Prædictas Synodos Oecumenicas suscipio, &c. demùm quoscumque Ecclesia Catholica recipit, illos ego quoque recipio: & quoscumque illa auersatur, illos, & ego itidem auersor.]

Et iuris Oriental. lib. 6. in Symboli cautione à Metropolitanis præstanda tempore ordinationis: [Rescipio sanctas, & vniuersales septem Synodos, &c. Omnes, quos recipiunt, recipio: quos auersantur, auersor.] Cùm ergo vbique terrarum in vniuersa Ecclesia Catholica id inualuerit, cùm id sacris regulis consonum prædicetur, cùm in id iurati sint omnes Episcopi inter ipsa consecrationis solemnia, vt damnet quisque damnatos à Synodis: quis sibi integrum putet damnatos à Synodis absoluere? Aut quos ore, & manu damnare cogitur, mente purgare? Aut quis talia in Ecclesiam Christi sponsam, & veritatis magistram irrepere potuisse sacramenta & auctorari putet, quibus homines periurio implicarentur? Denique cùm tot iam interlapsa sint seculorum volumina, eccur non aliquis vnus saltem emersit, qui reliquos synodicè damnatos damnaret: Theodorum, vel Theodoretum, vel alium illiusmodi quempiam exciperet, & innoxia, vel sensisse, vel scripsisse proclamaret? Si hanc venerationem maiores nostri hactenùs per tanta annorum spatia synodicis istiusmodi sententijs deuehere, eequid nos audaculi ab eorum religione desciscimus?

31 His adde legem illam, & consuetudinem vetustissimam, vt non errores tantùm, sed auctores ipsi configerentur synodicis decretis, & configendi ab edentibus fidei professionem præciperentur. Quod superuacaneum prorsùs fuisset, & periuriorum laqueis implicatissimum, si licuisset quoad has quæstiones ab Ecclesiæ vniuersalis sententia discrepare.

Leo I. epist. 2. [Vt damnarent Manichæum cum prædicatoribus, & discipulis suis, publica in Ecclesia professione, & manus suæ subscriptione compulimus.]

Et epist. 3. de quibuslibet hæreticis resipiscentibus: [Priùs errores suos, & ipsos auctores eorum damnari à se sine ambiguitate fateantur.]

Vide, & epist. 85. & 86. de Pelagianæ sectæ reliquijs: [Damnent apertis professionibus sui superbi erroris auctores, &c.]

Cœlestinus Papa epist. ad Synodum Ephesinam, post damnationem Nestorij: [Habent, si resipiscunt, copiam reuertendi; quod his solis non permittitur, quos propriè cum auctoribus hæreseos, omnium fratrum constat subscriptione damnatos, &c. Se in nostro collegio nouerint non futuros, nisi secundùm Ecclesiasticam, & Christianorum Principum constitutum, damnata cum auctoribus, socijsque damnatores, se profiteantur Catholicos Sacerdotes.]

Iustinianus in decreto fidei: [Nicæna Synodus eos, qui impiam Arij sectam colunt, sine nomine anathematizauit. Quæ autem Constantinopoli congregata est, impiam Macedonij hæresim similiter condemnauit. Sed tamen sancta Dei Ecclesia, & post mortem, Arium, & Macedonium nominatim anathematizat.] Quæ ille vt mortuis anathema dicuti posse, nos eo promimus, vt errores, auctoresque vna damnationis sententia cooteri solere constet.

Huc refert, quæ suprà in Nicænam, in Ephesinam, & in Chalcedonensem Synodum commentati sumus, vbi patefactum est, non paucos erroris damnationi subscripsisse, qui auctorem non ità sensisse opinarentur; quique Ecclesiastica tandem auctoritate compulsi sunt, auctoribus quoque ipsis nominatim anathema impingere, vt Ario Eusebiani (apud Socratem, causati priùs se restitisse Synodo, cùm eius fidem osculatentur, quòd ab eadem fide Arium diffidere non putarent: L. 1. cap. 10. 19. & apud Nicephorum lib. 8. cap. 18. 43.) Nestorio Theodoretus, & alij, Ægyptij Eutycheti. Cùm hactenùs ergo solemne fuerit Ecclesiæ Catholicæ, Synodisque, non erroribus tantùm, sed ipsis auctorum nominibus exsecrationem indicere: qua ex rima potant aliqui sibi hanc posse affluere licentiam, damnatos auctores absoluendi, hoc est, damnatricem eorum Ecclesiam, & priscas omnes Synodos condemnandi? Nàm etiam quibus aderant non errorum, sed personarum defensores, vt Arium, Nestorium, Eutychetem: etiam ante damnationem præmortuos, & damnauit Ecclesia, & damnare compulit.

32 Libros maximè ipsos hæreticorum proscribere curæ fuit Patribus, Synodisque omnibus. In eam rem exomnis vigilauit sollicitudo Imperatorum, & Pontificum.

Nestorij libros, item Arij, Theodorique quidam erroribus liberabant, vt alibi dictum: in eos tamen, vt hæreseos fomites peræquè lex sacra, & publica sæuijt. Vide Conciliorum omnium generalium acta.

Vide & Nomocanonem Photij Tit. 12. cap. 3. Ecclesia ergo, quæ sibi hanc potestatem vendicat libros incendi hæreticos, nulli potestatem facit, eosdem deinceps defendendi. Cùm vel maximè autem Ecclesia conuenit vniuersa, vel sine conuentu synodico, vniuersa nihilò seciùs detestatur aliquem librum, vt seminarium prophanæ hæreseos: num eundem approbandi cuilibet etiam doctissimo potestatē facit? Quotsùm enim vniuersa conuenit, examinat, definit Ecclesia, si per ipsam mox liceat contrà, vel dicere, vel sentire? Nec doctrinæ priuatam opulentiam potest quisquam prætendere. Quantula enim hæc est, priuata cùm sit, præ vniuersali totius Ecclesiæ sapientia? Præ luce Spiritus sancti Ecclesiam circumfluente, quantilla est singulorum

fax?

fax ? Soli Ecclesiæ quis lumen ingenioli componat, quis præponat ?

Audiant hae delusi suæ sagacitaris insania Augustinum lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 5. [Ideò plerumque doctioribus minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus est maior, comprobetur: vel quo modo teneant vnitatem, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiunt: vel quo modo accipiant veritatem, cùm contra id, quod sentiebat, declaratum esse cognoscunt.]

Audiant saltem Facundum Hermianensem Episcopum, hæc de Ecclesia synodicè collecta edocentem, quæ de eadem vbique sparsa, eodem iure dici possunt, vtpotè & ipsa pariter erroris insolentissima: [Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: Nàm fideliter inuocatus non solùm à sacerdotibus, sed ab omni populo suo, cuius fides, & expectatio ex illorum auctoritate dependet: dam omnibus congregatis vnum cor, & animam vnam, vt nullus eorum suam velit esse sententiam, nisi quæ fuerit veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus, & plures paucioribus, illo eorum medio, cedunt ? Quotiens etiam per nescientes, scientes operatur ipse, qui potest omnia facere, supra quam petimus, aut intelligimus ?] Itâ ille cùm de tribus Capitulis, idest, de factorum, & personarum, vt volunt, quæstionibus res ageretur.

Porrò non Synodo tantùm, sed Ecclesiæ maximè suæ toto Orbe terrarum diffusæ Christus promisit, quòd nobiscum sit omnibus diebus vsque ad consummationem seculi; qui cùm sit omnipotens veritas, mentiri nullatenùs potest, vt idem ibidem subijcit.

Audiant rursùs eundem Facundum lib. 10. cap. 1. regulam figentem emendandi Synodorum iudicij: [Si suspiciones iudiciorum sententiam dicent, nihil omninò est, quod non aliter, atque aliter iudicetur. At isti volunt iudicari tantam Synodum per tantos annos tanta vniuersalis Ecclesiæ pace firmatam: & nihil, quod cognoscamus, sed hoc solum afferunt, quòd pro suo nos velint arbitrio suspicari. Ergo si cupiunt, vt cùm illis hanc Synodum ego quoque reprehendam, tale aliquid ad eam destruendam idoneum requirant, ac proferant, quod tam certum mihi sit, quàm certum mihi est esse me.]

Qui ab Ecclesia libros damnante dissentiunt, vtunturne argumentis tam certis, quàm certi sunt esse se ? Et argumenta si qua certa, & euidentia suppeterent, an ea Ecclesiam præterirent ? Audiant quid Marco Ephesino responsum sit à Iosepho Methonensi Episcopo: [Superba de teipso opinione deceptus, putasti vniuersa te Synodo prudentiorem, & doctiorem esse; quòd extremæ dementiæ argumentum est, vnum scilicet hominem antecellere vniuersis. Esto si vnum cum vno conferas, id enim credibile est; at vniuersa Ecclesia congregata vnum hominem esse præstantiorem, omninò impossibile est. Alioquin & Arius, & Eunomius, & reliqui generalium Conciliorum hostes hoc ipsum dicent.]

Audiant quid in Concilio Basileensi ad Bohemos peroratum sit: [Quis maior vobis honor contingere potest, quàm quòd Sponsa Christi, & Regina adstans à dextris eius iudicet inter vos ? Quæ maior certitudo veritatis, quàm quòd discipula Spiritus sancti sententiam pronunciet ? Quem vnquam fideliorem iudicem inuenire poteritis, quàm amantissimam matrem vestram ? Nolite ergo disputando laborare, nec contendendo verbis alter alterum lacessere. Quid vos multitudine librorum oneratis ? Cur diuersorum magistrorum sententias in medium affertis ? Cur intelligentias vestras humanis inquisitionibus, ac subtilitatibus defatigatis ? Ecce in medio vestri adest magistra, cui Spiritus Domini sensus, mysteria, & arcana aperit Scripturarum. Non mihi opus est iudicando, vt legis peritos aduocem, aut bibliothecas perscruter. Nullius horum consilio opus habeo, cui Dominus consulit. Charitas Domini meum semper intellectum illustrat, & agnus meus Iesus Christus ante me lucernam defert.]

Quæ omnia non ad solas fidei, sed ad omnes Ecclesiæ vniuersæ doctrinales definitiones spectant. Vbique enim Sponsa Christi est, & Spiritus sancti plenitudinem circumgestat, & in medio eius est Christus, & illi vnum aliquem se anteferre insolentissimæ vesaniæ est. Adde quòd ipsis fidei iudicijs coniunctissima est librorum censura.

Nam & Marcus Ephesius, & Bohemi, & omnes denique hæretici non de fide tantùm, sed & de sensu antiquorum Patrum cum Ecclesia Catholica altercabantur. Quibus adeò si largiaris, vt in librorum ab antiquis tractatoribus conscriptorum sententia enucleanda aberrare posse Ecclesiam Catholicam sentiant: prohibere vix iam poteris, quin traditionem sibe vendicent, veritatis fidissimam interpretem.

33 Sed & hoc ipsum Synodi quintæ iudicium, etsi vt volunt, in factis tantùm, & personis versatum sit, vniuersalis tamen Ecclesiæ auctoritate coruscasse, adeòque Christianum neminem ab eo dissentire potuisse, docet Pelagius Papa I. epist. 3. [De Liguribus, atque Veneticis, & Istris Episcopis quid dicam ? Quos idonea est excellentia vestra, & ratione, & potestate reprimere, & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari. Cùm siquid eos de iudicio vniuersalis Synodi, quod Constantinopoli nuper actum est, fortè mouebat: ad Sedem Apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis, qui dare, & accipere rationem possent, dirigere debuerunt: & non clausis oculis Corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare huiusmodi homines principali, vel iudiciali auctoritate comprimere.]

A iudicio vniuersalis Synodi, & Ecclesiæ totius dissentire non sinit; cogit, aut doceri, quæ nesciunt, aut seculari potesta-

te

te coerceri. Et ad eumdem Narsetem Comitem epist. 5. verat eos ad aliam suspirare Synodum, quasi instaurari alia diligentior possit eiusdem rei disceptatio, sed quod ignorant; doceri, vel comprimi. [Nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare. Sed quoties aliquibus dubitatio nascitur, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conueniant: aut si fortè ità obstinati, & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab eisdem Apostolicis Sedibus, aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut secundùm Canones, per seculares comprimi potestates.]

Similiter Gregorius lib. 4. epist. 49. ad Episcopos Istriæ: [Hortor, dilectissimi fratres, vt ad me venire debeatis, dummodo ratione percepta, à concordia sanctæ vniuersalis Ecclesiæ dissensio vos nulla disiociet, &c. Et seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia diuina compunxerit, siue, quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos relaxare curabimus.]

Et ità constantissimè Summi Pontifices Pelagius vterque, & Gregorius, à iudicio quintæ Synodi dissentire neminem, vel ad aliam Synodum prouocare passi sunt; sed quòd iam vniuersalis Ecclesiæ consensione irretractabiliter definita res esset, contrà bacchantibus vnam superesse voluere medicinam, vt docerentur, & eis satisfieret; aut obstinati regia potestate contererentur.

34 Quod vel hinc etiam dilucidiùs fiet, quòd de tribus Capitulis ideò renouari examen potuisse in Synodo quinta testati sunt, quoniam quæ de illis Synodus Chalcedonensis prælibauerat, ea confirmare Leo Papa recusauerat: ac proindè ea dici non poterant Synodi Oecumenicæ, vel vniuersalis Ecclesiæ iudicia; cuiusmodi sola sunt irretractabilia. Pelagius in epist. ad Episcopos Istriæ, ex epistolis Leonis Papæ decerpit segetem vberrimam testimoniorum, qua ostendit: [Nihil se omnimodo de Chalcedonensi Synodo suscipere, nisi quod de sola fide gestum fuerat, &c. Postquam nihil aliud Synodi, nisi fidei definitionem recipit, quid est aliud, nisi quòd cetera, quæ illic specialiter mota sunt, refutauit, &c. Ipse Leo sicut multa superiùs epistolarum eius attestatione docuimus, gesta multiplicia causarum specialium reprobando, auctoritatem Synodi in sola fidei definitione constrinxit, &c. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium reuocetur, &c. Epistolam Ibæ licenter vnusquisque reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent. Quia postquam beato Leone scribente, ius retractandi, & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat, eorum, qui interfuerant, in priuatis negotijs auctoritas, vacuatur.]

Nec aliter epist. 5. [Necesse est, vos omnes epistolas Synodales sollicitè, vigilanterque percurrere, vt euidentiùs agnoscatis, quia sancti Patres nihil aliud de Chalcedonensi Synodo in suis epistolis firmauerunt, nisi vt inuiolabilis fidei definitio seruaretur.]

Profert mox verba Leonis, qui ait, se assensum esse Synodo: [In sola videlicet fidei causa, quod sæpè dicendum, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianissimorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.]

Et mox Pelagius: [Priuatas causas, quæ illic post definitionem fidei actæ sunt, non solùm minimè confirmauit, sed & retractari, atque dijudicari permisit.]

Ergo tametsi de factis, & personis hæc agitata essent iudicia in Synodo Chalcedonensi: retractari tamen neutiquam possent, nisi Leo Papa ea refutasset, adeòque Oecumenicæ Synodi auctoritatem hac in parte detraxisset.

35 Ex aduerso autem vt irretractabilia esse ostenderet Facundus Chalcedonensium Patrum de tribus Capitulis iudicia: à Leone Papa illa demonstrare laborabat confirmata fuisse. [Absit, vt ille vir sanctus licitum sibi putaret, quod non expedire cernebat: & magni sui certaminis palmam postquam vicit, amitteret. Quid enim iam integrum, vel quid constare potest immobile, si tanti Concilij sententia, vel sicut imperfecta suppleri, vel sicut dubia, rursùm discuti videretur? Non autem in sola fidei dubitatione, vel definitione Conciliorum valet auctoritas: verùm etiam in omnibus, quæ pro pacis, & vnitatis obseruantia, cuius maxima sapientibus cura est, modestè ibi fuerint, ac benè composita.]

Et infrà: [Et reuera quis erit contentionum, atque certaminum finis, si de his, quæ totius Ecclesiæ consensione firmata sunt, semel licuerit ferre iudicium? Cur enim non rursùs ipsum iudicium iudicetur. Et ideò prudentissimus vir Leo, nullam penitùs dans occasionem quærentibus, denunciabat dicens, nihil prorsùs de benè compositis retractetur, &c. Si verò beatissimus Leo, quamquis recentioris Concilij, & nulla ante sui decessoris assertione defensi, quidquam in disceptationem reuocare non est passus, quomodo ab alijs credieur quartus decimus successor eius sanctus Vigilius, nouum posse aliquid iudicare?]

Idem rursùs copiosè prosequitur Facundus lib. 12. cap. 2. Vtrisque ergo hinc, & indè id conueniebat, qualiacumque demùm essent illa tria Capitula, non posse de his, quæ totius Ecclesiæ consensione, quæ Leonis Papæ suffragio firmata essent, rursùs iudicium iterari; non debere ipsa iterum iudicia iudicari: sed in eo dissidebant; quòd à Leone Papa, atque adeò ab Occidua, proindèque ab vniuersali Ecclesia, hi affirmarent, illi pernegarent confirmata fuisse decreta Synodi Chalcedonensis de tribus Capitulis: adeòque ad nouum examen trahi potuisse isti dicerent, contrà illi dicerent. In istiusmodi ergo etiam Ecclesiæ totius definitionibus, ne defensores quidem trium Capitulorum eam sibi dissen-

tien-

tiendi, & ad noua reuocandi examina indulgebant licentiam.

Ergo Theodori scripta, Ibæ epistolam, Theodoreti nænias in Cyrillum, si ab aliqua primùm, purâ à quinta Synodo, damnata fuisse, & Romani Præsulis accessisse consensum, Facundus, vel eius gregales tunc audiissent, protinùs subscribendum, & sibi, & omnibus esse nequaquam ambigerent.

36 Id dilucidè itidem ex Ferrando Carthaginensi Diacono constabit. Qui epist. ad Pelagium, & Anatholium, num.6. de epistola Ibæ, quam contendit in Chalcedonensi Synodo laudatam fuisse: [Si tunc aliquis accusator epistolæ, cuius Catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia prouocaret, appellationi forsitan secundùm consuetudinem locus pateret. Sed quo iret? aut vbi maiores reperiret in Ecclesia iudices? ante se habens in Legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum?]

Et mox: [Vniuersalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post Canonicos libros tenent, &c. Quæ finiuntur iudicantibus Episcopis sanctis, & ad beati Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.]

Et tandem regulis in ea iactatione tenendis hanc cæteris præfert: [Vt Concilij Chalcedonensis, vel similium eius nulla retractatio placeat, sed quæ semel statuta sunt, intemerata seruentur.]

Ergo & Patroni Capitulorum tunc procul abhorrebant ab hac quorundam hodie opinatione, posse exerrare, & Pontificem, & Synodum Oecumenicam, & Ecclesiam vniuersalem in dijudicatione librorum: & proindè quamuis quinta Synodus Theodori, vel Theodoreti libros saltem aliquos confixerit, & prima Sedes consenserit, posse non Ecclesiam modò, sed quemlibet Theologastrum eius infirmare iudicium.

Contrà enim Facundus, contrà Ferrandus statuta etiam hoc genus Synodalia retractare vetant, sequi, tenere, amplecti iubent, non priuatos tantùm, sed Ecclesiam ipsam: Romani autem Pontifices, & Catholici omnes in id ipsum conspirabant. Denique idem Ferrandus ibidem: [Concilia, quæ vetustas firmauit, & custodiuit deuota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam delinquentes dubitandi necessitatem.]

37 Idem emicat ex alia Romanorum Præsulum exceptione: qui tria Capitula in controuersiam vocari posse, & in quinta Synodo damnari potuisse respondebant, non quòd errare in suo de ijs iudicio potuisset quarta Synodus, & posterioris esset Concilij errata prioris emendare; sed quod de ijs actum esset, finita iam, & terminata Synodo Chalcedonensi, nempè post actionem sextam, in qua velut ad calcem Synodi Canones assuuntur. Pelagius II. in epist. ad Episc. Istr. [Quia verò in actione sexta fidei causa perficitur, ipsa Episcoporum omnium generali subscriptione declaratur, &c. Vndè & in causis post specialibus, nudis tantummodò verbis loquuntur, atque ea, quæ decernentes dixerant, nulla supposita subscriptione firmauerunt, &c. Actione sexta clamarunt Episcopi, supplicamus dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos, &c. Quia verò & apud eosdem Episcopos, qui in Chalcedone resederunt, in veneratione Synodus nonnisi vsque ad fidei definitionem fuit, per hoc apertè ostenditur, quòd plerique Græci antiquiores codices, continere Synodum, nonnisi in sex actionibus subiunctis Canonibus demonstrantur, vt omninò cætera, quæ priuato studio fuerant mota, non habeant.]

Et Greg. lib.3. epist.37. [De Synodo illa, quæ à multis quinta nominatur, scite vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel sauxerit; quippe quia in ea de personis tantùmmodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventila est.]

Et lib.7. epist. 54. [Sancta Chalcedonensis Synodus vsque ad definitionem fidei, & prolationem Canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem Canonum specialia Episcoporum certamina sopire curauit. Epistolam verò, quam in ea reuerendissimus Ibas denegat suam, quòd in extrema parte Synodi iaceat, agnoscis.]

Vides quàm numquam his Patribus in mentem venerit arrogare licentiam, vel sibi, vel Ecclesiæ, nedum priuatis quibuslibet, auctores, librosque vel absoluendi quos damnasset, vel damnandi, quos absoluisset Oecumenica Synodus. Ideò & Pelagius I. epist. 14., vt se in amplectenda Synodo quinta nihil quartæ obloqui significet, profitetur se quicumque à quatuor Concilijs absoluti sunt, esse orthodoxos habiturum, &c. Omnes, quos damnauerunt, habere damnatos; quos receperunt, inter orthodoxos venerari.]

38 Patres verò quintæ Synodi paulò alia rem aggressi sunt via. Nam capitula eiecere nusquam in Chalcedonensi Synodo, vel leuissimè approbara fuisse, & etiam nunc à se damnari, & absolui eosdem, quos Chalcedonensis Synodus damnasset, vel absoluisset: nec vmquam tunc subijt cuiusquam animum tam fœda exceptio, potuisse Synodum Chalcedonensem in iudicio istiusmodi hallucinari. Itàque Collat. 3. tractationi trium Capitulorum ità præfantur: [Sanctas quatuor Synodus suscipimus, & omnes condemnatos à prædictis sanctis quatuor Concilijs, tamquam condemnatos habemus.]

Et collat.6. Synodus dixit: [Contraria per omnia est epistola, quam Ibas scripsisse dicitur, definitioni, quam pro recta fide sancta Chalcedonensis Synodus pronun-

nunciauit. Vndè & procedentes omnes coegerunt Ibam anathematizare Nestorium, quem vindicabat impia epistola, & insuper impia eius dogmara, & subscribere definitioni, quam pro fide exposuerunt, ad refutanda certè ea, quæ prædicta epistola vindicat. Et hæc fecerunt pro nullo habentes ea, quæ ab vno, vel duobus pro eadem epistola dicta sunt, qui & ipsi eiusdem omnibus facti voluntatis, Ibam susceperunt, cùm pœnitentiam egisset, & Nestorium anathematizasset, & subscripsisset definitioni ab eodem sancto Concilio expositæ.]

Ità illi à Chalcedonensi Concilio propulsant studiosissimè calumniam approbatæ Ibæ epistolæ. A quo improbatam potiùs demonstrant ex eo, quod Ibam compulerit: Nestorio, & eius dogmati anathema dicere, fideique definitioni subscribere. Quod ab vno autem, vel altero Episcopo laudibus affecta sit epistola, non id statim vniuerso Concilio adscribendum. Et in collat. 8. [Sed quia Theodori, & Nestorij impiorum defensores alio modo machinabantur confirmare eorum personas, & impietatem, & dicebant istam impiam epistolam, quæ defendit Theodorum, & Nestorium, & eorum impietatem, susceptam esse à sancto Chalcedonensi Concilio, necessarium esse putauimus per omnia ostendere, liberam esse sanctam Synodum ab impietate, quæ in epist. continetur, &c.]

Et mox: [Illud omnibus facimus manifestum, quod nec partes interlocutionem voius, vel secundi, quibus vtuntur Theodori, & Nestorij sequaces, præterire sustinuimus, sed istis, & alijs omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his, quæ eis continentur consideratis; inuenimus, quòd non aliter passi sunt prædictum Ibam suscipere priusquam exegissent eum, Nestorium, & impia eius dogmata, quæ in epistola vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tam alij religiosi Episcopi prædicti sancti Concilij, quàm illi duo, quorum interlocutionibus quidam vti conantur.]

Procul ergo discesserant Patres isti ab eorum sententia, qui vel generalibus Synodis errorem obrepere posse nugantur, in scriptorum examine librando.

39 Etsi ergo alias alij factarentur rationes purgandæ Chalcedonensis Synodi, omnibus tamen, & Orientalibus, & Occidentalibus Episcopis conueniebat, in istis etiam, quæ factorum, & personarum dicuntur quæstionibus, non posse, quæ semel in vna Synodo definita fuerint, retractari in alia, & euerti.

Itàque schismatici quidem vociferabantur, approbata in Chalcedonensi Concilio tria capitula non potuisse in quinta Synodo damnari: reponebant orthodoxi ideò in quinta damnari potuisse, quòd in quarta non essent approbata. Non fuisse autem approbata Chalcedone ea capitula, alij alijs rationibus prosequebantur, quibus tamen nulla intereſt conflictatio. Constare enim potest, quòd & Leo Papa nequaquam illa de priuatis causis iudicia confirmarit, & generalem Synodum actio sexta terminarit: & illi ipsi, qui adhuc Chalcedone post finitam Synodum conueniebant ad Episcoporum causas sopiendas, Ibæ epistolam minimè approbarint.

40 Nec tamen Augustino obloquimur clamanti; [Ipsa plenaria sæpè Concilia priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.]

Perspicuum est enim non eò hæc collimare, vt in librorum examine hallucinati possint Concilia plenaria, & priora à posterioribus emendari: quippè cùm in ea re locum non habeant noua rerum experimenta.

Sed de eiusmodi causis disserit sanctus Pater, quæ ità in Concilijs quibuslibet definiuntur, vt si noua post, quæ priùs latuerant, aperiantur experimenta, seu argumenta scelerum, & instrumenta, tunc necesse sit renouari iudicium, & in contrarium fortassis reflecti sententiam.

Ità alibi Augustinus, Cæciliano anathema, vel post mortem infigendum clamat, si qua noua, quæ hactenùs fefellissent, eius retegantur crimina: tametsi ille, & Romano, & Arelatensi plenario Concilio purgatus fuisset. Epist. 50. [In causa Cæciliani, cui crimina obiecerunt, quę nec potuerunt probare, nec possunt, se ab Ecclesia Catholica, hoc est, ab vnitate omnium gentium diniserunt. Quamuis etsi vera essent, quæ ab eis obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum anathematizaremus.]

Hæc sunt experimenta in dies emergentia, vbi possunt monstrari crimina, quæ priùs probari non poterant.

Ità Arelatense plenarium quodammodo à posteriori Concilio emendaretur. Quamuis vel tunc nec ipsum Arelatense Concilium errasse dici posset. Vbi enim nulla, vel allegabantur, vel probabantur crimina, nimirùm quia latebant, non errabat sententia, quæ absolueret: immò erraſset, nisi absolueret. Vndè apud Rainaldum ad an. 1311. num. 54. de Templariorum Ordine in Concilio Viennensi per errorem, vt quidam volunt, extincto, hæc habet MS. Vaticanum. [De Templariorum extinctione videtur modestè loquendum, ità vt non conferatur culpa in Pontificem; cùm constet ipsum, & Concilium fecisse iudicium secundùm allegata, & probata. Ad hæc, cùm air Augustinus, ipsa plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendari: ad œcumenicas Synodos vix potnit intueri. Ecqua enim æuo Augustini potuerant œcumenica Concilia à posterioribus emendari? Num Nicæna Synodus à Constantinopolitana? At quis nescit, quantò Nicæna cæteris antistitet? Deindè num illud sæpè dici posset? Nec in futurum regulam figit Augustinus, sed quid fiat, & sæpè fiat, perhibet. Per plenarias ergo, non œcumenicas tantùm, sed vel transmarinas, vel vniuersales Afris vsitatas intelligit.

Vndè lib. 2. de bapt. contra Donat. cap. 9. [Si Concilium Cypriani attenditur, huic est vniuersæ Ecclesiæ posterius Concilium

cilium præponendum. Nam, & Concilia posteriora prioribus, apud posteros præponuntur, & vniuersum partibus iure optimo præponitur. Vides vt priora à posterioribus Concilijs emendari sinat, nempè in disciplinæ magis, quàm fidei causa; & priora vniuersalia Africana, cuiusmodi fuerant illa Cypriani, de rebaptizandis hæreticis, à posterioribus Ecclesiæ vniuersæ.

Alioqui constat indubitatissimè, quòd Romanus Pontifex Martinus I. elocutus est in act. 1. Concilij Lateran. [Sancta Chalcedonensis Synodus definiuit: hoc est dicere, omnium Sanctorum chorus. Quoniam quod vna Sanctorum Patrum Synodus iudicare videtur, tam omnes Synodi quàm vniuersi omninò confirmare Patres noscuntur, vtpotè in vno, eodemque verbo fidei vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes.] Nempè vbi nulla lapsu temporum è latibulis suis prosiliunt experimenta.

41 At in Epistolarum, commentariorum, librorumque dijudicatione, eccundè noua aduolabunt posteriori Synodo experimenta? Quin exaduerso tantò scriptorum quorumlibet sensus, & intelligentia tenebrescit magis, magisque, & fallere potis est, quantò lapsus temporum alios mores, & voces, vocumque significationes dissimiles inuehit. Quamquam ergo magnoperè assentiar Niculao de Clamengis, ità aienti: [Licèt Ecclesiæ militantis auctoritas sit maxima, quæ fundata supra firmam Petram, conuelli non potest: & aduersùs quam portæ inferi numquam præualere potuerunt; non illi tamen nos oportet, vt viderur, triumphantis Ecclesiæ titulos adscribere, vt infallibilis sit, aut impeccabilis: quæ sæpè, vt nosti, & fallit, & fallitur; non dico in his, quæ fidei sunt: cùm Christus ad mortem properans, de illa ad Petrum dixerit: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: sed in alijs, quæ, vel facti sunt, vel morum, vel iudiciorum: in quibus propter circumstantiarum infinitam veritatem, ac multitudinem, perdifficile est optimi medium semper attingere: ab alijs tamen facti quæstionibus, in quibus aberrare quandoque potest Ecclesiæ iudicium, propter infinitam varietatem circumstantiarum, tardiùs quandoque, vel numquam in lucem emergentium: hæc de libris iudicia latissimo interuallo secernenda existimo, vt nulli circumstantiarum caligini, nulli testimoniorum fraudulentiæ obnoxia: vt ad doctrinam, & fidem funditùs spectantia: cùm & fides sanciri, & hæresis configi non soleat, non ferè possit, nisi verbis, propositionibus, tractatibus, libris consignata. Ideò nusquam hactenùs cùm tot annorum curricula effluxerint, cùm tot librorum millia censorio mucrone confossa sint, vel semel contigit, vt Synodus posterior prioris de quolibet libro sententiam reuocarit.

Quò vniuersim referri potest, quod Ferrandus in epist. ad Pelag. & Anat. disputat pro tribus Capitulis, quæ probata fuisse Chalcedone autumabat. Eadem nos æquiùs multò differamus de Theodori, Ibæ, Theodoreti scriptis indubiè à Quinta Synodo damnatis. [Vos adempta volentibus malè adsumpta defendere, quomodo iterum restituetur? Quis erit post tantos, ac tales Pontifices negotij iam peracti nouus, & idoneus cognitor? Ex quibus mundi partibus, aut ciuitatibus meliores antiquis Episcopis congregabuntur Episcopi, quibus potestas detur sententias emendare maiorum? Vel qua spe confidenter adsumant aliqui definire, videntes talium virorum iudicia repentè cassari? Quomodo successoribus nostris poterit placere, quod agimus: si per nos docebuntur, irritum facere, quod præcessores suos gessisse cognouerint? Vndè hæc noua cautela? Numquid post Papam Leonem, Anatolium, Maximum, Iuuenalem, vel cæteros illius temporis Sacerdotes nullus fuit, ex eorum successoribus, qui legeret attentiùs, & intelligeret, epistolam venerabilis Ibæ Episcopi malè Synodo insertam fuisse? Habeo dicere, si retractentur Chalcedonensis decreta Concilij, de Nicæna Synodo cogitemus, ne simile periculum patiatur.] Quibus & damnatores applaudebant Capitulorum, eo vno dempto, quòd ea Chalcedone approbata vsquam fuisse inficiabantur. Liquet hinc autem synodicè, vel damnatos posteà absolui, vel purgatos posteà condemnari non posse libros.

Primò: Quòd nec meliores, nec eruditiores se maioribus suis posteri venditare debeant.

Secundò: Quòd si maiorum minores, horum rursùs iudicia posteriores euertent, & ità sursùm deorsùm voluentur in Ecclesia res omnes, & nihil vsquam fixum, ratùmque erit.

Tertiò: Quòd ipsius etiam Nicænæ Synodi de Arij libris conuelli poterunt decreta, & refigi, quæ fixa hactenùs credebantur omnia.

42 Et idem ibidem: [Non expedit antiquorum Patrum, qui Chalcedonensi noscuntur interfuisse Concilio, vituperari deliberationem, retractari iudicium, mutari sententiam. Ne Synodus venerabilis apud omnes Ecclesias Orientis, & Occidentis, perdat subitò reuerentiam suam; nec possit in definitionibus fidei robur inflexibile custodire, si cœperit ex aliqua parte fragilis, aut reprehensione digna conuinci. Quidquid semel statuitur in Concilio, & congregatione Sanctorum Patrum, perpetuam debet obtinere ingiter firmitatem.]

Et mox: [Totum Concilium Chalcedonense verum est. Quidquid ibi dictum, gestum, iudicatum nouimus, atque firmatum, Sancti Spiritus operata est ineffabilis, atque secreta potentia.] Quibus in eandem sententiam plura addenlat, vt mihi quidem videtur, prænalida. Nam si generalis Synodus aberrat in dijudicatione libri, vel commentatij, seu doctrinæ eo contente, quid iam fidei Synodis habebitur? Si Synodus illum absoluit, cuius nullum crimen probatur, quia tunc later: eum-

dem

dem post alia denudato, & probato crimine damnet conuictum: nihil id de Synodi maiestate, & fide decerpit. At si libros Synodus prolixo perfuncta examine, vel hæreticos pro Catholicis, vel Catholicos pro hæreticis habeat: Quanta erit ista eius caligo, quanta vertigo Episcoporum, quanta Ecclesiæ magistræ infamia? Sed nonne illud ipsum est *critirion*, idem Spiritus Sancti lumen, idem cœleste Oraculum, quo & fides à Synodo generali prædicatur, & perfidia libris inspersa proscribitur?

43 Et rursùs idem, si qua nobis oriatur circa proscriptos à Synodis libros dubitatio, qui diluenda ea sit, docet: [Vniuersalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post Canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam diuinitùs inspiratam, non licet aliquid reprehendere, quamuis minimè valeant altitudinem cœlestis Oraculi comprehendere. Sed pius lector, & quod non intelligit, credit; vt quod credit, mereatur intelligere. Sic omninò, nec aliter Concilia, quæ vetustas firmauit, & custodiuit deuota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem.] Cùm igitur tam certò damnarit quinta Synodus libros Theodoreti in Cyrillum, quàm à quarta absolutos errans putabat Ferrandus: si quis minùs intelligit, quo iure, aut qua veritatis luce damnati sunt, credat, vt mereatur fide intellectum. Nec id homini Christiano, & Theologo nouum, credere, vt intelligat; non intelligere, vt credat.

44 Facundus eadem occinit lib. 5. cap. 4. [Neque enim est alia Conciliorum faciendorum vtilitas, quàm vt quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus: & sicubi ratio minùs occurrerit, fides, ne labamur, citò succurrat. Nam si post decretum disceptare licuerit, vt dicatur, priùs probetur epistola illa, quòd recta sit, vt credatur fuisse suscepta, non est quare iam Concilia congregentur: nec terminatæ, immò nec terminabiles dicantur quæstiones, quarum probatio semper exigitur. Cur enim non dicatur similiter, probetur priùs, quòd vnius essentiæ sint Pater, & Filius, vt credatur hoc Nicæno Concilio terminatum.] Augustini doctrinam auidissimè combiberat Facundus. Non nesciebat, aliqua esse facta, quæ ità nunc latere, post patescere possent, vt inde Synodi posteriores prioribus derogarent. At in librorum examine, & iudicio semel instituto synodaliter, negat idem constantissimè Ecclesiam, vel Synodos generales alternare posse. Et tota nunc, vt sæpiùs iam inculcauimus, consentiebat Ecclesia; quæ ideò, vt quinta in Synodo dânari possent, pernegabat in quarta purgara fuisse capitula. Alioqui vt pergit Facundus: [Quæstionibus vulneris in antiquo statu manentibus, non solùm nihil Synodorum constitutionibus absolutum esse videbitur: sed etiam ad perpetuandas lites, quæstionum in eis reseruata memoria. Et ideò non idem modus esse debet, atque ordo quærendi, post definitionem Concilij totius Ecclesiæ consensione firmari, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poscebat, vt si orthodoxa probaretur ista epistola, suscipienda iudicaretur à Synodo: nunc autem ratio poscit, vt si suscepta probetur à Synodo, iudicetur orthodoxa. Hanc obseruantiam tenentibus, nihil nobis præualebit hæreticorum calliditas, si iudicare non præsumamus, quod intelligere non valemus.

45 Sed audienda nobis sedulò est quinta ipsa Synodus collat. 8. vt aliena dediscamus præiudicia, & sincerum orthodoxæ Theologiæ lac sugamus ex ipsis virginis Ecclesiæ vberibus. Cùm ergo de damnandis trium scriptorum lucubrationibus diuturnum iàm examen sæuisset, ait tandem opus esse, [vt definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conueniens, &c. Nec enim iustum esse ampliùs scandalum pro tribus istis capitulis crescere, & Dei Ecclesiam conturbari, &c. Licèt enim Sancti Spiritus gratia, & circa singulos Apostolos abundaret, vt non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo, quod mouebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, diuinarum Scripturarum testimonijs vnusquisque sua dicta confirmauerunt, &c. Vndè, visum est Spiritui Sancto, & nobis, &c. Sed & Sancti Patres, qui per tempora in Sanctis quatuor Concilijs conuenerunt, &c. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm vnusquisque proximi adiutorio indiget, &c. Et ipse Dominus dicit, si duo ex vobis cōuenerint, &c. Disceptationem, & definitionem hanc suam ad fidem pertingere agnoscunt. Fidei enim officium est, errores libris infertos explorare, & exurere. Ad hoc suum iudicium, accersunt, induuntque sibi illam auctoritatem, & lucem, quam Apostoli, quam priores Synodi Oecumenicæ præ se ferebant, erroris nesciam. Ad sua hæc decreta Synodica, adaptant verba Christi: Si duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum;] Itemque Apostolorum: [Visum est Spiritui sancto, & nobis.] Nec iniuria. Nec enim de fide propriè in ea palmari Synodo quidquam Apostoli nouum decreuere. Denique nusquam in hac Synodo dispescuntur, aut dispesci sinuntur errores, auctoresque errorum, vel sectarij errorum, librorumque quibus error afflatus iudicatur. Vndè tandem concludunt. [In memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas, quòd portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, &c.

46 Quocirca, & eadem Synodus imponi non posse certa in istiusmodi etiam iudicijs Synodo cuilibet Oecumenicæ, fidenter pronunciat ad finem collat. 5. [Ex his, quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilij. Sciens enim eius blasphemias, priùs quidem multis sæpiùs vsa est contra cum

eum exclamationibus. Posteà verò non aliter eum suscepisset, nisi anathematizasset Nestorium, & eius blasphemias: pro quibus antea scripsit defendens eas.] Et si minùs scripta hæc Theodoreti improbasset Synodus Chalcedonensis, de ea id sentiendum vtique foret, quod de Cyrillo; qui Theodori libros penè tunc damnauit, cùm ne damnarentur, soli indulsit dispensationi. Vndè Synodus hæc quinta, coll. 8. [Apparent Patres non liberantes anathemate Theodorum, sed dispensatiuè talibus quibusdam vtentes verbis, propter defensores Nestorij, & eius impietatis, vt ab huiusmodi errore eos abstrahentes, ad perfectum deducerent, & docerent, non solùm discipulum impietatis Nestorium addicere, sed etiam doctorem eius Theodorum.] Tum exempla dispensationis à Paulo repetunt, vt prælectum fuerat collat.5. [Si propter dispensationem aliquid Patres dixerunt, vt separarent ab errore Nestorij tunc defensores eius, tamen quoniam nec susceperunt dicta illorum, & tempus, quod dispensationis indigeret, præterijt, &c. Sicut Paulus cùm ad tempus concessisset Circumcisionem Hæbreis, nec non etiam ipse circumcidisset propter dispensationem Timotheum: Posteà verò quod est perfectum docens, ad Galatas ait, si circumcidamini, Christus nihil nobis prodest. Et mox: Per ista docet Apostolus, quòd interdùm dispensatio per congruum tempus prodest, & interdùm efficit læsionem ad temporis qualitatem. Cùm enim opus est ignorantes, vel errantes docere, tunc maxima dispensationis vtilitas est. Quando verò in doctrina perfectionis tempus est, tunc relinquentes patientiam ad perfectionem dogmatum peruenimus.] Ex quibus clarescit, quod contendimus, ex dispensatione posse meritam damnationem sustineri, & prorogari, non autem immeritam inferri, aut præcipitari: nec errare Synodos, seu pro meritis damnent, seu ex dispensatione non damnent libros quoslibet fidei aduersos.

47 Indidem illud emergit, quòd damnatorum librorum defensores, non vt in facti, aut personæ quæstione hallucinabundos, sed vt proscriptæ doctrinæ instauratores Ecclesia persæpè detestatur. Ideò in in verbis supra relatis nusquam Synodus quinta rem aliter interpretata est, quàm quòd Theodori, & Ibæ epistolæ, & Theodoreti aduersùs Cyrillum scriptorum Patroni, hæreticæ pariter patrocinarentur impietati. Idem euidentissimè resplendescit ex collatione 8. per totum, vbi defensionem librorum istiusmodi, & impietatis illis implicatæ promiscuam semper, & indiscretam habent: seu illam aliqui arriperent, seu Synodo Chalcedonensi impingerent. Itaque non potuisse ea capitula approbari à Synodo Chalcedonensi, inuictissimè argumentantur, quòd non potuerit tanta impietas Synodo persuaderi, quam suo etiam ipsa execrata est fidei decreto. Similiter in anathematismis collationi huic octauæ annexis, id vrget, id vnum molitur Synodus non posse libros istos à quoquam defensari, nisi hæreseos patrono. Et vix aliter sanè fieri potest. Persuaso enim, & constituto hoc semel, hæresin Nestorianam opusculis illis contineri, vt Synodo erat persuasissimum: vix poterant non ei videri hæreticæ sectatores peruersitatis, quicumque opusculis eiusmodi fauebant. Nec enim illud magni pendebatur, quòd ijdem Nestorio, & eius doctrinæ anathema à se dici clamitarent: Nam primò generalibus id genus professionibus vtuntur persæpè heretici, nec fides illis habetur, quòd ijs mox derogent specialium errorum pertinacia.

Secundò: Nestorij doctrinam ab ijs verbo tenùs damnari interpretabatur Synodus; reapse autem, defensione operum, quibus propugnatur, defensari.

Tertiò: Longè proniùs erat credere, per Nestorij doctrinam, aliud quid ab ijs intelligi, & damnari, non quòd damnabat Ecclesia: quàm tam prolixas, & enucleatas Theodori, & Theodoreti lucubrationes alio, & recto sensu ab ijs intelligi, non insano illo, quem Ecclesia auersabatur.

Quartò: An Ecclesia Christi vsque eò flocci se fieri à filijs suis patietur, vt impunè ab ijs infametur, etiam vniuersa, & Synodaliter collecta, & operoso examine perfuncta, & clamitetur non intelligere, non assequi sententiam operum Theodori, & Theodoreti, tam prolixè, & tædiosè disserentium? Hoccine imponi potest iudici controuersiarum, & doctrinarum omnium, commentarijs semper aliquibus inscriptarum, à Deo constitutæ? Nec vsque adeò insaniebant defensores tunc trium Capitulorum, vt priuatam suam sagacitatem anteferrent iudicio, & perspicaciæ Ecclesiæ vniuersæ. Sed Ecclesiam Ecclesiæ, Synodum Synodo componebant, & decreto Chalcedonensis Synodi contumeliam fieri vetabant, vt longè plurimis antè allatis, & infrà referendis testimonijs constat.

48 Quòd verò somniarunt aliqui, anathemata quintæ Synodi, non in Catholicos trium Capitulorum recto sensu expositorum defensores, sed in hæreticos eorundem hæretico sensu intellectorum vindices vibrari, nihil potest alieniùs effutiri. Nam ex Liberato, Facundo, Ferrando, ex Vigilij, & aliorum Pontificum epistolis manifestissimum est, eam concertationem totam inter Catholicos conflagrasse. Liquet priuatis simultatibus Pelagij Romani Diaconi, & Theodori Cæsariensis in Cappadocia Episcopi excitatum in Ecclesia illud incendium. Liberatus cap. 23. [Pelagius æmulus existens Theodoro Cæs. Capp. Episc. volens ei nocere, eo quòd esset Origenis defensor, flagitabat à Principe, vt Origenes damnaretur, &c. Rursùs illi callida fraude rogauerunt eum, vt dictaret librum in damnationem trium Capitulorum, &c. Cætera verò, quæ subsequenter in Episcopis, & Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quomodò consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes, depositi in exilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes,

tes, in angustijs fœlicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda. Illud liquere omnibus credo, per Pelagium Diaconum, & Theodorum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publicè ipse Theodorus clamitauit, se & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc scandalum introiuit in mundum.]

Vides à Catholicis in Catholicos in Ecclesia Catholica excitatam, & bacchatam esse tragœdiam, de hæreticis nec verbum vnum fieri. Liquet rursùs sola Chalcedonensis Synodi auctoritate certatum esse in defensionem trium Capitulorum: in eam se quinta Synodus quoque curam maximè arrexit, vt quartam Synodum tribus Capitulis infestam esse perurgeret. Inter Catholicos ergo pugna conserebatur. Liquet Catholicos solos pro tribus scripsisse Capitulis, non hæreticos, Liberatum, Ferrandum, Facundum, Vigilium Papam aliquando. Liquet Catholicos homines in multis regionibus Occidentis in trium Capitulorum defensione pertinaces, etsi à Nestoriana hæresi abhorrerent, confossos se à quinta Synodo intellexisse, ideòque secessionem ab Ecclesia Catholica fecisse. Liquet & ex Facundo, & ex Victore Tunonensi, & alijs non Nestorianos, sed Catholicos Capitulorum defensores varijs post Synodum exilijs ab Imperatore affectos fuisse. Liquet nec primum, nec alterum Pelagium, nec Gregorium Papam, qui tamdiù desudarunt in schismaticis his recolligendis Ecclesiæ, id, quod peropportunum fuisset, vmquam protulisse, quintæ Synodi anathemata non nisi in eos fuisse, qui libros huiusmodi hæretico sensu intelligerent, nequaquam verò in eos, qui rectum illis quoquomodo affingerent intellectum. Liquet cùm tot Hispani, Galli, Ligures, Veneti, Istri, Afri, Hiberni, nonnihil vel omninò alieni fuissent à quinta Synodo, & eam tamdem sint amplexati, neminem illorum contestatum memorari vsquam, quòd eius Synodi anathemata eos tantùm percellant, qui libros, & hæreticum in libris sensum propugnarint: neminem discriminis quidquam interposuisse inter hos, & alios ab alijs Synodis confixos tractatus. Vide autem vt Facundus hæc anathemata exponat lib.3. cap.1. [Ipsa subscriptionis formula, quæ data est in condemnationem Theodori, non aliud videtur ostendere, cùm dictum est; Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiæ, & eius dogmata, anathema sit: Quod in nullius hæretici damnatione meminimus contigisse, vt illi quoque anathema essent, qui ei anathema non dicerent. Siquidem multorum hæreticorum multos, & dogmata latent, & nomina, qui anathema esse non debent, quoniam non anathematizant eos, quos nesciunt.] Et lib.7. cap.7. præfatus, quàm magnificè de Theodoro sensisset Ioannes Chrysostomus, addit; [Si anathema est, qui Theodorum Mopsuestiæ non dicit anathema, etiam Ioannes Constantinopolitanæ clarissimus antistes Ecclesiæ, & confessor fortissimus veritatis, anathema est. Et infrà: Nunquid, & Gregorius Nazianzenus, & Ioannes Constantinopolitanus, & alij, quos memorauimus, ac memoraturi sumus, Patres Nestoriano morbo dicentur obsessi, quia non solùm Theodorum non abdicant, verùm etiam prohibent abdicari? Aut & ipsos nouo nomine, & hactenùs inaudito Theodorianos quisquam vocare præsumet? Quòd si nullus hoc audet, cur alios, qui tenentes eorum Catholicam fidem, sententiamque seruantes, non audent in præiudicium Synodi Chalcedonensis damnare Theodorum, Theodorianos vocant? Et lib. 2. c.1. [Si communicemus eis, qui nobis iam anathema dixerunt, &c. Ipsis quoque turpè videri debuit, communicando nobis, anathema, quod in nos decreuerunt, in semetipsos vltrò conuertere.]

Vsque adeò omnes prorsùs trium Capitulorum defensores configebantur his anathematum iaculis, quamtumuis Catholicum nomen, sensumque prætenderent: vt inuidiosiùs quidem, sed tamen auguretur Facundus, confossum iri, etiam illos, qui ne nominis quidem, nedùm dogmatis Theodori conscij sunt: etiam illos, qui antè viuis abierunt, quàm damnaretur Theodorus: etiam denique Chrysostomum ipsum, & Nazianzenum, qui Theodoro olim studuerant.

Secundò, Quærit Facundus, an Chrysostomus etiam Nestoriano morbo obsessus dicendus sit, qui ab anathematizando Theodoro tantopere abhorruit. Ergo omnes prorsùs etiam Catholico nomine se iactantes, à damnatoribus Capitulorum denigrabantur, vt Nestoriano morbo obsessi, nisi eorundem damnationi subscriberent. Et indè est, quòd anathemata in Nestorij sequaces, in Theodori, & dogmatum eius propugnatores torquentur; quia Theodori scripta, cùm Nestorianam luem passim redolerent Synodo, non poterant eorum sequaces non ei videri eodem contagio laborare.

Tertiò. Ideò à damnatoribus Capitulorum Theodoriani appellabantur eorum defensores, nouo nomine, & hactenùs inaudito, quo nempè Catholico nomine spoliarentur.

At Nestorianos ab Ecclesia olim abscissos, & Catholici gregis, nominisque extorres, nihil attinnisset, Theodorianos, quasi nouo infamiæ incremento, appellitare.

Ideò quos Theodotiano nomine, & dedecore onerabamus, illi nos vicissim Necrodioctas vocitabant. Vt scilicet Catholici nominis dignitate exturbarentur, qui quocumque demùm alio dehonestarentur vocabulo.

Quartò; Quorsùm verò, [& Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum prouinciarum Principes,] tam diù, & tam fortiter restitissent, vt ait Pelagius Papa, damnationi Capitulorum, si Nestorianum dumtaxat dogma anathemate perculerat Synodus; copiam autem fece-

fecerat tuendorum Capitulorum, dummodo Catholico sensu, de quo coueniebat, donarentur? Si veteres taotòm Nestorianos Synodus impetiuerat, eccur totus Occidens cum Synodo altercabatur?

Quintò. Quorsùm ibidem, & alibi sæpè Pelagius, Gregoriusque confitentur, tum se quintæ Synodo acquieuisse, tum acquiescendum fuisse, [cùm errorem cognouerunt, cum verum cognouerunt, cum quæ vera sunt agnouerunt inuenta veritate?]

An priùs nesciebant Nestorianam dementiam, quibuscumque demùm libris illita ea sit; omnibus anathematum diris execrandam, meritòque in quinta Synodo execratam fuisse? Tam turpi ignorantia caligare non potuerant. Sed Nestorianum virus tribus Capitulis esse infusum, & Oecumenicæ Calcedonensi Synodo non posse Capitulorum approbationem attribui, istud verò, est quod nesciebant, & quandiu nesciebant, Synodo ea sub anathematis comminatione decernenti indignabantur: inuenta veritate, Synodo manus dederunt.

Sextò. Quamlibet autem excandescat Facundus, & inuidiam faciat, nihil nouatum est in decernendo anathemate non anathematizantibus tria Capitula. Quoties enim priscæ Synodi, vel errori, vel auctori, libroue cuilibet anathema occinuere, eodem anathemate implicuere consequenter vniuersos Synodicæ sententiæ aduersarios.

Itaque anathema Ario dicere, perindè est, ac Arij sequacibus, Ario anathema dicere respuentibus, eundem anathematis infigere mucronem. Quàm constat igitur id fuisse quintæ Synodi decretum, tria capitula Nestorianæ impietatis veneno delibuta esse, & ideò execranda: tam constat id Synodo fuisse consilij, vt qui ea non execraretur, execrationi esset ipse.

Septimò. Adde quòd vituperanda inter meritò illa foret inconstantia, si Nestorianis Ecclesiam sugillantibus, quòd Nestorium detestaretur, & tria Capitula tamen Nestorio consentanea approbantem Calcedonensem Synodum lambetet, & soueret: Ecclesia Catholica, seu quinta Synodus contrà repoueret, tria capitula Nestorio consona esse, sed in Chalcedonensi Synodo refutata esse, oedum approbata: at interim clam Catholicis copiam faceret secùs sentiendi, & Catholica esse illa Capitula, & in Chalcedonensi Synodo fuisse confirmata. Nè orthodoxæ, ne œcumenicæ Synodo tantam leuitatis, aut simulationis ignominiam affricemus, vt sententiam, quasi vestem duplicem habeat, forensem alteram, alteram domesticam: aliudque crepet ad hostes, aliud clam filijs insusurret.

Octauò: Similiter Eutychianis Chalcedonensem Synodum abominantibus, eo maximè obtentu, quòd Nestorianam in tribus Capitulis perfidiam auctorasset: occurrit ex aduersò Synodus quinta, & inesse quidem Capitulis Nestorianum virus, sed illud Chalcedonenses Patres detestatos esse demonstrat. Inconstanter ergo, & inconsideratè prorsùs filijs suis posteà Ecclesia Catholica secùs sentire permitteret. nempè Catholica Capitula, atque Chalcedonensi Synodo non ingrata fuisse. Hanc simulationem quantis, oro, conuitijs, & Nestoriani, & Eutychiani incessissent?

Nonò: Sed quò illa pertinet diligentia quintæ Synodi, in coacervandis Theodori scriptorum, & impietatum testimonijs, & in immensam penè molem extruendis? An vt Nestorianis, an vt Eutychianis persuadeatur Nestorio illum prælusisse? At vtrisque de eo constabat. Ergo eius rei fidem orthodoxis expugnare satagebat, quotum non pauci hactenùs Theodorum in pretio habuerant. Cum autem summo conatu, atque labore id esset perfectum, vt non Nestorianis, non Eutychianis, sed hacteuùs orthodoxis approbaretur Theodori scripta Nestorio esse consentanea: vtique Synodica mox anathemata in eos perstrepunt, qui Synodi cõsilio aduersabantur.

Decimò. Ecquando autem coaluit Synodus noua fulminandis tantùm veteribus, & cariosis hæreticis? Nestorianis Ephesina, Eutychianis Chalcedonensia fulmina abundè, & plùs satis erant contendis.

Noua hæc ergo quintæ Synodi tela in nouam aliquam monstri speciem destinanda sunt: in eos scilicet, qui Theodori tuendi specie Nestorium ex orco reduceut. Porrò his compressis, & nemine in Ecclesia Capitula posthac defendente, nemine Chalcedonensibus Patribus approbata fuisse dicente, querimoniæ Nestorianorum, & Acephalorum opprimentur. Denique perspicuè Facundus in se, suique similes anathemata quintæ Synodi illisa sentit, & confitetur.

49 Sed, & illud quoque noo ommittendum, illos oon tarò varijs erroribus illaqueatos fuisse, qui sibi videbantur in facti tantùm quæstione libera à Catholica Ecclesia dissidere. Gregorius lib.7. epist.54. [Peruersi homines, qui trium Capitulorum occasione reperta, Ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse sedis Apostolicæ præceptis nolunt, & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt. Et dum neque in fide recti sunt, neque in bonis operibus intenti, student vt certare pro fide videantur.]

Et Pelagius II. epist.5. [Facilè senties, quantum sit periculum, pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione Capitulorum, tandiù ab vniuersali Ecclesia segregari.]

Anastasius Bibl. in Sergio, ait redisse Aquileienses ad vnitatem Ecclesiæ, [qui priùs errantes, priùs sub erroris vitio tenebantur.]

Ideò queritur Facundus se, suosque à Synodi defensoribus Theodotianos vocati, lib.7. cap. vlt. & alibi.

At vicissim ipse Catholicos, vt Necrodioctas, seu mortuorum insectatores vocat. Nam in epist. nuper edita, hæc habet. [Theodorus ab istis iam ooüo hæresis notio-

mine; crimineque cauteriatis, id est Necrodiocitis, siue Porcianistis damnatus est.]

Et infrà: [Si hæresin fecerunt hi sicut docuimus, damnando viuos, & mortuos.] Nempè mortuorum iudicem, nonnisi Christum, Apostolis ligandi concessam potestatem nonnisi in terra pertendebat. Et habebat suffragatores, vt sibi videbatur, multos Pontifices, Canonesque. Itaq; hæreseos infamiam, & ipsi Ecclesiæ, & ipsis Ecclesia aspergebat, etsi in facti tantùm concertatione videantur discrepasse. Vides ergo quò res ea euadat, & in quantum se discrimen coniiciant, qui ipsi Ecclesiam, & quos Ecclesia veritatis columna hæreseos insimulat.

50 Sed non paucos in errorem agit sua humanitas, vt molliori interpretatione, vel Theodoreti in Cyrillum scripta, vel Honorij Papæ epistolam ab hæreseos nota liberent, & in rectum sensum traducant, atq; adeò in ijs confodiendis aberrasse generales Synodos suspicentur.

Sed cùm interpretando ijsdem opusculis, vel rectus, vel distortus possit appingi sensus, nostrumne oro est, post tot interposita annorum stadia, an eorum, qui suppares erant, rectam, & legitimam interpretationem vendicare? Rectè Iustinianus in edicto fidei, [Solent hæretici, vt simpliciores decipiant, vocibus quidem vti, quæ ab orthodoxis piè dicuntur, rectum autem earum intellectum, & expositionem ad suam impietatem transferre. Quoniam interdùm eædem voces, quando benè exponuntur, & intelliguntur, cum pietate sunt: quando autem malè ab hæreticis intelliguntur, & proferuntur impietatem habent.]

Exemplum statim profert Nestorij, cuius confessionis verba periudè imposuissent simplicioribus, & si nunc promantur orthodoxæ fidei plenam confessionem continent. Iugulata tunc tamen iure fuere, quando propiùs, & penitiùs inspiciebatur præsentis bestiæ fraudulentia. [Itaque Nestorium duas quidem naturas, & vnam personam dicentem, non confitentem autem earum vnitatem secundùm hypostasin, Ephesina prima Synodus non suscepit, sed condemnauit.] Noua tunc, & à Cyrillo primùm excogitata erat vnionis, *cath ypostasin* nomenclatura. Quo plenior videri tunc potuisset professio vnius in Christo personę, & naturæ duplicis. Et tamen iure, vel tunc damnata est. Ergo præsentium, quàm posterorum interpretationi assurgendum potiùs est.

51 Et quisquis Theodoreti in Cyrillum scripta absoluit, is Nestorij reliquias operibus Cyrilli intertextas, oro etiam, atque etiam, perlegat. Æquè procliue erit, & his Catholicos conciliare sensus.

Idem de Eutychetis scriptis, si qua superessent, contingeret. Vndè, & olim non pauci, vt Socrates docet, & etiam nunc ex heterodoxis nonnulli, Nestorij, immò, & Eutychetis apologias scriptitarunt.

Vsque adeò clementia hac interpretandi omnem labefactare audebunt antiquitatis, & auctoritatis Ecclesiasticæ maiestatem. [Lutherus apertè profitetur imperitos esse, qui Christum hominem omnipotentem faciunt. Et alibi defendit, Nestorium, & Eutychetem non errasse, nisi in modo loquendi.] Vt ait Iansenius Episcopus pòst Iprensis in Spongia pag. 130. alludens ad Lutheri Conc. de Natal. Dom. & lib. de Concil.

52 Prior Samosatenus, aut Sabellius vocem consubstantialis nefando sensu polluerat: quem postea abstersit Synodus Nicæna, quem denique ei rursùs adultera interpretatione æquè peruersum affricare tentauit Eusebius Cæsariensis Episcopus.

An ergo nobis id sumemus, vt non Ecclesiæ auctoritatem, sed alios quosuis sequamur, aut nostram ipsorum libidinem, in eius vocis, quæ per sese anceps, & libera est, significatione designanda? Quod in voce non licet, nec in propositione licet. Nam vnam naturam Verbi incarnatam olim contaminato sensu Apollinaris dixerat: Athanasio postea, & Cyrillo, atque Ecclesiæ Catholicæ placuit effricare ab ea propositione Eutychianum virus, & orthodoxum illi sensum illigare. Ambigua est ad vtrumlibet, & versatilis textura mera verborum.

An ergo integrum nobis esse censebimus, eam rursùs propositionem significatione hæretica inquinare, & repudiare? Eadem causa est, & huius propositionis, [Vnus de Trinitate passus est.]

Hæretici, Catholicique circà eam atrocissimè, & diutinè digladiati sunt. Ob maculosos sensus appictos, vel à Catholicis aliquando respuebatur. Visum est posteà consultiùs maculas illas abluere, & Catholicos ei, ac venerandos restituere intellectus. Num, & hìc liberum nobis esse volemus, non Ecclesiæ, sed nostro arbitrio stare? Vides quanta hinc gliscat licentia. Nec sum nescius, propositiones aliquas peculiares, & solitarias magis pendere ab arbitrio Ecclesiæ, vt sensus earum determinet, quàm opusculorum particulas, quarum significatio ex antedictis, & consequentibus non vaga, & libera, sed certa, fixaque defluit.

At quousque iudicium Ecclesiæ excurrere sinemus? An in singulis concludemus verbis, vt *toy omoysioy*? An ad propositiones vsque indulgebimus spaciari? Quot igitur adnumerabimus verba, intra quorum ambitum se iactet? Num si plures nectat propositiones, de errore periclitabitur? Quid enim libellus, nisi plurium contextio propositionum est? Itaque per aduersarios licebit Ecclesiæ citrà erroris periculum, propositiones singulas seorsim, & absolutas distringere: si cuius verò libelli plures versus, aut vnum caput, aut plura capita adgrediatur excutere, nimirùm periculum erit, ne non assequatur sensum, & brutum, atque inane vibret fulmen.

Sed quid de confessione fidei, quam vel Nicæna, vel Constantinopolitana, vel Chalcedonensis Synodus edidit longo verborum circuitu: num potuit Ecclesia in hoc sermonis prolixioris anfractu à vero, & orthodoxo, quem mente gestabat sensu diuer-

diuertere? Si verba enim, si verborum commissutas, si propositionum contextus, si antecedentium, & consequentium concordiam nō ità in alienis opusculis tenet, quin errore aliquo illudi possit; quid in suis?

Si hæretica potest putare Theodori verba, cùm Catholica sint: quin possit, & sua Catholica putare, tametsi hæretica sint? Num potest ipsa quidem plures compositiones in Catholicum sensum indubitatissimè conglomerare; non potest autem, an alius conglomerauerit, certò dijudicare? Sed quid de Cyrilli, verbi gratia, & Leonis epistolis æstimabimus? His enim, vt orthodoxæ fidei regulis Ephesina, & Chalcedonensis Synodi subscripsere.

An licet nunc refricare obsoleta prælia, & eas ipsas epistolas in controuersiam reuocare? An potuit Ecclesia Catholicas iudicare epistolas, & in omnem Christianum orbem Synodica auctoritate promulgare, tametsi illæ hereticum in recessu sensum aliquem, quem Ecclesia minùs aduertebat, fouerent? Si potest enim eo in facto errare Ecclesia, vt hæreticos esse iudicet libros, qui Catholicæ reapse fidei congruunt tamen: quin posset & in hoc simillimo errare facto: vt Catholicos esse iudicet, in quibus tamen hæresis delitescit?

In tanta olim aduersùs Cyrilli, & Leonis epistolas conflictatione, quis Catholicus hæc effutiri, hæc, vel animo fingi passus est?

53 Suis ipse Pelagius opusculis, & propositionibus indè decerptis, atque notatis Catholicos sensus affingebat. At Catholici tunc Episcopi censuerunt, non eius, sed suum esse, interpretari sensum verborum, & vel auctoris ipsius commentitias explanationes refellere.

Augustinus lib. de Gestis Pelagij c. 1. Pelagij loco recitato, [Synodus dixit, Tu hoc edidisti Pelagi? At ille respondit, Ego quidem dixi, sed non sicut illi intelligunt. Non dixi, non posse peccare, &c. Hoc audito Synodus dixit, Non sunt aliena ab Ecclesia, quæ dicta sunt à Pelagio. Planè aliena non sunt, quæ respondit; illud verò, quod de libro eius prolatum est, aliud sonat. Sed hoc Episcopi Græci homines, & ea verba per interpretem audientes discutere non curarunt.

Et cap. 2. ait, compelli Pelagium fateri, vel se nunc à pristiua peruersitate correptum, vel si rectè senserit, [eius sententiæ non se circumspecta verba posuisse, & ideò fidem suam esse approbandam, librum emendandum.]

Vides Ecclesiam, Synodumque longè Synceriorem esse interpretem librorum quorumlibet, quàm auctores ipsos, nedum amicos, aut sectarios auctorum.

Et epist. 95. [Si hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus, anathemet ea, &c.]

Et infrà: Anathemet Pelagius scripta sua, aut si sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua negat, anathemet ea, &c.

Et rursùs lib. de gestis Pelagij ca. 14. [Pelagius respondit, Hęc vtrum Cælestij sint, ipsi viderint, qui dicunt ea Cælestij esse, ego verò numquam sic tenui, &c. Verùm ea Pelagius, an Cælestius, an vterque an neuter illorum, an alij, siue cum ipsis, siue sub nomine illorum senserunt, siue adhuc sentiant, sic dubium vel occultum: satis tamen hoc iudicio declaratum est, esse dānatum, & Pelagium simul fuisse damnandum, nisi hoc etiam ipse damnaret.]

Vides quid possit esse dubium, vel occultum, nempè an quis quid scripserit, vel senserit: quæ verò scripta sunt, quem sensum habeant, nec auctor, seu scriptor ipse consulitur, sed iudicat Synodus; ità vt quamquam aliud, putà rectum aliquid sensisse, & scribere voluisse ipsum constaret, post synodicam tamen sententiam cogeretur confiteri, [se non circumspecta verba posuisse, & librum emendandum.]

Vide & cap. vlt. itemque 19. [Nisi ea, quæ contrà Dei gratiam posuisse in libris suis idoneorum testium fide probatur, confessus anathematizauerit, ac deindè contrà hæc Ipsa scripserit, ac disputauerit, nequaquam his, quibus pleniùs notus est, videbitur esse correctus.]

Ad hoc testes idonei accersuntur, vt liqueat quem auctorem esse libri, non vt de libri sensu pateat. Vide, & quæ supra ex Innocentio Papa in eandem rem dicta.

54 Atque vt ad recentiora veniam, Abailardi errores à Concilio Senonensi, & Innocentio II. damnatos fusè suprà narratum.

Audi Goffridum lib. 3. capit. 5. vitæ sancti Bernardi: [In medium scripta Abailardi prolata sunt, & erroris capitula designata. Demùm illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi si posset objiciendis sibi rationibus pariter, & sanctorum testimonijs Patrum.] Vides quorum optio detur, non vtique alio sensu libros suos interpretandi. Et tamen ille, vt notat Ottho Frisingensis, [Apologeticum scripsit, prędictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans.] Num purgari ideò potuit Abailardus, etsi damnatorum capitulorum partim verba, ex toto sensum negaret? Manet, æternumque manebit à Bernardo, à Synodo Gallicana, à Summo Pontifice dictata in eum sententia.

Et in Apologetico quidem suo Abailardus non mediocris modestiæ speciem præ se tulit. [Scripsi fortè aliqua per errorem, quæ non oportuit; sed Deum testem, & Iudicem inuoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam, aut per superbiam præsumpsi, &c. Quod si vspiam per multiloquium excessi, numquam importuna defensio me effecit hæreticum, &c.]

Tum nefaria iuuit dogmata, quę negat [se scripsisse, negat in suis reperiri scriptis: ait, à suis verbis, & sensu remota esse: nempè quia Capitula errorum ex eius libro sententiarum decerpta iactabantur, cuiusmodi vllum à se scriptum esse pernegat: cùm numquam liber aliquis, qui Sententiarum dicatur, à me scriptus reperiatur. Sed sicut cætera contrà me Capitula,

ità

irà & hoc quoque per malitiam, vel ignorantiam prolatum est.]

Sed vltra hos qualiscumque sobrietatis limites effusissimè peruagata est Petri Berengarij Scholastici Pictauiensis maledicentia, in Apologia pro Abailardo preceptore aduersùs Bernardum Claræuallensem scripta.

Sic enim Bernardum absterso pudore compellat: [Corrogatis vndique Episcopis eum in Senonensi Concilio hæreticum pronunciasti, &c. Post prandium allatus est liber Petri, & cuidam præceptum est, vt voce clamosa Petri opuscula personaret. At ille, & Petri odio animatus, & vitis germine irrigatus, &c. Post aliqua Pontifices insultare, pedem pedi applodere, ridere, nugari conspiceres: vt facilè quilibet iudicaret, illos non Christo vota persoluere, sed Baccho, &c. Sic iudicant verba luminis cæci, sic virum sobrium damnant ebrij, sic contra Organum Trinitatis disserunt Calices facundi.] Pudet me impudentissimæ scriptionis lacinias hìc assuere: sed proderit, vel hoc exemplo palàm fecisse, quò demùm erumpat damnatorum librorum defensio.

Post effusa ergo virulentissimę linguę venena, pergit: [Vnus ex ipsis nomine Bernardus Abbas, cùm esset Pontifex Concilij illius, prophetauit dicens, Expedit nobis, vt vnus exterminetur homo à populo, &c.]

Et mox: [Intra tot itàque, & tantas angustias deprehensus Abailardus, ad Romani examinis confugiat asylum. Filius sum, inquit, Romanæ Ecclesiæ. Volo causa mea quasi impij iudicetur: Cæsarem appello. At Bernardus Abbas, cuius brachio fidebat Præsulum multitudo, non dixit vt Præses, qui tenebat Paulum in vinculis, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis: sed, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem non ibis. Renunciauit enim, quæ gesta fuerant Apostolico: & statim à Romana Sede literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volauerunt. Damnatur taliter os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis. Damnatur proh dolor! absens, inauditus, & inconuictus.] Ità ille, & in Bernardum, & in Episcopos, & in Romanam Sedem furit, quòd absens, inauditus & inconuictus damnatus sit Petrus Abailardus.

Et mox: [Quidquid intestinus odiorum furor, quidquid implacabilis amentię turbo rotaret in Petrum, quidquid iniqua conflaret æmulatio, censuræ Apostolicę sobrium numquam dormitare deberet acumen. Sed facilè deuiat à iustitia, qui plus hominem, quàm Deum timet in causa. Verumque illud est, quod per propheticum organum sonat, omne caput languidum, à planta pedis vsque ad ceruicem non est in eo sanitas.]

Cumque Catholicum Abailardum ex intexta eius fidei cofessione probasset, Bernardum rursùs obiurgat: [Deberet ergo refugium apud Sedem Petri inuenire, si non illecebræ tui eloquij clausissent viscera misericordiæ Ecclesiæ Romanæ.]

Tum descendit ad Indiculum Capitulorum erroneorum, quem summatim compilauerat Bernardus, [ne breuiter volentibus attingere summam rei, onerosum esset ire per spatiosos saltus voluminum Abailardi.]

De eo sic ille: [Horum quædam, fateor, Petrus & dixit, & scripsit. Quædam verò neque protulit, neque scripsit. Quæ autem dixerit, & quæ non dixerit: & quàm Catholica mente, ea, quæ dixerit, senserit: secundus arrepti operis tractatus Christiana disputatione ardentet, & impigrè declarabit.] Vides, vt damnata Capitula perneget partim ex verbis, omninò ex sensibus Abailardi constare. Sed & ipsum Berengarium posteà fœdi, itritique conatus pænituit.

Itàque in epistola ad Episcopum Mimatensem in sui iam defensionem, vel in palinodiam potiùs hæc scribit: [Damnauerat Abailardum præceptorem meum Bernardus, & vocem eius sine audientia strangulauerat. Eram ea tempestate adolescens, nondùmque impuberes malas nubes lanuginis abumbrabat, &c. Sed cur, inquiunt, expleto primo volumine, secundum, vt spoponderas, non texis? Quia processu temporis meum sapere creuit, & in sententiam Abbatis pedibus, vt dicitur, iui. Nolui esse Patronus Capitulorum obiectorum Abailardo, quia etsi sanum saperent, non sanum sonabant. Postquam igitur, inquiunt, à secundo libro manus torpuit, quare primum non rasisti? Fecissem hoc, inquam, nisi cassa esset industria. Remanerent enim viua exemplaria, quæ iam per totam Franciam, & Italiam cucurrerunt.]

Priùs illud suum pro Abailardo Apologeticum donari postulat, & ignosci ætati tum immaturæ, & præferuidæ: percupere se, illud radi ex hominum memoria, si qua id posset: incremento ætatis accreuisse sapientiam, & iam à se, æquè vt à Bernardo damnari damnata Abailardi capitula: quia etsi vtcumque humanitate interpretandi, vel violentia potiùs, sanum sapere videri possent: tamen non sanum sonarent, ideòque nec sanum sapere sibi viderentur æquè, vt Bernardo, in cuius sententiam pedibus iuerat. Illud nimirùm superest, vt qui damnatis opusculis defensiones concinnant, his demùm sua audacia alijs defensionibus purganda sit. Vt mox constabit exemplo Otthonis Frisingensis.

55 Gilberti similiter Porretani doctrinam Concilio Rhemensi à Gallicanis Episcopis, & Eugenio tertio Summo Pontifice damnatam, Ottho Frisingensis Episcopus congestis in eumdem Porretanum laudibus, temerè, & præfestinè damnatam censuisse videri poterat.

Ergo is, vt auctor est Radeuicus Canonicus Frisingensis lib. 2. cap. 11. ex hac vita migraturus, etiam hunc post res testamento dispositas, historiarum codicem [manibus suis offerri præcepit, eumque literatis, & religiosis viris tradidit: vt si quid pro sententia magistri Gilberti dixisse visus esset, quod quempiam posset offen-

dere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque Catholieæ fidei asseriorem iuxra sanctæ Romanæ, immò & vniuersalis Ecclesię regulam professus est. Deiudè mulra priùs cordis contririone, & humili confessione reatum suum recognosceus, sumpris sacrosanctis mysterijs spirirum reddit.] Non defuere prorsùs, qui Synodicè damnatos defenderent, sed & ipsos sui puduit, & pęnituit tandem consilij.

Veniamus ad Willelmum de sancto Amore, Theologiæ Parisiensis, Sorbonicęque domus Doctorem, cuius cùm libet de periculis nouissimotum temporum Romæ damnatus esset à Ponrifiee, & Cardinalibus, operæpretium est expendere, quarenus ille sibi licere voluerit, defensionem damnari commenrarij tentare. In responsionibus ad obiecta, hæc ille impacta sibi, & à se refurata scribir: [Item dixit, quòd super istis petebat Coneilium generale. Respondeo, Dixi quòd si aliquis vellet se opponere, quò minùs deberent prædicari pericula nouissimorum temporum, & quòd minùs essenr illa pericula prædicanda, quę dicebam: pararus essem super his subire definitionem Ecclesiastici iudieij, aur Concilij prouincialis, ant Concilij generalis.] Mox ait contra literatum, Roma aduersùs ipsum imperrararum priuarionis beneficij, rumores quosdam, [Magistros Seholares appellasse, pòneures se sub protectione Romanæ Ecclesiæ.]

Er infrà rursùs in Concilio Rhemensis, & Senonensis prouinciarum, Parisijs celebrato, vocatum affuisse se ait, errores & falsirares se prædicasse constanter negantem, [offerentem per Scripruras probaturum quæcumque prædieauerar: paratum, vel corrigere, vel renoeare, quæcumque Concilium corrigenda decerneret, vel renocanda.]

Vbi perspieis, quàm euixè propulsauerit Willelmus calumniam sibi inrortam, quòd Coucilium generale appellasset: quàm non disiuugeret Romanam Ecclesiam à Concilio generali: quàm denique in damnatiooe librorum aduersùs Romani Poutificis senteutiam non rebellaret, qui Concilio etiam prouinciali se absolutissimè emendandum permittebat.

Id euidentiùs effulgebit ex calce illius opusculi: [De libello autem, qui dicitur teprobatus à Domino Papa, & cuius editio mihi imponitur: dico quòd cùm Prælati Franciæ sollicirati, vt cauerent Ecclesiæ Gallicanæ sibi commissæ à periculis nouissimorum temporum: requisiuissent Magistros Parisienses, vt auctoritates diuinæ, & canonicæ Scripruræ de hac mareria loquentes colligerent, & in scriptis rraderene, quia non poterant vacare inspectioni librorum: Ego vnà cum alijs Magistris, & Scholaribus Theologiæ, & Magistris decretorum collegi auctorirates prædictas, &c. Sed volumen mutarum fuit quinquies successiuè, magis, & magis corrigendo, quædam addendo, quædam subtrahendo, quædam verò determinando, Et Secundùm quòd perpendere potui, inspiciendo volumen illud, quod vos mihi Domini mei Cardinales respiciendum dedistis; volumen illud, secundùm quod possum recolere, fuit tertiæ compilationis: quæ postmodum murata fuit bis, & correcta, addendo, subtrahendo, declarando. Nescio tamen vrrum in isto volumiue, quod mihi inspicicodum dedistis, quidquam additum, vel subtractum fuerit per vitium falsitatis. Vnde si Domiuus Papa modum, & formam illius compilationis reprobauit, (nam auctorirares diuinas ibi conrentas, vt ipsemet confitetur, noluit; nec intendit:) sententiæ suæ non resisto, sed obedio; credeus firmiter, quòd si quarram, vel quintam compilationem earumdem auctoritatum vidisset, non eas reprobasset, sed potiùs approbasset.]

Vbi aducrte meram illam propèmodum fuisse compilationem testimoniorum ex Scripruris, & Partibus.

Secundò: Iussu Episcoporum consarcinatam.

Tertiò: A compluribus Doctoribus Theologiæ, & Decretorum.

Quartò: Vrgente maximè Prædicatorum familia damuatam Romæ, iam non ab Episcopis, non à Magistris defendi: quin immò *id excipi*, *ab ipsis auctoribus* antè emendatam.

Quinrò: Nec alirer poterar fieri, [cùm in vnaquaque Compilarionum dictarum, iu principio supponeretur ipsa Compilatio correctioni Ecclesiæ, id est Domini Papæ, & aliorum Prælarorum, quibus competit auctoritas corrigendi.]

Sextò: Inculparos ideò esse prosequitur auctores reprobaræ compilationis, cùm quidquid Papæ displicuit, defensare non velint.] Er post interiecta Augustini verba, sua aliqua recanrantis, adijcir: [Igitur Parres sancti, ego & alij socij mei, eadem comperenter dicere possumus de Compilationibus supradictis, vt qui primas non potuissemus habere partes sapientiæ, nihil impœnitendum dicendo; saltem secundas haberemus modestiæ, quod displicuerar corrigendo.]

Septimò: Cùm Romanæ censuræ cauterio emarcuisse intelligeret Willelmus illas omnes de periculis nouissimorum temporum compilationes: doctrinam suam in aliud operosius opus congessit, cui nomen fecit, Collectiones Scripturæ sacræ. Et statim: [Hanc autem Compilationem, seu Scripturarum Collectionem correctioni summi Pontifieis, & aliorum auctoritatem corrigendi habenrium, per collationem Catholicam, si eis placuerir, faciendæ, supponimus humiliter, & deuotè.] Et rursùs ad calcem operis eadem verba iterat, additque: [vt per eos corrigantur, si quæ fuerint corrigenda; vel abrogentur, si quæ fuerint in eis abroganda: cùm tamquam homines minùs intelligendo errare possimus. Non enim nos ipsos ità peruersè amamus, vt alios in prædictis sententijs, ideò errare velimus, vt error noster lateat.] Apud eumdem leges in pręposita prędatione, seu Apologia, quid de postremo hoc opere Clemens IV. ad Willelmum scripsecit, cùm leuiter, & raptim lectitando degu-

stasse, sensissetque inhærentem adhuc prioris libelli saporem.

Octauò: Et ibidem rursùs legere est libellum illum per Nuncios S. Ludouici Francorum Regis ad Papam delatum Romam: excussum ibi à quatuor Cardinalibus, partim Dominicanis, partim acerrimis Mendicantium fautoribus: multa affi-cta libro, quæ aberant; Willelmum absentem damnatum, indicta causa, nullis præuijs monitionibus. Vode Bullas subreptitias ominatur fuisse Pseudo-Philaletbes Apologiæ Willelmi artifex, à Willelmi ipsius reuerentia,& verecundia supra laudata, reuerentiaque in Sedem Apostolicam alienissimus.

Nonò: Nec aliter Willelmus poterat, vt qui libellum ab aduersarijs elaboratum, nempè Euangelium æternum, à Romano Pontifice damnari curauerat, de quo ait ipse: [Certum est, quòd iam prædicaretur, nisi esset aliud, quod detinetet. Quid autem detineat, scitis, nimirùm imperium Petri, & eorum, qui tenent loca Apostolorum, nimirùm Episcoporum.]

Et similiter de libro Abbatis Ioachimi in responsionibus ad obiecta: [Item dixie, quòd liber Abbatis Ioachimi, qui continet multas hæreses, non potest damnari Romæ, quia plures sunt ibi defensores, qui defendunt eum. Respondeo, Non sic dixi. Sed cùm ego, & quidam alij prædicassemus contra errores repertos in libris, qui dicuntur esse Abbatis Ioachimi, & diceret nobis populus,quare non procurabamus illos errores apud Sedem Apostolicam reprobari: ideò dixi, quòd de illis erroribus iam aliqui erant damnati, vt intellexeram;reliqui verò non poterant ità citò inspici ad damnandum, tum propter magnitudinem, & multitudinem illorum; tum etiam propter multiplicem eorum occupationem, quia libri habebant alios defensores.] Quibus abundè persuadet Willelmus, non semper generali Concilio opus esse ad errorum, librorumque inustionem: Episcopalibus Synodis,vel Romanæ Sedis rescriptis eos desigentibus motigerandum omninò esse, nec cauillatorijs defensionibus tempus, calamumque conterendum.

56 Referri eò forsitan posset, & librorum Ioannis Hus proscriptio in Concilio Constantiensi facta, vbi sess.15. hæc habentur. [Quos libros Ioannes Hus fatetur se composuisse, verumtamen quòd ad articulos ex dictis libris in suis responsionibus præcisè non respondit, sed certis modificationibus, & limitationibus.] Et infrà habentur verba ipsa Ioannis Hus, [De articulis extractis de meis libellis, saltem qui fuoe debitè extracti,dico,quòd quicumque ex illis includit aliquem falsum sensum, illum detestor.]

Et sess. 21. in sententia definitiua aduersùs Hieronymum de Praga, [Asserens se in libris Ioannis Vuicleff,& Ioannis Hufs nullam vnquam hæresim, vel errorem legisse, in quibus constat plures errores, & hæreses contineri.]

Et sess. vlt. suspectum quemlibet in hoc negorio, interrogandum statuunt, [Vtrum credat, quòd condemnationes Ioannis Vuicleff, Ioannis Hufs, & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris, & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint ritè, & iustè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ. Item vtrùm credat, teneat, & asserat Ioannem Vuicleff de Anglia, Ioannem Hufs de Bohemia, & Hieronymum de Praga, fuisse hæreticos, & pro hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros, & doctrinas eorum fuisse, & esse peruersos, propter quos, & quas, & eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati.]

Vides quaneis factorum, & personarum,maximè autem librorum Indicijs confessio fidei Catholicæ astringatur. Ità & Ioannes Vuicleph apud Vualsinghamium in hist. Angl. ad annum 1378. doctrinam indoctam Marsilij de Padua, & Ioannis de Gandauo ludificatorijs interpretationibus obducebat, reducebatque, vt ibi ad Oxoniense Studium conqueritur Gregorius Papa, [districtè mandans, quatenùs conclusiones, & propositiones in bonis operibus, & fide malè sentientes, licèt eas proponentes, sub quadam verborum, siue terminorum curiosa implicatione nitantur defendere, de cætero non permittatis asseri, vel proponi.]

Et infrà idem Vualsinghamus intexta Vuiclephi propositionum ab ipsomet concinnata Apologia, ait: [Hoc modo idem versipellis Ioannes Vuicleph, ponendo intellectum in suis nefandis propositionibus, delusit suos examinatores, Episcopos derisit, & euasit. Quæ omnes si simpliciter caperentur, secundùm modum, quo ipse in scholis, & in publicis disputationibus eas protulit, hæreticam proculdubiò sapiunt prauitatem. Non enim circumlocutionem aliquam iis immiscuit, quando eas laicorum auribus instillauit.]

Et idem rursùs ad annum 1382. cùm complusculas Vuiclephi propositiones dānasset Archiepiscopus Cantuariensis cum cœtu Sapientum, ait, Cancellarium Oxoniensem,& alios Vuiclephi fautores diù restitisse: [Qui tandem post multas tergiuersationes, imponendo duplicem sensum in eisdem, & cauillationes diuersas; coacti sunt licèt inuiti, simpliciter proferre sententiam suum de præmissis, facta priùs protestatione, quòd vellent, & intendrent esse humiles,& fideles filij, & Ecclesiæ in omnibus obedire, &c. Concesserunt igitur cunctas præmissas conclusiones, intelligendo eas, prout verba sonant,fore, vel hæreticas, vel erroneas, iuxtà quòd dominus Archiepiscopus, & Magistrorum cœtus plena deliberatione definierat de eisdem.] Hæc Vualsinghamius.

57 Et audiendus hìc sanè Ioannes Gersonius. [Concilium generale potest damnare propositiones multas cum suis auctoribus, licèt habere glossas aliquas, vel expositiones, vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est in hoc Concilio de mul-

multis articulis, & Vuicleffi, & Ioannis Huss. Quorum aliqui poterant de vi Logicæ, vel Grammaticæ defensionem aliquam recipere, vt in articulis, qui sunt indefinitè positi, &c. vel qui possent ad aliquem sensum verum trahi, si seorsum ponerentur. Sed Concilium hoc solerter attendit, quia iuxtà Hilarium, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Iterùm illud Augustini, Liberis verbis vtuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem piarum aurium non pertimescunt. Nobis autem scilicet Theologis ad certam regulam loqui fas est.] Tametsi ergo aptari possit rectus aliquis sensus, nonnullæ tamen propositiones damnandæ sunt.

Primò, quia & malo infici sensu possunt. Nec enim Theologis Christianis, peręquè vt Ethnicis philosophis fas est, effræni libertate verborum vti, sed ad certam regulam loqui cogimur. Quantumcumque ergo ex antecedentibus exprimi posset recta sententia alicuius propositionis, si eam tamen nefario aliquo sensu conspurcatam, & offendiculis creandis idoneam iudicet Ecclesia, illam iure vtique meritissimo proscribet.

Secundò: Etiam castam alioqui propositionem, ex antecedentium tamen consequentia vitiosam iudicare potest Ecclesia. Ecclesiæ ergo acquiescendum, seu ex antedictorum tenore, seu ex verborum per sese ipsorum absoluta absurditate propositionem quamlibet inurat.

58 Et idem alibi, has ineptias exufflat, tum à Ioannis Parui defensoribus quibusdam euulgatas: [Quòd nulla propositio, quę potest ad aliquem sensum verum trahi, vel apponi, etiam de vi Logicæ, vel Grammaticæ, debet condemnari, maximè iudicio fidei. Quòd propositio habens duos sensus, vnum verum, & alium falsum, nullo modo debet iudicio fidei reprobari, etiamsi fuerit scandalosa, vel piarum aurium offensiua, vel ad errorem inductiua.] Et idem rursùs in Concilio Constantiensi hanc narrat quorumdam calumniam: [Calumniantur alij secundò, quòd assertiones istæ sunt infideliter, & perperàm præfato magistro Ioanni Parui per æmulos attributæ.] Et mox Gersonius idem, [Porrò non secùs euenit in hoc Concilio, dum assertiones absque asserentis nomine nunciatæ sunt, quod versum vidimus in grande præiudicium causæ fidei, & Catholicæ veritatis, quia non ità potuit intelligentia dictorum ex causis assumi dicendi.]

Itàque Defensores Ioannis Parui illas, quas Constantiense Concilium absolutè, & sine auctoris nomine damnarat propositiones, falsò ei attribui iactabant; & cùm recto sensu gaudere possent, eo à se retineti, & omninò satiùs fuisse, eas non damnari in Concilio. At Gersonius damnationis factæ, & Synodi defensor duo ex aduerso efficere nititur, eas damnandas fuisse, & si bono aliquo sensu donari possent à molliori interprete: & conducibiliùs futurum fuisse, vt citato nomine auctoris, & libri damnarentur, quo certiùs ex antecedentium enucleatione exculperetur sensus dãnatæ propositionis. Igitur adeò non abroganda Synodis est certissima illa sagacitas, propositiones à libris decerpendi, & in auctorum proprio sensu configendi: vt ex aduerso nusquam apertiùs dilucescat sensus damnatæ propositionis, quàm vbi à Synodis damnatur, vt excerpta aliquo ex libro, & in ipsissimo auctoris sensu.

Et rursùs idem paulò post, [Veniamus ad sextam calumniam, dicentium, quòd assertiones istæ sunt satis exponibiles ad aliquem sensum verum. Respondemus negatiuè, si iuxtà regulam Hilarij, intelligentia dictorum ex causis assumatur dicendi: combinando scilicet conclusionem cum præmissis, & præmissas cum probationibus ad inuicem. Ceterùm etsi verum esset id, quod allegatur de exponibilitate ad aliquem sensum verum, nihilominùs propter casus longè plures falsissimos, & notoriè scandalosos, redderentur condemnandæ.] Et rursùs ibidem continuò: [Respondemus alteri calumniæ, quæ à veritate vacua, per numerositatem conatur euincere, dicens, assertiones istas plures habere defensores, quàm oppugnatores, sunt idcircò veræ, vel saltem opinabiles. O fallacissima, & hæreticis, atque erroribus fauens calumnia? Non insequeris, inquit lex, multitudinem ad faciendum malum. Quare? Quia stultorum, & etiam malorum infinitus est numerus. Nihilominùs si ad numerum, & meritum placet attendere, non dubitamus multò plures, atque grauioris auctoritatis nos habere, tam in hoc sacro Concilio, quàm alibi.]

Vbi rursùm elucet auctoritas Synodi in sensu auctorum expromendo, & contere ndo: quodque nulla aduersùs Ecclesiæ Catholicæ, seu Synodi maiestatem excipi potest secùs sentientium multitudine. Tum aliam rursùs exufflat calumniam, qua hæc dictitabant spectare non ad iudicium fidei, sed ad causam sanguinis.

59 Et apud eumdem deniq; legitur schedula ex parte Parisiensis Episcopi ex Concilio Constantiensi missa ad Magistros scholæ Parisinæ, continens propositiones extractas ex quaternionibus magistri Ioannis Parui, &c. [Quærunt euasionem aliqui, dicentes, quòd illæ assertiones possunt exponi rationabiliter, addendo glossas aliquas, &c. Addunt pro regula, quòd nulla propositio damnanda est, quæ potest trahi ad bonum sensum, Sed illa responsio cum sua additione perniciosissima est, & contra omnem Ecclesiasticum ritum, quia sic fundabant se hæretici, prout vidimus in Vuicleff & Huss, qui dum vrgebantur, confugiebant ad glossas.]

60 Ad Concilium nunc Basileense deuehamur, cuius sessione 22. damnatur Augustinus de Roma: [Sacrosancta generalis Synodus libellum quemdam editum à Magistro Augustino, vulgariter dicto de Roma, Archiepiscopo Nazareno, cuius primus tractatus de Sacramento vnitatis Iesu Christi & Ecclesiæ, siue de Christo integro intitulatur. Secundus de Christo capite, & eius inclyto principatu. Alius de charita-

te

te Christi circà electos, & eius infinito amore. Tamquam non sanam, & erroneam in fide doctrinam continentem, cum suis defensorijs damnat & reprobat. Et potissimè scandalosam illam, erroneam in fide, in ipso libello contentam, quam piæ fidelium aures sine horrore audire non possunt, videlicet, Christus quotidiè peccat, & ex quo fuit Christus, quotidiè peccauit. Quamvis de capite Ecclesiæ Christo Iesu Saluatore nostro dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo capite vnum esse Christum asseruit, intelligentiam eius esse referendam dicat.] Sanum, & pium auctor ipse suo scripto vendicabat sensum, & ab ipsa Synodo laudatum: damnatur tamen propositio, vt erronea in fide, damnatur liber, damnantur in eius defensionem elucubrata quælibet commentaria. Accumularis autem eiusdem notæ propositionibus alijs, addit Synodus: [Nec igitur per huiusmodi doctrinam in errorem quempiam fidelium prolabi contingat, districtè præcipit, ne quisquam præfati libelli doctrinam, & præsertim suprascriptas propositiones damnatas, ac reprobatas, ac etiam eius tractatus defensorios docere, prædicare, defendere, aut approbare præsumat. Eos autem, qui secùs egerint, tamquam hæreticos, & aliàs animaduersione canonica puniendos decernit. In nullo autem per hæc derogare intendit, dictis, aut scriptis sanctorum Doctorum in prænominatis materijs loquentium. Quin immò ea recipit, & amplectitur, iuxtà eorum veram intelligentiam, per eos, aut alios Catholicos Doctores in Theologica schola communiter expositam, & declaratam.] Additur, personæ auctoris, qui doctrinam suam determinationi Ecclesiæ submisit, nihil præiudicari.

Etsi Patrum verba secutus videretur Augustinus iste, etsi ipse etiam rectum sensum libellis suis adsereret, etsi defensiones prolixas concinnaret, proscripti sunt tamen eius omnes libri; & eorum defensores, si qui emergerent, tamquam hæreticos illos haberi decretum.

61 Recurrere iam iuuabit ad antiquiores, & eos maximè scriptores, quorum defensionem arripuere nonnumquam Catholici quidam viri, tametsi synodica iam in eos tela contorta essent.

Priscilliani meminit Hieronymus in Scrip. Eccles. [Hic vsque hodie à nonnullis Gnosticæ, Basilidis, & Marcionis hæreseos accusatur, defendentibus alijs non ità eum sensisse, vt arguitur.]

Nec adijcit suum Hieronymus ea de re iudicium, tametsi præmiserit: [Edidit multa opuscula, de quibus ad nos aliqua peruenerunt.]

Huiusmodi illi erant Priscilliani defensores, qui in Concilio Toletano I. eius & doctrinæ, & libris, & nomini anathema dicere coguntur. [Symphosius Episcopus dixit, & cùm accepisset chartulam de scripto recitauit: Omnes libros hæreticos, & maximè Priscilliani doctrinam, iuxtà quod hodie lectum est, vbi innascibilem Filium scripsisse dicitur, cum ipso auctore damno, &c. Comasius Presbyter ex chartula legit; Priscillianum huius dicti auctorem cum ipsius dicti peruersitate, & quos malè condidit libros, cum ipso auctore condemno.] Id ipsum plures alij confessi sunt.

Subjicitur autem: [Herenas clericos suos sequi maluerat, qui sponte, nec interrogati Priscillianum Catholicum, sanctumque martyrem clamassent, atque ipse vsque in finem, Catholicum hunc esse dixisset, persecutionem ab Episcopis passum. Quo dicto omnes sanctos, iam plurimos quiescentes, aliquos in hac luce durantes, suo indicio deduxerat in reatum.] Ideò hunc statim sacerdotio submouent cum socijs clericis, Episcopisque.

Et Idatius in Chronico: [In Ciuitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in qua Symphosius, & Dictinius & alij cum hijs Gallæciæ Prouinciæ Episcopi, Priscilliani sectarores, hæresim eius blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ, subscriptione condemnant.]

Legitur & post Concilium Tolet. II. epistola Montani Episcopi Toletani ad fratres territorij Palentini: [Perdirissimā Priscillianistarum sectam, tàm actis, quàm nomine à vobis præcipuè nouimus honorari, &c. Vnde quæso, vt perfidiam cum auctore damnantes, regulam fidei teneatis, &c.]

Et in Concil. Brachar. I. anno 563. varia errorum monstra describuntur, & Priscilliani sigillatim esse admonentur, vt damnari pariter cum auctore ab omnibus debeant.

Denique Ildefonsus Toletanus Episcopus antecessoris sui Montani elogium texens lib. de viris illustribus cap. 3. hæc habet: [Amatores quoque Priscillianæ sectæ, licèt non operarentur eadem, quia tamen memoriam eius amore retinerent, abdicat, & exprobrat, commemorans, quòd in libris beatissimi Turibij Episcopi ad Leonem Papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, conuicta, atque decenter maneat abdicata.] Hæc ille alludens ad epistolam Montani suprà libatam.

Hinc perspicis defendentes Priscillianum non ità sensisse, vt arguitur, facilè eò delabi, vt ipsi cum Priscilliano sentiant: nec aliò posse inclinari Iudicium Ecclesiæ, quàm vt errori eos suffragari suspicetur, qui suffragantur libris, quibus inesse errorem ipsa exploratum habet. Non immeritò autem eos Synodus detestatur, qui Priscillianum absoluentes, Episcopos Orbis Christiani omnes, qui eius damnationi subscripsere, vna damnationis sententia inuoluunt.

62 Origenis defensores ab Augustino memorantur, nec vllius insimulantur hæreseos, lib. de hæref. cap. 43. vbi sententia Epiphanij de Origene, & eius mendacijs adscripta, ipse subijcit: [Hæc quidem de Origene Epiphanius refert, sed defensores eius dicunt Origenem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnius, eiusdemque substantiæ docuisse, neque Resurrectionem repulisse mortuorum. Sed qui eius plura legerunt, contradicunt. Sunt & alia huius Ori-

Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omninò non recepit, in quibus, nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione, & liberatione, ac rursùs post longum tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuersæ creaturæ. Dicit prætereà ipse Origenes, quòd Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit, Patri collatus mendacium. Et quantùm distant Apostoli Christo, tantùm Filius Patri.]

Agnoscit sanctus Pater defensores Origenis, sed improbat, dum minùs versatos in eius operibus ostendit, & ab eis, qui plura eius legerunt, refelli:

Secundò, dum alia refert eius dogmata, explosa ab Ecclesia, vbi non possit à defensoribus suis excusari.

Tertiò, non adeò insaniebant Origenis defensores, vt ea ipsa opuscula eius tuerunt, quæ Ecclesiæ displicebant, sed paucà eius legerant, hæc tuebantur: qui plura, quàm illi legerant, ex his errores eius inuictissimè demonstabant. Denique neque dum tunc Synodus generalis vlla in eius operum examen incumbuerat.

63 Sed quatenùs à viris Catholicis defenderetur Origenes, ab Hieronymo docebimus epist. ad Pammach. & Oceanum de error. Orig. Falsata ab hæreticis causabantur eius scripta. Itàque insaniam dogmatum inesse confitebantur, nec oculos exculpebant Ecclesiæ Christi, hæresum certos indagatores, vt sibi eos vnis vendicarent: sed ab hæreticis posteà hæc inspersa esse sinceris antè libris Origenis cauillabantur. Quos tamen ipsos suggillat Hieron. [Solus inuentus est Origenes, cuius scripta in toto Orbe falsarentur: & quasi ad Mitridatis literas, omnis veritas vno die de voluminibus illius raderetur. Si vnus violatus est liber, num vniuersa eius opera, quæ diuersis, & locis, & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt? Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit: & causas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita, in publicum protulerit. Et quid adhùc *aitiologoysin* aliena esse, quæ displicent?] Tolerabilius id multò, vt quæ damnabat Origenis Ecclesia, ea ab hæreticis inserta dicerentur, & ità pariter damnarentur, quàm vt ea, & Origenis esse, & Catholica esse, & ab Ecclesia non intelligi, ideòque damnari blatterantur.

64 Et in Apolog. adu. Ruffin. [Videamus quibus argumentis probare nitatur, Origenis ab hæreticis scripta vitiata, &c. Hac defensionis perturbatione, nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt: quia quidquid nos ab his impiè dictum obiecerimus, discipuli respondebunt, non à magistris suis ità editum, sed ab inimicis suis esse violatum. Hoc genere, & iste ipse tuus liber, tuus non erit: & meus liber non erit meus, sed tuus, &c.] Nec id ergo patitur sanctus Pater, quod multò tamen erat lenius.

Cumque venditaretur Martyr Pamphilus Origenis Apologeticus lucubrasse, quo non errores propugnaret, sed propulsaret: hanc à Martyre maculam propulsat Hieronymus, & concinnatum ab Eusebio Arianæ sectæ signifero illud Apologeticum docet: adijcit autem: [Sed concedamus ex superfluo, vt Pamphili sit, sed necdum martyris. Antè enim scripsit, quàm martyrium perpeteretur. Et quomodò, inquies, martyrio dignus fuit? Scilicet vt martyrio deleret errorem, vt vnam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto Orbe martyres antequam cæderentur, varijs subiacuere peccatis? Defendamus ergo peccata, quia qui posteà martyres, priùs peccatores fuerunt.] Quibus aduertere animum eos oportet, qui Catholicos iactitant habitos, nec hæreseos nota inustos, qui ità Origenem tuebantur, vt erroribus ipsum explicarent, non implicarent seipsos. Id enim illi ante eius toto Orbe euulgatam damnationẽ moliti sunt, & de eo ipso conatu apud sanctos Patres malè audierunt.

65 Nihilò seciùs autem adigebantur, & errori, & auctori eius Origeni anathema dicere, nulla ratione habita istiusmodi tergiuersationis. Idem Hieron. ibid. [Hoc enim vel maximè cauent, ne quando contra auctorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt cum iuramento, quod posteà alio soluant periurio. Ad subscriptionem tergiuersantur, quæruntque suffugia. Alius: Non possum, inquit, damnare, quod nemo damnauit. Alius: Nihil super hoc à Patribus statutum est; vt dum totius Orbis prouocatur auctoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs, Quomodò, inquit, damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Arium, damnasset vtique & Origenem, si illius dogmata reprobasset. Hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est. Quòd si quando vrgeri cœperint, & aut scribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia, miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & nostram, & aduersariorum confessionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.]

Vbi vides, & istos defensores Origenis auctoritati Orbis totius Christiani, vel Synodo Nicænæ, seu Oecumenicæ concessuros fuisse, nec vlterius effrænatam in istiusmodi etiam quæstionibus licentiam vsurpaturos. Vides rursùm, etsi interpolata cauillarentur ab hæreticis volumina Origenis: & ipsum, non errores tueri se profiterentur, adeòque nec à Catholico nomine excidissent: non immeritò tamen, vel errorum defensionis suspectos Ecclesijs fuisse, ac proindè compulsos ad subscribendas fidei Catholicæ formulas: vbi conduplicatis tergiuersationum suarum artibus, suspiciones Ecclesiæ de ipsa eorum fide confirmabant.

66 Accedat & Seuerus Sulpitius defensoribus Origenis propitius, vt qui maximè,

nec

nec eorum tamen audaciam procaciorem, & errorem dissimulans.

Etenim dial. 1. [Alexandriæ fœda inter Episcopos, atque Monachos certamina gerebantur, ex ea occasione, quia congregati in vnum sæpiùs Sacerdotes frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet, qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant, quæ adsertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potiùs fraudulenter inserta dicebant, & ideò non propter illa, quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cùm legentium fides facilè posset habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen Catholicè disputata retineret. Non esse autem mirum, si in libris neotericis, & recens scriptis fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere Euangelicam veritatem. Aduersùm hæc Episcopi obstinatiùs renitentes, pro potestate cogebant, recta etiam vniuersa cum prauis, & cum ipso auctore damnare, &c. Mihi autem ex illius libris quædam curiosiùs indaganti admodùm multa placuerunt; sed nonnulla deprehendi, in quibus illum praua sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror vnum, eundemque hominem, tam diuersum esse à se potuisse; vt in ea parte, qua probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem: in ea verò, quæ iure reprehenditur, nemo deformiùs doceatur errasse.]

Et paulò post: [Ex partium studijs orta seditio est, quæ cùm reprimi Sacerdotum auctoritate non posset, sæuo exemplo ad regendam Ecclesiæ disciplinam præfectus assumitur, cuius terrore dispersi fratres, &c. Illud me admodùm permouebat, quod Hieronymus vir maximè Catholicus, & sacræ legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipuè, vel omnia illius scripta damnaret. Nec verò ausus sum de quoquam temerè iudicare. Præstantissimi tamen viri, & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen siue illud error est, vt ego sentio, siue hæresis, vt putatur: non solùm reprimi non potuit multis animaduersionibus Sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione creuisset.]

Addit Posthumianus non se diù Alexandriæ potuisse consistere, etsi ab Alexandrino Episcopo prolixè exceptum, [quòd ibi recens fraternæ cœdis feruebat inuidia. Nàm etsi fortassè videantur parere Episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam, multitudinem tantam sub Christi confessione viuentem, præsertim ab Episcopis oportuisset affligi.]

Aduertis, vt reor peramicum defensoribus Origenis Posthumianum extitisse, ideóque ei saltem fidem habendam.

Secundò: Quæ damnabant Episcopi, & ipsos damnasse, sed falsata ab hæreticis, & Origenis libris mendaciter inserta clamitasse.

Tertiò: Institisse tamen Episcopos, vt vniuersa Origenis, cum prauis, & cum ipso auctore damnarent.

Quartò: Ipsius Posthumiani iudicio ipsos parere Episcopis debuisse.

Quintò: Eiusdem iudicio, errorem hunc fuisse eorum, qui contumaciùs Origenem defenderent.

Sextò: Etiam hæresim ab alijs vulgò putatam: ab ipsis, nempè Episcopis, & Ecclesia, Episcop. sententiæ adhærescente.

Septimò: Maximè Catholicum, & sacræ legis peritissimum prædicari Hieronymum, qui hanc vtique hæresim putabat.

Octauò: Malum istud contentione creuisse.

Id enim Origenis defensores consecuti sunt tandem, non vt sententiam Ecclesia recantaret, non vt errore confosso de auctore, & libris liberum esse sineretur disputare, sed vt quinta tandem Synodus cogeretur aduersùs totum Origenem.

Quod veluti præsagiebat Hieronymus in epistola ad Pamm. & Ocean. de eius error. [Ipse si adhùc viueret Origenes, irasceretur vobis fautoribus suis, & cum Iacob diceret: Odiosum me fecistis in Mundo.]

67 Quo autem iure defensores Origenis non erroris tantùm à Posthumiano, sed hæreseos ab Episcopis insimularentur, patuit quintæ huius Synodi temporibus, cùm, vt ait Liberatus cap. 23. ad Pelagium Romanæ Ecclesiæ Apocrysarium, [venerunt Monachi ex Hierosolymis, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur, cum illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus existens Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, volens ei nocere, eo quòd esset Origenis defensor, vnà cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano, flagitabat à Principe, vt iuberet fieri, quod illi Monachi supplicabant, vt Origenes damnaretur, ipsaque capitula, talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis iudicium ferre.]

Sic damnationi Origenis toto Orbe subscriptum subdit:

Defensores autem istos Origenis, non personæ tantùm, sed errori etiam indulsisse, docebit nos Facundus libro 1. cap. 2. [Inquietus, & impudens hæreticorum spiritus, sæpè frustratus cùm Chalcedonensis decreta Concilij subuertere niteretur, inuenit desideratam occasionem ex furore quorumdam, qui sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantur, &c. Cùm & Domitianus Ancytensis Episcopus Prouinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum, quem ad beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quòd eius complices Origeniani cùm viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad vltionem eorum, quæ contrà Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commouerunt.]

Vide & lib. 4. cap. 4. Dilucidum hic est, quò hęc erumpat tandem damnatorum librorum defensio, vt non Scriptores extricentur, sed lectores, defensoresque, vel inopini, vel lubentes illaqueentur damnatis erroribus, etsi Catholico palliati nomine, ac schemate. His enim Episcopis sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantibus consentiebant, & Monachi complures, illorum, vt par est credere, soboles, qui personæ, vel libris, non errori fauere Origenis olim videri volebant.

Cyrillus in vita magni illius Euthymij apud Sutium, die 20. Ianuarij: [Cùm congregata fuisset Constantinopoli quinta sancta Synodus, & Origenis, & Nestorij dogmata fuissent ab ea percussa anathemate, & qui nouam Lauram tenuerunt, Origenistæ fuissent expulsi illiuc, & Fideles, Orthodoxique Patres rursùs in eam migrassent, &c.]

Vide & Euagrium Origeniana lue laborantes Monachos perstringentem.

68 Inuidiosè autem nobis obiectant permagnos olim viros, ingentis etiam famæ Neotericos, qui Theodoreti, qui Origenis patrocinium sumpserint. Et pro Theodoreto quidem, ne Scholæ Parisiuæ annuos ferè aliquos Palęstritas recenseam, qui pro eius scriptis aduersùs Cyrillum ab hæresi purgandis decertant, omnium instar esse possunt seculi huius splendidissima lumina Petauius, & Sirmundus, apertissimi, iidemque validissimi Theodoreti defensores.

Sed his prçluxerat Agobardus Lugdunensis Episcopus, ante annos ampliùs octingentos, aduersùs Felicis dogma hæc scribens: [Cùm vtrumque, idest, Nestorium, & Eutychen veritas fidei abijciat, quæ medium inter eos tenet locum, beatus Cyrillus eiusdem veritatis defensor, Alexandrinus Antistes, dùm vellet corrigere prauitatem Nestorij, propter obscuritatem verborum, vtpotè subtilissimæ rei, offendit beatum Ioannem Pręsulem Antiochenæ Ecclesiæ, & eos, qui cum illo erant: factaque est diuisio inter Antiochenam, & Alexandrinam Ecclesiam. Rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri Episcopus, vt ageret aduersùm beatum Cyrillum; & mirùm in modum dùm vtrique essent Catholici, idest, & Antiocheni, & Alexandrini, beatus Cyrillus dùm putatur esse hęreticus, quod non erat, inuentus est à Theodoreto inter Nestorium hęreticum, & Cyrillum Catholicum medius locus. Vndè idem Theodoretus pugnans pro veritate, ageret contrà veritatem, qui dùm istis Catholicis placeret, illis displiceret.]

His adiungunt & Romana Purpura, & eruditione pręstantissimos Baronium, & Bellarminum, qui sextam Synodum in epistola Honorij, & ipsa adeò Honorij persona damnanda, si verè damnauit, aberrare à vero, vtpotè in facti quæstione palàm prædicant, cum compluribus alijs.

Quid de Origene? Sixtus Senensis, alijque deinceps plures scripta eius ab erroris, & hęreseos accusatione vendicarunt. Nec tamen hactenùs quisquam his non auctorum tantùm, sed librorum etiam synodicè damnatorum defensoribus aspersit ignominiam, vel erroris, vel hęreseos, vt qui hereses ipsas execrentur, eas autem talibus libellis contineri pernegent, quæ facti quęstio est.

Et quantos sanè olim ex sanctis Patribus, ac Romanis Pontificibus inuenimus, illis patrocinatos esse & scriptoribus, & scriptis, quibus posteà succensuit Ecclesia, & hęreseos cauterium inusit?

Quid Basilio Cæsariensi, & Gregorio Nazianzeno castigatus? Illi tamen, reste Socrate libro 4. cap. 21. [Origenis libros sibi collegere, ex illisque exercitati contrà Arianos strenuè dimicauere. Cùmq; Ariani Origenis libros ad eorum dogma confirmandum adducerent, illi eorum coarguerunt inscitiam, perspicuèque ostenderunt eos Origenis mentem, & sententiam neutiquam intellexisse.]

Si cui subiesta sit Socratis de Origene fides, at Athanasium nemo nescit Origeni ab Arianæ sectæ inuidia tutando operam, calamumque dicasse.

Si tunc poterant, quin nunc quoque possint, eadem Origenis scripta eo sensu & legi, & intelligi, & exponi, prorsùs Catholico, quo ab Athanasio, Basilio, Nazianzeno.

Si errarunt autem illi, in facto errarunt, non in fide: & cum talibus errare, cui non innoxium, inculpatumque sit?

69 Respondetur primò, qui Origeni antè patrocinati sunt, quàm synodicè in Ecclesia proscriberetur, nullius eos culpæ reos agi posse. Possunt enim dispensariuè multa excusari perdiù, quæ postea abolescente dispensandi necessitate, necessum ex aduerso fit damnari. Quinimmò & Athanasius, & Basilius vna ab auctoritate pendebant Ecclesiæ in istiusmodi clementia sua, vt ne damnarent, quos nondùm damnasset Ecclesia. Indidem ergo cogimur eosdem damnare, quos prędamnauit Ecclesia, si Athanasium, & Basilium sequimur.

Facundus libro 10. cap. 5. [Quamuis nostris auribus dura, & ad excusandum difficilia defendere non refugit Athanasius; & priùs eorum auctorem Dionysium Alexandrinum per hoc voluit esse purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum, quòd ipse non sicut Arius cùm viueret, de impietate fuerit accusatus, aut de Episcopatu deiectus: neque velut hæresim defendens, de Ecclesia, sicut ille discesserit, sed in eius permanserit vnitate: deindè meliùs hęc ipsa interpretari conatus est.]

Itaque non ingenij sui acumen, non sua libido, sed auctoritas Ecclesiæ, quæ Dionysium Alexandrinum, tametsi Arianæ heresi eum suffragari iactarent, damnare abstinuerat, Athanasium impellebat, vt Dionysij scripta purgare humaniori interpretatione niteretur.

Et mox: tametsi verba ipsa Dionysij specie tenùs Ario videantur alludere: [Non quod in verbis sonat, debemus attendere, sed credere potiùs de Ecclesia Christi, quá

regit

regit ipse, qui Sanguine suo redemit, quoniam nisi hęc bona intentione proferret, aut alijs eius dictis auferretur offensio, sine dubio Dionysius in ea non maneret Episcopus. Igitur Athanasius, cuius tota vita martyrium fuit, auctoritati se subdit Ecclesiæ, & quòd Dionysio communicauit vsque in finem, hoc solùm iudicat eius purgationi sufficere, itaut illum pro talibus dictis, non condemnare dico, verùm nec leuiter culpare præsumat.]

Sequamur ergo cum Athanasio vnam maximè auctoritatem Ecclesiæ, & ex eius sententia prælucente scriptores, & libros quoslibet vel absoluamus, vel condemnemus.

Idem de Basilio idem mox sentit, Gregorium Thaumaturgum à Sabellij præstigijs tuente: [Cùm propterea Athanasius, & Basilius, Dionysium, atque Gregorium à criminibus talibus, tantisque defendant, quòd in Ecclesiæ pace defuncti sunt.] Vide & lib. 11. cap. 8.

70 Athanasius etiam ipse vna se incitari maximè Ecclesiæ auctoritate testatur ad Dionysij scripta defendenda: vt ex verbis eius liquet, quæ Facundus idem recitat libro 10. cap. 5. [Calumniari volunt illi viro, & non attendere, quòd neque ab alijs Episcopis de impietate accusatus est, aut de Episcopatu deiectus, sicut isti ex Clericatu; neque ille velut hęresim defendens de Ecclesia discessit, sed in eadem defunctus est, & memoria eius nunc vsque cum Patribus celebratur, & nomen eius scriptum est. Si enim aliquid istorum sentiret, vel de his, quæ scripsit, excusationem non faceret, sine ambiguitate etiam ipse similia pateretur.]

Tùm accedit ad dictorum Dionysij clementem elucidationem.

Igitur Athanasius cùm hoc animo esset, prędamnati ab Ecclesia auctoris verba numquàm excusaret, qui hęc Dionysij ideò defendebat, quòd nulla Ecclesiæ censura iniusta adhùc fuissent.

Exulabat ergo procul ab eius mente illa distinctio quæstionum facti, & iuris in hoc negotio examinandorum librorum.

71 Posteà verò, quàm notati ab Ecclesia fuere libri aliqui, huius obtentu distinctiunculæ, à quoquam sanctorum Patrum defensatos fuisse, inauditum prorsùs est. Quod ipsum in tanta annorum serie, in tanta librorum damnatorum sartagine, momenti satis habet, vt existimemus, nequaquam id eos sibi fas esse duxisse.

Origenis, Nestorij, Priscilliani, Theodori, Theodoreti scriptis etiam post intortam Synodici mucronis censuram, fauisse adhùc aliquos scimus, fauisse Patres nescimus, aut in Patrum, & Magistrorum Ecclesiæ numero habitos fuisse negamus; quin præposteros potiùs fautores, exagitatos ab Ecclesia sui decreti retinentissima fuisse non nescimus. Origeni studuere Ioannes Hierosolymitanus, Ruffinus, & alij id genus, palàm notati in Ecclesia: non Hieronymus, non Epiphanius, non Chrysostomus, non Augustinus. Nemo sanctorum, & probatorum Patrum tam improbo labori, & lasciuienti acumini indulsit, vt Scriptorum verba alios in sensus detorqueret, quàm, qui vniuersali Synodo, & Ecclesiæ alluxissent. Alioqui tota nobis concordia, & maiestas Ecclesiæ fœdaretur, emergentibus in dies cauillatorum cuneis, qui sophistica pugnacitate omnia fixa refigerent, damnata probarent, probata reprobarent, errore eiurato facta sola à se prætenderent retractari.

72 Agobardum sanè, esto, vt Patrum choro includamus. Sed Ioanni Antiocheno impensiùs, quàm par est, eum studere, ex superiùs disputatis abundè elucet. Deindè si verba eius attendas, Cyrillo penè Inbentiùs, quàm Ioanni culpam affricat. Catholicos hinc, & indè certasse, nihil abnuo. Sed lato discrimine. Nam cum Cyrillo Synodus Oecumenica, & Ecclesia. Cum Ioanne Nestorius, & Pelagiani Episcopi. Ioannem denique, & sequaces eius quis nescit, quanta infamia Pseudosynodi tentatæ, oppugnatæ Synodi, defensati Nestorij, Ecclesiæ post absolutam Synodum penè laceratæ obscurauerit? Quæ omnia in Theodoretum redundant. Itàque non satis accurata est horum apud Agobardum narratio, vtpotè aliò properantem. Deindè nec Theodoreto is parcit omninò. Nam laudi non est, inter Nestorium hæreticum & Cyrillum Catholicum medio stetisse loco: nam qui cum Catholico fidei defensore non erat, qui ab eo dissentiebat, sin minùs hæreticè, certè malè sentiebat. Laudi non est, pugnantem pro veritate, agere contra veritatem.

Si excusare libet enim, quia pro veritate, libebit, & accusare quia contrà veritatem. Laudi non est dum istis Catholicis placeret, illis displiceret: Catholicis enim displicuisse, pudendum est, maximè illis, qui inculpatæ sunt fidei sequaces, vt illis placeas, quorum nutat existimatio, quorum vix dum grassatio conquieuit. Denique dum anathematismos Cyrilli in Synodo, & in vniuersa approbatos Ecclesia insectatur, nonnè ipsam insectatur Ecclesiam, & non tam Cyrillo, quà Ecclesiæ vniuersæ Apollinatismum impingit? Nec enim distinctione vsus est Theodoretus, vt anathematismis duodecim aliam Ecclesia, aliam Cyrillus fidem insinuatam vellet.

Qui poterat autem opportuniùs Nestoriana insania propugnari, quàm si Catholica doctrina, qua expugnabatur, Eutychetis, seu Apollinaris contagio laborare infamaretur? Etsi autem Oeconomicè, & prolixiore indulgentia possent excusari vtrumque hæc Theodoreti aduersùs Cyrillum scripta, tantò tamen magis non debent, quantò post concordiam etiam initam ab eo sunt exarata.

Vnde Theodorus Lector lib. 2. [Post conciliationem cum Orientalibus Theodoretus contrà duodecim capita Cyrilli scripsisse fertur.]

Vide Theodoreti ipsius epist. 143. vbi non putat vllos esse, qui dicant duos filios in Christo, epist. 112. quæ post conciliationem scripta videtur, & in accusatione versatur adhuc Cyrilli anathematismorum.

73 Respondetur rursùs non singulorum, qui errare, & in errorem imitatores suos possunt pertrahere, sed Ecclesiæ ipsius vniuersæ consilia, & gesta pensitanda nobis esse,& ad imitationem præstituenda. Damnatos porrò semel vnanimi Episcoporum conspiratione libros quoslibet, (ne iniri autem quidem potest numerus eorum, qui damnati sunt,) immò ne vnum quidem postea inueniemus ab Ecclesia purgatum esse ex illis : aut de eo purgando, vel deliberatum esse, vel potestatem hanc, & curam cuiquam esse mandatam. Vsque adeò in Ecclesiæ etiam hoc genus decretis nusquam reperitur, est, & non, sed merum, & constantissimum est.

Si semel enim hanc illa fenestram aperuisset, quid deinceps fixum, quid statum in fidei doctrina foret ? Vt summùm ergo priuatorum curiositati, & luxurianti vitilitigandi prurigini materiam parant, qui acumen ingenij conterunt in opusculis, quę damnauit Ecclesia, ad alias interpretationes impellendis : non Ecclesiæ seruiunt, cuius retractandæ sententiæ non vllam spem residuam esse sinunt tot anteactorum seculorum exempla.

74 Respondetur iterùm, & Baronium, & Bellarminum, & cæteros omnes neotericos qui damnatis opusculis, defensionem istruxere, eo præsidio suum ipsos conatum obumbrasse, quòd Ecclesiæ imponi possit ijs in rebus, quæ hominum testimonijs comprobantur.

Omnes ad vnum exeunt, eo vno nituntur fundamento, & decantatissimo Augustini testimonio, posteriora anteriorum erroribus mederi posse Concilia, vbi quæ latebant, noua reteguntur eorum experimenta.

Atqui iam animaduertimus primò, ne tum quidem forsan errare Ecclesiam, quin immò potiùs erraturam, nisi his allegatis testimonijs ità pronunciaret. Deinde in quo rei cardo vertitur, istud est, hominum testimonia, rerum experimenta locum non habere vllum in examine librorum trutinando.

Suus illis locus, summque pondus est in causis, seu ciuilibus, seu criminalibus ventilandis, at in tractatorum opusculis excutiendis testimonia, & experiméta omnia, ex ipsismet opusculis expiscanda sunt.

Et si qua aliunde possent affulgescere, ecqua, oro te, vel de Honorij epistola, vel de Theodoreti suspectis opusculis experimenta nobis, & testimonia exiberentur, quæ Patres quintæ, vel sextæ Synodi fefellissent ? Nonne in tam prolixo seculorum decursu intercedissent potiùs : & nos iam præterirent, quæ illos non prætribant testimonia, ad huiusmodi examen necessaria ? Denique hunc scopum habet axioma tum Augustini, tum quod sibi isti proponunt, non vt Ecclesia Ecclesiæ, Synodus Synodo iunior seniori, priori posterior eo derogest, quo ijsdem probationibus allegatis aliud, & diuersum quid iudicet ; sed vt diuersis, nouisque testimonij, atque experimentis exprompris diuersam quoque sententiam tempetet.

Id modestiam Ecclesiæ, id sapientiæ decet sobrietatem. Vnum id suspicor non sine veri colore dici posse, si cuius scriptoris alia quæpiam repræsentarentur scripta, quæ Ecclesiam, vel Synodum aliorum eius librorum damnatricem præterissent, tum hæc noua ferè testimonia, quibus auctoris intentio, & sententia meliùs dilucesceret, & inflicta damnatione absolueretur. Quamquam vel tunc satiùs forsan esset, & hos absolui, & illos horum dissimiles damnari libros, quia non vna semper sibi constat hominis sententia.

Sed Honorij, sed Theodoreti nulla nobis noua stiterunt monumenta, quæ Patres quintæ sextæque Synodi non præ manibus habuerint. Magni ergo viri dum præiudicio suo seruiunt, fundamento etiam suo sunt excussi, quo sibi videbantur niti, & nullo nouo testimonio prolato nouam protulere sententiam.

75 Sed & illud admonendi ijdem sunt, non cuilibet, sed plenario Concilio copiam fieri ab Augustino Concilium plenarium emendandi. Viderint ergo, quo iure id sibi arrogent, quod plenario Concilio, & quidem, vt præcellentissima, summa quædam prærogatiua vendicatur.

Ità vt suprà ostensum, Athanasius, Basilius, ità Facundus, alijque trium Capitulorum defensores, ità eorumdem oppugnatores Episcopi Ecclesiæ auctoritatem vnam, vt Ducem certissimam, vt facem splendidissimam sequebantur, aut sequendam sibi consentiebant, non priuati aciem ingenij, aut pessimam magistram, & in præceps semper Ducem, præsumptionem.

76 Respondetur rursùm ante damnatorum operum defensoribus illud saltem aptandum, quod sibi Hieronymus aptauit, cùm Origenis post damnati defensor priùs extitisse cauilaretur. In epist. ad Pammach. & Ocean. de err. Orig. [Secunda post naufragium tabula, culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitamini, & correctum. Errauimus iuuenes, emendemus senes. Iungamus gemitus, lacrymas copulemus. Si Origenem numquam sequutus sum, frustrà infamare me quæritis. Si discipulus eius fui, imitamini pœnitentê. Credidistis confitenti, credite, & neganti.]

Illud saltem aptandum, quod de Pamphilo martyre idem paulò post scribit, qui pro Origene Apologeticum scripsisse dicebatur. Nam etsi Pamphilus non errores tueretur, sed alium in sensum raperet Origenis verba, scripti tamen huius Apologetici maculam diligenter ab eo amolitur Hieronymus, illudque vt germanam prolem parenti suo restituit Eusebio Arianorum Principi. [Sed concedamus ex superfluo, vt Pamphili sit. Sed necdum martyris. Antè enim scripsit, quàm martyrium pateretur. Et quomodo, inquies, martyrio dignus fuit ? Scilicet vt martyrio deleret errorem. Vt vnam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto Orbe martyres antequam cæderentur, varijs subiacuere peccatis ? Defendamus ergo peccata, quia qui posteà martyres, priùs peccatores fuerunt.]

Res-

77 Refpondendum item de his faltem id, quod de Pafchafio Eccl. Rom. Diacono librorum de Spiritu fancto auctore laudatiffimo, qui, vt ait Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 4. [In ea contentione, quæ inardefcente zelo fidelium inter Symmachum, atque Laurentium facta eft, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit: & omnium poft vnanimitate fuperatus, in fua tamen fententia vfque ad diem fui exitus perftitit, illum amando; atque præferendo, quem Epifcoporum iudicio præeffe fibi Ecclefia refutauit. Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apoftolicæ Sedis Præfulis effet defunctus, eius dalmaticam feretro fuperpofitam, dæmoniacus tetigit, ftatimque fanatus eft.]

Narrat mox, vt idem poft multum temporis in pœnali loco vifus fit à Germano Capuenfi Epifcopo, quia in parte Laurentij contrà Symmachum fenferat, & indè tandem liberatus. Quia enim non malitia, fed ignorantiæ errore peccauerat, purgari poft mortem à peccato potuit:] vt fubdit Gregorius.

78 Refpondendum de his, quod Beda lib. 3. hiftor. Angl. cap. 4. cenfet de fancto Columba, eiufque difcipulis, Pafcha alieno tempore celebrantibus, fanctitate tamen, & miraculorum gloria præclaris. Quo in errore permanferunt vfque ad ann. 717. Chrifti. [Verùm quia gratia charitatis feruere non omiferant, huius quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt iuxta promiffum Apoftoli dicentis. Etfi quid aliter fapitis, & hoc quoque Deus vobis reuelabit.]

Et cap. 17. cùm miracula poft mortem viri plura memoraffet: [Scripfi hæc de perfona, & operibus viri præfati, nequaquam in eo laudans, aut eligens hoc, quod de obferuatione Pafchæ minùs perfectè fapiebat, immò hoc multùm deteftans, ficut in libro, quem de temporibus compofui, manifeftiffimè comprobaui. Sed quafi verax hiftoricus fimpliciter ea, quæ de illo, fiue per illum funt gefta defcribens, & quæ laude funt digna in actibus eius, laudans, ftudium videlicet pacis, & charitatis, continentiæ, & humilitatis, animum iræ, & auaritiæ victorem, &c. Hæc in præfato Antiftite multùm complector, & amo, quia nimirùm hæc Deo placuiffe non ambigo. Quòd autem Pafcha non fuo tempore obferuabat, vel Canonicum eius tempus ignorans, vel fuæ gentis auctoritate, ne agnitum fequeretur, deuictus, non approbo, nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione fui Pafchæ non aliud corde tenebat, & venerabatur, quàm quod nos, &c.]

Et cap. 25. alijs Catholicum, feu Romanum, alijs erraticum Pafcha celebrantibus: [Hæc diffonantia Pafchalis obferuantiæ, viuente Aidano, patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etfi Pafcha contra morem eorum, qui ipfum miferant, facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis, & dilectionis, iuxta morem omnibus fanctis confuetum diligenter exequi curauit.]

Et mox ad contumaciores errabundi Pafchæ defenfores ità Vuilfridus ibidem perorat: [Illos Dei famulos, & Deo dilectos non nego, qui fimplicitate ruftica, fed intentione pia Deum dilexerunt. Neque illis multùm obeffe Pafchę talem eorum obferuantiam, quandiù nullus aduenerat, qui eis inftituti perfectioris decreta, quæ fequerentur, oftenderet. Quos vtique credo, fi quis tunc Catholicus ad eos calculator adueniret, fic eius monita fuiffe fecuturos, quomodò ea, quæ nouerant, ac didicerant Dei mandata, probantur fuiffe fecuti. Tu autem, & focij tui fi audita decreta Sedis Apoftolicæ, immò vniuerfalis Ecclefiæ, & hæc literis facris confirmata fequi contemnitis, abfque vlla dubietate peccatis. Etfi enim Patres tui fancti fuerunt, numquid vniuerfali, quæ per Orbem eft, Chrifti Ecclefiæ horum eft paucitas vno de angulo extremæ infulæ præferenda? Etfi fanctus erat, & potens virtutibus ille Columba vefter, immò, & nofter, fi Chrifti erat, num præferri potuit beatiffimo Apoftolorum Principi? Cui Dominus ait, tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam.] Vide & lib. 5. cap. 16. 19. 22.

79 Vertebatur hæc quæftio in re ad facta magis, quàm ad fidem attinente, & ad fidem multò vtique minùs fpectante, quàm librorum quorumlibet fpectet iudicium. Et tamen alij Catholico, & Apoftolicæ Sedis, & Ecclefiæ vniuerfalis nomine, ac patrocinio fulciebantur, alij eodē oppugnabantur.

Secundò: Si quis autem Catholicum Pafcha gentis fuæ auctoritate deuictus non fequeretur, non negatur ille quidem fanctitate, & miraculis florere potuiffe, fed in illo tamen eft, quod non laudet, quod non approbet, quod deteftetur cum venerabili Beda pius, & Catholicus quifque.

Tertiò: Si cuius autem fanctitas, & miraculorum gloria fpectatiffima eft, in eo tamen hæc aduerfus Ecclefiæ decreta obftinatio non laudatur, non approbatur, deteftationi eft, fi pœnas etiam poft mortem dat, & quidem diuturnas: quid de illis opinandum, qui ab ifto fanctimoniæ, & miraculorum fplendore procul funt? Si tanta enim charitatis, & fanctimoniæ copia culpam hanc obliterare hic nō potuit, quanta ea culpæ grauitas eft? Nemo fibi tum, aut fi quis, næ ille perperam fibi blandiebatur de hac factorum; & fidei diftinctiuncula. A Catholicis porrò fidentiffimè inculcabatur fequenda indifcriminatim non Columbæ, non tot aliorum pietatis, & miraculorum laude perilluftrium, fed Petri, fed Apoftolicæ Sedis, fed Ecclefiæ vniuerfalis auctoritas.

Quartò: Similiter quod de Columba, & tot alijs viris fanctiffimis Beda, id nos de Baronio, de Bellarmino, de alijs damnata opufcula defendentibus: quanti quanti hi fint, num maiores funt Sede Apoftolica, & Synodo vniuerfali quinta, & fexta, & Ecclefia vniuerfali, quæ hæc opufcula damnat, & defenfores eorum damnat?

Quintò: Et difpenfatiuè hanc feu rufticitatem, feu obftinationem tolerauit

perdidit Sedes Apostolica in Scotis, Pictonibus, & alijs Semibarbaris gentibus: num nobis id sumemus, vt eandem indulgentiam effundamus in quoslibet? Num Quartadecimanos perperam olim damnatos, perperam hæreticis accensitos calumniabimur? Non nostrum id est, sed Ecclesiæ Catholicæ, limites figere iuris remissioni, vel rigori. Vbi autem imminet, & vrget Ecclesiæ, vel Sedis Apostolicæ auctoritas, tum aliquos refragari, & quotumlibet patrocinio abuti, id sanè non laudandum, non probandum, id etiam multùm detestandum est. Vndè, & idem Beda in vita sancti Cutberti cap. 39. hæc extrema eius ad suos verba refert: [Cum illis, qui ab vnitate Catholicæ pacis, vel Pascha non suo tempore celebrando, vel peruersè viuendo aberrant, vobis sit nulla communio.

80 Instant porrò, & percontantur, hoccine de fide sit, Nestorianam heresin hoc huius, putà Theodoreti, libro contineri? Poteritne hæreseos reus agi, qui Nestorianum dogma detestabitur, sed illud libro hoc contineri pernegabit? Respondeo hanc heresin hoc libro contineri à quinta Synodo definitum, & in huius libri defensores anathema cuibratum: quintæ Synodo ab omnibus Catholicis, & debere subscribi, & reapse subscribi. Id abundè esse, vt anathema declinare malimus, quàm de fidei, & factorum distinctionibus litigare.

Secundò: Quintæ Synodo auctoritatem ab omnibus posterioribus Oecumenicis accessisse Concilijs, & fidei confessionibus; in quibus, & illa confirmata est, & in hos libros anathema ingeminatum sexcenties. Catholicæ simplicitati, & veritatis charitati aduersari eos, qui interminatis litibus mendacia inserere satagunt tot Synodis, & earum anathemata incurrere lubentes periclitantur.

Tertiò: Vt de fide id non sit, decretum tamen Synodi est Oecumenicæ, adeòque venerandum, osculandum: ne insolentissimi supercilij sit, si quis se plùs vniuersali Ecclesia, & tot Synodis, & tot sæculorum consensione sapere existimet.

Quartò: Vt de fide id non sit, sed nonnisi à plenario Concilio plenarij Concilij decretum emendari fas est, teste Augustino.

Quintò: Vt de fide id minùs sit, sed nouis rerum experimentis, & hominum testimonijs recentibus opus est, vt priùs iudicium mutetur. Quæ noua his autem circa damnatos libros experimenta, quæ testimonia affulserunt, quæ quintam, sextamque Synodum præterierint?

Sextò: Vt de fide id minùs sit, sed compluta exploduntur, & eijciuntur ab Ecclesia, quæ ad mores, quæ ad disciplinam tantùm pertinent. Quartadecimani, Rebaptizatores, Nouatiani, Hydroparastatæ, & eiusmodi alij sectarij innumerabiles arcana fidei vix attingebant. Albo tamen hæreticorum inscripti sunt.

81 Septimò: Nec abuti hereseos nomine dicas eos, qui tales texunt hæreticorum cathalogos. Illis enim Paulus ipse patronus presto est, qui auctore Chrysostomo, & idoneo sanè interprete, ait, [Oportet in vobis hereses esse, &c. Hìc attendite, quia non de articulis fidei dictum est; Oportet inter vos hereses esse, sed de discordia, & sectis circa mensam. Subdit enim modum hæreseon: Igitur cùm conuenitis in eundem locum, non licèt dominicam cœnam manducare.] Et Hom. 27. in epist. 1. ad Corinth. [Nam, & oportet hereses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Hæreses hìc vocans. non eas, quæ sunt dogmatum, sed horum schismatum.

Octauò: Eiusmodi Paulini instituti sequax Ecclesia, Nicolaitarum, Neophytorum, Simoniacorum, Inuestiturarum, Romanæ Ecclesiæ, vel dignitatem allatrantium, vel bona inuadentium, & id genus alias hereses damnauit complures; non vsqueadeò scrupulosè rimabunda, quid propriè heresis, quid error, quid schisma, quid superbum tantùm, non hereticum, quid stultum, non schismaticum esset; sed promiscuè hereticum aliquando interpretata, quidquid aduersùs Catholicæ Ecclesiæ sensum, & imperium contumaciter tumultuaretur.

Nonò: *Quandoque* etiam disertè expressum est, hereseos in dogmate crimen abesse, cùm tamen à communione Ecclesiæ Catholicæ abscissio intentaretur. Ita suprà ostendimus, Catholicos impudentiæ obuiasse Tertulliani, qui non fidei irretractabilis, sed versatilis disciplinæ causam agi prętexebat. Ità declaratum etiam superiùs, à Patribus Synodi Diospolitanæ notatum esse stultiloquium, à quo fortassis abesset heresis teste Augustino. Ità in decretis Generalis Synodi Lateran. sub Innocentio III. cap. 2. [Reprobamus etiam, & damnamus peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic Pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica censenda sit, quàm insana.

Decimò: Perdifficilè semper sanctis Patribus visum est, & salebrosum diffinire, quid heresis nomine capiendum veniat. Audi Augustinum in præf. lib. de heres. seu in epist. ad Quodvultdeum. [Cùm ambo, Epiphanius, & Philastrius, id vellent facere, quod à me petis, quantum tamen inter se differant, de numero sectarum interim vides. Quod vtique non euenisset, nisi aliud vni eorum videretur hæresis esse, & aliud alteri, &c. Proculdubio in ea quæstione vbi disceptatur quid sit hæresis, non idem videbatur ambobus. Et reuera hoc omninò definire difficile est. Et ideò cauendum, cùm omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamuis hereses sint: aut annumeremus aliquas, cùm hæreses non sint.]

Sexcentis alijs locis Augustinus hanc definiendæ hereseos difficultatem spinosissimam sibi videri testatus est. Basilij tripartitam distinctionem alibi retuli: quæ schismaticis annumerat eos, quos Augustinus, alijque penè omnes hæreseos cauterio inurunt. In his ergo ambagibus quid conducibilius, quàm ab ore, & nutu pendere Ecclesiæ, & vbi illa hereticam impri-

mit

mit infamiam, eius auctoritati subscribere?

82 Adde 11. loco, si hos hereticorum agmini includendos fuisse dicatur, quòd non in facto tantùm, sed in iure, ex quo facta profluunt, hallucinarentur: quòd v. g. non emerent tantùm Spiritum sanctum, sed emendi ius, & fas esse sentirent: pœnitentiam non tantùm respuerent, sed nec dari iure posse gannirent mœchis, lapsisque: imagines non modò abijcerent, sed nec eas coli, vel haberi per leges diuinas posse censerent. Vereor vt illud certò satis de omnibus suprà memoratis constare possit. Quæ enim huius distinctionis vestigia in antiquis monumentis, vel quæ probabilitas in Quartadecimanis, in Hydroparastatis, in Simonianis, in Romanæ Ecclesiæ expilatoribus? Hi, alijque complures in factis hærebant, ad iuris contemplationem assurrexisse dicuntur, sed nuper, nec probantur.

Duodecimò: Demus id etiam vt hæretici dicantur, quòd iuri etiam obstreperent, caliginem illam omnem Augustini, Basilijque, & antiquorum Patrum, circa elimatam hæreticæ opinationis significationem discusserit noua iuniorum istorum fax; num nemo pari acumine rimari iuris aliquam scintillam poterit in hac circa factum pugna? Quid si iuris maiestatem ab eis imminui existimet quis, quòd Ecclesiæ potestatem abrogent librorum examinandorum: quòd censuras Ecclesiæ in scriptores, & eorum scripta, flocciferi doceant, dum errori faciunt obnoxias, quòd libros hereticos condemnandi certum adimant Ecclesiæ iudicium: quòd Synodos Oecumenicas errare posse sentiant, vt in alienis scriptionibus dijudicandis, ita in suis fidei confessionibus conscribendis? quòd paucis denique plùs solertiæ, & sapientiæ inesse credant sibi, quàm diffusæ per Orbem Christianum vniuersitati?

Decimotertiò: Quid si eos eò hereticos, & non in facto tantùm licentiosos, sed in iure iniuriosos clamet quis, quòd Pontifici, & Episcopis hanc heresin esse promulgantibus, ipsi contrà nitantur: quòd hæreticam pronuncient Ecclesiam, dum tem facti in fidei dogma trahi ab ea criminantur? quòd vniuersitati Episcoporum Orbis, & Synodo etiam Oecumenicæ, hæreticum quid esse, & ita declinandum pronuncianti, ipsi putent excipi à paucis, contràque dici posse, hæreticum non esse, quòd facti quæstio sit?

83 Adde iterum, & loco decimoquarto persuasum semel, & quidem Synodico examine Ecclesiam Catholicam, heretico veneno delibutos esse quosdam libros, vix fieri posse, quin librorum istiusmodi defensores hæreticis accenseat. Nam quòd hæresin ore tenùs, & verbis generalibus detestentur, fraudulentum videri id potest, & simulatum; nec tanti pendendum, quanti id, quod prolixas, & elucubratas hæreseos explanationes amplexentur. Itaque vel fallere, vel falli ipsos fortassis credet, nam & non rarò falluntur ipsi, qui perspicaciæ suæ plùs æquo fidunt: & eos ne fallantur, vel inuitos importuna aliquando Ecclesiæ charitas, sed materna, extricare satagit.

Decimoquintò: Et quidem exulare potest hæc suspicio à nonnullis, quorum scopus aliò perspicitur vergere. Honorio Pontifici Romano ignominiam erroris laborant abstergere Baronius, & Bellarminus. Ideò epistolam eius, quam austero, & eo, quo sexta Synodus animo excutere debuerant, humaniori tractant pollice, & ad rectos sensus trahunt: itaque culpare hos poterit quis nimij in defensando Honorio studij, & minoris in Synodos Oecumenicas obseruantiæ, itemque non satis accuratæ diligentiæ in dignoscendis Synodorum iudicijs, quæ ob emergentia noua, vel rerum experimenta, vel hominum testimonia emendari possunt, idque ab alijs tantùm plenarijs Synodis: nequaquam autem hos Monotheletarum hæresi clam astipulari, nisi insanus suspicabitur. Ita, & Galliarum Episcopi olim si quintæ Synodo minùs fidebant, si tribus Capitulis fauebant, non poterant tamen in crimen iure à quoquam vocari, quasi pestem Nestorianam clam in sinu gestarent, lamberentque in scriptis Theodori, & Theodoreti. Cùm hæc scripta ne in manus quidem eorum venissent vmquam; sed ea in Chalcedonensi Synodo approbata rati, illorum damnatione hanc Synodum violari, & eo tandem pacto Nestorianam, & Eutychianam impietatem reuiuiscere existimabant. Vide apud Quercetanum tom. 1. epistolam Nicetij Episcopi sanctissimi ad Iustinianum Imperat. nomine Episcoporum Galliæ: (Nisi si meliùs Sirmundus hanc epistolam retulit ad posteriora tempora Iustiniani, quibus in hæresin lapsus est Incorrupticolarum.) Nestorij, & Eutychetis iam anathematizata secta, vt te de ipsa interimeres, quis imperauit? &c. Ne dicas vel in corde tuo, Feci, feci, Vici, vici. Victus es, & vinctus; sed indè vndè filius Diaboli, & inimicus iustitiæ. Nam notum tibi sit, quòd tota Italia, integra Africa, Hispania, vel Gallia coniuncta, nomen tuum, cum de perditione tua plorant, anathematizant.] Itaque adeò non in Theodoreti scriptis Nestorianum amabant dogma, vt quasi refricanti illud Iustiniano per eius scriptorum, Chalcedone, vt putabant probatorum, damnationem, anathema dicerent. Istiusmodi igitur implicatæ libris, quos defensant hæreseos, suspectos habere non potest Ecclesia. At si mero, quis studio in Theodorum, vel Theodoretum, vel quemuis alium, damnanti eorum libros Ecclesiæ refragetur, persuasa his libris hæresin contineri Ecclesia, suspectos non iniuria forsan habebit tales, vt hæreseos etiam fautores, nec alienis eorum interpretationibus, seu cauillationibus fucum sibi fieri patietur. Itaque videbuntur ipsi sibi hæresin detestari, librum purgare, in facto tantùm ab Ecclesia diffidere: videbitur autem sibi Ecclesia iure librum, vt hæreticum damnasse, libri defensores hæresin verbo tenùs execrari, eandem reipsa ve in libro delitescentem amplecti, ludificatio-

tionibus suis potiùs, quàm interpretationibus occultum virus obumbrare. In hac seutentiarum pugna neminem fallit, quis cui cedere, & accedere debeat.

84 At, inquies, nulla scripturarum auctoritate, nulla maiorum traditione à cunabulis Ecclesiæ Christianæ ad nos propagata, edocti sumus, hanc hæresin hoc Theodoreti libro contineri. Ergo nulla fidei necessitate cogimur id credere. Respondeo Catholicum dogma his vocibus contineri, Consubstantialis, vna natura Verbi incarnata, vnus de Trinitate passus: qua Scripturæ voce, qua traditionis origine reuelatum diuinitus est? Quæ porrò declarauit Ecclesia Catholicam fidem his vocibus contineri, eadem declarauit his Theodoreti scriptis hæresin inuolui.

Secundò: Symbolo Nicæno, vel Constantinopolitano, expositione fidei Chalcedonensis Concilij, epistolis Cyrilli, & Leonis Ephesi, & Chalcedone subscriptis, sincerum orthodoxæ fidei dogma, nullam autem hæresin describi, quæ Scripturæ, quæ traditionis ab ortu Christiani nominis cœptæ auctoritas reuelauit? Si quis de dogmate Catholico conueniat, sed ab eo tractatus istos discrepare contendat, num in libera facti quæstione dissentire existimabitur?

Tertiò: Esto vt aliquando possit Ecclesia hanc non hæresin, sed superbiam, & contumaciam interpretari, alias, quàm ipsa exponat expositiones libri cuiuslibet sectantium; sed poterit, & iure suo existimare hac superbia hæreticum aduersùs Oecumenicæ Synodi auctoritatem animum ali: vel hac contumacia, non librum tantùm, sed ipsam hæresin propugnari, etsi aliud ore tenùs prætexatur. Tutissimum est ergo credere, effuso cœlestis sapientiæ lumine collustrari Ecclesiam, & ad fidei dogma statuendum: & ad verba, quibus illud expromatur, deligenda: & ad opuscula, quibus illud impetitur, explodenda: & ad opusculorum horum, perindè, ac dogmatis hæretici defensores auersandos. Consequentia enim, & concatenata hæc sunt.

Quartò: Dogmata ipsa, seu sensa diuinitùs reuelata sunt. Verba autem, seu contractiùs, seu copiosiùs explanando dogmati necessaria, subindè, & alia priùs, alia posteriùs accedunt, sic tamen vt ex delectu Ecclesiæ, indiuulsè iam dogmati cohæreant. Si verba ergo ipsa tantùm, sine tractatus lacessas, quibus, vel fidem, vel hæreses contineri decreuit Ecclesia, videberis forsan tu tibi litigare de verborum tantùm significatione; videberis forsan, nec immeritò Ecclesiæ, ludicro hoc prætextu, ipsam fidem, quæ non potest, nisi verbis aliquibus explicari, parricidialibus pugiunculis, eo detestabiliùs, quo occultiùs confodere.

Quintò: Nemo nescit, quàm multa etsi propriè ad diuinæ fidei reuelationem referenda non sint, ità tamen cum reuelatis cohærere capitibus, vt illis conuulsis, hæc collabascant.

85 Melchior Canus lib. 6. cap. 8. [Concilium Nicænum in fide non errasse, aut Chalcedonense, aut Ephesinum, nullis sacris libris, nec in Apostolorum traditionibus explicatum est. Sed id solum, Concilia in Spiritu sancto legitimè congregata errare non posse. At quòd Concilium Nicænum, Chalcedonense, Ephesinum legitimè coacta fuerint ex diuina reuelatione non creditur. Creditur tamen ex humana fide, & traditione historiæ fide dignæ, per quam habemus, eas Synodos indicentibus, & confirmantibus veris Ecclesiæ pastoribus ex vniuerso Orbe conuenisse. Vnde licèt earum rerum certitudo, ac veritas, quæ in eiusmodi Concilijs definitæ sunt, ex duobus quasi principijs pendere videatur, quorum alterum reuelatum à Deo est, Concilia videlicèt legitimè congregata certissimæ veritatis esse: alterum verò sola certitudine naturali credatur, per ea quæ Scriptores graues, & incorrupti memoriæ prodidere. At hæreticus erit, qui negarit earum Synodorum scita, atque decreta, non aliter, ac si negaret Euangelium. Et consequenter ibidem: Quòd Sacerdotes nostræ huius ætatis à veris Episcopis ritè fuerint ordinati, non est sacris literis proditum: sed res gesta potiùs est, quæ ex verbis, & animo consecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio, quod humana certitudine tenemus, videlicèt hos Sacerdotes ritè initiatos esse, illud pendere necesse est, an in Ecclesia nunc sit verum Eucharistiæ Sacramentum. Quod qui inficiaretur, hunc Ecclesia existimaret hæreticum. Et statim rursùs: Ad eundem modum, qui negarit Romanum Pontificem eandem habere potestatem, quam Petrus à Christo accepit, fidei aduersarius censendus est, quamquam ex Euangelio nihil aliud proximè colligatur, quàm Petri successores eundem habere cum Petro principatum. Quia si huic Euangelicæ conclusioni illam addas, Episcopum Romanum esse Petri successorem, quam ex historijs à traditione virorum grauium accepimus, manifestè colligitur Romanum Episcopum, & cæteris Episcopis superiorem esse, & eandem habere in Ecclesia potestatem, quam habuit Petrus.

Qui dissentire in istiusmodi factis ab Ecclesia Catholica pertendet, illum vir doctissimus, illum experientia ipsa docet, non ceruicosum modò, aut superbum, vel insanum, sed hæreticum habitum iri. Quod hac tergiuersatione dogma ipsum quasi per cuniculos impeti sentiat Ecclesia.

Sextò: Libet, & alia eiusdem rei exempla promere à Petro Aurelio viro vsquequaque doctissimo, pro epist. Gallic. Antist. [Quidquid Ecclesiæ consensui aduersatur, semper erroneum, non semper hæreticum, Deique verbo contrarium est. Quia non omnis Ecclesiæ consensus certo Dei verbo, Scripturaque continetur, aut fidem prorsùs Catholicam continet, etsi certitudinem habeat omni humana maiorem, ideòque illi obstrepere sit erroneum. Beatam Virginem Deiparam corpore simul, & anima in Cœlum iuisse, vetustissima doctrina est, Ecclesiæ consensu fulta, non tamen omnino

ninò Catholica fides: nec qui eam neget, vt erroris reos, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragabitur, in quo ea de re nihil existat. Multa sunt eiusmodi, quæ nec apertè Scripturis insunt, nec apertè definita fidei dogmata, quamuis fidelium consensu nitantur.] Ita suprà Posthumianus apud Seuerum Sulpitium, quam alij hæresin, ipse clementiùs errorem dicebat, Origenis non errores, sed libros aduersùs conspirantem Ecclesiæ auctoritatem defendentium. Quàm non semper autem illa adhibeatur hæreseos, & erroris diligentior distinctio, suprà perstrinximus.

86 Hactenus irà librare sententiam enixus sum, vt memor essem eius, quod Gregorius nos monet l. 9. indict. 4. epist. 39. [Quia verò sunt multi fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpè dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt: eorum infirmitati consulendam est: & ratione, & mansuetudine sunt placandi. Illis quippè sunt similes, de quibus scriptum est, Testimonium illis perhibeo, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. Item Nazianzenus Orat. 26. Illud saltem tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, &c. Multùm diùque antè versandus, & contorquendus est animus, multa ferenda, quàm vt alium impietatis damnemus. Non idem est stirpem, aut breuem quendam, & caducum florem euellere, atque hominem excindere. Imago Dei es, & imaginem quoque Dei alloqueris. Iudicium quoque subibis, qui iudicas: & quidem alienum seruum iudicas, & quem alius moderatur.] Hæc ad fideles pertinent, qui neminem præcipiti iudicio hæreseos insimulare debent, sed Episcoporum expectare sententiam, & ab ea pendere, vt qui moderentur clauum Ecclesiæ: siue illi dispensatiuè velint errorem eorum, qui libros damnatos defendunt, dissimulare: siue iuris vigore vtantur, & hæreseos suspectos etiam habeant.

87 Alioqui manet alta mente nobis repostum, quod docet Hieronymus in epist. ad Pammach. adu. errot. Io. Hier. [Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant patientiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat. Et paulò antè: Certè si hæreseos nulla suspicio est, vt cupio, & credo, cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult, quòd purè credat: purè ergo, & loquatur. Et siquidem vnum verbum, vel vnus sensus esset ambiguus, si duo, si tres, ignorantiæ veniam tribuerem: nec ea, quæ aut obscura, vel dubia sunt, de certis, & perspicuis æstimarem. Nunc verò quæ ista simplicitas est, quasi super oua, & aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedere, vbique dubium, vbique suspectum? Putes non expositionem fidei, sed figuratam controuersiam scribere.]

Vides vt non cuilibet Catholicum se profitenti, statim credatur: vtque de dogmate ipso fidei suspecti, dubijque habe- rentur librorum Origenis defensores, ideòque indissociabiles cum libris errores defendere iudicarentur. Hæc duo si mordicus teneantur, vt nulli facilè illinatur hæreseos suspicio, illita anxiè, & sedulò abstergatur: ingens excitabimus, & paci Ecclesiarum publicæ, & priuatæ nostræ existimationi, salutique munimentum. Cùm ergo paulò superiùs multiplices aperiebam fontes suspicionum, quibus hæresis ignominia aspergerentur defensores librorum ab Ecclesia damnatorum non id agebam, vt omnes temerè, & præfestinè his suspicionibus indulgerent, & alienam temeritatem sua imitarentur magis, quàm vlciscerentur. Sed duplex ille nobis scopus obuersabatur: vt a damnatorum librorum defensione deterrerentur, qui hæreseos suspicionem, & exindè sibi imminere multiplicem, & omni ope, impendioque eam fugiendam esse non nesciunt: vtque Synodicis, Pontificijsque decretis compluribus defensio pararetur, quibus pari audacia, atque imperitia dicam, dicunt aliqui, quòd ab illis facti quæstio in causam rapiatur hæreseos. Non priuatorum est ergo, sed Antistitum Ecclesiæ præire in hæc iudicia: & suspicionum habenas laxare, vel inhibere, vt pacis Ecclesiasticæ, & veritatis ratio tulerit. Suspicionum quippè, rei sponte sua tam lubricæ, & ancipitis, operosissimum est clauum regere, modum tenere. Paris est discriminis, illis numquam, & semper, minùs æquo, & plùs nimio se addicere. Pontificum ergo ea sit sapientia, & potestas, vice Christi Ecclesiam, & fidem administrantium: cæterorum est à Pontificum sententia non discedere. Alioqui conclamata est Ecclesiæ, fideique concordia. Sunt certæ hæreses, sunt & suspiciones hæresum. Sunt iniquæ, sunt & æquissimæ suspiciones: sunt leues, sunt graues, sunt & grauissimæ. Non repugnandum tantùm est malo, sed & occurrendum non adulto, & conspicuo solùm, sed & latenti, atque orituro morbo medicina condienda est. Dissimulari aliquando aliquæ suspiciones possunt, non omnes, non semper. Dispensationi locus est, est & rigori iuris tempestiuus. In hoc ergo salo tam incerto, quis tempestatum finis, si vel in aliena criminanda, vel in sua defendenda fama singuli non aliam, quàm suam sequi ducem pertendant præsumptionem? Vna in his salutis anchora, Pontificalis auctoritas, & Iudicum, Magistrorumque à Deo designatorum sententia. Dispensatio, & clementia Pontificibus optari, suaderi, exorari potest: imperari, vel extorqueri non potest: vt quæ persæpè necessaria, persæpè vtilis, nonnumquam exitio sit. Exitiale autem semper sit, greges pastoribus, magistris discipulos, reos, vel actores iudicibus legem dicere, & vim inferre. Ne in fidei autem negotio, vel minima quæque aspernemur.

88 Id enim vergit illud Chrysostomi hom. 1. in c. 1. epist. ad Galat. [Et volunt subuertere Euangelium Christi. Atqui vnum dumtaxat, aut alterum præceptum induxerant, circumcisionem, & dierum obser-

obseruationem innouantes. Verùm vt ostenderet, quòd pusillum quiddam perperam admixtum, totum corrumpit,dixit subuerti Euangelium. Quemadmodùm enim in monera regia, qui paulum aliquid amputauit de impressa imagine,totum numisma reddidit adulterinum: ità quisquis sanæ fidei, vel minimam particulam subuerterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. Vbi sunt igitur, qui nos vt contentiosos damnant, eò quòd cum hæreticis habemus dissidium, dictitantque nullum esse discrimen inter nos, & illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam?

Et mox: [Hoc ipsum igitur est omnium malorum causa, quòd ob pusilla non indignamur. Ob id enim maiora scelera subitrunt,quòd minoribus debita correctio non adhibetur.]

Vide, & hom. 34. in epist. ad Hebr. Si circumcisione, si dierum obseruatione subuertebatur Euangelium, quid tota librorum hæreticorum eluuione in Ecclesiam inundante, & portam latissimam illi pandentibus his Theologis, qui facti liberam quæstionem cauillantur, an libris illis contineatur hæresis, eaque in re obrepere errorem Ecclesiæ potuisse? Quantumlibet enim solam sibi copiam flagitent dissentiendi, nec contrà se quidquam, vel dicturos spondeant, vel scripturos, futilia hæc sunt effugia. Nam primò in tam prolixa hactenùs serie, & seculorum, & Synodorum, & Patrum, vbi hanc, oro, vel petitam, vel impetratam licentiam vsquam inuenient, dissentiendi à iudicio Synodi œcumenicæ, doctrinas, librosque examinantis? Vsurpatam, sat scio, inuenient,non impetratam, non concessam: & vsurpatoribus semper impendentem ignominiam.

Secundò: Quid in Ecclesiæ, & Synodi dedecus effutiri turpiùs potest, quàm vtcumque neruos omnes contendat, exhauriatque lumen suum omne Ecclesia Catholica in libro quopiam examinando: fas adhuc esse occinere, hanc facti quæstionem esse, & à quolibet vsurpari posse potestatem contrà iudicandi?

89 Tertiò: Silentij huius suiquæ, oro, fides, quæ constantia erit, cùm eorum patrocinium prætendant sibi, qui palàm, & coràm errasse sextam Synodum in Honorij, quintam in Theodoreti, vel Origenis scriptis damnandis, errasse Synodos posthæc omnes in Honorij, Theodoreti, & Origenis damnatione comprobanda, non sentiunt tantùm, sed in propatulo prædicant, & scriptitant? Cur silentij legem subeunt, à qua abhorruere, quos patronos sequuntur? an horum loquacitatem culpant? cur exemplo eorum vtuntur, quos non culpare non possunt? An solam horum dissentiendi licentiam tenere volunt? At scriptitare, quod dissentias, nonne id refellere iam est? Dissensionis sanè contestatione, non aliter quàm refutatione, Ecclesia ostenditur.

Quartò: Sed nemo non intelligit, silentium istud simulatione paulatim vanescente vanescere, & in propatulo tandem definitiones de Honorio, de Theodoreto, de Origene oppugnari. An tamdiù tenenda hæc silentij religio, quamdiù feruent iurgia; quorum vbi calor deferbuit, tum impunè Synodico decreto obtrectabitur? An ergo, & Synodi, & Ecclesiæ auctoritas aliquando exaggeratur, & post inanescit? An potiùs vna, & eadem, inexpugnabilisque cùm sit, pari semper prosequenda est religione, non illa simulata, sed genuina: & animi consensionem, non inanes oris sonos complectente.

90 Quod porrò rogitant, diuina id, an humana fide constet, reprobatam communi consensu hæresin hoc libro contineri: id sanè desperatissimæ causæ extremum, & pudendum effugium est. Cui enim subijt tam dirà libido tricandi, vt de Arij, Nestorij, Eutychetis, & aliorum hæreticorum opusculis damnatis, litigaret, diuina an humana fide horum damnationi inhærendum esset? Quis de Paschæ, de aquæ calici instillandæ, & de tot alijs id genus constitutionibus synodicis, controuersiam fecit, hoc obtentu, quòd minus liqueret, diuina, an humana fide his esset subscribendum? Quid si pari iure roget quis, Nicæno, Constantinopolitanoque symbolo, & epistola Leonis ad Flauianum, vel Chalcedonensis Synodi prolixiore definitione Catholicum dogma contineri, diuina, an humana constet fide? Apage has argutias, Patribus nostris, & melioribus seculis inauditas. Quintæ enim Synodo, quis hac vnquam exceptione illusit, nisi posteriore hoc,& degenerare æuo, cùm licentiosa disputandi prurigine, non pauca Christiani mysterij arcana penè in ludibrium venerunt? Reuocanda in vsum, si qua fieri potest, illa maiorum nostrorum simplicitas, his quæstionibus inimica.

91 Esto, vt cum Aurelio dicamus, his non Catholicam prorsùs fidem contineri, sed includi tamen certitudinem omni humana maiorem, ideòque erroneum esse his obstrepere. Esto, vt cum Melchiore Cano dicamus, quædam esse humano tantùm fulta testimonio, quibus tamen ob inuiduam cum rebus fidei concatenationem quisquis obloquitur, hæreseos reus agatur. An Ecclesiæ Christi ne humanam quidem fidem arrogabunt? Quanta porrò sunt, quæ tametsi muliercularum tantùm auctoritatibus credamus, inconuulsa tamen nostris in animis sunt, familiarum, & hæreditatum arcana, & id generis, quàm multa.

92 Sed quamquam scholæ iunioris Magistri has distinctionum subtilitates, quandoque erudito in otio suo vtiliter tractati sint, id certò nobis liquet, Sanctos Patres olim, & eorum sequaces, etiamnunc Episcopos, seu synodicè, seù solo Spiritus Sancti vinculo adunatos, ad eas numquam inclinasse, vel Canonicas definitiones accommodasse. Ecqua enim vsquam in Synodo discriminatum id reperits, vel quam in fidei Catholicæ confessione, seu formula publica, seu subscriptione, quid diuina, quid humana fide tenendum sit? Quin ex aduerso, vt suprà constitit, in omnibus

bus fidei confessionibus, indiscriminatim, & decretis fidei, & hæreticorum, seu auctorum, seu librorum damnationi simul,& semel subscriptum est. Distinctione vtantur, vt volent, in scholastico suo otio, at Synodus quælibet, at Ecclesia suorum inuiolabiter morum tenacissima, vt olim,itá & nunc errores, scriptoresque promiscuo anathemate confixit, configi à fidelibus imperauit. Nihil hac simplicitate tutiùs, nihil maiestati Ecclesiæ conuenientius.

93 Quid si illud refricem, quod alibi delibauimus, diuino iure, & diuina auctoritate ipsum Ecclesiasticum ius, & morem quodammodo radiare? quod ab Euangelico, & diuino iure proximè fluat, eiusque splendore toto perfundatur.

Et quod suprà Ferrandus in hoc ipso de damnandis libris, seu tribus Capitulis negotio, monuit, Concilia secundę auctoritatis locum post Canonicos libros tenere: vtque in his, itá in illis: [Si quis non valeat altitudinem cœlestis Oraculi comprehendere, quòd non intelligit, cedat, vt quod credit, mereatur intelligere.

Et quod Facundus lib. 12. cap. 2. [Si quam reuerentiam deferimus, etiam Synodalibus institutis, ab Ecclesia vniuersali receptis, in omnibus, quæ obscura in eis, & ad intelligendum difficilia reperimus, diuinam voluntatem cognoscere, atque approbare debemus.

Et denique, quod Chrysostomus serm. in eos, qui Pascha ieiunant: Nicænæ Synodi definitionem de Paschæ die, vtique in re facti versantem, religiosa tamen quadam muniens auctoritate: [Atque ex his athletis collecta tum fuerat Synodus vniuersa. Ergo qui fidem temporibus adeò difficilibus non prodiderunt, hi propter dierum obseruationem dissimulatione vti potuerunt? Vide quid agas dum tantos Patres condemnas, adeò fortes, adeòque sapientes. Nam si publicanum condemnans Pharisæus omnia bona perdidit, quæ habebat: qua venia dignus, qua defensione censeberis, qui aduersùs tot Doctores Deo charos, idque iniuria, & contra rationem insurgas? Non audisti Christum dicentem, vbi duo, vel tres sunt in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum? Quid? Si vbi duo,tresue sunt, medius est Christus: vbi trecenti, ac multò plures aderant, multò magis aderat, omniaque decernebat. At tu non illos tantùm condemnas, sed & Orbem terrarum vniuersum, qui sententiam illorum comprobauit.]

94 Atque vt finem tandem huic dissertationi ponamus, id rursùm ex Facundo adnotabimus, non Theodoro, non scriptori vlli tantopere, vel ipsum, vel commilitones eius studuisse, sed Synodo Chalcedonensi, quæ disertis verbis trium Capitulorum meminerat: hac illæsa, facilè passuros damnari Theodorum. Adu. Mocian. sic ille: [Nam cùm dixi, Ego enim fateor simpliciter beatitudini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione, me à communione contradicentium subtraxisse; hoc enim, vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo. Nec tantam causam esse iudico, pro qua deberemus à communione multitudinis segregari; doctrinæ Augustini memorem me fuisse monstraui.] Causæ Chalcedonensis Concilij se causisse mox declarat. Et ille quidem tum ibi,tum alibi multitudini Episcoporum capita damnantium, illudit quasi Hilarij, quem Augustino componit, exemplo.

Vndè in epist. Spicil. tom.3. pag.118. [Audite quòd etiam Sanctus Hilarius Episcopus Confessor, & Doctor egregius, quibusdam Episcopis tempore Constantij Imperatoris, quo sic Ariani sub nomine pacis, & regis peruaserant vniuersas penè totius Orbis locales Ecclesias, sicut nunc Eutychiani, siue Acephali, de hac re scribat, &c.] Et tota fanè hac epistola, itemque libro ad Mocianum, in omnem partem se versat idem Facundus,vt eorum machinas dissipet, qui ipsum ad communionem Ecclesiæ Catholicæ reuocabant, à qua numquam recedendum esse Augustinus tam constanter docuisset. Excipiebat autem ipse,vt vno verbo dicam, errasse in fide damnatores Capitulorum: ideòque non se, sed illos antè à communione, & fide Ecclesiæ Catholicæ secessisse:non posse autem quemquam communioni eorum, nisi & fidei sociaretur. Vbi vides quò euadant tandem ista dissidia: vt Ecclesiæ fidei illudatur, & auctoritati.

95 Vt verò ex eadem Facundi epistola liquidum est, Synodi sectatores, seu Catholici Capitulorum defensoribus vim inferebant, vt secùm communicarent; quòd extrà Catholicæ Ecclesiæ communionem, decocta sit spes tota salutis. Hi tenuebant, communioni indissociabilem fidem iactantes. Illi fidem se eamdem cum Chalcedonensi Synodo tenere, & sequi clamabant, de tribus verò Capitulis liberum esse à Synodo dissentire, nec semel vlli eorum dicere excidit. Itaque quasi concesso, vna communione vnam etiam de præfatis sententiam promittel,ad secum, idest,cum Ecclesia Catholica communicandum cogebant.

Facundus in epist. [Non erubescunt miseri ore sacrilego, atque impudenti procacitate dicere, se vnam cum non damnantibus fidem tenere, &c.]

Et mox: [Neque tantummodo verbis mendacibus in errorem traducentes, sed violentis insuper persecutionibus ad consentiendum sibi, vel communicandum, quos potuerint pertrahendo cogentes.] Vides vt consentire,& communicare idem reputet.

Quò videtur trahendum, & id, quod apud Hincmarum legitur Opusc. 55.c.48. [ex nescio quibusdam in hoc dissidio subornatis decreris Apostolicæ Sedis, quãdo Vigilius ex Apostolico, post multa, & terribilia præstita sacramenta, in hæresin lapsus Constantinopoli detinebatur, &c. Sic semper habuit omnis Ecclesia, quia qui in vna communione consentiunt, vno dogmate, vna charitate, vno tenentur assensu. Sicut enim communio, & ex omnibus of-

ferentibus vna fit, & vna redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute diuina: sic vnanimitas per omnes illic communicantes excurrit. Nec nobis iam dicas: Ergo si criminosus sit Sacerdos, crimen redundat in populos. Aliud est enim, quod committitur: aliud quod etiam prædicatur. Priuatum est, quod ab vno quoque committitur: commune verò fit Ecclesiæ, quod publicè prædicatur, tantorumque Sacerdotum manu subscribitur. Et sicut tu absolui non potes, si contraria ore prædices, contraria vno, eodemque tempore manu subscribas: sic ipsa omnium vestrum collectio absolui non potest, si contraria dicat, & contraria faciat, idest, si communicet Sacerdori, à cuius prædicatione, & subscriptione dissentit. Sicut enim os tuum, & manus tua vnius, eiusdemque corporis membra sunt: ità vnius, eiusdemque Ecclesiæ membra sunt Sacerdotes, & populus, siue cum Catholicis Catholicus, siue cum non fidelibus infidelis.] Hæc cùm altissimas egissent radices in eorum animis, qui tria Capitula primùm defendebant, vbi posteà patuit ea ab vniuersitate Episcoporum Orbis damnari, à cuius communione nefas erat excidi: indè nimirùm compulsi sunt, quibus communicare necessum erat, ijs etiam consentire. Ideò Pelagius vterque, & Gregorius ad suam, & Ecclesiæ vniuersalis communionem inuictissimis argumentis omnes reuocant, dissentiendi licentiam, nec verbo attingunt. Quin immò rationem, satisfactionem, veritatem, dubiorum elucidationem promittunt, nusquam vt in facti disceptatione Quintam Synodum à Quarta discrepare, & alterutram errare potuisse concedunt.

Gregorius lib. 4. epist. 49. [Deus, qui lætatur in vnitate fidelium, & reuelat quærentibus veritatem: cordibus vestris aperiat quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ vniuersalis Ecclesię contineri, & in eius manere vnitate concordes, &c. Ego satisfacere vobis, de quibus dubitatis paratus sum, &c. ità vobis satisfactio mea interiùs inhærebit, &c. Ea, quæ quatuor Synodi sapuerunt, ità & nos sapimus, &c. Vt ad me venire debeatis, dummodo ratione percepta, à concordia sanctæ vniuersalis Ecclesię dissensio vos nulla dissocier.] Satisfactio porrò ne fingi quidem alia potest, quàm quæ suis, & Pelagij epistolis ab eodem Gregorio intexta prolixiùs est, Nestorianum virus tribus Capitulis infusum esse, nec illa vmquam à quartæ Synodi Patribus approbata fuisse.

Et lib. 7. epist. 54. [Hoc studiosiùs cogitet tua dilectio, ne errorem schismaticorum sequens, à sancta vniuersali Ecclesia diuisa possit inueniri. Et quid tot labores proderunt, si in vnitate fidei inuenta non fuerit, &c.] Hæc ille, præfatus paulò antè nihil quartæ Synodo obstrepuisse eam, quæ post illam generaliter facta est.

Et lib. 10. epist. 37. Firmino Episcopo Istriæ gratulatur, [quòd cor eius Deus illustret, vt deserto erroris obscuro, ad cognitionem lucis, & viam redeat veritatis: quodque eum diuinitatis gratia ad vnitatem Ecclesiæ, à qua pertinacium, & imperitorum hominum instinctu disiunctus fuerat, reuocauit.

Et lib. 2. epist. 36. ad Episc. Hiberniæ: [Vt de tribus Capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum, quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui transmittere. Quem si deposito voluntariæ defensionis studio, puro, vigilantique corde sæpiùs volueritis, relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem nostram nihilo minus reuersuros esse confido. Porrò autem si post huius libri lectionem in ea, qua estis deliberatione persistere volueritis, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis.] Eu quò desineret illa satisfactio, ratio, veritas vnitatis reconciliatrix futura, vt libro Pelagij, seu epistolæ acquiescerent, tria Capitula, vt hæretica ritè damnata ostendenti, nec vel vllam rimam liberę dissensionis aperienti.

Et lib. 2. epist. 10. [Id decet, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ remeare, &c. antè professus erat de personis, de quibus post terminum Synodi Chalcedonensis aliquid actum fuerat, Iustiniani temporibus ventilatum esse, ità tamen, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quàm apud eandem sanctam Chalcedonensem Synodum fuerat constitutum.] Non fidei tantùm, sed & de personis factæ definitioni Chalcedonensi quintam Synodum congruere prædicat.

Vide, & lib. 3. epist. 4. 1434. & lib. 8. epist. 36. Vbique constantissimè ad vnitatem Catholicam reuocat, contestatus ab ea quatuor Synodos honorari, quoscumque illæ damnant, damnari; quoscumque absoluunt, absolui:] adeòque nihil quintam Synodum quartæ conflictari. Et ne longum faciam, suprà laudatas, aliasque peruolue epistolas Pelagij Papæ primi, & secundi, ità vbique ad communionem vniuersalis Ecclesiæ compelli videbis Capitulorum defensores, vt persuadeantur antè, nec in fidei, nec in personatum, seu librorum iudicio, quidquam per Synodum quintam quartæ derogatum esse: adeòque ipsa communione cum Ecclesia Catholica, quintæ etiam Synodo quodammodo subscribi. Et Africam quidem ipsa communicandi maximè cum Ecclesia Romana necessitate, ad consentiendum quintæ Synodo perductam statim fuisse, coniectura indè existit satis firma, quòd nec primus, nec alter Pelagius, nedum Gregorius de illis ad vnitatem reuocandis legantur laborasse. Idem multò certiùs de Gallia, & Hispania constat.

96 Quibus si illud adijcias, ne Eutychianis quidem, vel Nestorianis compescendis, atque sanandis illud Ecclesiam condonasse vt fateretur in factorum, seu librorum iudicijs hallucinari potuisse quartam Synodum; indè magis, magisque persuadeberis ab hac tum opinatione alienissimam fuisse Ecclesiam Catholicam. Suum enim in

Chal-

Chalcedonensem Synodum odium Acephali hoc obumbrabant prætextu, quòd ea in tribus Capitulis Nestorianam hæresin auctorasset. Ex aduerso Nestoriani immani studio Chalcedonensem eandem extollebant Synodum, quam suæ vesaniæ in tribus Capitulis descriptæ suffragatam mentiebantur. Expeditissimum id fuisset vtrisque refellendis, si excepissent Catholici, Synodos etiam Oecumenicas in librorum iudicio hallucinari quandoque posse, vt hæreses sibi videre videantur vbi nullæ sunt; ibi nec suspicentur, vbi delitescunt. Sed nec quintæ Synodi Patribus, nec tot eius defensionem aggressis Antistibus id vmquam in mentem venit.

97 Vbi ergo ijdem Pontifices inculcant nihil de fide, de Capitulis quibusdam extra fidem, de personis tantummodo, nihil aliud, nisi de personis actitatum esse in quinta Synodo; vbi, & nos suprà sæpissimè liberam hanc fuisse controuersiam admonuimus, vt nihil periculi crearetur fidei orthodoxę, quòcumque rei exitus verteret: non id agebatur, vt definitioni quintæ Synodi, seu damnationi horum librorum consentire, vel dissentire liberum esset. Hoc enim operosè satis, & vt arbitror, inuictissimè refutatum est. Sed eò illa pertinebant, vt Ecclesiæ ipsi liberum esset, vel dispensatiuè abstinere à damnandis illis libris, vel eosdem ex iuris vigore damnare. Damnari enim possunt, quia hæresum portentis scatent: possunt, & non quidem probari, aut defendi, sed omitti, vt apertissimè Cyrillus suprà relatus, & Vigilius Papa docebat: quia damnata hæresi, non statim necessariò impetus faciendus est in auctores, & libros omnes ea imbutos. Quocirca minùs assentior equidem Leontio act. 6. de Sectis, dispensationem interpretanti, quod Iustinianus damnari curauerit Theodoretum, & Ibam, vt hæsitantes hæreticos, vel sic deliniret. [Respondemus, Iustinianum hoc fecisse *cat oiconomiax*. Nam quia videbat horum causa Hæsitantes Synodum auersari, perfecturum se putabant, vt ijs anathematizatis Synodus reciperetur: ideòque duos anathematizandos duxit, quamquam minimè anathematizatos oportuit, vt omnes ad vnionem redigeret. Hanc igitur ob caussam illos anathemati subiecit. Verùm ne sic quidem adducti sunt hæsitantes, vt Synodum reciperent. Oeconomiæ, seu iuris remissioni nemo id adscripserit, quod aliqui, maximè verò innoxij damnentur; sed id potiùs, quòd vel noxij non damnentur. Oeconomiæ ergo magis erat, quòd vt idem Leontius antè dixerat, nec Cyrillus, nec Cyrilli imitatrix Chalcedonensis Synodus, vel Theodori scripta damnauerat, vel Theodoretum sua eiurare adegerat. Cyrillum patenter audiuimus suprà dispensationi hoc vendicantem. Si id dispensationi, quod Iustinianus ergo fecit, iuris austeritati adsignandum.

98 Paucis nunc ad Nouatores conuertamur, qui ingens maiestati Sedis Apostolicæ, & principatui vulnus inflictum esse blatterant hac quinta Synodo, quæ sine Vigilio, & ipsi aduersam protulit definitionem, quæ demùm adeò non ab ipso auctoritatem accepit, vt ipsum potius auctoritate sua fregerit, vt sibi cederet. Contrà autem nusquam euidentiùs patuit, quàm à nutu, atque inclinatione primæ Sedis propenderent huc, vel illuc definitionum, & Synodorum Ecclesiæ momenta.

Nam vt Facundus auctor est lib. 4. c. 4. violento Principis iussu coactus Menas subscribere capitulorum damnationi, se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat: cumque subscripsisset, Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono sub ea se conditione cessisse, & iuratum sibi fuisse respondit, quòd chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.

Item Zoilus Alexandrinæ Ecclesiæ antistes, [cùm Romanum Episcopum venire cognosceret, obuiam illi ad Siciliam misit, conquerens se necessitate ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum.

Cæteri Episcopi, [post subscriptionem eidem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.] Vides, vt tametsi potestate imperatoria in præceps raperentur, à nutu tamen se profiterentur pendere Vigilij.

Et ibid. c. 3. [Hoc est autem mirabile, vt postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent, quòd Ecclesiam Romanam consulerent, & sententiam Vigilij eius præsulis expectarent.

Et lib. 2. c. vlt. [Si Leo quidquam in disceptationem reuocare non passus est, quomodo ab his creditur quartusdecimus successor eius Sanctus Vigilius nouum posse aliquid iudicare?]

99 Quid quòd Vigilius ipse, vt ait Gregorius lib. 2. epist. 36. [In Vrbe regia constitutus, contrà Theodoram Augustam, & Acephalos damnationis promulgauit sententiam.] Idem vt suprà ostensum, In Vrbem regiam ingressus, statim Menam, & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit. Cumque rem prorogari ad Synodum Oecumenicam placuisset, & præter datam fidem Imperator edicta promulgasset, per quæ tria capitula damnarentur: edixit contrà Vigilius, vt aiunt Clerici Italiæ in epist. data Legatarijs Francorum: [Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum.] Et tandem edicta ipsa amoueri peruicit.

Venio ad ipsam Synodum, cuius act. 1. extat Sacra Iustiniani, quà Vigilium consensisse damnationi trium Capitulorum ex ipsis eius epistolis probat, vt eodem compellat, & Synodum.

Extat, & mox epistola Eutychij Vigilium ad Synodum inuitantis, vt ipso Præsidente de Capitulis inquiratur; illud sanè præfati, [Suscipere se, & amplecti epistolas præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ, tam aliorum, quàm Leonis de fide scriptas.]

Quid ipsa Legatio ad Vigilium missa om-

omnium Patriarcharum, & septemdecim Metropolitanorum, singularis membrorum in caput suum veneratiuus significatio, quàm elegans est? Actione rursùm 7. Iustinianus vt calcaria subdat ad Capitulorum condemnationem, & verbo, & scriptis à Vigilio ea iam sæpiùs damnata esse statut, [Vt etiam ea, quæ sæpiùs ab ipso facta sunt, ad condemnationem trium Capitulorum, vos audientes, alacriores efficiamini, &c.]

Et collat. 8. Synodus ipsa pronunciatura definitionem suam, priùs id contestatur. [Vigilium tam sine scriptis, quàm in scripturis tria Capitula condemnasse.]

100 Sed & ipse Vigilius impetratis à Principe viginti dierum inducijs, intrà quos sententiam suam scriptis explicaret, Pelagium Diaconum ad Episcopos misit, vt eos moneret, ne ante promulgationem sententiæ suæ quidquam ipsi præuerterent definire, [antiquum & regularem custodientes ordinem, ne antè nostræ, hoc est, Sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, vndè scandali rursùs, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.]

Vt in eius Constituto habetur. Quid quòd in epistola per Illustrissimum Petrum de Marca euulgata, nec verbulo saltem vno Synodum quintam commemorat: quòd nempè non exæquato, vt conuentum fuerat, Occidentalium cum Orientalibus numero habita esset, eique ea de causa ipse, nec accessisset, nec consensisse? At tria Capitula Vigilius suo decreto, & suæ sedis auctoritate condemnat, Synodi vitia dissimulans, & vlciscens hoc suo silentio. Nec fractum se auctoritate Synodi cessisse, sed veritatem, quæ priùs latebat, sibi allusisse sæpiùs testificatur.

101 Sed cùm damnationi trium Capitulorum; & Synodo aduersaretur cum Romano Pontifice totus Occidens, nondum ea vtique tunc poterat œcumenica Synodus existimari, à qua tanta Ecclesiæ portio, & absuisset, & dissideret. Cùm ergo induerit illa tum demùm Oecumenici Concilij auctoritatem, cùm Occidentalis Ecclesiæ accreuit ei consensio, quis huius, vel signifer, vel auctor fingi potest alius, quàm Romanus pontifex? Testatum id faciunt epistolæ Romanorum Præsulum quoquouersùs sparsæ, quibus denique ij etiam, qui successionem fecerant, recollegerunt se in matris sinum Catholicum.

102 Idem vehementiùs etiam persuadebitur Origenis damnatione, quæ cùm, & ante Synodum, & in Synodo facta sit, vnius præ cæteris auctoritati Vigilij vendicatur.

Cassiodorus diu. Leu. l. 1. c. 1. [Origenem licèt tot Patrum impugnet auctoritas, præsenti tamen tempore, & à Viglio viro beatissimo Papa constat denuò esse damnatum.

Vide, & Euagrium l. 4. c. 37. cuius, & hoc præclarum est, nequem nimium obstupefaciat ista Episcoporum tunc inter se tàm animosa, & maleuola concertatio, [Deum totius boni fontem, hæc omnia præclarè administrasse, vt hinc, & indè profana, & impia reijcerentur.

103 Hactenùs porrò nequaquam omnes de factis, & personis Synodicas disceptationes complexi sumus: sed eas dumtaxat, quæ in librorum examine, & censura versarentur.

In cæteris enim, vt quę ab hominum testimonijs, rerumque experimentis in dies nouę emergentibus pendeant, nefas est ab Augustini, nefas à iuniorum Theologorum consensu deuiare. At in his, quæ sana librorum, vel insania rimantur dogmata, nil testimonijs hominum, nihil nouis datur experimentis.

Nisi si meminisse velis Pelagij, qui Latinos homines vtpotè Græcitatis ignaros in disensione trium Capitulorum diù hallucinatos aiebat: & Vigilij, qui in Constituto se Græcę linguę ignarum fuisse, nec nisi vicaria opera potuisse gesta Chalcedonensis Concilij perlegere confitetur.

His quippè antè opinantibus tria Capitula Chalcedonensi Synodo approbata fuisse, cuius gesta omnia non legerant: pòst ex accuratiori eorundem lectione patescere potuit, actione sexta finem Synodo impositum fuisse, & ideò hactenùs eam à Leone Papa esse confirmatam, & irretractabilem proindè habendam: de tribus verò Capitulis posteà actum esse ijs conuenientibus, qui nec maiestatem œcumenicæ Synodi, nec Leonis confirmationem, nec irretractabilem adeò auctoritatem præ se ferant.

Potest vtrumque nouum istud videri experimentum, ac quod fortassis Gregorius alludit, cùm dissentire quintæ Synodo conqueritur complures, eò quòd non legant.]

Hoc nouo experimento Latini priùs defensores trium Capitulorum ea damnare adducti sunt. Nec enim, vt iam monui, ipsa per sese Capitula, seu libros damnatos, syllabatim trutinari, & vel inuitos captiuosque trahere contortis interpretatiunculis ad textum sensum laborabant, nisi vnus, & alter; sed Chalcedonensis Concilij, vel approbationi, vel dispensationi constanter inhærendum existimabant. Quin Facundus ipse suprà testatus est, si de sola Theodori damnatione verteretur, nihil se refragaturum: sed cauendum esse Synodo Chalcedonensi, cuius in non damnando Theodoro oscitantiam sugillaturi erant Acephali.

104 Itaque illa personarum, & factorum quæstio, non in eo vertebatur, an hæreticus sensus Theodori, & Theodoreti, & Ibæ scriptis contineretur: sed an horum scripta, seu nomina in Chalcedonensi Synodo essent damnata, vel approbata, vel dispensatiuè prætermissa, itemque an mortuis in pace Ecclesiæ infligi posteà deberet anathema. Reuolue animo, quæ suprà ex Romanis Pontificibus adscripsimus, eo in vno desudare comperies, vt Chalcedonensi Synodo euincant non fuisse hæc Capitula auctorata.

Eodem referuntur quæ ex Isidoro Hispalensi, & alijs retulimus.

Idem

Idem patet ex Leontio Scholastico qui act 6.de sectis, damnari non debuisse, dispensatiuè tantum damnata fuisse ale eria Capitula, nefarios illis errores inesse non diffitetur.

Vigilius ipse Papa in Constituto, etsi damnari vetet tria Capitula, sexaginta tamen articulos ex Theodoreti libris decerptos iterum, atque iterum execratur, & hac vna ratione eius damnatione abstinendum censet, quòd dispensatiuè ea abstinuerit Cyrillus, Proclus, Ephesina, & Chalcedonensis Synodus; quòd denique Romani Pontifices ità iubeant, Romani mores ità ferant, non alijs mortuis, quàm quibus viuis, communionem, vel denegari, vel impartiri.

Theodoreti scripta in Cyrillum, adeò non subtilitate interpretandi ab erroris suspicione liberat Vigilius, vt ea dicat ab ipso Theodoreto Chalcedone, vbi Nestorio, & eius dogmati dixit anathema, fuisse sine dubitatione damnata: aut iudicasse Synodum eum nihil tale fecisse, id est, duodecim Capitula non refutasse: aut imitandum Cyrilli exemplum sibi proposuisse, qui concordiæ cùm Orientalibus inire tempore, ea tamquam si acta non fuissent, pacis amore, silentio dereliquit:]

Posteà autem iubet Vigilius Theodoreti nomini parci, sed interim [quæcumq; scripta, vel dogmata eius, cuiuslibet nomine prolata, sceleratorum Nestorij, atque Eutychetis manefestantur erroribus consonare, anathematizamus, atque damnamus.]

Iraque qui Teodoreti defensitanda nunc incautiùs scripta suscipiunt, non aduertunt, ne olim quidem ab vllo ad eum modum defensa fuisse, cùm contentionis ferueret æstus; sed vel ab ipsis defensoribus suis fuisse damnata, si vnum demas Facundum, qui ex consequenti tantùm, vt eorum sensum defenderet, impulsus est, quòd ea sine strage Synodi Chalcedonensis damnari non posse autumaret. Græci omnes, qui ea legerant, & intellexerant, damnabant; Latini, qui nec legerant, vtpotè Græcitatis ignari, defendebant, solo ex rumore Chalcedonensis Synodi, quam nec plerique legerant.

105 Insidiosum est autem, quod tricantur, damnatos etiã ab œcumenica Synodo libros, retractari rursùs posse, & ad noui examinis libram expendi, ac si fors, à priori damnatione absolui: idque probant ex Leonis magni epistola 62. itemque ex Pelagij Papæ epist. ad Episcopos Istriæ.

Ità enim Leo: [Si quid sanè ab his fratibus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id, quod ad causas fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis, quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, vt excussis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi rationem habere, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam definitum.]

Quibus exscriptis Pelagius hæc subijcit: [Apertè nobis licentia tribuitur, vt quidquid illic extrà fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippè Synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium reuocetur.]

Vniuersim ergo hinc ominantur, non irretractabile, atque adeò non immutabile, non infallibile esse iudicium quodcumque, quòd extrà speciales Synodalium Conciliorum causas, id est, præter fidem extiterit. Tametsi enim ibi Leo de Anatolij ambitu, & ambitioso canone verba faciat: vniuersalis est tamen illa regula, specialem Synodorum causam esse fidem, cætera omnia posse ad iudicium reuocari.

At respondeo ex aduersò, Leo specialem Synodorum causam in vna fide collocat, vt approbet Legatos à se ad Synodum pro causa fidei tantum directos, adeòque cætera quæcumque decreta à se non confirmari, à se irritari, nullius penitùs esse firmitatis.]

Perlege suprà laudatam Pelagij epistolam, innumera ibi Leonis testimonia constipata inuenies, in idem conuergentia: in irritum mitti, non confirmari, quidquid præter fidem Chalcedone actum est: quia ad fidem statuendam tantùm, & conuocata est ea Synodus, & Legati Sedis Apostolicæ ad eam directi sunt, nempè quia vna est Synodalium Conciliorum causa, fides.]

Parco tam multiplices Leonis locos adscribere: summatim Pelagius illis relaeis: [Ipse namque Leo, sicut multa superiùs epistolarum eius attestatione docuimus, gesta multiplicia causarum specialium reprobando, auctoritatem Synodi in sola fidei definitione constriuxit.]

Vna ergo est ea ratio, non dissecanda, retractari ista potuisse iudicia, quia à Sede Apostolica confirmata non fuerant: nõ fuerant autẽ confirmata, quia ad fidem illa nõ pertinebant, & ad fidem tantùm Synodus coaluerat, Legati Sedis Apostolicæ eò confluxerant: Synodus denique, & Legati ad fidei negotium dumtaxat confluxerant, quia specialis Synodorũ generalium causa est fides.

Secundò: Ibidem Pelagius retractari posse, nempè extrà fidem esse centies inculcat [priuata negotia, iudicia de personis.]

At iudicium, & damnationem librorum hæreticorum nemo cordatus reuocauerit ad priuata iudicia, siue ad iudicia de personis. Publica enim ista sunt, & ad omnes Ecclesias, ad fideles vniuersos, ad fideles vniuersos, ad fidem ipsam attinentia iudicia, quibus verba, propositiones, contextus, libri hæreticorum proscribuntur hoc est, ipsæ hæreses. Quæ enim vsquam hæreses damnatæ, nisi verbis, proporionibus, scriptiunculis, libris comprehensæ.]

Tertiò: Ergo librorum hæreticorum damnatio, non ad priuata negotia, non ad iudicia de personis, sed ad ipsa fidei iudicia,

cia, eoque ad speciales Synodorum causas pertinet. Ideò in Synodis generalibus vno semper iudicio fides, & scriptum quo contineretur auctorata hæresis, & scriptum, quo contineretur, exauthorata. Vno fides, symbolum & Nicænum, vno fides, & Symbolum Constantinopolitanum: vno fides, & epistola Leonis approbata est iudicio, ac subscripta. Vno vicissim iudicio hæreses, libriq; hæreticorum damnari, nec seorsim vmquam hæc agitata. Ideò nec Romana vmquam Ecclesia retractari postulauit iudicium sextæ Synodi de Epistolis Honorij. Ideò multò minùs retractari hactenùs passa est Ecclesia iudicium de quocumque libro damnato, nihilò plùs, quàm de quacumque hæresi post tot lapsus sæculorum. Quantum enimuerò dedecoris hinc redundaret, si alia rursum Synodus colligenda esset, quæ examinaret, an prior œcumenica Synodus assecuta esset mentem nouelli alicuius scriptoris. Nempè quòd ad examinis Synodici diligentiam, vel incuriam spectat, ea peræquè fidei, atque librorum causas complectitur.

Quartò: Nec istud, quod refricari potuisse instabat Pelagius, de libris erat, sed de factis alijs, vel personis, vel disciplinæ capitibus iudicium. Replicat enim ipse identidem ea esse de personis iudicia. Idem non semel Gregorius. Quæstio enim illa vertebatur, an damnari deberent, vel possent Capitula, quæ non damnasset Synodus Chalcedonensis? an mortuis, an in pace Ecclesiæ fato præfunctis anathema illidendum esset? An reuera Synodus Chalcedonensis tria Capitula probasset, vel improbasset, vel præterisset? An Leo has quoque extremas penè lacinias gestorum Chalcedonensium confirmasset, ità vt ad examen retrahi non posset? Hæc extrà fidei causam erant, hæc disciplinæ magis erant, factorum, personarum. His ex obliquo incidebat alia quæstio, an reapse hæretica essent Capitula. Sed de ea nullum ferè certamen erat.

Hæretica enim esse, etiam eorum defensores, omnes propemodùm consentiebant, aut non altercabantur.

Consule rursùs præfatam Pelagij epistolam, ex parte Istrorum Schismati corum multa occurrent congesta præsidia ad arcendam Capitulorum damnationem, ex Leonis, ex Anatolij, ex Orientalium literis mendicata, & ad id omnia prorsùs conspirantia, Quòd Calcedonensi Synodo nihil addi, nihil detrahi fas sit.

Ad hæreticæ autem sententiæ, velut perperam Capitulis affictæ propulsationem, nec testimonium, vel argumentum saltem vnum expromitur.

Vndè Pelagius ipse ad causam Theodoreti descendens, ait: [Discusso secundo capitulo, tertium superest: quod tantò debemus in breuitate constringere, quantò, & vos nobis hac in re non credimus resultare.]

Illa ergò conglobatio testimoniorum ex Theodori, & Theodoreti nefandis scriptis corrasorum apud quintam Synodum, & epistolam Pelagij eò magis pertinebat, vt hæretica scripta non potuisse probari, immò improbata reipsa fuisse Chalcedonensibus Patribus, vel diuturniorem circà ea dispensationem iam ferendam non esse demonstraretur: de quo omnes prorsùs Capitulorum defensores litigabant: quàm vt hæretica esse Capitula euinceretur, de quo paucissimi contentiosum finem trahebant. Tametsi ex consequenti id quoque emergeret emolumenti, vt & hi postremi, paucique reuincerentur.

Quintò. Hinc cautissimè Petrus de Marca, vir numquam sine singulari nominis elogio nobis memorandus, in diss. de quinta synodo hæc aduertit num. 20: [Ex epistolis Vigilij, & Pelagij colligere licet vnam, & alteram regulam apprimè vtilem, &c. Earum prima est, Fidei Canonem mutari non posse, &c. secunda in alijs causis extrà fidem, id est, in capitibus *disciplinæ*, quæ versantur non solùm in facto, sed etiam in iure, veritatem nunc latere, nunc aperiri, &c.]

Fides itaque, & doctrina inuariabilis, irreformabilis est: disciplina autem versatilis. Librorum autem censuram quis sobriùs ad disciplinam retulerit? Quid magis ad doctrinæ, fideique iudicia hactenùs pertinere visum, quàm fidei, vel hæreseos symbola, expositiones, confessiones, libellos, libros excutere, interpretari, confirre, damnare.



DIS.

DISSERTATIO XX.

In Synodum VI. Oecumenicam, seu Constantinopolit. III. Anno Christi 680. 681.

SYNOPSIS.

Inquiritur in Honorij Papæ damnationem. Refelluntur, qui acta huius Synodi falsata causantur. Num. 1. 2. 3.

Refelluntur iterum, qui Synodum, vt in re facti, errasse cauillantur. Num 4. 5.

Refelluntur tertiò, qui etsi immerentem, dispensatiuè damnatum suspicantur. Num. 6. 7.

Respondetur Honorij epistolas priuatas, & familiares fuisse, nec pertinuisse ad Cathedram; ideòque damnari potuisse, quia & errare. Quod multis coniecturis munitur. A n. 8. ad 17.

Respondetur iterum, non tam hæresi, quàm dispensationi studuisse Honorium; quæ quia improuida, & inauspicata, proditio fidei habita est. Multa ad id argumenta, multa item congeruntur exempla consimilis in doctrina fidei dispensationis, sed feliciores plerumque exitus nactæ. A n. 18. ad 31.

Anastasij Bibliothecarij Apologia pro Honorio expenditur, & ad regulas à sanctis Patribus fixas reuocatur. Vsque ad calcem.



PRælibata ferè iam alibi cætera sunt, quę ad huius elucidationem Synodi disceptari poterant. Vnam hic residuam, eamque peregrigiam versare controuersiam animus est, de Honorio Papa hæreseos damnato. Itaque nihil odio, nihil gratiæ partium dabitur; studium omne veritati certabit.

2 Nam quòd reapse perlecta Honorij epistola, hæreseos illi inusta ignominia sit; non autem à Theodoto Episcopo CP. adulterata sint acta Synodi, & loco Theodori à Synodo damnati, Honorij nomen subrogatum, emunctioris iam ferè omnes naris homines consentiunt.

Theodorum enim ob hæresin Monothreletarum, vel ante Synodum exauctoratum fuisse, vel à Synodo proscriptum, nullo auctore, nullo certo argumento constat.

Secundò, Ad hæc si Theodorum cupido inuaserat nomen suum ex albo damnatorum expungendi, id tutiùs poterat, & faciliùs, si à nomine Honorij substituendo, hoc est, si ab Occidente vniuersò in suæ imposturæ euulgationem, & vindictam ciendo abstineret.

Tertiò: Adde, quòd etsi perfacile est, Theodori, & Honorij nomina totidem ferè syllabis, literisque compacta permutare; at operosissimum, adeòque impossibile penè erat, germanis Synodi actis ipsam Honorij epistolam, eiusque examen, & damnationem infarcire, & huc, illucque locis plusquam duodecim Honorij Papæ, & Episcopi Romani nomen, meritumque interserere, vti nunc in actis legitur.

Quartò. Præterea, non alia saltem Theodorus adulterare acta potuisset, quàm quæ in Patriarchio CP. seruabantur. At in more positum id erat, vt generalium Synodorum acta quinquies describerentur, & singula singulis Patriarchis destinarentur exemplaria: qui tandem illa Theodori corruptela in cęterorum Patriarcharum, & maximè in Romanum exemplar irrepsisset?

Expressissimè autem in hac ipsa Synodo act. 18. Sanctum Concilium dixit, Petimus à Domini potestate instructa à Deo, ad maiorem orthodoxæ fidei stabilitatem, & confirmationem, vt subscripta exempla definitionis relectæ, præsente vestra serenissima potestate, edantur quinque Patriarchalibus sedibus, vnà cum pia vestra subsignatione. Et mox: Pijssimus Imperator exempla definitionis cum subsignatione mansuetæ eius serenitatis præbuit quinque Patriarchalibus Sedibus.]

Hæc gesta sunt superstite Georgio, necdum Theodoro post illum in vrbis Regiæ Sedem reuocato: Quibus ergo præstigijs in Romanum exemplar grassari potuit posteà Theodotus?

Quintò: Nulla vsqoam deinceps Romæ querela, nulla expostulatio perstrepit de actis Synodi interpolatis, de suppositia Honorij damnatione. Non Leo II. qui Acta Synodi confirmauit, de adulterio illo, vel mussare legitur: non Legati Romani,

ni, qui Synodo affuerant: non ex eis Ioannes saltem Eccles. Romanarum Diaconus, posteà Pontifex, nomine Ioannes Quintus: non vllus deinceps Pontificum Romanorum: non denique Anastasius Bibliothecarius, tantæ eruditionis vir, & actorum ipsorum compos, & purgandæ Honorij memoriæ cupidissimus.

Sextò: Sed Constantinus ipse Pogonatus, qui tam exitiali fraudulentiæ assensus esset, ille & à Synodo, & à scriptoribus æui illius, & ab ipsis Romanis Pontificibus nullo non laudis genere cumulatissimus?

3 Sed nullis argutijs declinari possunt Leonis II. Papæ, qui Agathoni successit, epistolæ. Ità enim ille ad Constantinum Imperatorem in confirmatione Synodi, [Anathematizamus noui erroris inuentores, Theodorum Pharanitarum Episcopum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, CP. Ecclesiæ insidiatores magis, quàm Præsules: [Nec non, & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustrauit, sed prophana traditione immaculatam maculari permisit.]

Et epist. 2. ad Episc. per Hispan. constitutos: [Æterna damnatione mulctati sunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexan. Sergius, &c. cùm Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non vt decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confouit.]

Et epist. 5. ad Eruigium Regem Hispan. [Et vnà cum eis Honorius Romanus, qui Immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari permisit.]

Secundò: Et in Septima Synodo Act. 3. Tarasius Patriarcha CP. in epistola ad Patriarchas Orientales, Theodorus item Hierosolymitanus Præsul in Synodica: & act. 6. eiusdem Synodi Epiphanius nomine Synodi Pseudosynodum Græcorum refellens, denique act. 7. Synodus ipsa in fidei definitione Honorium cæteris Monotheletarum signiferis à sexta Synodo damnatis accensuit.

Tertiò: Rursùm Octaua Synodo act. sept. legitur Romani Concilij sub Hadriano II. Pontifice Romano contra Photium habiti series, ac præ cæteris hæc allocutio Pontificis: [Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum: sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus: propter quam solam licitum est minoribus, maiorum suorum motibus resistendi, vel prauos sensus liberè respuendi. Quamuis & ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.]

Denique Synodus ipsa 8. in fidei professi. act. 10. Honorium cum reliquis Monotheletis, omnibusque hæreticis vno anathematis fulmine adurit. Aderant, præerant, & summa potestate fruebantur in vtraque hac Oecumenica Synodo Legati Pontificij; nec intercedunt tamen, nec vel vnico verbulo reclamant Romanos Pontifices synodicis fulminibus imperuios, & immunes esse. Ergo iam nil mirum, si & in Sexta Synodo damnationem Honorij non sint deprecati, non vetuerint Romanæ Ecclesiæ legati.

Quartò: Sed esto, ne sexta Synodus Honorium perculerit, at Septima, & Octaua illum confici potuisse credidere, illum cum hæreticis alijs confixere. Nulla hic deprauatorum à quoquam gestorum suspicio. At perindè est à Sexta Synodo damnatum esse, atque à Septima, & Octaua, vel damnatum, vel damnari posse creditum esse.

Quintò: Sed qua tergiuersatione professio Hadriani tam dilucida eluditur? Confitetur, & damnatum, & super hæresi accusatum fuisse, & auctoritate ipsa Romanæ Sedis subnixam fuisse illam dicendæ in Honorium sententiæ potestatem.

Quorsùm attinet epistolas Leonis II. concutere, & inanibus cauillis earum fidem sollicitare.

Num Leonis, & Hadriani non potuit eadem esse sententia, eadem priuilegij primæ Sedis interpretatio?

An neperis scriptoribus antiquior, vel exploratior fuit primæ Sedis prærogatiua, & Honorij fama, quàm Hadriano II.? Non tanto Pontifici, non vlli anteriorum, vel posteriorum Romanorum Præsulum, qui in suæ Sedis honore tuendo tam accurati, tamque vehementes fuere, in mentem venit suspicari, quàm isti post octingentos annos olfecere imposturam?

Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad Octauam Synodum falsationes Synodorum generalium à Græcis tentatas persequitur: nihil de Sexta falsata meminit. Item in præfatione Collectaneorum. Otiosum esset plura damnationis Honorij congerere testimonia. Vnum id vniuersim constat, omnes deinceps fidei confessiones, omnes hæreticorum Catalogos reliquis Monotheleticæ perfidiæ Patronis Honorium permiscuisse.

Quo in argumento tantumdem penè est momenti, atque in Sextæ Synodi auctoritate. Nam etsi tunc minimè damnatus fuisset Honorius, damnari saltem potuisse in Synodo generali Romanum Pontificem, ex hac tanta omnium vbique, & Synodorum, & Pontificum consensione clarescceret.

4 Suas sibi conscij, vt suspicor, labàre coniecturas, compendiosiorem aliam defensitandi Honorij viam ineunt. In facti nimirùm quæstione errasse sextam Synodum, & Catholicæ Honorij epistolæ hæreticam infamiam illeuisse. Istud quoque effugium potiùs, quàm responsum paris nouitatis coarguere licet.

Eccur enim Leo II. in epistola maximè illa, qua sextam hanc Synodum confirmat, non hanc potiùs amplexus est expeditiorem vtique rationem, Romanæ Ecclesiæ ab hæreseos macula tuendæ? Nam

ille

ille nihilo remissiùs, quàm prædecessores sui, Romanæ Sedis istud egregium non errandi priuilegium venditat, & tamen confitetur iure anathematizatum Honorium, cuius proditione, & negligentia immaculatæ Sedi macula inusta est.

Secundò: Eccur Hadrianus II. in Romana Synodo non hoc compendium sectatus est, vt, quod instituerat, perficeret, Romanam Ecclesiam, cuiusque Præsulem à nullo iudicari posse? Vt quid & super hæresi accusari, damnatique Romanos posse Pontifices confitetur? Aut si accusari, damnarique possunt super hæresi, quorsùm attinet, ne damnatus iure fuerit Honorius, laborare? Procliuius est fateri, iure damnatum, quem damnari potuisse confiteris, quàm Oecumenicæ Synodo mendacij fœditatem impingere.

Tertiò: Quantum verò dedecoris aspergitur vniuersæ Ecclesiæ, si semel, si iterum, atque iterum ad Septimam, Octauamque Synodum collecta, errori illi, & temeritatis Honorij damnationi dicatur subscripsisse? Num adeò obesi, adeò obtusi fuere illi omnes trium Synodorum generalium Patres, vt nulli olfacerent acutulas istas, & commodiores Honorianæ epistolæ interpretationes? Pudet me contumeliæ sanctissimis Episcopis, fidei, & Ecclesiæ Christianæ parentibus, irrogatæ, vbi excutisse omnes, & in meridiana luce vniuersi caligasse dicuntur.

Nam si perspicuum, & indubium est, in epistola Honorij Catholicos eminere sensus, an tot, & tanti, an vniuersales Synodi in re perspicua, & indubia hallucinari potuere? Si obscurum autem, & ambiguum est, quin maiorum potiùs præluccentem auctoritatem, quàm nostram sequimur præsumptionem?

Quartò: Romani deinceps Pontifices æquè post, atque ante sextam Synodum conspiratissimè suam Sedem ab omni semper hæreseos macula puram, immunemque fuisse contenderunt. Nec vllus tamen vmquam eorum, vel damnatorum numero exemit Honorium, vel erroris sextam Synodum insimulauit, vel denique falsata illius acta conquestus est. Ergo conciliandæ huius Romani Præsulis prærogatiuæ cum Honorij proscriptione, audaces istas, & nouellas artes, aut nesciere, aut repudiauere, & alias ab his diuersas antetulerunt, de quibus inferiùs.

Quid de Humberto Cardinali sentiemus, qui in celeberrima aduersùs Græcos altercatione, Nicetæ Libellum refellens, sextæ Synodi synopsin quamdam explicat, in eaque cum Sergio, Pyrrho, & Paulo, Honorium quoque prostratũ eodem damnationis telo recenset?

5 Et quod cuilibet apertum est, posse clementi interpretatione epistolam Honorij ad Catholicos sensus inclinari, & quod de vna voluntate ibi disputatur, ad solam referri humanitatis Christi naturam: quod duplex eliminatur voluntas, ad deprauatæ voluntatis, seu cupiditatis carnalis abactionem exponi: id antiquos Scriptores minimè fallebat. Nec tanti acuminis res ista eget. Ità enim Maximus Martyr in disput. cum Pyrrho, ità ipsomet auctore ante ipsum Ioannes Papa Honorij mentem explanauit.

Ità ergo Maximus: [Quis fuerit fide, & auctoritate dignus epistolæ huius interpres, qui eam ex persona Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustrauit; an ij, qui Constantinopoli, quę ex corde erant, loquebantur? Qui hanc composuit. Is igitur ipse cùm ad d. Constantinum Imperatorem ex persona rursùs sancti Papę Ioannis de hac epistola scriberet, dixit, vnam voluntatem diximus in Domino, non Diuinitatis eius, & Humanitatis, sed solius Humanitatis. Cùm enim, Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & Spiritus, sicut nos habemus post peccatum; sed vnam tantùm, quæ naturaliter humanitatem eius figurabat. Hoc autem ità esse, argumentum euidens est, meminisse membrorum, & carnis, quæ quidem de diuinitate illa accipi non permittunt.]

Vide & ipsius Ioannis IV. Papæ epistolam à Sirmundo inter Anastasij Biblioc. Collectanea editam: pari acumine patrocinantem Honorio, eiusque epistolæ Catholicos sensus appingentem. Hæc Ioannes Papa, hæc Maximus, sed ante Synodum.

Post sextam autem Synodum non Latinorum, aut Græcorum quisquam, non Romanorum Pontificum, aut aliorum deinceps vsque ad nostrum hoc æuum fas sibi duxit huic indulgere interpretandi clementiæ, & Honorio per Oecumenicæ Synodi dedecus consulere. Itàque ante Synodum, & Pontifices, & priuati epistolas Honorij ab hæresis suspicione abstergere conati sunt.

Post Synodum damnationi earum omnes acquieuere. Quod inuictissimi habet argumenti momentum, vt constet, nec ipsos Pontifices Romanos, etsi de suæ Sedis honore anceps quæstio verteretur, adgressos vmquam esse, aut fas esse sibi voluisse, Oecumenicis Synodis libros, vel commentarios quoslibet damnantibus obluctari.

6 Spretis his duobus diuerticulis, tertium istud alij tenrauere. Tametsi Catholicè sensisset, scripsissetque Honorius: quòd eius tamen auctoritate, & scriptis abuterentur Monotheletæ in sui patrocinium dogmatis, damnari illum potuisse salubri dispensatione: ea videlicet compensatione, quòd ità fides Catholica aduersùs obtrectatores muniretur.

Etenim in Romana Synodo sub Martino Papa, perlegitur Pauli Constantinopoli Episcopi epistola, Sergij, & Honorij auctoritate niti Monotheletarum commentum aientis. Et in hac sexta Synodo, in præactis extat epistola Constantini Imperatoris ad Agathonem Papam, alentis Patriarchas Constantinopoleos, & Theopoleos

leos enixos eſſe; Vitaliani Papæ nomen è diptychis eijcere, [aſſerentes Honorium memorari in diptychis propter honorem Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ; nam non acquieſcere, vt memorentur Patriarchæ, qui poſtmodùm fuerunt in prædicta ſancta Romana Eccleſia, &c.]

Et act. 1. Macarius vexillifer Monotheleticæ factionis cauſatur, nihil à ſe nouatum, ſed ea prædicari, quæ hauſiſſet, à Sergio, Pyrrho, &c. necnon, & Honorio, qui fuit Papa antiquæ Romæ. Vt funditùs ergo ſubruerentur munimenta omnia nouellæ hęreſeos, epiſtolæ ipſæ Honorij, tametſi illis temerè incumberent, proterendæ fuere.

7 Sed & hìc recurrunt eadem argumentorum ſpicula. Nam Leo, & Hadrianus, alijque Romani Pontifices, Anaſtaſius, Humbertus, alijque Romanorum Pontificum iurati vindices, ne vel ſemel quidem, vel leuiſſimè de iſta purgandi Honorij ſolertia cogitauere.

Secundò: Quin Leo diſpenſationi huic perſpicuè renititur, cùm negligentiæ, cùm ſimulationis, & proditionis Honorium reum agit, eoque iure damnatum agnoſcit. Hadrianus ſimiliter non aliam, quàm accuſationis hæreſeos cauſam ſuſpicatur.

Tertiò: Præpoſterùm omninò hoc conſilium extitiſſet damnandi ex diſpenſatione Honorij, vt ſua hæreticis omnia labefactarentur præſidia. Quantò enim conſultiùs fuiſſet, epiſtolas Honorij à calumnia vendicare, & tanto patrocinio ferocientes pudefacere hæreticos? Quid hæreticis in erroris ſui peruicaciam altiùs immergendis opportuniùs, quàm epiſtolas orthodoxas pariter damnare, & ità committere, vt ſuos quoque commentarios illi nihilo ſeciùs orthodoxos, etſi damnari ſentiant, interpretentur? Quorum autem vniuerſim proſcriptioni librorum, vel auctorum conſentient heterodoxi, ſi ſemel percrebuerit hoc Catholicis doctoribus certum, & præiudicatum eſſe, poſſe nimirùm etiam immerentibus, etiam orthodoxa ſapientibus omnia hæreſeos maculam, & damnationem inuri ex diſpenſatione?

Quartò: Longè aliter Hincmarus lib. de non Trina Deitate: [Nec ſacra Concilia pepercerunt Epiſcopis nominatiſſimarum ſedium, videlicet Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ, Nicomediæ. Inſuper & Honorium magnæ Romæ Papam, quia contra fidem ſenſiſſe, & prauè ſentientibus conſenſiſſe detectus, & euidentiſſimè comprobatus eſt, ſicut in ſexta Synodo inuenitur, etiam poſt mortem anathematizauerunt, in hoc ſeculo manifeſtata culpa, iuſto Dei concordantes iudicio, quod iam egerat in occulto. Nam ſi idem Honorius hoc in præſenti ſeculo non meruiſſet, & cum ipſo merito de hoc ſeculo non exiſſet, ſibi potiùs, quàm illi nocerent, maledictum iaculantes, non iudicio iuſtitiæ, ſed liuore, vel temeritate.] Non diſpenſatio ergo, ſed vel liuor, vel temeritas eſt, anathema immerenti, vel ſcripto, vel ſcriptori infigere; eoque non patientis innocentia, ſed inferentis audacia vulneratur. At Honorius detectus, & euidentiſſimè comprobatus eſt contra fidem ſenſiſſe, ſicut in ſexta Synodo inuenit Hincmarus, nequaquam rerum iſtiuſmodi rudior, aut indiligentior explorator.

8 Propiùs igitur à vero abeſt, confoſſum fuiſſe nomen Honorij in hac Synodo, quòd non vt Pontifex primæ Sedis, ſed vt priuatus quilibet malè ſenſiſſet de fide; & has Epiſtolas non ex Cathedræ Petri oraculo, publicandas per omnem Eccleſiam, & fidei magiſtras futuras dictaſſet, ſed clàm ex priuato tum ſenſu ſuo, ad eum, à quo interrogabatur, ſcriptitaſſet. Poſſe enim hęreſeos labe inquinari, & ità accuſari, damnarique eum, qui in Cathedra Petri ſedet, quòd ità priuatim ſentiat, etſi non ità publicè doceat, Catholici prorsùs omnes ſentiunt, ſi vnum, & alterum demas. Conſentiunt omnes, & in id, quod docet Ruſticus E.R. Diaconus in Diſput. cont. Aceph. [Dei Eccleſia familiaribus non intendit, neque hypomniſticis, neque ijs, quæ ad vnum, & domeſticum fiunt: ſed his, quæ ad Synodos, aut à Synodis dogmaticè, & publicè, & definitiuè, de his, quæ in quæſtionem veniunt, conſcribuntur.] Priuatas autem has fuiſſe Honorij epiſtolas, & vt priuatum malè ſentientem, non vt Pontificem praua promulgantem dogmata inuſtum illum fuiſſe, multis perficitur documentis.

Primò enim vnius Honorij nomine inſcribuntur illæ epiſtolæ, cùm eo æuo moris eſſet nihil de fide, vel à Romano Pontifice, niſi ſynodicè definiri. Atque vt anteriora omittam tempora, quibus longè frequentiores erant Synodi, nec maioris quidquam momenti tentabatur ſine Synodo; ad hæc ipſa Monotheleticæ ſectæ exordia calamum reuoco. Ioannes, qui bimeſtri tantùm Seuerini Pontificatu interiecto, ſucceſſit Honorio Papæ, ſynodicè rem definiuit. Vnde libelli ſynodici auctor cap. 130. [Ioannes Papa, qui Honorio Monotheletæ ſucceſſerat, diuina, & ſancta instituta Synodo, Sergium, Cyrum, & Pyrrhum anathematizauit: duaſque voluntates, & operationes Domini, & Dei noſtri Ieſu Chriſti prædicauit: & ad Dauidem, atque Heraclium Heraclij filios typum piæ doctrinæ poſteà tranſmiſit.] Et idem continuò capit. 131. [Pyrrhus ad proprium reuerſus eſt vomitum, quod cùm B. Theodorus, qui Ioanni ſucceſſerat, intellexiſſet, vniuerſa Eccleſia conuocata, & ſepulchro Apoſtolorum Principis Petri occupato, diuino etiam calice poſtulato, ex tremendo, & viuifico Sanguine Chriſti, attramento affundens, propria manu depoſitionem eius, & eorum, qui eum ipſo communicarent, exarauit.] Et cap. 132. 133. duas ſimiliter collaudat Romanas Synodos, Martini, qui Theodoro, & Agathonis, qui Martino ſucceſſerat, nouorum dogmatum, nouatorumque fulminatrices: in vtraque fidei definitionem ſcriptam disertè aſſerit. Quin ergo & Honorij aliqua Synodus, vel ſynodica proſtat definitio, cùm quatuor ſucceſſorum eius totidem extent Synodi, ſynodicæque de fide conſtitutiones? Nimiùm ille pri-

ua-

uatim, quod sensit, scripsit: hi, vt Pontifices, quid sentiendum esset, desinierunt.

9 Quin & Primates Africani, Stephanus Numidiæ, Reparatus Mauritaniæ, Victor Carthaginis Synodos totidem collegisse ibidem memorantur cap. 127. 128. & 129. [Sergium, Pyrrhum, & Paulum anathematizasse, duas Christi voluntates, & operationes definisse, ac prædicasse.] Quid ergo, & Honorij Synodus aliqua ostenditur? Adde triplici hac Synodo Africana, perindè ac quadruplici superiùs Romana, Sergio, Cyro, Pyrrho anathema illidi, non item Honorio. Quo nihil peruersiùs, si peræquè Honorius hæreticam definitionem euulgasset. Sed ex aduerso cùm Honorius priuatas tantùm missitasset epistolas ad Sergium in Orientem, ne rumor quidem eius rei Occidentem peruagatus erat, vnde eius nomini non iniuria parcebatur.

10 Nam libelli eiusdem synodici c. 121. & 122. Sergius Constantinopolitanam geminam Synodum: cap. 123. Cyrus Alexandrinam: & rursùs cap. 125. Pyrrhus Constantinopolitanam Synodum coegisse proditur, vnamque voluntatem, & operationem docuisse. Quilibet ergo horum hæresim suam dogmatizauit, exposuit, roborauit synodicè. Honorius ibidem Monothelera scribitur fuisse. De vlla eius Synodo ne verbum quidem. Constat ergo non vt Pontificem malè definisse, sed vt priuatum immaturas cogitationes inconsideratiùs effudisse. Ità & Theophanes in Chronographia, Synodos laudat aliorum Romanorum Pontificum in hac causa, Ioannis, Theodori, Martini, Agathonis, nequaquam Honorij.

11 His adde, quæ supra ex Maximo retulimus de Ioanne Papa Honorium purgante, ex eius Amanuensis conscientia, & interpretatione. Erubuisset, vt reor, tantus Pontifex, synodicam prædecessoris sui epistolam, & fidei definitionem priuato, & impari interprete dehonestare. Potest enim Amanuensis de priuati scriptoris sententia vtcumque, non potest, nisi per deridiculum de synodi mente testificari. Deindè priuata vtique epistola ea est, cuius interpres non suppetit, nisi notarius. Nam si de fide trutinatus fuisset libellus, aliquanti saltem, vel Episcopi, vel Presbyteri Cardinales, & Cleri Romani apices adsciti essent in eius examen: & de eius deindè interpretatione non ignobile testimonium dicerent. Quibus lucis nonnihil affundetur ex verbis Augustini, exequentis vt Zosimo Papæ penè obrepserint, nec tamen vsquequaque imponere potuerint Cœlestius, & Pelagius lib. 2. de Pecc. Orig. cap. 8. [Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, Romanam verò Ecclesiam fallere vsquequaque non potuit. Recoluit enim B. Papa Zosimus, quid imitandus prædecessor eius senserit. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduersùs eius errorem pro veritate Catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat.] Et infrà c. 17. [Quæ cùm ità sint, profectò sentitis in tam nefandi erroris auctores Episcopalia Concilia, & Apostolicam Sedem, vniuersamque Romanam Ecclesiam, Romanumque Imperium rectissimè fuisse commotum.] Et l. 2. ad Bonifacium cap. 3. [Sed si, quod absit, ità tunc fuisset de Cœlestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia iudicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnauerat, approbanda, & tenenda pronunciarentur: ex hoc potiùs esset præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda.]

Vides pronuncianti ex Cathedra Pontifici adesse Romanam Ecclesiam, prædicandam Romanorum fidem, vniuersam Romanam Ecclesiam, Romanos Clericos, ità vt in hos etiam redundatura esset, siqua obreperet, præuaricationis macula. Non ità Honorius scripsit. Nec nos fugit, quod Marcellinus Comes in Chronico scripsit, epistolas Papæ Leonis aduersùs Eutychem de vera Christi incarnatione datas, à Prospero Aquitanico dictatas credi. Nec excidere nobis laudes, quibus ornatur à Maximo Martyre scriptor epistolæ Honorianæ. Sed longè aliud est, ex Synodi, vel Ecclesiæ, vel Cleri sui conscientia, & deliberatione, atque ex priuato tantùm sensu, consilioque conscribi epistolas, quicumque demùm ad has, vel illas contexendas adhibeatur.

12 Ad hæc nullius Occidentalium de Honorio quidquam effudit querelarum. Ne vnus quidem eius epistolæ, vel sententiæ auctoritate ad sectam Monotheletarum deflexus est. Non sub Ipso, non sub Seuerino, non sub Ioanne, & Theodoro eius successoribus, vel Romæ, vel in Italia, vel in Africa, vel in Occidente denique vllus contagio nouellæ sectæ imbutus vsquam comparet. Quæ stare planè non possunt, nisi priuatim ad Sergium missas, toti autem Occidenti, & Romanæ ipsi Vrbi, atque Ecclesiæ incompertas fuisse confiteamur. Romano enim Pontifice rectè, an sequiùs de fidei quæstionibus definiente, & ex suggestu Pontificiæ Cathedræ pronunciante, extrà fidem est, conticescere totum Occidentem, & ipsam Romam, & neminem prorsùs, vel secùs hiscere, vel gratulari. Huc refer, quæ iam sæpè superiùs adnotata sunt de epistolis Anastasij, Innocentij, Zosimi, Leonis ad fidem attinentibus, nec ad vnum aliquem priuatim, sed in Orbem Christianum, in Occidentem, in Orientem missis. Nihil vsquam istiusmodi de epistola Honorij.

13 Accedit quòd in ipsa sextæ Synodi Act. 12. epistola Honorij non aliunde, quàm ex Scrinio Patriarchalii Ecclesiæ Constantinopolitanæ promitur, authographa ipsa Latina, cùm Græca interpretatione. Ad vnum ergo Sergium missa; ab eoque recondita fuerat in Archiuo Ecclesiæ.

Adde quòd eadem Act. 12. & 13. Honorij non aliud quàm epistola, autographa, & authentica epistola appellatur, non vnquam Synodica epistola.

At Sophronij, Sergij, Macarij, aliorumque Synodicæ epistolæ, synodicaque opuscula, iterùm, iterùmque appellitantur:

[Concilium dixit, Retractantes dogmaticas epiſtolas, quæ à Sergio, tàm ad Cyrum, quàm ad Honorium; ſimiliter, & epiſtolam ab Honorio ad eumdem Sergium reſcriptam.]

Et infrà Iudices depoſcunt proferri in medium ſupradictorum, ſiue Synodica, ſiue dogmatica opuſcula, vel epiſtolas.] Has ergo ab illis diſtinguunt.

Tum iubet Concilium proferri à Chartophylace [quaſcumque, ſiue dogmaticas epiſtolas, ſiue & alia opuſcula dogmatica à Petro, Pyrro, Paulo, à Cyro, & Theodoto Pharanita.]

Antè autem damnatus fuerat Honorius ob ſcripta ab eo facta: quæ nec ſynodica, nec dogmatica dicuntur.

Ex aduerſo autem ſtatim laudatur ſynodica Sophronij.

Priuatas ergo fuiſſe Honorij has epiſtolas Synodus ipſa declarat.

14 Adde quòd verba ipſa ſententiæ in Honorium dictæ idem inſinuant. [Anathematizari præuidimus, & Honorium, cò quòd inuenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmauit.]

Ergo ad Sergium priuatim ſcripta erat ea epiſtola, non ad Orientem, non ad Eccleſias, vt ſolent dogmaticæ Summi Pontificis de fide epiſtolæ.

Deindè & hic, & in Proſphonetico, Sergij mentem ſecutus dicitur; at Synodica, vel dogmatica Romani Pontificis epiſtola, vtpotè ſummi in fide Dictatoris, non ſequeretur ducem Sergium, ſed antecederet.

Denique in Edicto Pogonati, quo Synodus confirmatur, ſimiliter poſt Theodorum Pharanitam, & Sergium memoratur Honorius, vt hæreſeos fautor, concurſor, confirmator, nequaquam vt auctor, & Dux.

15 Ipſa quoque Honorij epiſtola tenebras ſuas vltrò, & priuatum colloquium prodit. Nec enim vſquam de Synodica vlla, vel communi cum Epiſcopis, aut cum Clero Eccleſiæ ſuæ deliberatione meminit. Quin potiùs ſemel, iterùmque ibi inculcatur, nihil in Eccleſia momenti quidquam, vel roboris habiturum: niſi Synodali examine trutinetur. Ergo publica auctoritate ſemetipſam expoliat hæc ſcriptiuncula, quæ Synodali tantùm examinationi iubet animos, & obſequium inclinari, eaque ſe fruſtrari confitetur,

Præthereà nihilò ſegniores fuere, aut trepidiores Romani Præſules, in prædicanda Sedis ſuæ non errandi prærogatiua, poſt Honorium, atque ante.

Euolue epiſtolas Theodori Papæ; Martini, qui Synodum Lateranenſem collegit, Agathonis, Leonis II. & cæterorum deinceps: vbique Romana Sedes nuſquam à fidei amuſſi declinaſſe, incorruptam Orbi Chriſtiano ſemper propinaſſe doctrinam fidentiſſimè prædicatur.

Idque non poſt Honorium tantùm, ſed & poſt damnatum in hac ſexta Synodo Honorium, & poſt ipſam eius damnationis, & mentionem, & confirmationem. Non inanis eſt hæc autem, nec diſcors ſibi & conſtictabonda iactantia. Apage has ſuſpicionum contumelias à ſanctiſſimis Eccleſiaſticorum monumentorum paginis, omni Catholico Orbi venerandis. Rixa nimirùm illa nequicquam formidata facilè componitur.

Inuſtus eſt Synodico cauterio Honorius priuato nomine, ob peculiare ſcriptum; non perſona Pontificis, non ob Pontificale, ſeu profectum ex Cathedra, vel Eccleſiaſtica conſultatione reſponſum. Priuilegium autem non errandi additum eſt non priuatæ Pontificis perſonæ, ſed Cathedræ Petri, ſed Sedis Romanæ, ſed Pontifici publicam Pontificis agenti perſonam, obeunti Prouinciam.

16 Ità enim diſtinctionem illam Sedis Romanæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ, & Pontificis in ea ſedentis, à multis malè vexatam, & in abruptos, alieniſſimoſque ſenſus detortam, caſtigandam equidem arbitror, & ſaniſſimæ antiquorum Theologorum, ipſorumque Pontificum doctrinæ conciliandam, qua de re aliàs.

Lapſus ergo, & damnatio in Honorium, non in Sedem Romanam cadit: id eſt, priuata ſcriptione, non Pontificia fidei definitione errauit Honorius, notarique meruit.

Hanc diſtinctionem iam olim Auxilius præſtruxit lib. 2. de Ordinat. Formoſi Pont. cap. 18. [Aliud ſunt Pontificales Sedes, aliud Præſidentes. Proindè honor, & dignitas vniuſcuiuſque Sedis venerabiliter obſeruanda eſt, Præſidentes autem ſi deuiauerint, per deuia ſequendi non ſunt. Hoc eſt, ſi contra fidem, vel Catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam ſequi debemus.

17 Nec eſt quòd quiſquam obganniat, Ergo niſi Synodicè pronuntiet Pontifex, quidquid definierit, ei, non Sedi tributum iri, errorique fore obnoxium. Nàm ea in re obſequendum eſt moribus Eccleſiæ, alio, & alio tempore variantibus.

Vbi in more poſitum erat, vt Epiſcopi, Metropolitani, Primates, Patriarchæ nihil rei maioris adorirentur, niſi Synodica priùs conſultatione libratum: tunc Romani Pontificis illa quoque definitio Pontificia, ſeu ex Cathedra æſtimabatur, quam Synodica anteiſſet examinatio.

Vbi verò Chriſtiano toto Orbe rariores conſtuxere Synodi, & Epiſcopi cæteri, Epiſcoporumque vertices non iam Synodica, ſed qualicumque alia deliberatione vti cœpere; tunc quoque par eſt Romani Antiſtitis illam ex Cathedra, & ex priuilegio Petri cenſeri conſtitutionem profectam, & Sedis ipſius, non Pontificis propriam, quam ea anteceſſerit deliberatio, quæ in vſu eſt pro tempore, quæque ad alia tum maximi momenti negotia adhiberi ſolet.

Eccur enim ſummum Pontificem artioti, quàm alios addixeris Synodorum ſeruituti? Adde quòd vt ſuprà iam prælibatum, vtque ſuo loco prolixè rurſùs demonſtrandum eſt, in Synodi nomine non vſque adeò moroſa fuit antiquitas: & quo-

rum-

rumlibet, vel Episcoporum, vel Clericorum, maximè doctinrum congregationem eum Episcopo, & consultationem, Synodi nomine cohonestauie.

18 Nec rursùs oggeras, indè id exprimi, quòd non personæ ipsi Pontificis, sed eius quasi senatui alligetur illa innffensæ sempee definirionis anctoritas. Contrà enim ipsi prorsùs Pontifici, sed Ponrificem agenti inhæret ea dns, nnn in priuati hominis erumnas aliquando defluenti.

Nàm cùm geminæ hinc, & indè quasi Syrtes immineant, medium tutissimi iter carpimus,

Vt nusquam enim labi in hæresim queat is, qui Pontificales occupat insulas, exemplis apertissimis, Pontificum ipsnrum sententiæ, Catholicorum penpemodùm omnium consentioni aduersarium est.

Vt Pontifex erret, at errare Sedes negetur, quia plebs, & Clerus Rnmanæ Ecclesiæ abhorret ab eo errore, præposterum id qnidem est. Cùm ità plebi, & Clero, hne est, membris plus indatur sapientiæ, quàm Capiti.

Cùm ex aduerso, si quæ sunt dotes corporis & membrnrum egregiæ, à Capite illæ deriuari censendæ sint: & fidei Rnmanæ, Pauli elogio consecratæ, sanctis Patribus honnti, & miraculn habitæ, gloria principalis, & palma, ipsi Pnntifici, ve Magistro, præ Clericis, & Laicis, hne est, præ Discipulis necessariò adseratur.

Ergo id medium, id ab incursantibus hinc, & indè scopulis tutissimns est, vt Pontifex, quà Pontifex non erret, hnc est, cùm Cleri, vel Ecclesiæ suæ, ità suffragia, sententiamque expressit. sicut eo tempore familiare est, & visitatum, in rebus magni momenti, quæ olim synodicè ventillabantur.

Parco hic repetere, quòd superiori dissertatione tædiosiùs prnsecutns sum, Pontifici definienti Cathnlicns per Orbem Episcopos, ità consensisse hactenùs semper, vt vna totius Ecclesiæ vnx illa fuerit, vna sententia.

Ac quod nonnullis arrisit, Pontificem eum consensu Ecclesiæ suæ definientem aberrare posse, & tamen Sedem Apostolicam non errare, id verò cnmmentitium, & fabulosissimum est ludibrium. Secreta enim à Pontifice, & Pontificio Clero Sedes, inane figmentum est, vacuumque simulacrum, & sine mente snnus.

19 Atque, vt vlterius aliquid ad Honorij purgationem tentemus, quantùm per Oecumenicę huius Synodi & integritatem, & auctnritatem, per Pontifices etiam, qui eius damnationi assensi sunt, licebit: ipsamet eins epistnlæ verba enucleatiùs pensiculanda sunt.

Dispensationi ergo magis, quàm errori sese Honorium contemperasse, & intempestiuam dispensationem erroris ignominiæ subiacuisse, epistolæ contextus, reique exitus docet, docent, & prestantissimi viri Petrus de Marca Archiepiscopus antè Tolosanns, post denique Parisiensis, alijque nonnulli. Verba epistnlæ hęc sunt, nnn hæresim astruere, sed Oecumenico silentio intestinum bellum pręuertere idnnea, & nouitates occupare: [Fraternitatem vestram ea scripsisse laudamus, nnuitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.]

Sic ille ad Sergium contra Sophronium: illum vnam, vel duas Christi voluntates, & operatinnes dici vetantem, pacis alendæ prætextu, clàm interim vnam magis Dei, hominisque voluntatem insinuantem: hunc duas apertè prędicantem, nec rumnres pnnentem ante fidei Ecclesiæque salutem.

Et infrà Honorius: [Nnn oportet ad dngmata hęc Ecclesiastica retorqnere, quæ neque synndales apices super hoc examinantes, neque auctnritates Canonicæ visæ sunt explanasse, ve vnam, vel duas energias aliquis pręsumat Christi Dei prędicare: quas neque Euangelicæ, vel Apostolicæ literæ, neque Synodalis examinatio supee his habita visæ sunt terminasse.]

Et rursùs infrà: [Vtrùm autem propter opera diuinitatis, & humanitatis, vna, an geminæ operationes debeant deriuatæ dici, vel intelligi, ad nns ista pertinere nnn debent, relinquentes ea Gramaticis.]

Addit repudiandas esse nnuas voces, [quæ nnscuntur Ecclesijs scandala generare: ne paruuli, aut duarum nperatinnum vocabuln nffensi, Nestnrianam nos vesaniam sapere arbitrentur. Aut rursùs si vnam nperationem censuerimus, stultam Eutychianistarum dementiam fateri putemur.]

Denique Sergium hortatur, [vt indnctam vocis nouitatem, vnius, aut geminæ operatinnis aufugientes, vnum Christum in geminis naturis diuinitùs, atque humanitùs nperantem prędicetis.]

His autem multa interspergit Hnnorius de vna Christi voluntate, sed humanitatis solius, vtqui altera careat cæternrum hominum voluntate, carnalibus cupiditatibus per peccatum scatente.

20 In his perfacile est Hnnorij mentem deprehendere, nnn tam hæresi nouæ, quàm incnnsultæ dispensatinni seruientem: ex cuius successu inauspicatissimn cùm permagna per Orientem Mnnotheletæ incrementa fecissent, hæresis quoque ipsius infamia non immeritò aspersus est is, cuius negligentia, & imprudentia tantam Ecclesijs labem inuexerat.

Vnam voluntatem prædicat Christi Honorius, sed humanitatis. Voluntatem alteram ab eo arcet, sed carnis. Vnum operantem in duabus naturis statuit, diuinitùs, & humanitùs: hæc Orthodnxa sunt, & duarum voluntatum, operationumque confessioni æquiparanda.

Dummodo vnus credatur volens, & operans in duabus naturis, an duæ prætereà dicantur voluntates, vel nperatinnes, censet has inutiles esse minutias, has vocum argutias Gramaticis dimittendas, has nouitates verborum eum opprimendas, cùm ex eis viderentur illicò hæresum, bellorumque semina pullulatura. Istud verò nnn ad aliquid statuendum de fide, vel defi-

nieodum pertinee, sed ad suspendeodam potiùs defioitionem: istud noo fidei, sed paei Ecclesiarum temperator: istud deoiqoe non fidei deeretum, sed deereti suspendium; denique dispensatio ista est.

Quoniam verò hæc dispensatio Sergij, & Monuthelarum consilia, pestemque fidei aluit, etsi præter auctotis mentem, ea proditio habita est.

21 Porrò ad hane incogitantiam, neglig eotiamque Ponrifieis, in speeula Eeclesiatum omnium excubantis, & ad fraudes tamen, insidiasque Sergij, ac cæterorum Monotheletarum dormitantis, finentisque ijs se illaqueari; ad hauc, inquam, imprudentiam, ioertiamque Honorij respexisse Patres Synodi huius, Romanosque Pootifices in eo damnando, potiùs quàm ad apertam hæresis ptofessiooem, liquet ex ipsis eorum verbis.

Nam act. 13. io eum iaeulantur anathema, [quia in omnibos Sergij meorem seeutus est, & impia dogmata roborauit.] Roborauit enim exitialis silentij noo Oeconomia, sed proditione.

Et Leo epist. 2. eadem cum alijs damnatione constringit Honorium: [qui flammam hæretici dogmatis, noo vt decuie Apustulieam aucturitatem, incipientem extinxit, sed negligendo confouit.]

Et epist. 5. [Immaeulatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessotibus suis aeeepit, maeulari consensit.]

Et epist. 1. [Hanc Apostolicam Sedem non Apostolieæ tradirioois doctrina illustrauit, sed prophana proditione immaculatam maculari permisit.] Constanter, vt vides non adulterina prædicatio, sed conniuentia, & negligentia Honorij virio daeur, quàm ipse dispensationem interpretabatur improdens.

22 Ità concordabunt Pontifices Romani sibi ipsis, & cum Maximo Martyre. Eorum enim alij Honorij epistulam ante Synodum exemerunt suspieiooi hæreseos, alij post Synodum damnarunt. Vtrique eunsentaneè. Nam si verba ipsa epistolæ, & dogma assertum spectes, exulat hæresis. Si mollitiem, & conniueotiam seribentis, sileotiumque vuins, vel duarum voluntatum fœdissimo exitu iosamatum, subest hæreseos suspieio. Similiter Synodus purgatas à summis Pontifieibus epistolas, & si humaniorem ioterpretem nactæ fuerint, nil, nisi Catholicum spirantes, eeosorio telo confodit, noo nescia Catholieè eas expooi posse, sed altiùs rimata scribentis supinitatem, & cooniuentiam, quæ impiæ sectæ ioerementis latissimis patrocinata essee.

23 Rorsùm ampliùs enitescie eadem minùs prouida Honotij dispensatio, in altera ad Sergium epistola, quæ act. 13. minotatim excutitor, vbi & hæc habentue. [Scribentes commuoibus fratribus, Cyto, & Sophronio Antistitibus, ne nouæ vocis, id est, vnius, vel geminę operationis vocabulo insistere, vel immorari videaotur: sed abrasa huiusmodi nouæ voeis appellatiune, vnum Christum Domioum oobiscum io vtrisque naruris diuina, & humana prædieeor operantem. Quamquam hos, quos ad nos prędictus frater, & Coepiscopus Sophronius misit, instruximus, ne doarum operationum voeabulum deinceps prædicare innitantur, quod instantissimè promiserunt prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater, & Coepiseopus noster ab vnius operationis vocabulo discesserit.] Non obseurè subrutilat consilium tueodæ fidei Catholicæ, dum vnus Christus in duabus naturis operans retinetur, & interim *oiconomicos*, & ab vnius, & à duplicis operationis abstinetur vocabulo.

Temperamentum vocum affectabatur, quo & Nestorianis, & Eutychianis diuersa ex parte irruentibus occorreretur. Denique ipsi Apocrisarij Sophronij dispeosatioui assentiebaotur, si qua fides Honorio.

24 Nec iosolentes vsque adeò fuere etiā io fidei negotio dispeosationes istiusmodi. Sed vbi eautiùs libratæ, & aospicatorem exitum sortitę sunt, & laudis segetem quandam auteam auctoribus suis inuexere. Elegaotissimum, & huic tei aecommodatissimum Basilij Cæsariensis Episeopi exemplum, qui Spiritum sanctom Deum dicere abstinuit aliquaodiù: etsi reliqua prædieatiuue Deitatem eius astrueret: sed Dei vocabulo temperabat, ne Pneumaromachos concitaret in se, & ad Ecclesiarum inuasionem armaret.

Audi Naziaozenum dispensatiooia huius tùm conscium, posteà defensorem orat. 20. cum molti ex ea offenderētur. [Illi nudam, & apertam vocem de Spiritu sancto, quòd Deus esset, arripere studebaot: (quod quidem, tametsi verom erat, impiom tamen illis videbatur) vt eum quidem cum Theologica lingua cioitate pellereoe, ipsi autem Ecclesiam occuparent, eamque sceleris sui propugnaeulum effieerent. At ille in alijs quidem vocibus à Sctiptura petitis, testimonijsque minimè dubijs eaodem vim habentibus aduersarios comprimebat. Sed tamen propriam voeem interim vsurpare differebat, tum ab ipsomet Spiritu, tum à sioeeris ipsius propugnatoribus ingratiæ loco hoc petens, ne hoc suo coosilio offenderentur: oec committerent, vt dum vnam voculaoi mordicùs retioere conarentor, propter ioexplebilem cupiditatem omnia perdereot, coouulsa nimirùm turbulento tempore, ac distracta pietate. Ipsos autem oihil ex eo detrimenti acceptutos, si voeabula paululùm immutarentur, modò alijs verbis eadem doeereotur. Neque enim salutem oostram in verbis potiùs, quàm io rebus coosistere. At reipubl. oon posse maiorem perniciem, ae pestem afferri, quàm si Ecelesia ab hæretieis occuparetur.] Quæ Basilij dispensatio aliquantò etiam maioris videtur fuisse momenti, quàm Hoootij.

Supersedere enim à Spiritu sancto Deo dieendo, momeotosiùs aliquid est, quàm à gemina Christi voloutate, & operatiooe prædicanda temperare. Vt autem Basilius verbis alijs eadem vi præditis Deitatem Spiritus sancti adstruebat; ità Honorius Christum in vtraque natura operantem coocioòabatur, quo duæ operationes insinuaotur ooo obscurè.

Multi

Multi in Basilium fremebant, quòd fidem proderet, sed oculatiores quique cum Nazianzeno solertiam eius mirati sunt; & secunda Synodus subsecuta, adeò non Basilium notauit, vt Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem effari conteota in symbolo: diuinitatem eius insinouauerit magis, quàm disertè expresserit. At Honorio etsi eodem forsan collineanti, minùs fœliciter cessit.

25 Eiusdem œconomiæ fuæ, ac Basilij Apologiam similiter texit idem Nazianzenus epist. 26. aduersùs eos, qui eius patientiam; Basilij proditionem traducebant, vtrumque politicè magis, quàm piè agere cauillantes. Eadem ferè, quæ suprà, replicat.

Addit autem: [Præstat œconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet tempori, quasi nebulæ cuidam nonnihil cedentibus; quàm vt ea ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur, &c. Nec enim in verborum sono potiùs, quàm in mente, & sententia veritas sita est. Ecclesia autem graue vulnus acceptura est, si ob vnius hominis electionem veritas profligetur. Hanc œconomiam ij, qui aderant, tamquam vanam, & insulsam, ipsosque ludificantem clamoribus insectabantur, vt ignauiæ nostræ potiùs, quàm orthodoxæ doctrinæ consulentes. Longè enim præstantiùs esse nostros per veritatem tueri, & conseruare, quàm per huiusmodi scilicet œconomiam eos labefactare, nec interim alienos assumere.]

Itàque, vt ibidem subijcit Nazianzenus, nun omnibus orthodoxis conueuit *mechri tinos oiconomiteon*, quousque œconomia vti conueniat.

Ideò quam Basilius, & Nazianzenus œconomiam, alij complures Catholici ignauiam interpretabantur. Similiter, quam alij ignauiam, & proditionem, hanc Honorius arbitratus est salubrem fore œconomiam. Non nostrarum virium, sed Synodi Oecumenicæ est, tantas lites componere. Ergo Secunda secundùm Basilium, Sexta aduersùs Honorium pronunciauit. Tam authentico iudicio Orbis vniuersus acquieuit: frustrà paucis discrepantibus. Cæterum Basilio in hanc dispensationem viam muniuerat Paulus ipse, adeòque totus sacrarum paginarum contextus: Patrem crebriùs, quàm Filium Deitatis nomine, & Filium lubentiùs Dominationis, quàm Deitatis voce condecorans.

Ità sanè Chrysostomus hom. 5. de Incompr. [Sed quamobrem, inquis, Paulus Patrem hoc loco Deum appellat, Filium autem Dominum? Non temerè, nec fine causa facit: sed quòd aduersùm Gentiles ageret, qui plurium Deorum opinione laborabant, &c. Idcircò condescendens imbecillitati eorum, nomine Filium appellat diuerso, quod tamen vim eamdem omninò obtineret, &c. Quod idem certè etiam causa fuerat, quamobrem non expressè, ac manifestè, sed obscuriùs, raròque à Prophetis Filius Dei Iudæis significaretur. Quòd enim ipsi nuper errore pluriumDeorum essent li berati, si iterum Deum, & Deum audiuissent, prorsùs ad morbum animi reuerterentur. Quapropter frequens id apud Prophetas vsurpatum est, vnus est Deus, prætet quem nullus est alius: non quo secluderent Filium, absit: sed vt hominum imbecillitatem emendarent: ac suaderent antè plurium Deorum eijcere suspicionem, quàm Filium, & hunc Deum prædicarent.]

Iam non Apostolica tantùm, sed & diuina hæc dispensatio fuit: quàm alioqui permirùm, & penè incredibile foret eò vsque progredi potuisse.

26 Nec ab his dissonat Athanasius, eorum, qui Arimini defecerunt, dispensationem magis credi cupiens, quàm defectionem. Itàque qui duces impietatis ipsi non fuere, sed sequaces, & vi adacti, eos suis gradibus deijci vetat, in epist. ad Rufinianum: [Visum est dari veniam, habere etiam locum in Clero, maximè quia probabilem defensionem attulerunt, & visum est hoc quodammodo *oiconomicos* factum esse. Affirmarunt enim se non fuisse ad impietatem traductos; ne autem quidam à pietate longè alienissimi Ecclesias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere. Hoc autem dicentes, nobis quoque visi sunt dicere probabiliter.] Quam Athanasij sententiam, Hieronymi quoque calculo suprà communiuimus. Huc quoque non insulsè referes, quæ suprà in Append. de subscript. attigimus ex Nazianzeno, de Nazianzeni ipsius parente, quem Ariani nefario, hæreticoque Chirographo irretiuere; cùm tamen [ipse illæsam mentem, minimèque simul cum attramento infectam animam habere creditus sit: tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolumque ob animi sinceritatem ab omni dolo alienam, minimè cauisset.]

Quin & multi alij, [inuicti alioqui viri in fraudem impulsi sunt: qui quamquam mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transuersi acti sunt: ac si non flammæ, fumi certè participes fuerunt.] Hæc Gregorius clementer suo ex ingenio.

27 Sed palmare est, quòd idem mox de Aaronis facinore disputat Athanasius, pari œconomiæ illud quoque vendicari non dissentiens. [Hoc autem dicentes, nobis quoque visi sunt dicere probabiliter, quòd ipsi in excusationem adducerent Aaron Moysi fratrem in deserto, præuaricationi populi consensisse: se autem hac ratione defendisse, Ne populus in Ægyptum reuersus in idololatria permaneat. Probabile enim videbatur, quòd in deserto manentes possent ab impietate desistere: Ægyptum autem ingressi, in seipsis impietatem exercerent, & augerent.]

Sentis vtique non ægrè purgari potuisse Honorium, hac dispensationum non iniqua licentia, cùm ea, vel Aaroni ipsi patrocinio sit, teste, & laudatore Athanasio, cui subscribere numquam quemquam pœnitebit.

28 Quid verò de Hilario Pictauiensi Episcopo? Nec enim excidit animo, quam ille

ille Apologiam adornauerit illis Synodis, fideique formulis, quas cæteri passim ferè tum antiqui, tum iuniores scriptores Arianicæ perfidiæ contagione inquinatas criminantur. Nempè & hic dispensationi salutari accepta tulit, eoque non inania laudis duxit esse, quæ alij ad elimatissimam fidei amussim, & ad iuris rigorem exigentes, vt obliqua, & distorta repudiarunt. Ità prorsùs Honorij œconomiam æqui, bonique consulere fas fuisset, nisi Synodi Oecumenicæ auctoritas dominaretur, omnemque priuatis indulgendi coniecturis licentiam præfocaret.

29 Et antequam ab Ariminensi Synodo penitùs discedo, libet & hoc aliud dispensationis laudatissimæ exemplum decerpere, licèt non omnibus tum approbatæ.

Ità ergo Seuerus Sulpit. lib. 2. Cùm conuenissent Arimini Episcopi: [Omnibus annonas, & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id nostri, idest: Aquitanis, Gallis, & Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, proprijs sumptibus viuere maluerunt. Tres tantùm ex Britannia, inopia proprij, publico vsi sunt: cùm oblatam à cæteris collationem respuissent: sanctiùs putantes, fiscum grauare, quàm singulos. Hoc ego Gauidium episcopum nostrum, quasi obtrectantem referre solitum audiui. Sed longè aliter senserim: laudique attribuo Episcopis, tam pauperes fuisse, vt nihil proprium haberent, neque ab alijs potiùs, quàm à fisco sumerent, vbi neminem grauabant. Ità in vtrisque egregium exemplum.]

A Principe fidei insidiante, & his blandimentis ad perfidiam inescante ali, alijs horrori fuit, alijs non fuit. Vtrisque conscientiæ suæ candor laudi fuit. Sed id ad fidei substantiam ipsam non attinebat.

30 Extat apud eumdem dial. 3. aliud dispensationis specimen, quæ Martino totius sanctitatis sacrario, & placuit, & displicuit. Communicauit in Ithacianis Episcopis Martinus, [satiùs æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat.]

Et mox Angelus ad eum hoc se dolore conficientem: [Meritò Martine compungeris, sed aliter exire nequisti.] Itàque non iam diuersis alia, & alia sentientibus, sed eidem sibi dissentienti, placuit, displicuitque dispensatio. Quin & Angelus ità necessitatem excusat, vt culpam incuset tamen nonnullam.

Immò & Deus ipse ea videri potest non delectatus, nec tamen vsquequaque offensus.

Nàm adhùc energumenos curabat Martinus, sed tardiùs, & gratia minore. Vsque adeò ambiguæ sunt hominibus lineæ, vltrà quas euagari dispensatio non debet.

Et quamquam hæc ex Seuero exempla ad disciplinam magis, quàm ad fidem pertineant, ex illis nihilò seqniùs dispensationum lubrica, & impedita ratio declaratur.

Et sanè quamvis ad fidem spectet de Christi voluntatibus, & de Spiritus sancti Deitate sententia: ad disciplinam tamen magis referenda est ipsa fidei prædicationis moderatio, effusior, aut parcior, pro temporum, & regionum modo.

Vnde vtrumque secernens Nazianzenus Orat. 44. [Qui Deum Spiritum sanctum censent, diuini prorsùs viri sunt, ac splendido animo præditi. Qui verò etiam appellant, siquidem apud probo iudicio præditos auditores, sublimes, & excelsi sunt. Sin autem apud abiectos, & humi prouolutos, non sunt *oiconomicoi*: vtpotè qui luto margaritam, & imbecillæ auri tonitrui sonitum, & Solem infirmis oculis, & lacte vtentibus solidum cibum committant.]

31 Cognatiùs tamen est rei, quam versamus, Paschalis secundi decretum, quo inuestituras sibi à Rege Theuthonico extorqueri passus est.

Huic preuilegio hæreseos etiam dedecus impressere quidam magni nominis præsules, quædam etiam Synodi. Alij vituperium hoc omne abstersere. Quidam denique laudibus prosecuti sunt.

Vnus Iuo hic prodibit, & suæ, & alienæ sententiæ arbiter idoneus.

Ità ergo ille epist. 233. [Eorum sententiam, qui inuestituras laicorum defendere volunt, schismaticam iudico. Nec ista cõtra Domnum Papam dico, quia quibusdam literis mihi scripsit, se coactum fecisse, quod fecit, & adhùc prohibere, quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit. Et quia verenda patris debemus potiùs velare, quàm nudare, familiaribus, & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur, vt se iudicet, aut factum suum retractet, &c. Si in hoc languore insanabiliter ægrotauerint, non est nostrum iudicare de Summo Pontifice.]

Et infrà epist. 236. ait se factum Papæ: [Filiali charitate excusare, &c. Hunc excessum eius non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus. Si imminente strage populi, paterna charitate, cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, vt maioribus morbis posset sincera charitate subuenire.]

Postremò illis explosis, qui hanc hæresim esse clamitabant, concludit: [cùm ea, quæ æterna lege sancita non sunt, sed pro honestate, & vtilitate Ecclesiæ, instituta, vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inuenta sunt, non est institutorum damnosa prænaricatio, sed laudabilis, & saluberrima dispensatio.]

Vt ne alios excutiam hac de re philosophatos, vno in Iuone triplicem quendam aduertere mihi videor sententiæ gradum.

Decretum enim Paschalis appellitat primo nefandum, pudendum, retractandum: ni emendetur, insanabilis ægrotationis documentum. Deindè ait illud, filiali charitate excusandum. Denique definit dictante ratione approbandum, vtpotè à paterna charitate, ad præuertendas populi strages, à laudabili, & saluberrima dispensatione profectum.

Vsque adeò vbi rigor iuris tantillum inflectitur, altercare necesse est hominum etiam sapientum iudicia, iusti temperamenti metas alijs longiùs protollentibus, alijs reuocantibus.

Consultò pretermisi, vt quæ suo suprà loco prolixiùs explanata sit, Hormisdę Papæ dispensationem, circà vnum ex Trinitate passum.

Silentio ille studuit, æquè vt Honorius. Sed par consilium fęlicius illi, quàm huic cessit.

Eodem priuatæ curiositatis impetu possit culpari Hormisda, quo Honorius absolui.

Sed delectet nos potiùs quædam sapiendi sobrietas, & iudiciorum Ecclesiasticorum, ac synodalium religio, præsertim post tanta intercurrentium seculorum spatia, & his aduectam, condensatamque caliginem.

32 Vtque ad gyrum Honorianæ controuersiæ me reflectam, consimili dispensationi seruire fingebatur Typus Constantis Imperatoris nomine publicatus.

Eius hæc erant verba vt referuntur Consult. 4. Conc. Later. sub Martino Papa: [Quapropter sancimus, nobis subiectos, qui consistunt in Orthodoxa fide, non habere licentiam inuicem à presenti, de vna voluntate, aut vna operatione, aut duarum voluntatum, & duarum operationum qualemcumque proferre altercationem. Hæc autem sancimus, nihil aliquid interficientes de pijssimis dogmatibus, quæ à Patribus de dispensatione verbi dogmatizata sunt.]

Sancta Synodus dixit: [Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur; dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est namque proculdubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones, & altercationes pro causa fidei: sed non est vtile, & bonum, cum malo destruere bonum, idest, cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba, & dogmata.

Et infrà rursus præstituto eo capite, à sanctis Patribus duas, & voluntates, & operationes Christi predicari, aiunt: [Proptereà intentum quidem bonum existentem Typi laudamus, sed modum ab intentu dissonantem euertimus.]

Atqui Typo geminæ propè sunt epistolæ Honorij: eo laudabiles, quòd paci consulant: eo culpandæ, quòd operationes Christi duas, vel vnam iubentes sileri, contumeliosæ sint sanctorum Patrum Senatui, qui duas, vt naturas, ità voluntates, & operationes vno calculo constituunt.

Ideò nusquam Martinus, nusquam Lateranensis Synodus, nec vllus deinceps Pontifex Honorij defensionem aggreditur.

In illum enim redundabat Typi damnatio.

Qui verò è iunioribus Theologis eius, & epistolas, & famam tueri satisegerunt, pia, & ipsi intentione Honorij piam intentionem osculati sunt; sed eminùs rem aspicientes, & post secula tot interlapsa iudicium tantæ litis instaurantes, multa fefellere, quæ Synodi sextæ Patres fallere non potuerunt.

Illos enim non latuit, Pontifices ipsos Romanos penè præisse iam sibi, iam in antecessum consensisse in Honorij damnationem, dum defendere illum desistent, dum ad Monotheletarum de eo duce blandientium sibi iactantiam siluissent, dum denique Typum damnassent, exiguo, ac penè nullo ab epistolis Honorij interuallo discretum.

Et sanè cùm Typus, cùm Sergij epistolæ complures tam propè ad Honorij scripta alluderent, & sub eius dispensationis vmbra Monotheleticæ insaniæ pestes tandiù aluissent, latissimèque iam exundassent: non ferè poterant non eodem hæc omnia mucrone Synodicæ censuræ transfigi.

33 Sed expendenda iam nobis sunt verba Anastasij Bibliothecarij, prefatione in sua ad Ioannem Diaconum collectanea. [Ad manus nostras venire contigit Apologiam quarti Ioannis Romani Pontificis pro Honorio Papa, à calumniatoribus impetito, quòd vnam Domini nostri Iesu Christi tantùm scripserit voluntatem. Quæ videlicet Apologia satis hunc, vt reor, excusabilem reddit, licèt huic sexta sancta Synodus quasi hæretico anathema dixerit: & in Dei solius iam iudicio positum reprobationis telo perfoderit. Cùm hæreticus non ex erroris tantùm deceptione, quantùm ex electione non recta, & contentiosa pertinacia generetur: Quis autem erit, qui nobis interim dicat, vtrum ipse pro certo dictauerint epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceprunt? Cùm ex scriptoris, vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contingere tale potuerit. Quamvis non ignoremus, docente sancto Maximo in epistola sua, quam Martino scripsit Presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Ioannem Abbatem.]

Hactenùs satis sobriè sapit Anastasius.

Vbi aduerte vnum ex Pontificibus Apologiam pro Honorio texuisse Ioannem, & quidem longè ante Synodum: non Seuerinum, non Theodorum, non Martinum, etsi huic obiecta sit occasio, & penè necessitas: non Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, Donum: non Agathonem, etsi his magis liceret ante Synodum.

Quod enim ait Agatho in epist. vel suggest. [Vnde & Apostolicę memorię predecessores, ex quo nouitatem hęreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ presules introducere conabantur, numquam neglexere eos hortari, atque obsecrando commonere, vt à praui dogmatis hæretico errore, saltem tacendo, desisterent.]

His verbis saltem tacendo, dispensationem Honorij videtur ille quidem attingere, & commendare: sed pleniorem sanè, quàm vnius, & alterius verbuli Apologiam Honorij facinus desideraret.

Aduerte 2. epist. Honorij controuersas

las euidentissimè ab Anastasio demonstrati non Synodicas, non dogmaticas, non publicas, sed priuatas, & penè furtiuas; vtpotè quas dubium sit, an Pontifex ipse dictauerit: vtpotè quarum fortassis omnis error in vnū refundi posset Scriptorem, qui proteruia, vel odio in Pontificem, suum in eas priuatum virus eructasset. Itàque nec sic errasset è Cathedra sua definiens quid Pontifex.

Aduerte tertiò longè excusatius esse Honorio, quàm eius epistolæ patrocinari. Nàm Honorius potuit epistolam non dictasse, potuit de ea dictata pœnituisse, potuit sequacem, & morigerum, ad monitoris siquis obtigisset verba, animum gestare. Facta hæc sunt, non iura.

In factis potuit Synodo per mendacia testimonia, vel per veracium testium penuriam imponi. Siquid ergo nouæ lucis à nouis exoriretur posteà experimentis, posset non proeaculus quisque, sed Synodus alia prioris Synodi retractare gesta, & si iuberet veritas eliquatior, emendare. At scriptæ semel epistolæ iudex idonea est Synodus Oecumenica, nec ibi locus est superioribus effugijs.

54 Sed vlterà euehitur, & præter metas vehitur Anastasius ibidem: [Esto, & ipse dictator extitit; quis hinc illum interrogauit? Quis intentionem inuestigauit? Quis hunc corrigere voluit, & ille pertentauit, aut emendare volenti restitit? Præsertim cùm in Euangelio illo, in quo dicitur: Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c. nihil aliud præcipi magnis etiam magistris videtur, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippè quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, cùm bono, & malo fieri possint, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus. Sed ne videamur tàm sanctam, tamque reuerendam Synodum accusare, vel temerè reprehendere, licere nobis opinamur de illa sentire, quæ sanctos Patres nostros de Chalcedonensi magna Synodo sensisse non ignoramus. Quorum vnus sanctus, videlicet Papa Gregorius, vsque ad prolationem tantummodò Canonum hanc suscipiendam fore signauit.]

Addit & de secunda Synodo. Erubuit eantæ Synodo vir alioqui egregius, & effusiorem licentiam patrocinio magnorum Pontificum excusare laborauit.

Incassum omninò: Nàm aduerte rursùm primò: intentionem Honorij non excusari tantùm, sed & laudari posse, nec eo tamen clypeo deflecti posse ab eo meritæ damnationis iaculum.

Et Typi enim intentionem laudauit, & Typum tamen ipsum damnauit cum Synodo sua Lateranensi Martinus. An ergo & Martinum, & Romanam Synodum ijsdem onerabit conuitijs? Num per Martini contumelias Honorio consultum volet? Si alterum causa cadere necesse est, satiùs est prostratum iacere Honorium, quàm sublimem, & Christi martyrem deprimi Martinum.

Si alterutri dedecus inurendum est, condecibiliùs est, pœnam debitam ille pertulerit, quam hic intulerit indebitam.

Aduerte secundò nequaquam Honorij factum inter illa media referendum esse, quæ ad vtrumlibet interpretantis gratia, vel odio declinari possunt.

Ità enim & Typi damnatio recantanda foret. Sed vt Synodus Romana de Typo censet, ità sexta Synodus de Honorij epistolis, peruersum esse, nec vnam, nec duas profiteri Christi voluntates, & operationes, postquam sancti Patres exertissimè duas vociferentur: postquam è duabus naturis duæ manifestissimæ effulgescant voluntates, & operationes: postquam eo ambiguo silentio vnius etiam, vel duplicis Christi naturæ profligata olim contentio recalescat; postquam non integra ampliùs res sit, sed iam Pharanita, iam Sergius, iam Cyrus, vel apertè, vel inter has ambages vnam, & voluntatem, & operationem deprędicent, totumque à baratro reuehant Eutychetem.

Aduerte tertiò insulsissimam esse extremam Anastasij, qua non Honorium, sed seipsum tegit, defensionem.

Quod enim Romano Pontifici licet, num priuato cuilibet, num prætereà cuiquam licebit, Oecumenicas retractare Synodos, & in eis aliqua suspendere? Quod, vel maximum est primæ Sedis decus, atque ornamentum, id sibi, id cuiquam communicatum volet Anastasius, & viam ipse aperiet licentiosæ Censorum cateruæ, in sacras Synodos impetum facturæ, intactumque nihil relicturæ?

Aduerte quartò, nec Pelagium ipsum, vel Gregorium in dubium vocasse quidquam eorum, quæ à quarta Synodo pertractata, ac finita fuerant: sed quæ in controuersiam tracta post fuisse contenderunt, ea nequaquam à Chalcedonensi Synodo, sed post eam expletam, à quibusdam Episcopis agitata fuisse astruxere.

Iàm ergo Anastasius non Pontificibus tantùm sese æquiparat, sed longo, latoque præfert interstitio.

Illi, si qua emendanda duxere, ea post prolationem Canonum, adeòque post finem Synodi actitata priùs excusarunt, non à Synodo: hic à sancta, & reuerenda Synodo statutum præfatur, & mox emendat.

Aduerte quintò, quæ in Græcam Synodum Anastasius blatterat, ea ipso inopino resilire in ipsos Pontifices.

Nàm & Leo II. & Hadrinus II. negligentiam, proditionem, hęresim Honorij confessi sunt, atque execrati.

Nec horum epistolas vllius imposturæ suspectas habuit Anastasius, sicut nec acta sextæ Synodi.

An ergo, & hos Pontifices reos aget, tamquam temerè de intentione Honorij iudicantes, & malè vertentes, quæ boni consulere, & poterant, & debebant?

Aduerte sextò, nec ipsi etiam Anastasio curæ tantopere fuisse, epistolam Honorij, quàm ipsum Honorium purgare.

Et quæ in eius defensionem accumulat ex quarta, & secunda Synodo repetitis exemplis, nec ea ipsa quidquam officere nostræ sententiæ.

Nam

Nam recantamm nihil est de ijs, quæ in quarta Synodo decreta fuerant, nempè ante prolatos Canones: & quæ de Primatu Sedis Constantinoplitanæ in secunda Synodo fuerant statuta, ea à Græcis tantùm tumultuariè magis, quàm Synodicè fuerant acta, Occidentalibus tunc, nec presentibus, nec assentientibus, posteà verò enixissimè dissentientibus.

Denique & Anastasio, & alijs Honorij patronis, ne Leonem rursùs, ne Hadrianum, ne singulos Romanos Pontifices, sed vniuersos vno agmine constipatos obijciam: liber Pontificum, qui inscribitur Diurnus, in professione Romani Pontificis, post cæteros hereticæ nouitatis architectos, Honorium etiam anathemate percellit: [Honorium, qui prauis eorum erroribus fauorem impendit.] Vbi connenienter antedictis, & accommodatè ad Leonis verba conniuentia magis, quàm hæresis; vel & hæresis, sed ex conniuentia Honorio impingitur.

FINIS.



REGESTVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Omnes funt Duerniones, præter Zzzz, quod eft Ternio.
Principium eft Duernio.



ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Francifci Buagni.

Superiorum permiſſu.

